Ex Libris Ill.mi Card.lis Pecuttij

M. TVLLII

# CICERONIS OPERVM

## TOMVS. SEXTVS

Continens

*Epiſtolas, quae Familiares uocantur,*

&

In eas Paulli Manutij Commentarium.

AD ILLMVM. ATQVE. EXCELLMVM.

D. IACOBVM. BONCOMPAGNVM

DVCEM. SORAE. ET. C.



CVM. PRIVILEGIIS

VENETIIS. CIϽ IϽ XXCIII

Apud Aldum.

# ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
D.
# IACOBO BONCOMPAGNO
## VINEOLAE MARCHIONI
ET
GENERALI
S. R. E.
GVBERNATORI

VEllem, Illuſtriſsime, atque Excellentiſsime, IACOBE BONCOMPAGNE, tantum in me eſſet ad dicendum facultatis, quantum eximijs Tuis erga me meritis aliqua ſaltem ex parte reſpondere poſſet. Non ingratum profecto me, neque indignum, in quem beneficia conferrentur, experireris. efficeremque, ſi qua ratione poſſem, ut incitamento eſſem hominibus ad exercendam beneficentiam: cum ex beneficijs apud gratos, ac memores animos collocatis tantum percipi gloriae fructum uiderent. Ego, cum te multos abhinc annos ad ſumma omnia natum cognouiſſem, eximia naturae tuae ornamenta praedicare numquam deſtiti. Ad quae cum poſtea (quae ſumma eſt Dei prouidentia) acceſsiſſet maxima poteſtas, Tu, mores tuos ueteres retinens, nihil umquam egiſti, in quo ſummus ſplendor non eluceſceret, nihilq. praetermiſiſti, in quo ſolidae laudis ſpecimen non appareret. Quaeq. uirtutes Principum propriae eſſe debent, eas Tu, iſtam fortunam nactus, ſemper coluiſti, & ita coluiſti, ut, qui caecam eſſe Fortunam, & immerentibus ſemper fauere ſolitam conquerun

tur, eorum ſtultam opinionem re, ac factis facile confutares. facis enim, quod raro admodum contigit, eoq. praeclarius exiſtimandum eſt, ut litterarum ſtudia numquam in ſummis negotijs dimittas. ex quibus cum ea hauſeris, quae Te ualde illuſtrant, uis eis gratiam referre: optimeq. refers. Tu litteratos homines, litterarumq. ſtudia cum perpetuo Tibi fouenda in animum induxeris, quid eſt, quod Tibi earum nomine a litteratis hominibus non debeatur? Si Tu de tuo detrahis, ut eorum commodis inſeruias, aequum eſt eos uiciſsim de ſuis commodis detrahere, nomini ut conſulant tuo. Et, quamuis non Tu id agis, ut aliquam Tibi laudem ex beneficijs compares, qui omnia in ipſa uirtute fixa, & locata habeas, nihilq. aliud a ſolida uirtutis laude quaeras, eſt tamen, quod hoc ipſo nomine maiores quoque Tibi laudes debeantur. Ego certe, & Venetijs, & ubicumque eſſe mihi contigit, & ex alijs audiui tuam eximiam praedicari humanitatem, & ipſe alijs dicentibus ſilere tamen non poteram. Venetijs multi cum ſint, Maphaeus Venerius in primis eſt ex Patricijs, qui tua egregia facta, dictaq. in ore ſemper habeat, Tui recordatione mirum in modum moueatur, mirifico quodam Tui amore, ac ſtudio flagret. Contigit mihi ſuperiore anno, his propemodum diebus, Parentium adire, Ciuitatem in Iſtria portu celebrem, multiſq. de cauſsis ſatis illuſtrem. graſſabatur in ijs locis tum temporis peſtis. eo Marcus Venerius ex Veneta nobilitate, magni ingenij uir, & ſummae cuiuſdam prudentiae, Xuirum decreto, ad eam exſtinguendam publice miſſus fuit. cui adiunctus ego Secretarij munere ſum. Credas affirmanti, nihil mihi magis placuit, nulla ue alia re magis ſum affectus, quam Caeſaris Denores, illius Ciuitatis Epiſcopi, ſanctiſsima conſuetudine. homo integerrimus, cui diuina ita curae ſunt, ut, omnibus alijs poſthabitis, nullam in aliam curam incumbat, quam ut ſuo muneri ſatisfaciat, quo tempore uel ab huiuſmodi curis, in quibus totus eſt, uel a ſacrorum librorum lectione, in qua ita horas locat, ut ſuorum ſtudiorum fructum non uulgarem ſuis ciuibus, publice eos admonendo, & cohortando, impertiat, Te ita ſemper decantabat, tuaſq. uirtutes ita extollebat, ut ipſum me, qui Tibi plurimum debeo, Teq. ita colo, & obſeruo, ut nihil ardentius fieri poſsit, uincere interdum uideretur. Ita, quos dies peſtilentiae uis inſuaues reddebat, ij Tui honeſtiſsima mentione hilariores accidebant, ad meumq. ſingulare erga Epiſcopum ſtudium tantum hoc nomine acceſsit, quantum accedere poſſe uix ſperaſſem. Materiam habebamus tam amplam, tamq. uberem, dies potius ut ipſi, horaeq. nos deficerent, quam tuarum laudum

exitum

exitum noſtra reperire oratio poſſet. cumq. multi de Te, ijq. perhonorifici ſermones forent, numquam tamen mirum accidit nobis, Te Tui ſimilem eſſe, in Teque, tamquam in ſpeculo, GREGORIVM. XIII. agnoſci: qui cum omnes ſuas cogitationes ad ſumma quaeque a prima aetate inſtituerit, beneficentiamque, unam inter uirtutes Principe dignas praecellentem, ſemper adamauerit, iure nunc, & merito anteactae uitae fructus fert, &, in ſupremo dignitatis gradu poſitus, de hominibus benemereri non deſiſtens, Te ſecundum ſe habet, qui, eum imitans, ijſdem gradibus ad ſummam gloriam contendas, eamq. Tibi unam ob oculos ponens, iam aſſecutus ſis, ut omnes, qui aliquid ſapere uidentur, Te ſuſpiciant, obſeruent, tamquam alterum Maecenatem in omni ſcripto praedicent. Me quidem tuarum laudum praeconem numquam ſenties in ijs celebrandis defeſſum, numquam defatigatum. Accidit quoque mihi mirabile admodum, ac iucundiſsimum, ut, cum Romamueniſſem eo potiſsimum nomine, ut Te praeſentem praeſens uiderem, Tibiq. gratias uultu ſaltem referrem, (qui index animi certus eſt) quando per tenuitatem meam aliud non licet, Romam paene in ipſa urbe Roma quaeſiuerim. Ea enim ſe oculis obtulit meis, ut nouae Vrbis faciem oſtenderet, ita publicorum aedificiorum ſplendore, uiarum amplitudine, pontium magnificentia, incredibili fontium ubertate GREGORIVS Pont. quem omnis Chriſtiana Reſp. ſanctiſsimum colit, eam exornauit, ut ad publicam commoditatem, ornamentumq. permultum additum, atque adiunctum eſſe uideatur. Sed, cum, quae Pontifex Maximus peregit praeclara, conſidero, uideo difficilius ea a me poſſe recenſeri, quam ab ipſo fieri. Faciant id, qui ingenio ualent, quiq. Romanam Ciuitatē ſua praeſentia honeſtant, Hippolytus Capilupus Epiſcopus, M. Antonius Muretus, Latinus Latinius, P. Angelius Bargaeus, Laurentius Gambara. ij ſint, qui ſuis & ſermonibus, & ſcriptis praeclara haec, unaq. uirtutes tuas egregias ad caelum ſuis laudibus ferant. Vt Iulium Iacobonium meum ſileam, fide, atque obſeruātia in Te ſingulari: qui, quantum ei per fortunam licet, certare etiam uel cum ſummae doctrinae uiris in tuae amplitudinis laude uidetur. Excepiſti me igitur ea benignitate, quae tua propria eſt, quae Te & priuatis hominibus, Regibus quoque ipſis carum reddit. qua Tu, praeter ceteras uirtutes, quibus excellis, ita hominum Tibi uoluntates deuinxiſti, ita omnium in te ſtudia conuertiſti, ut a Veneta Rep. in Venetam nobilitatem iamdudum ſis adlectus. qui honos cum ijs tantum tribuatur, qui ipſum eximio aliquo merito promerentur, facis, ut iure omnes optimo in

mo in

mo in te collatum exiſtiment. Incredibile eſt, quantum omnes bonos, quantum omnes Italiae populos, ac longinquas nationes tui amplisſimi nominis, ac famae ornamenta in Tui amorem, ſtudiumq. alliciant. Vt omittam, quanta ſit eorum, qui Romae adſunt, quibus in oculis es, quibus imperas, ad te diligendum propenſio. Eae me cauſſae impulerunt, ut Paulli Patris mei Commentarium in Epiſtolas M. Tullij Ciceronis, quae Familiares uocantur, tuo nomini dicarem. Quid eſt autem, quod tuo maximo, celeberrimoq. nomini non maxime debeatur; uel Tibi, propter eximiam iſtam tuam in me beneficentiam a me non uel maxime deberi homines intelligant? Vel quis non aequisſimum arbitretur, ut, qui Parentis mei in omni uita amantisſimus, ac patronus ſemper exſtiteris, eiuſdem quoque lucubrationes, quae ad poſterorum utilitatem proderentur, in tuam fidem, ac patrocinium commendentur? in quas ipſe uniuerſae fere uitae ſtudium, atque induſtriam contulit: quarum eam, quam in eruditorum animis (ut, ni fallor, ſcis) exſpectationem commouit, ſcriptorum praeſtantia facile, ut ſpero, ſuſtinebit. Quae ſi tibi, eruditisſimo in primis, ac celeberrimo Principi, probabuntur, una opera & Pater meus ſtudiorum ſuorum fructum ſatis amplum accepiſſe nulli non uidebitur, & mihi, qui pro uirili parte in his ingenuis artibus paternae laudis fieri aemulator ſtudeo, ad non inferiora in dies animum addideris. Deus Opt. Max. dignitatem iſtam tuam perenni felicitate ſecundet. Romae. Id. Iun. ∞ DLXXIX.

Amplitudini tuae

Obſequentisſimus, atque in perpetuum deuinctisſimus,

Aldus Manutius, Paulli F. Aldi N.

# INDEX
# RERVM · ET · VERBORVM
## · LOCVPLETISSIMVS
## Quae in Cic. Epiſtolis Fam. continentur.

A.

A Teneris unguiculis 31
A ui praeſtare tibi nihil poſſum 26
Ab ineūte aetate 518
Ab initio aetatis ſumme omnium doctrinarum ſtudioſus fuiſti 152
Ab alienauerunt nos inuidendo 33
Abdo me in bibliothecam 311
Abdidit ſe in intimam Macedoniam quā potuit lōgiſſime a caſtris 526
Abdere ſe totum in litteras 319
Abducit me a ſollicitudine philoſophia 494
Abducam me, quātum potero, ab omnibus moleſtijs et angoribus 205
Abducunt animum a ſollicitudine litterae 152
Abducere a rep. uirum bonum non debet iniuria. 183
Abducere aliquem a moleſtijs 187
Abducere te non debet a tantis laudibus feſtinatio magiſtratus adipiſcendi 436
Abduci a ſtudio negotijs 155
Aberrationem a moleſtijs nullam aliam habemus 589
Abeſt bidui ſpatio 427
Abeſſem ab Amano iter unius diei. 572
Abeſſe a reprehenſione temeritatis. 432
Abhorreo —— quam ualde Bibuli uoluntas a me abhorret 110
Abhorret —— a ſtudijs noſtris non abhorret 522
Abhorret non ſolū animus, ſed etiam aures a commemoratione 607
Abhorrent a communibus praeceptis libri tres de Oratore 48
Abieciſti cum ſpe uincendi ſimul etiā certandi cupiditatem 167
Abiecit ceteras ſuas actiones 336
Abieciſſe te illam aedificationem conſtabat inter omnes amicos tuos 504
Abijcere omnem timorem 467
Abijcere ſe ad pedes alicuius 155
Abieciſſe curam reip. 406
Abiectus pari fortuna 178
Abijciendus eſt omnis dolor 205
Abire magiſtratu 185
Abſoluere reliquā iuriſdictionē. 174
Abſtergere animi tui metum uolo. 392
Abſtergere metum alteri 469
Abundantia quaedam amoris 44
Abundabis omnibus ampliſſimis honoribus 422
Abundas conſilio 427
Abundare ingenio —— nō ita abundo ingenio, ut te conſoler 169
Abutuntur quidam ingrate facilitate noſtra 476
Abuti libertate potiſſimum in eo per quem eam conſecutus ſit, eſt populi Rom. 390
Abuti obſequio alicuius ad omnes res 426
Abuti ſtudijs bonarum artium 378
Academiae adoleſcentioris os 381
Accedo —— ne quid mihi ad hoc negotij, aut oneris accedat, aut temporis 131
Accedat maximus ad eam uoluntatem quam ad eam contuliſti mea commendatione cumulus 519
Accedere ad deſperatos 368
Accedere ad fugatos quos reſiſtentes ſequi nolueris ſummae ſtultitiae eſt 368
Accedere ad ſocietatem integerrimorum periculorum 420
Accedere —— magni uidebatur intereſſe ad eam neceſſitudinem quā ſors attuliſſet conſuetudinem quoque accedere 117
Accenſus meus 127
Acceſſio —— eam uidentur famam conſecuti ut non tam acceſſio quaerenda quam fortuna metuenda ſit 97
Acceſſiones meritorum meorum in dies fieri, peruidere te ſpero. 421
Accedit ea res eius ſpei per quam opportuna 336
Accidebant mihi accerba 45
Acciderunt —— minime mihi miranda, & maxime iucunda acciderunt 136
Accidere —— nolim accidiſſet tempus in quo perſpicere poſſes quanti te facerem 136
Accidiſſe gratiſſima —— intelligo omnia quae a me profecta ſunt in te tibi accidiſſe gratiſſima 120
Accipio tuam excuſationem qua uſus es, cur ſaepius &c. ſed accipio ex ea parte 155
Accipimus quod dat. 7
Accepi nuncium optatiſſimum 117
Accepit a M. Laberio praedia in aeſtimationem 512
Accepit duo uulnera, unum in ſtomacho alterum in capite ſecundum aurem 174
Accepimus condiciones 600
Acceperunt falſam opinionem de Q. Metello L. Filio 46
Accipe ad omnia & cognoſce aequitatem expoſtulationis tuae 127
Accipere alterius ſatisfactionē 289
Accipere de aliqua re nuncium 328
Accipere detrimentum 434
Accipere in optimam partem 453
Accipere in partem hanc, uel illam —— ut quam in partem accipiā minus laborem 127
Accipere iniuriam 167
Accipere praedes 110
Accipere prouinciam ab altero 121
Accipitur ſatis male a Curione Pompeius 351
Accepta inſigni iniuria 185
Acceptus —— male acceptus 487
Acceptus peſſime inopia omnium rerum 461
Acceptae litis in hanc uel illam partem 418
Accommodabo meum conſilium potiſſimum ad tuum 380
Accommodaſſem meas litteras ad id 182
Accommodes ei uelim de habitatione 507
Accommodandū eſt hoc totum tempus ad unius uoluntatem & prudentis & liberalis 164
Accommodatus ad uitae meae rationem & conſuetudinem 544
Accubueram hora nona, cum, &c. 410
Accurrate agere cum aliquo de aliqua re 103
Ἀκενοσπουδὸς 588

# Index


*Acerbam mihi eſſe uitam putem* 7
*Acerbitas Marcelli* 155
*Accerbitas ſummi luctus* 210
*Acerbũ habuimus eo die Curionẽ* 26
*Acerbum ſe forte tui defenſorem oſtendit* 45
*Achilles fortunatus, qui Homerum praeconem laudum ſuarum nactus ſit* 201
*Acies ingenij* 106
*Acies inſtructa a Panſa duodecim cohortium* 341
*Acies quem exitum habitura ſit diuinare nemo poteſt* 234
*Acquieui aliquantum tuis litteris lectis* 164
*Acquieſcere in re aliqua* 377
*Acquieſcere in ſapientum praeceptis ad bene beateque uiuendum* 152
*Acquirere——nihil mihi acquirendum putabam, neque ad honorem, neque ad gloriam* 127
*Acta tam uita* 236
*Acta mitti ad te ſciebam* 469
*Acta rerum urbanarum tibi mitti certo ſcio* 494
*Actum peſſime cum—— non peſſime cum ijs actum eſt, quibus ſine dolore licitum eſt mortem cum uita commutare* 160
*Acturi ſunt Romae cõſulatum Panſa & Hirtius* 487
*Acumen——tu ſolus aperta non uidebis, qui propter acumen occultiſſima perſpicis* 206
*Acute uidere* 330
*Ad alieni ſenſus coniecturam non ad ſuum iudicium ſcribere* 245
*Ad Apollinis* 330
*Ad arbitrium tuum* 266
*Ad diem decedere de prouincia* 109
*Ad meum ſenſum, & ad illud iudicium ſincerum ac ſubtile nihil poteſt eſſe laudabilius, quam tua oratio, &c.* 578
*Ad numerum eſſe——non eſſe ad numerum* 341
*Ad ſummam animo forti ſitis* 562
*Ad tempus aderis* 261
*Addere cumulum ad* 517
*Addubitare* 241
*Adduxit eius fidem in ſuſpicionem* 357
*Adduxerunt rem in eam opinionem ut Pompeius cupere uideatur* 7
*Adducam te in meam ſententiam* 82
*Adducere aliquem ad ſuum arbitrium* 219
*Adducere in honorem* 307
*Adducere ſalutem alicuius in diſcrimen* 354
*Adducere te uidetur nonnullam in dubitationem itinerum meorum ratio, uiſuruſne me ſis in prouincia* 142
*Adductus ambitione* 529
*Adductus beneuolentia* 234
*Adductus mea commendatione &c.* 538
*Adductus non ſolum iuſtitia, ſed etiam miſericordia* 130
*Adductus pacis ſpe non cupiditate belli* 181
*Adductus ſum uoluntate ut facerem ea quae tua cauſſa feci, poſteaque conſtantia* 190
*Adducti in ſummam ſollicitudinem a Lepido* 482
*Adducta res erat in extremum diſcrimen* 480
*Adducta res in eum locum &c.* 226
*Adductae res in ſummam inuidiã* 7
*Adeptus eſſes maximam laudem ab omnibus ſi &c.* 494
*Adeptus gradus dignitatis ampliſſimos* 418
Ἀδέσποτοι *rumores* 589
*Adhaeſerunt omnia tamquam in ſilice quodam* 334
*Adhibui meam curam* 89
*Adhibuiſti in me conſolando non mediocrem animi dolorem* 164
*Adhibe illum animum quo me tum eſſe oportere cenſebas* 230
*Adhibe in te tantum diligentiae quantum me diligis* 597
*Adhibe omnem diligentiam ad conualeſcendum* 599
*Adhiberet omnem diligentiam ad ſe conſeruandum* 570
*Adhibere aliquam conſolationem* 210
*Adhibere conſolationem* 157
*Adhibere in cõſilium cogitationum ſuarum deſperationem aut timorem* 229
*Adhibere officium——eius officiũ quod adhibet erga illos, mea facultate & gratia adiuuare ſoleo* 556
*Adhibere ſe in conſilium, loqui ſecum* 89
*Adhibenda mihi eſt non mediocris cura ut reip. me ciuem dignum tuis laudibus praeſtem* 422
*Adhibita eſt nobis ſumma moderatio* 392
*Aditus——ſi quis erit mihi aditus de tuis fortunis, id eſt de tua incolumitate in qua ſunt omnia agendi &c.* 249
*Adiumentum——ſcripſit ad me maximo adiumento ſibi meam commendationem fuiſſe* 523
*Adiumento & ornamẽto eſſe——cura ut is intelligat meam commendationem maximo ſibi apud te, & adiumento & ornamento fuiſſe* 530
*Adiumento eſſe magno alicui homini* 86
*Adiungo me ad eius rationes quem tu in meis rationibus tibi eſſe adiungendum putaſti* 41
*Adiunxeris gratiſſimum uirum tuo ſummo beneficio ad tuam neceſſitudinem* 527
*Adiunxeris tibi optimos adoleſcentes, ſi eas liberaliter tractaueris* 532
*Adiungere aliquem ad ſuam neceſſitudinem* 515
*Adiungere aliquid ad dolorem* 160
*Adiũgere nouas neceſſitudines* 509
*Adiũgere ſe ad aliquorum cauſſã* 45
*Adiungere——ſi te mea ſumma erga te ſtudia parum mihi adiunxerunt, reſp. nos iter nos conciliatura & coniunctura eſt* 193
*Adiunctus Pompeius ad cauſſam Ciceronis* 46
*Adminiſtratio belli* 567
*Adminiſtrare negotium & conficere* 515
*Admiſſum dedecus* 136
*Admonendum potius te a me quam rogandum puto* 573
*Admonitus & memoria ueteris noſtrae amicitiae & uirtute atque obſeruantia filij tui* 213
*Admonitores nõ nimis uerecũdi* 292
*Admonitus temporibus* 425
*Adoleſcens errare cum excuſatione poteſt* 472
*Adoptare patronum* 196
*Adſcriptus in municipium* 528
*Aduerſaria grauis tibi conſtituta eſt incredibilis exſpectatio* 83
*Aduerſis uentis uſi ſumus* 557
*Aduentare ad Italiam* 86
*Aduerſa fortuna——non ſolum aduerſa, ſed etiã funditus euerſa fortuna* 226
*Aduertere animum* 383
*Aduocationes——cautior in re militari quam in aduocationibus Trebatius* 283
*Aduocationes——ut a ſingulis interregibus binas aduocationes poſtulent* 286
*Aduolare ad pectus——aduoletne nobis ſpectrum alicuius rei ad pectus ſimulatque nobis collibitum ſit de ea cogitare* 586
*Aegina* 160
*Aegrotant grauius qui cum leuati morbo uidentur, in eum de integro inciderunt* 500
*Aemilia* 400

*Aemuli ſtudiorum tuorum* 485
*Aequitas exſpoſtulationis —— iniquitas* 126
*Aequiſſimis meis utuntur auribus* 319
*Aes alienum ampliſſimorum uirorum* 272
*Aes alienum falſum* 572
*Aeſopus* 266
*Aeſtimare lites* 341
*Aeſtimatio —— accipere praedia ab aliquo in aeſtimationem* 512
*Aeſtimationem accipere* 219.392
*Aeſtimationes tuas uendere non potes* 397
*Aeſtiua —— cum primum aeſtiua attigiſſem* 101
*Aeſtiuorum timor te debilitat* 291
*Aeſtiuis confectis* 143
*Aeſtuare non imbecillitate animi ſed deſiderio alicuius* 295
*Aetas ingraueſcens* 77
*Aetas praecipitata* 472
*Affero excuſationem praeteriti temporis* 416
*Affert mihi nouam curam cauendi nequid &c.* 143
*Afferant aliquem cumulum meae litterae* 544
*Afferebas mihi ſpem non dubiam mei conueniendi* 126
*Afferebat mihi magnam ſpem ſummae probitatis* 248
*Afferre alicui moleſtiam ——* 287
*Afferre alicui ſollicitudinem —— ſpem —— nec tibi ſollicitudinem ex dubitatione mea, nec ſpem ex affirmatione afferre uolui* 396
*Afferre aliquid ſollicitudinis alteri* 391
*Affero confidentiam —— maxime confidentiam attulerunt hominibus* 341
*Afferre conſolationem alteri* 263
*Afferre dubitationem —— nihil aliud eſſe quod afferret dubitationem ei, penes quem eſt poteſtas* 167
*Afferre magnam ſollicitudinem* 428
*Afferre moram* 341
*Afferre uinculum —— collegij coniunctio non mediocre uinculum mihi attuliſſe uidetur, ad uoluntates noſtras copulandas* 123
*Affecerunt pari contumelia, uiros clariſſ.* 489
*Afficeret eos poena, quos neceſſe eſſet* 570
*Affeceris me magna, non modo laetitia ſed etiam gloria, ſi &c.* 512
*Afficere aliquem deſiderio* 591
*Afficere plurimis maximiſque muneribus & amicos, & ciues ſuos uniuerſos* 82
*Afficior ſummo dolore, eiuſmodi tempora poſt tuam profectionem eſſe conſecuta. &c.* 28
*Affici laetitia* 134
*Affici pari moleſtia* 159
*Affecta ita ſunt omnia ut ex deleta exſtinctaque fateare* 205
*Affectus acerbiſſima morte ab homine teterrimo Marcellus* 174
*Affectus ignominia* 116
*Affectus ſumma cupiditate uidendi mei* 225
*Affectum ſummis difficultatibus municipium* 511
*Affixum me ſibi in ijs rebus habebit* 42
*Affligere —— non uitium noſtrum, ſed uirtus noſtra nos afflixit* 556
*Afflicta condicione afflictiore condicione quam ceteri* 230
*Afflictus —— nemo tā afflictus qui ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id quod agit nō poſſit nauare aliquid* 230
*Afranius foede perijt* 396
*Afranius ſuperatus* 387
A*frica terribili tremit horrida terra tumultu* 380
A*fuiſſe ſcribendo* 390.500
Ag*amemnoni regum regi fuit habere in cōſilijs capiundis Neſtorem* 388
Ag*eſilaus Spartiates neque pictam neque fictam imaginem paſſus eſt eſſe* 200
A*ger Campanus* 45
Ag*gregare ſuam uolūtatem ad ſummi uiri, deſeque optime meriti dignitatem* 46
A*gitare animo —— eſt tuum ſic agitare animo* 229
A*gis ciuem mirificum* 370
A*gnoſco me non eſſe uerborum admodum inopem* 155
A*git cauſſas liberales ſed raro poſt meridiem* 352
A*ges uictor ex inimicorum dolore triumphum iuſtiſſimum* 136
A*gere cauſſam alicuius magna eloquentia, grauitate ſtudio, contentione* 7
A*gere aliquid cū aliquo fruſtra* 136
A*gere cum —— cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiſcum egerit* 160
A*gere Medeam* 278
A *gere cum populo* 20
A*gere te forum Tarſi, ſtatuere multa, decernere, iudicare dicebant* 126
A*gitur ipſius magnum periculum* 433
A*gitur praeclare, ſi noſmetipſos regere poſſimus* 181
A*gitur res Pompeij* 539
A*gitur ſumma eius exiſtimatio* 543
A*geretur maxima res municipij honeſtiſſimi* 511
A*gi, confici —— quod agi tecum ( & ut arbitror ) confici poteſt* 504
Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. 517
Ἀκὶ διωχ μὲν, χρονιώτερα δὲ 597
Ακοπία 605
Ἀκύθηρον 316
Ἄκυρον *ualetudini fideliter inſeruire* 604
Al*acres animo ſumus* 201
Al*ari Tranſpadani* 110
Al*ere bellum ſua patientia* 433
Al*exander cum in Sigeum ueniſſet, fortunatum dixit Achillem, qui talem praeconem laudum ſuarū Homerum nactus eſſet* 201
Al*exander Magnus ab Apelle potiſſimum pingi & a Lyſippo fingi uolebat* 200
Al*exandrina cauſſa a Pompeio depoſita* 28
Al*ienare conabantur a te uoluntatem meam* 126
Al*ienum inſtitutis meis non putaui haec ad te ſcribere* 212
Al*ienum mihi tempus tecum expoſtulandi, purgandi neceſſarium* 136
Al*iptae, medici —— medici ſalutis habent rationem : Aliptae etiam uirium & coloris* 46
Al*itis inuolatus* 240
Al*ius a —— nec quidquam aliud a libertate cōi quaeſiſſe, &c.* 457
Ἄλκιμος ἔσσο, ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων, εὖ εἴπῃ 517
Ἀλλ᾽ ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσιν ἔπειθεν 517
Al*latum eſt ad te, &c.* 185
Al*legabo ad te philoſophiam quaſi meae rogationi diffidens* 573
Al*legarem tibi illos, a quibus intelligis me praecipue diligi* 581
Al*licere —— alienare* 103
Al*lici in ſenſum aliquem beneficijs hominum et compelli iniurijs* 47
A. *Allienus legiones, quas eduxit ex Aegypto Caſſio tradidit* 483
Al*ſienſe praedium* 378
Al*ter ego —— uide quem mihi perſuaſerim te me eſſe alterum* 275
Al*titudo animi* 178
Al*yzia eſt circa Leucadem ei qui in Italiam Graecia nauigat* 596
Am*a me amore illo tuo ſingulari* 578

*Amare* —— *diligere* —— *nunc mihi amare uideor antea dilexiſſe* 388
*Amantes moroſi* 292
*Amantius* —— *nihil fieri potuit amantius* 125
*Amor*——*nihil eſt quod ſtudio, beneuolentia, uel amore potius effici non poßit* 134
*Amor uerus & fictus non facile diiudicatur, niſi &c.* 392
*Amor uoluntatiſque coniũctio, plus habet ſuauitatis, quam patriae caritas* 417
*Amorem meum erga te a tua pueritia ſuſceptum, non ſeruaui ſolũ ſed etiam auxi* 413
Ἄμα πρόσω καὶ ὀπίσω *uidere* 517
*Amanus mons* 95
*Amanus cum Bibulo Ciceroni cõmunis diuiſus aquarũ diuortijs* 95
*Amanus mons Ciliciae* 572
*Ambitioſae rogationes* 252
*Ambitioſe pro aliquo ſcribere* 545
*Ambulatiuncula*—— *cum una me hercule ambulatiuncula atque uno ſermone noſtro omnes fructus prouinciae non confero* 99
*Amicitia non inſtituta ſed iam inueterata* 134
*Amicitia ſummis officijs ab utroque culta* 583
*Amicitiae fructus eſt ipſa amicitia* 145
*Amicitiae noſtrae uetuſtas* 167
*Amici eſt hoc querellae genus quo te diligenter purges, amicum leuiter accuſes* 134
*Amiſi, uires, & corpus* 307
*Amittere animam, una cum ornamentis* 556
*Amittere tempus* —— *caue eius gratiae gloriaeque tempus amittas* 417
*Amittere tempus* —— *nec poſteaquam ſuſcepi cauſſam libertatis, minimum tempus amiſi tuendae ſalutis communis* 495
*Amißis temporibus* 585
*Amißio rerum omnium & deſpera tio recuperandi* 152
*Amphiaraus prudens & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam profectus eſt* 240
Ἀμφιβολία 316
*Amplectitur me amiciſſime quotidie Caeſar* 241
*Amplectar Caeſaris familiariß.* 179
*Amplecti alicuius amplitudinem ſuis officijs* 194
*Amplecti alterius animum* —— *libenter amplector talem animum* 217
*Amplexari aliquem familiariter atque hilare* 47
*Amplexari, habere in manibus, fauere* 45
*Amplificare ſuam dignitatem* 495
*Amplificatorem mihi te dedit fortuna meae dignitatis* 93
*Amplitudini tibi futura eſt iſta ſollicitudo* 136
*Anagnoſtes ſeruus* 196
*An cipites uarijque caſus, uiri excellentis habent admirationem* 200
*Andabata* 283
*Angi deſiderio multarũ rerum* 229
*Angi animo* 602
*Angi dolore* 152
*Anguſtiae pecuniae publicae incredibiles* 500
*Anguſtiae temporis* 600
*Anguſtior liberalitas* 131
*Animatus melius quã paratus Põpeius bellum ciuile ſuſcepit* 241
*Animatus*——*quod ſi aliter eſſem animatus* 472
*Animati infirme* 568
*Animula*——*in unius mulierculae animula iactura facta* 160
*Animus apertus & ſimplex* 47
*Animus*——*eo animo ueneram ut utrique prouinciae ſubuenirem* 573
*Animus poßit ne feriri imaginibus* 586
*Animus promptus & alacer ad defendendum Remp.* 141
*Animi cauſſa* 270
*Animi ingenui eſt, cui multum debeas, eidem plurimum uelle debere* 86
*Annalium memoria mediocriter nos retinet* 200
*Animum tibi fortaſſe noſtrum probauimus, ingenium certe diutina ſeruitus qualecumque eſt, minus tamen quam erat paſſa eſt uideri* 485
*Anni tempus* 570
*Annona carior* 559
*Annua dies* 301
*Antelucanum tempus* 573
*Antepono tibi neminem, comparo paucos* 471
Ἀντιμυκτηρίσαι *aliquos gladios* 589
*Antiochus Commagenus* 571
*Antiquius* —— *nec habui quidquam antiquius &c.* 456
*Antiquius*——*nihil antiquius cõmuni ſalute, ac libertate iudicaui* 451
*Antiquius tibi officium meũ quam illius uoluntas fuit* 474
*Antonius a Trebonio ſeductus* 438
*Antonius elicere Ciceronem uoluit ad caedis cauſſam* 496
*Antonius ex turbulenta Rep. Lepidus ex pace, & uictoria bellum excitauit* 482
*Antonius firmus ab equitatu* 426
*Antonius gladiator omnium nequißimus* 494
*Antonius* —— *legati ad Antonium mißi, Philippus, & Piſo, ut ei ex ſenatus ſententia certas res nunciarent, cum ille earum rerum nulli paruiſſet, ultro ab illo ad nos intolerabilia poſtulata retulerunt* 479
*Antonius mente peſſima, & infideliſſima* 452
*Antonius plurimum ualet equitatu* 440
*Antonius*—— *qui Antonium oppreſſerit* 15 *hoc teterrimum bellum periculoſiſſimumque confecerit* 429
*Antonius tãto ſe odio eſſe intelligit ut cũ interfectores ſuos domi cõprehẽderit, rẽ proferre nõ audeat* 494
*Antonij aquilae duae ſigna ſexaginta relata* 440
*Antonij litterae ad Brutum, contumelioſae & minaces* 454
*Antonio duae ſpes propoſitae; una Lepidi ipſius, altera exercitus* 423
*Antonium*——*is bellum cõfecerit qui Antonium oppreſſerit* 461
*Anus pars obſcena alieno nomine appellatur* 404
*Apelles Veneris caput & ſumma pectoris politißima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit* 46
*Aperire reditum* —— *quando tibi uirtus & dignitas tua reditum ad tuos aperuit* 251
*Aperire ſibi uenas & uiſcera* 363
*Apertus & ſimplex animus* 47
Ἀφομήλησα *eo comitatu* 596
Ἀποφτεγμάτων *uolumen a Caeſare confectum* 392
Ἀποπροησμένον 380
Ἀπότευμα 400
*Apparatiſſimi ludi* 266
*Apparitio* ——*in longa apparitione ſingularem Marcilij fidem cognoui* 538
*Appellare reges* 390
*Appetã huius rei principatum* 456
*Appetere aliquem* —— *tum puer me appetiſti* 584
*Appias*——*Pallas* 120
*Appietas, Lentulitas* 127
*Appius a Dolabella accuſatus* 134
*Appius a Dolabella reus factus* 277
*Appius abſolutus maieſtatis* 141

*Appius floret aetate,opibus,honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus amicis* 100
*Appius iudicio ambitus abſolutus* 141
*Applicare ſe ad alicuius ductũ* 141
*Apponam notam reliquis commendationibus eam, quae mihi tecum conuenit* 510
*Apponere licitatorem* 270
*Apponere Polypum miniati Iouis ſimilem* 392
*Approbaui tuum conſilium* 595
*Approbare —— id quod egeris uelim dij approbent* 16
*Appropinquare tuus aduentus putabatur* 86
*Aquilius Gallus filium amiſit* 164
*Arae Alexandri* 573
*Arbitratu ſuo uiuere* 266
*Ardeo cupiditate incredibili,nomen ut noſtrum ſcriptis illuſtretur tuis* 200
*Ardet bello orbis terrarum* 148
*Ardor——tantus ardor animos hominum occupauit* 458
*Argumentum, unde quis ſe ex animo,uereque arbitretur diligi* 392
*Arguta ſedulitas* 325
*Ariobarzanes Rex ad Ciceronem uenit in caſtra perturbatuſque & flens dicit ei ad ſe iudicia manifeſtarum inſidiarũ eſſe delata* 569
*Ariobarzanes Rex a ſenatu per Ciceronem appellatus* 110
*Ariobarzanes Rex Euſebes, & Philoromaeus* 569
*Ariobarzanes frater ſollicitatur ut regnare uellet* 570
*Ariobarzanem Regem praeſentibus inſidijs nec opinantem Cicero liberauit* 572
*Ariſtarchus* 384
*Ariſtarchus Homeri uerſum negat, quem non probat* 141
*Ariſtippus Socraticus non erubuit, cum eſſet ei obiectum habere eum Laida* 410
*Ariſtotelico more tres libros de oratore ſcripſit Cicero* 48
*Armat me philoſophia, contra omnes fortunae impetus* 494
*Armati in curia ab Antonio collocati* 415
*Armatura optima contra equitem Parthum* 409
*Armorum & Victoriae facta non Caeſaris* 241
*Arpinates Ciceronis municipes* 515
*Arripere ſtatim cauſſam illam totam & tempus* 200
*Arſaces* 363
*Artes liberales uberiores fructus ferunt in rebus aduerſis* 375
*Artifex laetatur ſuis operibus* 33
*Arthriticus cocus* 407
*Aſclapo medicus* 598
*Aſinius Pollio in caſtris Pompeij, & Caeſaris magnos inimicos habebat* 443
*Aſinius Pollio Caeſarẽ dilexit ſumma cum pietate & fide* 443
*Aſinius Pollio nullũ eſſe periculum ſcribit quod pro libertate;aut defugiat aut deprecetur* 443
*Aſinius Pollio pacis cupidiſſimus* 443
*Aſpectus urbis tibi tuam priſtinam urbanitatem reddidit* 134
*Aſpergo——haec aſperſi, ut ſcires me tamen in ſtomacho ſolere ridere* 107
*Aſperſus leuiter ex aliquo fõte* 241
*Aſpernari beneuolentiam florentiſſimi hominis* 136
*Aſpernari liberalitatem uictoris, ſuperbi eſt* 171
*Aſpirare ad eum propter eius occupationes ceteri non poſſunt* 283
*Aſſenſor——tu unus ex toto exercitu mihi fuiſti aſſenſor & ego tibi* 261
*Aſſentiendum nulla cum dignitate paucis, aut fruſtra diſſentiẽdũ* 42
*Aſſequi——nullam partem uidear tuorum meritorũ aſſecutus ſi uitam pro te profundam* 26
*Aſſignare aliquid pertinaciae alicuius* 428
*Aſſignare agros* 466
*Aſſignationes Syllanae* 512
*Aſſignatum iri omne detrimentum captum alicuius pertinaciae aut timori* 428
*Aſſum uitulinum——ad aſſum uitulinum opera perducitur* 398
*Aſſuefecit me his rebus natura, & uoluntas,& conſuetudo* 178
*Aſſumo——neque uero ego mihi poſtea quidquam aſſumpſi, neque hodie aſſumo* 46
*Aſſumere hoc libertatis* 490
*Aſtringor his uĩculis libẽtiſſime* 136
*Aſtute aliquid cogitare* 107
*Aſtutus & occultus homo* 136
*Atellanus* 391
*Atellanum municipium* 511
*Athenae——in ea es urbe in qua uel haec uel ornatiora parietes ipſi loqui poſſe uideantur* 235
*Athenis nata, & alta eſt ratio, & moderatio uitae* 230
*Athenienſem populum ſenectute deſipientem offendit Plato* 46
*Athenienſes—— ab Athenienſib. locum ſepulturae intra urbem,ut darent M. Marcello impetrare nõ potuit Ser. Sulpicius,quod religione ſe impediri dicebant* 174
*Athenodorus Sandonis filius* 127
*Attinet——de quo quid ſentiam, nihil attinet dicere* 167
*Attinet —— nihil attinet me plura ſcribere* 248
*Attingũt te aliqua neceſſitudine* 511
*Attigit tantum negotij, quantum recuſare non potuit* 526
*Attingere remp.——non attingere remp.* 47
*Attius pigmentarius* 588
*Attiani uerſus* 391
*Attribuere alijs quae nobis in mentem ueniunt* 131
*Attributio* 611
*Attulit mihi curam* 602
*Attulit mihi non mediocrem conſolationẽ Vrbium proſtratarum ac dirutarum aſpectus* 160
*Auctor ſum tibi ut &c.* 48
*Auctores conſilij publici* 477
*Auctoritas ſenatus* 20. & 32
*Auctoritas——ſi ea praedia diuidentur,quae ipſe Caeſar uendidit, quae tandem in eius uenditionibus poterit eſſe auctoritas?* 512
*Auctoritate omni aulae cõita* 572
*Auctoritates perſcriptae* 341
*Aucupari alicuius gratiam aſſentatiuncula* 200
*Audacia pro ſapientia,his temporibus licet uti.* 73
*Audire malim,quam uidere* 155
*Audire ſeipſum——numquam labere, ſi te audies* 89
*Audire tolerabilius eſt, quam uidere* 313
*Auditionem accipere de re aliqua ——ne tenuiſſimam quidem auditionem de ea re accepi* 323
*Auertere a miſerijs cogitationem non ſint oculi* 229
*Auerſus ab hac cogitatione* 434
*Auferre——ne te auferant aliorum conſilia* 82
*Auxeris beneficium tuum magno cumulo* 542
*Augere debes animum* 468
*Augere dolorẽ——leuare op.* 235
*Augere & cumulare* 532
*Auguralis liber* 123
*Augurales libri* 141
*Augurari ex alitis inuolatu, aut ex cantu ſiniſtro oſcinis, aut ex tripudijs ſolliſtimis;aut sõnijs* 240
*Augurium Ciceronis* 241
*Augures & Aſtrologi ex ſuis ſuperioribus praedictis conſtituere ſolent apud alios auctoritatem augurij, & diuinationis ſuae* 240

# Index


Auide exſpecto tuas litteras 41
Auis alba 310
A. Caecina cliens Seruiliorum 544
Auocare animum & cogitationem tuam debes ab hiſce rebus 160
Aurelia —— Lolia 404
Aures ad te afferam non minus elegantes 398
Aurum igne perſpicitur, ſic & beneuolētia fidelis periculo aliquo cernitur 392
Auſtro leuiſſimo, caelo ſereno, nocte illa, & die poſtero ad Hydruntem ludibundi peruenimus 598
Auxiliarij equites 110

B

BACCHAE 301
Baiae —— ad Baias uenire plo ratum potius, quã natatum 374
Baiae repente ſalubras factae 386
Balbus —— de Hillo, balbus enim ſum 95
Balbus & Oppius 247
Balbus Fadium quendam uiuum cōbuſſit 445
Balbus quaeſtor quae flagitia & ſcelera admiſerit, narrat Pollio Epiſto. ad Cic. libro. 10 445
Balbus quattuor uiratum ſibi proro gauit 445
Batuit —— impudenter 404
Beatus —— non ſolum ſapiens, ſed etiam beatus 310
Belle habere 602
Bellum Alexandrinum 518. 585
Bellum ciuile —— nihil eſſe bello ciuili miſerius 600
Bellum ciuile —— Sapiens & bonus ciuis initia belli ciuilis inuitus ſuſcipit, extrema non libenter perſequitur 167
Bellum ciuile ſuſceptum eſt quieſcente Cicerone 240
Belli ciuilis uictoria allatura erat interitum Pompeianis, ſi uicti eſſent; ſi uiciſſent, ſeruitutem 261
Bella ciuilia omnia ſunt miſera in bellis ciuilibus &c. ſed miſerius nihil eſt quam ipſa uictoria 170
Bellorum ciuilum ij ſemper exitus ſunt, ut non ea ſolum fiant quae uelit uictor, ſed etiam, ut ijs mos gerendus ſit, quibus adiutoribus parta ſit uictoria 492
Bellum non modo reſtinctum, ſed etiam inflammatum 461
Bellorũ incerti exitus & euẽtus 241
Bellorum omnium exitus incerti ſunt 229
Bellum eſt aliquo exire. &c. 374
Bellus homo 292
Bene ſentire recteque facere ſatis eſt ad bene beataeq. uiuendum 229
Beneſentire de rep. 428
Beneficia alicuius in alterum ampliſſima 581
Beneuolentiam certo iudicio ſuſceptam conſeruabo 127
Benigna —— nec benigna, nec copioſa 99
Benigne alicui polliceri 176
Benigne facere plurimis 544
Beta & malua 307
Bibulus in Amano neſcio quid cohorticularum amiſit 336
Bibulus procoſ. in Syria 567
Bibulus ſolitus dicere; quiduis ſe perpeſſurum quam uideri eguiſſe auxilio Ciceronis 110
Bibuli maleuolentia & animi puſillitas 109
Bibulum ijdem exire domo prohibuerunt & Ciceronem coegerunt 45
Bima ſententia —— per quam Hortenſius cenſebat, ut Cicero biennium prouinciam obtineret 131
Bini Graece obſcenum 404
Bis ad eundem, uulgari reprehenſa prouerbio 430
Bogudis regnum 445
Bona mens iracundia & amore ablata 370
Bona aut fortunae beneficio tributa, aut labore meo parta 416
Bonum nomen exiſtimor 191
Bonus ciuis, bonus uir 45
Bonus non eſt, qui nihil facit niſi ſua cauſſa 287
Brachatae, & tranſalpinae nationes 390
Britannia —— in Britannia nihil eſſe audio neque auri neque argenti 278
Brutus cogitat Rhodum migrare 452
Brutus & Mutina obſidione liberati 422
Brutus numquã extimeſcebat, numquam perturbabatur 467
Brutus princeps iuuentutis 141
Brutus ſuos omnes amicos aere alieno obſtrinxit 459
Bruti & Planci concordia 463
Bruto magiſtro breuitatis uti cogitat Cicero 463
Buccinatorem te meae exiſtimationis fore polliceris 607
Burſa damnatus Cicerone accuſante 270

C

CADAVERA opidorum pro iecta iacent. 160
Cado —— aliter rem cecidiſſe exiſtimas atque opinatus ſit 155
Cado —— cum aliter res cecidiſſet ac putaſſes 217
Cado —— ita cecidit ut illa eo tempore agerentur 143
Cado —— ſi cecidiſſet ut uolumus & optamus &c. 33
Cado —— uerebar ne id ita caderet, &c. 117
Caderet melius —— quod melius caderet nihil uidi 360
Cadere ita animis non debemus 229
Caecae ſuſpicionis tormentum 245
Caecilius Baſſus 453. 492
Caecina cum eſſet in Aſia confirmabat Ciceronem celeriter & glorioſe in patriam rediturum 240
Caeſar ad alterutrum condicionẽ deſcendere uolebat, ut aut maneret, neq. eo anno ſui ratio haberetur, aut ſi deſignari poſſet decederet 341
Caeſar Africanae cauſſae iratior 254
Caeſar agrum Volaterranũ omni periculo in perpetuũ liberauit 508
Caeſar ambas Gallias habet inimiciſſimas praeter Tranſpadanos 600
Caeſar amẽtia quadã rapiebatur 600
Caeſar Brutum non audiuit. —— id eſt eius cõſiliũ non eſt ſecutus 459
Caeſar Caſſium ſibi legauit, Brutum Galliae praefecit, Sulpicium Graeciae 241
Caeſar —— condiciones a Caeſare latae 600
Caeſar fauet ingenijs 269
Caeſar habet peracre iudicium 392
Caeſar homo ualde acutus & multum prouidens 241
Caeſar Imperator liberaliſſimus 281
Caeſar impudens qui exercitum & prouinciam inuito ſenatum teneret 599
Caeſar in rebus gerendis acerrimus, idem in uictoria temperantiſſimus 366
Caeſar ipſe neſcit quid futurum ſit, nos enim illi ſeruimus, ipſe temporibus 396
Caeſar iunior —— dictum Ciceronis in eum laudandum adoleſcentem, ornandum, tollendum 466
Caeſar iunior —— quod uiuit Antonius, quod Lepidus una eſt, quod exercitus habent non contemnendos, quod ſperant, quod audent, id omne Caeſari acceptum ferre poſſunt 434
Caeſar M. Marcello maxime ſuccenſebat 241
Caeſar minaces ad Senatum miſit litteras 599

Caeſar mirifice ingenijs excellẽtibus delectatur 240
Caeſar multa queſtus eſt de ſententia Ciceronis 45
Caeſar—— numquam improbi ciues paratiorem habuerunt ducem 599
Caeſar numquam niſi honorificentiſſime Pompeium appellabat 241
Caeſar occupauit Ariminum Piſaurum Anconam, Aretium 600
Caeſar Octauianus puer egregius preſidium ſummae rei comparauit 496
Caeſar Rex fuit 471
Caeſar——Rumores de Caeſare nõ belli 223
Caeſar ſolebat infimorum hominum amicitias ſibi qualibet impenſa adiungere 330
Caeſari ſtipendium decretum eſt, & decem legati: & ne ei lege Sempronia ſuccederetur, facile perfectum eſt 33
Caeſar Venere prognatus—— 366
Caeſar ultro detulit Ciceroni omnia, quae ei tali tempore ueniſſent in mentem optare 187
Caeſar uolumina confecit Ἀποφτεγμάτων 392
Caeſar utitur cõſilio ne ſuorum quidem, ſed ſuo 170
Caeſaris familiares Panſa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Poſtumius 252
Caeſaris in M. Ciceronem & Q. fratrem liberalitas 46
Caeſaris memoria 527
Caeſaris natura qualis 240
Caeſaris Octauiani conatus de Antonio interficiendo 494
Caeſari concordia erat utilis 150
Caeſari mortuo paret reſp. quem uiuum ferre non poterat 476
Caeſari perſuaſum eſt, ſe ſaluum eſſe non poſſe, ſi ab exercitu receſſerit 363
C. Carbo accuſante L. Craſſo cantharidas ſumpſiſſe dicitur. idem P. Africano uim attuliſſe exiſtimatus eſt 400
Caius Catius Veſtinus Tribunus mil. 333
C. Curtius 509
C. Marcellus ſe ad Caeſarem non abiecit 155
C. Marcell. cos. factus 330
C. Marcellus M. Marcelli frater pro M. Marcello deprecatur 167
C. Memmius Gemellus 521
C. Pontinius legatus Ciceronis 572
C. Sempronius Rufus 340
Calamitatem Reip. quam tardiſſime audire optandum eſt: ſed illis qui prodeſſe nihil poſſunt neque mederi 447
Calamitates ſingulares huic municipio acciderunt 511
Caluerunt rumores de comitijs tranſpadanorum cumarum tenus 323
Calenum municipium 386
Calidius 352
Callere iam debet animus in illis rebus exercitatus 160
Calliſthenes ſcripſit bellum Troicum ſeparatim 200
Callũ obducere——conſuetudo diuturna callum iam obduxit ſtomacho meo 374
Calpe 445
Calumnia timoris 245
Calumniam tuliſſe 340
Caluus —— in Caluo uis non erat 591
Caluus ——Iudicium Ciceronis de Caluo 590
Caluus Licinius 304
Camino luculento utendum cenſeo 283
Candidatorum licentia 590
Candide ——parum candide inimicitias poſuiſſe 336
Caninius conſul ſuo toto conſulatu ſomnum non uidit 314
Caninio conſule neminem prandiſſe iocus 314
Cantharidas ſumpſiſſe dicitur C. Carbo 400
Cantherum comediſti 397
Canticum 404
Cantus oſcinis ſiniſter 240
Capio mei conſilij maiorem in dies ſingulos fructum & uoluptatem 185
Capis magnum fructum ſtudiorum tuorum 250
Cepi ex litteris tuis incredibilem uoluptatem 192
Capies maximum fructum ſummãq. uoluptatem ex tuo in me officio 536
Capere aliquid detrimenti 428
Capere bello —— eum bello cepi 197
Capere conſilium facilius ipſe poſſum, quam alteri dare 150
Capere dolorem 591
Capere, & gerere imperia 127
Capere ex alicuius officio uoluptatem 523
Capere fructum ex re aliqua 523
Capere fructum——magnum cepi fructum & iudicij, & officij tui 217
Capere gratiam in accipiendo beneficio poteſt animus meus uel in remunerando, cumulandoque illuſtrare 86
Capere tempus 464
Capeſſere remp. 47
Captum conſilium——mihi conſilium captum iamdiu eſt 217
Capturum te ex eius amicitia magnam uoluptatem promitto 549
Captus honoris & pecuniae dulcedine 472
Cappadocia patet a Syria 572
Captare alicuius aduentum 433
Caput ——Primum Appio Clodio, deinde Imperatori, deinde more maiorum, deinde, quod caput eſt, amico 127
Caput meae commendationis 498
Caput——quod illorum capiti ſit 323
Capita——prima duo capita epiſtolae tuae tacita mihi quodam modo relinquenda ſunt 130
Capitum & oſtiorum exactio 130
Carbones tres P C M. fratres 400
Carui fructu iucundiſſimae conſuetudinis tuae 77
Carere febri 602
Caſtella munita improuiſo aduentu capta 95
Caſtellis duobus ad capita Iſarae poſitis 428
Caſtra apud Iconium faceret 572
Caſtra moui 126
Caſtra moui ex eo loco 570
Caſus & natura in nobis dominantur 174
Caſus mirifice quidem interuenit
Caſus——quid caſurum ſit, incertum eſt 568
Caſum communem & incertum neque uitare quiſquam noſtrũ neq. praeſtare ullo pacto poteſt 213
Catius Inſuber Epicureus ſpectra appellatq. Democritus εἴδωλα 586
Catij & Amaſinij mali uerborum interpretes 589
Cato Ciceroni ſupplicationem decreuit non ut multis, repub. bene geſta, ſed ut nemini, repub. conſeruata 573
Cato Ciceroni ſupplicationem non decreuit 577
Cato de Cicerone honorifice locutus, ei ſupplicationes nõ decrerat 357
Cato —— irritaui in me Catonem 370
Cato praeclare perijt 396
Catonis nefaria promulgatio 28
Cauda——penis 404
Cauere aliquibus 278
Cauere——melius ei canere uolo, quam ipſe alijs ſolet 120

Cauſſa —— debere alicuius cauſſa. 127
Cauſſa —— ſi quid noſtra cauſſa uis 206
Cauſſa tenuis & inops, nec ſcriptione magnopere digna 386
Cauſſa —— uelle alicuius cauſſa 7
Cauſſam praecipuam habent ad ius ſuum obtinendum 508
Cauſſae iuſtiſſimae, tuaq. & auctoritate et prudentia digniſſimae 155
Cauſſas capitis, aut famae agimus ornatius 400
Cauſſas priuatas & eas tenues agimus ſubtilius 400
Cautio —— quae cautionem non habebunt, de ijs non ita ualde laboro 467
Cautum —— ut populo cautum ſit ſine uecturae periculo 110
Cautior in re militari, quam in aduocationibus 283
Cecidit uenuſte 330
Ceciderunt —— illa noſtra ſcilicet ceciderunt 535
Cedere pudori & famae 272
Cedere tempori 169
Cedere tempori —— tempori cedere, id eſt neceſſitati parere ſemper ſapientis eſt habitum 170
Cedere temporibus 476
Celare —— Baſſus noſter me de hoc libro celauit 298
Celatus es a fratre de maximis rebus 185
Celebritas loci 553
Cena auguralis 307
Cenam quaerere a mane 410
Cenae —— ad te cenas itare deſiſſe moleſte fero: magna enim te delectatione & uoluptate priuaſti 408
Cenas facere 408
Cenitare foris 292
Centurias equitum tenes 464
Cerno iam animo quanto omnia uberiora et ornatiora futura ſint 200
Cernere hereditatem 388
Certamen —— nullum certamen praetermitterem, in quo illis prodeſſe poſſem 509
Certandum non eſt uiribus cum ualentioribus 392
Certare ad officia ſumma contentione 420
Certare officis 315
Certus —— grauis homo & certus 252
Certior canditatus, quam tu 328
Certorum hominum poteſtas quoties mihi certorum hominum poteſtas erit, quibus recte dem, non praetermittam 32
Cernuntur oculis 429
Ceſſator in litteris 396
Chirographum 100
Chirographum —— mittit mihi litteras ſuo Chirographo 451
Κολὴν ἄκρατον noctu eieci 559
Χρυσίππεια κρέας 376
Cibiſtra —— Ariobazanes diſceſſit a me in opidum Cibiſtra 569
Cicero abiens magiſtratu cum ei nil niſi ut iuraret Clodius Trib. pl. permitteret, iurauit Remp. per ſe eſſe ſaluam 185
Cicero ad Pompeium profectus 370
Cicero Amanienſes omnibus ſuis copijs uexauit, occidit, cepit, diſſipauit 95
Cicero appellatus imperator 134
Cicero apud Hirtium & Dolabellam cenitabat. 392
Cicero auidior, quam ſatis eſt, gloriae 388
Cicero augur fieri uoluit poſt reditum ab exſilio, quod antea neglexerat 573
Cicero Bibuli fortunam, quam alij afflictam putabant, omniũ trium phis uictorijsq. anteferebat 45
Cicero Caeſaris officijs deuinctus. 47
Cicero Catonem omnibus, non modo ijs, quos uidiſſet, ſed ijs, de quibus audiſſent anteferebat 373
Cicero in concione prouinciam depoſuit 185
Cicero conformat ſe ad Pompeij uoluntatem 41
Cicero cum Caeſare, & cum Appio eſt in gratia 45
Cicero cum fratre per uim nefariam domo expulſus 45
Cicero, cum pacem ſuaderet inter Pomp. & Caeſarem, rudis eſſe uidebatur in cauſſa, inciderat enim in hominum pugnãdi cupidorum inſanias. 148
Cicero cum praediceret belli ciuilis euentum in caſtris Pomp. timidus exiſtimabatur magis, quam prudens 181
Cicero cur Vatinium laudarit, & defenderit 47
Cicero deprecatore eguit apud Caeſarem 167
Cicero dies et noctes nihil aliud agit, niſi ut ſui ciues ſalui, liberiq. ſint 408
Cicero diſiungit ſe ab orationibus, & refert ſe ad manſuetiores muſas 48
Cicero dolet ſe a Trebonio ad illas pulcherrimas epulas idibus Martijs, ideſt ad caedem Caeſaris, non eſſe inuitatum 438
Cicero dolebat pilis & gladijs, non conſilijs & auctoritatibus de iure publico diſceptari 230
Cicero eſt in maritimis. 106
Cicero & Appius collegae in auguratu 124
Cicero & Cato philoſophiam ueram & antiquam, in forum atque in remp. atque in ipſam aciem paene deduxerunt 573
Cicero exſpectabat rerum ſuarum geſtarum aliquam in litteris Pompeij gratulationem 193
Cicero expulſus ex rep. ab ijs qui illam cadere poſſe ipſo ſtante non putarant 240
Cicero feneratores ex obſidione exemit 191
Cicero F. deditus optimis ſtudijs, ſumma modeſtiae fama 490
Cicero gratia & opibus Caeſaris ſic fruitur, ut ſuis 47
Cicero honorificentiſſime a Caeſare inuitabatur 517
Cicero ille, quem adſpectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua 410
Cicero Imperator 106
Cicero in acie non fuit 396
Cicero in Antonium ſic inuectus eſt, ut ille non ferret 496
Cicero initio monuit Pompeium ne ſe cum Caeſare coniungeret & poſtea ne ſe iungeret 240
Cicero in reditu nihilo meliores res domeſticas, quam rempub. offendit 181
Cicero tres libros de Oratore ſcripſit Ariſtotelico more 48
Cicero iubet Terentiam operam dare, ut domus propugnacula & praeſidia habeat 564
Cicero iudex inter Niciam & Vidium 384
Cicero maluit pudori famaeq. cedere ad bellum proficiſcendo, quam ſalutis ſuae rationem ducere in Italia manendo 272
Cicero maximus conſularis maximum conſulem ſe ipſe uicit 484
Cicero nihil maluit, quam pacem: ea deſperata, nihil tam fugit, quã arma ciuilia 106
Cicero non defenſus, atque adeo relictus 46
Cicero non reputans quid Pompeius uellet, in omnibus de rep. ſententijs priſtinis, poſteaquam reſtitutus fuit, permanebat 45
Cicero numquam plus quemquam ualere uoluit, quam uniuerſam Remp.

Remp. 272
Cicero omnia ſumma ſtudia Lentulo debebat 45
Cicero orae maritimae praeeſſe iuſſus 600
cicero in Oratore ſuo cauet ſibi per Brutum 245
cicero patriam, liberos, ſalutem, dignitatem, ſeipſum per Pompeium reſtitutum putat 137
cicero petit ab Appio det operam ut ſupplicatio ſibi quem honorificentiſſime decernatur 134
cicero pluribus uerbis Caeſari gratias egit, ob Marcellum, reſtitutum 155
Cicero plurimũ Põpeio debeant 45
Cicero plurimi fecit Pompeiũ 137
Cicero Pompeio uicto diſceſſit a bello 272
Cicero poſteaquam illi arti, cui ſtuduerat, nihil eſſe loci neque in curia, neque in foro uidit, omnem ſuam curam, atque operam ad philoſophiam contulit 152
Cicero praecipue adiutus a Milone in ſalute 86
Cicero prouinciã ornatã & ſpem nõ dubiam triumphi neglexit 573
Cicero, quae acciderunt, omnia dixit futura 272
Cicero, quã honorifice, quamq. glorioſe reuocatus, ac reſtitutus 46
Cicero quamuis paruis Italiae latebris contentus 106
Cicero quiduis, ſe potius perpeſſurũ affimat, quam ex Italia ad bellũ ciuile exiturum 106
Cicero remotus & natura & magis etiã ratione atque doctriaa ab inani laude & ſermonib. uulgi 573
Cicero reſtrictior natura ad largiendum ex alieno 132
Cicero cum ſacerdotium haud difficile conſequi poſſet, non apperiuit 573
Cicero ſcripſit de optimo genere dicendi 491
Cicero ſcripſit tres libros de temporibus ſuis 48
Cicero etiam ſecundas nos Pompeianorum, non modo aduerſas, pertimeſcebat 181
Cicero ſemper Bibulo amiciſſimus ſuis 110
Cicero ſuaſit Pompeio, ut bellum duceret 272
Cicero timidus in magnis periculoſiſque rebus, ſemperque magis aduerſos rerum exitus metuens, quã ſperans ſecundos 255
Cicero totus eſt Pompeij 100
Cicero Vatinium defendit, et laudãuit 45
Cicero Vatinij tribunatum reprehendit 45
Cicero uel iniquiſſimã pacem iuſtiſſimo bello anteferebat —— inter Pompeium & Caeſarem 240
Cicero uel officio, uel fama bonorum uel pudore uictus, Põpeium ſecutus eſt 240
Cicero uerecundior fuit, quam qui ſe domo non commouerunt, ſanior quam qui amiſſis opibus domum non reuerterunt 377
Cicero uidetur ſibi cum ſe in res turbulentiſſimas infideliſſimis ſocijs demiſiſſet, praeceptis librorum nõ ſatis paruiſſe 373
Cicero uir bonus, dignus ijs ſtudijs eaque doctrina, cui ſe a pueritia dedidit, &c. 136
Cicero, ut Dionyſius tyrãnus, qui cũ Syracuſis expulſus eſſet, Corinthi dicitur ludum aperuiſſe, ſic amiſſo quaſi regno forẽſi et ſublatis iudicijs, ludũ quaſi habere coepit 336
Ciceronis amor erga Pompeium 41
Ciceronis amor in Tironem 594
Ciceronis conſiliũ iure laudandũ eſt, qui ſuos ciues et ab ipſis conſeruatos & ipſum ſeruare cupientes, ſeruis obijci noluerit 46
Ciceronis & Pompeij amicitia coniunctiſſima 137
Ciceronis iniuriam, Cato reip. calamitatem appellabat 573
Ciceronis inſtituta & rationes diſſimilitudinẽ nõnullã habuerunt cũ Appij adminiſtratione prouinciae 100
Ciceronis res geſtae in Cilicia 572
Ciceronis omnia muta ſine Tir. 601
Ciceronis toga omnium armis felicior 484
Ciceroni cupienti mederi diſcordiae ciuili certorũ hominũ cupiditates impedimento fuerunt 581
Ciceroni decreta ſupplicatio a Catone, nõ ut multis rep. bene geſta ſed ut nemini rep. conſeruata 573
Ciceroni e ꝓuincia ad urbẽ accedẽti, ſic obuiã eſt proditũ, ut nihil fieri potuerit honoratius 581
Ciceroni inter turbas ſl agitauit triumphum ſenatus 600
Ciceroni negotium prouinciale non uidetur dignũ ipſius uiribus 97
Ciceroni nulla cauſſa uiſa eſt, cur ſibi mortem conſciſceret, cur optaret multae 272
Ciceroni quaenã ꝓpoſita fuerint 41
Ciceronem ad Pompeium proficiſci, coegit, ſiue pudor ipſius, ſiue officium, ſiue fortuna 471
Ciceronem filium erratorum aetatis poenitet 607
Ciceronẽ in cena augurali maxima διάῤῥοια arripuit 307
Ciceronem mirum deſiderium tenet urbis ſatietas prouinciae 97
Ciceronem ne iuuenem quidem a mores muliebres umquam mouerũt, ne nunc ſenem 410
Ciceronẽ quidã putabant abiectiore animo poſt reditum futurum 46
Ciceronem relinquentem Rempub. Eteſiae quaſi boni ciues, proſequi noluerunt 496
Ciceronem timidum dicebant Domitij & Lentuli 262
Cicerone non potuit carere reſp. 46
Cicerone conſule fundamenta iacta ex Kal. Ianuarius confirmandi ſenatus 46
Ciceronem mater lagoenas etiam inanes obſignabat, ne dicerentur inanes aliquae fuiſſe quae furtim eſſent exſiccatae 613
Cilicia cõtra Syriã munitiſſima 572
Cilicia —— duo ſunt aditus in Ciliciam ex Syria 572
Ciliciae prouinciae tres διοικήσεις Aſiaticae ſunt attributae 544
Cinae libri 409
Cipius pararenchon —— non omnibus dormio 304
Circenſes ludi 360
Circulator quidam auctionum 445
Circumdare opidum hoſtium, uallo & foſſa 573
Circumierunt & laborarunt una nobiſcum 357
Circumſpice õia membra reip. 205
Circunſpectis rebus omnibus 46
Circũuallatus undiq. Pompeius 383
Citeriora 99
Citheris 410
Ciuis —— quem bonum ciuem ſemper habuiſſet, bonum uirum eſſe pateretur 45
Ciuis Romanis ſum, —— quiritanti Ciuis Romanis ſum, reſpondebat, Abi nũc, populi fidẽ implora 445
Ciuiliũ cõmutationum ſcientia 200
Clarius apparet 363
Claſſe decedere 124
Clauſit adhuc mihi eius conſuetudinem pudor 179
Clitarchus hiſtoricus 95
Clauſula —— utar ea clauſula, qua ſoleo 83
Clodius furia muliebrium religionum 46
Clodius impunitatem ſceleris aſſecutus ſententijs iudicum 46
Clodius non pluris fecit Bonã deam, quam tres ſorores 46

Clodius perennis inimicus amicorũ ſuorum 45
Clodium inimicum Ciceronis amplexabantur quidam ipſo Cicerone praeſente 46
Clytemneſtra——ſexcenti muli in Clytemneſtra 266
Cn. Põpeius Appij filiae ſocer 123
Cn. Pompeius ſatuus crudelitatem uirtutem putat 589
Cn. Pompeius princeps in Repub. 45
Codicilli 410
Coelius quaeſtor Ciceronis 103
Coelum unum ſit, an innumerabilia, ſcribere coelum 410
Coemtionales ſenes 312
Cogere ſenatum 499
Cogere pecuniam 489
Cogendam non eſſe patriam 47
Cogitat omnia ſaeua——nil niſi atrox & ſaeuum cogitat, atq. etiã loquitur 368
Cogitare male de aliquo 360
Cogitare omnia triſtia —— nil niſi triſte cogitare 368
Cogitare toto animo de te ac de tuis ornamentis, perſpectus eſt a me. 32
Cogitanti mihi de rationibus tuis, placet illud meum cõſilium 116
Cogitatio de dicenda in ſenatu ſententia 398
Cognoſcere rem, & cauſſam 127
Cohibere ſeipſum 160
Cohòrticularum neſcio quid 336
Collata omnia ad ueſtrum arbitrium 466
Colo——Vrbem mi Rufe cole, & in iſta luce uiue 99
Colit me ſumma obſeruantia 155
Colere alicuius abſentiam memoria, reditum ſpe exſpectare, deſiderium litteris mittendis, accipiendiſq. lenire 590
Colere amicitiam ſanctiſſime 414
Colere artes & ſtudia 145
Colei Lanuuini —— Cliternini non honeſti 404
Collegi ipſe me 45
Colligere aliquid uirium 465
Colligere —— illa, quae eleganter, copioſeq. collegiſti, ualent ad conſolandum 204
Colligere reliquias ſui laboris 486
Colligere reliquias ueteris neceſſitudinis 544
Colligere ſe 136
Colligere ſe —— te rogo atque oro te colligas 216
Collectae a te rationes 205
Collectam gratiam effundere 106
Colligauit ſe cum multis Caeſar 396
Collocare bene ea, quae facimus alicuius cauſſa 525
Collocare in ceruicibus noſtris legiones cogitat. 494
Collocare rem militarem 101
Collocationes —— in noſtris ſermonibus collocutionibuſque uidiſti 45
Colloquar tecum ſaepiſſime per litteras 32
Columnarij 352
Combibones 409
Comedere rem ſuam 467
Comites idonei 595
Comitia tributa 314
comitia centuriata 314
comitia quaeſtoria inſtituta 313
commemoratio officiorum confirmata amicitia & perfecta fide ſuperuacanea eſt 124
commeatum habere per alicuius prouinciam 447
commendo me totum tibi atque trado 86
commendo eum tibi maiorem in modum 531
commendo tibi Meſſienum ea commendatione, quae poteſt eſſe diligentiſſima 536
commendo tibi eum penitus atque trado 537
commenda nomen tuum immortalitati 424
commendare monumentis res geſtas —— cuperem quam celerrime res noſtras monumentis commendari tuis 200
commendare aliquem alicui & tradere 294
commẽdari ſempiternae gloriae per aliquem ſcriptorem 200
commendatiſſimus —— mea omnia tibi commendatiſſima eſſe cupio 92
commentatio cauſſarum 398
commentatio —— quae autem in luſtris, & in uino, commentatio poteſt eſſe 477
committere alicuius uiri fidei ſuos liberos. id eſt ſuam filiam 160
committere litteras——eius generis meae litterae ſunt, ut eas non audeam temere committere 32
committere proelium 445
committere ſe nauigationi aut uiae 596
committere te noli tam longae nauigationi, & uiae per hiemem, niſi bene firmum 597
commiſſum facinus 136
cõmiſſa omnia ſunt mea culpa 552
commodes ei tantum abs te peto, quantum tua fides, dignitaſque patietur 531
commodare alicui——quibuſcumque rebus ei commodaueris, tibi profecto erit iucundum, mihi certe erit gratum 516
commodare——nihil eſt quod cuiquam poſſem commodare 110
commodare—— quae commodare poteſt ſucceſſori amiciſſimo is, qui priuinciam tradit alteri &c. 122
commodare ſe alicui 537
commodare te ei ſocietati cupere tua ſponte, intellexi 512
commode ſentire de aliquo 468
commodi ſermones——minus commodos maleuolorum ſermones de ea re dolebam fuiſſe 109
commode—— quod commodo tuo fieri poßit 124
cõmodo tuo—— da operam, quod commodo tuo fiat, ut, te obtinẽte Achaiam, negocia ſua conficiant 525
commodo reip.—— quod commodo reip. facere poßis 7
commodo —— quod commodo tuo fiat, quãprimũ uelim uenias 150
commodo ualetudinis——ſi commodo ualetudinis tuae fieri poſſit 595
commonefacere 546
commoratus eſt diutius in cauſſa quam nos 537
commotus aliqua ambitione leui hoc a te contendit 511
commune nihil poteſt eſſe inter eos, qui omnia uoluptate ſua metiuntur 287
commune officium ciuium 45
communi diuidundo 287
communicare mecum de te ſolet 32
communicare te uelle de officio utriuſque noſtrum 147
cõmunitas uitae, atque uictus 408
commutare mortem cum uita 160
Commutata perſona te mihi fratris loco eſſe duco 188
comparare copias 462
cõpellare aliquem aliqua lege 360
compellationes —— crebras compellationes meas non tulit 496
compilatio Chreſti 92
complectuntur omnem antiquorum & Ariſtotelicam, & Iſocraticã rationem 48
complectere eum tuis officijs, & liberalitate 523
complectere gloriae facultatem, quum tibi dij immortales dederint 429
complecti animo —— non minus noſtra ſunt, quae animo cõplectimur, quam quae oculis intuemur 213

*Complecti aliquem omni comitate* 275
*Complecti aliquem quam liberaliſſime* 516
*Complecti aliquid cura & diligentia ſua* 122
*Complecti debet tales tutores tam orba ciuitas* 141
*Complecti & tenere facultatẽ* 423
*Complecti litteris gratulationem, quam confirmationem animi tui malo* 240
*Complexa eſt orbem terrarum Caeſaris poteſtas* 167
*Complexus ſum cogitatione te abſentem* 141
*Complexus ſum fratres tuos ſumma beneuolentia* 255
*Complexus ſum totam remp.* 438
*Componere bellum* 447
*Componere edictum* 130
*Componi quippiam —— quod ne noſtro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento* 432
*Compoſitae ad arbitrium amicorum meorum ſententiae tuae* 422
*Compoſitiones gladiatorum* 92
*Compotationes* 408
*Comprehendere memoria & ſcientia* 263
*Comprobantur orbis terrae iudicio & teſtimonio, quae geſſimus* 193
*Conatus adhuc audiuntur tantum, optimi illi quidem, ſed geſta res exſpectatur* 482
*Concedo —— nemini concedo, qui maiorem ex pernicie & peſte reip. moleſtiam traxerit* 152
*Concedo —— nemini concedo qui tibi uetuſtate neceßitudinis potior poſſit eſſe* 415
*Concedo tibi uni, praeterea nemini —— a me ſic diligitur filius tuus, ut tibi uni concedam, praeterea nemini* 152
*Concedere —— neque uero tu in me diligendo cuiquam conceßiſti tuorum* 581
*Concederet —— ſi tibi, cui iuſtius uidetur iraſci poſſe conceſſerit, nõ putat ſe poſſe ſuſtinere cauſſas multorum* 240
*Concenationes* 408
*Conciliarat nobis hominum beneuolentiam per me quondam te ſocio defenſa reſp.* 178
*Conciliare cum aliquo cõiunctionem nouam* 136
*Conciliare & colligere beneuolẽtiam aliquorum* 391
*Conciliare pecunia legiones cogitat* 494
*Conciliatum bonorum ſtudiũ ex tribunatu* 86
*Concinnaui tibi munuſculum* 490
*Concitaſti tui exſpectationem* 77
*Concitare bellum —— cũ magnum bellum in Cappadocia concitaretur &c.* 572
*Concitare ſeruitia* 447
*Concluduntur notabili exitu —— ſi notabili exitu concluduntur ancipites uarijque caſus, expletur animus iucundiſſimae lectionis uoluptate* 200
*Concoquere —— κρίσις, quam noſter Diodotus non concoquebat* 376
*Concurſus occupationum —— uenies in maximarum quaſi concurſum occupationum* 319
*Condicere —— cum mihi condixiſſet, cenauit apud me* 47
*Condicio cõmodiſſima —— operam da ut quam commodißima condicione negotium conficiat* 517
*Condicio ea uidetur impendere legum iudiciorum, temporum, &c.* 216
*Condicio —— nulla condicione litterae perferri potuerunt* 443
*Condicio uiuendi* 263
*Condicio uiuendi optima* 272
*Condicione afflictiore quã ceteri* 230
*Condicione meliore eſſe —— quia non uides res moleſtas, mihi uideris eſſe meliore condicione, quam nos qui uidemus* 152
*Condiciones feruntur a Caeſare, ut Pompeius eat in Hiſpaniam, &c.* 600
*Condonatum —— iudicium potentiae alicuius condonatum* 216
*Conduco —— ea ſcriberem ad te, quae ſaluti tuae conducere arbitrarer* 167
*Conducit rationibus meis* 47
*Conducere —— quaecũque ſaluti dignitatique tuae cõducere arbitrabor ſummo ſtudio ſum facturus* 263
*Conducere tuae laudi arbitror* 535
*Conferimus omne noſtrũ cõſiliũ, ſtudiũ, officium, operã, laborẽ, diligentiã ad amplitudinẽ tuam* 414
*Conferimus id omne ad arbitrium tuum* 48
*Conferre ſe ad alicuius amicitiam.* 513
*Conferre aliquid in alterum* 136
*Conferre cum aliquo omnia intima* 366
*Conferre diligẽtiam in ualetudinem ſuam —— quantam diligentiam in ualetudidem tuam contuleris, tanti me fieri a te iudicabo* 596
*Conferre officium beneficium, honorem in hominem aliquem, & in rem* 537
*Conferre omnem ſuam curam, atque operam ad philoſophiam* 152
*Conferre plurimum ſtudij, officij, liberalitatis in aliquem* 282
*Conferre —— quidquid in eum iudicij, officijque cõtuleris. &c.* 414
*Conferre ſe in amicitiam, & fidem alicuius* 294
*Conferre ſuas curas ad dignitatẽ alicuius* 424
*Conferre ſe dormitum —— quid potius faciam, prius, quam me dormitum conferam, nõ reperio* 410
*Confeci plures pauones, quam tu pullos columbinos* 397
*Confice his hominibus reditum* 387
*Conficere annuum munus* 99
*Conficere copias* 420
*Conficere —— mitte ad Lupum, ut is nobis eas cẽturias cõficiat* 463
*Conficere pactiones cum ciuitatibus* 543
*Conficere rationes* 219
*Conficere ſua negotia —— operam da, ut commodiſſime Anicius ſua negotia conficiat* 493
*Conficior eis curis ut, &c.* 278
*Conficior dolore, & pudore* 555
*Confici* 229
*Conficior lacrumis ſic, ut ferre non poßim* 556
*Confectae rationes* 219
*Confector totius belli* 431
*Confectum negotium* 374
*Confectus corpore, & animo* 556
*Confectus languore & fame* 307
*Confiſus auctoritate ueſtra* 488
*Cõfirmaueris meã de tua erga me beneuolentia ſpem, ſi hoc effeceris* 527
*Confirmare alterum* 235
*Confirmare —— hoc non dubitans confirmare poſſum* 210
*Confirmare —— non ſolum confirmauit, uerumetiam recepit* 252
*Confirmatur in dies ſingulos illa hominum opinio* 236
*Confirmatione noſtra non egebat uirtus tua* 234
*Conflare alicui inuidiam —— ſiue, ut nunc legitur, facere* 453
*Conflictari iudicijs turpibus* 409
*Cõflictatus diuturnioribus moleſtiis* 254
*Confluens Rhodanus cum exercitu ab confluente Rhodano caſtra moui* 449
*Conformo mea ad eius uolũtatem, a quo honeſte diſſentire nõ poſſum* 12
*Congelaſſe otio laetabar amicum noſtrum* 100

*Congiarium* —— *magno congiario donatus a Caeſare Plancus* 323
*Conglaciare* —— *Curioni noſtro tribunatus conglaciat* 336
*Conglutinantur uoluntates hominum conſuetudine* 471
*Congreſſio uel ſeuera, uel iocoſa* 283
*Congruētes fuerunt litteris tuis aliae poſtea multorum* 408
*Coniecit rēp. in perturbationes* 475
*Coniÿci in ſortem* 341
*Coniecta eſt omnis contentio in unā cauſſam* 357
*Coniectura conſequi* 238. 492
*Coniectura propius accedere poſſimus ad cognitionē rerū futurarū, cum res eſt eiuſmodi, cuius exitus prouideri poſſit* 236
*Coniuncta cum aliquo adoleſcente primario aetatem ageret* 160
*Coniunctus eſt mihi magno uſu familiaritatis* 337
*Coniunctus mihi multis & ueterib. cauſſis neceſſitudinis* 536
*Coniuncti mihi uetuſtate, officÿs, beneuolentia* 529
*Coniunctiſſimus mihi cū familiaritate, tum etiam ſenſibus in rep.* 488
*Coniunctiſſimos habeo & hoſpitio et familiaritate* 529
*Connus fidicen docuit Socratem fidibus* 404
*Cōquaſſatae omnes prouinciae* 160
*Conquieſco* —— *ut aetas noſtra iam ingraueſcens in amore, atq. in adoleſcentia tua conquieſcat* 77
*Conſanuiſſe* —— *uulnera, quae conſanuiſſe uidebantur, hoc uulnere recrudeſcunt* 164
*Conſcenderet in naues* 466
*Conſcientia factorum & cōſiliorum tuorū te uehemēter cōſolatur* 250
*Conſcientia factorum & conſiliorū tuorum fortiſſimo et maximo animo, ſi omnia aduerſa eſſent, ferre deberes* 254
*Conſcientia meae conſtantis erga te uoluntatis* 134
*Conſcientia meorum officiorū* —— *nulla re tam laetari ſoleo, quam meorum officiorū conſcientia* 193
*Conſcientia rectae uoluntatis maxima conſolatio eſt rerum incommodaeum* 236
*Conſcientia recte facti debet eſſe magno ſolatio* 241
*Conſcindere epiſtolam* 295
*Conſciſcere mortem uoluntariam.* 272
*Conſcius mihi eram quanti te facerem* 512
*Conſcribere milites* 489
*Conſenſio mira pop. Rom. totiuſque Italiae* 480
*Conſenſus bonorum a Cicerone effectus* 225
*Conſentaneum erat cum ÿs litteris quas ego Romae acceperam* 125
*Conſentaneum temporibus genus litterarum* 178
*Conſentire* —— *ut principÿs conſentiant exitus* 456
*Conſequi aſſiduitate & uirtute id cōſilium quo quis profectus ſit* 277
*Conſequi cognitionē Iuris cupio* 134
*Conſequi & reficere uolo, quod morte Trebonÿ amiſimus* 487
*Conſequi partem meritorum* —— *nullam partem meritorum tuorum non modo referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſſum* 242
*Conſequi uolo reliquias meae diligentiae* 487
*Conſecutus egregiam laudem* 480
*Conſecutus eſt nomen Auiani* 530
*Conſeruaram reliqua ſuperioris luſtri* 100
*Cōſeruabo beneuolentiā erga te meā certo iudicio ſuſceptam* 127
*Conſeruabo tuorum triſtiſſimo meo tempore meritorum erga me memoriam* 179
*Conſeruares illi cauſſam integrā* 511
*Conſeruare ſua uetera beneficia* 509
*Conſeruare ſuam erga alterum priſtinam uoluntatem* 188
*Conſignare litteris* —— *hanc commendationem, quam conſignare his litteris uolui, ſcito eſſe omniū grauiſſimam* 510
*Conſiliarius non imperitiſſimus, fidelis quidem, & beneuolus certe* 45
*Conſilium capiam ad tempus* 421
*Conſilium fidele ac bonum* 542
*Conſilium periculoſum,* —— *tutum* 428
*Conſilio pugnare non eſt ſatis: artificium quoddam excogitandum eſt* 391
*Conſolatur te aliqua ſpes, ut ſcribis.* 205
*Conſolabor deſiderium tui ſpe commodorum tuorum* 286
*Conſolari ſe & ſuperiorum conſiliorum conſcientia et praeſentis temporis moderatione* 392
*Conſolabilis* —— *dolor uix conſolabilis* 152
*Conſolatio leuis eſt ex miſerÿs aliorum* 235
*Conſolatio magna eſt, cum recordere, etiam ſi ſecus acciderit te tamē recte uereq. ſenſiſſe* 292
*Conſolatio peruulgatu, quam ſemper in ore, & in animo habere debemus, homines nos ut eſſe meminerimus* 210
*Conſolationis genus miſerum atque acerbum, ſuum dolorem maerentibus declarare, & pari moleſtia affici* 159
*Conſolidate rationes* 219
*Conſpectus* —— *tuo prope in conſpectu Aegyptus eſt* 33
*Conſpirauit populus uniuerſus omniumque generum, ordinumque conſenſus ad liberandam remp.* 424
*Conſpiratio omnium gentium* —— *conſenſum, & incredibilem conſpirationem adiuua* 422
*Conſpiratio omnium ordinum ad defendendam libertatem* 489
*Con ſponſor* 258
*Conſtantiae cauſſa, non ſolum amicitiae, permanebo in defenſione dignitatis tuae, quam te abſente ſuſcepi* 194
*Conſtat inter omnes* 538
*Conſtant ſumma eorum in me merita* 46
*Conſtitit tibi fructus otÿ tui* 265
*Conſtabunt mea in te omnia officia, non ſecus ac ſi te uidiſſem* 124
*Cōſtare certa aliqua in ſentētia* 294
*Conſtare* —— *mea in te omnia ſumma neceſſitudinis officia cenſtabunt* 123
*Conſtare* —— *non ſatis mihi conſtiterat cum aliqua ne animi mei moleſtia an potius libenter te Athenis uiſſurus eſſem* 504
*Conſtans & paratas animus ad omnes caſus ferendos* 252
*Conſtans fama de aliquo* 430
*Conſtitueram omnia ſic mihi agenda* 100
*Conſtituere aliquem maxima apud regem auctoritate, & gratia.* 572
*Conſtituere de aliquo grauiter* 489
*Conſtituere* —— *perſuade tibi te unum eſſe. in quo ego colendo patriam mihi conſtituerim ſanctitatem* 416
*Conſtitutam remp. eſſe cupio* 257
*Conſtitutae legationes* 130
*Conſtitutum aliquid habere cum podagra* 274
*Conſtitutum* —— *in te non minus conſilÿ, quam in tuo collega, mihi conſtitutum putaui* 189
*Conſtitutum mihi puto plurimum ſuauitatis, & dignitatis in ueſtro ingenio & induſtria* 584
*Conſuetudo longis interuallis temporum interrupta* 583
*Conſuetudo quotidiana* 136. 530
*Conſuetudine quotidiana & officÿs*

*plurimum coniunctus* 533
*Conſulere aliquid de —— obſecro te, ne quid grauius de ſalute & in columitate tua conſulas* 368
*Conſulere temporibus, incomitati, uitae, fortunis* 171
*Conſules, quorum nemo conſularis habitus* 418
*Conſuli —— conſuli te a Caeſare ſcribis, ſed ego tibi ab illo conſuli mallem* 286
*Conſulto —— uiſum eſſe quibuſdam edictum meum quaſi conſulto ad iſtas legationes impediendas eſſe accommodatum* 130
*Conſumo omne tẽpus in litteris* 228
*Conſumo omnem meum laborem, ſtudium in tua ſalute* 255
*Conſumis ſtudium tuum in uirorum fortium factis memoriae prodendis* 252
*Conſumere diem —— diem conſumi uolebant* 20
*Conſumptus dies altercatione conſulis & Trib. pleb.* 20
*Conſumptus inedia & purgationibus & ui ipſius morbi* 601
*Contẽtio diſpar, diſſenſio ſumma* 33
*Contentio —— res fuit ne contentionis minimae* 352
*Contentionem fieri cum, &c.* 46
*Contemnere res humanas* 201
*Contemplans te abſentem* 92
*Contendere neruos omnes ſuos in aliqua re* 583
*Conteſtans omnes deos* 136
*Contexere extrema cum primis* 425
*Contexes coniuncte cum ceteris rebus noſtras* 200
*Continens —— pars Cappadociae cum Cilicia continens* 569
*Continere iracundiam* 454
*Continentur his prouincijs uectigalia populi Romani* 568
*Contra Rempublicam facere —— ſi quis huic S. C. interceſſerit, eum, ſenatum exiſtimaturum contra Rempub. feciſſe* 341
*Contra uoluntatem meam & praeter opinionem accidit* 121
*Contrahere ſibi moleſtias* 107
*Contremiſco toto corpore* 245
*Contriſtauit haec ſententia Balbum* 352
*Contriueram eius omnes grauiſſimas iniurias uoluntaria quadam obliuione communis concordiae cauſſa* 47
*Contubernalis —— habuiſſes non hoſpitem, ſed contubernalem.* 398
*Contuliſti te totum ad amicitiam meam* 474
*Contuliſti tribunatum tuum in ipſum diſcrimen rerum* 89
*Contulit in te uim illam ſuam fractam, ac debilitatam* 45
*Contulit in me magna officia* 522
*Contulit iter ſuum in poſterum diem* 461
*Contulit reliquias ſuas tamquam e naufragio in eã poſſeſſionem* 519
*Contulit ſe ad alia conſilia* 434
*Contumelia affecerunt uiros clariſſ.* 489
*Conturbare eorum fortunas uelle non debes* 368
*Conturbare officium alicuius ambitione ſua* 509
*Conuentus meus erat Apameae* 131
*Conuentus ſenatorum —— ſenatus ſiue potius conuentus ſenatorum* 148
*Conuerterunt eas copias ad patriae periculum, quas diu ſimulatione reip. compararant* 462
*Conuertere me totum ad eius uiri ita de me meriti nutum ac uoluntatem* 137
*Conuertere in ſe omnem impetum belli* 420
*Conuerſa eſt uis morbi in quartanam* 599
*Conuicium ei cum fieret cuncto a ſenatu* 427
*Conuictio Bruttij iucundiſſima* 607
*Conuiuia dicta, quod tum maxime ſimul uiuitur* 408
*Copiolae —— recurri ad meas copiolas* 461
*Coram, & per litteras tecũ egi* 540
*Corduba* 443
*Corinthus* 160
*Cornificius —— Cic. epiſtolae ad Cornif.* 491
*Cornutus praetor urb.* 423
*Cornutus praetor* 427
*Corpus quoddam modicum confici poteſt a principio coniurationis uſque ad reditum* 200
*Corripit exſpectationem* 352
*Corripuerunt iudices clamoribus maximis* 372
*Corroborare ſe —— ut ſe corroborauit, &c.* 513
*Crabra* 605
*Craſſus —— cur cum Craſſo redierit in gratiam Cicero* 47
*Craſſipedes gener Ciceroni* 41
*Cratippus Ciceronem F. docebat.* 490
*Cratippus philoſophus* 607
*Credulitas, error eſt magis, quam culpa* 433
*Crepitus aeque liberos, ac ructus, eſſe oportere aiunt Stoici* 404
*Criticus antiquus* 384
*Cruciabor, dum iſtic eris, de belli Parthici metu* 336
*Cruditate mortuus* 588
*Cruditate hic ſatius eſt quam iſtic fame* 397
*Cuicuimodi res eſſet* 167
*Culpa & peccatum —— praeter culpam & peccatum, homini nihil poteſt accidere quod ſit horribile aut pertimeſcendum.* 226
*Culpa —— nihil in uita praeſtandum putemus, praeter culpam.* 230
*Culpa —— nihil, a quo culpa abſit, in malis numerandum* 494
*Culpa —— nullum eſt magnum malum praeter culpam* 236
*Culpa —— omnia, quae non noſtra culpa nobis accidunt, fortiter ferre debemus* 261
*Culpa —— ſi iſta quae alios loqui dicis ipſe ſentis, tua ſumma culpa eſt, ſin alij tecum haec loquuntur, tua tamen, quod audis, culpa nonnulla eſt* 131
*Culpa uacare, grauis conſolatio eſt* 235
*Culpa uacare, magnum eſt ſolatium* 272
*Cum nos te uolumus conuenire.* 404
*Cumanum —— cum eſſem in Cumano &c.* 150
*Cumulari maximo gaudio* 288
*Cumulare ſatisfacere* 48
*Cumulatiſſime aliquibus ſaisfacere* 439
*Cumulatiſſime alicui ſatisfacere.* 604
*Cumulatiſſime mihi gratiam retulerunt* 508
*Cumulatum —— mirabar locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatum eſſe uidebatur* 388
*Cumulus accedat —— petam a te, ut ad eam uoluntatem, quam tua ſponte erga Caecinam habiturus eſſes, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti, &c.* 248
*Cumulum mihi gaudij attulerunt tuae litterae* 607
*Cunctator Seruius* 355
*Cupiditates ſuas uincere —— in omnibus ſaeculis pauciores uiri ſunt, qui ſuas cupiditates, quam qui hoſtium copias uincerent* 573
*Cupio ualde, & debeo eius cauſſa.* 510

*Cupio omnia eius cauſſa, & debeo.* 348
*Cupij omnia reip. cauſſa* 429
*Cupimus te honeſtum eſſe* 454
*Curabo tuum mandatum diligenter* 270
*Cura anceps propter incertos exitus proeliorum* 482
*Cura te & confirma* 594
*Curare ſe non poſſunt mali medici.* 160
*Curata nobis erat pecunia Valerij mancipis nomine* 219
*Curio Caeſarem defendit* 100
*Curio Caeſarem incitabat* 599
*Curio contra Caeſarem ſe totum parabat* 341
*Curio quia de intercalando non obtinuerat, confugit ad populum & pro Caeſare loqui coepit* 336
*Curioſus* 323
*Curioſus ad inueſtigandum* 178
*Curioſus —— ita eſt non modo prudens, uerum etiam, quod uidi, curioſus* 120
*Curſus ad gloriam unus eſt* 415
*Curſus honorum* 141
*Curſus meae uitae* 46
*Curſus uitae bene confectus* 236
*Curſus nauigationum* 545
*Curſus noſtrae totius uitae ſimillimus* 527
*Curſus rerum —— qui curſus rerum, qui exitus futurus ſit, uides* 150
*Curſus temporum* 238
*T. Curtius iuſſu Pompeij inſpectante exercitu interfectus, quod conſenſiſſet cum Hiſpanis quibuſdam eum comprehendere, ad Caeſaremq. deducere* 258
*Cybiſtra opidum ad montem Taurum* 569
*Cyprus, & Cappadociae regnum, duae maximae Catonis clientelae* 573

D

DALMATIAE *opida antiqua uiginti* 197
*Damaſipus* 301
*Damaſippus Cn. Carbonem occidit* 400
*Damna rei familiaris Ciceronis ex auctoritate ſenatus ſarcta* 45
*Das mihi iucundas recordationes cō ſcientiae noſtrae* 205
*Dedi cenam Hirtio ſine pauone* 398
*Dediſti ſtudium tuum bonis artibus a primis temporibus aetatis* 152
*Dedit mihi cauſſam harum litterarum* 471
*Da te homini: complectetur, mihi crede* 92
*Dare ſermonem hominibus* 375
*Dare alicui maiorem animum —— cum reſp. maiorem etiam mihi animum, quam umquam habuiſſem, daret* 46
*Dare alicui negotium, ut, &c.* 487
*Dare auribus —— noli putare me hoc auribus tuis dare* 490
*Dare mandata —— omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari a me uoles, mandata des uelim* 120
*Dare mihi maius beneficium nullum potes* 512
*Dare negotium hominib. certis* 470
*Dare operam liberis* 404
*Dare operā memoriae alicuius* 323
*Dare poenas ſtyli* 245
*Dare ſe in uiam* 561
*Dare ſe ſalutationi amicorum* 310
*Dare teſtimonium debitum uirtuti.* 213
*Dare uitio alicui quippiam* 472
*Dandus eſt locus fortunae* 452
*Data opera* 323
*Darius ab Alexandro apud Iſſum ſuperatus* 95
*De lucro prope iam quadriennium uiuimus* 395
*De medio curſu reuocatus* 413
*De meliore nota* 312
*Debeo omnia tua cauſſa quae poſſum* 169
*Debere alicuius cauſſa* 127
*Debere alicui uitam* 360
*Debilitare —— dies debilitat cogitatione inimicorum & proditorum* 31
*Debilitare —— aeſtiuorum timor te debilitat* 391
*Debilitor lacrumis* 555
*Decedat de hypothecis* 539
*Decedat Hortenſius ab hac ſententia bima* 131
*Decedere de prouincia* 103. 117
*Decedere de ſuo iure* 454
*Decernere alicui ſupplicationē* 573
*Decernere ſumptus legatis nimis magnos* 136
*Decerni —— dum haec decernuntur* 368
*Decretum —— cum haec legeres, iam decretū arbitrabar fore* 422
*Decertaui cum multis tanta contentione, quanta numquam antea nulla in cauſſa* 194
*D. Brutus —— ſi D. Brutus Mutina erupiſſet, nihil belli reliquum fore uidebatur* 480
*D. Bruti epiſtolae ad Ciceronem.* 452
*Declaraueram litteris ſuperioribus, quo te animo cenſerem eſſe oportere* 170
*Declarabo meum erga te ſtudium & officium in ijs maxime, quibus plurimum ſignificare potuero, tuam mihi exiſtimationem cariſſimam eſſe* 123
*Declarare munera —— Rupae non defuit ſtudium declarandorum munerum* 82
*Declarari tibi domeſticorum litteris puto, quae acta ſint* 194
*Declarare uoluntatem & ſententiā ſuam alteri* 354
*Decurrere —— ego puto te belliſſime, ſi recte erit, cum quaeſtore Meſcinio decurſurum* 524
*Decurſa ſunt aetate cetera, quibus parum ſibi utilis fuit* 362
*Decuſus mei temporis mihi erit facilior* 121
*Deditus optimis ſtudijs* 518
*Deditus omnibus litteris a pueritia.* 33
*Deditiſſimus tibi animus* 383
*Deducere philoſophiam in aciem.* 373
*Deducere rem ad extremum certamen* 357
*Deducere ſummam rem in diſcrimen* 434
*Deduci non poteſt ab eo, quod inſtituit* 7
*Deductus in fraudem* 433
*Deducta eſt res in eum locum, ut, niſi quis deus uel caſus aliquis ſubuenerit, ſalui eſſe nequeamus* 600
*Deducta res in eum locum eſt* 159
*Deeſſe mihi nolui, quin te admonerem, ut &c.* 200
*Deſſe —— non defueram eius periculis* 251
*Defatigor —— non defatigor permanere in ſtudio libertatis* 487
*Defatigari —— nec animi, nec corporis laboribus defatigari* 552
*Defendere patriam & ab armatis hoſtibus, & ab occulta coniuratione* 185
*Defero ad te totam hanc partem uitae, conſuetudiniſq. noſtrae* 48
*Defero —— uniuerſum meum ſtudium & beneuolentiam ad te defero* 249
*Detuli ei ultro legationem, quam multis denegaram* 538
*Detuli meam uoluntatem ad matrem tuam* 263
*Deferri alicui munuſculum* 360
*Deferre alicui ultro omnia* 527
*Deferre alicui uoluntatem per litteras nec opinanti* 520
*Deferre —— exiſtimaui me iudicium*

# Index


cium ueſtrum ad regem deferre de bere 569
Deferre hoc munuſculum nemini ma luit quam &c. 340
Deferebantur falſa S. C. 500
Deferri rem ad Pompeium omnes uolunt 7
Deferri —— poſtea certior ſum factus triginta diebus deferri neceſſe eſſe 219
Delati ad te ſermones 130
Delati —— ſcito a me tribunos mil. & praefectos, & contuberna les dumtaxat meos delatos eſſe 219
Delata ad unum ſunt omnia 150
Delata res eſt ad me 531
Deferueſcere —— dum deferueſcat haec gratulatio 374
Defeſſus ſatietate 82
Deficit a nobis 287
Deficiunt me ea ſolatia, quae ceteris non defuerunt 164
Deficere a ſeipſo 106
Deficere —— quamdiu uos eritis in ſpe, non deficiam 555
Definiri —— uno proelio putaremus ſi non totam cauſſam, at certe noſtrum iudicium definiri conuenire 585
Definitum lege non erat genus hoc beneficiorum 219
Deflexit de ſuarum actionum curſu tua cauſſa 357
Defluere —— ubi ſalutatio defluxit, litteris me inuoluo, & aut ſcribo, aut lego 398
Defraudare —— ne andabatam quidem te defraudare poteramus 283
Defugere periculum, aut deprecari 433
Defungi —— & hoc mendacio, ſi qua pericula, tibi impenderent ut defungeremur, optaui 323
Defungi munere orationis, quod uile eſt, pro maximis alicuius beneficijs 434
Deijcere aliquem —— mentio illa fatua M. Coelium Vicinianum ſubito deiecit, & deiectum magno clamore inſecuta eſt 330
Deiectus de aliqua haereſi ui hominibus armatis 586
Deiotarus Rex, cui non ſine cauſſa plurimum ſemper & meo, & tuo & ſenatus iudicio tributum eſt, uir beneuolentia, & fide erga populum Rom. ſingulari 572
Deiotarus Rex fideliſſimus, atque amiciſſimus reipub. al. pop. rom. 569
Deiotari copiae 568
Delabi mihi quotidie ad aequitatem & ad rerum naturam uidetur 250
Delector meo facto —— hoc ego me facto ualde delector 125
Delegaui alteri hunc laborem 323
Delenitus illecebris uoluptatis 586
Delere epiſtolas lacrumis 555
Delere —— tuorum erga me meritorum memoriam nulla umquam delebit obliuio 77
Delibare aliquid de laude alicuius 431
Deliberatio —— magnae deliberationis eſt, quae ratio ſit ineunda nobis non agendi aliquid, ſed illius conceſſu quieſcendi 164
Deliberatum —— neque illi quidquam deliberatius fuit, quã &c. 185
Delinitus cõmentarijs Caeſaris 477
Deminutio magna de Imperio facta 160
Deminutũ erit permultum ex maerore tuo 210
Demiſit me in eum caſum fortuna ut, &c. 419
Demittere ſe ſcientem, & prudentem eo, unde exitum uideat nullum 368
Democritus εἴδωλα appellat, quae Catius ſpectra 586
Demolitus eſt partem muri 485
Demptum de fortuna plus additum ad memoriam nominis noſtri, quã demptum de fortuna uideretur 33
Denegare —— poteſt mihi denegare occupatio tua 200
Denegare —— nullum neque periculum, neque laborem patriae denegaſſe 484
Denunciare —— uelim tuos facias certiores, ut, ſiquid tibi opus ſit, ne dubitent mihi ſuo iure denunciare 549
Depulit oẽs moleſtias ipſa ratio 106
Depellere morbum 207
Depelleretur multa tam grauis a Valerianis praedibus 219
Depulſi de uetere ſententia 33
Dependendum tibi eſt quod mihi pro illo ſpopondiſti 45
Depoſui & eieci omnes moleſtias & ſollicitudines & c. 558
Depoſuimus ſimultatem 100
Depone ineptias iſtas 277
Deponeres omnem offenſionem ſuſpicionis quam de Lyſone habueras. 523
Deponere omnes curas & dolores in alicuius ſermone, & ſuauitate 164
Deponere perſonam 319
Deponere prouinciam 185
Deponere ſenſum rectum in rep. difficile 41
Depoſuiſſe aedificationem 505
Deponendae tibi ſunt urbanitates 608
Depoſita a Pompeio cauſſa Alexandrina 28
Depoſito omni timore 468
Deprecari ab aliquo iniuriam 360
Deprecari pacem —— legatos miſit ſenatus non ad pacem deprecandam, ſed ad bellum denunciandum 495
Deprecatorem me pro illius periculo praebeo 100
Depromere mirificum genus commendationis ex aliqua arte intima 510
Depſit —— impudenter 404
Deripere —— multum mihi deripitur operae in deſcribendis hypomnematis 608
Deſcendere ad extrema 447
Deſcendimus ad pactionem 357
Deſcẽdere ad nouiſſima auxilia 452
Deſcendere alterutram ad condicionem 341
Deſciſcere a priſtina cauſſa 46
Deſciſcere ab excitata fortuna ad inclinatam & paene iacentem 106
Deſciſcere ab humanitate 106
Deſertus ab officijs tuis 186
Deſiderare animum alicuius ex eius libris 311
Deſiderium rerum cariſſimarum 99
Deſiderium tuae praeſentiae meo labore minuetur 194
Deſinere artem 266
Deſipere nimio gaudio 93
Deſiſtere ab illa mente 185
Deſperarunt nos & rempub. Rhodij 486
Deſperatis rebus 226
Deſpondetur ſpes Reip. a me conſulatus tui 482
Deſpondetur ſpes Reip. anno conſulatus tui 482
Deſtinaras tibi trapezophoron. 301
Deſtinatus —— non eſt hic animus tibi deſtinatus 435
Deſtituit me nudum 404
Deſtitutus —— quaerens ſe deſtitutum 431
Deterreo te a dimicatione 33
Deterrere aliquem ab iniuria 185
Deterrere me de ſtatu meo nullis contumelijs poſſunt 460
Deterritus uerecundia —— hoc ego negotiũ, non ſtultitia obcaecatus, ſed

ſed uerecundia deterritus, non recuſaui 568
Detrahere de alicuius fama 131
Detrahere —— ſi quid de ijs rebus quas tibi fortuna largita eſt nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id maiori illis fraudi, quam tibi futurum eſt 28
Detrahatur tantundem de mei iudicij fama 258
Detractus eſt mihi labor unius menſis 126
Detractum aliquid de amore 143
Detrimentum accipere —— quantum detrimenti reſp. acceperit, non te praeterit 458
Detruſerunt me de mea ſententia 563
Detruſum eſſet bellum in aduerſiſſimam Antonio & Lepido Hiſpaniam, ſi Caeſar iunior ſe cum Planco coniunxiſſet 434
Deturbatus eſt non ſpe ſolum, ſed certare 496
Deturbati ex magna ſpe iacent 192
Deuenimus in eam fortunam 160
Deuinxeris tibi homines honeſtiſſimos in perpetuum ſummo beneficio 33
Deuinctus magnis meis beneficijs. 525
Deuinctus officijs alicuius 47
Deuinctus ſtudijs 145
Deuinctus tua praeſtanti in eum liberalitate 32
Dij approbent —— dij approbent quod actum eſt 103
Dijs approbantibus —— in te, & in collega omnis ſpes eſt dijs approbantibus 432
Dijs hominibusq. approbantibus, aliquid facere 47
Dexterius cornu 440
Dialogorum mos —— noſti morem dialogorum 381
Διανοητικὰς φαντασίας ſpectris catianis excitari 586
Διαφόρησις 601
Διαῤῥήδην ſcripſerat 607
Διαῤῥοια Ciceronem arripuit 307
Dibaphum 107
Dicare ſuum ſtudium alicuius laudi 86
Dicier caussam pro ſe dicier uult 196
Dicta Sextiana 336
Dicto audiens futurus non eſſet ſenatui 341
Dictitabat in ſermonibus 48
Διδασκαλία 328
Didici uincere te defendente 196
Didici ſummo ſtudio curaq. omnia, quae a ſapientiſſimis ad bene beateq. uiuendum tradita ſunt 152
Dies acerbi, non honeſti 107
Dies annua —— eſt ne aut tui pudoris, aut noſtri, primum rogare de die, deinde plus annua poſtulare? 301
Dies conſtituta —— ſi ad diem conſtitutam decedemus 97
Dies debilitat cogitationes inimicorum 31
Dies honeſtiſſimus nobis fuerat 20
Dies ſtultis quoque mederi ſolem 311
Differo in aliud tempus illud epiſtolae argumentum 240
Differre aliquem in tempus aliud 201
Differre rem aliquam in alium diem 274
Dilationes comitiorum occupationem me habebant 330
Difficile ad iudicandum —— cepi ex tuis litteris fructum duplicem, mihiq. in comparatione difficilem ad iudicandum, &c. 417
Difficultas itinerum & nauigationum 569
Digne, ac mereor —— neque enim omnium iudicio malim me a te commendari, quam ipſe tuo iudicio dignae, ac mereor, commendatus eſſe 485
Dignitas conſularis amiſſa eſt culpa eorum, qui a ſenatu & ordinem coniunctiſſimum & hominem clariſſ. abalienauerunt 42
Dignitas —— deformitas —— tunc in iſtis ampliſſimis nominibus honorum non modo dignitas nulla erit, ſed erit ſumma deformitas 418
Dignitas & ſalus —— neque ſalutis rationem habendam eſſe ſine dignitate, neque dignitatis ſine ſalute 33
Dignitas in ſententijs dicendis, & libertas in rep. capeſſenda 42
Diiudicare —— non facile diiudicetur amor uerus & fictus, niſi incidat eiuſmodi tempus, ut, quaſi aurum igne, ſic beniuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit &c. 392
Dilapſa res communis dilapſa 311
Diligi —— amari —— ut ſcires eum a me non diligi ſolum, uerum etiam amari 534
Diligere, amare, —— ad eum amorem, quem erga te habebam, tantum acceſſit, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexiſſe 388 Eodem modo, pag. 134 dixit, Nihil eſt, quod ſtudio, & beneuolentia, uel amore potius effici non poſſit
Delectum remigum habuimus. 485
Diligens commendatio —— ualet id quidem apud te meum, ſicut debet hominum amiciſſimorum diligens commendare 17
Diligentior multo factus ſum ad declarandam beneuolentiam. 143
Dimicationem non putamus expeditiſſimam 434
Dimittunt uim in ſuam caelum, & terra 386
Dimiſi exercitum in hiberna. 573
Dimiſi praeſidia omnia, quae parateram 110
Dimittere aduerſarios —— ſi exiſtimas eandem rationem fore Caeſari in dimittendis aduerſarijs & condicionibus ferendis, erras 368
Dimittere pudorem ſuum in rogando —— non dimittam pudorem in rogando meum 217
Dimittere ſenatum —— ſenatus eſt dimiſſus 20
Dimiſſi milites 122
Diodotus 376
Diodotus Stoicus 518
Dioecoeſis —— omnium illarum dioecoeſum magiſtratus 130
διόικησις -- reijce in illam διόικησιν 537
Dion philoſophus 410
Dionyſius Tyrannus cum Syracuſis expulſus eſſet Corinthi dicitur ludum aperuiſſe 396
Diploma 252
Dirigerem iter ad Mutinam 422
Dirimere coniunctionem ueterem cum aliquo 136
Dirumpitur infinito fratris tui plauſu 477
Dirupi paene me &c. 266
Diſcedebam hac opinione e Cappadocia, ut conſilio ueſtro caſu incredibili ac paene diuino regẽ Ariobarzanẽ meus aduentus praeſentibus inſidijs liberaſſet 570
Diſceſſi in hanc opinionem, ut mihi tua ſalus dubia non eſſet 255
Diſceſſit in alia omnia 424
Diſceſſit turpiſſime 478
Diſcedere a malitia —— a malitia non diſcedis 398
Diſcedere —— cum ab illo diſceſſerunt me proximum habent 252
Diſceſ-

Diſceſſio fieret 26
Diceſſionem facere 20
Diſceſſus a nobis lon gus —— quam longum iſtum diſceſſum tuum a nobis futurum putes 283
Diſceptat omnis fortuna reip. in uno pr oelio 422
Diſceptare armis de iure publico 155
Diſceptabatur ar mis magno periculo de iure publico 181
Diſceptabatur de iure publico inter Caeſarem & Pomp. pilis, & gladijs, non conſilijs, neque auctoritatibus 230
Diſcipuli dicendi 392
Diſceptare ab aliquo opinionum diſſenſione, non animorum contentione 100
Diſceptare——numquam a cõſilijs tuis diſcreptarem ſi mihi facultas tui praeſentis eſſet 416
Diſcrebuntur —— alias, deſcribuntur pecuniae maximae 475
Diſcrimen omne belli in D. Bruto poſitum 480
Diſcupio 366
Diſcutere alicuius cunctationẽ 447
Diſiungo me ab orati onibus 48
Diſiuncti interuallo locorum ac temporum 32
Diſipar contentio 33
Diſpartitum officium 185
Diſputabant: ego contra diſſerebam, &c. 131
Diſputare de alicuius officio in utrãque partem 471
Diſſenſio domeſtica —— homines in diſſenſione domeſtica debent, quamdiu ciuiliter ſine armis certetur, honeſtiorem ſequi partem: ubi ad bellum & ad caſtra uentum ſit, firmiorem 363
Diſſimilitudo inſtitutorum 131
Diſſimulanter—— non diſſimulanter irati 28
Diſſipari nolumus tuam rem familiarem 167
Diſſipatus exercitus 572
Diſſolutio animi in acerbiſſima iniuria 185
Diſtinemur multitudine & crebritate iudiciorum & nouis legib. 270
Deſtinebar antea maximis occupationibus 500
Diſtraxit familiares meos fuga 178
Diſtributis imperijs 148
Diſtrictus mihi uideris quod & bonus ciuis et bonus amicus es &c. 103
Diſturbaui rem 467
Diues Romano more bene nummatus 292
Diues ex Stoicorum ſententia 293
Diuites omnes ſunt qui caelo & terra frui poſſunt 293
Diuitias orationis habere 155
Diuidere ſentẽtiã—— poſtulatũ eſt ut Bibuli ſentẽtia diuideretur 20
Diuiſio, uerbum honeſtum 404
Diuinatio Ciceronis —— Notãtur mihi ad diuinandum ſigna duplici quadam uia 240
Doctrina ac litterae unũ perſugium in malis 252
Doctus re intellexi & didici, patrem illius mihi fuiſſe amiciſſ mũ 517
Docti caſu acerbiſſimo patris, &c. 570
Dolabella apud Caeſarem erat belli ciuilis initio 600
Dolabella Ciceronẽ hortatur, uel ſe cum Caeſare cõiungat, uel in otiũ referat, praeſertim pulſo Italia Pompeio et amiſſis Hiſpanijs 385
Dolabella—— de Dolaaella audiebamus, quae uellemus, ſed certos auctores non habeamus 481
Dolabella duobus capitis iudicijs a Cicerone defenſus 136
Dolabella gener Ciceronis 103
Dolabella neſarie Trebonio occiſo Aſiam occupauit 484
Dolabella —— nihil ad nos perfertur praeter rumores de Oppreſſo Dolabella 482
Dolabellae concio 388
Dolabellae ſcelere oppreſſa Aſia 488
Dolabellam Antiochiã non receptũ, Laodiceam uerſus profugiſſe 489
Dolabellam omnes laudibus ad caelum efferunt 388
Dolere alterius iniurias, & ulciſci 360
Dolor nullus eſt, quẽ nõ lõginquitas tpis minuat, atque molliat 160
Domeſtica ſede nulla eſt iucundior. 169
Domeſticus & intimus familiaris. 120
Domeſtici tabellarij 89
Dominatus —— nullus locus hoc dominatus ua cat 169
Domitius quidã Nobilis Caeſaris hoſpes a Bellieno, Demetrij uerna cõprehenſus, & ſtrangulatus 366
Domi naſcuntur 375
Donare ſuas inimicitias reipub. 189
Dubia fortuna 526
Dubius rebus 226. 368
Duces eum captiuũ in triũpho 199
Ducere bellum 272
Ducere——hac controuerſia uſque ad noctem ducta 20
Ducere rationem —— hanc autem nemo ducit rationem 375
Ducere rationem ſalutis ſuae 272
Ducere ſui commodi rationẽ 294
Ducere ſpiritum reip. ad aliquod certum tempus 413
Ducti praemijs uictoriae 229
Duxit ſe a Gradibus Balbus 445
Duae res quibus Cicero ſe ſuſtentabat, optimarum artium ſcientia, & maximarum rerũ gloria 272
Dulcedo honoris pecuniae 472
Duplicantur ſollicitudines 206
Duplicetur opinio —— enitar ut in dies magis magiſq. haec naſcẽs de me duplicetur opinio 607
Duplicari gaudium ut duplicetur tuum ex me gaudium praeſtabo 607
Durus non erit in te Caeſar durior 254
Dura omnia mihi dura imperas 197
Duriore condicione bellum ſuſtinemus 434
Duriores de Minucio rumores 496
Durius efficere alijs negotium 486
Duriſſimis & frigidiſſimis locis bellũ ambulando confecerunt 366
Δυσεντερικὰ πάθη 307
Δυσουρικὰ πάθη 307

E

E Veſtigio eo ſum profectus 174
Edax hoſpes minime edax 407
Educere legiones e caſtris 439
Effecit ſpeciem exercitus ex ijs ciuitatibus 485
Efficere frequentiam ne frequentiam quidem efficere potuerant. 352
Efficax parum efficax Marcellus 355
Efferre aliquem ſummis laudibus ad coelum 388
Efferre ingenium alicuius meliorib. laudibus quam &c. 592
Extulerunt me laetitia comitia iſta praeclara 95
Elatus incredibili gaudio 423
Elatus laetitia 520
Effluo ex intimis potius aliquis effiuit, quam nouo ſit aditus 259
Effluere ex animo alicuius iſtuc ueniam antequã plane ex animo tuo effluam 291
Effeminatiſſimi animi languor 613
Effugere huius culpae poenam non potes 613
Effugere acute aut facete dictorum offenſionem 392
Effugere alicuius offenſionem 155
Effundere collectam florentiſſimi hominis gratiam 106

# Index


Effundere omne odium 47
Egi omnes illos adoleſcentulos quos ille iactitat 93
Εἰδώλων φαντασίας 586
Εἰρωνεύεσθαι 155
Εἰρωνευόμενος 155
Eiuraui bonam copiam 392
Elaborare in aliqua re omni non modo contentione, ſed etiam dimicatione 86
Elaborandum eſt in ijs artibus, quib. eae laudes comparantur, quarum laudum gloriam adamamus 83
Elegãtius——quid a me fieri potuit elegantius, aut iuſtius &c. 130
Elegantiſſimus homo 301
Elephanti in ſcena 266
Elephanti quandam eſſe cum genere humano ſocietatem 266
Eleuare ſollicitudines 206
Eleutherocilices 573
Elucet quaſi lumen aliquod, exſtinctis ceteris, ſanctitas tua 152
Elucere——opto ut ab iſtis Orientis partibus uirtutis tuae lumen eluceat 480
Eluxi patriã & grauius & diutius quã ulla mater unicũ filium 398
Emanare——ne qua inuidioſum ſit tibi, ſi emanarit 336
Embaeneticam facere 323
Emiſſarius 270
Emiſſarius——de ui reus a quodã emiſſario ſuo factus eſt 341
Eniti, efficere, cõtendere, ut, &c. 527
Eniti——quantum uiribus eniti, conſilio prouidere, auctoritate monere potero 416
Ἔντεχνα & arguta 316
Enũciare optima mẽtis cogitata 419
Ἔωλος epiſtola 374
Epaminondas moriens apud Mantineam &c. 200
Epicrates princeps Athenienſiũ 607
Epicurus dicit οὐκ ἔστιν ἡδέως, ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως, ζῆν. 589
Epicurus Gargettius 586
Ἐπιχέρειον eſt ſua cauſſa quidque facere 134
Epiphanea 572
Epiphora oppreſſus Balbus 610
Epiſtola nihil ſimile habet, aut iudicio, aut concioni 400
Epiſtola non erubeſcit 200
Epiſtola uerboſior 272
Epiſtolam conſcidi innocentem 295
Epiſtolae cuius rei cauſſa ineunte ſint 83
Epiſtolarum multa ſunt genera 83
Epiſtolarũ genus unũ familiare & iocoſum, alterũ ſeuerũ & graue 83
Epiſtolas quotidianis uerbis texere ſolemus 400
Epulae pulcherrimae id. Mart. 438
Eques Parthus 409
Equus Troianus——in equo Troiano ſcis eſſe in extremo, Sero ſapiũt 292
Equus Troianus 266
Equis, uelis 380
Ergaſtula ſoluit Antonius quacumque iuit 461
Erectum Themiſtoclis fuga retinetur ſtudio lectoris 200
Eripuit facultatẽ caſus——quã facultatẽ ſiqs caſus eripuerit 124
Eripere ſe ab illa miſeria nullo modo poſſet 387
Ereptus ex miſerijs et ex iniquiſſima condicione uitae 210
Errare poſſumus, quis enim id effugerit 430
Error——mediocri riſus eſt conſecutus nõ in te ſed in errorẽ meũ 185
Erudi filium tuũ imitatione tui 33
Eruditus animus ſemper aliquid ex ſe promit quod alios delectet, ipsũ laudibus illuſtret 206
Eruere——& inde tamen eum aliquando eruam 197
Eſt in exſpectatione aduentus Caeſaris 378
Eſt mihi in animo 100
Eſt mihi in optatis 100
Eſſe alicui teſtimonio 427
Eſſe in aere alicuius 583
Eſſe in aliquem ſingulari beneuolentia 439
Eſſe in deſiderio rerũ cariſſimarũ 99
Eſſe in eadem naui 84
Eſſe in exſpectatione omnium rerum——ſum in exſpectatione omniũ rerũ, qd geratur ĩ urbe ut ſciã 416
Eſſe in ſumma exſpectatione 82
Eſſe in magna ſpe 521
Eſſe in ſinu & complexu——ille uero ( Cicero filius ) ſit in ſinu ſemper & complexu meo 556
Eſſedum aliquod ſuadeo rapias 281
Eſſedarij 278.283
Etheſiae——ego, niſi quid me Eteſiae morabuntur celeriter, ut ſpero, uos uidebo 103
Eteſiae——quaſi boni ciues Ciceronem relinquentem remp. proſequi noluerunt 496
Ἔτυμον fidei 601
Euenire——ſcripſeras te uelle bene euenire quod de Craſſo domum emiſſem 191
Euenire——eam rem tibi uolo bene & feliciter euenire 492
Euenire in——ex quo uereor ne idẽ eueniat in meas litteras 95
Euenire proſpere mihi uelim, quas me inſciente a meis facta ſunt, & Tulliae 141
Euenire tibi uolo feliciter emptionẽ. 381
Euenire tibi rem iſtam feliciter cupio 608
Euẽtus——homines de tuo conſilio ex euentu iudicabunt 33
Euentus——facti tui iudicium non tam ex conſilio tuo quam ex euentu homines facturi ſunt 33
Euentum conſilij magis quam conſilium reprehendunt homines 236
Euenta communia 33
Euertere aliquem non iudicio, neque diſceptatione, ſed ui atque impreſſione 185
Euertere funditus ſe, ſuoſque omnes 368
Εὐγένεια quid 127
Εὐλυσία κοιλίας 605
Euocati 439
Euocatorum firma manus 572
Euocatorum praefectus 126
Euolare me altius noluerunt 33
Euripidis uerſus ſingula teſtimonia putat Quinctus 597
Εὐριπίδου uera praecepta: Μισῶ σοφιστὴν &c. 517
Εὐτραπελία litterarum 316
Εὐθορρημονέστερος 490
Euulſa ſint ex omni memoria uitaq. noſtra 194
Ex altera parte caedem oſtentat, ex altera ſeruitutem huius belli exitus 181
Ex ea parte accipio tuam excuſationem, quatenus &c. 155
Ex omnibus partibus ſe oſtẽdit amor tuus in his litteris, quas proxime accepi 208
Ex opinione hominum ſcribo, atque fama 479
Ex ſententia mea cõfecta res eſt 103
Ex mea ſententia Remp. geſſi 89
Ex ſententia negotium cõficere 427
Ex ſententia rem gerere 33
Ex uoluntate——ſiquid fecerim hoc ipſo in bello minus ex Caeſaris uoluntate 527
Exactio capitum atq. oſtiorum 130
Exacuere——ſollicitudines meas quotidie magis tua merita exacuunt 433
Exaequare ambitione quadam commendationes 529
Exagitare res palam 7
Exanimatus ſum tuis litteris 368
Exanimati omnes & ſuſpenſi 230
Exaraui harum exemplum in codicillis 410
Exarſi non ſolum praeſenti iracundia &c. 47


Exaruit

# Index


Exaruit iam uetus urbanitas 316
Exaruiſſet ipſa illa, ſi qua fuit in nobis facultas orationis, niſi &c. 397
Excelſo & illuſtri loco ſita laus tua. 84
Exceſſiſſe uita 160
Excidit cogitatio —— quae cogitatio cum mihi non omnino excidiſſet, &c. 204
Excipio —— tum me a Rep. maeſtū domus excipiebat. 164
Excipere res aliquas alterius exhortatione 419
Excipere alterius factum aut dictum illuſtri gratia 47
Excipere labores 554
Exceptio —— polliceor filio tuo ſtudium meum & operam ſine ulla exceptione, aut laboris, aut occupationis, aut temporis 238
Exceptio, quantum ualeam, quantumque poſſim 238
Excitare aliquem poſſumus, maxime ſi eum laudemus 592
Excitare riſum 141
Excitare ſermones —— de Parthorum tranſitu nuncij uarios ſermones excitarunt 335
Excitata fortuna —— improuidi eſt ab excitata fortuna ad inclinatam fortunam & prope iacentem deſciſcere 106
Excitare afflictum 46
Excludere a portu & perfugio 208
Excludere —— recipere, opp. 190
Excludi maxima turba —— non maxima me turba excludi puto, quo minus tibi uacet me excipere & ad omnia quae uelis et probes producere 485
Excubat apud nos cura rei ſummae defendendae 419
Excurrere —— mandaui utrique eorū ut ante ad me excurrerent, &c. 127
Excuſationem anguſtiarum tui temporis accipio 608
Excutiuntur litterae ſexcentis locis 443
Excuſſa ſeueritas uetus 384
Exemplum earum litterarum infra ſcriptum eſt. 247
Exemplum litterarum 122
Exemplum praeclariſſimum in poſterum uindicandae ſeditionis de rep. tollere 46
Exemplum —— quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant, & aliquid atque adeo multa addunt, & afferunt de ſuo 152
Exercere ſe — ad haec te exerceas 33
Exercere ſtudia 381
Exercitus ſatis probe ornatus auxilijs & quadam auctoritate apud alios nominis imperatoris 95
Exhaurire aliquam partem ex alterius laudibus 388
Exhaurire dolorem —— non facile exauriri tibi ipſum dolorem poſſe uniuerſum puto 210
Exhedria 301
Exhibere alicui moleſtiam cum impenſa 323
Exhibere alicui moleſtiam 499
Exigere legitimum ius ad ſummam ſeueritatem 336
Exigere magis, quam rogare 86
Exigere tributa 127
Exigere uectigalia 488
Exire ex cauſſa —— quemadmodum exeat ex hac cauſſa 336
Exire —— non plus quam has litteras, quas nunc legis, exiſtimans exituras 592
Exitus exſtitit tui iudicij glorioſus 141
Exitus —— quem exitum acies habitura ſit, diuinare nemo poteſt 235
Exitus omnium bellorum incerti ſunt 229
Exitus — meliores habebunt exitus 197
Eximere ex obſidione 191
Exiſtimabunt homines de tuo conſilio ex euentu 33
Exiſtimare bene de aliquo 545
Exiſtimare optime de aliquo 518
Exiſtimari bene de medico ſcribis 596
Exiſtimatio de comitijs conſularibus incertiſſima 327
Exiſtimatio & dignitas tua mihi cariſſima eſt 123
Ἐξοχὴ quid 127
Exortum iſtic bellum eſt 492
Expedit —— quid rectum ſit, apparet; quid expediat, obſcurum 217
Expedire exitum inſtitutae orationis 143
Expedietur meum conſilium proximis litteris 447
Expediendo uobis ſunt haec omnia 475
Expedita ſit penſio Kal. Ian. 611
Expeditae legiones 426
Expeditae rationes 436
Expedito exercitu 572
Expedita negotia 20
Expeditis rebus omnibus tranquilloque ſtatu ciuitatis 420
Expeditius iter cōmunis ſalutis quā meae eſſe uolui 419
Expeditiſſima pecunia 469
Expeditiſſimam prouinciam tradere ſucceſſori 121
Expenſum ferre 219
Expenſum Niciae proferre 384
Expenſam tulit legionem C. Caeſari Pomp. 330
Experiētia —— quae conſtantia me ad hanc experientiam excitauit 428
Expertem te uideo fore omnium periculorum 181
Expiſcatus ſum ab illo omnia 398
Explebo te ſcribendo 77
Explere officiū ſcribendi non excuſatione, ſed aſſiduitate litterarū 612
Expletur animus iucūdiſſimae lectionis uoluptate 200
Explicare conſilium captum —— metuo ne id conſilij ceperimus, quod nō facile explicare poſſimus 560
Explicare & expedire negotia alicuius, tum iure & poteſtate, tum auctoritate & conſilio 524
Explicare —— primum quidque explicemus 475
Explicare quid ſit optimum factu —— me ita conturbatum uidiſti, ut non explicarem, quid eſſet optimum factu 27[illegible]
Explicare rationes 611
Explicatam aut exploratam rationem habere ſalutis 229
Explorata eius incolumitate 521
Explorata uictoria 229
Explorata uictoria arma ſumere 241
Explorate —— ne nauiga niſi explorate 597
Exploratius hoc poſſem promittere 230
Exponam tibi conſilium meum 124
Exponere de —— de qua ratione uidetur iam tota mihi exponendi tēpus dari 45
Exponebatur a me, quae mea exſpectatio fuiſſet orationis tuae 185
Expreſſit mihi tuos multus omnes 500
Exprimere omne genus liberalitatis in aliquem, non modo re, ſed uerbis, fronte, uultu 510
Expreſſiora, & illuſtriora 33
Exputare nō poſſum, quae mens eum a tanta gloria auocauerit 434
Exquiris meum conſilium 150
Exquiſita quaedam ratio & doctrina 178
Exſequi uerbis. —— quae uix exſequi uerbis poſſum 471
Exſiccare lagaenas 613
Exſoluere ſe occupationibus 266
Exſpectare alicuius aduentum ſumma cura 603

# Index


*Exſpectare reditum alicuius ſpe, ab ſentem memoria colere* 608
*Exſpectatio uel animi, uel ingenij tui magna eſt* 77
*Exſpectatio incredibilis grauis aduerſaria tibi conſtituta & parata* 83
*Exſpectatio reliqui temporis magnum ſe hominem ſcito te eſſe, & praeſenti iudicio, & reliqui tẽporis exſpectatione* 481
*Exſpectationem ſui concitatam ſuſtineri ac tueri* 77
*Exſpectatiſſimas litteras mihi a te reddidit* 598
*Exſtat id, quod mihi oſtenderas quibuſdam litteris* 201
*Exſtare —— noſtrum ſtudium exſtabit in conueniendis magiſtratibus* 42
*Extenuatiſſimae copiae & inopia omniũ rerũ peſſime acceptae* 461
*Exſtinguere gratiam —— gratiam noſtrã exſtinguit hominũ ſuſpicio, quod Põpeio ſe gratificari putat* 7
*Exſtinguere incendium* 178
*Exſtinctus ardor --- cum hic ardor exſtinctus eſſet* 252
*Exſulium, tolerabile praeſertim innocenti, ubi nulla eſt adiuncta turpitudo* 272
*Exſurget auctorit. ueſtra reſp.* 482
*Extollere —— repente frangi. atq. ita cadere, ut nulla res te ad aequitatem animi poſtea poſſit extollere* 252
*Extorſit mihi proprium conſilium fortuna* 451
*Extorqueas a Flamma partẽ aliquã uelim, ſi non potes omnem* 611
*Extracta res eſt uarijs calumnijs* 26
*Extra ordinem* 238
*Extraordinarius reus* 340
*Extremis paene temporibus* 423
*Extrico —— De Dionyſio tuo adhuc nihil extrico* 197
*Extrudere —— Pollicem fac extrudas* 558
*Extrudere aliquem* 278
*Extuliſti me in caelum ſummis laudibus* 573
*Extulerunt me laetitia comitia iſta praeclara* 103
*Exulceratae res* 7

F

FABVLA —— *quaſi fabula rerum tantorumq. noſtrorum* 200
*Faceſſere alicui negotium* 136
*Facetum uidetur Trebonio quidquid dixit Cicero* 591
*Facilitas* 48
*Facilitas —— qua facilitate, qua humanitate Pompeius tulit contentionẽ Ciceronis pro Milone* 137
*Facinus facere* 93
*Facit riſus* 352
*Feci ſermonem inter nos habitũ* 381
*Fac nos certiores tuae uoluntatis in nos* 453
*Faceret animos hominum firmiores aduentus meus* 569
*Facere aliquid in hominem calamitoſum* 544
*Facere aliquem reum* 363
*Facere caſtra* 572
*Facere contra aliquem* 368
*Facere damnum* 318
*Facere embaeneticam* 323
*Facere modum lugendi* 210
*Facere iudicium —— ut primum per aetatem iudicium facere potuiſti, quanti tibi quiſq. faciendus eſſet, ego a te in primis coeptus ſum obſeruari* 526
*Facere medicinam —— ſtatim ita ſum leuatus, ut mihi deus aliquis medicinam feciſſe uideatur* 559
*Facere oſtenta* 367
*Facere praeconiũ —— qui facerent, preconium uetabantur eſſe in decurionibus* 258
*Facere ſeditionem* 371
*Facere timorem —— facit mihi haec res timorem* 428
*Factio contraria —— a contraria factione nummis acceptis* 366
*Factionẽ teſtamenti non habere* 299
*Factitatum* 493
*Facturum te ſcribis omnia, ut conficias negotium fratris* 48
*Facultas alterius conſolandi* 178
*Facultas oratiõis exaruiſſet, niſi etc.* 397
*Facultatem magnam habes illi commodandi ex eo ſenatuſconſulto quod factum eſt. &c.* 546
*Faex tanta eſt in urbe* 316
*Fallo —— nihil oĩno te fefellit* 374
*Fallo —— quae ne ſpes eum fallat, uehementer te rogo* 14
*Fallit —— niſi quid me fallit.* 219
*Fallit —— ſi quid nunc me fallit in ſcribendo (procul enim aberam ab re ipſa & a locis) &c.* 124
*Fallit ſpes —— ea ſpes numquam te fallet* 121
*Fallit —— nec nos quidem noſtra diuinatio fallet, quam tum ſapientiſſimorum uirorum monumentis atque praeceptis plurimoq. doctrinae ſtudio, tum magno etiam uſu tractandae reip. magnaq. meorum temporum uarietate, conſecutus ſum* 240
*Fefellit —— nihil nos in his tam obſcuris rebus umquam omnino fefellit noſtra diuinatio* 240
*Fallere opinionem alicuius —— n[illegible] fallam opinionem tuam* [illegible]
*Fama bonorum* [illegible]
*Fama inconſtantiae —— non putaui famam inconſtantiae mihi pertimeſcendam, ſi quibuſdam in ſententijs paullum me immutaſſem* 46
*Fama nunciabat te eſſe in Syria* 479
*Famam ingenij abijcere non recuſat Cicero, ſi poſſit* 392
*Familiam ducit* 275
*Faſtidium non modo ſtomachi, ſed etiam oculorum in hominum inſolentium indignitate* 106
*Faſtorum enumeratio* 200
*Fatale neſcio quid uirtuti Cic[illegible] datum* 484
*Fatale proelium* 585
*Fatum —— in hac re ſingulari i[illegible]m fato* 2[illegible]5
*Fato neſcio quod id accidit* 46
*Fato neſcio quo ita id conti[illegible] arbitror, ut &c.* [illegible]3
*Fatuum eſſe cum periculo* [illegible]8
*Faueo mihi —— e[illegible] mihi faueo in noſ[illegible] tuenda, quam tibi &c.* [illegible]
*Fauonius —— cum Fauon[illegible] ret*
*Fautor —— cuius ego digni[illegible] ab adoleſcentia fautor* [illegible]16
*Fautor dignitatis —— non modo fautorem dignitatis, ſed etiam amplificatorẽ me cognoſces* 424
*Fautor ſum tuae laudis* 555
*Feriatus a ſtudijs* 490
*Fero —— meae rationes ita tulerunt* 185
*Fero —— quantum tua fert uoluntas* 189
*Fero te oculis* 612
*Fero -- uelim ita fortuna tuliſſet* 145
*Fero —— ut opinio mea fert* 47
*Fert occaſio --- ſi occaſio tulerit* 431
*Ferre aliquid remiſſius & placatius* 254
*Ferre aliquem in caelũ laudibus* 436
*Ferre animo moderatiore* 230
*Ferre condicionem* 363
*Ferre fructum —— cum ea contentio mihi magnum foris fructum tuliſſet* 47
*Ferre fructum —— haec adhuc non magnopere mihi fructum tuliſſe animaduerto* 487
*Ferre fructum —— ſedulitas meae mihi, & reip. tulit fructum* 426
*Ferre fructus uberes* 375
*Ferre partem —— non patieris me minimam partem & rei & amoris tui ferre* 490


Ferre

Ferre —— quid res, quid cauſſa, quid tempus ferat, tu facillime perſpicies 33
Ferre —— ſi ita tempus ferret 572
Ferre, ſiquid ferendum non eſt, & probare, ſiquid probandum non eſt, non ſunt idem 379
Ferre ſuffragium 471
Ferreus eſſem, ſi te non amarem 591
Feruenter de damnatione loqui coeptum eſt 340
Feruentiſsime concerpitur 336
Feſtiuitas antiqua et uernacula 390
Fidelia —— Duos parietes de eadem fidelia dealbare 312
Fidelis doctrina, domus, ars, ager 604
Fidelis —— ſi quem tuorũ fidelium ad me mittere uoles 148
Fideliter ualetudini inſeruire, ἄκυρον 604
Fides ἔτυμον quod habeat 601
Fides minus certa —— homines fide minus certa 357
Fiduciae formula, inter bonos bene agier 287
Figere & locare omnia ſua ſtudia, omnem operam in alicuius magiſtratu 86
Figuntur tabulae 475
Fixa animo meo perpetuo manebũt tua in me beneficia 450
Fixa mala 556
Filius imago animi & corporis paterni 241
Fingere —— ſin autem me aſtutum, & occultũ lubet fingere, &c. 136
Finem nullum facio de te, & de Bruto noſtro cogitandi 475
Firmare urbem aliquam pace, & praeſidijs 33
Firmitas & conſtantia 385
Firmitudo grauitaſque animi 204
Firmus ab equitatu Antonius 426
Firmo animo ferre militiam 295
Firmo corpore cum eſſet —— nõdum ſatis firmo corpore 471
Flagitat tabellarius 589
Flagitabo tua ꝓmiſſa ꝑ litteras 141
Flagitare —— negare, opp. 481
Flagitare —— flagitare ſenatus inſtituit Cornutum, ut referret ſtatim de tuis litteris 427
Flexibiles hominum uoluntates 89
Florere artibus —— artes, quibus a pueritia floruiſti 178
Florere gratia, auctoritate, & gloria 178
Florere laudibus 388
Florentiſſima quondam fuerunt haec opida 160
Floruiſſemus in omni actione, atque admiuiſtratione reip. 44
Fluxit longius oratio quam uolui 378
Foederis uim habituras eſſe has litteras exiſtimes uelim 194
Foediſſimi latrones 418
Fores amicitiae 514
Forma reip. —— ut ex tuis litteris cum formã reipub. uiderim, quale aedificium futurum ſit, ſcire poſsim 92
Formã communium tẽporum, & totius reip. ad me miſiſti expreſſam 141
Formula fiduciae —— inter bonos bene agier 287
Formulas —— ut uos in ueſtris formulis, ſic ego in epiſtolis, de eadem re alio modo 525
Fortuna afflicta 45
Fortuna —— dandus eſt locus fortunae 452
Fortuna horum malorum omnium culpam ſuſtinet 585
Fortuna huius rei partẽ habet quandam 430
Fortunae impetus 494
Fortunae non eſt ſuccũbendum 385
Fortunam exiſtimare debemus leuem, & imbecillam ab animo firmo & graui, tamquam fluctum a ſaxo frangi oportere 392
Fortunare —— tibi patrimonium dij fortunent 72
Fortunare tibi hunc honorem deos uolo 580
Forum agere 126
Forum Iulij 426. 427
Forum Voconij 376
Forum Vocontium 374
Frangunt te mala reip. 169
Frangere de te cõſilia hominum perditorum 47
Frangere inuidos ingenio & induſtria 415
Frangere ſe —— cum frangerem ipſe me, cogeremque illa ferre tolerantur 164
Frangerentur eorum animi qui alieni eſſent ab imperio noſtro 573
Fregeramus ſententiam Bibuli de tribus legatis 26
Fracta ac debilitata uis 45
Fracto impetu leuiſſimi hominis 8
Frater alter ego 103
Fraternus amor —— meus amor quanta uis fraterni ſit amoris, admonet 186
Fraudi eſſe 307
Fraudi —— id maiori illis fraudi, quam tibi, futurum 28
Frequens ſenatus 494
Frequentare, —— qui frequentant domum meam 225
Frequentior in iſto officio eſſe debes quam nos 591
Frigeo —— plane iam Brute frigeo 462
Friget Curio iam calet 336
Frigere —— ſin iſta frigebunt, recipe te ad nos 286
Frigidae litterae Lepidi 427
Frigore frigeſcimus 336
Fronte atque uultu ſimulatio facillime ſuſtinetur 46
Fruor dũ licet, opto ut ſemper liceat 395
Frui liberalitate 48
Frui otio 226
Fruſtrata eſt eum ſpes Syriae 486
Fugere —— non me fugit quanta ſit in praetore auctoritas 538
Fulmina uerborum 400
Fundamenta ieci reip. 496
Fulta magnis ſubſidijs reſp. 480
Fungi 307
Fungi —— ad fungos me tuos conferam 390
Fungi officio ſuo ſumptu 130
Functus officio 259
Funus alicui amplum faciendum curare 124
Furta muliebrium religionum 26
Furnius 415
Futura res —— de futuris rebus etſi ſemꝑ difficile ſit dicere, tamẽ poſſis coniectura propius accedere 236

G

GADES 445
Gallia citerior 416
Gallinae ingentes. al. culinae ingentes 384
Gargettius Epicurus 586
Gaudeo in moleſtia te cognoſſe eandem fidem hominum, &c. 45
Gaudere alterius dolorem 363
Gaudere gaudium alterius 327
Γέλως Σαρδώνιος 306
Genus litterarum uſitatum 178
Genus litterarum temporibus conſentaneum 178
Genere nouo litterarum ſum uſus, ut intelligeres non uulgarem commendationem eſſe 517
Gerere amicitiam —— libri de amicitia gerenda 131
Gerere negotium ſuſceptum 509
Gerere ſe aduerſus aliquem hoc, uel illo modo 471
Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας 235
Gloria per ſe non eſt expetenda 573
Gloriam ſequuntur omnes 436
Γόνυ κνήμης 235
Gradus dignitatis —— conſecutus

gradus

# Index


gradus dignitatis —— adeptus ampliſſ.mos 418

Gradus ſapientia—— fateor me ad iſtum gradum ſapientiae non perueniſſe 472

Graeci——quia omnes graeci—— Α᾽Α᾽ποσιώπησις 596

Graeci —— Democritus Sicyonius nõ ſolum hoſpes meus eſt, ſed etiã quod nõ multis contingit, Graecis praeſertim, ualde familiaris 550

Grandem pecuniam ei debent 541

Gratia & neceſſitudo mihi eſt cum his hominibus 363

Gratia ficte reconciliata 143

Gratiam nos inire a Caeſare defendenda pace arbitramur 150

Gratioſi in ſuffragijs 86

Gratioſiſſ.mus in prouincia fuit 14

Gratulor tibi affinitatem uiri optimi 362

Gratulare uxori tuae meis uerbis 581

Gratulari magis uirtuti tuae debeo, quam conſolari dolorem 169

Gratulatio ad omnia deorũ templa facta Bruti nomine 465

Gratulatio —— ſera gratulatio reprehẽdi nõ ſolet, praeſertim ſi nulla negligentia praetermiſſa eſt 89

Gratulationẽ quã confirmationẽ animi tui cõplecti litteris malui 240

Gratus-iucundus--gratus & optatus, dicerem iucundus. niſi id uerbũ in oẽ tempus perdidiſſem 208

Graue eſt homini prudenti p etere aliquid magnum ab eo, de quo ſe bene meritum putet 86

Grauis tibi nulla in re erit 545

Grauiſſimum eſt, cum quis ſuperior factus ſit ordine, inferiorem eſſe fortuna 509

Grauiſſimus & peſtilentiſſimus annus 210

Grauitas ualetudinis 233

Guſtare——nullam partem per aetatem ſanae & ſaluae reip. guſtare potuiſti 494

H

HABEO Laida, nõ habeor 410

Habet cauſſam, quam ad te deferet 540

Habet ea res magnum caſum 428

Habet uſum, ualet ingenio 519

Habent animum meum ſollicitum tempora 106

Habent ſpeciem magnae coniunctionis 326

Habebant exiguam ſignificationem tuae erga me uoluntatis litterae tuae 192

Habui paulullũ morae dum promiſſa militibus perſoluo 484

Habui praecipuum metum 355

Habuiſti rationem in omnib. rebus, ut mihi conſuleres 124

Habebis me ſocium & comitem omnium tuarum actionum ſententiarum, uoluntatum 48

Habe eum in tuorum numero 352

Habeas eum in numero tuorum, abs te peto 530

Habeas eum in numero tuorum, rogo 522

Haberem in animo proficiſci ab Athenis 174

Haberes eos in numero neceſſariorũ meorum 510

Habere uidetur maiorem auctoritatem officij, quam ſententiae noſtrae propugnatio dignitatis tuae 32

Habere aliquem dignum —— non habere dignũ cui ſatisfacias 360

Habere aliquem in numero ſuorum 545

Habere aliquid in animo 428

Habere aliquid in rebus perditis, ac deſperatis 539

Habere aliquid ſtatuti in tanta perturbatione 496

Habere ambiguum —— ego tamen non habui ambiguum 460

Habere de aliquo hanc aut illam opinionem 472

Habere eãdem ſpem de mea erga te uoluntate 121

Habere faciles aditus ad aliquẽ 540

Habere fidem debet noſtra praedictio 240

Habere gratiam —— referre —— nec enim tu mihi gratiam modo habuiſti, uerum etiam cumulatiſſime retuliſti 199

Habere impiam cupiditatem contra ſalutem bene de nobis meritorum 368

Habere in manibus, fouere, oſculari 45

Habere in ſumptus 398

Habere magnum animũ debes 468

Habere rationem ut poſſis, quo loco me ſalua lege Cornelia conuenias 126

Habere ſe grauiter 427

Habere ſollicitum —— Caeſar diutius uelle uidetur eos habere ſollicitos, a quibus ſe putat diuturniorib. moleſtijs eſſe conflictatũ 254

Habere ſpẽ aliquã in manibus 419

Habuiſſe lautum alicuius rei exitũ 362

Habiturum te uideo ſtudia innumerabilia 136

Haerere non poteſt in tam bona cauſſa & tam bonus ciuibus tam acerba iniuria 238

Haeres mihi in medullis 586

Haeſitatio——noli ignoſcere haeſitationi meae 143

Hammonius, regis Alexandrini legatus 7

Haruſpicinam facere——qui heruſpicinam facerent, in ſenatum Romae, legebantur 258

Haſta Caeſaris refrixit 384

Haue —— ſimul atque haue mihi dixit &c. 368

Haurire laudes ſuas ex eodem fonte e quo ſit qs leuiter adſperſus 241

Hauris haec ex iiſdem fontibus, ex quibus ipſe hauſeram 415

Hebes ad id, quod melius ſit, intelligendum 362

Hector apud Naeuium 578

Hector Naeuianus 2?1

Ἡδονὴν & ἀταραξίαν uirtute, iuſtitia τῷ καλῷ parari, & uerum, & probabile eſt 586

Heles nobilis amnis 298

Heluellae 307

Herculanenſis fundus 409

Hercules Xenophontius 200

Heres ex parte dimidia et tertia 527

Heres poſsitne quod furtum antea factum ſit, recte furti agere? 300

Herodotus Themiſtocle laudat 200

Hieme ſumma nauigant pro ſalute mea 541

Hipponacteum praeconium 304

Hirtius 452

Hirtius cũ cohortibus ueteranis uiginti redeunti Antonio in ſua caſtra occurrit, copiaſq. omnes eius deleuit 440

Hirtius perijt in proelio ad Mutinam 461

Hirtius tardus conualeſcit 494

Hirtium & Panſam alieno tempore amiſimus 496

Hirtianum ius 397

Hiſpaniis amiſſis, quã ſpem habeant Pompeiam, neſcio 368

Hiſpanienſis caſus 107

Hiſpo 553

Hiſtoriae leges negligere 200

Homeri magniloquentia 517

Homeri uerſus, παρ᾽ ἐμοὶ γε, &c. 127

Homo nata fuerat Tullia 160

Homines nos eſſe meminiſſe debemus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunae propoſita ſit uita noſtra 210

Hominum uita breuior eſſe debet, quam urbium 160

Homunculi 160

Honeſtum otium 225

Honeſtiſſime cupio Caeſari 103

Honos haberetur medico Cu-


rio

rio miſi, ut honos haberetur medico 598
Honos —— is deniq. honos mihi uideri ſolet, qui non propter ſpem futuri beneficij, ſed propter magna merita, praeclaris uiris defertur 422
Honos nō nimis concupiſcendus, ſed, ſi deferatur a ſenatu, non aſpernandus 578
Honos, —— qui uere appellari poteſt honos, non inuitamentum eſt ad tempus, ſed perpetuae uirtutis praemium 422
Honores ampliſſimi 42
Honorificum —— contumelioſum: opp. 185
Hortenſius intactus a ſibilo ad ſenectutem peruenerat 32
Hortus in bibliotheca 476
Hoſpes cum minime edax, tum inimicus cenis ſumptuoſis 407
Hoſpes nō multi cibi, multi ioci 410
Hoſpes —— obuiae mihi ſint uelim tuae litterae, quae me erudiant de omni rep. ne hoſpes plane ueniam 99
Hoſpitium eſt mihi uetus cū eo 350
Hoſpitum neceßitudo ſancte colenda eſt 521
Humanae condicionis et communis, quaſi legis recordatio leuat dolorem 241
Humaniter uiuere 266
Humile & ieiunum quiddam in amicitia 136

I

IACERE ad pedes alicuius, 255
Iacere in lacrumis & ſordibus 554
Iecit quidam caſus caput Ciceronis quaſi certaminis cauſſa in mediā contentionem, diſſentionemq. ciuilem 46
Iactitare —— egi omnes illos adoleſcentulos, quos ille iactitat 93
Iactatio uerborum 466
Iactationem nonnullorum hominum ferre non poſſum 368
Iambicus philarchus Arabum 568
Iconium 124
Id aetatis ſumus 261
Idonei comites, idoneae tempeſtates, idonea nauis 595
Idus Martiae 438
Idus Martiae —— uellem idibus Martijs me ad cenam inuitaſſes, reliquiarum nihil fuiſſet. 438. 439
Ieiunum —— ſi non ieiunum hoc neſcio quid, quod ego geßi, & contemnendum uidebitur 573
Ieiunus homo 431
Igniculus deſiderij 591
Illuſeras inter ſcyphos 300
Illuſtrare gratiam in remunerando, cumulandoq. beneficio 86
Imago temporum Ciceronis in temporibus Appij 31
Imbecillo animo —— non ſum tam imbecillo animo 500
Immiſit Gallos equites in populum Balbus 445
Immiſiſſe Arabas in prouinciam. 355
Immoderate ferre caſum incommodorum ſuorum 210
Imminutum de noſtra coniunctione 190
Immunis poſſeſſio 548
Impediri maleuolentia, & liuore, ne &c. 459
Impediri —— non amicorum negotijs, non reip. procuratione impediebantur cogitationes meae 164
Impediri religione 174
Impeditus dolore minus ea perſpicis, quae minuere luctum poſſint 159
Impeditus maximis occupationibus 438
Impeditus morbo 48
Impeditiſſimus locus ad iter faciendum 461
Impellere aliquem in mentem 46
Impenſius —— nunc eo facio id impenſius 542
Imperandum —— ades ad imperandum 409
Impetrare a me non potui, ut ab eo deprecarer iniuriam, quem uitam mihi debere putarem 360
Impetus ad laudem 436
Impetum facturus in Cappadociam 571
Impetum praedonum in tuas fortunas fieri nolim 167
Impiger in ſcribendo 77
Impingere fuſtem alicui —— quid ſi filius meus fuſtem mihi impingere uelit 341
Implacabilis in aliquem 136
Implicatos habeo ſatis opportune omnes Caeſaris familiares conſuetudine, & beneuolentia 252
Implicatus tenebar 47
Impoſui duos tabularios in naues 447
Impoſuit mihi negotium 341
Imponere alicui coronam 201
Imponere onus 124
Imponuntur leges a Caeſare 600
Importare alicui aliquam ſuſpicionem 608
Impotentiſſimus homo 413
Impreſſa tot ueſtigijs, ut in his errari non poſſit 219
Impugnare aliquem 143
Impulſus beneuolentia 418
Impune ferre —— nec ſe impune laturum putaret 549
Impunitas gladiorum 415
Impunitatem ſcelerum aſſecutus Clodius 46
In aere alicuius eſſe 541
In aere meo eſt 583
In alia omnia ijt 361
In amoribus eſſe alicui —— eſt mihi in amoribus 317
In aqua habere naues inſtructas 488
In armis eſſe 568
In cauſſa haec ſunt 7
In cura grauiore eſſe —— arbitrabantur, cum a te abeſſent ipſae, multo in grauiore te cura futurū. 252
In curſu bonorum conſiliorum Lepidum adiuuandum putaui 426
In exſpectatione erant omnia 495
In exſpectatione eſt hoc iudicium etiam in bona ſpe 363
In hanc partem peccare malo 357
In integro —— res eſt in integro 219
In integro res nobis erit 586
In luce uiuere 99
In luctu, & ſqualore ſum 183
In manibus eſſe —— attendere te uolo quae in manibus ſunt 461
In officio eſſe —— ſi in officio erunt amici, &c. 553
In ore atq. animo habere 210
In ore & amore habere 438
In ſermonibus dictitabat 48
In tua manu eſt, quam uelis eum obligare 336
In uoluntate ſunt initia rerum, reliqua neceſſaria 378
Inanes eſſe meas litteras, quam nullas malui 263
Inaudiſſe 408
Inaurari —— puto te malle a Caeſare conſuli, quam inaurari 289
Incenderas cupiditatem meam conſuetudinis augendae noſtrae 591
Incenſus ſtudio rerum tuarum 519
Incerti exitus, euentuſq. bellorū 241
Inceßi omnibus laetitijs 93
Incidi in competitorem nobilem 327
Incidi in ipſam flammam ciuilis diſcordiae 599
Incidit ex labore in febriculam aſſiduam & ſatis moleſtam 431
Incidit in ea ipſa mala, quae ſummo ſtudio uitauerat 387
Incidit in eum temporum ſtatū tuus reditus, ut conſequi poſſis omnia, quae ſunt in rep. ampliſſima 82

# Index


Incidit in morbum, ex quo non conualuit 527
Incidit meum tempus rerum gerendarum in ipſum conſulatum tuum 583
Indicit noſtra aetas in ea tempora caſu neſcio quo, &c. 208
Incidimus in eadem reip. tēpora 194
Inciderat Cicero in hominū pugnandi cupidorum inſanias 147
Incideramus in difficilem nodū 351
Incidere in hiemen 127
Incidere in cogitationem 160
Incidere in opinionem 387
Incidere in ſermonem 375
Incidere in tempus —— in id reip. tempus non incideris, ſed ueneris 89
Incidere in uituperatores alicuius 272
Incidere —— non repentina aliqua uoluntate, aut fortuitò ad tuam amplitudinem meis officijs amplectendam incidi 194
Incidiſſe credo meas litteras in ipſum diſceſſum ſenatus 134
Incidiſſe in ipſa diſcrimina ſalutis, fortunarumq. communium 252
Incidiſſe ſubito in febrin 559
Inciſa in tabula nomina ciuitate donatorum 531
Incitare currentem 585
Incitatus amore 33
Inclinata fortuna & prope iacens 106
Inclinata uictoria 383
Inclinationes paruae tēporum 250
Incolumi famā, te ad tuos recepiſti 547
Incolumitas regni 569
Inconſtantiae famam non putaui mihi pertimeſcendam, ſi quibuſdam in ſententijs paullum me immutaſſem 46
Inconſtantia litterarum 431
Inconuenientia facta 485
Incumbe in remp. omni cura 495
Incumbe toto pectore ad laudem 422
Incumbe ut belli extrema perficias 429
Incumbere omni cogitatione, curaque in remp. 413
Incumbere in cauſſam 357
Incumbere tota mente, omniq. animi impetu in remp. 417
Incurrit in difficultatem —— nihil conſtitui poteſt, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem 150
Incurrebat nauigatio in ipſos Eteſias 582
Incurrere in aliquos magna libertate uerborum 490
Incutere metum 330
Indixi bellum omnibus meis 487
Indixit mihi bellum occultum 360
Indictio tributorum 130
Inducis in amicitiam genus ſermonis minime liberale 131
Induxit datum legatis tuis, quātum quaeque ciuitas uoluit 136
Inducere cauſſam aliquam probabilem 468
Inducere perſonam 286
Inductum nomen fictae religionis ab inuidis et obtrectatoribus tuis 26
Inducti odio me excludunt, & aperta uindicem coniurationis oderunt 191
Inductio anim 41
Indulge ualetudini tuae 605
Induſtria —— omni cura, atque induſtria 33
Ineptiae, Appietas, Lentulitas 127
Ineptijs magis, quam improbitate peccat 505
Ineunda nobis eſt ratio 164
Infamabit aliorum iniuriam tua moderatio & grauitas 386
Infector —— Curtius noſter dibaphū cogitat, ſed eum infector moratur 107
Inferis ſi quis eſt ſenſus, &c. 159
Infeſtus latrocinius locus 443
Infimus honos 479
Infirme animati ſocij 568
Inflammatus ad gloriam 33
Inflectere —— ut ne unquam magnitudinem animi tui, quam ego ſemper ſum admiratus, ſemperq. amaui, ne unquam inflectas cuiuſquā iniuria 33
Infringatur hominū improbitas cōſilijs tuorū amicorū, & ipſa die 31
Infuſa peregrinitas in urbem 390
Ingraueſco —— hoc ſtudium quotidie ingraueſcit 155
Ingredior ad explicandam rationem ſententiae meae 82
Ingredientibus nobis in cauſſam hoc fuit propoſitū accidere poſſe, &c. 229
Ingreſſus in bellum 252
Ingreſſus pleno gradu 490
Ingreſſus ſum in ſpem libertatis 496
Inijcit hominibus magnam cupiditatem uacuitas 459
Inijcere in ſermone 490
Inimici laudis —— nō tam memores eſſent uirtutis tuae, quam laudis inimici 32
Inimicitiae apertae —— aut obſcuro odio oſtendere apertas inimicitias, aut, in quo nihil noceas, ſummam oſtendere uoluntatē nocendi, ſtultitiae eſt 136
Inimicitiae uitandae —— uitabis inimicitias, & poſteritatis otio cōſules 116
Iniquus ipſi Ioui Seruilius 423
Iniqui obſcurius 28
Inire cubile alterius 404
Inire cum aliquo conſilia 360
Inire gratiam ab aliquo 150
Intre rationem 447
Inire rationem quemadmodum, &c. 526
Inire ſocietatem cum aliquo 489
Inire ſocietatem defendendae libertatis cum pluribus 419
Inita a me ratio eſt, ut, &c. 219
Initium libertatis a Bruto & ceteris profectum 388
Initio orationis ſuae uobis maximas ut debuit, gratias egit 569
Iniungere detrimentum reip. 462
Iniuria temporis 597
Iniuriam mihi fieri putabam, cum rogabar 136
In iuſſu meo proficiſcerentur 130
Inops uerborum 155
Inſederat penitus ea cogitatio 204
Inſequi aliquem magno clamore 330
Inſeruiebam honori tuo 145
Inſeruire ualetudini 604
Inſigne iudicium beneuolentiae 275
Inſignes ad laudem uiri —— nihil de inſignibus ad laudem uiris obſcure inchoari ſolet 141
Inſignia gloriae 425
Inſignia uirtutis multi ſine uirtute aſſecuti ſunt 145
Inſinuabo me in Caeſaris conſuetudinem 179
Inſolentia —— lautitia —— nec tamen ad hanc inſolentiam, ſed ad illam tuam lautitiam 398
Inſtar uitae —— hos tuos Tuſculanenſes dies, inſtar eße uitae puto 380
Inſtarent a Dolabella non minora pericula quam ab Antonio 487
Inſtauratione tuarum laudum gaudemus 484
Inſtituere —— quod inſtituit referre de religione, ab eo deduci non poteſt 7
Inſtituti mei tenendi cauſſa magis quam quod haberem quod ſcriberem, tertiā hanc epiſtolam ſcripſi 597
Inſtituto itinere 577
Inſulſa, illitterata 392
Intactus a ſibilo Hortenſius 327
Integellus 384
Integer & incolumis gratißimum mihi feceris, ſi Volaterranos omnibus rebus integros, incolumeſque eſſe uolueris 509


Integer

# Index


Integer militum numerus 122
Integerrima & maxima pericula. 420
Integram cauſſam alicui conſeruare. 511
Integram famē ad ouū afferro 398
Integram tibi rē ſerues, ſuadeo 337
Integrum—non placuit cuiquam tuorum quidquam te abſente fieri, quod tibi, cum ueniſſes, non eſſet integrum 82
Integrum—reſpondit ſibi non eſſe integrum 185
Intercalare 270
Intercapedo 404
Intercedit inter nos uſus uetus 523
Intercedit mihi cum eo quotidiana conſuetudo 534
Intercedit mihi cum illo non ſolum hoſpitium, uerum etiam ſumma familiaritas 547
Intercedit mihi neceſſitudo uetus cū familia Titurnia 532
Intercedunt mihi omnia cum eo iura neceſſitudinis 517
Interceſſor 309
Intercepit litteras meas Dolabella. 484
Intercludi—etiam illud metuo, ne iam intercludamini 562
Intercludi paruis praeſidijs uterque aditus, qui eſt in Ciliciam, poteſt propter anguſtias 572
Intercludi fuga 573
Interdicetur nobis aqua & igni 452
Interdictum Vnde ui, hominibus armatis 586
Interdictis defendere poſſeſſionē 317
Intereſſe, praeeſſe—non ſolum interfuit his rebus, ſed etiam praefuit 4
Interpellent me homines, quominus honoratus ſim, dum ne interpellent, quo minus a me reſp. commode adminiſtrari poßit 459
Interpellare—Caeſar numquam interpellauit, quin, quib. uellem, atque etiam quos ipſe non diligebat, tamen ijs uterer 473
Interpellatus in eo caſu 433
Interpellatus—quae res, ſi non eſſem a Rhodijs interpellatus, fortaſſe tota ſublata eſſet 486
Interponere ſe in pacificationē—ſapientius facies, ſi te in iſtam pacificationem non interpones 437
Interruptum—officium multa uarietate temporum interruptū. 194
Interuallum lōgius litterarum 295
Interuallo locorum ac temporum diſiuncti 32
Inteſtinus dolor 160
Inteſtinum ſcelus 185
Inteſtinum urbis malum 469
Intima omnia cum aliquo conferre. 366
Intra cutē aliquid ſubeſt uulneris. 428
Introibit Curio, & eadem actio de prouincijs 335
Inuaſerat mirus furor non ſolum im probis, ſed etiam ijs, qui dicuntur boni, ut pugnare cuperent 600
Inuadere in arcem illius cauſſa 45
Inuenit facile obtrectatores mea fortuna 196
Inuidia annonae 212
Inuidioſus a ſuperiore uita 363
Inuitare aliquem ad cenam 282
Inuita Minerua 120.496
Inuitare ad uiuendum—quid fuit, quod illam hoc tempore ad uiuendum magnopere inuitare poſſet? 160
Inuitare aliquem ad epulas 438
Inuitatu tuo 275
Inuocatus ad ſubſellia rei accurro. 340
Inuoluere ſe litteris 398
Iocoſius ſcribere 408
Iocus non eſt ſeiunctus a philologia, & quotidiana συζυτήσει 607
Ioui ipſi iniquus Seruilius 424
Iouem lapidem iurare 287
Ipſe—decem ipſos dies Athenis fuit 92
Irati—tres fratres ſummo loco natos nolo te habere iratos 116
Ire ad arma 366
Ire in alia omnia 20.362
Ire in alterius ſententiam 20
Iſara flumen maximum in faucibus Allobrogum 426
Iſauri 569
Iſtim—iſtim te ne temere commoue.al. 261
Ita ab imminentibus malis reſp. me adiuuante liberetur 421
Ita uiuam 100
Itare ad cenas 408
Iterum & ſaepius te rogo 533
Itinerum ratio 124
Iudicare—uideo magnas impendere diſcordias, quas ferrum & uis iudicabit 363
Iudicium capitis 314
Iudicium limatulum & politulum. 319
Iudicium ſincerum, ac ſubtile 578
Iudicio, non caſu 89
Iudicia iniuſta—multis fortiſſimis atq. optimis uiris, iniuſtis iudicijs aduerſi caſu acciderūt 213
Iurani ueriſſimum iuſiurandū 185
Iurare calumniam 341
Iurare Iouem lapidem 287
Ius dandum non fuit, cum κακοσόμαχος eſſes 596
Ius Aterianum—Hirtianum. 397
Ius—omnia ſunt incerta, cum a iure diſceſſum eſt 392
Iuſta & idonea excuſatione uſus es intermiſſionis litterarum 612
Iuſtiorem habuimus Bibulum 16
Iuſtiſſimae cauſſae 155

K

ΚΑΚΟΣΤΟ'ΜΑΧΟΣ 596
Κανών ſcriptorum Ciceronis Tiro 604
Κατὰ διόδωρον κρίσιν περὶ δυνατῶν 376
Κατ' εἰδώλων φαντασίας 586
Κατὰ Χρύσιππον δυνατόν 376
Κρίσις 376
Κτῆσις ſum Attici noſtri 312
Κύρου παιδείαν contriueram legendo 409
Κωμικὸς μάρτυς 100

L

LABEO Segulius 466
Labefactata cogitatio ui tempeſtatum, & concurſu calamitatum 204
Laberius 286
Labi—numquam labere, ſi te audies 89
Labienus rem meliorem fecit 562
Laborat ualde pro Appio 336
Laborare alienis malis 152
Laborare ex deſiderio 599
Laborare ex inteſtino 307
Laborare ex pedibus 407
Laborare de re aliqua 536
Laborare ualde de re alicuius 524
Laborare de amicorum pecunia, honeſtius eſt, quam de ſua 517
Laboratur uehementer 7
Labrum ſi in balneo non eſt, fac, ut ſit 565
Laceſſerem te non epiſtolis, ſed uoluminibus 500
Laceſſere aliquem iniuria 454
Laceſſere aliquem ſcripto 493
Lacinia—in lacinia ſeruare ex ſecunda menſa ſemina 608
Laetor maxime officiorum meorum conſcientia 193
Λακωνισμός 469
Languenti ſtomacho eſſe 362
Laodicea 110
Lapſus imprudentia 432
Lapſus iudicio 592
Laſſitudo—nulla laſſitudo impedire

# Index


pedire officium & fidẽ poteſt 496
Late patet maleuolentia, & eſt in multis 126
Latebra tabellae 143
Lateranenſis affirmat Lepidum bonum futurum 431
Laterenſis, cum ſe in fraudem deductum Lepidi perfidia uideret, ſibi manus afferre conatus eſt 433
Lateranenſis, & Furnius adiutores & interpretes Planci 427
Lateranenſis uir ſanctiſſ. 431
Laterenſem nimia indulgentia in Lepidum fecit minus ſagacem ad perſpiciunda pericula 433
Lauatio parata 377
Laudare aliquem plurimum ualet, ad excitandum & acuendum. 592
Laudare alterum, ſolum liberum eſt: de quo quidquid detrahas, neceſſe eſt aut infirmitati, aut inuidiae aſſignetur 245
Laudari a laudato uiro 201
Laureola —— uelles, ais, tantummodo ut haberem negotij, quod eſſet ad laureolam ſatis 95
Laus ea iucunda eſt, quae ab ijs proficiſcitur, qui ipſi in laude uixerunt 578
Laus naſcens 33
Laus inimici 32
Laudum gloria —— quarum laudũ gloriam adamatis, quibus artib. eae laudes comparantur, in ijs eſt laborandum 83
Lautus rei exitus 362
Lautus —— ualde iam lautus es, qui grauare litteras ad me dare. 391
Lautum —— nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius 583
Laxa te iſtis moleſtijs, & ad conuictum noſtrum redi 206
Legatio libera 493
Legati Apameani 127
Legio bima 434
Legio luculentiſſima 434
Legiones decretae in Syriam 110
Legiones habet Plancus quinque ſub ſignis 419
Legit eum Caeſar in ſenatum 509
Λεληθότως 374
Lenire aut leuare alterius dolorem oratione 254
Leniatur utriuſque noſtrum abſentis deſiderium crebris & longis epiſtolis 591
Lentulitas 127
Lentulus Appij gener 131
Lentulus commemorat ſua in remp. merita 487
Lentulus Crus repulſus 330
Lentulus foede perijt, at Cato praeclare 396
Lentulo agente de reliqua Ciceronis dignitate, aut occulta nonnullorum odia, aut obſcura ſtudia cernebantur 45
Lentulo & Marcello coſſ. 272
Lepido concionante, milites conclamarunt, pacem ſe uelle, neque eſſe cum ullis pugnaturos 431
Lepidus 431
Lepidus bonum ciuem agit in epiſt. ad Ciceronem 449
Lepidus Caſſij affinis 481
Lepidus maiori odio eſt ciuitati, quã Antonius 482
Lepidus Planci aduentum captabat. 433
Lepidus pridie Kalend. Quinct. ſententijs omnibus hoſtis iudicatus a ſenatu eſt 482
Lepidus ſe cũ Antonio cõiunxit 433
Lepidus ſpoliatum, inermem, fugientem recepit Antonium 482
Lepidi & Aſinij multa, & bonae, et firmae legiones 459
Lepidi litterae frigidae, & inconſtantes 427
Lepidi perfidia & leuitas 431
Lepidi ſcelus, leuitas, & inconſtantia 481
Lepidum nõ erat ueriſimile in optiſſima pace bellum reip. indicturũ, qui in maximo bello pacem ſe uelle dixiſſet 465
Lepidum recte facturum numquam, Bruto perſuaſiſſimum erat 459
Leuat dolorem communis quaſi legis & humanae condicionis recordatio 241
Leuarunt me moleſtia litterae tuae, utinam omnino liberaſſent 598
Leua me hoc onere 143
Leuare animum moleſtijs nulla res alia poteſt 155
Leuare alterum aegritudine cogitatione rerum ipſius praeclare geſtarum 205
Leuare curam 585
Leuare dolorem ſi minus ſanare 210
Leuare fortunam alicuius 213
Leuare luctum poſſunt quae ſcripſiſti 164
Leuare moleſtias 152
Leuari grauitate ualetudinis 233
Lauari me putabam moleſtia 126
Leuari poſſent moleſtiae tuae 152
Leuatio —— maior mihi leuatio afferri nulla poteſt, quam coniunctio conſuetudinis, ſermonumque noſtrorum 164
Leuati maxima calamitate 219
Leuidenſe munuſculum 386
Leuiſſime ferre iniuriam 216
Leuitas —— tanta eſt in pleriſque leuitas, ut eos non tam conſtantia in rep. noſtra delectet, quam ſplendor offendat 33
Lex alimentaria 336
Lex Cornelia —— cenſui ſumptus quam maxime ad legem Corneliã decernendos 136
Lex Iulia 109
Lex Licinia 327
Lex Plautia de ui 340
Lex Papia 26
Lex Scantinia —— poſtulandum me lege Scantinia curauit 360
Lex Sempronia 33
Lex ſumptuaria 307.390
Lex uiaria 336
Lege Cornelia habere imperium 48
Lege Cornelia triginta dies conſtituti ſunt ad decedendum 125
Lege Iulia relinquere rationes, in prouincia neceſſe erat, eaſdemque totidem uerbis referre ad aerariũ. 219
Leges hiſtoriae negligere 200
Libentius —— at ille adiurans, nuſquam ſe umquam libentius. 398
Libentiſſimis Graecis nutu quod uis conſequeris 543
Liber —— in ulciſcendo nimis liber. 499
Libera & immunis poſſeſſio 548
Liberos amittere malum 160
Liberaliſſime atque humaniſſime id mihi recipiſti 510
Liberalibus litteras accepi tuas 496
Liberaliter alicui reſpondere 520
Libero eum omni ſuſpicione cupiditatis 10
Liberaui ciuitates acerbiſſimis tributis & grauiſſimis uſuris, & falſo aere alieno 572
Liberaui hunc a Caeſare 573
Liberarem te iſta cura, aut certe leuarem 391
Liberare alicuius fidem 481
Liberata reſp. Antoniano latrocinio, ſed nondum explicata 496
Libertas iucunda 443
Licitatorem apponere 270
Ligurrirent curationem agrariam. 467
Limauit aliquid poſterior annus de tua prolixa beneficaque natura. 131
Limatulum & politulum iudicium. 319
Liquidius de toto ſenſu iudicauit 422
Liquido quaedam negare 471
Λιτότης 307
Littera —— Bibulus ad me litteram

ram numquam miſit 110
Litterae a Caeſare Ciceroni redditae ſatis liberales 566
Litterae commendaticiae 190
Litterae —— doctrina, ac litterae unum perfugium 224
Litterae —— haud poſſem uiuere niſi in litteris uiuerem 410
Litterae in rebus aduerſis magnae delectationi eſſe debent 241
Litterae interiores 319
Litterae —— litteris me inuoluo, & aut ſcribo, aut lego 398
Litterae minaces & acerbae 599
Litterae perfugium homini ſpoliato & domeſticis, & forenſibus ornamentis 208
Litterae plenae amoris, & officij 120
Litterarum eſt etiam non ſatietas ſed quidam modus 410
Litterarum ſtudia 381
Litteras mea manu ſcriptas ad te miſi 125
Litteris uti 208
Litterule uacillantes 602
Locare caſtra 569
Locus —— & ex ſuperiore, & ex aequo loco 130
Locus uidetur eſſe tecum expoſtulandi 110
Loci non nihil dediſſe uideris iniquis ſecus exiſtimandi de tuo in me animo 126
Lomentum aut nitrum 363
Longinquitas temporis omnem dolorem minuit, ac mollit 160
Longinqui & a te ipſo miſſi in ultimas gentes 579
Longinquitas —— in his ſum locis, quo & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardiſſime omnia perferuntur 93
Longinquitas temporis me mitigauit 239
Lõgi ſubſellij iudicatio & mora 134
Longiorem orationem tua humanitas non exſpectat 121
Longius fiebat 272
Loqui ſecum, adhibere ſe in cõſilium, ſibi obtemperare 89
Lubente te 540
Lucanicae 392
Luce —— in iſta luce uiue 99
Lucilius 490
L. Caeſar optime ſentit, ſed, quod auunculus eſt, non acerrimas dicit ſententias 438
L. Caeſar ualetudine impeditur 477
L. Cotta fatali quadam deſperatione minus in ſenatum uenit 477
L. Lamia ab A. Gabinio conſule relegatus, quod libere & fortiter ſalutem Ciceronis defendiſſet 500
L. Lamia praeturam petit 464
L. Lucilius 124
L. Marcus, & Q. Criſpus Imp. 483
L. Papirius Curſor magiſter equitum 400
L. Papirius Mugillanus Conſul cum L. Sempronio Atratino 400
L. Paullus duos filios ſeptem diebus amiſit 164
L. Sempronius Atratinus 400
L. Tullius legatus Ciceronis 573
L. Valerius iureconſultus 120
Luculentiſſima legio 434
Ludibundi ad Hidruntem peruenimus 598
Ludibrio laedere aliquem —— neque me abſentem ludibrio laeſum iri exiſtimarem 183
Ludi Circenſes 360
Ludi Romani 340
Ludi ſcenici 266
Lugere —— nulla umquam fuit liberis amiſſis, tã imbecillo mulier animo, quae nõ aliquando lugendi modum fecerit 210
Lugere reip. tempora, & aliorum uictoriam 160
Lupercal 298
Luſimus illa ſuperiora 392
Luſtrato exercitu 572
Luſtrum —— reliqua ſuperioris luſtri 100
Lynceus —— Quis eſt tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nuſquam incurrat 374
Lyſippus 200

M

MAEREO caſum eiuſmodi 554
Maerere ſuarum rerum cogitatione 210
Maeſtitia & deſperatio 311
Magiſtri cenandi —— Hirtius, & Dolabella 392
Magna tibi haec eſſe debent ad leuandas moleſtias tuas 152
Magnificum ſit & lautum quod erit 392
Magnitudo & uis amoris 89
Magnitudo hiemis —— propter hiemis magnitudinem tamdiu nihil noui ad nos afferebatur 103
Magnitudo tuorũ erga me meritorũ 1
Magnopere uellemus. 86
Magnus amicus 312
Maieſtatis crimen 141
Maiorem in modum a te peto 523
Maiorem partem nihil curare ſoles 352
Male affecta pars prouinciae 164
Maledicere alteri —— ſolutum exiſtimatur eſſe alteri maledicere, tamen cauendum eſt, ne in petulantiam incidas 245
Malefacere —— Dalmatis dij malefaciant 199
Maleuolentia in tabellae latebra abſcondita 143
Malus animus eorum in noſtrã ſalutem 486
Mala temporum 233
Mala orbiculata —— malis orbiculatis paſti 366
Manabat illud malum urbanũ, & ita corroborabatur quotidie, ut ego urbi & otio diffiderẽ urbano 475
Manceps 219
Mancipio & nexu proprium alicuius 313
Mancipium 312
Mandare alicui negotium 524
Mandare alicui res certas 301
Mandare Graecis litteris res tuas cupit 519
Mandatum tuum curabo diligenter 270
Mandata dedimus Furnio plura uerbo quam ſcriptura 419
Mandatu meo 97
Maneo in uoluntate 186
Manere in ea uita, in qua nihil inſit, niſi propagatio miſerrimi temporis 208
Manere in uita —— conficior eis curis, ut hoc ipſum, quod maneam in uita, peccare me exiſtimem 178
Manere —— ſi rationum referendarum ius uetus & mos antiquus maneres 219
Manſio —— deceſſio, oppon. Is mecum ſaepiſſime de tua manſione aut deceſſione communicat 155
Manſurus es in eadem iſta liberalitate 332
Man. Curius 536
Manubiae 46
Manum de tabula —— magiſter adeſt citius quam pu taramus 306
Manus ad os apponere —— cum manus ad os appoſuit 223
Manibus ad tergum reiectis 445
Manibus gypſatiſſimis 277
Marcellinus Lentulo iratus 7
Marcellino & Philippo cos. 45
Marcelli ſalute impetrata Caeſari omnes ſenatores gratias egerunt, praeter Volcatium 155
Marcello ſalus a Caeſare data 155
Marcellus diem ſuum obijt ex uulneribus a P. Chilone acceptis 174
M. Anneius legatus Ciceronis 573
M. Antonius uir prudentiſſimus infelicem exitum timebat, iam tum cum magna mala inſtare ſuſpicabatur 233

M. Antonij nõ dicam inſolentia, ſed immanitas 413
M. Bibuli conſilio uti non te fugiet qui ſe opido munitiſſimo & cupioſiſſimo tenuit, quamdiu in prouincia Parthi fuerunt 492
M. Brutus Appij gener 123
M. Brutus iuriſconſ. 300
M. Bruti ſummum ingenium, ſuauiſſimi mores, ſingularis ꝓbitas 388
M. Cato filium amiſit 164
M. Lenius Flaccus —— apud eũ fuit Brundiſij Cicero dies xiij 556
M. Manilius 300
M. Marcellus in Academiae gymnaſio ſepultus 174
M. Marcellus poſt cenae tempus a P. Magio Chilone familiare ſuo pugione percuſſus eſt, & duo uulnera accepit 174
Marcello, Ser. Sulpicio coſ. 488
M. Variſidius 423
Mars omnis belli communis 236
Martis ſignum, quo mihi pacis auctori 301
Maſſones cognomẽ. Papiriorum quorundam 400
Mattius —— epiſtolae Cicer. ad martium 471
Mattius reſpondet criminibus, quae in eum poſt mortem Caeſaris conferebantur 472
Maturare —— ſucceſſor tuus non poteſt ita maturare ullo modo, ut tu me in Aſia poſſis cõuenire 109
Maturitas aetatis 258
Maturitas aetatis ad prudẽtiã 155
Maturum —— mihi uero ad Nonas bene maturum uidetur fore 377
Maximis itineribus 572
Μὴ μὲν ασπουδέιγε. καὶ ἀκλεῶς ἄπολοίμην, ἀλλὰ μέγα ῥέξας τὶ καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι 517
Medici —— noli imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur ſe tenere medicinae ſcientiã, ipſi ſe curare non poſſunt 160
Medico ut honos haberetur, Curio miſi 598
Medicina temporis 210
Megaleſia 97
Megara 160
Mel ac deliciae tuae C. Sempronius Rufus 340
Melior fio ualetudine, quã intermiſſis exercitationib. amiſerã 396
Meliuſcule —— Marionẽ, cũ meliuſcule tibi erit, ad me mittes 594
Memoria teneo, meam obſeruantiam tibi non defuiſſe 194
Memoriae tuae cauſſa uelim des aliquid litterarum, quae tibi in prouincia reddantur &c. 533
Mendum ſcripturae litura tollitur. 245
Mens —— hoc me fuiſſe mente ſenatus te conſule audiuit 45
Mentam puſillam appellare ut rutulam non licet 404
Mercatores prouinciarum, non conſules 46
Mercenarij teſtes 141
Merces —— tamen in moleſtia gaudeo te eandem fidẽ cognoſcere, hominum, non ita magna mercede quam ego maximo dolore cognoram 45
Merces una laborum & uigiliarum Ciceroni: ſtudia omnium erga fortes uiros 136
Merita alicuius magna habere 434
Meſſalla abſolutus 330
Meſcinius Ciceronis quaeſtor 524
Metari uno loco 428
Metellus Trib. pleb. dixit in cõcione, ei, qui in alios animaduertiſſet in dicta cauſſa, dicendi ipſi poteſtatem fieri non oportere 185
Metior tuam fidelitatem ex mea conſcientia 416
Metiri omnia dignitate magis, quam ambitione 436
Metuere —— plus in metuendo mali eſt, quam in eo ipſo, quod timetur 236
Migrationes in alienũ domiciliũ 604
Miles legionarius —— auxiliarius. 445
Mimum introduxiſti 392
Minãtis nulla auctoritas eſt apud liberos 454
Mindius Marcellus 588
Minerua cuſtos urbis, quam turbo deiecerat 496
Minorum gentium patricij 400
Minotaurus, ideſt Caluiſius & Taurus 496
Minuere dolorẽ eadem res poſſit 160
Minuere ſumptus egentiſſimarum ciuitatum 130
Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός 517
Mitigauit me longinquitas temporis 236
Mitigatus animus —— ſigna magna dedit animi erga te mitigati. 229
Mittit in conſilium eoſdem illos, qui lites aeſtimarant iudices 341
Miſſio ludorum —— ante ludorum miſſionem 201
Mobilis animus mobilis ſtabilis oppon. 186
Moderatio uitae —— ratio & moderatio uitae nata & alta Athenis 230
Moderatiſſimi atq. humaniſſimi fuit ſenſus Caeſar iunior 434
Moderatiore animo ferre 230
Moderator eris conſiliorum meorum 47
Modeſtus uultus 591
Modice aut etiam intra modum. 155
Moliri aliquid 453
Mollis et liberalis oratio alicuius 255
Mollit dolorem tempus 160
Monitis & praeceptis meis non eges 415
Moneo ut filium 417
Monumentum Senatus 46
Mopſuheſtia 131
Morae quaedam inciderunt praetorijs comitijs 330
Morbi ſeneſcentis remiſſio 307
Morbus edacitatis δυσεντερία 37
Mordere frenum 468
Mordere —— neque non me tamen mordet aliquid 143
Moroſi qui amant 292
Mors honeſta non eſt fugienda, ſaepe etiam appetenda 472
Mors —— nihil eſt mali in morte, in qua ſi reſideat ſenſus, immortalitas illa potius ducenda eſt; ſin ſit amiſſis, nulla uideri miſeria debet, quae non ſentiatur 210
Mors nullũ ſenſum eſt habitura 226
Mors oĩum rerum extremum 262
Mors —— ſi non ero, ſenſu omni carebo 235
Mortem contemnere etiam beati debemus 225
Mortem oppetere —— ſi oppetenda mors eſſet, domi atque in patria mallem, quam in externis atque alienis locis 167
Mori nemo ſapiens miſerum duxit ne beato quidem 235
Morem eis geſſi 247
More Romano 275
More Romano aliquem commendare 295
Mouere aliquid —— ſi Parthus mouet aliquid 335
Mouere caſtra 428
Moueri ſermone —— horum ego ſermone non mouebor 125
Motus animorum —— magnus animorum motus eſt factus 45
Multiplicatis auxilijs 419
Multi ſuam rem & publicam bene geſſerunt patria procul 277
Munatius 323
Munditia —— qua munditia homines, qua elegantia 398
Munio me ad haec tempora 396

*Munire ſe nouarum neceſſitudinum affinitate contra ueterem perfidiam* 181
*Munus aedilicium magnificentiſſimum* 464
*Munerum facultatem nemo admiretur: eſt enim copiarum, non uirtutis: neq. eſt quiſquam quin ſatietate iam defeſſus ſit* 82
*Munuſculum leuidenſe, craſſo filo* 386
*Muſae Metelli* 301
*Muſis omnibus approbantibus* 301
*Mutare conſilium* 125
*Mutare conſilium —— non muto conſilium* 595
*Mutata ratio* 294
*Mutati uoluntate* 225
*Mutuum in amicitia quid ſit* 185

N

NACTA *ſunt opinionem incredibilem mea comitia* 330
*Nictus occaſionem* 443
*Nactus erã cui darem litteras* 597
*Nactus occaſionem & licentiã* 491
*Nactus plus otij —— cum plus otij nactus ero* 127
*Nactus puſillum laxamenti in nauigatione noſtra* 490
*Nactus ſpem impetrandi maiorem* 511
*Nacti probabilem materiem ſermonis* 126
*Nae tu uideris, &c.* 313
*Naeuius* 578
*Naſcuntur domi* 375
*Natus ad agendum ſemper aliquid dignum uiro Cicero* 178
*Nauare aliquid —— nemo eſt tam afflictus, qui ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id quod agit, non poſſit nauare aliquid* 230
*Nauare operam* 435
*Nauare poſſimus in te noſtram beneuolentiam* 136
*Naues inſtructae & paratae* 488
*Naues onerariae* 488
*Naufragia & bonorum direptiones* 178
*Naufragia rei familiaris* 45
*Nauicularius —— nauigato cum honeſto aliquo homine, cuius auctoritate nauicularius moueatur* 598
*Nauigare tarde, & incommode* 557
*Nauigatio incurrebat in ipſos Eteſias* 582
*Nauigatio lõga & hiemalis, & minime portuoſa* 261
*Nauis bonorũ omnium una eſt* 496
*Nauis idonea* 595
*Nauis —— in eadem eſſe naui* 84
*Nauim rectã ut teneamus, operã damus, utinam proſpero curſu* 496
*Naui longa profugerunt onerarijs relictis* 489
*Nauiter eſſe impudentem* 200
*Nautae ſolent feſtinare quaeſtus ſui cauſſa* 598
*Ne uiuam, ſi &c.* 301
*Nec caput, nec pedes —— res tuae ita contracta, ut nec caput, nec pedes* 315
*Neceſſitudo nobis cum aliquo multis eius officijs & noſtris mutuis conſtituta* 468
*Neceſſitudinem conſtitutam habui cum domo ueſtra ante aliquanto, quam natus es* 415
*Nec opinatus & improuiſus prouinciae caſus hanc mihi facultatem eripuit* 582
*Nedum —— quam tota Poloponeſus nedum Patrae* 310
*Nedum —— uix in ipſis tectis & opidis frigus infirma ualetudine uitatur: nedum in mari, & uia ſit facile abeſſe ab iniuria temporis* 597
*Negligens inſcribendo* 134
*Negotium horũ temporum, horum hominum, atque morum* 143
*Neruoſe nos ſuborna* 433
*Neſcius —— non ſum neſcius, &c.* 511
*Neſtor Agamemnoni conſiliarius* 388
*Nicia* 301
*Nicias & Vidius* 384
*Nigidius doctiß. & ſanctiß.* 178
*Nihil eſt praecipue dolendum in eo, quod accidat uniuerſis* 233
Νίκωνος *liber* περὶ πολιφαγίας 298
*Nituntur meis conſilijs, monitis, & ſtudijs* 194
*Nitebamur maximo conſilio, ſtudio, labore, gratia de cauſſa regia* 28
*Noctes te aliquid tam adiuuabunt* 155
*Nodus difficilis* 357
*Nomen Aufidianum* 606
*Nominis delatio* 336
*Nomine amicitiae noſtrae haec a te peto* 484
*Nomine negligentiae me tibi ſuſpectum eſſe doleo* 37
*Nomina facere* 301
*Nomina nobilium non admirabatur Cicero* 127
*Nominatim —— duo te nominatim rogo* 525
*Non dubitabat de tua erga me uoluntate* 534
*Non ex iure manu conſertum, ſed magis &c.* 289
*Non omnibus dormio* 340
*Noſtratia uerba* 97
*Nota —— de meliore nota Sulpicij ſucceſſori nos commenda* 312
*Notati ignominia ciues* 241
*Nouae coniunctiones —— in omnibus nouis cõiunctionibus intereſt, qualis primus aditus ſit, & qua commendatione amicitiae quaſi fores aperiantur* 514
*Nouitas* 33
*Noui Tribunis pleb. —— ſpes erat Ciceronis in nouis Trib. pleb.* 555
*Nouißime Corycum ſe contulit* 485
*Nouißimus —— poſt nouiſſimũ Hirtij ſermonem placitũ eſt, &c.* 453
*Nouiſſimus ſe recepit ad caſtra Galba* 440
*Nouiſſima auxilia* 452
*Nouißima noſtra facta* 485
*Nudis pedibus, tunica ſoluta* 445
*Nudum cum bona uoluntate ad auxilium patriae accedere —— cũ facultatibus, oppon.* 419
*Nulla ars litteris ſine interprete, & ſine exercitatione percipi poteſt* 291
*Numerare in mercedis potius, quam in beneficij loco* 84
*Numerari —— ſapientem me & eſſe, & numerari uolo* 46
*Numerus —— & ibi malis eſſe, ubi aliquo numero ſis, quam iſtic, ubi ſolus ſapere uidearis* 73
*Nunciauit mihi ſalutem tuis uerbis* 291
*Nutus tuus poteſt hominem ſummo loco natum incolumen in ciuitate retinere* 468
*Nutus conſequeris quod uis* 543
*Nutus & ſignificatione quoſdam homines appello* 47
*Nutus regios tuemur interfecto rege* 475

O

OBCAECATVS *ſtultitia* 568
*Obduruit animus ad dolorem meum diuturna deſperatione rerum* 106
Ὀβελίζω 384
*Obiecti ſumus ad omnes caſus ſubitorum periculorum* 236
*Obire —— non obire annum petitionis ſuae* 435
*Oblanguerunt litterulae meae tui deſiderio: hac tamen epiſtola, quam Acaſtus attulit, oculos paullulum ſuſtulerunt* 601

Oblata religio Cornuto eſt pullariorum admonitu 423
Oblato metu diffugiunt 568
Obligatus ſum magno eius beneficio, magnoq. merito 464
Obligatae largitionibus, conceſſionibusq. praemiorum ciuitates 419
Obſcenum —— nihil eſſe obſcenum, nihil turpe dicta ſententia Stoicorum 404
Obſecro te iiſdem precibus, quibus Senatus pop. q. Rom. ut &c. 456
Obſecraret me precibus 173
Obſequi pudori tui maluiſti, quam ualetudini 598
Obſequi uoluntati tuae non potuit 124
Obſeruabo ſanctiſſime, faciamque diligentiſſime quae tibi promitto ac recipio 194
Obſeruare aliquem uehementer 314
Obſeruare diligenter alicuius commendationem 525
Obſes fidei 427
Obſtrepere tibi litteris non auſus ſũ 189
Obtinebat ſorte Macedoniam prouinciam 526
Obtinuit ſemper id iuris ſine ulla controuerſia 537
Obtinere ius ſuum in aliqua re 337
Obtinere locum ſuum —— tua dignitas ſuum locum obtinebit 134
Obtinere potes ſummum, atque altiſſimum gradum ciuitatis 33
Obtinere prouinciam 45
Obtinere prouinciam cũ imperio 46
Obtinere regnum cũ dignitate 572
Obtinere ſuam dignitatem alicuius commendatione 286
Obtinere omnes ſuas fortunas 167
Obtingere mihi quaeſtor optatior nemo potuit 117
Obtingit mihi quaeſtor 117
Obtrectatio —— conſilium tutum quod habere poteſt obtrectationem 428
Obtrectatio inuidorum —— conſilia mea aequis iudicibus ab obtrectatione inuidorum defendenda commendo 420
Obtrectationes & inuidias puſillorum ac maleuolorum proſternet, atque obteret 196
Obtrectationes maleuolentiſſimae 33
Obtrectatores —— inuidi, & obtrectatores
Obtundere —— cupio non obtundere te 207
Obuertebant ob os eius Graij ora ſua 410
Obuiae mihi ſint uelim litterae tuae 99
Obuiam ire hoſtibus 428
Occaſio data —— ut primum occaſio data eſt, meo priſtino more remp. defendi 495
Occaſio —— ne hae gentes noſtra mala ſuam putent occaſionẽ 416
Occaſio —— ſi occaſio tulerit 431
Occidere hominem —— noui ego uos magnos patronos: hominem occidat oportet, qui ueſtra opera uti uelit 103
Occidenti reip. opem ferre 147
Occidione occiſus equitatus 572
Occulta coniuratio 185
Occupabit haec cauſſa primos menſes 323
Occupare poſſeſſionem laudis 419
Occupatiorem me habebant comitiorum dilationes 330
Occurrit —— in hoc autem illud mihi occurrit 143
Occurrebat haec una conſolatio in multis ac uarijs moleſtijs 121
Occurrere maleuolentiae hominum in aliquem 460
Ocella 103
Oculi augent dolorem 229
Oculi feriuntur ſpectris, quia, cum uelis, ipſa occurrunt 586
Odium incluſum alicuius iniuriarum 47
Oenomaus 392
Oenomaus Attij 392
Offendam te imparatum 82
Offendere alicuius animum 193. 472
Offendere alterius animum 148
Offendere animos aliquorum 247
Offendere animum —— non offendere animum cuiuſquam 392
Offendere alicuius uoluntatem 48
Offendere —— nihil offendere, nuſquam incurrere 324
Offendere —— non offendes eundem bonorum ſenſum, quem reliquiſti 46
Offendere —— ſi quid offenſum 33
Offendor —— ille ſi omnibus eſt maleuolus, minus offendor in me 110
Offenſiones ex grauibus morbis graues eſſe ſolẽt, ſi qua culpa commiſſa eſt 601
Offenſiuncula —— ſi qua offenſiuncula facta eſt animi tui peruerſitate aliquorum 504
Offenſus mihi 428
Offerre mortem alicui 174
Offerre ſe communi periculo 428
Officio ac potius pietate erga te 7
Offilius 299
Ollam denariorum implere 397
Omen —— ne ominis quidem cauſſa ſe non negaturum dixit 155
Omen —— quod dij omen auertant 480
Onerarunt te mendacijs homines leuiſſimi 136
Oneratus malis 398
Operam dabit mihi iudex 314
Operam & oleum perdidiſſe 266
Opinio —— ut opinio noſtra eſt 525
Opinione celerius uenturus eſſe dicitur Caeſar 566
Opponere ſibi ipſum magna ad proficiendum impedimenta 419
Opportunitas temporis 143
Opportunitatem operae tuae omnibus locis deſidero 599
Opportuno tempore 117
Opprimere armis remp. 216
Opprimere reliquias belli 430
Opprimor interdum, & uix reſiſto dolori 164
Oppreſſus bello repentino 387
Oppreſſus epiphora Balbus 610
Oppreſſus tantum attigit negotij, quantum recuſare nõ potuit 526
Oppreſſus totius corporis doloribus L. Caeſar 388
Oppreſſa ſunt omnia armis 413
Oppugnat Cicero opidum munitiſſimum Pindeniſſum aggeribus, uineis, turribus 95
Oppugnare aliquem capite ac fortunis 183
Oppugnare aliquos aperte pecunia 7
Oppugnare exiſtimationem alicuius 136
Oppugnare urbem agere, uineis, turribus 573
ὀψιμαθης homines ſunt inſolentes 398
Optare optima, cogitare difficillima 396
Optata —— meis optatis fortuna reſpondit 77
Optata —— mihi eſt in optatis 100
Optata —— mihi quidem ſi optata contingant &c. 473
Optatum magis quàm ſperatũ 194
Optimates 46
Optimus reipub. ſtatus 415
Opus eſt —— dux nobis & auctor opus eſt 86
Opus facere —— ut opus aeſtate facere poſſent 127
Opus —— Sulpitij tibi operam intelligo ex tuis litteris nõ multum opus fuiſſe 315
Oratiuncula pro Deiotaro 386
Orator Ciceronis —— quicquid habuit iudicij Cicero in dicendo, in illum librum contulit 258
Orator Ciceronis 591
Oratores —— magni oratores ſaepe ad extrema primũ reſpõdent 492
Orba ciuitas —— tam orba ciuitas

taleis

taleis tutores cõplecti debet 141
Orbatus omni ſpe ſalutis 240
Orbiculata mala 366
Orbis terrarum ardet bello 148
Orbus ijs rebus omnibus, quibus & natura me & uoluntas, & conſuetudo aſſuefecerat, &c. 178
Orbus ſenatus cõſulibus amißis 500
Ordiri reliquas res 200
ὄργανον Ciceronis ſenatus 462
Ornare aliquem certis gloriolae inſignibus 275
Ornamenta uirtutis & induſtriae in te ſunt plurima 137
Ornauit res noſtras diuinis laudibus 103
Ornatus ſummis honoribus 437
Ornatus tuis maximis beneficijs 45
Ornatus uirtutibus & fortuna 516
Ornati omnibus optimis artibus 532
Os adoleſcentioris Academiae 381
Os —— ſi mehercule Appij os haberẽ, hoc ſuſtinere non poſſem 197
Oſci ludi 266
Oſculatus ſum epiſtolam tuam 241
Oſtendiſti magnam ſpem otij 192
Oſtenderas hoc mihi quibuſdam litteris 217
Oſtendere —— cum mihi ſaepe oſtenderis te noſtrorum tẽporum conſilia litteris mandaturum 201
Oſtendere —— ut nihil de tua uoluntate oſtendas 336
Oſtendere in ea re animum inimicum, in qua nihil obſis &c. 136
Oſtendere in obſcuro odio apertas inimicitias, in quo nihil noceas ſummam uoluntatem nocendi 136
Oſtendere quid ſentiam, meum eſſe puto 48
Oſtendere —— ſi feceris id, quod oſtendis, magnam habebo gratiam 217
Oſtendere ſpem ſalutis exploratam 252
Oſtendere tibi uolui potius amorem meum, quam prudentiam 415
Oſtendere uoluntatem —— quam oſtenderit uoluntatem, &c. 323
Oſtentat facere 362
Oſtentat caedẽ huius belli exitus 181
Oſtiorum exactio 130
Oſtrea & Murenae 307
Otium cum dignitate 47
Otiolum —— cum otioſus ſum plane ubi delectem otiolum meum, non habeo 328
Otioſum Fabium reddideris 409

P

PACORVS Orodi regis Parthorum filius 568
Palimpſeſtus 295
Paludatus 510
Paludati exeunt 355
Paludatus profectus eſt Panſa 588
Pangis aliquid ſophocleum 505
Πανικοῖς me commoueri intellexit 602
Panſa 439
Panſa amiſſo, reſp. magnum detrimentum accepit 458
Panſa ex uulneribus mortuus 447
Panſa & ſentit bene, & loquitur fortiter 494
Panſa praelium commiſit cum Antonio 447
Panſa qui ἡδονὴν ſequitur, uirtutem retinet 589
Πάντα περὶ πάντων 493.588
Pantherae 97.371
Pantherae in Pamphilia capiuntur 352
Papirij alij Craßi, alij Mugillani, alij Curſores, alij Maſones, alij Carbones, alij Turdi 400
Papirij ne fuerint omnes plebei an aliqui patricij 400
Papirij quondam dicti Papiſij 400
Papiriana domus 298
παρὰ προσδοκίαν 316
παράγραμμα 148
Parabat ac meditabatur omnẽ ſui tribunatus conatum in meam perniciem 185
Para muſis noſtris, ut operas reddas 601
Parare ſeu comparare cũ collega 48
Paratus —— bene paratus ad ſecundam fortunam fuit, aduerſam ferre nullo modo poteſt 241
Paratus ab exercitu 355
Paratus —— ad omnia, quae prouidenda ſunt in rep. & animo & conſilio paratus 92
Paratus animo quiduis facere 420
Paratus & armatus optime contra fortunam 204
Paratus & equitatu, & peditatu, & pecunia 572
Parati ab omni re 419
Parce & molliter laedere quẽpiã 48
Parcere operae 525
Parcere ualetudini 471
Παρεμβεβλημένος uerſus 384
Parenti, aut patriae uim non eſſe afferendam 46
Parienda pax uictoria, non pactione 418
Parietinae 504
Parietinae reip. 152
Parthi 109
Parthos tranſiſſe Euphratem non dubie Ciceroni nunciatum eſt cũ eſſet in Cilicia procos. 563
Parthus eques 409
Pars ciuilis 472
Partem hanc uitae conſuetudiniſq. noſtrae totam ad te defero 46
Partiremur uictoriam cum paucioribus 419
Paßim —— ordinatim, oppon. 461
Patefacio huic aditum ad tuam cognitionem & munio 550
Patefacere ſe alicui —— liberto tuo totum me patefeci 349
Patefactae inſidiae 550
Pateo —— liberalitas tua latius in prouincia patuit 131
Pateo —— ſi cuius aures ad hanc diſputationem patent 130
Pateat uacuus aduenienti Caeſar —— Pompeius ualde uult agrũ Campanum uiritim diuidi, ne uacuus pateat aduenienti Caeſari. 355
Patuit meis temporibus res familiaris Capitonis 526
Patuit mihi tota eius domus 519
Pateret iter —— per quorum loca mihi fideliter pateret iter 433
Patere —— ut intelligant omnia Ciceronis patere Trebatio 249
Patiſcbus Curioni decem Pantheras miſit 352
Patrae 310
Patria amicitiae praeponenda 472
Patria carere ſapientis, non deſiderare duri 171
Patria —— nihil aut fero aut exigue a patria, ciui tributum poteſt uideri 421
Patriae caritas maxima 417
Patriam non eo minus diligere quis debet, quod deformior eſt, ſed miſereri potius 171
πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν 487
Patrimonium fratris erit per te conſtitutum 48
Patrimonium ſatis amplum relinquit Cicero filio, memoriam nominis ſui 106
Patro Epicureus 504
Paulla Valeria diuortium ſine cauſſa fecit 339
Paullo & Marcello cos. 527
Pauones —— plures iam pauones cõfeci, quam tu pullos columbinos 397
Paupertas orationis — illam partem excuſationis, qua te ſcribis, orationis paupertate, ijſdem uerbis epiſtolas ſaepius mittere, non agnoſco 155
Pax —— Cicero uel iniquiſſimam pacẽ iuſtiſſimo bello anteferebat 240
Pax non eſt in armis poſitis ſed in

abiecto

# Index


*abiecto armorum & ſeruitutis metu* 418
*Pace tua dixerim* 294
πχλτοῖ 485
*Peculiatus —— plane bene peculiatus* 445
*Pecunia expeditiſſima quae erat, tibi decreta eſt* 469
*Pedum doloribus affici* 259
*Pedetentim & gradatim acceſſus a te ad cauſſam facti* 388
*Pelopidarum nomen & facta* 313. 310
*Pendeo animi* 334
*Pendere aliunde —— laudem ſapientiae ſtatuo maximam non aliunde pendere, nec extrinſecus aut bene, aut male uiuendi ſuſpenſas habere rationes* 204
*Pendere aliquem ex eius uirtute —— nos te non ex fortuna, ſed ex uirtute tua pẽdimus, ſemperq. pendemus* 213
*Penes quem eſt poteſtas —— Caeſar* 167
*Penis hodie eſt in obſcenis* 404
*Penitus perſpexi tuam in me obſeruantiam* 536
πέψις 605
*Per anni tempus —— cum commode & per ualetudinem, & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantiſſimos tui ueni* 594
*Per iocum dicis me diuitias orationis habere* 155
*Per ſpeciem ſimultatis aliquem conſectari* 360
*Peracute querebare* 127
*Perbelle ſimulas* 605
*Percellere —— nulla meipſum priuatim periculis inſignis iniuria* 178
*Percipere aliquid auribus* 170
*Percipere tantos luctus ex aliquo, ex quo tantas uoluptates capiebamus* 552
*Percitus rei alicuius timore* 488
*Percrebuit fama de tua uoluntate* 422
*Perculſa & proſtrata foediſſimo bello iacent omnia* 155
*Perculſae copiae* 428
*Perculſi ſunt uehementer tuis litteris* 192
*Percuſſus repente atrociſſimis litteris* 409
*Perditus abiectuſq. latro* 426
*Perducere ad exitum* 246
*Perducere remp. ad certum tempus* 413
*Perducitur opera ad aſſum uitulinum* 398
*Peregrinantibus omnibus ualde gratum eſt minimarum quoque rerum, quae domi gerantur fieri certiores* 323
*Peregrinatio —— omnis peregrinatio, quod ego ab adoleſcentia iudicaui, obſcura & ſordida eſt ijs, quorum induſtria Romae poteſt illuſtris eſſe* 99
*Peregrinator —— non tam ſum peregrinator, quam ſolebam* 258
*Perfecta ſunt omnia de ſalute, ac reditu tuo* 252
*Perfectum de te* 252
*Pertulimus ſollicitudines* 262
*Perfer noſtri deſiderium* 286
*Perfer omnem adeundi & conueniendi alicuius indignitatem ac moleſtiam* 255
*Perfidioſum —— nihil in me perfidioſum, & inſidioſum, & fallax in amicitia, ſed ne humile quidẽ, & ieiunum debes agnoſcere* 136
*Perforaſti tibi Stabianum* 265
*Perfruamur uiui gloriola noſtra* 201
*Perfugium omnium bonorum, in Caſſio & Bruto poſitum* 480
*Perfunctum eſſe omnibus bonis* 160
*Perfuncti honoribus ampliſſimis & laboribus maximis* 41
*Perfuncti moleſtia —— nulla perfuncti propria moleſtia* 200
περὶ δυνάτων 376
*Periclitari* 428
*Periculum maximum ab uniuerſo naufragio* 613
*Periculis mouentur etiam fortiſſimi uiri* 45
*Peri. iſſimus exemplorum, & omnis uetuſtatis* 250
*Permanſi in mea erga te uoluntate* 186
*Permanebit reſp. in poſſeßione uictoriae* 431
*Permanere in incepto* 207
*Permanere in ſentẽtia —— Vtinam in ſententia permanſiſſem* 99
*Permanendum non eſſe in una ſententia conuerſis rebus, ac bonorum uoluntatibus mutatis* 47
*Permanſio in una ſententia praeſtantibus in rep. gubernãda uiris numquam laudata eſt* 47
*Permotus neſcio qua animi diuinatione* 145
*Permutare pecuniam —— ſe ait curaſſe, ut cum quaeſtu populi pecunia permutaretur* 110
*Permutatio —— dum pecunia accipitur, quae mihi ex publica permutatione debetur* 110
*Perrexi ad eius tabernaculum* 174
*Perſequar omnes uias, quibus putabo ad id, quod uolumus, peruenire poſſe* 179
*Perſequi aliquem bello* 426
*Perſequi extrema —— Et extrema ſapienter perſequi nolueris* 171
*Perſequi opus, quod reſtat* 435
*Perſequi poenas iudicio a ſeditioſo ciue* 46
*Perſecutus es ſcriptura —— ea quae perſecutus es ſcriptura* 591
*Perſeuerantia in contentione optimi cuiuſq.* 486
*Perſonam inducere —— mira perſona induci poteſt Britannici iuriſconſulti* 286
*Perſonare aures eius talibus ſcriptis non eſt inutile* 258
*Perſpicere ſententiam meam facile potuiſti* 106
*Perſuaſiſſimum mihi eſt* 459
*Perterriti metu* 174
*Pertinacia belli* 585
*Pertinet ad officiũ meũ, eos exiſtimare curae mihi ſuas res eſſe* 526
*Pertinere —— ad me intelligebat eius belli periculũ pertinere* 110
*Pertumultuoſe* 571
*Perturbatio animi* 289
*Perturbatio & confuſio rerum* 155
*Perturbatio orbis terrarum* 106
*Perturbatio temporũ perditorũ* 210
*Perturbatus priore pagina, paullum altera recreatus* 596
*Peruenirent in meam poteſtatẽ* 573
*Peruenire ad effectum conſiliorum ſuorum* 419
*Peruenire ad exitum —— cum ea quae conſulebantur, ad exitum non peruenirent* 432
*Peruenire ad nummos* 517
*Peruenire ad ſuum facillime & ſine controuerſia* 524
*Peruenire in alicuius ſcripta* 208
*Peruenire —— uellem meae quoq. auctoritatis praeceptum aliquod ad te peruenire* 418
*Peruerſitas hominum* 33
*Peruſtum inani gloria uolunt incendere* 517
*Peſtes hominum laude aliena dolentium* 194
*Peſtilentia abijt* 552
*Petaſati tabellarij ueniunt* 588
*Petiuimus Cyprum* 485
*Petere a litteris non medicinam perpetuam, ſed exiguam doloris obliuionem* 208
*Petere honores ordinatim* 160
*Phameae cena* 391
*Pharnaces Aſiae terrorẽ intulit* 85
φιλαίτιος 127
φιλόκαλοι, καὶ φιλοδικαίοι 589
*Philo* 504
*Philoctetes apud Attium* 318
φιλοδικαίοι 589


φιλοδ.ῶ.ος

# Index


φιλοθεῶρος 292
φιλόκαλοι 289
Philomelum 130
φιλοσοφούμενα 431
Philoſophia Epicurea deridēda 504
Philoſophia —— nec mihi carior ulla unquam res in uita fuit, nec hominum generi maius ad dijs munus ullum eſt datum 573
Philoſophiae magnam gratiam habeo, quae me non ſolum a ſollicitudine abducit, ſed etiam contra oēs fortunae impetus armat 494
Philoſophis qui Ciceroni ſoli uidētur uim uirtutis tenere, placet nihil eſſe ſapientis praeſtare niſi culpam 392
φλύαρος 588
Pietatis & grauiſſimum & ſanctiſſimum nomen 44
Pigerrimus ad litteras ſcribendas. 323
Pigmentarius 588
Pilius Attici neceſſarius 340
Pindeniſſum opidum Eleutherocilicum 573
Pinnigero, non armigero in corpore, tela exercere 318
Piraeus 160
Piſo frugi quaeritur adoleſcenteis peni eſſe deditos 404
Piſo gener mirifico fuit ſtudio & officio ad Ciceronem abſentem, & in Terentiam 555
Piſo ſceleris condemnas generum ſuum 562
Plaga leuior ab amico, quam a debitore 392
Plancius officioſus in Ciceronem, in eius exſulio 553
Plancus Burſa 384
Plancus Conſul deſignatus optima aetate ſumma eloquentia, maxima orbitate reip. uirorum talium, 415
Plancus Imperator cos. deſig. 413
Plancus magna promittit, & recipit Ciceroni 423
Plancus omnia obſequia Lepido pollicetur ſi modo remp. reſpicere uolet 423
Planci epiſtola de Lepidi leuitate. 431
Planci & Bruti concordia 436
Plato iubet tantum contendere in rep. quantum probare tuis ciuibus poſſis 46
Plato —— quales in rep. principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe ciues 46
Plato quāobrē nō attigerit remp. 47
Platonis uerecundia 404
Platonem auctorem uehementer ſequitur Cicero 46
Plebeius ſermo 400
Plenior epiſtola —— breui una epiſtola, altera plenior 461
Poenitet —— me meae fortunae ne nimis poeniteret, tua uirtute perfectum eſt 33
Poenitet —— ea perturbatio eſt omnium rerum, ut ſuae quemq. fortunae maxime poeniteat 229
Paenuria fortium ciuium —— copia oppon. 141
πολίτειαι —— ſcribere & legere πολίτειας 374
πολιτεύεσθαι non oportere dicunt Epicuri 287
πολιτικώτερον te neminem cognoui 92
Politiſſimus omni doctrina 505
Pollicem, ſi adhuc non eſt profectus, quam primum fac extrudas 558
Polliceri aliquid alicui de inſequenti officio 419
Polliceri & deferre alicui ſtudium, officium operam, laborem 241
πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων 380
Polybius ſcripſit bellum Numantinum ſeparatim 200
Polypus miniati Iouis ſimili 392
Pompa lictorum 106
Pompeius aborrebat a pace 272
Pompeius animatus melius, quam paratus bellū ciuile ſuſcepit 241
Pompeius aperte non uult Caeſarem prouinciam tenere, cum exercitu, & conſulem eſſe 352
Pompeius ſero Caeſarem coepit timere 599
Pompeius Ciceronem conſilio, auctoritate, armis deniq. texit ſuis 137
Pompeius ciuis egregius, & ad omnia quae prouidenda ſunt in rep. & animo & cōſilio paratus 292
Pompeius conſtituit non pati C. Caeſarem conſulem aliter fieri, niſi exercitum & prouincias tradiderit 363
Pompeius cum apud Ciceronem eſſet hilare & libenter cupijt audire eius ſcripta 599
Pompeius cum pro Milone diceret clamore conuicioq. iocatus eſt 28
Pompeius honeſte effugere nō poteſt, pulſu Italia amiſſis Hiſpanijs circumuallatus 383
Pompeium, Senatum quiq. res iudicant, ſecum habiturum: ad Caeſarem omnes, qui cum timore, aut mala ſpe uiuant acceſſuros 363
Pompeius in Sardiniam, & Africam profectus eſt, eoq. itinere Lucam ad Caeſarem uenit 45
Pompeius ineptus & nugax 366
Pompeius, Lētulus, Scipio, Afranius foede perierunt, at Cato praeclare. 396
Pompeius nec rerum geſtarum gloria, nec regum, aut nationū clientelis tutus eſt 385
Pompeius nullus imperator 272
Pompeius —— omnes uires ciuitatis ſe ad Pompeij ductum applicauerunt 141
Pompeius omnium ſaeculorum & gentium princeps 141
Pompeius quadā ex uictoria coepit ſuis militibus confidere 272
Pompeius re dubia, & ante uictoriā Caeſaris certorum hoīum minime prudentiū conſilio utebatur 170
Pompeius ſigna tirone & collectitio exercitu cum legionibus robuſtiſſimus contulit 272
Pompeius ſolet aliud ſentire & loqui: neque tamen tantum ualere ingenio, ut non appareat, quid cupiat 323
Pompeius ſumma facilitate, & humanitate tulit commentionem Ciceronis pro Milone 137
Pompeius uictus turpiſſime amiſſis etiam caſtris ſolus fugit 272
Pompeius ut laudaret P. Sextium introijt in urbem 45
C. Pompeij copias, et genus exercitus non probabat M. Marcellus ſemperq. ſumme diffidebat 167
Pompeij & Caeſaris amores & inuidioſa coniunctio non ad occultam recidit obtrectationem, ſed ad bellum erumpit 363
Pompeij ſecundus conſulatus exagitatur 357
Pompeij tarditas & taciturnitas 28
Pompeio ſatisfieri nullo modo poteſt a Cicerone 106
Pompeium unum ex omnibus, facio, ut debeo, plurimi 136
Pompeio uictore crudelis fuiſſet uictoria 170
Pompeiana caſtra —— in caſtris Pompeianis nihil boni praeter cauſſam 272
Pompeiana & Caeſariana cauſſa —— inter cauſſas amorū multū intereat, inter uictorias non multum erat interfuturum 238
Pompeiani crudeliter otioſis minabantur 378
Pompeiani cupiebant bellum, Caeſar non tam cupiebat, quam non timebat 378
Pompeiani erant Ciceroni & Varroni perirati 378
Pompeiani in bello rapaces, in oratione

tione crudeles 272
Pompeiani non pugnabant ijs rebus, quibus poterant ualere, cōſilio, auctoritate, cauſſa, quae erant in eis ſuperiora; ſed lacertis, & uiribus, quibus pares non erant 167
Pompeiani poſt pugnam Pharſalicam, aut inciderunt in inſidias, aut deuenerūt in uictoris manus; aut ad Iubam confugerunt, aut coeperunt tamquam exſulio locū, aut conſciuerunt ſibi mortem uoluntariam 272
Pompeiani praeſtabant ijs rebus, quae non prodeunt in aciem: uſu autem armorum & militum robore, inferiores erant 230
Pompeiani, qui extrema belli ciuilis perſecuti ſunt, alij in Africam ſe contulerunt, alij uictori ſeſe crediderunt 167
Pompeiani ſi rerum potiti eſſent, ualde intemperantes fuiſſent 378
Pompeianorum caſtrorū uitia 272
Pompeianorum maximum aes alienum 272
Pompeianus nemo eſt, qui dicere audeat malos ciues, aut homines improbos 241
Pompeianum 274
Pompilius 392
Pomponius Atticus omni doctrina politiſſimus 505
Pomponius Atticus —— Pomponium Atticum diligebat Cicero, ut alterum fratrem 505
Pomtinus Ciceronis legatus 103
Pomtinus Ciceronis legatus ab Appio tractatur praeſtanti ac ſingulari fide 136
Ponderari officia —— mea in te officia magis a te ipſo praedicari quā a me ponderari ſolent 86
Pondus —— da operam, ut intelligat, meas litteras maximum apud te pondus habituras 120
Pondus —— ſi quid apud uos auctoritas mea ponderis habet 568
Pondus —— ſcio quantum ponderis mea commendatio ſit habitura 498
Pondus —— tuae litterae maximi ſunt apud me ponderis 117
Pono in lucris 304
Ponis beneficium apud gratos homines 138
Poſuiſti loco uerſus Attianos 392
Poſuiſti ζήτημα philoſopho 410
Ponito me in gratiam 337
Ponere alicui accuſatorem 360
Ponere beneficium apud aliquem bene 524
Ponere maiorem fructum in perpetuitate laudis, quam in celeritate praeturae 436
Ponere multum induſtriae in ſcribendo 134
Ponere non in beneficij loco, ſed in ueri teſtimonij atque iudicij 573
Ponere preaclare apud aliquem beneficium 533
Ponere ſceleris loco miſericordiā 451
Ponere ſpem in re aliqua uel maximam 408
Ponere tempus aliquod in officio neceſſario 569
Ponere uitā in aliqua cura 408
Poſuiſſe inimicitias parum ſimpliciter & candide 336
Poſita ſunt in coniectura 28
Poſitis armis pacē petere debent 418
Poſiturus es bene ſtudium tuū apud illum, gratiſſimum hominem atq. optimum uirum 538
Populi eſt Ro. in eo potiſſimum abuti libertate, per quem eam conſecutus ſit 461
Portendebantur pericula 445
Portuoſa —— minime portuoſa nauigatio 261
Portus —— eſſe in portu 378
Poſſidentur eius bona publice alieno nomine 531
Poſt hominum memoriam 427
Poſtulo —— uincere dicendo non poſtulo 472
Poſtulauit eum de repetundis 340
Poſtulare aliquem lege aliqua 360
Poſtulare —— nihil abs te umquam, quod ſit alienum tuis, aut etiam ſuis moribus poſtulabit 537
Poſtulare propriam & praecipuam fortunam non debes 182
Poſtulante Pauſania, nobis patronis 340
Poſtulatio & nominis delatio 336
Poſtulatus de pecunijs repetundis a Seruilijs 341
Poſtumia Seruij Sulpicij uxor 150
Poteſtas data eſt augendae dignitatis tuae 425
Poteſtas eius, quem ueremur, ita late patet, ut orbem terrarum complexa ſit 167
Poteſtas —— quocumque tempore mihi poteſtas praeſentis tui fuerit tu eris omnium moderator conſiliorum meorum 47
Poteſtas —— in unius poteſtate erāt omnia 521
Potiri regni 33
Potiri rerum 72. & 363
Prae me fero me eſſe omnibus inimicis reip. accerrimum hoſtem 499
Prae nobis beatus 155
Prae eſerebas amorem tuum 77
Praebuit ſe in his malis hominē 588
Praebe te ducem, principem, auctorem bonis omnibus 418
Praebe te uirum 216
Praebuiſſem me tibi mirificum comitem 45
Praebere ſe deprecatorem pro alterius periculo 100
Praebere ſe dignum maioribus ſuis 116
Praebere ſpem tranſitionis 485
Praebere te mihi aequum debebis 77
Praecepta doctiſſimorum uirorum te non fugiunt 148
Praeceptor fortitudinis 205
Praecipere alijs & dare cōſiliū 160
Praecipere conſilio prudenti & debemus quod diuturnius allatura eſt 210
Praecipere —— ut tute mihi praecepiſti 41
Praecipuam fortunā poſtulare 229
Praecipue dolere non debes 236
Praecipue dolendum non eſt in eo, quod accidat uniuerſis 233
Praecipue —— unum illud te praecipue rogo 131
Praecipuae —— ut ne quid tibi praecipue timendum putes 181
Praecipuum metum habui 355
Praecipuo dolore angi in communibus miſerijs 252.408
Praeclare mecum actum putem, ſi in hac cura mihi uita ponēda ſit 406
Praeclare intelligo 511
Praeclare memini 167
Praecones ludorū gymnicorum 201
Praedes pecuniae publicae 110
Praedes Valerianos teneri 217
Praedicatorem te meorum meritorum paraui, & in culpa defenſorem 419
Praedictio noſtra debet habere fidem 240
Praeditus ſtudijs litterarum 528
Praefari honorem 404
Praeferre ſenſus aperte 419
Praeficere aliquem negotio 450
Praefectus moribus 390
Praeliorum incerti exitus 482
Praematura denuntiatio boni ciuis imparati, periculoſa 419
Praeparaui me ad dolendum 327
Praepoſuit prouinciae Coelium Cicero quaeſtorem ſuum 103
Praepoſitus negotio 509
Praepoſitus negotio publico 335
Praepoſteri tabellarij 588
Praepropera feſtinatio adipiſcendi magiſtratus 436
Praerogatiua triūphi ſuplicatio 577
Praeſagiebat haec mihi exiguitas copiarum receſſum, non dimicationem

nem tuam 355
Praeſcriptio—— illud S. C. quod eo die factum eſt, ea praeſcriptione eſt 185
Praeſens tecum egi 89
Praeſidium firmiſsimum contra metum maximi belli in prouincia aequitas & continentia 573
Praeſidium ſummum ſibi eſſe intelligat in Neronis patrocinio 542
Praeſidio ſūmo eſſe ſuis omnib. 137
Praeſtat tibi memoriam beneuolentiamq. quam debet 136
Praeſtabant Pompeiani ijs rebus, quae non prodeunt in aciem: uſu armorum & militum robore inferiores erant 230
Praeſtabo illud, ne quid amplius pro rogetur 355
Praeſtabo integellum, συμβιώτην noſtrum 384
Praeſtabo tibi ultima iucunda & honeſta 294
Praeſta mihi tuam conſuetudinem & liberalitatem in me abſente defendendo 196
Praeſta te eum qui mihi, a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis, es cognitus 31
Praeſtare fidem fratris mei 45
Praeſtare alijs officium ſuum 159
Praeſtare culpam —— nihil eſt ſapientis niſi praeſtare culpam 392
Pracſtare culpam debemus; nihil praeterea 230
Praeſtare —— communem incertumq. caſum neq. uitare quiſquā noſtrum, neq. praeſtare ullo pacto poteſt 213
Praeſtare fidem 33
Praeſtare fidem —— dare —— quamcumq. ei fidem dederis, praeſtabo 199
Praeſtare munus memoriae atque honorib. hominis amiciſſimi 473
Praeſtare —— nec praeſtari quicquam poteſt quale futurum ſit, quod poſitum eſt in alterius uoluntatē ne dicam libidine 392
Praeſtare nemo poteſt qua fide uiuāt ij, qui ipſum aſſidue colunt & obſeruant 392
Praeſtare officium 363
Praeſtare reip. exitu, quae pollicitus ſis 419
Praeſtare ſuum ſtudium & diligentiam 489
Praeſtare tibi nihil poſſum a ui 26
Praeſtare tibi plus debeo quam abs te exſpectare 585
Praeſtare uoluntatem——non praeſtiterunt eam uoluntatem, quam exſpectab.im 45
Praeſto futurus ſum rei famae, ſaluti tuae opera, & conſilio, ſtudio quidem certe 181
Praeſto ——legatus tuus mihi praeſto fuit 122
Praeſto mihi fuit Trallibus Lucilius cum litteris, mandatisq. tuis 124
Praeſto ſemper futurus ſum tibi, ſaluti tuae, litterisq. tuis 262
Praeter opinionem accidit 327
Praeter opinionē meam accidit 136
Praeter opinionē mihi acciderat 93
Praeter opinionem meam accidit ut 121
Praeter greſſus caſtra 127
Praeterit—— non te praeterit 458
Praeterit—— te nō praeterit quam ſit difficile ſenſum in rep. praeſertim rectum & confirmatum deponere 41
Praeterire——nō me praeterit, nos eam rem expertos eſſe &c. 543
Praeterire officium —— nullum in te officium ne minimum quidem ſine maxima culpa uideor poſſe praeterire 416
Praeterire ſilentio 194
Praeteriti doloris ſicura recordatio habet delectationem 200
Praetermitto —— euntem Patras neminem praetermitto 597
Praetermiſi neminem quem quidem ad te peruenturum putarem, cui litteras non dederim 77
Praetermittere tempus —— a me nullum tempus praetermittitur de tuis rebus & agendi & cogitandi 28
Praetextam poſuit de ſuo itinere Balbus 585
Praetor urbanus conſulare munus ſuſtinebat more maiorum 423
Praeuidere alicuius rei exitu 236
Praeuaricator cauſſae publicae 351
Premo—— ſi nos premet eadem fortuna 552
Premo——uideor ſperare debere et ea, quae premant, & ea, quae impendant, mē facile tranſiturū 373
Premebat me ſumma neceſſitas 246
Premebaris magnis oneribus ſuſceptarum rerum 200
Preſſum maximis oneribus municipium 511
Prendere aliquem 357
Primo quoque tempore 540
Principatus ſummorum ciuium 47
Princeps eius conſilij 585
Principes —— quales in rep. principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe ciues 46
Principijs conſentiant exitus 456
Priuas me fructu liberalitatis & diligentiae 299
Pro amore noſtro——te pro amore noſtro rogo atq. oro te colligas 216
Pro —— a te maximopere pro noſtra ſumma coniunctione peto & quaeſo 121
Pro certo habetur 331
Pro ciuili parte debeo uelle remp. eſſe ſaluam 472
Pro ea copia, qua Athenis erat, funus ei ſatis amplum faciendum curaui 174
Pro eo id habeamus 511
Pro eo quanti te facio, quicquid feceris approbabo 122
Pro illis rebus nullam mihi abs te relatam eſse gratiam tu es optimus teſtis 190
Pro malis temporum, non eſt quod hoc moleſte feras 233
Pro mea per te adiuui ut ita fieret 185
Pro mea parte, pro tua, pro ſua quique parte 585
Pro meo iure——quaſi pro meo iure ad te ſcriberem 536
Pro mutuo inter nos animo 183
Pro —— pro noſtra conſtantiſſima uoluntate erga te 122
Pro tribunali 130
Pro tuo ingenio haec conſidera 595
Pro uiribus copiarum tuarum 334
Probabimus fortaſſe tibi animum noſtrum 485
Probare——animus tuus mihi uehementer probatur 185
Probare bonis uiris quid ſentias 169
Probare ſe alicui bene merito memorem ſua in eum obſeruantia, diligentia, aſsiduitate 434
Procax in laceſſendo 289
Procedit——altera iam pagella procedit 469
Proceſsimus ſtadia centum 598
Procedat in dies longius diſcendo 490
Procedere alicui obuiam 127
Procedere—— quibus cum parum procedere ut ulla lege mihi ponerent accuſatorem &c. 257
Procedere —— ut omnia ut ſpero proſpere procedant, multum intereſt te uenire 482
Procurare negotia 530
Procurationem Aſiae nobis ut dent ſi petieris ſpero te poſſe impetrare 487
Procurationem rerum mearum maximeq. exiſtimationis meae ſuſceptam uelim habeas 583
Proditum memoriae & litteris 210
Prodire alicui obuiam 127
Producere copias in aciem 439

Producere —— ut me ad optimam ſpem patriae non minimum tibi ipſi producendum putes 485
Produci longius ſpatium uolo, non cupiditate prouinciae, ſed ut 487
Productus in concionem 478
Productus in concionem a tribun. pleb. 481
Praelia alicuius cauſſa ſuſtinere 385
Proferre in medium 569
Profectum —— & proficiſci —— omnia a me iuſta profecta ſunt, quae ad tuum commodum pertinerent 190
Profectus ab his initijs amor 526
Profecta —— intelligo omnia quae a me profecta ſunt in te, tibi accidiſſe gratiſſima 120
Profeci per Laterenſem internũcium 425
Proficere 210
Proficere aliquid litteris —— his ego litteris ſi quid profeciſſem, exiſtimabam me optãdum quiddam eſſe aſſecutum 211
Proficere —— cum habebas quod imitarere nõ multum proficiebas 408
Proficere —— Furnium noſtrum ad eum cum mandatis litterisq. miſi, ſiquid forte proficere poſſet 434
Proficere —— haec adhuc parum profecerunt 240
Proficere —— id feci, quid profecerim, facias me uelim certiorẽ 287
Proficere —— perpetuae ſalutis tuae tantum proficit, ut nihil ſit quod non ipſum Caeſarem, tributurum exiſtimem 254
Proficere —— quid proficiam, ex te ſcire cupio 281
Profici —— confidis auctoritate & eloquentia noſtra aliquid profici poſſe 477
Profici conſilio nihil poteſt 262
Profeſſio bonae uoluntatis in tanta ſollicitudine hominum, et tam perturbato ſtatu ciuitatis, fructuoſiſſima eſt 419
Profeſſio —— tu uero confice profeſſionem 610
Profligatum bellum, ac poene ſublatum 500
Profligatum —— cum ad eum diem ne profligatum quidem quidquã erat 352
Profligata res eſt magna ex parte, 486
Profundere uitam pro altero 26
Profundere ac perdere —— ſi non profundere ac ꝑdere uidebor, quae tua cauſſa feci, omnibus meis uiribus ſuſtinebo 190
Prognatus Venere —— Caeſar 366
Progredior longius 396
Prohibiti ſunt noſtri milites a Rhodijs urbe portu, ſtatione commeatu, aqua, &c. 488
Proijcitur hoc uento Appius 340
προλεγομένας diſce 397
πολύτροπος Vliſſes 425
Prolixe alicui promittere de aliena uoluntate —— uel de ſua 275
Promere —— animus tuus eruditus, qui ſemper aliquid ex ſe promat, quod alios delectet, te ipſum laudibus illuſtret 216
Prompta —— cetera, quae tibi a multis prompta eſſe certo ſcio, a me ſunt paratiſſima 179
Promptus animus & alacer ad defendendam remp. 141
Promptum aut paratum —— nihil tibi tam promptum aut paratum eſt, quam in omnibus rebus, quae ad te pertinebunt, opera, cura, diligentia, auctoritas mea 194
Promittere exploratius 230
Promittere —— ſi mihi alterutrum de euentu atq. exitu rerum promittendum eſſet 230
Promulgatio Catonis nefaria 282
Promulſis 392
Promulſis —— quem tu ſolitus es promulſide conficere 398
Pronunciata ſententia 392
Pronunciatũ eſt omnibus ordinibus, ſed & ſingulis in unoquoq. ordine ſententijs 327
Propagatio miſerrimi temporis 208
Propenſa & perpetua in aliquem beneuolentia 472
Propenſus eſt animus Caeſaris ad ſalutem tuam 178
Properaui Rhegio uentis, remiſq. in patriam omni feſtinatione 496
Propono mihi ante oculos tuum iucundiſſimum conſpectum 608
Propono mihi eorum exempla 164
Proponere ſibi ante oculos 160
Proponitur ad timorem 235
Proponuntur mihi abs te ad timorem 196
Proprium alicuius mancipio, & nexu 314
Proprium —— id cuiusq. eſt proprium, quo quisq. fruitur atque utitur 314
Propugnacula —— domus ut propugnacula, et praeſidium habeat, Philotimo dicetis 564
Propugnatio & defenſio noſtra dignitatis tuae 32
Propugnatio tua ſalutis meae 45
Prorogare —— nequid mihi temporis prorogetur 95
Prora & puppis 611
Prorogauit ſibi quattuoruiratũ 445
Prorogare —— enitere nequid nobis temporis prorogetur 136
Prorogare tempus —— ne tempus nobis prouinciae prorogetur 92
Prorogare —— uelim tibi curae ſit ne mihi tempus prorogetur 583
Prorogari —— oro te ne patiare mihi quidquam ad hanc prouincialem moleſtiam temporis prorogari 89
Proſcriptus fundus 409
Proſequor amore tuã profectionem
Proſequar te paludatum 510
Proſequi aliquem impudentia 542
Proſequi optimis omnibus rem aliquam 143
Proſequi paternam amicitiam multis officijs 256
Proſequi —— te de prouincia decedentem ſumma laus & ſumma gratia proſecuta eſt 583
Proſecuta eſt me domus tua ſummis officijs 581
πρόσω καὶ ὀπίσω 517
πρόσωπον πόλεος, amiſimus 587
Proſpexiſti diuina tua mente 487
Proſpexi tamquam ex aliqua ſpecula tempeſtatem futuram 152
Proſpice & conſule rationibus meis 121
Proſpicere futura animo 585
Proſternere atq. obterere obtrectationes & inuidias puſillorum ac maleuolorum 196
Proſtrata, & dirupta opida 160
Protrudere comitia in aliud tempus 436
Prouidere —— quantum conſilio prouidere potuero 416
Prouidentius eſt ad reliquas res 120
Prouiſum a te fuerit rationibus meis 121
Prouincia ornata 575
Prouincia —— proficiſci in prouinciam cum Imperio 121
Prouinciales amici ſolebãt olim, qui Romae erant ad prouinciales amicos ſcribere 583
Prouocatus a me —— ſua ſponte —— opp. 32
Proxime hos cari debent eſſe 485
Prudens & ſciens 240
Prudentia in capiendo conſilio 474
Prudentia litterarum tuarum ualde eſt mihi grata 141
Pſecade natus 366
Pſeudo Damaſippus 301
ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον 597
Ptolomais 33

Ptolo-

*Ptolomaeus* 33

*P. Curtius iuſſu Pompeij inſpectante exercitu interfectus, quod conſenſiſſet cum Hiſpanis quibuſdã eum comprehendere, ad Caeſaremque deducere* 258

*P. Dolabella quindecimuir factus.* 330

*P. Titius tribunus ſententiae Ciceronis interceſſit* 424

*P. Ventidius* 449

*P. Syllae mors* 384

*Pudor adhuc mihi clauſit eius conſuetudinem* 179

*Pudor in bello maxime eſt periculoſus* 433

*Pugna & enitere —— illud pugna & enitere* 136

*Pugna inter Antonium & Panſam* 439

*Pugnare conſilio, —— non enim ijs rebus pugnabamus, quibus ualere poteramus conſilio, auctoritate, cauſſa, quae erant in nobis ſuperiora; ſed lacertis &c.* 167

*Pugnandum non eſſe contra magnas opes* 47

*Pugnax in uitijs* 362

*Pulcher dies mihi uiſus eſt* 155

*Pulegium ſermonis* 610

*Pullariorum admonitis oblata Cornuto religio eſt* 423

*Punctum temporis* 238

*Pungit me quod ſcribis, te eſſe iſtic libenter* 292

*Pupugit me extrema pagella* 100

*Puppis —— conſcende nobiſcum & quidem ad puppim* 496

*Puſillus animus & ipſa maleuolentia ieiunus atque inanis* 110

*Puſillum laxamenti* 490

*Putidiuſculi ſumus, quam per te uix licet* 275

*Pyramus fluuius* 140

*Pyrrhi & Cineae libri* 409

Q

QVA eſt humanitate Caeſar, 383

*Qua prudentia es, nihil te fugiet ſi meas litteras diligenter legeris.* 461

*Quae mea negligentia eſt* 328

*Qua tua natura eſt* 550

*Quaerit caedis initium* 477

*Quaeſiuiſſe furtum ceſſationis uidearis* 613

*Quaerere cauſſam inimicitiarũ* 360

*Quaerere diſcordias —— Põpeius ait Curionẽ q̃rere diſcordias* 357

*Quaerere non ſolum officij fructum in aliqua re, ſed etiam pietatis laudem* 86

*Quaerere res nouas* 467

*Quaerere ſociũ ad excuſationẽ* 245

*Quaeſtor cum praetore magna neceſſitudine coniunctus* 524

*Quaeſtoris coniunctio cum praetore more maiorum, liberorum neceſſitudini ex proxima* 513

*Quaeſtorem ſine cuiuſquam reprehenſione legatis poteſt quis anteferre.* 116

*Quaeſtorum officium* 110

*Quaeſtura Sicilienſis Ciceronis* 531

*Quaeſtum facere —— quod mihi M. Fabium amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quaeſtum* 583

*Queror —— multa nos quaeſti ſumus* 122

*Querella temporum* 106

*Quis tu es? —— in obſcurum & ignobilem* 292

*Qui maxime —— tam ſum amicus reip. quam qui maxime* 185

*Quem ad finem?* 410

*Quid enim?* 404

*Quid enim? ad amicoſne confugiam?* 208

*Quid enim? tu ſolus aperta non uidebis, &c.* 206

*Quid ergo eſt?* 360. 390

*Quid multa?* 261

*Quid multa? beneuolentior tibi, quã fui, nihilo ſum factus, &c.* 143

*Quid multa? queſtus eſt grauiter* 451

*Quid quaeris?* 93. 272. 494

*Quid quaeris? biduo factus eſt mihi familiaris* 120

*Quid quaeris? me quoque delectat conſilium* 396

*Quietis temporibus* 381

*Quinquatrus moleſtae* 99

*Quinquatribus cauſſam tuam egi nõ inuita Minerua* 496

*Quinctus Caecilius Baſſus* 483

*Quinctus Fabius Appij legatus* 122

*Quinctus frater legatus Caeſaris* 47

*Quincto fratri uetus amicitia fuit cum Caeſare* 46

*Quinctus Hortenſius animam agebat* 362

*Q. Hortenſius gloriari ſolitus, quod numquam bello ciuili interfuiſſet* 106

*Q. Lepta praefectus fabrum Ciceronis* 127

*Q. Maximus conſul mortuus nuntiatus* 313

*Q. Maximus filium conſularem amiſit* 164

*Q. Metellus L. filius & ſumma uoluntate ceſſit, & egregia animi alacritate abſuit* 46

*Q. Seruilius* 136

*Quiritari* 445

*Quo ea pecunia perueniſſet* 340

*Quoquo me uerti amoris ueſtigia* 304

*Quoad eius fieri poſſit* 194

*Quoad fides tua patietur* 538

*Quod ad te attinebat, praecipuum metum habui* 355

*Quod reliquum eſt, a te peto, ut &c.* 538

*Quod res eſt —— uelim exiſtimes quod res eſt, municipij fortunas omnes in iſto uectigali conſiſtere.* 511

*Quod ſine moleſtia tua facere poſſis* 530

*Quod ſupereſt, &c.* 332

R

RABIOSVLAE *litterae* 292

*Rapaces in bello* 272

*Rapit me ad ſpem quandam immortalitatis, commemoratio poſteritatis* 200

*Rapere in contrariam partem pium alterius conſilium* 447

*Rapiebatur amentia Caeſar* 600

*Ratio ut haberetur abſentis Caeſaris, Cicero pugnauit* 240

*Ratio dierum —— ut tibi nota ſit omnis ratio dierum atque itinerum meorum* 124

Ratio *mea facilior, & ſolutior eſſe poſſet* 124

Ratio *tota ſenatus, iudiciorum, reip. commutata* 42

Rationes *confectae, & conſolidatae.* 219

Rationes *nondum confectae* 110

Ratus *—— Syllanas uenditiones, uult eſſe ratas Caeſar, quo firmiores exiſtimentur ſuae* 512

Raucus *rumor* 334

Reapſe 390

Receſſum*, non dimicationem mihi tuam praeſagiebat haec exiguitas copiarum* 355

Recipio *in me* 514

Recipio *uobis, celeriter me negotium ex ſententia confecturum* 427

Recipe *te ad nos* 286

Recipere *aliquem hoſpitio* 391

Recipere *alicui fruſtra de altero, aut temere de ſe* 421

Recipere *aliquem in fidem, & amicitiam ſuam* 518

Recipere *—— excludere opp.* 191

Recipere *—— pro Caſſio & te ſi quid uelitis nos recipere, recipiã* 453

Recipere *quaedam ſua affirmatione* 419

Recipere —— quid ſibi is de me recepiſſet, in memoriā redegit 45
Recipere —— ſi modo tecti ſatis eſt ad comitatum noſtrum recipiendum 259
Receptum 423
Reciperare ius ſuum 477
Recognoui mirificum tuum erga me amorem 484
Reconciliare aliquem offenſum, aut mitigare 48
Reconciliata gratia —— non intelligo cur reconciliatam gratiam dicas, quae numquam immutata eſt 185
Reconciliata nobis uidebatur uoluntas ſenatus 20
Reconciliata uoluntate noſtra 426
Reconditae litterae in Caluo 590
Reconditum 466
Recreati fuerunt boni iuri Lentuli conſulatu 46
Recreati ſunt meis inſtitutis 573
Recrudeſcit uulnus 164
Recta ſtudia, bonae artes 210
Rectam nauim tenere 496
Recte committere —— ſi quem, cui recte committam inuenero, curabo libros ad te perferendos 48
Recte dari litteras 32
Recte eſſe —— ſi recte iſtic erit 430
Recte fieri 472
Rectiſſime ſunt apud te omnia 393
Rectum & honeſtum —— ſin hi ſumus, qui profecto eſſe debemus, ut nihil arbitremur expedire, niſi quod rectum, honeſtumq. ſit: non poteſt eſſe dubium, quid faciēdum nobis ſit 150
Recuſaui negotium —— non recuſaui 568
Recuſare communem fortunam 229
Reddidi officium ueteri noſtrae neceſſitudini iamdiu debitum 194
Reddemus uos ab hac parte ſecuros 434
Reddere ſocios ex alieniſſimis amiciſſimos: ex infideliſſimis firmiſſimos 573
Redemiſſem libentiſſime acerbitatem illam a rep. meis priuatis incommodis 106
Redimere praeteritam culpam 419
Redeatne quiſquam in gratiam bona fide, an omnino nemo redeat 131
Redire ad ſanitatem 482
Rediſſe cum libris in gratiam 373
Redigere in memoriam 45
Redigerentur in ueſtram poteſtatem uectigalia 488
Reductio regis Alexandrini 32
Redundas omnibus ornamentis, uel praeſidijs 136
Retuli ad generum tuum Lentulum quem in locum me uenire uoluiſſes 131
Retulit eum Caeſar in Nouocomenſes 530
Referre abſolutum in tabulas 341
Referre acceptum 577
Referre ad aliquem 477
Referre ad —— mandaram meis ut, cum tam longe abfuturus eſſem ad me ne referrent 143
Referre gratiam pro aliquibus rebus 189
Referre me gratiam ut putes tum cum memoria tenebo 422
Referre omnia ad dignitatem 494
Referre omnia ad ſuam utilitatem aſtuti eſt 136
Referre pedem 440
Referre ſe ad ſtudia litterarum 41
Referre ſe ad bonas artes 152
Referre ſua locupletiora —— nam mea, ſi fio aedilis non locupletiora referam 328
Referebantur ad me certorum hominum ſermones 45
Refigere aera 476
Refricare litteris deſiderium ac dolorem alterius 213
Refrixiſſet haſta —— Caeſarem putabant moleſte laturum, uerentem ne haſta refrixiſſet 588
Refrigerato iam leuiſſimo ſermone hominum prouincialium 130
Refugere —— non habet quo refugiat 487
Refutare alterius cupiditatem non potes ſine ſuſpicione tuae cupiditatis 48
Regeram tibi pro Catio tot ruſticos Stoicos, ut Catium Athenis natum dicas 589
Regnas in centurijs equitum 464
Regna quemadmodum tulerint ſapientiſſimi uiri, uel Athenis, uel Syracuſis 392
Reijcio —— omnino res tota in menſem Ianuarium reiecta erat 191
Reijcere aliquos Romam 524
Reijcere controuerſiam in aliam διάγνωσιν 537
Reiecta cauſſa eſt in Kalend. 352
Reiecta res in Galliam eſt 517
Relaxare ſe occupationibus 266
Relaxatio animi 307
Religioſe, & ſine ambitione aliquem commendare 519
Relinquere dubitationem —— nullam reliquiſti dubitationem quantum me amares 591
Relinquere hominem innocentem ad alicuius quaeſtum 542
Relinquere locum —— ſed plane nec precibus noſtris, nec monitionibus reliquit locum 7
Relinquere ſibi aliquam nullam partē dignitatis —— nullam ſibi in poſterum non modo dignitatis, ſed ne libertatis quidem, partem reliquit 45
Reliquiae nos exercent 479
Reliquiae priſtinae dignitatis 249
Reliquum facere —— nullum officij onus reliquum feciſſe 145
Reliqua ſuperioris luſtri 100
Remitto tibi & condono eā animaduerſionem, qua in eum uſurus eram 197
Remittere aliquid populo 110
Remittere nihil debetis de diligentia 462
Remittere nuntium 561
Remittere —— ſine praemijs ueſtris, nihil ſum de meo ſtudio, perſeuerantiaq. remiſſurus 421
Remiſſio animi ac diſſolutio in acerbiſſima iniuria 185
Remiſſio animorum 408
Remiſſius, & placatius ferre 254
Remotus longe ab omni ſuſpicione futuri ciuilis tumultus 447
Remoto ioco 286
Remotiſſimus ab omni cupiditate 514
Remunerari alterum aliquo genere 134
Remunerari alterum ut poßem te remunerari quam ſimillimo munere 381
Remunerari nihil mihi ad te remunerandum ſuppetit praeter uoluntatem 583
Renouatum bellum gerimus 481
Renouatum bellum gerere conamur 500
Repetere altius rationem cōſiliorum ſuorum 45
Repetere initia amicitiae a parentibus ſuis 255
Repetere memoria praeterita 471
Repono —— ne tibi ego idem reponam 47
Repraeſentare diem 602
Repraeſentare ratione temporis medicinam 210
Repreſentatio 611
Repreſſit eos ſermones, qui de eo fuerant 283
Repulſi eſſe uideamur 28
Repungere leuiter animos aliorum 47
Reputare —— non reputans quid Pompeius uellet, in omnibus meis ſententijs, de rep. priſtinis, permanebam 45

Requiem quaerit animus tuus eis magnis occupationibus 206
Res haec eſt 512
Res ſumma 545
Rebus omnibus relictis 486
Rebus tam ſubitis, tamq. anguſtis 427
Reſcribam tibi ad omnia, quae quaeris 44
Reſeruare alicui integram cauſam 509
Reſidet ĩ te aliquid amoris——ſi qd reſidet in te amoris erga me 199
Reſidet ſpes in uirtute tua 478
Reſederant Marcelli impetus 327
Reſidere —— apud me plus officij reſidere facillime patior 193
Reſpicere —— quod me mones, ut reſpiciam generum meum, &c. 106
Reſpirabit ciuitas, armis aut condicione poſitis, aut defatigatione abiectis, aut uictoria detractis 233
Reſpondeo —— uni epiſtolae reſpondi, uenio ad alteram 110
Reſpondit fortuna meis optatis 77
Reſpondebo ordine tuis litteris 109
Reſpondebo tuo in me amori, utinam ceteris rebus, amore certe 591
Reſpondere breuiter tuis litteris 130
Reſpondere mihi tantis officijs poſſe non uideor 422
Reſpondere mutuo alterius ſtudijs, et officijs 185
Reſpondere mutuo alterius officijs 193
Reſp. —— nihil eſt ex omnibus reb. humanis praeclarius, aut praeſtantius, quam de rep. bene mereri 77
Reſtrictior ad largiendum ex alieno 131
Retexere ſeipſum 472
Retexunt ſuperiora noui timores 462
Retinere in cauſſa —— nos, quos fauendo in communi cauſſa retinere potuerunt, inuidendo abalienauerunt 33
Retinere ſuam amplitudiuem 26
Retinere —— uirum excellentẽ, non nihil ſuſpicantẽ propter aliquorũ opinionem ſuae cupiditatis, te ab ſe abalienatum, illa epiſtola retinuiſti 32
Retinetur erectum ſtudium lectoris Themiſtocli fuga & reditu 200
Retudit eo facto ſermones 336
Retũdi eorum improbitatem, & non pati impunitate augeri, reip. utile eſt 487
Reuelli iuſſit tabulam, in qua nomina ciuitate donatorum inciſa eſſent, Caeſar 531
Reuiuiſcet ſimul cum rep. & recreabitur tua cauſſa 250
Reuocare aliquem iam languentem & defeſſum ad priſtinam conſuetudinem 438
Reuocare aliquem in conſuetudinem priſtinam 373
Rex Antiochus Commagenus 568
Regium Lepidi 480
Rhodij —— de Rhodijs queritur apud Ciceronem Lentulus 486
Ridere cum aliquo familiariter, et docte quae ſunt 492
Ridere γέλωτα σαρδόνιον 306
Riſus facit 352
Robur atque nerui —— quantum in cuiuſque animo roboris eſt, atq. neruorum 229
Rogo atque oro 89
Romano more locutus 292
Rudentum ſibilus 327
Rumor raucus factus 374
Rumores conſtantes illi quidem, ſed adhuc ſine auctore 482
Rumores non belli de Caeſare, ſed ſurratores dumtaxat 323
Rumores triſtiores: ſed ἀδέσποτος 588
Ruta —— ad Leptae rutam pulegio mihi tui ſermonis utendũ eſt 609

S

SABINORVM natio 591
Sacerdotij ampliſsimi collegium, in quo non modo amicitiam uiolari, apud maiores noſtros, ſed ne cooptari quidem ſacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio eſſet inimicus 137
Sacramento contendere 316
Sagax —— minus ſagax ad perſpiciunda pericula 432
Salis ſatis eſt: ſannionum parum 392
Sales Attici, Romani 390
Salacco nequiſſimus, al. helico 605
Saltus Caſtulonenſes 443
Salubre & honeſtum aliquod negocium 491
Saluis auſpicijs, ſaluis legibus 20
Saluis legibus 219
Saluis rebus 147
Saluta Tironem noſtris uerbis 312
Salutationi amicorum ſe dare 310
Salutem multã dicere alicui rei 319
Samarobrinae 286
Sanare uulnus iniuriae 573
Sanctior neceſſitudo 519
Sannionum parum 392
Sapere uſquequaque oportet. id erit telum acerrimum 292
Sapiens, qui ſibi prodeſſe nequit, ne quicquam ſapit 278
Sapientes turpitudine, non caſu, & delicto ſuo, non aliorum iniuria, commouentur 392
Sapientiſſimi uiri quemadmodum regna tulerint 213. 392
Sapienter ferre quae accidunt, debemus 179
Sarciam longi temporis uſuram, qua caruimus, crebritate, & magnitudine officiorum meorum 120
Sardi uenales 304
Sartum & tectum, ut aiunt, ab omniq. incommodo, detrimento, moleſtia; ſincerum, integrumq. conſerua Man. Curium 532
Sarta tecta aedium ſacrarum 515
Satisdari fide ſua —— cura ut ſatisdetur fide mea 525
Satisdatio, amplius eo nomine non peti 525
Satisfacio omnibus officio, ac potius pietate, erga te 7
Satisfeci uitae uel aetate, uel factis, uel gloria 413
Satisfacere immortalitati laudũ tuarum, mirabiliter cupit 519
Satisfactionẽ alterius accipere 289
Satisfactum officio, familiaritati, partibus 383
Satisfit mihi cumulate abs te 529
Scalarum gradus 245
Schola Stoica 404
Σκιαμαχίαι 462
Scientia medicinae 160
Scientia ciuilium commutationum 200
Scintilla belli —— neque ſcintilla te terrimi belli relinquatur 425
Scipio foede perijt 396
Scribere de ſeipſo 201
Scribendo aſſuiſti 578
Scribendo aſſuerunt 341
Scriptura —— operas in ſcriptura dat pro magiſtro 543
Scripturae genus, nõ modo liberum, ſed incitatum, atque elatum 245
Scripturae ſocij 543
Scrutari tabellarios & retinere 443
Scurra ueles 398
Secundum haeredem me inſtituit 541
Secunda fere uigilia 127
Secunda uoluntate hominum 589
Secundam fortunam pulcherrime ferre 160
Secus —— ſecus exiſtimare de aliquo 126
Secus —— de tuo in me animo iniquis ſecus exiſtimandi uideri non nihil loci dediſſe 126
Sedebamus in puppi, clauumq. tenebamus 390

*Seducere aliquem ſeuere* 47
*Sedulitas* 426
*Sedulitas nimium arguta* 323
*Sedulitate mihimet ipſe ſatisfacere poſſum, re non poſſum &c.* 42
*Seiunge te ab impiorũ ciuium tui diſſimillimorum ſocietate* 418
*Sella tibi erit in ludo, tamquam hypodidaſcalo, proxima* 397
*Seleucia* 363
*Semiſomni* 265
*Semiſſes uſurae* 191
*Sempronianum S. C.* 500
*Senatores omnes Caeſari gratias egerunt ob ſalutem Marcelli impetratam, praeter Volcarium* 155
*Senatus conſulibus, praetoribus, negocium dedit, ut curarent nequid reſp. detrimenti caperet* 599
*Senatus eſt conuocatus, frequensq. conuenit* 423
*Senatus frequens* 494
*Senatus eum frequens reliquit, & in alia omnia diſceſſit* 424
*Senatus non poteſt haberi ante Kal. Febr. per legem* Pupiam, *&c.* 26
*S. S. in ſententiam Cicer. factum* 45
*Senatus conſultorum formulae* 341
*Seneſcens morbus* 307
*Senum deſperationes* 107
*Senſus bonorum* 46
*Senſus —— non eſt ignotus mihi ſenſus tuus* 416
*Senſus oculorum* 172
*Senſus rectus in rep. —— difficile eſt ſenſum in rep. praeſertim rectum deponere* 41
*Senſu omni caret qui non eſt* 235
*Senſu uno oculorum ſolum moueri* 170
*Sententia prima Bibuli pronunciata* 20
*Sentire bene de rep.* 428
*Sentire —— conſulares male ſentientes* 438
*Sentire quae rectiſſima ſunt* 392
*Sepſi* Pindeniſſum *ſex caſtellis, caſtrisq. maximis* 573
*Septus philoſophiae praeſidijs* 610
*Sequi neceſſitudinem* 363
*Sequi officium iuſtum, pium, debitum reip.* 229
*Sequi officium, non ſpem* 377
*Sequi —— quod conſilium in diſceſſu, quae loca ſequamur* 150
*Sequi ſpem praedae & rapinarum* 484
*Sermo litterarum tuarum mihi iucundus eſt* 317
*Sermo familiaris in conuiuijs dulciſſimus eſt* 408
*Sermo uerbis tectus re impudentior* 420
*Sermones minus commodi* 109
*Sero ſapiunt* 492
*Seruare —— cum populus ſuum ſeruaret* 219
*Seruare omnia amicitiae officia—— omnibus officijs amicitiae ſancte, diligenterq. ſeruatis* 212
*Seruare omnia integra* 431
*Seruilius gratia effecit, ut ſententia ſua prima pronunciaretur* 424
*Seruire temporibus* 415
*Seruius Ciceronem cõſolatur de Tulliae obitu* 159
*Seruius collectis omnibus bellis ciuilibus accuratiſſime monuit ſenatum, ut illa timerent, quae meminiſſent, et ſcirent quaecunq. poſtea remp. oppreſſiſſet armis, multo intolerabiliorem futurum* 152
*Seruius* Paeti *frater literatiſſimus, tritas aures habebat, notandis generibus poetarum* 392
*Seruius Sulpitius, & in conſulatu ſuo & poſt conſulatum, defenſor pacis fuerat* 147
*Seruius Sulpicius mortuus* 436
*Seruij Sulpicij morte magnum praeſidium amiſſum* 480
*Seruij ſententia in bello ciuili cauendo & praedicendo* 152
*Sexſtans —— ex ſexſtante ſunt ij quorum pars ſine iuſta querella publica poteſt eſſe* 527
*Sextiana dicta* 316
*Sextus Aelius* 300
*Sextus* Pompeius 453
*Sibillae placere regem Alexandrium ſine multitudine reduci* 33
*Sic habeto* 143
*Sida maritima pars prouinciae Ciliciae* 124
*Signare argentum* 526
*Significaſſe uultu & taciturnitate* 130
*Signum magnũ amoris dediſti* 467
*Signa meliora, quam quae in tuſculano* 286
*Silua Gallinaria* 407
*Simile a fluctu qui ſaxo frãgitur* 392
*Simile a malis medicis* 160
*Simile a morbo corporis* 471
*Simile ab Apelle, qui Venerem inchoauit* 46
*Simile ab ijs qui intempeſtiue ad nos adeunt* 464
*Simile ductum a nauigatione, & tempeſtate* 47
*Simile ductum a gradibus ſcalarum* 245
*Simile ductum ab auro, quod igne perſpicitur* 392
*Simiolus* 270
*Simius, non ſemiſſis homo* 197
*Simulacra corporis, etiam ſi nulla ſint, nihilo ſunt tamen obſcuriores clari uiri* 200
*Simultates Ciceroni cum Appio fuerunt* 336
*Simultates cum eo ſi tibi non fuiſſet* 336
*Sincerum ac ſubtile iudicium* 578
*Sincerum integrumq. ab omni incommodo aliquem conſeruare* 536
*Sine ulla dubitatione* 28
*Siniſterius cornu* 440
*Siſtere ſe incolumen —— ſi te nobis incolumen ſtiteris, omnia a te habebo* 598
*Sita eſt laus tua excelſo & illuſtri loco* 84
*Societas paene aegritudinis* 164
*Socium me habebis tuarum actionũ, ſententiarum, uoluntatum* 47
*Socij ſcripturae* 543
*Socratem nobiliſſimus fidicen docuit Connus* 404
*Solatium animi* 160
*Solatio uti —— in maximo meo dolore hoc ſolatior utor* 470
*Sollicitat me tua ualetudo* 607
*Sollicitudines, quas pertulimus, &c.* 262
*Sollicitus eram de rebus urbanis* 99
*Solliciti eramus de tua ualetudine mirum in modum* 594
*Sollicitior* 428
*Solum —— loquor aliquod quod in ſolum (ut dicitur)* 410
*Soluere beneficia* 360
*Soluere ergaſtula* 459
*Soluendo ciuitates non erant* 130
*Soluta fides —— ſuam fidem ſolutam eſſe* 431
*Solutiſſima —— ſi eſſent omnia mihi ſolutiſſima* 47
Σοφὸς ἐνθυῤῥήμων ἔση 404
*Sordidi homines, qui Caeſaris beneficia uendebant* 531
*Sors —— eo iucundiorem mihi ſortem ſperabam fere, quo diutius in prouincia mecum fuiſſes* 116
*Sortiri prouinciam* 48
*Species gloriae collecta ex inaniſſimis ſplendoris inſignibus* 424
*Species quaſi reuiuiſcentis reip.* 155
*Spectare ad arma rem intellexi* 557
*Spectare ad —— omnia utriuſque conſilia ad concordiam ſpectauerunt* 150
*Spectare gladiatores* 607
*Spectare —— haec eo ſpectant, ut te horter, & tibi ſuadeam* 509
*Spectare —— quo ſpectent tam longe repetita principia* 526
*Spectra Catiana* 586
*Specula —— hac tamen in communibus*

nibus miſerijs oblectabar ſpecula Dolabellam, &c. 106
Specula —— multo antea, tãquam ex aliqua ſpecula proſpexi tempeſtatem futuram 152
Sperare —— optare —— nihil mihi in mentem uenire poteſt, non modo quod ſperem, ſed uix iam quod audeam optare 148
Spes firmiſſima 238
Spes minime dubia, & plane explorata triumphi 134
Spes reliqua noſtra Cicero 556
Spes ſalutis pertenuis oſtẽditur 555
Spißius —— ſim id erit, ut ſcribis, ſpiſſius, &c. 95
Splendor & ſpecies uitae ſollicitudo, & labor 46
Spoliatus & domeſticis, & forenſibus ornamẽtis atque ſolatijs 208
Sponſio, Si bonorum Turpiliae poſſeſſionem Q. Caepio praetor ex dicto ſuo mihi dedit 299
Sponſor humanitatis tuae —— caſus mirificus 275
Sponte —— homo ſua ſponte laudatus non aliorum teſtimonio 130
Sportellae, & artalogani tui 398
Σπȣδάζειν ſine periculo uix poſſumus 588
Spurina 408
Stare pulcherrime —— cum in ſenatu pulcherrime ſtaremus 26
Stare ſuis conditionibus 600
Stator 109
Statores, & lictores 117
Status hic reip. me non delectat 33
Status reip. 97
Status rerum communium 41
Statutum habere —— ſi habes iam ſtatutum quid agendũ putes 150
Stilus dicendi opifex 306
Stimulabat me uetus noſtra ſimultas, ut cauerem ne cui ſuſpicionem, ficte reconciliatae gratiae darem 143
Stipendium Caeſari decretum 33
Stoici agunt uerbis apertiſſimis 404
Stoici ruſtici 589
Stoicorum ſententia, diuites ſunt omnes, qui caelo & terra frui poſſunt 293
Stoicis placet ſuo quamque nomine rem appellare 404
Stomachari 436
Stomachum alicui facere 45
Stomacho languenti eſſe 362
Stomachi faſtidium 106
Stomachoſiores litterae 141
Strangulauit patrem 404
Strangulare 366
Struere ruinae periculum, non adſcenſum parare 245
Studioſus —— mire ſtudioſus & eruditus, & modeſtus 641
Studioſus ſtudiorum meorum 100
Studium bonorum conciliatum ex tribunatu 86
Studia bonarum artium, uacationem habent etiã publici muneris 378
Studia & artes, quae per ſe ipſae eos, qui eadem uoluntate ſunt, etiam familiaritate deuinciunt 526
Studia mihi eorum placent, conſilium totum mihi uidetur minime neceſſarium 130
Studia, quibus antea delectabamur, nunc uero etiam uiuimus 525
Studiorum parium coniunctio 240
Studiorum uinculum 526
Stultorum plena ſunt omnia 404
Sub —— ſub eas litteras ſtatim recitatae ſunt tuae litterae 427
Sub manu 433
Sub ſignis —— legiones quinque ſub ſignis habet Plancus 419
Subdere aliquem in alterius locum —— tantum te rogo, ut in Hirtij locum me ſubdas, & ad tuum amorem, & meam obſeruantiam 431
Subdubitare 100
Subductis rationibus 45
Subimpudens 294
Subinuideo tibi 283
Sub iraſcebar breuitati tuarum litterarum 469
Subiratus —— reſcripſi tibi ſubiratos 134
Subire alicuius pericula, & tempeſtates 573
Subire caſum 433
Subire offenſionem —— denique illud cogita, te, quod offenſae fuerit in iſta cunctatione prius ſubiſſe 368
Subire potẽtiam togati potius, quam uictoriam armati 230
Subire uultum alicuius 360
Subitum eſt ei demigrare Kalendis Quinctilis, propter opera inſtituta multa multorum 507
Submittere animum periculo 454
Subornare aliquem —— ut uigilanter, neruoſeq. nos ſubornes. 433
Subſecutus eſt mirifice, ſuo ſermone humanitatem tuarum litterarum 120
Subſellia —— uerſatus in utrisque ſubſellijs optima & fide, & fama, &c. 513
Subſidium ſibi parare ad omnes uitae ſtatus 378
Subterfugerunt Sullani tẽporis acerbitatẽ, deorum benignitate 508
Subterfugere periculum 568
Succedere —— prouinciam tradere, oppon. 122
Succlamatum eſt 461
Succurrebat mihi illud 608
Succurret fortaſſe alicui ueſtrum, cur &c. 452
Succurrere incendio 448
Sudare —— uides ſudare me 143
Sudum —— horologium, & libros mittam ſi erit ſudum 605
Suffectus ſum in eius locum 197
Suffragere noſtrae laudi uelim 481
Suffragere uelim huic libro, maxime quidem ex animo; ſin minus, gratiae cauſſa 491
Suffragare alicuius dignitati 419
Suffragante fortuna uideris res maximas conſecutus 417
Suffragatio gratioſa 86
Suffragium ferre 471
Suffuſus —— animus nulla in ceteros maleuolentia ſuffuſus 47
Sui —— ſcripſerunt ad eum ſui 378
Summa eadem eſt, & idem exitus 235
Summa eſt haec ſententiae meae, ut te omnia metiri dignitate malim 436
Summa huius epiſtolae haec eſt 543
Summa reſp. 462
Summa res 408
Summam rem deducere in diſcrimen 434
Summam feci cogitationem mearum omnium 45
Summo genere natus 282
Summo loco nati prompti, non indiſerti 116
Summa pectoris 46
Summittere exercitus 431
Sumo —— non mihi ſumo, ut plus ipſe proſpiciam, quam te uidere mihi ipſe perſuaſerim 238
Sumpſi mihi partes Philonis 381
Sumito tibi tantum pro Capitone apud Caeſarem, quantum ipſe meminiſſe ſenties 527
Sumere arma explorata uictoria 241
Sumptui ne parcas ulla in re, qua ad ualetudinem opus ſit, rogo 596
Supereſſet te filio omnium fortunã, ſi ei contigiſſet, ut te uideret, antequam e uita decederet 81
Superbus iuriſconſultus qui non conſulitur per iocum 292
Superbus —— partem te ſuperbum eſſe dicunt, quod nihil reſpondeas: partim contumelioſum, quid male reſpondeas 73

Supereſſe —— deeſſe opp. 542
Supereſſe reip. —— neque deeſſe neque ſupereſſe reip. uolo 448
Superior honoris gradu 116
Superior locus —— ex ſuperiore loco —— ex aequo loco —— opp. 130
Superſede hoc labore itineris 150
Superſederi potuit 441
Superſtitem reip. uiuere 395
Suppedit —— flagitium eſt 404
Suppeto —— nihil mihi ad remunerandum ſuppetit praeter uoluntatem 583
Supplementum meis & Bibuli legionibus ſcriberetur 122
Supplicatio —— praerogatiua triumphi 577
Supplicatio ſibi ut decernatur petit Cicero 134
Supplicationis honos Ciceroni decretus a ſenatu 578
Supplicationem non ſemper ſequitur triumphus 577
Supplicatione tibi libenter decreui 549
Supportare —— niſi quid nauibus Laodicenorum ſupportarit, fame pereat neceſſe eſt 485
Surrexit illico magna fama 341
Sus Mineruam 397
Suſcepi mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis 194
Suſcepi totum negotium 464
Suſcepiſti grauem curam, uehementerq. de nobis ſollicitus es 484
Suſcipe paulliſper meas partes 143
Suſcipere alicuius inimicitias 136
Suſcipere graues inimicitias 116
Suſcipere nauſeae moleſtiam —— feſtinare te nolo ne nauſeae moleſtiam ſuſcipias 599
Suſcipere officia atque partes deprecatoris, rogando, propinqui, laborando, &c. 136
Suſcipere totum negotium 409
Suſcitare bellum ciuile 454
Suſpēſam tenuiſſe diutius hominum exſpectationem & ſpem reip. de ſua uoluntate 419
Suſpenſi nouarum rerum exſpectatione 568
Suſpenſi animi nouarum rerum exſpectatione 573
Suſpenſo animo te expecto 596
Suſpenſa erunt omnia propter expectationem legatorum 458
Suſpicioſiſſimum tempus Caninianum 30
Suſpicor —— ualde ſuſpicor fore 31
Suſtento illius tenuitatem ex meis anguſtijs 607
Suſtenta iſtam imbecillitatem ualetudinis 266
Suſtenta te mea Terentia 556
Suſtentare —— perditis rebus omnibus ipſa uirtus ipſa ſe ſuſtentare poteſt 230
Suſtentare ſe conſcientia optimorum conſiliorum 229
Suſtentare ſe firmitudine animi, & ſpe optima 241
Suſtentare ſe optimarum artiū ſcientia & maximarū rerū gloria 272
Suſtentare ſe ſua uirtute 236
Suſtineo maximam curam, & ſollicitudinem 416
Suſtinebant ſe ſatis arroganter Allobroges 462
Suſtinui me 245
Suſtinebis abſens facilius hominum ſermones 583
Suſtinere in ſe innumerabilia alterius officia 86
Suſtinere bellum —— nos interea duriore condicione bellum ſuſtinemus 434
Suſtinere beneficia ſua in alterum omnibus uiribus 190
Suſtinere culpam 585
Suſtinere dies —— uelim quaeras quos illa dies ſuſtinuerit, in urbe dum fuit, quam acerbos ſibi, &c. 107
Suſtinere eos non poterat 461
Suſtinere & tueri exſpectationem ſui concitatam 77
Suſtinere maiora onera poſſimus 97
Suſtinere omnia integra 434
Suſtinere —— ſcis quid ſuſtinere poßis 583
Suſtinere ſe 371
Suſtinere ſe non putat poſſe cauſſas multorum, ſi tibi conceſſerit 240
Suſtinere ſumptum 459
Suſtinere te proelia mea cauſſa ſcribis 383
Suſtinere totum negocium 246
Suſtinendam mihi puto totam petitionem Lamiae 464
Suſtulimus manus 275
Suſtulerunt oculos paullulum meae litterae 601
Suſurratores rumores 252
Sutorio atramento abſolutus 400
Syda extrema regio prouinciae Pamphiliae 489
Sulla non quaeſiuit quod bonum eſſet, ſed omnia bona coemit 584
Sulla pater mortuus 588
συμβιώτης 384
συμφιλολογεῖν 608
Symphoniam Lyſonis uelim uitaſſes 598
συμπόσια 408
σύνδειπνα 408
Syngrapha Sitiana 331
Syngrapha —— tamquam ſyngrapham ad imperatorem non epiſtolam attuliſſes, ſic pecunia ablata domum redire properabas 294
Syngrapham Sitianam tibi commendo 341
Synnadis 130
σύνταγμα 328
συντεδὺ ἐρχομένω 380

T

TA μὲν ὖν καθ' ἡμᾶς, τάδε 607
Tabella docuerunt 46
Tabellas latebra 143
Tabernaculum 174
Tabernarij & aquarij 336
Tabulae teſtamenti 299
Tacitus —— prima duo capita epiſtolae tuae tacita mihi quodammodo relinquenda ſunt 130
Teterrima hieme 366
Tantum quod 301
Tanti —— eſt tanti 328
Tarcondimotus populi Ro. ſocius, trans Taurum 568
Tarda deceſſio 172
Tarde, et ĩcōmode nauigauimus 357
Tarſus 109
Telum acerrimum 292
Temperatis, moderatisq. moribus homo 499
Temperius fiat 391
Tempeſtati obſequi —— ut in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiam ſi portum tenere non queas: cum uero id poßis, &c. ſic cū omnibus nobis in adminiſtranda rep. propoſitū eſſe debeat cum dignitate ocium, non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus 47
Tempeſtates idoneae 595
Tempus anni 594. 552
Tempus anni idoneum 126
Tempus idoneum nactus 20
Tempus ſuſpicioſißimum 32
Tēpus uſitatum, & quaſi legitimum ad petendum 436
Temporis longinquitas omnem dolorem minuit ac mollit 160
Temporis medicina —— non debemus exſpectare temporis medicinam, quam repraeſentare ratione poſſimus 210
Tempori ſeruiendum eſt 380
Tempore meo triſtiſſimo 179
Tēpora in rep. plurimū ualent 476
Tempora —— Caeſar ſeruit temporibus 396

# Index


Tempora multũ ualent in bellis, praeſertim ciuilibus 106
Tempora —— quae ſunt in fortuna, temporibus regentur, & conſilijs noſtris prouidebuntur 250
Tempora reip. turbulenta 116
Tempora —— uides quanta uis in rep. temporum ſit, quanta uarietas rerum, quã incerti exitus, quã flexibiles hominum uolũtates 89
Temporum meorum recordatio 31
Temporibus eſſe aſſentiendum 47
Temporibus his difficillimis 417
Tẽporibus miſeris et luctuoſis —— trãquillis & optatis —— op. 206
Tenebrae & quaſi parietinae reipu. 152
Tenebrae reip. 484
Teneriore mihi animo uidebare 226
Tenet me deſiderium urbis, ſatietas prouinciae 97
Tenere curſum, quem caeperis 47
Tenere & ſtatum, & famam dignitatis ſuae honeſto ocio 171
Tenore lacrumas —— non tenui lacrumas 313
Tenere locum apud aliquem —— uidetur mihi noſſe locum, quẽ apud te is teneret 125
Tenere medicinae ſcientiam 160
Tenere memoria 46
Tenere omnia —— etiam is qui omnia tenet, fauet ingenijs 169
Tenere prouinciam in ocio, exercitũ in ſua poteſtate 445
Tenere ſuum ſtatum —— illa, quae requiris, ſuum ſtatum tenent 229
Tenere ſuum inſtitutum 597
Teneri iiſdem ſtudijs 319
Teneri non potui 381
Teneri te ulla ſpe mirum eſt 105
Tentare aliquem inſidijs 496
Tenuiculo apparatu contentus Balbus 398
Tenus —— Cumarum tenus rumores illi caluerunt 323
Terentia a Veſtae ad tabulam Valeriam ducta 554
Terentius —— nunc hic dies aliam uitam affert, alios mores poſtulant 496
Terentij uerſus ex Eunucho 47
Terminatum imperium annuũ 143
Terrae filius 282
Terra nata lege erant excepta 307
Τέρψις 605
Teruncius 110
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα 258
Tetradrachmae 485
Teſtata & illuſtria 471
Teſtata gratia —— ut quaſi teſtata Po. Rom. eſſet gratia noſtra 47
Teſtata grauiſſimis, certiſſimiſque monumentis 219
Teſtatum apud animum tuum relinquam 82
Teſtificor deos homineſque, me, &c. 368
Teſtificandi amoris mei cauſſa 83
Teſtificatio —— cum ſumma teſtificatione amoris erga te ſui 71
Teſtes —— uerbum honeſtiſſimum in iudicio 404
Theatrum Curionis 327
Themiſtocles ab Herodoto laudatus 200
Themiſtoclis fuga 200
θορυβοποιεῖ 610
Tigellius 304
Timaeus ſcripſit bellum Pyrrhi ſeparatim 200
Timaeus Timoleontem laudauit. 200
Timere alienam uicem 465
Timere, gaudere, dolere ſuo potius, quam alterius arbitrio, unicuique liberum eſt 472
Tyro κανὼν ſcriptorum Ciceronis. 604
Tyro angitur animo 602
Tyro ſuas epiſtolas in uolumnia refferri uolebat 604
Tyronis ſuauitas 594
Titium interceſſorem abiecit Cicero 424
Titubare —— ſin quid forte, titubatum eſſet (ut fit) in bello, exercitu tuo uteremur 482
T. Annio Miloni conſulatum petenti ſtudet Cicero 86
T. Labienus Caeſarem reliquit 600
Τὸ καλὸν δὲ αὐτὸ αἱρετὸν eſſe 588
Τῶν ἀδυνάτων eſt te uenire 376
Togam praetextam texi Oppio audiſſe te arbitror 107
Toleranter ferre 164
Tolerantius ferre igniculum deſiderij 591
Tolerari forti animo militiam 295
Tollere aliquem ad caelum ueriſſimis ac iuſtiſſimis laudibus 579
Tollere manus 275
Tormentum caecae ſuſpicionis 245
Torſerunt nos acriter tuae ſupplicationes 357
Tota cogitatione te uidere cupio. 597
Totum me eſſe Pompeij ſcis 100
Trabaea 400
Tractes eum uelim quam liberaliſſime 429
Tractare cauſſam difficilem —— numquam uideo me tractaſſe cauſſam difficiliorem 143
Trado tibi totum hominẽ de manu, ut aiunt, in manum 275
Tradere aliquem alicui 232
Tradere alteri uigiliam ſuam 469
Tradere medicinam 252
Tradere prouinciam ſucceſſori maxime aptam, atque explicatam. 121
Tradere prouinciam ſucceſſori quam expeditiſſimam 121
Tradere ſe lacrumis & triſtitiae. 206
Traducere ſocios infideles, ad ueteris imperij beneuolentiam 573
Traducere animos a minore cura ad ſummum timorem 28
Traducere animũ eius ab omni alia cogitatione ad dignitatem tuam tuendam uiderer 20
Traducere tempus —— qua ratione nobis traducendum ſit tempus 164
Traducere exercitum 428
Trahere moleſtiam ex &c. 152
Trahere —— quid eſt, quod me in aliam partem trahere poſſit? 404
Trahantur per me pedibus omnes rei 317
Traieci copias Rhodanum 422
Traiecit omnes ſuas copias Iſaram Plancus 433
Traijciunt legiones ex Africa 470
Tralatitia 335
Tralatio uerecunda debet eſſe 604
Tralatitium eſt 130
Tralles 124
Tranquillior animo 160
Transferetur cauſſa integra in proximum annum 352
Transferri nomen ad Voluſium a Valerio non potuiſſe 219
Transfugit ad populum Curio 336
Tranſgredi Alpes 466
Transgreſſus ſum Taurum 130
Tranſigetur aliquid 330
Tranſirent Taurum 130
Tranſire uerecundiae fines 200
Tranſuerſum unguem —— nec tranſuerſum unguem a ſtilo. 306
Tranſuolare —— non etiam Alpes poteram tranſuolare, quae praeſidio illius tenentur 443
Trapezophoros 301
Trebonius Athenas uenit ad. xi. Kal. Iun. 490
Trebonij indigniſſima caedes 489
Treuiri 289
Tribuo nonnumquam in uulgus. 546
Tribuere alicui aliquam dignitatem. 487
Tribuere partem aliquam alteri uoluntatis mutuae 185

*Tribuere laudem —— tuo dolori nõ ſolum agnoſco ſed etiam ſummam laudem tribuo* 186
*Tribuere officium homini amiciſſimo* 173
*Tributam mihi ſummam laudem putabo ſi de his rebus ad ſenatum relatum ſit* 573
*Tribulis & municeps, & familiaris meus* 540
*Tributũ eſt hoc optimo cuiq. natura laudem a ſua ciuitate conſequi uelle* 516
*Tributa acerbiſſima* 572
*Tricae —— plus biennium in his tricis morabitur* 335
*Triginta dies conſtituti ſunt ad decedendum lege Cornelia* 125
*Tripudia ſoliſtima aut ſoniuia* 240
*Triſtia tempora* 580
*Triſtitia temporum* 131
*Triſtius aliquid dicere aliqua de re* 143
*Tritas aures habere notãdis generib. poetarum, & cõſuetudine legendi* 392
*Triumuiri, ſeu treuiri capitales* 289
*Tuba belli ciuilis* 252
*Tuere tuum munus* 422
*Tueri officia omnia* 134
*Tueri ſuam rem gratiam auctoritate alicuius commendationib.* 536
*Tueri ſuum ſtatum* 392
*Tulliae Ciceronis obitus* 159
*Tumultuoſiora quaedam nuntiata ex Syria* 491
*Tumultuoſae conciones* 99
*Tumultus in Syria excitatus* 568
*Turbidiſſima ſapienter tuliſti: tranquilliora, laete ut feras, facito* 255
*Turbulenter —— nos nihil turbulenter, nihil temere faciemus* 107
*Turpitudo nec in uerbo eſt, nec in re, &c.* 404
*Turpitudo non eſt in re, non eſt in uerbis: nuſquam igitur eſt* 404
Τυραννοκτόνοι *noſtri longe gentium abſunt* 494
*Tyrotarichus —— ad tyrotarichum antiquum reddi* 392
*Tyrotarichi patina* 392

*V*

VACILLANTES *litterulae* 602
ὑπερίπατος σύμμετρος 605
*Vacuitas magnam cupiditatẽ hominibus inijcere ſolet* 459
*Vacuum a bello opidum* 368
*Vacuus ab omni moleſtia* 463
*Vacuus moleſtijs* 155
*Vadimonia dilata* 92
*Valerius Catullus* 286
*Valet hoc in omnes partes* 172
*Valent ad conſolandum, quae grauiter collegiſti* 204
*Valuit eam potius apud te, quam gratia* 509
*Valere animo* 265
*Valere plus opibus, armis, potentia auctoritate* 33
*Valere temporibus* 297
*Valetudo quas res poſtulet* 605
*Valetudinẽ amittere intermiſsis exercitationibus* 396
*M. Variſidius* 423
*Varietas caſuum uehementer aĩos hominum in legendo ſcripto retinere ſolet* 200
*Varietates tẽporum, fortunae uiciſsitudines, aptiſſimae ad delectationem lectoris* 200
*Varietates temporum eorum* 526
*Varro cõtulit ſeſe in ſocietates publicanorum* 515
*Varro fructus doctrinae percipit eos, qui maximi ſunt, &c.* 378
*Varro Murena* 522
*Varro queſtor Bruti* 513
*Varronis theſauri* 459
*Vaticinari* 107
*Vatinius in Appij locũ ſuffectus* 197
*Vatinius iuſtiſſimi triumphi res geſſiſſe ſe ſcribit* 197
*Vatinius —— reditus in gratiam Ciceroni cum Vatinio per Pomp. primum interceſſit deinde per Caeſarem* 47
*Vatinius ſex opida Dalmatiae ui oppugnando caepit* 197
*Vatinius teſtis in Sextium* 45
*Vatinij tribunatus a Cicerone reprehenſus* 45
*Vatinium defendit & laudauit Cic.* 45
*Vbi non ſis qui fueris, non eſt cur uiuere uelis* 272
*Vecturae periculum* 110
*Velificatio mutata* 47
*Velia* 297
*Velificari alicui —— ne alicui uelificatus dicaris* 355
*Venerari deos multa —— ignouit omnibus Caeſar, qui multa deos uenerati ſunt contra eius ſalutẽ* 245
*Venio in ſpem appropinquare tuum aduentum* 373
*Veniebant in ſuſpicionem nonnullis detinuiſſe nos, &c.* 489
*Veniebant mihi in mentem multa in utramque partem* 474
*Venerat in eã opinionẽ Caſſius, quae diripuiſſet ipſe, ut uiderẽtur ab hoſte uaſtata, finxiſſe bellum* 355
*Venire ad nihilum —— omnia illa tua praeclara in remp. merita ad nihilum uenient* 461
*Venire alicui in ſuſpicionem* 383
*Venire in cogitationẽ aliquam* 160
*Venire in complexum alicuius* 553
*Venire in diſcrimen* 387
*Venire me in ſocietatem tuarum laudum patiare* 388
*Veniſſe tempus uides, quo neceſſe ſit de nobis conſtitui* 246
*Venditare domum alicuius* 471
*Ventidius* 459
*Venus Apellis* 46
*Venere prognatus —— Caeſar* 366
*Vera eã —— minus uera eam* 468
*Vere dicam* 126
*Verum —— rationes queſtoris mei nec uerum fuit me tibi mittere, nec tunc erant confectae* 110
*Verba non ſolum oratoria ſed etiam leuia deeſſe Ciceroni* 97
*Verboſior epiſtola* 272
*Verboſius ad te ſcripſi* 272
*Verboſius tibi redderem omnium rerum rationem* 419
*Verberaui te tacito cogitationis dũtaxat conuicio* 613
*Verberatio ceſſationis* 613
*Verſor in ciuium naufragijs* 178
*Verſaris mihi ante oculos dies, noctesq.* 554
*Verſatur in omnibus ingenuis artib. ita ut excellat* 152
*Verſamur tot annos in miſerijs* 272
*Verſari in aliqua maiuſcula cura* 384
*Verſari in anguſtijs* 452
*Verſari in uno argumento —— ſi in uno argumento unaq. in perſona, mẽs tua tota uerſabitur, &c.* 200
*Verſari inter manus* 328
*Verſata eſt tua cauſſa in maiore uarietate, quam homines aut uolebant, aut opinabantur* 233
*Verſatus ſum cum Pompeio complures dies, nullis in alijs, niſi de rep. ſermonibus* 92
*Verſatus ſum in magno errore* 185
*Vertẽtur inter hos fines quaecunque acciderint* 352
*Veſtigium —— ne ueſtigium quidem ullum eſt reliquum noſtrae dignitatis* 181
*Veſtigium —— nullum ueſtigium abs te diſceſſurus ſum* 443
*Veſtigium —— e ueſtigio eo ſum profectus* 174
*Veternus ciuitatis* 100
*Veternus ciuitatem occupaſſet, niſi, &c.* 336
*Vetuſtas, habet aliquid commune cum multis, amor non habet* 471

*Vetuſtas*

# Index


Vetuſtas amoris 238
Vicem alterius dolere 160
Vicem tuam doleo 494
Vicem —— noſtram uicem ultus eſt ipſe ſeſe 45
Vidiſti multum 270
Videre —— aliquid uidebimus, in quo ſit ſpes 259
Videre animo —— exitum tam uideo animo, quam ea, quae oculis cernimus 235
Videre —— audire 170
Videre, in omnibus malis acerbius eſt, quam audire 236
Videre in uita multum mali —— aut non multum mali in uita uidiſſemus 556
Videre moleſtias, graue eſt 152
Vincam meis officijs cogitationes tuas 136
Vincam omnia ſtudia 247
Vince teipſum in augenda gloria 491
Vincet omnes ſpes officio 556
Vici exſpectationem tuam diligentia mea 136
Vicit opinionem meam genus ſcriptorum tuorum 200
Vincere dicendo 472
Vincere exſpectationem 83
Victor armatus iratus metuendus 236
Victoria belli ciuilis, etiam ſi ad meliores uenit, tamen eos ipſos ferociores, impotentioreſq. reddit 170
Victoria belli ciuilis, malorum omnium extremum 378
Victoria ciuilibus bellis ſemper eſt inſolens 155
Victoria crudelis erat futura Pompeianorum, iratorũ hominum, & cupidorum, & inſolentium 181
Vinculum —— quod uinculum deeſt noſtrae coniunctioni? 208
Vinculum mihi cum eo maximum eſt, quaſi ſanctioris neceßitudinis 519
Vinculum ſtudiorum 526
Vincula magna —— ſtudiorũ ſimilitudo ſuauitas cõſuetudinis, delectatio uitae, atque uictus, ſermonis ſocietas, litterae interiores 137
Vindicare remp. 431
Vindicare remp. in libertatem 443
Violat me uirginem inuitam, per uim 404
Violare alicuius exiſtimationẽ 547
Vir optimus & homo doctiſſimus 103
Virtus —— uerũ decus in uirtute poſitum eſt: quae maxime illuſtratur magnis in remp. meritis 424
Virtus perditis rebus omnibus, ſe ſuſtentare poteſt 230
Virtus —— nihil eſt uirtute formoſius, &c. 388
Virtute duce, comite fortuna —— omnia ſumma conſecutus es uirtute duce, comite fortuna 415
Vis —— quid eſt, quod contra uim ſine ui fieri poſſit 478
Vires & corpus amiſi 307
Vitemus oculos hominum, ſi linguas minus facile poſſimus 374
Vitium in parietibus, in tecto 390
Viuere —— ita uiuere, ut non ſit uiuendum, miſerrimum eſt 235
Viuere cum uiris bonis, & iucundis, & amantibus ſui, pertinet ad beate uiuendum 408
Viuere pulcherrimum duxit Cicero, 395
Viuimus in magna turba, magnaq. in confuſione rerum omnium 241
Vita —— quid uanitatis in uita ſit, non dubito quin cogites 89
Vita ſub dominatione, miſera 443
Vitae ſatisfeci uel aetate uel factis uel (ſi quid etiam hoc ad rem pertinet) gloria 413
Vitam mihi eſſe acerbam puto 7
Vlciſcenda ſunt quae tibi acciderunt etiam ſi non ſint dolenda 494
Vltro polliceri —— omnia ei & petenti recepi, & ultra pollicitus ſum 431
Vlubranus populus 287
Vlubrae 295
Vlyſſes —— illo ſi ueneris, tamquã Vlyſſes, cognoſces tuorum neminem 73
Vnde petitur —— omnibus, unde petitur, hoc conſilij dederim, ut a ſingulis interregibus binas aduocationes poſtulent 286
Vocamus te ad tuas inimicitias 454
Vocabare abſens in inuidiam & in crimen 212
Vocare in controuerſiam —— in omnibus rebus, quae in aliquã controuerſiam uocarentur, te arbitro diſceptatore uterẽtur 524
Vocari ad exitum uitae 236
Vocari in eandem conditionem 352
Vocontij 433
Volaterani municipes quid fecerint, cum tribuni pleb. legem iniquiſſ. de eorũ agris promulgaſſent 508
Volo ipſorum cauſſa 387
Vult magnopere eius cauſſa omnia 522
Velle alicuius cauſſa 7. & 294
Velle alicuius cauſſa —— nec uero quantum mea cauſſa uelis, dubito 464
Velle alterius cauſſa 254
Velle omnia alicuius cauſſa 537
Velle omnium, quos commendo, cauſſa debeo 546
Voluntas ſenatus pro auctoritate haberi debet, cum auctoritas impeditur metu 457
Voluntate ac iudicio meo 408
Voluntates iuſtae, & officio incenſat non inanes, aut ambitioſae 240
Volumen plenum querellae iniquiſſimae 127
Volumnius Eutrapelus 410
Voluptatem animi nimiam, ſummum errorem etiam puto 93
Voluptate ſua omnia metiri —— commune nihil poteſt eſſe inter eos, qui omnia uoluptate ſua metiuntur 287
Volutari in omni genere & ſcelerum & flagitiorum 375
Vomere, non dicere 477
Vota facere uictoriae ſuae 245
Vota facere —— uota quotidie facimus, ne intercaletur 270
Vrbanitas, uirtus eſt ſententia Stoicorum 127
Vrbanitatis poſſeſſionem quibuſuis interdictis defendamus 317
Vrbanus —— homo non ſolum ſapiens, uerum etiam (ut nũc loquimur) urbanus 130
Vrbani ſales, Romani 390
Vrgetur reſp. armis ſempiternis, aut his poſitis recreabitur aliquando, aut funditus interibit 233
Vrgere occaſionem aut facultatem 282
Vſq. mihi temperaui, dum perducerem eo rem, &c. 419
Vſura falſi gaudij te frui nolim 252
Vſura longi temporis 120
Vſurpata duplex cubile 404
Vt leuiſſimo dicam 125. & 136
Vt nunc eſt, nulla magnopere exſpectatio eſt 323
Vt opinio mea fert 544
Vt opinio noſtra eſt 525
Vtrubi —— ut ſcires hoſpitium tibi ubi parares, uel potius utrubi 378
Vtile —— nihil utile, niſi quod rectum, honeſtumq. ſit 217
Vtilitatibus tuis poſſum carere 596
Vtor familiariſſimo M. Fabio 103
Vtuntur meis aequiſſimis auribus 319
Vtemur bono litterarum 583
Vterer mea conſuetudine; &c. 548
Vteretur in eos iure regio 570
Vti aetatis uitio 107
Vti aliquo fautore 542
Vti caſu —— in conſilio pari, caſu diſſimili uſi ſumus 585


Vti

*Vti in ſuis rebus omnibus aliquo arbitro, & diſceptatore* 524
*Vſus es eo conſilio, ut id reprehendere non audeam* 167
*Vſus es liberalitate —— ut ad eam liberalitatem, qua ſine meis litteris uſus eſt, quam maximis meis litteris cumulus accedat* 498
*Vſus —— quorum mihi eſt magnus uſus* 316
*Vſus —— ſummus mihi eſt uſus cum M. Fabio* 409
*Vſus magnus tractandae reipub.* 240
*Vſus uetus inter nos intercedit* 523
*Vſi noſtris conſilijs —— noſtris conſilijs uſi eſſemus, &c.* 552
*Vſos ſe eſſe tua liberalitate praedicabant* 498

X

XENOPHON *Ageſilaum regem laudauit* 200

Υ

ΥΠΕΡ μαλέας 174
Ὑπερβολή 316
Ὑποθήκας *Cluuio dedit* 539
Ὑπομνηματισμός 505

Z

ZENONI *placuit, homini acuto, libertas loquendi* 404

FINIS

# INDEX

# RERVM · ET · VERBORVM

## LOCVPLETISSIMVS

## quae in Comment. in Epiſt. Ciceronis Fam. continentur.


A

ABIICERE aedificationẽ fol. 506
Abſoluebatur reus aequo ſentẽtiarum numero. fol. 343. 344
Abſolutus ſutorio atramẽto 403
Academia duplex, uetus, & noua 405
Academia unde dicta 177
Academiae quot fuerint 382
Accenſi munus libertis deferri ſolitum fuit 128
Accenſi unde dicti 128
Achaia duplex 175
Acta & publica, & priuata 393
Acta— in actis urbanae res ſingulorum dierũ ſcribebantur 105
Actionem Cicero cõtemplationi praefert 379
Accumbebãt meretrices in lecto, honeſtae ſedebant 411
Accuſantibus erant, qui ſubſcriberent 342
Accuſare —— in aliquo accuſando prima, poſtulatio; ſecunda, nominis delatio; poſtrema, accuſatio fuit 337
Accuſare officium alicuius 78
Accuſare ſolebant adoleſcentes Romani uiros nobiles, honoribuſque functos, gloriae comparandae cauſſa 337
Accuſatiuo in IM tria ſola nomina exire uolebat Plinius, Febrim, Tuſsim, Sitim 307
Accuſatiuus pro nominatiuo, ut, Rem uides, qũo ſe habeat 149
Accuſator iudices in conſilium mittebat 343
Ad Alpes uerſus, &c. 367
Ad Apollinis, &c. pro, ad aedem Apollinis, ἀττικισμός 333
Adeſſe ſcribendo 385
Ad imperandum, paſsiue 409
Adiuuare, & auxiliari 36
AD, loci proprio nomini praepoſitum 125
Admirandus, admirabilis, mirus, mirandus, mirabilis, mirificus ſynonyma 275
Admirãtis eſt, manum tollere 276
Adniti minus eſt, quam pugnare 242
Adoleſcentes, declamando uel in ſcholis rhetorum, publice profitentium, uel domeſtica diſciplina exercebantur 71
Adoleſcẽtes gratia ualere poſſunt auctoritate non poſſunt 253
Adoleſcentes nobiles cum conſulibus, & proconſulibus, & praetoribus etiam, ut rerum uſu mature inſtruerentur, in prouincias exibant 223
Adoleſcentes Romani gloriae cõparandae cauſſa, uiros nobiles, honoribuſque functos accuſare ſolebant 337
Adoleſcentes uel ad eos, qui ius ciuile profitebantur, uel in forũ, ut oratores audirent, ire ſoliti erant 195
Adoleſcentes uocabantur etiam poſt annum xxx. 80
Adoptare, pro, exoptare 608
Adoptiones —— cognominum ratio in adoptionibus 332
Adſpectu, uel cogitatione rei praeſentis, in memoriam ſaepe, aut uoluntatem, opinionemue deducimur abſentis 98
Adſpirare, ad quae pertinet 284
Adſtringere, & relaxare, opponuntur 269
Ad tempus, Ad nonas 173
Aduerſarius —— artis eſt, ex aduerſarij perſona nobis obijcere, quod eius tueri cauſſam uideatur, nec tamen ad tuendum ſatis ualeat 161
Aduerſus, leuius eſt, quam, contra 407
Aduocatus, & Aduocatio 285
Ad urbem eſſe qui dicebantur 131 142. 148
Aedes ſacra, Templum, Curia diuerſa eſſe poſſunt 165
Aediles —— ad aediles curules ptinebat aquarũ pub. cura 338
Aediles binos ludos dabant, Megaleſia, & Romanos 328
Aediles plebis quando crearentur, & qua cauſſa inſtituti 332
Aedui fratres populi Rom. appellati 285
Aegrotatio, & aegritudo ut differant 165
Aegypti reges magnum praeſidiũ in fide, ac tutela Populi Romani inueniebant 2
Aegyptus Romanis dicebatur relicta teſtamento Alexandri regis 2
Aemilia tribus 346
Aemilia uia 441
Aerarium —— populi erat quod in aerarium referebatur 222
Aes —— eſſe in aere alicuius 542
Aeſtimationem accipere 224
Aeſtiua quae uocarentur 90
Aeſtus quid 296
Aetas ingraueſcens 80
Aetas praecipitata 473
Affixus 43
Agere animam 363
Agere cum populo 22
Agere cum populo non licebat, cum de caelo ſeruabatur. 357
Agere per aliquem 253
Agi praeclare cum aliquo 409
Agitare, agitare animo, agitare in mente, idem 230
Agnoſcimus quae antea nouimus 155
Agnoſco, pro, fateor 139. 153 222
ἀγῶνες 265
Ahenobarbus, non Aenobarbus. 345
Ain'tu? ain'tandem, ubi uſurpentur 400
Alarij equites 115
Albertus Ferrus 95
Aldi ſenioris eximia cõſeruandae antiquitatis cura fuit 162
Alexãdri regis teſtamẽto Aegyptus Romanis relicta dicebatur 2
Alienus 63

Alienus, a, um, & dandi, & auferendi, & generandi etiam caſibus iungitur 388
Aliptae 61
Aliter, pro, Male 126
Alites aues quae 243
Alius——nec quidquam aliud libertate cõmuni quaeſiſſe 454
Alo——ab Alo deducebant ueteres altum, & alitum 232
Alter uiceſimus, pro, uiceſimus ſecundus 496
Amamus amicorum filios, qualeſcumque ſunt, parentum cauſſa 41
Amantes, boni, iucundi 226
Amare plus eſt, quam diligere 135
Amare——rogari ſe, qui amant, non patiuntur 71
Amici——ſuauitas quaedam inter amicos maior eſt, quam inter fratres 417
Amicitia a beneuolentia differt 212
Amicitiae——cum omnes amicitiae tuendae ſumma religione, & fide, tum eae maximae, quae ſunt ex inimicitijs reuocatae in gratiam 139
Amicitia——apud maiores non modo amicitiam uiolari fas nõ erat, ſed ne cooptari quidem ſacerdotem licebat, qui cuiquã ex collegio eſſet inimicus 124
Amicitia——neceſsitudinis arctiora uincula, quam amicitiae 521
Amor, & ſtudium 50
Amor——maior eſt in amore uis, quam in beneuolentia 134
Amor——non amor ob utilitatem, ſed utilitas, ob amorem aeſtimanda 145
Amphiaraus uates 243
Ἀμφιβολία 317
Amphorum, pro Amphorarum, quando dici debeat 489
Amplitudo 27
Amplitudo, & dignitas 29
Andabata——ne andabatam quidem defraudare 285
Andreas Londanus 402
Agere, & facere ut differant 288
Angelus Politianus 278
Anienſis tribus 346
Animam agere 363
Animi——duobus modis animi ſine ratione & ſcientia, motu ipſi ſuo ſoluto, & libero incitantur, uno furente, altero ſomniante 243
Animi uoluntas 224
Animum loqui 246
Animus ieiunus 115
Annales Villij unde dicti 346
Annua dies 258
Annulum aureum qui non habebat, eques Romanus non erat 445
Antea, &, ſupra, differunt 460
Ante diem III. non. ueteres dicebant, ideſt, die tertio ante nonas 144
Anticato Caeſaris 305
Ἀνταπαγωγή 161
Ἀντίφρασις figura 592
Antiqui——in antiquis omnia ferenda, non omnia tamen imitanda 141. 207
Antiquus, &, uetus, ut differãt 467
Antithetis maxime ornatur oratio 393
Antonius Auguſtinus, epiſcopus Ilerdenſis 217
Antonius Maſſa 412
Anus finita, deriuantur a nominibus in us, antecedente uocali 382
Apage te——hac uoce reijcimus a nobis eos, qui moleſti ſunt 197
Apamea a quo condita, & ita appellata 110
Apelles pictor 62
Apparitores qui eſſent 538
Appellare 512
Appiani error 4
Ap. Claudius inter oratores nominatus 142
Appij liber de iure augurali 135. 701
Apotheca differt a taberna 338
Apud aliquem cenare 22. 68
Aquarij 338
Aquarioli 338
Aquarum pub. cura ad aediles curules pertinebat 358
Aquila a primipilo ferebatur 442
Aquila inter ſigna militaria primũ locum ſemper habuit 441
Aquila legionis argentea fuit 442
Arbuſcula nobilis meretrix 411
Arceſſere, & accerſere unde dicta 303
Ardere bello 149
Argutus 324
Ariſtarchus grammaticus 142
Ariſtotelis libri de ratione dicendi plures fuere, quam nunc extant 70
Arſaces generale nomen fuit regum omnium apud Parthos 364
Artium diſtinctio 288. 289
Artolagani 399
Aſconij Pediani indiligentia 161
Aſia tota Graece loquebatur 339
Aſiae uectigalia maxima erant 569
Aſinius Pollio 443. 444
Aſſequi plus eſt, quam imitari 238
Aſſequi merita 27
Aſsis nomine tota hereditas uocatur 527
Aſsis partes 527
Aſtrologi——contra Aſtrologos 362
Aſtute agere 473
A teneris unguiculis 32
Aternius unde dictus 239
Athenodori duo 129
Atque——eleganter interdum a particula, atque ſententiam ordimur 232
Atque, quomodo capiatur aliquando 139
Attentus qui dicatur 394
Attica ſubtilitas quae 156
Attici ſales omnibus praeſtabant 316
Attico Cicero nihil occultabat 260
Atticus Epicureus fuit 506
Auctor 17
Auctor minus, quam, princeps 418
Auctorari, ſeruile uerbum 446
Auctoritas quid 253
Auctoritas——ualere apud ſenatum auctoritate, apud populum gratia proprie dicitur 69
Auctoritas ſenatus, a S. C. quomodo differat 23
Auctoritates perſcriptae 345
Audiui cum diceret 128
Audientem eſſe dicto alicui 334
Auditionem de aliqua re accipere 324
A. Veſtae pro, a templo Veſtae 555
Aufidius unde dictus 259
Auguralis cena 308
Auguratus inter ampliſsima ſacerdotia 140
Augures fieri duos eiuſdem gentis lex uetabat 309
D. Auguſtini liber de grammatica 179
Auis alba 312
Aures——oculorum ſenſum oratorie Cicero modo auget, aurium imminuit, modo contra 230
Aurum——ut aurum igne, ſic beneuolen-

neuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſsit 392
Auſpicari poſt mediam noctem li cebat 315
Auſpicium fieri ueteres opinaban tur, alitum uolatu, & oſcinum cantu,aut tripudijs 243
Aut, quandoque ueteres pro, Haud ſcripſerunt 411
Auxiliarij equites 115
Auxiliari, & adiuuare 36

B

B Pro V, & V pro B ueteres ſcribere ſolebant 412
Baianae aquae —— ad aquas Baianas ibant,oblectationis, & ua letudinis cauſſa 375
Baiarum aquae ſalubres 386
Balbi quattuor 253
Batuo,uerbum obſcenum eſſe po teſt 407
Beate uiuere 231
Bellax, & bellicoſus ut differant. 199
Bello ardere 149
Bellum Italicum,Marſicum,Socia le idem tot nominibus dictum. 201
Bellus 293
Bene ſentire de aliquo 468
Beneficij accepti declarandi formulae 462
Beneficium —— non qui beneficium accepit,ſed qui dedit,gau dere ſolet 65
Benemeriti —— erga benemeritos officio fungimur tribus modis. 429
Beneuolentia —— minor eſt in beneuolẽtia uis,quã in amore 135
Beneuolentia ab amicitia differt. 212
Beneuolentia ſimulare, aut diſsimulare non patitur 129
Bima dies 258
Βινέω, 406
Bini, uerbum obſcenum aliquando 406
Bona Dea 58
Bonam copiam eiurare 394
Boni, iucundi, amantes 226
Bonum uirum a bono ciue diſtin guit Cicero 54
Breuiter, & breuiter, eodem ſenſu Cicero dixit 57
Breui, modo rei, modo temporis breuitatem notat 160
Bruti laus 142
Bruto parum probata eſt de optimo genere dicendi, Ciceronis opinio 491
*Brutus in ſcribendo breuitatem amabat* 463.469

C

CADERE —— ſi cecidiſſet, ut uolumus &c. 36
Cadimus animo, & cadit animus. 232
Caecina, cognomen Liciniae gen tis 239
Caecinae liber criminoſiſsimus in Caeſarem 244
Caeſar optimatibus erat inuiſus. 353
Caeſar nihil melius, quam regnare, exiſtimabat 150
Caeſaris ἀποφθεγμάτων liber. 293
Caeſaris ſumma uigilantia, ac celeritas 367
Caeſaris factio, bello ciuili quae fuerit 332
Caeſaris uictoriae 65
Caeſaris poteſtatem ſummam uarie oſtendit Cicero 239.250
Caeſari columna erecta a plebe R. 476
Calceis Romani in publico utebantur 446
Calere, & refrigeſcere opponuntur 385
Calfacere aliquem 606
Callere metaphoricos 161.374
Calliſthenes philoſophus 201
Calpurnij Patricij, & admodum antiqui 163
Calumnia 14
Calumnia timoris 247
Calumniam iurare 344
Caminum pro quo uſurpabant ueteres; & quis eius locus, & forma 284
Candidati, antequam ſua comitia fierent, aliorum quoque magiſtratuum comitijs prenſabant. 332
Cantharidis ſuccus epotus interimit 403
Canticum quid 405
Cantilenaquid 466
Cantilenam eandem canere 466
Capeſſero remp. 43
Capi, metaphoricos 202.247
Caput,pro toto corpore 57
Capitis iudicium quod eſſet 315
Cariſius grammaticus 182
Carolus Sigonius 7. 326
Carus filio pater dicimus, iucundus non item 81
Caſsius,auaritiae nomine male audijt.584. Parthos fudit ibid.
Caſsius Epicureus fuit 506
Caſtellum a Caſtro 96
Caſtra —— dignitatum gradus in caſtris 282
Caſus, & natura quomodo diſtinguantur 174
Caſus —— laus a conſilio pendet, non a caſu 188
Caſus —— minuitur culpa, cum a uoluntate in caſum transfertur. 249
Catius & Amafinius Epicurei mali uerborum interpretes 590
Cato Vticenſis, 273. qui pro ipſo & contra ipſum ſcripſerint 305
Cato Stoicus fuit 577
Catonis auctoritas maxima fuit. 574
Cauere alijs dicuntur I.C. 279. 285. 290
Cauere populo quid 222
Caupona, & taberna idem. 259. 260
Cauſſa, & res quid differant. 13. 36.68.88
Cauſſae de ui ante alias extra ordinem agebantur 342
Cauſſae, & ante, & poſt meridiem agebantur 353
Cauſſarum genera quattuor 196
Celeres Metelli unde dicti 184
Cena Auguralis 308
Cenam aeſtiuam ueteres claudebant aſſo 399
Cenarũ initiũ oua,finis mala 399
Cenarum uſus apud ueteres 22
Cenabant ueteres hora nona 410
Cenare apud aliquem 22
Cenare cum aliquo, & apud aliquem 411
Cenſores 17
Cenſores non habebant ius ferendi leges 365
Cenſores neque ius dicebant,nec imperium habebant. 140. omnium ciuium notandorum poteſtatem habebant. ibid.
Cenſores magiſtrati morum uocati. 146. eorum poteſtas ibid.
Cenſorum erat curare, ut ſacella non in domo cuiuſquam eſſent ſed populo paterent 361
Cenſus equeſtris 387
Centeſima uſura omnium grauiſſima 192
Cernere hereditatem 389
certamen in theatro uel ſcenicũ erat, uel gymnicum 265
certiorem reddere aliquem, Latinum non eſt 83
chartae Aegyptiacae 470
Χολὴ ἄκρατος 559
chryſippus —— contra chryſippum de fato 174
Chryſippi ſententia περὶ δυνατῶν, 376

Cicerones unde dicti 7
Cicero quo anno natus 158
Cicero libros maxime peruolutabat Iſocratis 63.82
Cicero Platonis uerecundiã amabat in loquendo 404
Cicero Demoſthenem uicit in cõſcribendis epiſtolis 11
Ciceroni uſitatum, ut omiſſa ſubtiliore annorum computatione, ſummatim tempus comprehendat 349
Ciceronis ἀνισοϱϱοπία 142
Ciceronis mos in Graecis conuertendis 64
Ciceroniana eſt conſuetudo non eius, quod ꝑpe adeſt, ſed quod longius diſtat, nominis habere rationem; ut, Lucus ille, & haec Arpinatiũ quercus agnoſcitur ſaepe me moleſtus in Mario 40
Ciceronis conſuetudo in ſignificanda re proxime nominata 79
Cicero cum de duabus rebus agit Primum, Deinde ſolet uſurpare; cum de tribus, Primum, Deinde, Poſtremo; cum de quattuor, tertio loco, Tum inſerit. 584
Cicero ſaepe quaerit copiam, non ut augeat, immutet ue ſententiam ſed ut explanet magis 69
Cicerone florentior nemo eſt, uerborum copia, & ornamentis Latinae Linguae 85
Cicero diuerſo modo in re diuerſa argumentatur 237
Cicero in commendationibus hoc uti ſolet artificij genere, ut quos primum negauit oportere commendari, eoſdem poſtea commendet 520
Cicero hac prudentiae laude excellit, ut in ſcribendo, quaſi ſcopulum, uitet arrogantiam. 116
Ciceronis mos, aliqua re propoſita, ſuum ſenſum oſtendere. 519
Ciceronis de Oratore libri tres, Ariſtotelico more conſcripti. 70
Ciceronis liber de augurijs 135
Ciceronis libri de philoſophia quãdo ſcripti 308
Ciceronis libri de rep. 316
Ciceronis ſecunda Philippica in Antonium ſcripta fuit, non habita 477
Cicero de laudibus Catonis ſcripſit 305
Cicero —— de iocis Ciceronis Tiro librum compoſuit 317
Cicero —— librum ſcripſit Trebonius de dictis Ciceronis 490
Cicero multo plus, quam ſatis eſt, auidior gloriae fuit 206
Ciceronis prudentia, qui, cum euerſam remp. queratur, Caeſarem culpa liberat 179
Ciceronis ſtomachus 54
Cicero Attico nihil occultabat. 260
Ciceroni togato ſupplicatio decreta 575
Ciceronis in prouincia quaeſtores, legati, praefecti euocatorum, & fabrum, ſcriba, accẽſus, interpres 123
Ciceronis conſulis iuſiurandum. 187
Cicero decreuit Caeſari in ſenatu ſupplicationes quindecim dierum. 50. 51. eius oratio de prouincijs conſularibus. 50. & in Vatinium ibidem.
Cicero Clodio tribuno pl. ceſsit auctoribus Pompeio, Hortenſio, & Arrio 553
Ciceroni cur non decretae ſupplicationes 388
Cicero augur fuit 329
Cicero cur Terentiam dimiſit 181
Ciceronis filia ter nupſit 40
Ciceronis filius binos congios ſimul haurire ſolitus, ita ſtrenue bibebat 608
Cilones unde dicti 176
Cincius de comitijs 403
Ciuis —— ab optimo ciue tria poſtulantur 409
Ciuis —— maior in priuato ciue uirtutis fieri ſignificatio non poteſt, quam ſi fortunam illius cum reip. fortuna coniunctam eſſe dicamus 241
Ciuis Romanus oſtendebatur a praenomine ſuo, a nomine, a patris praenomine, a tribu, a cognomine 346
Ciuem bonum a bono uiro diſtinguit Cicero 54
Ciues diſtinguuntur uel familijs, uel ordine, uel iure 85
Ciuitates quaedam liberae erant, in quibus tuto Romanis exſulibus liceret eſſe 505
Claudia tribus 346
Claudiae familiae ſuperbia inſita. 128
Clauſula 84
Clementer, & iracunde opponuntur. 351
Clementia popularis 389
Clientela —— mos ueterum fuit, ut quorum opera natio aliqua in populi R. poteſtatem ueniſſet, eorum in clientela perpetuo eſſet 576
Clitarchus hiſtoricus 97
Clodia lex de Ciceronis exſulio. 557
Clodius tres ſorores ſtuprauit 58
Cluſtumina tribus 346
Clypeus unde dictus, & cuius generis 202
Clytemneſtra tragoedia Attij poetae 267
Cocus, non coquus 400
Codicillorum uſus 176.410
M. Caelij Rufi uita, hoc eſt, honores, quos geſsit, eloquentia, mores, obitus 320.321.322
Caeli iracundia 370
Coeli urbanitas 329
Coelius antiquitatem plus, quam decuit imitatus eſt 327.339
Coelius ut in ſententijs breuitatem, ſic in uerbis contractionem amat 371
Coelij durum, & aſperum dicendi genus 329
Coelij in nonnullis locutionibus, ſoloeciſmi ſpecies 329
Coemptionem facere 312
Cogitatione, uel adſpectu rei praeſentis, in memoriam ſaepe, aut uoluntatem, opinionemue deducimur abſentis 98
Cognomen aliquando ante nomen gentis ponebatur 93.248
Cognominibus raro mulieres utebantur 340
Cognominum ratio in adoptionibus 332
Cohors —— de cohorte 126
Cohors praetoria quae 440
Cohortes denae in legione inſtrui ſolitae 441
Cohortes tres manipuli faciebant. 426
Cohortium uexilla, & manipulorum ſigna ſeparatim fuere 442
Cohortari, & deterrere opponuntur 187
Cohortari —— quem cohortamur, eum laudare debemus. 79
Colei Lanuuini 407
Colere proprie Deũ, & homines dicimur, obſeruare Deum non dicimur 550
Colligere ſe 54
Collina tribus 346
Collocutio, & ſermo ut differant. 51
Coloniarum ius 325
Columna Caeſari erecta a plebe Rom. 476

Colum-

Columnarij qui 354
Comanorum ſacerdotis poteſtas. 574
Comedim, pro, comedam 400
Comes, & ſocius ut differant 69
κωμικὸς μάρτυς 101
Comiſſatio 22
Comitiorum tria genera 63
Comitia protrudere &c. 435
Comitia tributa minorum, centuriata maiorum magiſtratuum erant 314
Comitia praetoria quãdo fierent. 332
Comitia quaeſtoria poſtrema omnium comitiorum fuere 314
Comitialibus diebus haberi ſenatus non poterat 349
Commendare aliquem de meliore nota 313
Commendare more Romano 276
Commendaticiarum litterarum partes 354
Commendaticiae epiſtolae —— in ijs primum locũ obtinet uel narratio, uel prooemium 528
Commentarj qui ſint 204
Committi aliquid 539
Commodare, & incommodare opp. 513
Commodo —— quod commodo reip. facere poſsis 16
Commouere aliquem 606
Comparandi aduerbia interdum efficacitatis minus habent, quã quae ſimpliciter enũciantur 14
Comparationes poetis potius, quam ſoluta oratione ſcribentibus conueniunt 246
Compellari 361
Compoſitiones gladiatorum 92
Compreſſum eſſe, & manare opp. 476
Communes res, pro, publicae 226
Conari, ut uſurpetur 201
Conari aliquid 188
Concedere nemini 153
Concio, an Contio, dicendum 99
Concoquere, metaphoricos 376
Condicere 68
Confeſsio culpae ingenua fidem facilius inuenit in alijs rebus. 255
Confluere metaphoricos 449
Congiarium 325
Coniectura, & diuinatio quomodo differant 29
Coniuncta mea cauſſa cum tua eſt 150
Connexio diuerſarum rerum uulgare non requirit ingenium. 233
Conſilia inire cum aliquo 361
Conſilium publicum orbis terrae. 132
Conſiliarius —— fides, & amor a conſiliario poſtulatur 49
Conſolantur tria 165
Conſolari —— ad conſolandum quid ualeat 151.159
Conſolatio quid 158
Conſolatio a ſtatu temporũ 211
Conſolatio illa gratior eſt, quae cum laude coniungitur 29
Conſolationem affert anteactae uitae conſcientia 153
Conſtantia a grauitate ut differat. 88
Conſtitutũ, nominis in uim tranſiens 275
Conſulere alicui, & aliquem 286
Conſuli dicuntur iuriſcõſulti 286
Conſul ultimo loco lecti diſcumbebat 411
Conſules alternis menſibus faſces habebant 16
Conſules uel ſortiebantur prouincias, uel cõparabant inter ſe 72
Conſulum iuſiurandum 187
Conſulis maius imperium, quam cenſoris 17
Conſulatus —— inter duos conſulatus decem anni interponebantur 351
Conſulatus petendi tempus legitimum 435
Conſulares prouinciae quae 350
Contemplationi Cicero actionẽ praefert 379
Contendere 87
Contentio plus eſt, quã ſtudium. 15.18
Contra —— aduerſus, leuius eſt, quam contra 407
Conturbare, & turbare, decoctorum eſt 342
Conuellere; plus eſt aliquanto, quam labefactare 205
Copiam ſaepe quaerit Cicero, nõ ut augeat, immutet ue ſentẽtiã, ſed ut explanet magis 69
Corinthi euerſionis cauſſa 162
Cornelia lex de rectoribus prouinciarum 126
Cornelia lege datum imperium tam diu manet, donec proconſul in urbem introeat 73
Cornelia tribus 346
Cornelij patricij, & admodum antiqui 163
Cornelij, & patricij, & plebeij 7. horum familiae multae 7
Cornelius Gallus poeta 447
Cornificius de arte rhetorica ſcripſit 491
Corpora quibus rebus ueteres curarent 400
Corroborare ſe 514
Crater, & Cratera 267
Craſſus -- M. Licinius Craſſus 17
Crebra, aqua agri Tuſculani 606
Creditorem debitor nõ amat 360
Culpae ingenua confeſsio fidem facilius inuenit in alijs reb. 255
Culpam non ſemper ſequitur pudor 360
Cultus quid 375
Cum meis, & In meis ut differant. 274
Cum muliere eſſe, pro, cum muliere concumbere, ueteres modeſte dicebant 406
Cum, particula ſequente Tum & indicatiuo, & ſubiunctiuo modo ſeruit 579
Cun pro Cum, ueteres mendoſe pronunciabant 406
Cunctationem diſcutere 448
Cupere —— ſero nimis uidetur fieri quod uehementer cupimus 134
Curia, & forum 209
Curia, templum, aedes ſacra, diuerſa eſſe poſſunt 165
Curiata lex quibus de rebus, & a quo magiſtratu ferebatur 72
Curiata comitia 71
Curioſus quid 324
Curuli ſella qui ſederent 401
Currus, & laurea, pro triũpho 578
Cyprus quo pacto prouincia praetoria facta fuerit 535
Cyri paedia 409
Cytheris meretrix nobilis 411

D

DATIVVS —— a dandi caſu Cicero narrationem ordiri interdum ſolet 272
Dare —— quod dat accipio 15
Dare ſe alicui 93
Dare teſtimonium 214
De, pro, A: ut, de Craſſo domum emiſſem 191
De, ualet propter 249
Deberi —— quod ab amicis petitur, id, donec tribuamus, deberi a nobis dicimus: cum uero id omnino a nobis tribuendũ, ſignificare uolumus, deberi nõ poſſe dicimus 297
Debilitari —— frangi, & debilitari 49
Debilitatus —— fractus, ac debilitatus 205
Debitor creditorem non amat. 360
Decedere, de magiſtratibus e prouincia decedentibus 324
Decipi turpius eſt, quã errare 430

Decuriones 113
Decuriones in municipijs erant, ut ſenatores Romae 528
Decuriones uocabantur ſenatores coloniarum, uel municipiorum 258
Dedecus —— facinus grauius eſt, quam dedecus 138
D. E. R. I. C. 348
Defatigatus, & feſſus 429
Deferre ad aliquem 527
Deferuere, & feruere 374
Defluere, metaphoricos 400
Delectare —— plurib. uerbis ea, quae nos delectant, perſequimur 40
Delegare 324
Deliciae 267
De meliore nota aliquem commendare 313
Deminutis nominibus iactura leuior oſtenditur 162
Demiurgus, tragoedia Turpilij. 405
Deprecamur uel cum expetimus aliquid, uel cũ recuſamus 160
Depſo uerbum obſcenum eſſe poteſt 407
Depugnare, pluſquam, pugnare. 371
Depugnare ad ludicra etiam accommodatur 446
Deſiderio alicuius rei affici 102
Deſitus cum patiente uerbo coniungitur 402
Deterrere, & cohortari opponuntur 187
διαχυσις pro exhilaratione 605
Dialogi —— in dialogis quae ſcribantur 382
διαφόρησις, pro animi relaxatione 605
Dibaphus 109
Dicacitas 128
Dicere —— de dicendo 258
Dicto audientem eſſe alicui 334
Dictum dicere 466
Dies quando maſculine, quando feminine uſurpetur 22
Dierum plura genera 314
Diem dicere ei, qui reip. cauſſa abeſſet, non licebat 556
Deſignatas quid 160
Dignitas, & amplitudo 29
Dignitas pro honore 118
Dignitatem pro honore uſurpati falſo negant aliqui 94
Dignitas plus eſt, quam exiſtimatio 550
Dignitas in feminis quae dicatur. 560
Dignitatum gradus in caſtris 282
Dignus tam in bonam, quam in malam partem capitur 501
Dij immortales —— hac phraſi, uerbis fides additur 90
Dijs, hominibuſque approbantibus 66
Diligentia minus eſt, quam ſtudium 79
Diligentia re ipſa praeſtatur, ſtudium animi eſt 238
Diligere —— plus eſt amare, quã diligere 135
Dionis error 18
Dionyſius Corinthi ludum aperuit 397
Diploma 253
Diſcedere a uita 81
Diſcedere —— cum a te diſceſſero, pro, te excepto 65. 253
Diſcedere in alia omnia 21
Diſceptare quid 157
Diſceptare de iure publico 232
Diſceptator 523
Diſcribere quid 476
Diſcupere 367
Diſcutere cunctationem 448
Diſſolutus 188
Diſſuauiari 614
Diuerbium quid 405
Diuerſorium, hoſpitium, taberna differunt 259
Diuidere quando ſit uerbum obſcenum 406
Diuinandi ratio ab Etruſcis in urbem inducta 241
Diuinatio, & coniectura 29
Diuortijs aquarũ diuiſus locus 96
Dolor —— quanto fuerim dolore, recte dici 237
Dolorem doloris alicuius ferre. 271
Dolorem leuat fortunae ſocietas. 179
Domicilium, & ſedes 506
Domitia gens duobus tantũ praenominibus uſa, Lucio, & Caio. 364
Domitiae gentis duae claruerunt familiae Ahenobarborum, & Caluinorum 345
Domus pro patria 278
Drachmarum genera, põdera &c. 111. 112
Ducere familiam 277
Ducere ſe ab aliquo loco 445
Duos parietes de eadem fidelia inalbare 313
Duumuiri in pleriſque colonijs, atque adeo in nonnullis municipijs fuere 548
Dux plus eſt, quam, princeps 418
Δυνατα —— Chriſipi ſententia περι δυνατων 376
Δυσουρικα, και δυσεντερικα παθη ſibi moleſta eſſe dicebat Epicurus 307. 308

## E

Ecdici 539
Ἐχω quidam amplius, quã, habeo, ſignificat 412
Effigies ab imagine, & ſimulacro, ut differat 203
Ego uero, &c. quando hoc principio utamur 165
Ego —— ſaepe narrationem orditur Cicero ab hoc pronomine. 213
Eiurare bonam copiam 394
Elegantia differt ab ornatu 156
Eleutherocilices 575
Embaeneticam facere 325
Emoneo 38
Ennius tres linguas habebat, Oſcã Latinam, & Graecam 268
Epaminondae mors 202
Epheſus primaria urbs erat eorũ, qui Aſiae prouinciae praeerant 537
Epicuro Cicero doctrinas adimit. 507
Epicureorum de deis opinio 288
Epicurus ſummum bonum in uoluptate collocabat 506
Epicurus negabat, iucunde poſſe uiui, niſi cum uirtute uiueretur. 590
Epicurei honeſtum non propter ſe ipſum, ſed ita ſi cum uoluptate iungeretur, expetebant 588 590
Epicurus dicebat ſibi moleſta eſſe δυσουρικα, και δυσεντερικα παθη. 307. 308
Epicurei putabant, ſi quis aliquam rem cogitaret, eius rei ſpectrũ, & imaginem ad cogitantis animum aduolare 587
Epiſtola, non epiſtula 35
Epiſtolae, duae, tres, quattuor, non binae, ternae, quaternae, dicendum 417
Epiſtola —— quis epiſtolarum ſermo, & quae ſententiae 11
Epiſtolarum genera 9. 10. 11
Epiſtolae negotiales moralibus fere clauduntur ſententijs. 19
Epiſtola —— morale quidam eſt, & decet in primis epiſtolas claudere ſignificatione beneuolentiae 32
Epiſtolae —— in epiſtolarum clauſula ſolet excuſationem Cicero aliquam afferre uel quia longior fuerit, uel quia liberior in ſcribendo 269

Epiſtolae

Epiſtolae a libellis differunt 460
Epiſtolae plicabantur, libri inuoluebantur 128
Epiſtolam ſcindere, conſcindere, & concerpere, eodem ſenſu 225
Epiſtolas Ciceronis patroni ſui Tiro facile alio, quam quo paſſim leguntur ordine, collocauit 551
Eques Romanus non erat, qui anulum aureum nō haberet 445
Equites Romani qui dicerentur 354
Equites a ſenatu alienati 43
Equitum duo genera in exercitu 115
Equites auxiliarij 115
Equites alarij 115
Equites legionarij 115
Equeſtris cenſus 387
Equeſtris ordinis dignitas 354
Equeſtris ordo in theatro, lege Roſcia ſeparatim in XIV proximis gradibus ſedebat 445
Equis uiris, & Equis uelis 380
Equus Troianus tragaedia Liuij Andronici 267
Errare —— turpius eſt decipi, quam errare 430
Erumpere, actiue 365
Eſſe alicui omnia cum aliquo 505
Eſſe in bonis 529
Eſſedorum uſus 279
Et, ſequente Nec, ut, Et ipſe ſperarit, Nec ego dubitarim 515
Eteſiae uenti 105
Etiam atque etiam 91
Etſi, quater in primis ep. ad Torquatum comprehenſionibus repetitum 230
Euentu poſterior eſt exitus 232
Euocati milites 126
Euocati milites pars erant cohortis praetoriae 440
Euphrates imperij Romani ad Orientem terminus fuit 111
Euripidis maioris altera Medea tragoedia, minoris, altera item Medea, exiſtimanda eſt 280
Ex ante diem non. Iun. 348
Exagitare 19
Exarere, metaphoricos 316
Exarſi iracundia, uel dolore: exarſit iracundia, uel dolor: exarſi, abſolute 67
Excitare 58
Exhaurire, & transfundere metaphoricos, oppoſita 389
Exhedria 303
Exiſtimatio —— dignitas plus eſt, quam exiſtimatio 550
Exitus euentu poſterior eſt 232
Explicare aliquid 561
Expreſſum, & illuſtre 38
Exputare 435
Exquilina tribus 346
Exſpectare plus eſt, quam ſperare 275
Exſilire gaudio 604
Exſulibus Romanis in foederatis ciuitatibus per leges licebat eſſe 325
Exſulium quid 273
Ex tiſpicina, & haruſpicina artes re uera non ſunt 258
Exulceratae res 19

## F

Fabia tribus 346
Fabij unde dicti 123
Fabij in exercitu 128
Facere, & agere ut differant. 288
Facile pati 69
Facile patior —— hoc loquendi genere, neque laetitia, neque moleſtia ſignificatur 193
Facillime, pro, libenter 107
Facinus grauius, quam dedecus 138
Factio teſtamenti 308
Facultas plus eſt, quam occaſio 282
Facultatum nomen late patet 224
Faernus coniecturae ſuae interdum nimium indulgebat 430
Falerina tribus 346
Fallo——non me fallit 151
Fama omnium 244
Familiam ducere 277
Fatum——de fato Peripateticorum opinio 196
Fauonij ſcomma in Pompeiū 354
Febris quartana pituitam, & melancholicum humorem exſiccat 599
Felicitas iuxta Stoicos 231
Feliciter tranſigere 302
Feneſtella 13
Fenus unciarium 192
Feriae Latinae 338
Ferre ad populum 16
Ferre oculis 612
Feruenter 339. 343
Feruere, & deferuere 374
Feſſus, & defatigatus 429
Feſtiuitas laudari ſolet in pueris 237
Fides quid, & eius etymon 19. 602
Fides, & fidelitas differunt 604
Fide, pro, fidei 428
Fidem ſoluere 432
Fidem praeſtare 36. 488
Figura ex miſtione contrariorum orationi uenuſtatē concilians, ut, in moleſtia gaudeo 49. 50
Figurarum aliquot ſententiarum exempla 424
Filij —— cum omnes filij parentibus cari, tum ij maxime, qui corpore eos, & animo referunt 248
Flagitium a ſcelere ut differat 376
Flaminia uia 441
Foederatae ciuitates —— in ijs Romanis exſulibus, per leges licebat eſſe 325
Forenſia ornamenta 208
Fores amicitiae 515
Foris 67
Forma, & pulchritudo ut differat 389
Forma multifariam capitur 92
Formulae iuriſconſultorum 296
Fortaſſe, potius, quam, fortaſsis 101
Fortuna, & uirtus 416
Fortuna a ratione diſtinguitur 266
Fortuna optatur, non laudatur 171
Fortunae bona quae 82
Fortunae pro re familiari uſurpantur 87
Fortunare, ſemper in bonam partem accipitur 580
Forum agere 126
Forum, & curia 209
Fractus, ac debilitatus 205
Frangi, & debilitari 49
Frater, quaſi fere alter 105
Fratres——ſuauitas quaedam inter amicos maior eſt, quam inter fratres 417
Fratres duo aliquādo eodem praenomine uti ſolebant 343
Fraudi eſſe 29. 308
Frenum mordere 469
Frigere, pro, nihil agere 284
Frons libri 128
Frontonis grammatici liber 429
Fructus 67
Frugi, & nequam opp. 546
Frugi nomine proprie ſerui laudantur, & liberti 546
Fuluius Vrſinus 108. 117. 217
Fungi apud ueteres quoque inter exquiſitas epulas habebantur 391
Furij patricij, & admodum antiqui 163
Furti actionem an heres habeat aduerſus eum, qui furatus eſſet, antequam ipſe heres eſſet 300

G

GALBA, Sulpiciae gentis cognomen 440
Galeria Copiola Emboliaria mima 267
Galeria tribus 346
Gallia Braccata, & Comata 390
Gallinaria ſilua 408
Gaudeo, & gratulor quomodo differant 256
Genitiuus —— non eſt inuſitatũ Ciceroni duobus uti generãdi caſibus: ut, ijs artibus, quarum iudicium eſt oculorum 214
Gladiatorum compoſitiones 92
Gladiatorum & ludus erat, & certamen 446
Gladiatoribus liberti interdum pugnabant 446
Gloriae nomen, interdum quomodo accipiatur 289
Γόνυ κνήμης 611
Gorgias Leontinus primus auſus in conuentu poſcere quaeſtionem 412
Graeci ludi 268
Grammatici —— contra grammaticos 118.139.186
Gratia —— qui in gratiã redeũt, rurſus amicitiam facile diſcindunt 139
Gratia adoleſcẽtes ualere poſſunt, auctoritate non poſſunt 253
Gratia —— ualere apud ſenatum auctoritate, apud populum gratia, proprie dicitur 69
Gratioſum, de inanimatis rebus non dicitur 223
Gratulor, & gaudeo quomodo differant 256
Gratulari —— quib. gratulamur, ijſdẽ bene precari ſolemus 89
Gratulari uere 251
Gratulabantur dijs immortalibus ob uictoriam, decreta a ſenatu ſupplicatione 575
Gratulatio primum in epiſtola locum poſtulat 608
Gratulatio —— poſt gratulationem ueteres agebãt gratias, & contra 94
Gratulationem facere 173
Grauitas a cõſtantia ut differat 88
Grauitas preces reſpuit 575
Gulielmus Sirlettus 281
Gymnaſium a palaeſtra quid differat 302
Gymnaſia tria Athenis 177
Gymnaſtae aliptae interdum ſunt appellati 61
Gypſatae manus 278

H

HABERE expertũ, perſpectũ, cognitũ, &c. pro, experiri, perſpicere, cognoſcere 435
Habere ſollicitum, uel infeſtum, pro, infeſtare, & ſollicitare 107
Habere, pro, habitare 278
Hactenus, & huc uſque quomodo differant 78
Hadrianus Turnebus 412
Hammonij nomen unde 13
Haruſpicina, & extiſpicina artes re uera non ſunt 258
Haſta ſignum auctionis 588
Haud paullo melior —— Ciceronis loquendi modus in exprimendis rebus perſpicue maioribus 267
Haud ſcio an, pro, fortaſſe, uſurpat Cicero 383.390
Haue matutina ſalutatio fuit 369
Hem, particula indicantis 517
Hercules Xenophontius 201
Hereditas tota nomine aſsis uocabatur 527
Hereditatem cernere 389
Heres an habeat furti actionẽ contra eum, qui furatus eſſet, antequam ipſe heres eſſet 300
Hic, haec, hoc, pro, Iſte, iſta, iſtud 139
Hic, rationem temporis aliquando notat 55
Hieronymus Ferrarius 202
Hiſpaniae duae 66
Hiſtoriae leges tres 201
Hiſtorici ueteres uarie prooemijs uſi ſunt 201
Homo, incerti ſexus 162
Homo —— ualde hominẽ diligo 22
Homo adoleſcens, pro abſoluto, adoleſcens 105
Homo, & uir 169
Homo probus, uir bonus 276
Hominem praebere 588
Homines, & ordines 138
Hominum ut diuerſa genera, ſic diuerſi ordines 530
Hominum tria genera, ſummi, medij, infimi 102
Honeſtatis definitio 160
Honor, uirtutis praemium nõ eſt 425
Honorem praefari 406
Honorum ordo 161
Honorarium praemium 598
Hora nona cenabant ueteres 410
Horarum diei, & noctis ratio apud ueteres 176
Horatia tribus 346
Hortari, & monere 14
Hortari, & orare 14
Hoſpitalis iuppiter unde 521
Hoſpitium, diuerſorium, & taberna differunt 259
Hucuſque, & hactenus quomodo differant 78
Humane, potius, quam, humaniter 269
Humanitas, & liberalitas 56
Humanitas q̃d apud ueteres 603
Humaniter uiuere quid 269
Hypomnema 609
Hypomnematis pro hypomnematibus 609

I

IAcobus Taurellus 99
Iactari in uulgus quae dicantur 325
Iactura leuior oſtenditur deminutis nominibus 162
Id, cõfirmationis gratia additum, ut, Illud, quod ſupra ſcripſi, id tibi confirmo 526
Idem, in plurali quoque ueteres uſurpabant 67
Ieiunus animus 115
Ientaculum 22
Ignauia inertiam parit 493
Ignorantia recte dicitur pro ignoratione 94
Ignotus, actiue 203
Ille —— de celeberrimis uiris, & apud omnes fama cognitis, hoc pronomen uſurpamus 203
Imago, & ſimulacrum ab effigie ut differant 203
Imagines maiorũ ueteres Romani e cedro factas, domi aſſeruabant 402
Imitari minus eſt, quam aſſequi 238
Imitationis libri, Paulli Manutij 424
Immolare quid 246
Immortalis, pro, ſummus 423
Impenſus, pro, magnus 543
Imperare ſibi quis dicatur 353. 360
Imperator —— re bene geſta qui ab exercitu imperator erat appellatus, litteras ſuas imperatoris nomine inſcribebat 48.414
Imperatoris nomen ut conſequerentur, certum hoſtium numerum cedere oportuit 96
Imperium duplex, urbanum, & prouinciale 17.18
Imperium —— ijs, qui cum imperio erãt, ingredi in Vrbem, niſi depoſito imperio, nõ licebat 15
Imperium in urbem ingredientibus deponere neceſſe erat, niſi eſſent triumphaturi 73.107

depoſito

Imperiũ——ij, qui cum imperio ad Vrbem erant, petebant interdum a ſenatu, & obtinebãt, ut ſaluis legibus ingredi Vrbẽ poſſent 334
Imperij Romani terminus ad Orientẽ Euphrates flumẽ fuit 111
Imperia maxima conſulatus, & praetura 128
Impetrare——munitur ad impetrandum uia, mutuae uoluntatis, & beneuolẽtiae commemoratione 512
Impetrare——opportunitates tẽporum uel paruae ad impetrandum ſaepe adiuuant 251
Impetu, pro, impetui 435
Importunus qui 404
Impreſsionem facere 188
In——ad temporis & nomen ipſum, & ſignificationẽ utimur particula In 208
In aliquem ſcribere, in bonam quoque partem accipitur 306
Inaudire 408
Incedere laetitia 94
Incilia quid 335
Incolumitas 171
Incommodare, & cõmodare opp. 513
In conſilium ire 303
Increbeſco potius, quã, increbreſco, dicendum 299
Inducere, pro, expenſa perſcribere 138
Indulgere quid 605
Induſtria excellunt ij, qui & promptè res aggrediuntur, & diligenter perficiunt 143
In eo ſunt mihi omnia 93
Inertia ut a negligentia differat 356
Inertiã quomodo pariat ignauia 493
Infeſtũ habere, pro, infeſtare 107
Inflammare 84
Ingenium animo ſpecies quaedã eſt, & pulchritudo 120
Ingraueſcens aetas 80
In meis, & cũ meis ut differãt 274
In mentẽ uenire modo cum dãdi, modo cum generandi caſu 273
Inimici ab iniquis differunt 472
Inimicitias ſuſcipere, & deponere 116
Innocentia, & ueritas ſuis freta uiribus, animos addit 129
In omnes partes 173
In praeſenti, pro, hoc tempore 97
Inquit——nec Cicero, nec Terẽtius, nec omnino quiſquã reip. temporib. Inquit, uſurparunt, niſi praepoſito aliquo uerbo 53
Inſeruire 145
Inſinuare, abſolute, pro, inſinuare ſe 179
Inſolentia 399
In ſumptum habere 399
Integrũ ſe de aliqua re ſeruare 53
Intercedere 24
Intercedere proprium erat tribunorum pl. 24
Intercedere s.c. q̃bus licebat 350
Interdictum quid ſit 290
Interitus opidorũ, eſt euerſio 162
Interκalandi poteſtas penes pontifices fuit 339
Interκalabant põtifices arbitratu ſuo 271
Intermori qui ſit 257
Interpretes p̃bant cõſulibus 538
Interregni tempus 286
Interrex cur crearetur, & ex quibus creabatur 286
Intra modum quid 158
Intueri minus eſt, quam perſpicere 63
Inuado, q̃b. caſib. cõſtruatur 600
Inuehens, & inuectus ſignificatione idem 271
Inuidia, & inuidentia 14
Inuitatus, & inuitatio, &c. 276
Inuitus ſeruari quis dicatur 189
Inuolare, & uolare differunt 243
I N V S finita, deriuãtur a nominibus in vs, antecedẽte cõſonãte 382
Ioannes Turritianus 288
Ioannes Vincentius Pinellus 220
Iocundus, perperam ſcribitur 96
Iocus Cic. de Pantheris 98
Ioſephus Scaliger 407
Ipſud cur non dicamus 179
Iracundiae confeſsio, ſatisfactio quaedam eſt 134
Ire in alia omnia 21
Ire in conſilium 300
Ironia late patet 155
Italia aliter iure naturae, aliter iuriſdictione terminatur 293
Iteratio uerbi habet ornamẽtũ 121
Itinera fugere, & ſequi 462
Iubae regis filius ſcriptor doctiſſimus 273
Iubet populus, decernit ſenatus 242
Iucundũ & gratũ ut differant 165
Iucundi, boni, amantes 226
Iudicare——Qui res iudicant, pro, Iudices 365
Iudicare Romae quando tres ordines caeperint 327
Iudices in conſilium mittebat accuſator 343
Iudices ſtantes qui 514
Iudicium capitis quod eſſet 315
Iulia lex de rationibus prouinciarum referendis 110. 111
Iulius Romanus antiquiſsimus grammaticus 489
Iuppiter hoſpitalis unde 521
Iuppiter Minianus 395
Iurare calumniam 344
Iuraturi per Iouem, quae dicerent uerba 267
Iuriſcõſulti reſpõdere dicũtur 293
Iuriſconſulti ſcribebant formulas ſponſionum, actionũ, &c. 291
Iuriſconſulto memoria neceſſaria eſt 277
Iuriſconſultorum eſt p̃prium, de iure conſulẽtib. reſpondere 75
Iuriſconſultorũ opinio ſolebat, p̃ ſertim in re dubia, aliorum teſtimonio confirmari 285. 295
Ius——de iure publico diſceptare 232

K

Kalendae Quinctiles in Vrbe primus erat locationum dies 508
Keſo cur cum K ſcribendum 402
Kalendas Martias matronae colebant 407

L

Labefactare minus eſt aliquã to, quam, conuellere 205
Laberij mimi 287
Labi 89
Laborare, p̃ cũ labore facere 145
Lacinia quot ſignificet 609
Laetitia incedere 94
Lagena quid 612
Lais nobile ſcortum 411
Laodiceae duae 487
Lares a penatibus quomodo differant 68
Latinae feriae 338
Latina lingua multa habet, quae quis imitari malit, quam docere 293
Latini ludi 268
Latini nominis ſocij p̃, Itali 528
Lauatio ueteribus admodum familiaris fuit 377
Laudamus nihil, quod nõ probemus, at multa probamus ſine laude 221
Laudabãtur etiam rei per litteras ab ijs, qui aberant 66
Laudabant reos uiri nobiles patroni defendebant 50. 66
Laudari in pueris, & adoleſcentib. ſolet ſpes facta nõ poſſunt 41
Laudandi mos egregius, Tecum certes 389
Laurentius Maſſa 402
Laureola 95
Laus uera quae 283

# Index


Laus uera a laudato uiro proficiſcitur 578
Laudis cupiditatem profiteri, arrogantiae non eſt 195
Lecticarij qui 177
Lectus —— in lecto locus honoratior, priuatis diſcũbentibus, erat medius, diſcumbente conſule, ultimus 411
Legationes liberae ſenatorib. cur dabantur 453
Legatorum numerus a ſenatu decernebatur, deligebantur autẽ ij, & nominabantur ab illis quibus prouinciae imperium demandabatur 39
Legatorũ munus, & dignitas 39
Legio —— primus in legione ordinarium ſex millium, & ducẽtorum militum numerũ C. Marius fecit 114
Legiones ſingulae ſingulos habebant legatos, tribunos mil. ſenos, centuriones tricenos 574
Legiones hiemabãt diuerſis in locis, ut cõmodius, utiliusue putabat imperator 282
Legionarij equites 115
Leges promulgari ſolebãt per trinas nundinas, antequam ferrentur 28
Lege Cornelia datum imperium tamdiu manet, donec in urbem proconſul introeat 73
Leges iudiciarias duas tulit Pompeius 271
Lemonia tribus 346
Lentuli filius 41
P. Cornelius Lentulus 7. 8. unde cognomẽ habuit Spintheris 8
Lepido ſummi honores a ſenatu decreti 437
Lepor, metaphoricos 269
Leuidenſis ueſtis 386
Lex Clodia de Cic. exſulio 557
Lex Cornelia de rectoribus prouinciarum 126
Lex Cornelia ſumptũ uidetur definijſſe, cũ ad eorum laudẽ, qui prouincijs praefuiſſent, legationes Romã mitterentur 138
Lex Curiata, comitijs Curiatis ferebatur 71
Lex Curiata ni ferretur, rem militarem attingere non licebat 91
Lex Gabinia 27
Lex Iulia de rationibus prouinciarum referendis 110. 111
Lex Pupia 27
Lex Roſcia 445
Lex Scantinia 361
Lex Sempronia 39. 40
Lex Sumptuaria 308
Libelli ab Epiſtolis differunt 460
Liber nullus tam antiquus eſt, qui omni prorſus uacet mẽdo 187
Liberalis quis 196
Liberalitas, & humanitas 56
Liberalitatis uera laus in eo ſita eſt, cũ ita beneficiũ damus, ut ab eo qui accipit, nõ modo fructũ, aut mercedẽ ullam nõ exigamus, ſed ne exſpectemus quidem 48
Liberis operam dare 406
Liberti patronorum praenomine, & nomine utebantur 91
Liberti retinebãt ea nomina, q̃ ſerui habuerãt, aſſumpto praeterea patroni praenoĩe, & noĩe 82
Libertorum ius, & genera 25
Libri inuoluebantur, epiſtolae plicabantur 128
Librarij unde dicti 122
Libri Ciceronis de repub. 326
Libris ueteribus non ſemper credendum 580
Licinia lex de ſumptibus 308
Lictores habebant, quicumq. erãt cum imperio 107
Ligurrire 468
Limitare de alicuius prolixa natura 133
Lites aeſtimabantur in cauſsis repetundarum 343
Litigantium ſponſio quae fuerit 299. 300
Littera —— ne litteram quidem ſcribere 115
Litterae binae, ternae, quaternae, non duae, tres, quattuor 417
Litterae nominatae a loco, unde dantur 282
Litterae perfugium ſunt duobus modis 226
Litterae -- quaſi aberramus a moleſtijs dũ litteras tractamus 154
Litterarum commendaticiarum partes 354
Litterarum uiciſsitudo 83
Locare, plus quam, ponere 87
Locationum primus dies erat in Vrbe Kalẽdae Quinctiles 508
Locus, pro condicione, uel dignitate 564
Locus - ſi ego iſto loco eſſem 158
Locus honoratior in lecto, priuatis diſcũbentib. erat medius, diſcũbente conſule, ultimus 411
Locũ non relinquere precibus 15
Loco —— loco, poſuiſti 393
Loci in Topicis quid 298
Logeum, fanum in quo pecuniae deponebantur 222
Longinquitas de loco, & tpe 94
Longum ſubſellium 135
Loqui, paſsiue 343
Loquutus, non locutus 22
Luctus —— de ſedando luctu qui ſcripſerint 231
Lucubratio quid 374
Lucus quomodo recte, & ſine piaculo caedi poſsit 298
Ludi feſtis diebus fiebant 268
Ludi ubi dari ſoliti 265
Ludi gymnici qui 204
Ludi Latini, Oſci, Graeci 268
Ludi Megalenſes, & Romani ubi, & quo tempore darentur 361
Ludi Scenici 265
Ludi a Pompeio dati 264. 267
Ludi Auguſti Veneri genitrici 473
Lugere in funere, & in reliquis calamitatibus, quo quiſque nobilior, & praeſtantior eſt uir, eo minus licet 163
Lynceo perſpicacior 374
Lyſiae ſubtilitas in dicendo 156


M


Macvlae nitro tolli ſolebant 366
Maecia tribus 346
Maecius poemata a mimis in ſcena recitãda prius iudicabat 267
Magiſtratus -- in magiſtratib. creãdis facile eadẽ ratio fuit, quae ĩ ferendis legib. ut promulgarentur per tres nũdinas eorum nomina, qui petebant 601
Magiſtratus deſignabantur menſe Sextili 27
Magiſtratus minores 17
Magiſtratus maiores, & minores 163
Magiſtratus —— uocare in iudicium non licuit eos, qui magiſtratum gerebant 59
Magiſtratuũ minorũ tributa, maiorum centuriata comitia 314
Magiſtratibus urbanis egredi extra pomoerium, niſi reip. cauſſa, non licebat 428
Magiſtri morum uocati cenſores 146
Maledicere alicui quid 133
Mala cenarum finis 399
Malum ſe dare 367
Manare, & cõpreſsũ eſſe opp. 476
Manceps qui dicatur 221
Mancipi res 315
Manlia gens patricia 230
Manſuetiores muſae 69
Manubiae 114
Manus pro fide 277
Manum conſerere, & manu conſertum uocare, nõ eſſe idẽ 290
Manum de tabula 306
Manũ tollere, admirantis eſt 276


Marcelli,

Marcelli, Claudiae gentis 118
Marcelli eloquentia a Cic. laudata 173
Marius Graecos oderat 268
Martis, & Saturni ſigna infauſta. 302
C. Matius uir doctiſsimus 292
Matres amiſſos filios grauius, & diutius lugent, quã patres 400
Matris familias nomen quot modis capiatur 197.198
Medea Corinthũ exſul uenit 278
Medeam tragoediam uarij poetae ſcripſerunt 280
Medicinam Romae ingenui homines non colebant 522
Medimni menſura 486
Megalenſes ludi 98.135
Megalenſes, & Romani ludi ubi, & quando darentur 361
M ehercule, potius, quam, mehercules 98
Melancholicum humorem quartana febris exſiccat 599
Melius eſſe alicui 594
Memoria iucunda eſt praeteritorum malorum 202
Memoria I.C. neceſſaria eſt 277
Menandrus, & Menander utroque modo uſitate dicitur 602
Mentina tribus 346
Merenda 22
Meretrices tres nobiles, Cytheris, Origo, Arbuſcula 411
Merita pluſquam officia 12.464
Meſſalla cognomen unde 331
Metellus---C. Metellus Celer 184
Metellus Celer, & Nepos a quo originem ducebant 184
Milites omnes, qui militabant in legionibus, ruſtici erant 458
Milites euocati 126
Milites emeriti ſtipendia qui dicerentur 350
Militum tria erant genera in exercitu Romano 440
Militiae legitimae finem afferebat ſextuſdecimus annus 442
Militiae Romanae genera plura fuere diuerſis temporibus 441
Milliariũ quot ſtadijs conſtet 595
Mimus ab Atellana ut differret. 393.394
Mineruae cognomen πολιάς 497
Minerua inuita 120
Mirificus, mirus, mirandus, admirandus, mirabilis, admirabilis, ſynonyma 275
Miſericordia proprie de hominibus 268
Mittere ad aliquem, interdũ quid ſignificet 220
Mittere ad aliquem, pro ſignificare 464
Moderatio, & temperantia idẽ 69
Modo ut &c. 266
Moliri interdum abſolute 484
Monendi partes qui ſuſcipit, uitare debet arrogantiam 167
Monere, & hortari 14
Monumenta tria, treſque eorum inſcriptiones 59.60.61
Mordere frenum 469
Mores, & tempora 85
Moretur, paſsiue 335
Mori ſine dolore qui dicãtur 161
Moroſi qui 292
Mors—in morte ſenſum reſidere alij, alij amitti putarunt ex ueteribus 211
Mors——ſenſum amitti in morte aliquando affirmat Cic. 235
Mortis genera 174
Mortem cum uita cõmutare 161
Mulieres raro cognominibus utebantur 340
Mulieres interdum ab ordine naſcendi appellabantur, ut Prima, Secunda, Tertia, &c. 384
Multa, aduerbij loco poſitum, ut, multa deos uenerare 246
Multa queri, peccare, &c. 122
Multa probamus ſine laude laudamus nihil qđ nõ ꝓbemus 221
Multitudinis numerus pro ſingulari ab oratore interdum uſurpatur, ut rem augeat 12
Municipiorum ius 324
Munus oſtendere 82
Munus oſtendere, & declarare idem 381
Munera populo dabãt, cũ uel gladiatorũ certamina ꝓberent, uel nũmos diuiderent, uel epulum darẽt, aut aliquid eiuſmodi 82
Muraena ſcribẽdũ, nõ Murena 523
Muraena duplex, marina, & fluuiatilis 309
Muſae manſuetiores 69
Mutare rationem 295

N

NAM, quam aliquando uim habeat 142
Nã, ꝑticula ſaepe lectorẽ cõmode traducit ad diuerſã ſñiam 222
Narrare, pro, ſcribere 97
Narratio a nominibus aliquando a Cicerone inchoatur 528
Natura, & caſus quomodo diſtinguantur 174
Natura —— magis laudandi qui rõne, & doctrina aliquid agũt, quam qui natura 575
Naufragium metaphoricos 179
Nauis —— in eadem eſſe naui 85
Nec, ſequente, & 414
Neceſſarij diſtinguuntur ab amicis, & propinquis 173
Neceſsitas, & neceſsitudo idẽ 118
Neceſsitudinis arctiora uincula, quam amicitiae 521
Nec opinans 620
Nedum, particulae uis 311
Negantes duae particulae affirmant, ſed ita, ut aliquid imminuant 231
Negatio —— quaedam ex negatione, & affirmatione compoſita, ut Nemo, ex Non, &, Homo, Nolo, ex Non, &, Volo, in prima ſententiae parte uim habẽt negandi, in ſecũda affirmãt 163
Negatio —— uerbo geminato, & negatione poſteriori praepoſita, ſuauitate quadam afficiuntur aures 12
Negligentia ut ab inertia differat 356
Negotium faceſſere 137
Ne illud quidem nõ &c. modus loquẽdi ſingularis apud Cic. 261
Ne nunc, a nedum differt 412
Nequam, & frugi opp. 546
Neque, particulae uis quaedã 231
Neque, pro, nequidem 335
Ne quid reſp. detrimẽti caperet: hoc uerſiculo ſumma poteſtas in ciues, committebatur 599
Nerones, Claudiae gẽtis fuere 118
Neſcio quid, in diuerſis locis quã uim habeat 506
Ne ſi, particulae uſus 377
Nicolaus Maſſa 402
Nigidius Figulus 177.178
Nihil amplius —— uirtutẽ ipſam inchoauit, nihil amplius 476
Niſi, pro, ſed 506
Nitro maculae tolli ſolebant 366
Nobilis non opponitur plebeio, ſed nouo 37
Nobiles non tantum patricij, ſed plebeij etiam homines appellabantur 105
Nobilitas iuxta Athenodorum, a maioribus non accipitur, ſed uirtute comparatur: ab Ariſtotele in maiorum claritate, & opibus ponitur 129
Nobiſcum, quare, & non, tum nobis 406
Nolo tibi 13
Nomen —— pondus eſt in nominis proprij repetitione 91
Nomen interdum accipitur pro familia, interdum & pro praenomine, uel cognomine 581
Nomina, pro creditoribus 192
Nomini interdum cognomen anteponitur 248

Nomina aliquot propria in ENVS 249
Nominum Romanorũ doctrina 7
Nomina facere 302
Non modo, pro, non modo non, uel pro, Nedum 55
Nouiſsime 435
Nouitates rerũ ĩ rep. piculoſae 90
Nouum, & recens ut differat 467
Nox in quattuor uigilias distributa erat 469
Numerare —— ueteres ultra cẽtũ millia non numerabant 112
Numerorum notae antiquae 112. 113
Nunc, pro, ſed 62

O

OBIICERE nobis ex aduerſarij perſona, quod eius tueri cauſſam uideatur, nec tamen ad tuendum ſatis ualeat, artis eſt 161
Obiurgatus pro, obiurgauit 353
Obliuio memoriam delet, & obliuione memoriam delemus 79
Obſecrare, maiorem habet uim, quam rogare, & orare 79
Obſeruare minus, quã colere 310
Obſeruare Deum nõ dicimur 550
Obtinere, optinere 38
Occaſio minus eſt, quam facultas. 282
Occidione occidere 574
Ocellae unde dicti 605
Octauianus Ferrarius 488
Octauianus Populus Mediolanenſis 390
Octauius Caeſar, puer a Cic. uocatus 438.439
Octauius Pantagathus 367
Oculi dolent 364
Oculi ſunt indices animi 256
Oculorũ ſenſum oratorie Cicero modo auget, auriũ imminuit, modo contra 171.230
Oculis ferre 614
Odiſſe——male odiſſe aliquẽ 271
Offendere, quinque modis accipitur 207
Offendere, pro, peccare 116
Offenſus alicui 429
Officina differt a taberna 338
Officium 10
Officium, & ſtudium 32
Officio res, ſtudio uoluntas declaratur 123
Officio fungimur erga benemeritos, tribus modis 429
Officia minora, q̃ merita 12.464
Officia-- praeclara eſt inter eos cõſuetudo, q mutuis officijs amicitias ita colunt, non ut paria paribus, ſed ut maiora, quã acceperint, reddere conentur 145
ὁμοιοτέλευτα 98
Operam dare alicui 267
Opera non recte dici alicuius ſcripta 312
Opes 97
Opidum, pro, urbs 162
Opportunitas temporum uel paruae, ad impetrandum ſaepe adiuuant 251
Optare potius, quam ſperare 195
Optimas qui 278
Optimates 64
Opus pro quacumq. re, quae poſt operam exſtat 606
Opus eſſe, cum noĩatiuo 420.460
Orare, & rogare quomodo differant 216
Orare——hortari, & orare 14
Orator quare dicatur 216
Orator--eſt hoc in oratoris artificio ut eaſdem res tẽpo ris cauſſa modo oppugnet, modo defendat 171
Oratores magni in agendis cauſsis non numquam ad extrema primum reſpondent 492
Ordo honorum 161
Ordines, & homines 138
Ordines tres in ciuitate Romana erãt, patricius, equeſtris, plebeius 21
Ordines-- augere ſnĩam Cicero uidetur, cũ facta hoĩum mẽtione ordines ſubiungit, ut, Quae de hominũ, atq. ordinũ oĩum erga te ſtudijs ſcribis ad me 63
Ordines tres Romae quando iudicare coeperint 327
Origo nobilis meretrix 411
Ornamenta forenſia 208
Ornatus differt ab elegantia 156
Os, pro impudentia 198.382
Oſci ludi 268
Oſcines aues quae 243
Oſſe ſcribi primum ſolebat 410
Oſtendere 15
Oſtendere munus 82
Oſtenta facere 365
Otium pro pace 114
Ottonellus Diſcalcius 108
Oua cenarum initium 399
Oufentina tribus 347

P

PACIAECI uetus cognomen Hiſpanorum 258
Paetus unde 390
Paetus Epicureus fuit 506
Pagellarum magnitudo 470
Palaeſtra a gymnaſio quid differat 302
Palatina tribus 347
Palimpſeſtus 296
Palmari quid 448
Paludamentum 356
Pangere pro, ſcribere 606
Πανικά 611
Panſa Epicureus fuit 506
πάντα περὶ πάντων 491
Papiria tribus 347
Papiriae gentis & patriciae, & plebeiae cognomina 402
παράγραμμα 317
παρὰ προσδοκίαν 317
Paratus ab aliqua re 574
Parhedrus 606
Par gladiatorum 92.345
Parietinae 153
Pars —— maiorem partem, &c. pro, ex maiore parte 353
Parthorũ origo, & nominis cauſſa 96
Patricij maiorum, & minorum gentium 401
Patriae charitas recte dicitur, patriae amicitia non item 473
Patris praenomine appellabatur filij primo loco nati 150
Pauidenſis ueſtis 386
Paulli Manutij liber de Imitatione 424
Pax Scala 108
Peculiatus 445
Pecuniam permutari 115
Pecuniarum effuſiones ad multitudinẽ deleniendã nec ijs, quorũ cauſſa fiunt, nec ijs, a quibus fiunt, honorificae ſunt 82
Peducaeus nomen excipitur a regula nominũ Romanorum in IVS deſinentium 540
Pelopidae 311
Penates a Laribus quomodo differant 68
Peniculus 406
Pennigerum corpus 319
Per, aliquando cauſſam efficientẽ ſignificat 276
Per aliquem agere 253
Perditi, & improbi quomodo differant 55
Peregrini, qui ciuitatem Romanã aſſequebantur eorũ aſſumebãt & praenomina, & noĩa, quorũ opera, & beneficio ciues Romani facti erãt, uetere nomine cõſeruato 528
Per fortunas tuas—— quõ hic loquendi modus uſurpetur 368
Perfungi cum accuſatiuo 54
Perfunctus 43
Perhiberi aliquid 203
Perinde, & proinde apud ueteres eadem ſignificatione 417
Peripatetici—— contra Peripateticos, naturam & fatum idem

eſſe dicentes 174
Permutari pecuniam 115
Perſona—— in hoc uerbo honorificum quiddam ineſt 163
Perſpicere plus eſt, quã, intueri 63
Petere——qui petit, ſpem impetrandi ſi oſtendit, eo ipſo impetrat facilius 248
Petrus Angelius Bargaeus 95
Petrus Daneſius 138
Petri Bembi epiſtola 291
Peruerſitas 37
Peruerſus quis dicatur 506
Peſsinus opidum 99
Peſtes hominum, pro, peſtiferi homines 195
φαντασίαι 587
Philippus Tertius 95
Philoſophandi tres rationes, δογματική, ἀκαδημαϊκή, σκεπτική. 382
Phylarchus dignitatis nomẽ apud Arabes 568
Pierius Valerianus 435
Pietas 10.42
Pituitam quartana febris exſiccat. 599
Placitum eſt, antique 334
Plane 15
Plenus gradus quis ſit 490
πλεονασμός 38.48
Plinij ἀνιστορησία 184
Plutarchus Attice nõ locutus 265
Poblilia tribus 347
Podex, quare anus dicatur 406
Poematorum pro, poematũ 609
Proematis pro, poematibus 609
Poenas perſequi ab aliquo 59
Poetae melici praecones erant, in ludis gymmicis 204
Poetarum uerſus a pueris ediſci debere 259
ποιεῖν, & πράττειν diſtinguunt Graeci 288
πολυάς Mineruae cognomẽ 497
Politus 62
Pollia tribus 347
Pollio duarum gentium cognomen 31
Polybij locus mendoſus 267
Pompeij natura 30.53
Pompeij laus 142
Pompeio, Magni cognomen dedit Sullae ſalutatio 193
Pompeius duas iudiciarias leges tulit 271
Pompeius initio belli ciuilis multa peccauit 367
Pompeij factio, bello ciuili quae fuerit 332
Pompeij magnae copiae, ciuili bello, aduerſus Caeſarem 273
Pompeij conſilium de urbe relinquenda ciuili bello, ſaepe reprehendit Cicero 600
Põpeiani inſolẽtes, & crudeles 181
Pomptina tribus 347
Ponere, cum accuſandi caſu 270
Pontifices poteſtatem habebant interκalandi 339
Pontifices interκalabant arbitratu ſuo 271
Pontificatus amplißimum ſacerdotium 140
Populus de reis iudicabat, accuſante tribuno pl. aut aedili 30
Populi erat, quod in aerarium inferebatur 222
Portus differt a ſtatione 489
Poſſe, & ualere ut differant 430
Poſſe, pro, oportere 352
Poſsibile——uerbum hoc uitauit Cicero, ꝓ eo, Graeco uſus 376
Poſteritas pro, poſteris, & poſtero tempore 117
Poſt hominum memoriam 427
Poſttridie, ut conſtruatur 327
Praebere ſe, & praeſtare 169
Praebere ſe ſuperbum, credulum, &c. 116
Precibus locum nõ relinquere 15
Preces reſpuit grauitas 575
Praecipitata aetas 473
Praeda quid diceretur 113
Praedium urbanũ, & ruſticũ 353
Praeeſſe—— omnib. negotijs nõ interfuit ſolũ, ſed ꝓfuit 31.42
Praefari honorem 406
Praefecti turmae: alae: equitum: euocatorum: fabrum, in Ciceronis prouincia 113.114
Praefecturarum ius 288
Praemium honorarium 598
Praenomen ſolum aliquando uſurpatum 20
Praenomine appellabãtur filij primo loco nati 150
Praenomine eodẽ aliquando duo fratres uti ſolebant 343
Praerogatiua pro ſigno futuram rem praenunciante 577
Praerogatiua trib. & cẽturia, q̃ 577
Praes, uas, & ſponſor differunt 220. 276
Praeſtare 27.50
Praeſtare culpam 232
Praeſtare fidem 488
Praeſtare ſe, & praebere 169
Praeteriri quid 354
Praeteritorum malorum iucunda memoria 202
Praetexta fabula 445
Praetexta toga quot hominum genera uterentur 109
Praetor——qui poſt cõſulatũ in ꝓuinciã ibat, ꝓtor uocabatur 9
Praetor, latis ſentẽtijs, pronunciabat ex lege quod iudicũ maior pars pronunciaſſet 327
Praetor urbanus cur ita dictus. 424
Praetor urbanus ceteris praetoribus nobilitate praeſtabat 517
Praetoris, & quaeſtoris coniunctio. 114.118
Praetores interdũ uocabãtur, qui ꝓuincijs p̃eſſent ſiue conſulatu ſiue praetura functi 115.116
Praetores publicis iudicijs praefuerunt 337
Praetoria comitia quando fierent. 332
Praetoriae prouinciae quae 350
Praeuaricationis cauſſa tamquam appendix eſt rei iudicatae. 343. ad quod crimẽ pertineret ibid.
Prandium 22
πράττειν, & ποιεῖν diſtinguunt Graeci 288
Prendere, pro, rogare 358
Primum, ſine apodoſi 93
Princeps plus, quã, auctor, & dux, plus, quam, princeps 418
Probus interpres Virgilij 280
Procliue pro facili 251
Proconſul, magis ſcribendum, quam pro conſule 8.9
Proconſules dici interdum ſoliti, qui ex praetura in prouinciam profecti eſſent 9.115
Proconſules interdum appellabantur quaeſtores, a decedentibus proconſulibus prouinciae praefecti, interdũ etiã ꝓpraetores 9
Procõſules, propraetores, & quaeſtores, cũ ad urbẽ a prouincijs reuertiſſent, eorũ nomina poſt relatas rationes ad aerarium deferebant, quorum ſtrenua, fidelique opera uſi eſſent 223
Profiteri 610
Proficiſci——hoc uerbum interdum Cicero ad beneficiorum, & ſtudiorũ cõmemorationem accommodat 575
Profligatũ plus eſt, quã, coeptum minus, quam, confectum 353
Proinde, & Perinde, apud ueteres eadem ſignificatione 417
προλεγόμεναι 397
Promittendi officij locus, quo maxime ſolamur afflictos, extremae fere datur epiſtolae 215
Promontoria Siciliae tria 499
Prooemijs uarie uſi ſunt hiſtorici ueteres 201
Propinqui, & affines 101
Propinquitatis nomen ut capiatur 177

# Index


Propraetores, proconſules, q̃ſtores, cũ ad urbẽ a ꝓuincijs reuertiſſent, eorũ nomina poſt relatas rationes ad aerariũ deferebant, quorũ ſtrenua, fidelique opera uſi eſſent 223
Propterea quia, & ꝓpterea quod 160
πρώρα καὶ πρύμνη 612
Pro tribunali, pro roſtris, pro aede 131
Protrudere comitia, &c. 435
Prouerbijs ubi locus ſit 306
Prouerbia, auis alba 312
Cantilenam eãdem canere 466
De eadem fidelia duos parietes inalbare 313
Equis uiris, & Equis uelis 380
Et operam, & oleum perdere 268
Γόνυ κνήμης 611
Lynceo perſpicacior 374
Manum de tabula 306
Ne Andabatã quidem defraudare 285
Nec trãſuerſum unguem diſcedere, &c. 306
Nec caput, nec pedes hẽre 316
Non omnibus dormio 303
Πρώρα, καὶ πρύμνη 612
Quod in ſolum uenit 412
Ridere γέλωτα Σαρδώνιον 306
Sardi uenales 305
Sero ſapiunt Phryges 293
Sus Mineruam 397
Te ipſum laudas, tamquã Aſtydamas 204
Tunica pallio propior 611
Prouincia——mos fuit, ut ij qui decedebant, ſucceſſorem exſpectarent in prima prouincia 126
Prouinciae rationes & a proconſule, & a q̃ſtore ſeparatim referri ſolitae 222
Prouinciae ſine imperio nemo praeeſſe ſolebat 535
Prouinciae erant annuae 9
Prouinciarum rectores materiam triumphandi ex finitimarum gentium bellis quaerebant 49
Proximi cõiunctiores, quam propinqui 499
Ptolemaeus, non Ptolomaeus dicendum 35
Ptolemaeus rex Aegypti cur Auletes dictus 1
Ptolemaeus amicitiã Populi R. expetitã impetrauit aliquando. 1. cur eã amicitiã expetiuerit. 2
De eo reducẽdo factũ S. C. P. Lẽtulo Spinthere, & Metello Nepote cos. 2
Ptolemaei regis annua uectigalia 5
Publicani Ciceronis amantiſsimi, eique cariſsimi 224
Publicanorum ſocietates erãt ſingularum ciuitatum. 510. equeſtris ordinis erant 513
P.--rudes antiquitatis librarij, acceperũt p̃nomen P. pro nomine Pompeij 222
Pudor nimius agreſte quiddam ſignificat 201
Pueri---feſtiuitas laudari ſolet in pueris 236
Pueri quoque nominabantur annum ingreſsi XVII 80
Pugillaria 410
Pugio 176
Pugnare plus eſt, quã, adniti 242
Pulchri, Claudiae gentis 118
Pulchritudo, & forma ut differãt 389
Pungere, pro, commouere 102
Pupinia tribus 347
Putidus quis 277
Pyrrhus libros ſcripſit de re militari 409

Q

Quaecũque, pro, omnia 118
Quaerere--quãdo utamur his dicendi modis, noli quaerere, &, quid quaeris? 157
Quaerere——quaeres quãti aeſtimem. experiere &c. 444
Quaeſtor honoris gradu legatos ſuperabat 116
Quaeſtoris & praetoris coniunctio 114. 118
Quaeſtores--in pleraſque prouincias cum procos. aut propraet. ſinguli quaeſtores ibant, in nõnullas bini 117. 118
Quaeſtores ſtatoribus uſi ſunt, lictoribus, & uiatoribus caruerunt 110
Quaeſtores urbani curabant pecuniam populi Romani 111
Quaeſtores non comparabant inter ſe prouincias, ſed ſortiebantur; interdum a proconſulibus eligebantur 118
Quaeſtoria comitia poſtrema omnium comitiorum fuere 314
Quamquam & indicandi, & ſubiunctiuo modo iungitur 77
Quaſi--lenitur interdũ tranſlatio praepoſito uerbo, Quaſi 121
Quattuoruiri non modo municipijs, uerũ colonijs quoque praefuerunt 549
Querella LL geminata ſcribẽdum 438
Quidã--cũ ſingulare quiddã notamus, hoc utimur ꝓnomine 153
Quidam-- hoc uerbo rei magnitudo tãta declaratur, quantã uerbis exprimere nõ licet: ut, Incredibilis q̃dam exſpectatio 50
quidẽ certe, uel, q̃ dẽ, ꝓfecto 29. 42
Quidẽ certe, quãdo utamur 610
Quid multa?--cũ rẽ cõferre uolumus in pauca, utimur hoc loquẽdi genere, q̃d multa? q̃d plura? quid quaeris? &c. 53
Quid quaeris?---quãdo utamur hac interrogatione 94
Quid refert? tamen, &c. 376
Quid ſimile? 302
Qui meus in te amor eſt &c. 270
Quindecimuiri cuſtodiebant libros ſibyllinos 331
Quinquatrus 99
Quinquertium 268
Quiſquã, quot modis accipiatur 342
Quiſquis, pro, quiſque interdũ ueteres uſurparunt 230
Qui, repetitum 13
Qui res iudicant, ꝓ, Iudices 365
Quirina tribus 347
Quiritare 446
Qui ſunt, q̃ fuerũt, quique futuri ſunt, amplificandi modus 467
Quo, pro, quamobrem 202
Quod, pro ſed 365. 557
Quod —— recte dici, Memini quod uidebare, &c. 311
Quoniam 101
Quotiens 33
Quum, pro cum 13

R

RAPERE in cõtrariam partem 448
Ratio, unico uerbo explicari non poteſt 125
Ratio, uerbũ multis reb. elegãter cõmunicat Latina lĩgua 64. 65
Ratio a fortuna diſtinguitur 266
Rationem mutare 295
Rationes ciuitatum 138
Raucus rumor 375
Reapſe 390
Recens, & nouũ ut differant 467
Recipere plus eſt, quam, promittere 254
Reconciliatio—— poſt reconciliationem non numquam reſident ueteris odij reliquiae 124
Redimere 108
Referre ad ſenatum 16
Referre in rationes, &, in rationibus, differunt 221
Refrigeſcere, & calere opponuntur 385
Refrigere, & calere oppoſita, metaphoricos 131
Regere quid 589
Reges Aegypti magnum praeſidium

diũ in fide, ac tutela populi R. inueniebant 2
Regũ omniũ apud Parthos Arſaces generale nomen erat 364
Regio,& natura 36
Regiones urbis Romae quando diſtinctae 260
Relaxare,& adſtringere opponũtur 269
Reos patroni defendebant,laudabant uiri nobiles 50
Repętundae-- in cauſsis repetundarum lites aeſtimabãtur 343
Reprimere ſermones 133
Res,&cauſſa q̃d differãt 13.36.68
Reſpõdere dicũtur iuriſcõſ. 293
Reſpondere,pro,conuenire 104
Retexere, pro,mutare 473
Retineri, metaphoricos 262
Reum facere 364
Reus aequo ſentẽtiarum numero abſoluebantur 343
Ridere γέλωτα σαρδώνιον 306
Rogamus eos,quorum uoluntati parum confidimus 575
Rogare,& orare quomodo differant 216
Rogari ſe,q̃ amãt,nõ patiũtur 71
Romanae res 103
Romani ueteres illi ruſtici admodum laudabantur 608
Romano more cõmendare 276
Romani ludi 98.135
Romilia tribus 347
Roſcia lex 445
Roſcius comoedus 405
Rubium,Romana menſura 486
Rudere quãdo hoĩes dicãtur 327
Rumor 92
Rumor raucus 375

S

SABATINA tribus 347
Sabinorum probitas,& fides nota 591
Sacerdotis Comanorum poteſtas 574
Sacramentum quid 318
Sacraria non modo in ſacris aedibus,uerum in profanis etiã eſſe poterant 507
Sagittarij a uelitib.differebãt 441
Sagum,ueſtitus militaris 285
Salaco 305
Salluſtij locus 72
Sal pro facetijs 395
Sales Attici oĩbus praeſtabãt 316
Salue,ueſptina ſalutatio fuit 369
Saluis rebus 148
Salutem multam dicere foro,& curiae 319
Sanctitas 153
Sanniones 395
Sapiẽtis eſt,inania contẽnere 131
Sapientem Zeno non ſolum beatum,ſed etiam diuitem dicere auſus eſt 293
Sapientia alia naturalis, alia quae ab arte proficiſcitur 74
Sapiẽtia in puerũ nõ cadit:ſed elucere tamẽ in illa aetate ſigna q̃dã futurae ſapiẽtiae poſsũt 212
Sardiniae peſtilens caelum 303
Sardi uenales 305
Satisfacere 361
Satisfactionem accipere 289
Saturni ſignũ infauſtum 302
Sauium,& ſuauium 614
Scantinia lex 361
Scaptia tribus 347
Scaturire aliquid 331
M.Scaurus 62
Scelus a flagitio ut differat 376
Scenici ludi 265
Scientia uiuis eripi morbo tantũ, ꝑturbata memoria,poteſt 274
Scientiae, multitudinis numero 154
Scilicet 31
Scilicet,pro nimirum 585
Scribae nulli ſerui erãt ſed liberti 220
Scribendo adeſſe 345
Scriptura publicanorum 543
Scyphi 300
Sector 590
Secundo loco, pro, Deinde 31
Secus, pro,male 126
Sed——unica particula,ſed,pro, ſed etiam,non numquam Cicero contentus eſt 31
Sedebant honeſtae mulieres in lecto 411
Sedere,pro, nihil agere 594
Sedes,& domicilium 506
Σεμνὸς ut ab Ennio interpretetur 278
Senator eſſe nõ poterat, niſi DCCC millia poſsideret 510
Senatores omnes regum tempore patricij erant 401
Senatores uel coloniarum,uel municipiorum, decuriones uocabantur 258
Senatorum qui iudicabant, numerus 349
Senatoribus cur dabãtur legationes libere 453
Senatus appellari non debet, in quo nec ſenatores multi, nec eorum libera,metuq. ſoluta uoluntas eſt 148
Senatus—— plures quadringẽtis in ſenatu raro aderant 26
Senatus ĩ q̃b.locis haberetur 345
Senatus in tẽplis habebatur 425
Senatus haberi. comitialibus diebus non poterat 3.349
Senatus diſcedebat Aprili menſe 135
Senatus ſtipẽdium,&legatorũ numerũ,& ſupplicationes decernebat ſine populi ſuffragio 39
Senatui poteſtas erat, quos uellet, in prouincias mittẽdi,ſiue conſulares,ſiue praetorios 350
Senatũ uocare qui poterant 438
S.C. ab Auctoritate ſenatus quomodo differat 23.24
S.C.adeſſe ſcribendo ſoliti, qui ſe natuſcõſultum fieri uellẽt 348
S.C.impedito, ſenatus tamen uoluntas perſcribebatur 4
S.C.—— in ſenatusconſulto duplex erat praeſcriptio,neceſsitatis una, honoris altera 186
S.C.duob.modis fieri ſolita 157
S.C. fieri non poterat, niſi certus ſenatorum numerus adeſſet 52
Senatus cõſulti impedimẽta 349
Senatoria dignitas prius non niſi patricijs patuit 403
Senectus —— in ſenectute friget ſanguis,& animus 109
Seneſcere metaphoricos 166
Senſum amitti in morte,aliquãdo affirmat Cicero 235
Sententia——in hanc ſententiam ſcriberem plura 84
Sententiae--- meliore cõdicione cur eſſent ij, q̃ in ſenatu primi ſententias rogabantur 21.cum aliquis in dicẽda ſentẽtia duas, pluresue res cõplecteretur,eae ſi non omnes probabantur,poſtulabatur ut diuideretur 21
Sententiae etiam a priuatis rogabantur in ſenatu 21
Sententiarũ,non ordinũ numeri, cum tres ordines iudicarent,ratio habebatur 344
Sententias in ſenatu rogabat magiſtratus is,qui ad ſenatum retulerat 21
Sepeliri, uel uri mortuos intra urbẽ,Solonis lege uetitũ erat 177
Sergia tribus 347
Sermo,&collocutio ut differat 51
Sermones retundere 325
Sero nimis uidetur fieri quod uehementer cupimus 134
Sero ſapiunt Phryges 293
Seruare de caelo 23
Seruare de caelo qui ſolebãt 357
Seruare de caelo——cum de caelo ſeruabatur, nihil agi cum populo poterat 52.357
Seruari inuitus quis dicatur 189
Seruis capitale erat,qui dominum non defendiſſent 176

Seruis quod nomen fuerat, idem li berti retinebant. 120. Serui ſae pe a patria appellabantur. ibid.
Seruius Sulpicius Rufus 122
Ser. Sulpicius dialecticam egregie cognouit 156
Seueritas, pro ueritate, & iuſtitia 384
Seueritas, & humanitas ſpecie diſpares, prudẽtia iũgi ſolẽt 498
Si— cũ ita nos aliq̃d dicturos eſſe oſtẽdimus, ut aliq̃d tamẽ ꝑponere uelimus, utimur, Si, hoc modo: Aggrediamur iam quod ſuſcepimus, ſi prius expoſuerimus quae cauſſa in iudicium deducta ſit 164
Sibyllina carmina 14
Sibyllinos libros quindecimuiri coſtodiebant 331
Sic, iunctum ſuperlatiuo 516
Sic, minuendi uim habet 592
Signa-- inter ſigna militaria primũ locũ ſẽp habuit Aquila 441
Signa quattuor fuere in exercitu Romano, ꝑter Aquilã, Lupus, Minotaurus, Equus, Aper. 441. Manipuli ſua habebant ſigna. ibid. & 442
Silua Gallinaria 408
Similia —nihil iucũdius, atque etiam nihil utilius, quam in legẽdo ſimilia conferre 68
Similitudine locorum indagãda, copia alitur, & ingenium excitatur 269
Simius, & Simia appellari ſolebãt per contemptum 198. 271
Simul, ſimul atque, ſimul ac, ſimul ut 258
Simulacrum, & imago ab effigie ut differant 203
Simulacrum —— ueſtigium minus, quam, ſimulacrum 414
Simultas quid 144. 337
Sin, abſque redditione, per ἀποσιώπησιν 481
Sin, ſaepius antecedẽte ſi, interdũ ſimpliciter uſurpatur 149
Singulare, & ſũmũ ut differãt 50
Singularis, interdum ualet minus quam, incredibilis, interdum plus 153
Siniſter cantus pro laeto, ac proſpero 243
S. Q. D. E. R. A. P. P. V. L. O. E. 349
Si q̃ſquã eſt &c. cõcĩna figura 255
Siſennae ratio de nominibus, materfamilias, &, paterfamilias 198
Si uir es, hortandi modus 397
Soboles 448
Socius, & comes ut differant 69
Sociorum plura genera, Latini, Italici, prouinciales 85
Socratis ἀγωνίζεσθαι 155
Soleis Romani domi utebantur 446
Sollicitior, ſollicitiſsime 429
Sollicitũ habere, ꝑ, ſollicitare 107
Solonis lege ſepeliri, uel uri mortuos intra urbẽ, uetitũ erat 177
Soluendo non eſſe 131
Soluere fidem 432
Sordes maerorem conſequuntur 555
Species pro imagine, uel ſimilitudine 485
Specula 108
Sperare minus eſt, quã, exſpectare 275
Sperare--hoc uerbo aliquãdo utimur in rebus, quas minime uolumus 184
Spes---ex ſpe deturbari 193
Spem uincere 557
Spiſsius, pro, ſerius 97
Splendorem ſaepe Cicero tribuit equitibus Romanis 25
Sponſor, uas, & praes differunt 220. 276
Spõſio litigãtiũ q̃ fuerit 299. 300
Sportellae, cibi genus 399
Stadia quot paſsibus cõſtẽt 595
Stans, pro, incolumis 58
Statio differt a portu 489
Stellatina tribus 347
Stoici de uitãda culpa tantum laborabant 393
Stoicorum ἀδιαφορία 407
Stoicorum breuis oratio 577
Stomachum facere, &c. 109
St, ſilentij nota 612
Studium quid 247
Sudium, & amor 50
Studium, & officium 32
Studiũ plus eſt, quã diligẽtia 79
Studium eſt animi, diligentia re ipſa praeſtatur 238
Sudio uoluntas, officio res declaratur 123
Studioſus, abſolute 541
Stulte—— qui ſtulte aliquid fecit, fama illi paena eſt, & ſtultus eſſe dicitur 246
Stylus dicendi opifex 316
Suauium, & ſauium 614
Subitum eſſe 508
Sub manu 433
Subroſtrani 325
Subſelliorum tria genera 514
Sub ſignis 420. 449
Subtilitas in ſententijs, elegãtia in uerbis. 155. pro puritate, & ue nuſtate ſermonis 156
Subtiliter cauſſas agere quid 156
Suburana tribus 347
Subornare 433
Summum bonum Epicurus in uoluptate, Academici in uirtute collocabant 505
Summũ, & ad ſummum, dicitur, Ciceronis exemplo 226
Sũmũ, & ſingulare ut differant 50
Suplata nomina augent 153. 156
Suppedere 407
Suppeditare, abſolute 296
Supplicatio cõſulibus decerni ſolita, quinque dierum longior non fuit, & quid eſſet 104
Supplicatio decreta Ciceroni togato 575
Supplicationes quibus dari ſolitae 358
Supra, & antea differunt 460
Sus Mineruam 397
Suſtentare caſus, & cadentem 179
Sutorio atramento abſolutus 403
Syngrapha quid 294
σύνταγμα quid 330

T

TABELLARII unde dicti 122
Taberna differt ab officina, & apotheca 338
Taberna, & caupona idem 259. 260
Tabula Valeria 555
Tamen, quater in primis ep. ad Torquatum comprehenſionibus repetitum 230
Tamen —— quid refert? tamen, &c. 376
Tamen etſi, pro, tametſi 182
Tantum quod 302
Tantundem, non, Tantumdem, dici debere 258
Tantus, a, um--aliquando minuit potius, quam auget 35
Tantus, & tam praeclarus, recte dici, contra Grammaticos 186
Tarentini molles 288
Tarracinarum uetus nomẽ Anxur fuit 303
Telamo Ennij tragoedia 411
Temperãtia, & moderatio idẽ 69
Temperius, & temporius 395
Tempeſtas metaphoricos 205
Templum, aedes ſacra, curia, diuerſa eſſe poſſunt 165
Tempus pro calamitate 165
Temporis longinquitas dolorem minuit 237
Tempore, & tempori 296
Tempora & mores 85
Temporum uis quantũ ualeat 90
Temporum uarietas 242
Tẽporũ nomine aduerſus caſus aliquãdo appellat Cicero 68

Tenere,pro,obtinere 16
Tenues qui dicantur 283
Terentina tribus 347
Terrae filij qui dicerentur 283
Terra nata 308
Teruncius,argenteus nũmus 111
Teſtamenti factio 300
Teſtimonium dare 214
Tetradrachmum 486
Theatrum Curionis in funere patris 327
Theatrum —— ingredientes in theatrũ, ſibilo excipiebãtur ij, de quibus bene populus non exiſtimaret 328.359
Thomas Leonicus 192
Tiberius unde dictus 239
Tibi,ornatus cauſſa poſitum 374
Tigellius Hermogenes 303.305
Timaei duo 201
Tiro Ciceronis epiſtolas collegit 605
Tiro facile epiſtolas Ciceronis patroni ſui alio, quã quo paſsim legũtur ordine,collocauit 551
Toga picta 401
Toga-- ſumpta uirili toga pueri a magiſtris diſcedentes in forum cum parentibus prodibãt: a parentibus autem ad claros uiros deducebantur 79.80
Tollere,ambiguum uerbum 466
Torquati unde dicti 230
Totum,pro ea re, quae ſumma eſt 574
Trabeae ueſtis tria genera 401
Trabea poeta 401
Tradere 88
Tragoedia,Clytẽneſtra, Attij poetae 267
Tragoedia Ennij Telamo 411
Tragoedia Equus Troianus,Liuij Andronici 267
Tragoedia Turpilij Demiurgus 405
Tranſactum eſt 557
Transfundere, &,exhaurire metaphoricos opp. 389
Tranſigerae feliciter 302
Tranſire aliquid 373
Tranſire in alia omnia 21
Tranſlata uerba plus habẽt iucunditatis, quam propria 19
Tranſlata uerba quiddam habent magnificentius,quam propria, & orationem,quaſi ſtellae quaedam, illuſtrant 48.49
Tranſlata uerba ne aſperitatẽ habeãt alieno loco, molliuntur, ꝑpoſitis aduerbijs,Quaſi, Tamquam, Veluti, &c. 142.153
Tranſlaticium,hoc eſt,uſitatũ 132
Trãſuersũ unguem non diſcedere 306
Trebulae 471
Treuiri Galliae populi 290
Treuiri monetales 291
Tribunicia comitia ante ꝑtoria,& aedilicia fiebant 331
Tribuni militum ſeni erant in legione 433
Tribunorum mil. duo genera 516
Tribunorum mil. duo genera, Rufuli, & Comitiati 276
Tribunatus mil. poſt conſulem, & legatos honor erat in caſtris maximus 277.282
Tribunus pl. 17.habebat ius referendi in ſenatũ 18
Tribuno pl. intrare curiam non licebat 21
Tribunus pl. an fuerit magiſtratus 34
Tribunus pl.ad populũ,nõ ad plebẽ ferre dicebatur 349
Tribuni pl.poteſtatẽ habebãt uocandi ſenatum 457
Tribunis pl. primus magiſtratus dies fuit VI.id.Decem. 91.187
Tribus urbanae quattuor 347
Tribuũ Romanarum numerus,& nomina 346.347
Tributorum collatio alia ex capite, alia excenſu, &c. 132
Trima dies 258
Trinundinum, pro trinundini ſpatio 601
Tripudium ſolliſtimum 243
Triumphandi materiam prouinciarum rectores ex finitimarũ gentium bellis quaerebant 49
Triumphus quo pacto impetrabatur 135
Tromentina tribus 347
Tueri 79
Tueri eſt colere 134
Tullij patricij primũ, deinde plebeij generis fuere 7. unde dicti ibid.
Tunica cingi ſolita erat 446
Tunica pallio propior 611
Tunica palmata 401
Turbare, & conturbare decoctorum eſt 342

V

VADIMONIVM differre 92
Valere, & poſſe ut differant 430
Valerij nomen boni ominis apud Romanos habebatur 74
Vanitas pro inconſtantia 90
Varietas temporum 242
Varro contumelioſum nomẽ 412
Varro ueterẽ, non nouam academiam probabat 381
Varronis ſcripta 372
Varronis libri de lingua Latina ad Ciceronem 382
Vas, praes, & ſponſor differunt 220.276
Vaſorum uinariorum menſurae, & nomina 300
Vaſtitas pro ſolitudine 448
Vaticinari, pro, alucinari 109
Vatinij unde dicti 196
Vatinij oratio in Ciceronem 52
V pro B & B pro V ueteres ſcribere ſolebant 412
Vectigalia quincto quoque anno perſoluebantur 102
Veientina tribus 347
Vel,ꝑcipuum quiddã notans 101
Vel, pro, Etiam 383
Velificari, pro, aſſentari 356
Velina tribus 347
Velites qui 399
Velites q̃bus armis uterentur 440.441
Vellem cum infinitiuo, ut, uellem potuiſſe obſequi 125
Venire in mentem, modo cum nominandi, modo cum generandi caſu 116.117
Venire in mentẽ modo cũ dandi, modo cum generandi caſu 273
Venus Apellis 62
Verbi iteratio habet ornamẽtum 121
Verbo geminato,& negatione poſteriore praepoſita, ſuauitate quadam afficiuntur aures 12
Verba—— tribus uerbis, copula nulla interpoſita, uis ſumma perficitur 253
V.F. 348
Verecundiam Platonis amabat Cicero in loquendo 404
Vere gratulari 251
Vereor, &, uereor ne 231
Vereor—— hoc uerbo cum negatione quot modis uterentur ueteres 78. & 87
Vereri quos dicimur 377
Vero εἰρωνικῶς 62
Vero, ſecundo loco poſitum, uel negationem demonſtrat, uel aſſenſum 314
Verſus—— in Italiam uerſus 176
Veſperna 22
Veſtigium minus, quam ſimulacrum 414
Veturia tribus 347
Vetus,&, antiquus ut differat 467
Via Aemilia 441
Via Flaminia 441
Vicẽ-- doleo tuam uicem 49.161
Vicem alicuius timere 465
Victoria inſolentes facit uictores 157

Victoria ſemper incerta eſt 236
Victorias bellicas fortunae tribuit Cato 577
Victus, & uita 303
Videre——poſtea uidero 293
Videor—eſſe uideatur: numerus, quem in Cicerone eius obtrectatores, notabant 42
Videndum eſt, dubitandi aliquando uim habet 562
Videre uideor, &c. modus trāsferendi cōiecturā ad oculos, quo plus fidei noſtra conſequatur opinio 608
Videre, pro, curare 298
Videre, metaphoricos 270
Vigiliae——nox in tres uigilias diuidebatur 128
Vigilia, metaphoricos 469
Vinariorum uaſorum menſurae, & nomina 300
Vincentius Riccius a ſpe 614
Vindico dicendum, non uendico 85
Vinea inſtrumentum bellicum 97
Villae aliquot nomen ſumentes a propinquis opidis 259
Violare uirginem, pro, uitiare, ueteres modeſte dicebant 406
Vir, & homo 169
Vir bonus, homo probus 276
Virtus dupliciter capitur 239
Virtus, & fortuna 416
Virtus, aliquando, pro praeſtātia quadam in omnibus rebus 158
Virtutis p̄mium nō eſt honor 425
Virtutis ſpectatae durior eſt condicio, quam incognitae 240
Virtuti nuncium remittere 587
Vis, pro, natura 141
Vita, & uictus 303
Viuere beate 231
Vltro, iungitur uerbis & actiuis, & paſsiuis 284
Vlubrani ciues, Ranunculi a Cicerone per iocum uocati 296
Vmbilicus—unde dictum, ad umbilicum peruenire 128
Vnciarium fenus 192
Vnde petitur, & debitor non omnino idem 286
Vobiſcum quare potius, quā cum nobis dicamus 406
Vocaliū cōcurſus in oratione non ſemper reprehendendus 11
Vocare ſenatum qui poterant 438
Volo, pro, cupio 580
Volo tua cauſſa 13
Voltinia tribus 347
Volumen epiſtolarum 128
Voluntas animi 224
Volūtatis optimae ſignificatio parem elicit uoluntatem 121
Voluptas non minus, quam moleſtia, mentem adimit 94
Vota facere 271
Vota imperatores pro uictoria faciebant 246
Vrbanus homo quis 131.132.134
Vrbanitas 128.277
Vrbanitas quattuor nominibus appellata 316
Vrbs——ad Vrbem eſſe qui dicebantur 131.142.148
Vſura cēteſima omnium grauiſsima 192
Vſurpari quid dicatur 211
Vſurpatus, a, um, in praeterito, actiue 405
Vſus plura ſignificata 515
Vt in tali re, corrigit ſententiam hic loquendi modus 171
Vt inter bonos bene agier oportet 288
Vt nunc eſt 324
Vt nunc quidem eſt 171
Vtilitas—— non amor ob utilitatem, ſed utilitas ob amorem aeſtimanda 145
Vtilitas pro uſus 596
Vtrubi 378

X

XENOPHONTIS libellus de Ageſilai laudibus 203

Y

Y Graeca littera interdum ſeruatur 533
ὑπερβολή 317

Z

ZENONES octo 405

FINIS

# IN · EPISTOLAS
# M · TVLLII · CICERONIS
## QVAE
## FAMILIARES
## VOCANTVR
# PAVLLI . MANVTII
## COMMENTARIVS

## Argumentum epiſtolae primae Ciceronis ad Lentulum.

PARTES *argumenti duae ſunt, una & extrinſecus, & ſatis longe petita, quae ad regem Ptolemaeum proprie pertinet; altera, quae ſumitur ex ipſa epiſtola, & regiae cauſſae ſtatum explicat; prior non aliena, poſterior etiam neceſſaria. Rex Aegypti Ptolemaeus, Auletes dictus, quia tibijs canere, praeter dignitatem regiam, ſolitus eſſet, pater Cleopatrae, notiſſimae feminae, & eius Ptolemaei, cuius eſt iuſſu interfectus Pompeius Magnus, ſocietatem, & amicitiam populi Romani diu expetitam impetrauit aliquando, Caeſare & Bibulo cos. qua de re ſic ipſe Caeſar lib.* III. *de bel. ci. Controuerſias regum ad populum Romanum, & ad ſe, quod eſſet conſul, pertinere exiſtimans, atque eo magis officio ſuo conuenire, quod ſuperiore conſulatu cum patre Ptolemaeo & lege, & S.C. ſocietas erat facta. Et in oratione pro Poſtumo: Non ei regi pecuniam credidit, qui alienus ab hoc imperio eſſet, ſed ei, quicum foedus feriri in Capitolio uiderat. Eam autem ſocietatem diu exoptatam eſſe a Ptolemaeo, nec niſi Caeſare conſule obtineri potuiſſe, intelliget, opinor, qui perpendet illud in ep.* 16. *lib.* 2. *ad Atticum: De rege Alexandrino, placuiſſe ſibi, aliquando confici. Nam uerbum, Aliquando, negatam antea Ptolemaeo ſocietatem, ſatis, ut opinor, oſtendit. Nec uero minimam eius impetrandi honoris difficultatem Suetonius de-*

*monſtrat, cum ait in Caeſaris uita: Societates, ac regna pretio dedit, ut qui uni Ptolemaeo prope ſex millia talentorum ſuo Pompeijq. nomine abſtulerit. Porro cupiditas Ptolemaei tanta ſocietatis, & amicitiae populi Romani, non ſolum ex eo nata, quia ſuperiores fere omnes Aegypti reges, eundem honorem adepti, praeſidium aduerſis temporibus in fide, ac tutela Romanorum ſaepe maximum inuenerant; uerum etiam, quod ipſe, niſi ſocius, amicusq. populi Romani appellaretur, ſtabilem ſibi, atque tutam regni poſſeßionem non putabat: idq. duabus cauſsis, primum quod Alexandri regis, qui proximus regnauerat, teſtamento Aegyptus Romanis relicta dicebatur: itaque ait Cicero in oratione prima in Rullum: Dicent decemuiri, id quod dicitur a multis, & ſaepe dictum eſt, regis Alexandrini teſtamento regnum illud populi Romani eſſe factum. Et in ſecunda in eundem: Quis ueſtrum ignorat, dici, illud regnum teſtamento regis Alexandrini populi Romani eſſe factum? Et paullo poſt: Video, qui teſtamentum factum eſſe confirmat: auctoritatem ſenatus exſtare hereditatis aditae ſentio, tum, quando, Alexandro mortuo, legatos Tyrum miſimus, qui ab illo pecuniam depoſitam noſtris recuperarent. Hac igitur de cauſſa, ne ſibi regnum populus Romanus adimeret, Ptolemaeus timebat. accedebat altera, quod ipſe, non modo Alexandri regis mortui filius, uerum nec e regio eſſe genere putabatur. itaque ſubiungit ibidem Cicero: Eum, qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque animo regio eſſe, inter omnes fere uideo conuenire. Ptolemaeum deſignat: de quo etiam paullo poſt, Qui ſunt, inquit, iſti decemuiri, quos perſpiciamus regnum Alexandriae Ptolemaeo gratis adiudicaturos? Honor igitur ille ſocietatis, & amicitiae populi Romani, uehementer optatus confirmandi regni cauſſa, magnoq. emptus, neceßitatem quandam Ptolemaeo attulit Aegyptios offendendi. nam, cum ab eis intolerabilia tributa exigeret, incurrit in eorum odia: ex quo multitudine concitata, uitae ſuae timens, e regno Romam profugit, Lentulo Spinthere, Metello Nepote cos. ideſt biennio poſt, quam in ſocietatem, amicitiamq. populi Romani receptus erat. Queſtus iniuriam, petijt, ut reſtitueretur, impetrauitq. non magno negotio, uel Pompeij gratia, eius cauſſam adiuuantis, ob amicitiam Mithridatico bello contractam; uel ſuffragante pecunia, clam multis data; uel etiam, quod regis bene de rep. meriti, (nam, ut Plinio referente cognoſcitur, Pompeio, circa Iudaeam rem gerenti, octo equitum millia, Ptolemaeus ſuo ſumptu miſerat) & eius regis, quem ſenatus populusq. Romanus biennio ante, Caeſare & Bibulo cos. ſocium atque amicum appellaſſet, iniurias ulciſci, non modo iuſtum, ſed exemplo etiam utile, ſpecioſumq. uidebatur. His cauſsis factum eſt S. C. referente conſule P. Lentulo, ut ſortirentur conſules, uter eorum regem reduceret, ideſt, ut is reduceret, cui Cilicia prouincia obtigiſſet: quae obtigit Lentulo.*

*nam,*

*niam, ſi Ciliciam Lentulus antea ſortitus eſſet; co niici poſtea in ſortem reductionem regis non oportuit, quippe cum ea Ciliciae proconſuli, cui prope in conſpectu Aegyptus eſſet, ob facultatem rei perficiendae prorſus defe renda uideretur. Hiſpania uero, quae obuenit Metello, ut in Appiano legimus, longiſſime ab Aegypto remota, omnino cum reductione regis Alexandrini coniungenda non fuit. Huius & S. C. & ſortis in oratione in Piſonem mentio fit his uerbis: Auderet Gabinius, ſi non acerrime fureret, quam prouinciam P. Lentulus, cum & auctoritate ſenatus, & ſorte haberet, interpoſita religione, depoſuiſſet, eam ſibi tum adſciſcere, cum, etiam ſi religio non impediret, mos maiorum tamen, & exempla, & grauiſſimae legum poenae uetarent? Et in ea pro Poſtumo: Non latroni, ſed regi credidit; nec regi inimico populi Romani, ſed ei, cuius reditum conſuli datum a ſenatu uidebat. Et in eadem: Non ad Gabinij, cuius id negotium non erat, ſed ad P. Lentuli, clariſſimi uiri, auctoritatem, a ſenatu profectam, & conſilio certo, & ſpe non dubia Romam contenderat. Accedit huius epiſtolae teſtimonium, ſatis apertum, his uerbis: Hortenſij, & mea, & Luculli ſententia, ex illo S. C. quod te referente factum eſt, tibi decernit, ut regem reducas. Et in ep.7. Nullum exſtat S. C. quo reductio regis Alexandrini tibi adempta ſit. Quae confirmat lib.* XXXIX. *hiſtoria Dionis. Exeunte anno, cum Lentulus nondum in prouinciam iuiſſet, per C. Catonem tribunum pl. obiecta ſenatui religio eſt, prolato e Sibyllinis uerſibus oraculo, ne rex cum multitudine reduceretur; ſi fieret, malo publico futurum. Tum factum eſt alterum S. C. referente de religione Marcellino conſule; regem cum multitudine reduci, periculoſum reip. uideri. De hoc S. C. ſic in ep.2. lib.* II. *ad Q. Fr. De rege Alexandrino factum eſt S. C. cum multitudine eum reduci, periculoſum reip. uideri. Atque illam epiſtolam cum uideam* XIV. *Kal. Febr. ſcriptam eſſe, facile poſſum ſuſpicari, hoc S. C. antequam haec ad Lentulum mitteretur, eſſe factum. nam neque idibus, quo haec die ſcripta eſt, neque poſtridie, ideſt* XVII. *Kal. neque* XVI. *factum eſſe, ex duabus conſtat epiſtolis, ſecunda, & quarta. Quod ſi quis,* XV. *Kal. ideſt pridie quam illam ad fratrem Cicero ſcripſit, decerni potuiſſe dixerit: antiqua conſuetudine refelletur. ſenatum enim haberi per dies comitiales non licuit. comitialem autem fuiſſe diem,* XV. *Kal. Ian. non ſolum faſti dierum ueteres, ſed etiam Cicero ipſe in quarta docet epiſtola. nam, cum de ſenatu ad* XVI. *Kal. habito locutus eſſet, ſubiunxit: Senatus haberi ante Kal. Febr. per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt. In ea etiam ad fratrem, cuius proxime ſum uſus exemplo, extractam ait rem obtrectatorum Lentuli calumnia, deinde comitiales dies eſſe conſecutos: cum de ſenatu* XVI. *Kal. habito loquatur, ut in quarta ſignificat huius libri: ubi, iiſdem fere uerbis utens, Res, in-*

*quit, ab aduerſarijs noſtris extracta eſt uarijs calumnijs. Ergo, ut redeam unde diuerti, S.C. de religione ante hanc epiſtolam, ideſt ante Idus Ian. factum erat. Tertium S.C. cum fieret, ne quis omnino regem reduceret; id quod, ut haec docet epiſtola, P. Seruilius Iſauricus cenſuerat; interceſſum eſt. Senatus tamen uoluntas perſcripta; quod, impedito S.C. fieri ſolitum eſt; ut memoriae traderetur, atque exſtaret in publicis tabulis, quid ſenatus, niſi obſtitiſſet interceſsio, fieri uoluiſſet. Hac de re ſic in ep. 7. Nullum exſtat S.C. quo reductio regis Alexandrini tibi adempta ſit, eaque, quae de ea ſcripta eſt, auctoritas, cui ſcis interceſſum eſſe, ut nequis omnino regem reduceret, tantam uim habet, ut magis iratorum hominum ſtudium, quam conſtantis ſenatus conſilium eſſe uideatur. Sublato igitur a religione exercitu, cum de rege reducendo deliberaretur, & alij eum honorem Lentulo, quem iam antea & S.C. & ſortis beneficio acceperat, conſeruarent, alij Pompeio mandandum, alij aliter cenſerent; uarietas opinionum rem extraxit; Catonis deinde tribuni pl. audacia diſturbauit penitus, atque peruertit. nam & ab initio tribunatus, ut Feneſtella docet apud Nonium, concionibus aſsiduis inuidiam regi, ac Lentulo concitauit; & mox, lege etiam de abrogando Lentulo Ciliciae imperio promulgata, animos eorum, qui Lentulo fauebant, a minore cura ad ſummum timorem traduxit: Pompeium uero, in ſenatu aſpere, & acerbe accuſatum, eo redegit, ut conſilium reducendi regis abijceret. itaque rex, deſperato ſenatus auxilio, confugit ad Gabinium, Syriae proconſulem: a quo, promiſſis ei decem talentorum millibus, (ea ſunt HS bis millies quadringenties: ut oſtendit Cicero in oratione pro Poſtumo) Pompeio etiam, qui cum Craſſo tum conſulatum gerebat, admodum pro eo contendente, facile impetrauit, ut reſtitueretur. Ex eo poſtea Gabinius maieſtatis accuſatus, quod prouinciae ſuae finibus, contra legem Corneliam, exceſsiſſet, corruptis iudicibus abſolutus eſt; mox tamen de repetundis in iudicium uocatus, defendente, Pompeij rogatu, Cicerone, qui priore iudicio accuſauerat, odio maxime prioris iudicij damnatus, publicatis bonis, in exſulium abijt: quem poſtea dictator Caeſar reſtituit. Hinc illa in eum oblique coniecta in oratione contra Piſonem. Se ipſum, faſces ſuos, exercitum populi Romani, numen, interdictumq. deorum immortalium, reſponſa ſacerdotum, auctoritatem ſenatus, iuſſa populi, nomen, ac dignitatem imperij regi Aegyptio uendidit: in Aegyptum uenit: ſigna contulit cum Alexandrinis: cepit Alexandriam. Atque hoc loco foedam Appiani negligentiam diſsimulare non poſſum, qui Gabinium, Pompeio tertium conſule, de maieſtate damnatum putat. in quo dupliciter peccat, primum temporis, deinde criminis inſcientia. nam Gabinius biennio ante Pompeij tertium conſulatum, Domitio, & Appio cos. non de maieſtate, ſed de repetundis damnatus eſt. utrumque docet*

*Dionis*

*Dionis hiſtoria: cui ſi fides abrogatur; ipſe certe non refelletur Cicero; quo ego, praeſertim in rebus illius aetate geſtis, locupletiorem teſtem non quaero. is in epiſtola* 16. *ad Atticum lib.* IV. *& in epiſt.* 4. *ad Q. Fr. lib.* III. *prorſus patefacit* ἀνιστορησίαν *Appiani. Sed, ut redeam ad Auletem, pecuniae tantam uim Caeſari primum ab eo datam, ut ſocietatem populi Romani conſequeretur, deinde Gabinio, ut eiectus reſtitueretur, forſitan mirari aliquis poſſit. qui ſi eius regis annua uectigalia nouerit; non dubito, quin mirari deſinat. capiebat enim ex Aegypto, ut in quadam oratione Ciceronem ſcripſiſſe grauis auctor Strabo lib.* XVII. *memoriae tradidit, talenta annua duodecim millia quingenta. In tantis opibus magni negotij non fuit, aut Caeſari ſex millia talentorum, aut Gabinio decem millia largiri, aut etiam, id quod a Varrone proditum Plinius narrat, octona millia equitum, Pompeio circa Iudaeam res gerente, ſua pecunia tolerare, mille conuiuas, totidem aureis potorijs, mutantem uaſa cum ferculis ſaginare. Hactenus de Ptolemaeo. Nunc, quae ſit epiſtolae ſententia, quo principio inducta, quibus diſtincta partibus, quo fine concluſa, uideamus. Ac primum; quod ijs, qui aliena negotia curant, amouenda in primis negligentiae ſuſpicio eſt; orditur Cicero ab officio ſuo; operamq. a ſe in regio negotio nauatam ita ſignificat, ut eximiam in Lentulum beneuolentiam praeſeferat. mox regis, & eius amicorum ſtudium, conſulis, & conſularium ſententias, Pompeij familiarium contentionem, perfidiam amicorum exponit. quae qui attendat, rei difficultatem, ex Lentuli ſententia conficiendae, maximam uideat. nam ad regis uoluntatem, qui reduci a Pompeio, ciuitatis principe, cupiebat, Hammonius eius legatus, clam pecunia data, ſenatorum animos traducere conabatur. Senatorum autem alij, illius largitionis inuidia, regem oderant, reducendumq. prorſus negabant, ut Marcellinus, Seruilius, ſenatus maior pars: alij Pompeio rem deferri malebant, ut Volcatius, Afranius, Lupus, Libo, Hypſaeus, omnes praeterea Pompeij familiares, quos, pro ſumma eius auctoritate, & gratia, plurimos fuiſſe par eſt: nonnulli, ut Craſſus, reducendum quidem regem, ſed ſine exercitu, Sibyllae uerſibus admoniti, cenſebant. Horum tria uideo genera fuiſſe. nam, cum omnes in tuenda religione conſentirent; non tamen omnium in ratione reducendi ſenſus idem erat. Placebat Craſſo conſulari, a tribus legatis, uel priuatis, uel ijs etiam, qui cum imperio eſſent, regem reſtitui: ita neque Pompeius, neque Lentulus, qui cum imperio erant, excludebantur. Placebat Bibulo, item conſulari, a tribus priuatis: ita Pompeio, & Lentulo locus erat. Contra Hortenſius, Lucullus, Cicero, ipſi quoque conſulares, ab uno Lentulo, Ciliciam cum imperio adminiſtrante, reducendum cenſebant: quod anno ſuperiore, ipſo Lentulo conſule referente, ſenatus decreuerat. Quae ſi perpendantur ſingula: paene res a Lentulo remota uidebitur.*

*bitur. nam, ſi Marcellini, & Seruilij de non reducendo rege ualeat opinio: iacet negotium. Si Pompeij familiares uincunt: Lentulo reiecto, Pompeius decernitur. Si de legatis priuatis Bibuli ſententia probatur: aeque Lentulus, & Pompeius, qui cum imperio erant, reijciuntur. Si Craſſus auditur, ut inter legatos locum habeant ij, qui cum imperio ſunt: oritur inter Lentulum, & Pompeium de reductione contentio: nec dubium, quin Pompeius obtineat, honoribus, & meritis in remp. ciuitatis facile princeps. unicum igitur in Hortenſij, Luculli, Ciceronis ſententia perfugium. Sed hic etiam aduerſantur multa: primum, ſenatus uoluntas, a rege, propter apertam largitionem, alienior; deinde, corrupti ab Hammonio, regis legato, non pauci; qui rem ad Pompeium deferri omnes uolebant; poſtremo, ipſius Pompeij familiares, & in ijs tribuni pl. aliquot, parati ad intercedendum, ſi pro Lentulo S.C. fieret. Addo illud, quod Ciceronis, quia Lentuli beneficio obſtrictus uidebatur, in cauſſa regia minor erat auctoritas; gratia uero eius, ut magna eſſet, maiore tamen Pompeij gratia uincebatur. Nec uero, adempto exercitu, quod Cicero etiam, Hortenſius, Lucullus religionis cauſſa probare cogebantur, magnopere erat, cur eam reductionem Lentulus expeteret: quippe qui uereretur, ne, reſpuentibus regem Alexandrinis, quos cogere ſine armis nequiret, infecta re cum aliquo dedecore diſcederet. Quocirca praeclarum in hac epiſtola Ciceronis artificium licet animaduertere: qui neque ſperare Lentulum iubet, cum deſperandum potius intelligat; neque tamen prorſus eum abducit a ſpe, ueritus ne hominis amiciſſimi, optimeq. de ſe meriti, fortaſſe etiam, ipſius opera Ciceronis, optatum rei exitum exſpectantis, animum offendat. nam in eo loco: In ſenatu ſic egit cauſſam tuam, ut neque eloquentia maiore quiſquam, neque grauitate, nec ſtudio, nec contentione agere potuerit: Pompeium optime animatum erga Lentulum ſignificat. Infra uero, cum ſubiungit: Quae res auget ſuſpicionem Pompeij uoluntatis: Et paullo poſt: In eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere uideatur: Et in eo: Quod Pompeio ſe gratificari putant: idipſum, quod promiſerat, in dubium reuocat. Quod ſi qui erant, qui Pompeij cauſſa nollent; ij nec Lentulo, qui antea Pompeium ornauerat, fauebant. Ita Lentulo ſpes omnis infirmatur: cum uel amicos Pompeij aduerſarios habeat; uel, qui alieniores Pompeio ſint, amicos ipſe habere non poſſit. Callide autem, ne ſua culpa res inclinaſſe uideatur, inducit illa quaſi excuſationis loco: Vt in rebus multo ante, quam profectus es, ab ipſo rege, & ab intimis, ac domeſticis Pompeij clam exulceratis, deinde palam a conſularibus exagitatis, & in ſummam inuidiam adductis, ita uerſamur. Scripta eſt epiſtola, Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo cos.*

*M. Cicero*

## *M. Cicero S. D. P. Lentulo procos.* I.

*EGo, omni officio, ac potius pietate erga te, ceteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe numquam ſatisfacio. tanta enim magnitudo eſt tuorum erga me meritorum; ut, quoniam tu, niſi perfecta re, de me non conquieſti, ego, quia non idem in tua cauſſa efficio, uitam mihi eſſe acerbam putem. In cauſſa haec ſunt. Hammonius, regis legatus, aperte pecunia nos oppugnat. res agitur per eoſdem creditores, per quos, cum tu aderas, agebatur. regis cauſſa, ſi qui ſunt, qui uelint, qui pauci ſunt; omnes rem ad Pompeium deferri uolunt. ſenatus religionis calumniam, non religione, ſed maleuolentia, & illius regiae largitionis inuidia, comprobat. Pompeium & hortari, & orare, & iam liberius accuſare, & monere, ut magnam infamiam fugiat, non deſiſtimus: ſed plane nec precibus noſtris, nec admonitionibus reliquit locum. nam cum in ſermone quotidiano, tum in ſenatu palam ſic egit cauſſam tuam, ut neque eloquentia maiore quiſquam, neque grauitate, nec ſtudio, nec contentione agere potuerit; cum ſumma teſtificatione tuorum in ſe officiorum, & amoris erga te ſui. Marcellinum tibi eſſe iratum ſcis, is, hac regia cauſſa excepta, ceteris in rebus ſe acerrimum tui defenſorem fore oſtendit. quod dat, accipimus; quod inſtituit referre de religione, & ſaepe iam retulit, ab eo deduci non poteſt. Res ante idus acta ſic eſt: nam haec idibus mane ſcripſi. Hortenſij, & mea, & Luculli ſententia cedit religioni de exercitu: (teneri enim res aliter non poteſt) ſed ex illo S.C. quod te referente factum eſt, tibi decernit, ut regem reducas; quod commodo rem facere poſſis: ut exercitum religio tollat, te auctorem ſenatus retineat. Craſſus tres legatos decernit, nec excludit Pompeium; cenſet enim etiam ex iis, qui cum imperio ſunt; Bibulus tres legatos ex iis, qui priuati ſunt. huic aſſentiuntur reliqui conſulares, praeter Seruilium, qui omnino reduci negat oportere; & Volcatium, qui, Lupo referente, Pompeium decernit; & Afranium, qui aſſentitur Volcatio: quae res auget ſuſpicionem Pompeii uoluntatis: nam aduertebatur, Pompeii familiares aſſentire Volcatio. Laboratur uehementer. inclinata res eſt. Libonis, & Hypſaei non obſcura concurſatio, & contentio, omniumq. Pompeii familiarium ſtudium, in eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere uideatur. cui qui nolunt, ijdem tibi, quod eum ornaſti, non ſunt amici. Nos in cauſſa auctoritatem eo minorem habemus, quod tibi debemus. gratiam autem noſtram exſtinguit hominum ſuſpicio, quod Pompeio ſe gratificari putant. Vt in rebus multo ante, quam profectus es, ab ipſo rege, & ab intimis, ac domeſticis Pompeii clam exulceratis, deinde palam a conſularibus exagitatis, & in ſummam inuidiam adductis, ita uerſamur. noſtram fidem omnes, amorem tui abſentis, praeſentisq. cognoſcent. ſi eſſet in iis fides, in quibus ſumma eſſe debebat; non laboraremus. Vale.*

## EXPLANATIO

M. TVLLIVS, CICERO } Me puero, Romanorum nominum obſcura doctrina, & perdifficilis habebatur. nos fortaſſe primi noſtris Commentarijs adiumenti hoc in genere aliquid attulimus: ſed proxime, quae ad hanc notitiam pertinent, praeclare omnia collegit, auctor optimus antiquitatis, Carolus Sigonius. Hic ſi dixerim, Marcus, praenomen eſſe; Tullius, nomen; Cicero, cognomen; & haec tamen omnia, ſine diſcrimine, a ueteribus nomina interdum appellari; tribuſq. fere nominibus Romanos uti ſolitos eſſe, ut, M. Tullius Cicero, C. Iulius Caeſar, Ser. Sulpicius Rufus; nonnumquam quattuor, ut, C. Calpurnius Piſo Frugi, Cn. Cornelius Scipio Naſica; duobus interdum, ut, C. Marius, L. Gellius, Q. Hortenſius, M. Antonius: numquam uno; cum nec praenomine quiſquam, nec gentilicio nomine careret; licet multos ipſo tantum praenomine, ut, Appius, Manius, Seruius, notos fuiſſe non ignorem: haec, inquam & ſimilia ſi dixerim, putem me dicere, quae nota ſunt. Quod ad Tullios attinet, patricij primum, deinde plebeij generis fuere. auctor ipſe Cicero in Bruto: Vt ſi me, inquit, a M. Tullio eſſe dicerem; qui patricius anno decimo poſt reges exactos cum Ser. Sulpicio conſul fuit. Plebeia uero gente natum illum M. Tullium, qui cum Cn. Cornelio Dolabella anno urbis DCLXXII conſulatum geſsit, nemo, opinor, infitiabitur, qui & Dolabellas patricios fuiſſe, & duos patricios ueteri lege ſimul eſſe conſules non potuiſſe cognouerit. Hoc nomen a Tullo praenomine, quo rex Hoſtilius uſus eſt, deriuatum nonnulli crediderе. Cicerones dicti a cicere ſerendo, ut Lentuli a lente, Fabij a faba, ut ait Plinius lib. XIIX. cap. 3. quamquam Priſcianus lib. 2. tradidit, qui primus Cicero dictus eſt, eum ab habitu faciei ita nominatum; &, quod agnomen in illo fuit, cognomen in poſteris fuiſſe: ſimiliter, Caeſar, Scipio, quae primum agnomina fuere, in cognomina tranſiſſe. P. LENTVLO. } Corneliae gentis patriciae. nam & Cornelij plebeij fuere, ut ille C. Cornelius, qui, poſt tribunatum plebis, a Cicerone defenſus eſt: & P. Cornelius tribunus pl. in ep. 7. lib. IIX. & patricij diſtinguuntur a plebeijs lib. II. de Leg. in eo loco: Sulla primus e patricijs Cornelijs igni uoluit cremari. Ex ipſa autem gente patricia profluxere familiae multae, diuerſis diſtinctae cognominibus, ut Maluginenſes, Coſsi, Rufi, Scipiones, Blaſiones, Sullae, Merulae, Lentuli, Cethegi, Cinnae, Dolabellae: qui cum eſſent eiuſdem gentis, eiuſdem tamen familiae non erant: ut in Claudia gente Nerones, & Pulchri, patricij; at Marcelli, plebeij; qui omnes recte gentiles dicuntur, eiuſdem familiae non recte: quod ipſa cognominum uarietas declarat. Hic Lentulus eximiam in aedilitate liberalitatis, & magnificentiae laudem eſt adeptus: unde illud ep. 7. Magna eſt hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis.

beralitatis. Et lib. II. Off. Omnes P. Lentulus, me conſule, uicit ſuperiores. Et Valerius Max. lib. II. cap. I. Claudius Pulcher ſcenam uarietate colorum adumbrauit, uacuis ante picturam tabulis extentam: quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Q. Catulus praetexuit: uerſatilem fecerunt Luculli, argentatis choragijs P. Lentulus Spinther adornauit. Numeratur inter oratores in Bruto, his uerbis: Publius ille, noſtrarum iniuriarum ultor, auctor ſalutis, quidquid habuit, quantumcumque fuit, illud totum habuit e diſciplina. inſtrumenta naturae deerant: ſed tantus animi ſplendor, & tanta magnitudo, ut ſibi omnia, quae clarorum uirorum eſſent, non dubitaret adſciſcere, eaq. omni dignitate obtineret. Cognomen Spintheris, ut Valerius Max. lib. IX. cap. 15. docet, a quodam aſſeclarum accepit. Plinius autem lib. VII. cap. 12. eum Spintherem ſecundarum partium hiſtrionem uocat. A ſimilitudine certe cognomen hoc ortum eſt. nam Quinctilianus lib. VI. cap. 3. de riſu, Acriora, inquit, ſunt, & elegantiora, quae trahuntur ex ui rerum. in his maxime ualet ſimilitudo, ſi tamen ad aliquid inferius, leuiusq. referatur: qua iam ueteres illi iocabantur, qui Lentulum Spintherem, & Scipionem Serapionem eſſe dixerunt. Spintherem tamen Cicero numquam Lentulum appellat, opinor, quia contumelia uideretur. Caeſar, ab eo laeſus, quia fuit in praeſidijs Pompeij, Spintherem uocat lib. I. de bel. ci. item Salluſtius in Coniuratione Catilinae. ueteres tamen nummi, Spinther, habent. Hoc ad filium eius tranſijſſe cognomen, Cicero oſtendit ep. 51. lib. XII. ad Att. & 10. lib. XVI. ad eundem: Appianus lib. III. bel. ci. Plutarchus in Caeſare, Dio lib. XXXIX. PROCOS.} cum Suetonius, & Plinius, Proconſulatus, Gellius, & Valerius Max. Proconſulare, unico uerbo, dixerint; uidetur Proconſul, dicendum eſſe, & coniuncte ſemper ſcribendum, ut uarietur cum antecedente nomine, hoc modo: Lentuli proconſulis, Lentulo proconſuli, Lentulum proconſulem. ueteres contrahebant, Pro. cos. itaq. ſcriptum in lapidibus Capitolinis animaduerti. librarij poſtea uel unico uerbo, Proconſul, proconſulis, proconſuli, uariatis caſibus, ſcripſere; uel diſiuncte, in omni caſu, Pro conſule. ego, ſi liceat utrum uis, malim ſcribere, Proconſul, proconſulis, proconſuli, quam, Pro conſule: in quo me ualde mouet ſimilitudo; cum dicatur, Pronepos, pronepotis, pronepoti, & Proauus, proaui, non Pro nepote, & Pro auo. quod ſi conceditur: (nec diſſentire quemquam uideo) ualeat eadem ratio in Proconſul, Propraetor, Proquaeſtor, & ſimilibus. Nec moueor, quod in oratione pro lege Manilia dicatur, mitti Pompeium ad bellum Mithridaticum non pro conſule, ſed pro conſulibus. reſpexit enim, cum ita loqueretur, L. Philippus ad originem, & ſignificationem nominis compoſiti, non ad morem ſcribendi, aut loquendi. Non negauerim, in antiquis quorundam lapidum inſcriptionibus inueniri, Pro praetore, pro, Propraetori: ſed in ijſdem lapidibus, Proconſuli, licet uidere, non Pro conſule. exempla ſubiungam.

POPVLONII

L. ARADIO. VAL. PROCVLO. V. C.
LEGATO. PRO PRAETORE. PROVINCIAE. NVMIDIAE
PROCONSVLI. PROVINCIAE. AFRICAE. VICE
SACRA. IVDICANTI. EIDEMQ. IVDICIO. SACRO
PER. PROVINCIAS. PROCONSVLAREM &c.

In alijs uero inſcriptionibus opinio noſtra plane comprobatur, ut in his.

HONORI

MEMMIO. VITRASIO. ORFITO. V. C.
NOBILITATE. ACTIBVSQ. AD. EXEM
PLVM. PRAECIPVO. PRAEFECTO. VRBI
ET. ITERVM. PRAEFECTO. VRBI. PROCON
SVLI. AFRICAE

SEXTO. PETRONIO. PROBO
ANICIANAE. DOMVS
CVLMINI. PROCONSVLI
AFRICAE

FABIO. TITIANO. V. C.
CORRECTORI. FLAMINIAE
ET. PICENI. CONSVLARI
SICILIAE. PROCONSVLI
PROVINCIAE. ASIAE

C. CEIONIO. RVFIO. VOLVSIANO. V. C.
CORRECTORI. ITALIAE. PER. ANNOS. OCTO
PROCONSVLI. AFRICAE

Habemus aliorum quoque lapidum teſtimonia: ſed haec ſufficiant, ne ſatietatem afferat copia. Diuus Auguſtinus in libro de Grammatica auctor eſt, aetate ſua non, Proconſul, ſed Pro conſule, nominandi caſu, uſitatum

uſitatum fuiſſe; ueteres autem non, Pro conſule, ſed Proconſul, unico uerbo dixiſſe. Ab E littera uocali, inquit, nullum Latinum, niſi iuncta praepoſitione, maſculinum inuenitur, ut Pro cõſule, Pro praetore. ergo, iuncta praepoſitione, fiunt Latina, ut dixi, Pro praetore, Pro quaeſtore. nam ueteres nominatiuo caſu, Proconſul, dicebant, attendentes nullum nomen apud Latinos uirilis generis in E exire. Antiquam conſuetudinem & Priſcianus lib. 2. comprobauit his uerbis: Praepoſitionis eſt, uel ſeparatim caſualibus praeponi, ut, de rege, apud amicum; uel coniunctim, ut, interitus, indictus, proconſul, inſipiens. Venio nunc ad ſignificationem nominis. Proconſul erat, qui, geſto conſulatu, ibat in prouinciam. hoc uulgo notum eſt: illud fortaſſe non item, de quo doctos olim uiros memini dubitare, Proconſules aeque dici interdum ſolitos eſſe, qui ex praetura in prouinciam profecti eſſent. ne longe abeam: Q. Metellus Celer ep. 1. & 2. lib. v. proconſul appellatur. quod ne quis in dubium reuocet, quaſi ſuſpecta epiſtolarum inſcriptione, Tironis, qui eas collegit, arbitratu facta; recitemus, ut ſcrupulus dubitantibus omnis eximatur, uerba Plinij ex lib. 2. cap. 67. Nepos, inquit, de ſeptemtrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranij in conſulatu collegae, ſed tum Galliae proconſuli, Indos a rege Sueuorum dono datos. Et ep. xi. lib. xii. Caſsius proconſul uocatur, qui tamen conſulatum non geſſerat. Iam, lib. 1. de leg. ita ſcriptum eſt: Gellius, cum proconſul ex praetura in Graeciam ueniſſet, philoſophos in locum unum conuocauit. Et in oratione in Vatinium C. Coſconium proconſulem uocat ulterioris Hiſpaniae, qui conſulatum non geſſerat. Et in oratione pro Ligario, C. Conſidius praetorius, proconſul. Item M. Antonius lib. 1. de oratore. Et Liuius lib. xxxvii. L. Aemilium Paullum proconſulẽ appellat, qui praetor in ulteriorẽ Hiſpaniam ierat. Suetonius etiam de C. Caeſare propraetore, In Hiſpania, inquit, proconſul a ſocijs pecunias accepit, emendicatas in auxilium aeris alieni. In Auguſto, cum loquatur de Q. Cicerone praetorio, Proconſulatum, inquit, Aſiae parum ſecunda fama adminiſtrantem. Addo C. Caninium Rebilum, C. Salluſtium Criſpum; quos, conſulatu nondum geſto, proconſules Hirtius appellat in lib. de bello Africo. & in eodem libro Allienum, qui Siciliam obtinebat, modo praetorem, modo proconſulem: ad quem Ciceronis epiſtolae lib. xiii. inſcribuntur, Proconſuli: item ad alios in eodem libro, qui conſules non fuerant. Et in lapidibus Capitolinis anno DCLIV. nominatur L. Dolabella proconſul, conſulatu nondum geſto. Neque ſolum, qui poſt praeturam ibat in prouinciam, proconſul uocabatur; ſed contra, qui poſt conſulatum, praetor. itaque Cicero in epiſtola ad Salluſtium lib. 2. praetorem appellat Bibulum, poſt conſulatum Syriam adminiſtrantem. Et ep. ult. lib. v. ad Att. Quod praetori dare conſueuiſſet: pro, proconſuli: quia duo proconſules, Lentulus, & Appius, ante Ciceronem, Ciliciam, Cyprumq. rexerant. Et P. Rutilius, qui conſul fuerat, praetor dicitur in Verrinis orationibus: & C. Caeſar, cum Gallias poſt conſulatum adminiſtraret. praetorem etiam, cum in prouincia conſul bellum gereret, P. Scipionem a Liuio appellari uideo. Pedianus autem, cum de Q. Mucio Scaeuola, Aſiam poſt conſulatum regente, loqueretur, praetorem uocauit. Quodq. miremur magis, quaeſtores, a decedentibus proconſulibus prouinciae praefectos, animaduerti proconſules interdum nominari, ut Salluſtium, & Sextium, lib. 2. & 5. familiarium: quod epiſtolarum inſcriptiones, ueteribus in libris a me diligenter inſpectae, ſignificant. nam ſi, proconſulum loco, prouinciae curam ſuſceperunt; conſentaneum uidetur, eadem eos poteſtate, eodem imperio fuiſſe. alioqui, ſi bellum aliquod exoriretur, rem militarem gerere qui licuiſſet? itaque primo anno quaeſtores, ſecundo, & tertio, ſi proconſulum loco prouinciae praeeſſent, proquaeſtores, & interdum, ob imperium in eos translatum, proconſules dicebantur, interdum etiam propraetores. nam Salluſtius in Iugurthino A. Albinum a Spurio fratre conſule, Romam, comitiorum cauſſa, decedente, propraetorem relictum demonſtrat. Accepto igitur imperio, quod, hoſtibus propinquis, ratio temporis exigebat, & proconſulum, & propraetorum nomina quaeſtores aſſumebãt. Proconſulem autem per triennium fuiſſe Lentulum in Cilicia, & haec prima epiſtola, ſcripta Marcellino & Philippo cos. & nona, Appio & Domitio, demonſtrant. poſt triennium deceſsiſſe, cognoſcitur ex eo, quod Appius ei ſtatim poſt conſulatum ſucceſsit. Omnino lege Sempronia C. Gracchi, & Cornelia L. Sullae, prouinciae erant annuae: tamen interdum prorogabatur imperium, ut Lentulo, cui ſucceſsit Appius, & Appio, cui Cicero, praeterea Q. Ciceroni, cum Aſiae praeeſſet, C. Antonio, Macedoniae proconſuli, C. Caeſari, Gallias adminiſtranti, de quo ep. 7. Et ſtipendium Caeſari decretum eſt, & decem legati: &, ne lege Sempronia ſuccederetur, facile perfectum eſt. Prouincia Lentuli Cilicia eſt appellata: quamquam Aſiae quoque parti praeeſſet: ut oſtendit epiſtola, Periucundae. nec uero Ciliciam adminiſtrabat uniuerſam: quod epiſt. 1. lib. xv. declarat: &, in Ciliciae parte, regem fuiſſe Tarcondimotum, Dio libro xli. & xliv. & Strabo lib. xiv. ſignificat.

EGO . OMNI . OFFICIO, *ac potius pietate*} Epiſtolarum omnium quae materia ſit, quaeq. nos hortentur ſaepe, interdum etiam impellant ad ſcribendum cauſſae, diu ſaepe, ac perattente cogitaui. artem enim quaſi quandam, quae uiam ad inuentionẽ patefaceret, inuenire cupiebam. Atque in hoc meditandi ſtudio cum occurriſſent plurima, eaq. admodum diuerſa; tandem aliquando, inſpecta rei cuiuſque natura, atque ui, ad duo quaedam capita referri poſſe omnia uiſum eſt: quorũ alterum graue ἠθικόν, alterum πραγματικόν uocatur, nos morale, & negotiale poſſumus appellare. omnium enim epiſtolarum argumenta uel a negotio, uel ab officio, tamquam a duobus fontibus, deducuntur. Negotiales, quo res in ſtatu ſit, ſiue noſtra, ſiue aliena, ſiue priuata, ſiue publica, ſignificant. nec, ſi quae ſunt, in quibus aliqua de re diſputatur, ab hoc genere diſiungo. noſtrum enim negotium uidetur eſſe, ſi ultro ſcribimus; aliorum, ſi rogati. quamquam diſputationes remouet ab epiſtola ſcriptor egregius Demetrius, at non Latini: nam Varro quaeſtiones multas epiſtolis explicauit, ut Gellius, & Cariſius docent; & Valgius Rufus, ut idem Cariſius oſten-

dit, ſcripſit de rebus per epiſtolam quaeſitis. Morales officium potius, quam negotium, continent. quod genus late patet. hinc enim emergunt, quaecumque aut humanitatis, aut beneuolentiae, aut alicuius omnino uirtutis aliquam ſignificationem habent; ut commendaticiae, & conſolatoriae, laetitiam, aut dolorem indicantes, admonentes, hortantes, querentes, obiurgantes, gratias agentes, &, ut ſummatim complectar, quae materiam a negotio non ſumunt. Tertium quoddam genus, ex utroque miſtum, reperiri non negauerim: ſed hoc ut aequaliter ex utroque conſtet, ideſt ut eae cauſſae, quae ad ſcribendum adduxere, graues aeque ſint, nec morales negotialibus, aut negotiales moralibus uincantur, perquam raro ſolet euenire. quod ſi morale, aut negotiale in epiſtola miſta excellet; (quod autem, ut ea ſcriberetur, uehementius impulit, id dico excellere) quis dubitet, quin, quae res in ea plus habet ponderis, eadem ei nomen tribuat? Non enim in aſsignando genere uel partes numerandae ſunt, uel longitudinis habenda ratio eſt. poſſunt eſſe plures morales partes, quam negotiales; aut, ſi pauciores ſint, uel una eſſe longior, quam negotiales omnes: nec tamen ad morale genus epiſtola pertinebit, quo enim, ut iam dixi, praecipue adducimur ad ſcribendum, id, ſiue multis, ſiue paucis uerbis exponatur, epiſtolas facit aut negotiales, aut morales. Ac morales quidem in ſimplici plerumque uerſantur argumento; ſuiſq. quaſi finibus contentae negotialem materiam non attingunt: negotiales contra, non quia neceſſe ſit, ſed quia deceat, morale ſaepe aliquid aſſumunt. Poſſum probare exemplis, poſſum auctoritate eorum, qui de epiſtolis praecepta tradiderunt: ſed ipſa quoque in promptu ratio eſt. quis enim, cum ſcribit, quod uel ſua, uel eius, ad quem ſcribit, interſit, aliquam rei perficiendae cupiditatem non exponit? quis ad ea, quae reſtant, curam, & diligentiam non pollicetur? quis aut, confecto negotio, non laetatur, aut, deſperato, non dolet? quae interdum grati animi, humanitatis quidem ſemper ſigna ſunt. Moueor etiam non leuiter auctoritate Demetrij, ſcriptoris accurati in primis, & docti. Πλεῖστον, ait, ἐχέτω τὸ ἠθικὸν ἡ ἐπιστολή, ὥσπερ καὶ ὁ διάλογος: σχεδὸν γὰρ εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν. Exempla uero, ne, quod adeſt, longe petamus, ad Lentulum ſcriptae epiſtolae ſuppeditant. negotiales enim omnes fere ſunt: & his tamen morales Cicero ſententias libenter admiſcet, nimirum officij cauſſa; ut, in patriam opera, ac uirtute Lentuli reuocatus, tanti beneficij memoriam, & remunerandi ſtudium declaret. fortaſſe etiam, ut ingenio ualebat, ad officium artem adhibuit. nam, quia morales in primis ad conciliandam beneuolentiam idoneae ſententiae ſunt; iccirco, futurum intelligens, ut negotialem huius primae epiſtolae partem, ideſt narrationem, Lentulus non admodum libenter legeret, quippe quae aduerſa paene omnia, & inclinatam rem oſtenderet; eam moleſtiam morali principio leniendam putauit. ad leniendum autem, ſi cetera deficiant, ipſa tamen amoris, & grati animi ſignificatio multum ualet. & grata uoluntas ſocietate quadam eiuſdem doloris oſtenditur. dolor autem Ciceronis, in Lentuli cauſſa ſuſceptus, quod ſingulari quodam ſtudio ualde tamen non proficiat, cum ex ipſa ſententia, & ex hoc toto orationis ambitu, tum uero ex his maxime primis uerbis, unde oritur ſententia, colligitur: Ego omni officio, ac potius pietate. nam & in, Ego, uis eſt; & augetur in, Omni officio; & cumulatur demum correctione proxima, Ac potius pietate. officium enim amoris expers eſſe poteſt, & communiter in omnes conuenit: nomen autem Pietatis quiddam etiam grauius, quam amor, ſignificat: itaque non communiter in omnes, ſed proprie conuenit in deos, quibus omnia debemus: deinde in patriam, atque in parentes; quorum caritas proxime accedit ad deos: tertio loco, erga omnes propinquos: poſtremo, erga optime meritos; quos diligere ut propinquos, & colere parentum fere loco, aequum eſt. Quae ſingula eodem, quo propoſuimus, ordine probemus. Ac pietas quidem in deos multis cognoſcitur exemplis; quorum pauca recitabo. de Nat. de lib. I. Pietas, ſanctitas, religio pure, & caſte tribuenda ſunt deorum numini. Et infra, ibidem: Pietas eſt iuſtitia aduerſus deos. Et lib. III. de Fin. Nec uero pietas aduerſus deos, nec quanta ijs gratia debeatur, ſine explicatione naturae intelligi poteſt. Et pro domo: Nec eſt ulla erga deos pietas, niſi honeſta de nomine eorum, ac mente opinio. Et lib. 2. Officiorum: Pietas & ſanctitas deos placatos efficiet. Et in Topicis: Aequitas tripartita dicitur eſſe, una ad ſuperos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. prima Pietas, ſecunda Sanctitas, tertia Iuſtitia, aut Aequitas nominatur. Quae uero ad parentes, propinquos etiam, licet non bene meritos, pertinent, haec ſunt. lib. 2. de Inuent. Pietas eſt, quae erga patriam, aut alios ſanguine coniunctos officium conſeruare moneat. Pro Flacco: Nimia pietas, & ſummus amor in patriam. De ſomnio Scipionis: Iuſtitiam cole, & pietatem; quae cum ſit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima eſt. Et in Bruto: Vtinam C. Gracchus non tam fratri pietatem, quam patriae, praeſtare uoluiſſet. Pro Coelio: Pietas in parentes, indulgentia in liberos. Pro Plancio: Omitto illa, ut uiuat cum ſuis, primum cum parente: nam pietas fundamentum eſt omnium uirtutum. Et Acad. lib. 2. Adoleſcens admodum cum fratre, pari pietate, & induſtria praedito, paternas inimicitias eſt perſecutus. Et ad Att. ep. 3. lib. VI. Cum bellum eſſe in Syria magnum putetur; uideatur ne pietatis eſſe meae, fratrem relinquere. Pro Quinctio: Si pietate propinquitas colitur; qui affinem prodit, impius ſit, neceſſe eſt. Et ad Thoranium, ep. 20. lib. VI. Hic tui omnes ualent, ſummaq. pietate te deſiderant. Atque haec uno loco omnia, in oratione pro Plancio, comprehenduntur. pietas enim definitur, grata uoluntas in parentes, in patriam, in deos, in amicos: eaq. tribus modis laudatur, ut uirtus, ut uirtus maxima, ut uirtutum reliquarum omnium mater. Exemplum pietatis etiam parentum in filios unum Ciceronis afferam ex ep. 36. lib. XIII. Domo ſibi carendum propter matrem, plenam pietatis. Alterum Catulli:

Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipſe ſui gnati minxerit in gremium.

Deorum in homines. Statius in Silu. Vera deum pietas. Extremum reſtat de pietate in bene meritos. quo ex genere hoc ipſum eſt: Ego omni officio, ac potius pietate

tate erga te, & ep. 9. Periucundae mihi fuerunt litterae tuae: quibus intellexi te perſpicere meam in te pietatem: quid enim dicam, beneuolentiam? cum illud ipſum grauiſsimum, ac ſanctiſsimum nomen Pietatis leuius mihi meritis erga me tuis eſſe uideatur. Et in eadem, in extremo: Sunt enim teſtes meritorum tuorum erga me, meaeq. in te pietatis. Cur autem, cum id, quod dijs hominibusq. debemus, proprie Pietatis nomine totum exprimatur, non eodem nomine erga Lentulum Cicero uteretur, quem in utraque poſt reditum oratione non modo parentem, uerum etiam deum ſuae ſalutis, uitae, fortunae, memoriae, nominisq. uocat? ſic in ep. ad Curionem lib. 2. cum Milonem commendat, bis nomen Pietatis uſurpat; quod, eo adnitente, patriam recuperauerat. Et alibi ſaepe. Quod autem in primis quattuor uerbis, Ego omni officio, ac, uocales concurrere paſſus eſt; in eo etiam moralis uirtus elucet. laborare enim uidetur, quod amantiſſimi hominis eſt, de re potius, quam de uerbis. itaque hanc indiligentiam non ſolum a reprehenſione uindicat, uerum etiam cum aliqua laude coniungit in Oratore. Habet, inquit, ille tamquam hiatus, concurſu uocalium, quaſi molle quiddam, quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis, quam de uerbis, laborantis. Et in eodem libro, infra: Nemo eſt tam ruſticus, qui uocales nolit coniungere. in quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quod eas litteras tantopere fugerit: etsi id magiſter eius Iſocrates, at non Thucydides, ne ille quidem, haud paullo maior ſcriptor, Plato, Demoſthenes tamen magna ex parte concurſionem uocalium, ut uitioſam, fugit. ſed Graeci uiderint. nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere uocales conceditur. Haec ille: qui tamen paullo poſt, non debere admodũ crebro uocales uocalibus occurrere, indicat his uerbis: Hoc idem noſtri ſaepius non tuliſſent, quod Graeci laudare etiam ſolent. Gellius & in poetis hoc probat lib. VII. cap. 10. aitq. ſuauius eſſe in Virgilio – Vicina Veſeuo Ora iugo, quam, Vicina Veſeuo Nola iugo: & apud Catullum, Ebrioſa acino ebrioſioris. DICTVM eſt de generibus epiſtolarum: quibus demonſtratis duplex occurrit animaduerſio, primum, quae utrique ſint aptae generi ſententiae; deinde, quibusnam ſententiae uerbis enuncientur. Ac licet, niſi fallor, ſimul utrumque complecti, & ita definire: Epiſtola conſuetudinem fere quotidiani ſermonis debet imitari. nam, ſi, quod inter longe remotos nequaquam uox & lingua praeſtare poteſt, id bono litterarum conſequimur, ut ijs de rebus, quae uel noſtra, uel amicorum interſint, communicemus: profecto nihil aliud, quam imago quaedam ſermonis, uidetur epiſtola. idem ſenſit Artemon ille, qui deſcripſit epiſtolas Ariſtotelis: quem dixiſſe Demetrius ait, oportere eodem ſtylo & dialogum ſcribi, & epiſtolas: eſſe enim epiſtolam dialogi partem. Sententias tamen interdum grauiores, quam dialogus, & maiorem elegantiam admittit epiſtola; non modo quia ſtudio, curaq. maiore ſcribimus, quam loquimur; uerum etiam, quia, cum ad principes uiros, aut etiam ad ciuitates litteras mittimus, quod interdum euenire ſolet, habenda omnino uidetur perſonarum ratio; & in eo paullum ſe tollat epiſtola, non modo licet, uerum etiam neceſſe eſt. quales enim putemus fuiſſe epiſtolas illas, quibus uiri eloquentes, & docti, atque ipſe in primis Ariſtoteles Alexandrum Magnum, incenſum cupiditate ueriſsimae gloriae, cohortabatur ad decus? iam uero, quae leguntur Demoſthenis ad Philippum, habere eas quiddam amplum, longeq. diſtare a communi ſermone, negari non poteſt. Nec deſunt Ciceronis in hoc genere nonnullae, ut illa ad Lucceium lib. V. de ſui conſulatus hiſtoria ſeparatim componenda; & illa ad Dolabellam lib. IX. qua ei de ſublata columna, & ijs, qui eam Caeſari mortuo, tamquam deo, in foro erexerant, ſupplicio affectis, gratulatur. in illa uero ad Lentulum, quae incipit, Periucundae, partes multae ſunt, in quibus aliquanto maior uel uerborum copia, uel ſententiarum ſplendor apparet, quam dialogi ratio, & natura poſtulet. Age, quid in ea dialogo ſimile reperitur, in qua M. Brutus Ciceronem accuſat, quod ſuppliciter nimis, ac demiſſe ad Octauium ſcripſiſſet? Verum hoc, quidquid eſt licentiae, prudentia moderatur. tẽpus, perſonarum dignitas, res ipſa, quouſque progredi liceat, oſtẽdit. Proprie uero & ſimplici argumẽto, & ſimplici ſtylo contentae ſunt epiſtolae. Recte, & feſtiue Cicero ad Paetum: Quid tibi ego uideor in epiſtolis? non ne plebeio ſermone agere tecũ? nec enim ſemper eodẽ modo. quid enim ſimile habet epiſtola aut iudicio, aut concioni? quin ipſa iudicia nõ ſolemus omnia tractare uno modo: epiſtolas uero quotidianis uerbis texere ſolemus. Idem tamen, qui hoc praecipit, non uſquequaque ſeruat ſuam regulam; indulget enim ingenio nonnumquam, & epiſtolas concinnat, atque ornat uerbis aliquanto illuſtrioribus, quam quae populo familiaria, & communi ſermone trita ſunt. ſed hoc eiuſmodi eſt, ut, immodice, ac temere ſi fiat, faſtidium pariat, & in reprehenſionem incurrat; ſin modice, & loco, delectet ſine ſatietate, & laudem aſſequatur. decet igitur idem, & dedecet, pro utentis ingenio; quod alijs quoque rebus contingit. Hac uirtute uel ſolus inter Latinos, ut mihi quidem uidetur, uel certe maxime omnium Cicero excelluit. Demoſthenem quidem ita uicit, ut comparatio nulla ſit: quod Quinctilianus quoque uidit. Breuitas laudatur in epiſtolis: iure quidem: breui enim ſermone magis capimur, quam producto: uerum in omni re modus eſt; & peccat eodem fere modo, qui multa paucis contrahit, & qui pauca diffundit in multa. Praeclare Gregorius Nazianzenus, qui utroque uitio laborant, eos iaculantibus comparat, ita mittentibus telum, ut uel ſupra ſcopum, uel infra feratur. utrique enim errant pariter, licet contrario modo. Hic mihi committendum non puto, quando de epiſtolis agitur, ut fraudentur ſtudioſi pulcherrima ipſius Gregorij, uiri eloquentiſsimi, epiſtola, in qua prudenter & ingenioſe, quae ad hoc ipſum ſcribendi genus attinent, omnia perſequitur, ſic, ut ne Demetrius quidem ille, quem ſupra appellauimus, uel plura, uel meliora tradiderit.

# Γ Ρ Η Γ Ο Ρ Ι Ο Σ

## Ν Ι Κ Ο Β Ο Υ Λ Ω.

Τῶν γραφόντων ἐπιστολὰς, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο αἰτεῖς, οἱ μὲν, μακρότερα γράφουσιν, ἤπερ εἰκὸς: οἱ δὲ, καὶ λίαν ἐνδεέστερα: καὶ ἀμφότεροι τοῦ μέτρου διαμαρτάνουσιν, ὥσπερ τοῦ σκοποῦ οἱ τοξεύοντες, ἄντε εἴσω πέμπωσιν, ἄντε ὑπερπέμπωσι. τὸ γὰρ ἀποτυγχάνειν ἴσον, κἂν ἀπὸ τῶν ἐναντίων γίνηται. ἔστι δὲ μέτρον ἐπιστολῶν ἡ χρεία, καὶ οὔτε μακρότερα γραπτέον, οὗ μὴ πολλὰ τὰ πράγματα: οὔτε μικρολογητέον, ἔνθα πολλά. τί γὰρ ἢ τῇ Περσικῇ σχοίνῳ μετρεῖσθαι δεῖ τὴν σοφίαν, ἢ παιδικοῖς πήχεσι, καὶ οὕτως ἀτελῆ γράφειν, ὡς μηδὲ γράφειν; ἀλλὰ μιμεῖσθαι τῶν σκιῶν τὰς μεσημβρινὰς, ἢ τῶν κέντρων τὰς κατὰ πρόσωπον ἀπαντώσας, ὧν συνιζάνει τὰ μήκη: καὶ παραφαίνεται μᾶλλον, ἢ φαίνεται, τῶν ἄκρων τινὶ γνωριζόμενα: καὶ ἔστι, πῶς ἂν εἴποιμι καιρίως; εἰκασμάτων εἰκάσματα, δέον ἀμφοτέρων φεύγοντα τὴν ἀμετρίαν, τοῦ μέτρου κατατυγχάνειν. Περὶ μὲν τῆς συντομίας, ταῦτα γινώσκω. Περὶ δὲ σαφηνείας, ἐκεῖνο γνώριμον, ὅτι χρὴ φεύγοντα τὸ λογοειδὲς, ὅσον ἐνδέχεται, μᾶλλον εἰς τὸ λογικώτερον ἀποκλίνειν. καὶ, ἵν᾽ εἴπω συντόμως, αὕτη τῶν ἐπιστολῶν ἀρίστη, καὶ κάλλιστα ἔχουσα, ἢ ἂν καὶ τὸν ἰδιώτην πείθῃ, καὶ τὸν πεπαιδευμένον, τὸν μὲν, ὡς κατὰ τοὺς πολλοὺς οὖσα, τὸν δὲ, ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς, καὶ ἢ αὐτόθεν γνώριμος. ὁμοίως γὰρ ἄκαιρον, καὶ γρῖφον νοεῖσθαι, καὶ ἐπιστολὴν ἑρμηνεύεσθαι. Τρίτον ἐστὶ τῶν ἐπιστολῶν ἡ χάρις. ταύτην δὲ φυλάξομεν, εἰ μήτε παντάπασιν ξηρὰ, καὶ ἄχαρι γράφωμεν, καὶ ἀκαλλώπιστα, ἀκόσμητα, καὶ ἀκόρητα, ὃ δὴ λέγεται, οἷον δὴ γνωμῶν, καὶ παροιμιῶν, καὶ ἀποφθεγμάτων ἐκτός; ἔτι δὲ σκωμμάτων, καὶ αἰνιγμάτων, οἷς ὁ λόγος καταγλυκαίνεται: μήτε λίαν τούτοις φαινοίμεθα καταχρώμενοι. τὸ μὲν γὰρ ἄγροικον, τὸ δὲ, ἄπληστον. καὶ τοσαῦτα τούτοις χρηστέον, ὅσα καὶ ταῖς πορφύραις ἐν τοῖς ὑφάσμασι. τροπὰς δὲ παραδεξόμεθα μὲν, ὀλίγας δὲ, καὶ ταύτας οὐκ ἀναισχύντως. ἀντίθετα δὲ, καὶ πάρισα, καὶ ἰσόκωλα, τοῖς σοφισταῖς ἀπορρίψομεν. εἰ δέ που καὶ παραλάβοιμεν, ὡς καταπαίζοντες μᾶλλον τοῦτο ποιήσομεν, ἢ σπουδάζοντες. Πέρας τοῦ λόγου (ὅπερ τῶν κομψῶν τινος ἤκουσα περὶ τοῦ ἀετοῦ λέγοντος) ἡνίκα ἐκρίνοντο περὶ βασιλείας οἱ ὄρνιθες, καὶ ἄλλος ἄλλως ἧκον ἑαυτὸν κοσμήσαντες, ὅτι ἐκείνου κάλλιστον ἦν τὸ μὴ οἴεσθαι καλὸν εἶναι. τοῦτο κἂν ταῖς ἐπιστολαῖς μάλιστα τηρητέον, τὸ ἀκαλλώπιστον: ὅτι ἐγγυτάτω τοῦ κατὰ φύσιν. Τοσαῦτα σοι περὶ ἐπιστολῶν, ὡς δι᾽ ἐπιστολῆς, παρ᾽ ἡμῶν: καὶ ταῦτα ἴσως οὐ πρὸς ἡμῶν, οἷς τὰ μείζω σπουδάζεται. τἆλλα δὲ, αὐτός τε φιλοπονήσεις, εὐμαθὴς ὤν: καὶ οἱ περὶ ταῦτα κομψοὶ διδάξουσι.

PROVERBIA non excludit, ſed crebra non probat: quod Ciceroni quoque placuit: itaque paucis utitur. at Demetrius, Κάλλος, inquit, ἐπιστολῆς πυκναὶ παροιμίαι: δημοτικὸν γάρ ἐστιν ἡ παροιμία, καὶ κοινόν. Ego ſeruo, & ſeruabo Gregorij documentum, ut prouerbijs neque numquam, neque ſaepe utar, accedente praeſertim Ciceronis exemplo; quem cum lego, nullius rhetoris praecepta deſidero. CETERIS} meum in re tua ſtudium, officiumq. cernentibus. MIHI} qui tuam erga me beneuolentiam imitor, merita non aſſequor. tu enim in re mea, quod agebas, perfeciſti: mihi non idem contingit in tua. NVMQVAM, SATISFACIO.} ſuauitate quadam fruuntur aures, geminato uerbo, & negatione poſteriori praepoſita: ut hic; Ceteris ſatisfacio omnibus; mihi ipſe numquam ſatisfacio. ſimile illud pro Sextio: Ademit Albino ſoceri nomen mors filiae; caritatem illius neceſsitudinis, & beneuolentiam non ademit. Et lib. II. de Leg. Quid eſt enim uerius quam neminem eſſe oportere tam ſtulte arrogantem, ut in ſe rationem & mentem putet ineſſe, in caelo mundoq. non putet? MAGNITVDO.} Lentuli beneficium tribus modis auget; quod Merita uocat, uim quaerens & in ipſo uocabulo, & in numero; quod addit, Magnitudo; quod, Magnitudo tanta. MERITORVM;} meritum Lentuli maximum erga Ciceronem fuit, cum eum, lege Clodia pulſum, quod ciues Romanos, coniurationis in patriam conuictos, capitali ſupplicio, contra ueteres leges, moremq. maiorum, indicta cauſſa affeciſſet, conſul ſextodecimo eius exſulij menſe reuocauit. Hoc meritum ſignificari, quae ſequuntur, oſtendunt: Quoniam tu, niſi perfecta re, de me non conquieſti. Merita uero quod appellat, non meritum, amplificatio quaedam eſt. admonet enim Ariſtoteles, uſurpari interdum ab oratore, ut rem augeat, multitudinis numerum pro ſingulari: quod ſaepe Cicero fecit, ut ep. 15. lib. IX. Te cum uideo, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, uere ut dicam, Craſſos quoque, & Laelios uidere uideor. Merita autem plus, quam officia, ualent. ad Brutum lib. XI. Lamia uno omnium familiariſsime utor. magna eius non dico in me officia, ſed merita. Ad Cornificium lib. XII. Ad haec officia, uel merita potius, iucundiſsima conſuetudo accedit. Phil. XIII. Magna eius in me merita, mea quaedam officia in illum. QVONIAM} parui refert, utro modo legas, uel, Quia, uel, Quoniam: niſi tamen hoc uidetur plenius: & eſt in quatuor meis antiquis libris: quod ideo teſtatum uolui, ne quaſi commenticium reijceretur, ex eorum ſcriptis, qui ſe in ueteribus cunctis exemplaribus, Quia, uidiſſe, confirmarunt. Non grauabor interdum ad haec humilia me demittere: ne quod ab induſtria noſtra diligentiae genus iure quiſquam deſideret. quamquam, ut omnibus plane ſatisfiat, ulla diligentia uix, aut ne uix quidem, conſequi me poſſe, non ignoro. DE ME NON *conquieſti,*} quia, cum primum conſul eſt deſignatus, Ciceronis cauſ-

ſam

ſam ſuſcepit, & eius de reditu ſententiam, conſulibus Piſone & Gabinio repugnantibus, praeclariſsimam dixit: quo uero primum die magiſtratum inijt, eo ipſo die, ideſt Kal. Ian. de Cicerone retulit, ſpreta lege Clodia, quae poenam referentibus irrogabat. cumq. tribunus pl. Atilius Serranus, nocte ad deliberandum poſtulata, poſtridie S. C. interueniſſet, numquam tamen Lentulus poſtea conquieuit, donec, Sextili menſe, centuriatis comitijs perlata lege, rem perfecit. de quo ſic in oratione pro domo: Nam tu, P. Lentule, neque priuatus, neque conſul legem eſſe umquam putaſti. nam, tribunis pl. referentibus, ſententiam de me deſignatus conſul dixiſti: ex Kal. Ian. quo ad perfecta res eſt, de me retuliſti: legem promulgaſti, tuliſti. Similia de Lentuli ſtudio, atque conſtantia, in alijs orationibus, pro Sextio, poſt reditum, in Piſonem, alibi. IN. TVA. CAVSSA} in tuo negotio, in reductione regis. Cauſſa & hic, & alijs in locis pro eo ſumitur, quod ad aliquem proprie pertinet: ut paullo poſt: In cauſſa haec ſunt: ideſt, in curanda tibi reductione regis. Et infra: Hac regia cauſſa excepta. Et in extremo: Nos in cauſſa auctoritatem eo minorem habemus. Differunt autẽ Res, & Cauſſa, &, ut arbitror, in eo, differunt, quod, Res, patet aliquanto latius, quam Cauſſa: ut Res totum negotium ſignificet, Cauſſa uero negotij partem illam, quae ad Lentulum pertinet, ut ſcilicet reſtitutio regis ad eum deferatur. huic opinioni ſuffragantur potius, quam aduerſantur, exempla. ep. 5. De Alexandrina re, cauſſaq. regia. Ep. 7. Quid res, quid cauſſa, quid tempus ferat. Ep. 9. Accepiſti, quibus rebus adductus, quamq. rem, cauſſamq. defenderim. Ep. 6. lib. 2. Nunc tibi totam rem, atque cauſſam commendo, atque trado. Ep. 7. ibidẽ. Quantam curam adhibuerim, quamq. difficili in re, atque cauſſa, cognoſces ex ijs litteris, quas liberto tuo dedi. Ep. 4. lib. XII. Scriberẽ plura, ſi rem, cauſſamq. noſſem. In oratione pro Caecina: Multa, quae ſunt in re, quia remota ſunt a cauſſa, praetermittam. Sed finis exemplorum ſit: uitanda enim ſatietas eſt. ACERBAM} inſuauem, iniucundam: tranſlatione a fructibus immaturis. ep. 8. lib. III. ad Appium, antitheta poſuit Acerbum, & Dulce: Non debent mirari homines, me eſſe acerbum tibi, ut ſim dulcis mihi. PVTEM.} quia re uera ipſum, uiuere, nemini acerbum eſt, ſed tum uidetur, cum accedunt moleſtiae. ideo, Putem, dixit potius, quam ſentiam. IN. CAVSSA. HAEC. SVNT} haec ſunt, quae tibi, quo in ſtatu cauſſa ſit, ſignificare poſsint. HAMMONIVS,} nomen Aegyptijs uſitatum, inde ductum, quod apud Lybicos, ut ait Pauſanias, Iuppiter Hammon coleretur. REGIS. LEGATVS,} nam rex aberat: quia, cum exercitum, Sibyllae uerſibus interdictum, deſperaret, petijt, ut a Pompeio, duobus tantum lictoribus comitato, reſtitueretur. quod cum non impetraſſet, uerito ſenatu, ne Pompeij potentia nimium augeretur; abiecta ſpe, Epheſum ſe contulerat, relicto Hammonio legato. diſceſsiſſe eum ab urbe, antequam tribuni pl. magiſtratum inirent, id eſt, ante IV. Idus Dec. apud Nonium Feneſtellae uerba ſignificant. Dio, diſceſsiſſe ſignificat, non modo poſt initum a tribunis pl. magiſtratum, ſed etiam conſulatum gerentibus Marcellino & Philippo, ideſt poſt Kal. Ian. Ego aſſentior Feneſtellae, & quod antiquior, quã Dio, (nam eum nouiſsimo Tiberij principatu perijſſe, Plinius ait) & quod in rebus Romanis maior homini Romano, praeſertim Romae uiuenti, habenda fides eſt. ipſe etiam Cicero, cum haec Idibus Ian. ſcriberet, regem ab urbe multo ante profectum oſtendere uidetur his uerbis: In rebus multo ante, quam profectus es, ab ipſo rege, & ab intimis, ac domeſticis Pompeij clam exulceratis. APERTE} nullo legum metu: quae res infenſum Ptolemaeo ſenatum reddidit. OPPVGNAT,} aduerſatur uehementer. Tranſlato uerbo, quo magis Hammonij ſtudium oſtenderet, uſus eſt. CREDITORES,} qui non ſolum id agebant, ut rex reſtitueretur, quo creditas ei pecunias exigere poſſent: uerum etiam aperte pecunias pro Pompeio contra Lentulum ſuppeditabant, quod regem cupere intelligebant. ep. 2. lib. II. ad Q. Fr. Creditores regis aperte pecunias ſuppeditant cõtra Lentulum. In oratione pro Poſtumo, & apud Dionem lib. XXX. CVM. TV *aderas*,} inepte nonnulli, ut antiquitatem amare uideãtur, Quum pro Cum ſcribunt: cum Priſcianus obſoleuiſſe iam conſuetudinem illam oſtendat lib. I. his uerbis. Apud antiquos frequentiſsime loco Cu ſyllabae Quu ponebatur, ut & e contrario, ut arquus, coquus, oquulus, pro arcus, cocus, oculus; quum pro cum, quur pro cur. REGIS CAVSSA. QVI. VELINT,} uel pueris haec iã nota ſunt, Volo tua cauſſa, Volo tibi; pro, faueo, ſtudeo, amicus ſum. In contraria ſententia, Cui qui nolunt, dixit infra. QVI. PAVCI. SVNT,} & ſuauitatis quiddam habet, Qui, repetitum: & omnino huiuſmodi additamẽtis non modo plenior, uerum etiam paullo ſplendidior efficitur ſententia: ut ep. 18. lib. 2. Quae mihi ueniebant in mentem, quae ad te pertinere arbitrabar, exiſtimaui, me ad te ſcribere oportere. Eiuſdem generis illud ep. 7. lib. IV. Hoc idem omnes, qui te diligũt, ſentiunt: quorum eſt magna pro tuis maximis, clariſsimisq. uirtutibus multitudo. Pauci autem regis cauſſa nolebant, uel ob apertam eius largitionem, uel quia propter acerbiſsimam tributorum exactionem eiectum ab Alexandrinis audierant. AD. POMPEIVM} cuius ob Mithridatici belli gloriam longe maior, quam ceterorum, apud omnes gentes erat auctoritas: quo futurum ſperabat rex, ut Aegyptij nihil ei petenti denegarent. RELIGIONIS CALVMNIAM,} Sibyllae uerſus Aegypti regem cum exercitu reduci uetabant: cuius oraculi uerba apud Dionem lib. XXXIX. haec ſunt: Si rex Aegypti, auxilio indigens aliquo, uenerit, amicitiam quidem ei ne denegaueritis; ne tamen eum multitudine aliqua iuueritis: ſin aliter; & labores, & pericula habebitis. Eam ſententiam Lucanus lib. VI. expreſsit his uerbis:

Haud equidem immerito Cumanae carmine uatis
Cautum, ne Nili Peluſia tangeret ora
Heſperius miles, ripasq. aeſtate tumentes.

Narrat Dio, C. Catonis tribuni pl. opera, qui reductionem regis impedire conabatur, oraculum illud eſſe patefactum, ſenatu non inuito, cui largitio illa regis odioſa erat. Nam, quod ad Sibyllae uerſus attinet, probabat eos quidem ſenatus, uerum non tam religione, quam illius regiae largitionis inuidia. Et Cicero ipſe, qui reductionem regis, Lentuli gratia, uehementer cuperet, Calumniam religionis appellat, ideſt mali-

tioſam

tioſam & fictam de Sibyllinis uerſibus orationem : ut , exercitu adempto quaſi iubente Sibylla , reſtituendi
regis curam ſuſcipere nemo uellet. Itaque religioſos homines cum ironia uocat ep. 7. quaſi per ſpeciem re-
ligionis alia cogitantes: Eſſe, inquit, & tuae, & noſtri imperij dignitatis , Ptolemaide , aut aliquo propin-
quo loco, rege collocato, te cum claſſe, atque exercitu proficiſci Alexandriam: ut, cum eam pace, praeſidijsq.
firmaris, Ptolemaeus redeat in regnum ; ita fore, ut per te reſtituatur , quemadmodum ſenatus initio cen-
ſuit; & ſine multitudine reducatur , quemadmodum homines religioſi Sibyllae placere dixerunt . Eandem
calumniam notat ep. 4. cum ait : Haec tamen opinio eſt populi Romani , a tuis inuidis , atque obtrectatori
bus nomen inductum fictae religionis, non tam ut te impedirent , quam ut ne quis propter exercitus cupidi
tatem Alexandriam uellet ire. Eſt igitur calumnia , uerſuta quaedam , & callida fallendi ratio. & quamquam
huic uerbo proprium ſit in accuſatione domicilium, eidem tamen migrationes in alienum eſſe multas, exem
plis intelligitur. ep. 4. Res ab aduerſarijs noſtris extracta eſt uarijs calumnijs . Ep. 2 . lib. II. ad Fr. Per ob-
trectatores Lentuli res calumnia extracta eſt . Ep. 3 . lib. IV. ad Att. Metellus calumnia dicendi tempus exe-
mit. Off. lib. I. Exſiſtunt iniuriae ſaepe Calumnia quadam, & nimis callida, & malitioſa iuris interpretatio-
ne. Lib. II. de rep. apud Nonium : Vt Carneadi reſpondeatis, qui ſaepe optimas cauſſas ingenij calumnia lu-
dificari ſolet , Et Valerius Max. lib. IX. cap. ult. Illa tamen quaeſtione neque calumniae petitoris, neque uio-
lentiae plebis iudicantium religio ceſsit. Malevolentia, *& illius regiae largitionis inuidia,* } duas cauſſas
affert , quare praeceptum Sibyllae de non reducendo cum exercitu rege ſenatui placeret ; maleuolentiam ,
quia de legatis Aegyptijs, mandato regis clam interfectis , percrebuiſſet ; regiae largitionis inuidiam , quia ,
cum Hammonius quorundam ſenatorum animos aperte pecunia corrumperet, ea largitio turpiſsimam in-
famiae notam ordini inureret uniu rſo . *Inuidia* , ambiguum uerbum . nam & dolor eſt ex alienis bonis :
quam Cicero inuidentiam, ut anceps inuidiae uocabulum uitaret, in definiendis animi morbis appellare ma
luit : &, ut mihi quidem uidetur, non odium, quod quibuſdam placuiſſe uideo, ſed infamia potius ex aduerſa
fama, & publica prauitatis alicuius opinione : quam ſemper cum odio coniungi neceſſe non eſt . nam ſi o-
dium, & inuidia idem eſſet, eadem utrique contraria opponerentur : nunc opponũtur diuerſa , odio quidem
amor, inuidiae autem gratia. Accedit, ut omittam, quod inuidia late diffunditur: numquam enim apud unũ,
ſed apud multos in inuidia ſumus : odium uero interdum in anguſtum contrahitur : aeque enim & uni, &
multis odio eſſe poſſumus. Poſtremo, non eaedem res inuidiam , odiumq. gignunt. nam inuidia naſcitur ex
animi turpitudine, licet ea neminem laedat : ut ſiquis otio, deſidiaq. langueſcat, eo nomine male audit , quae
dicitur inuidia, nec tamen inde odium, ſed inertis, ignauiq. hominis oritur contemptio . odium autem ex ijs
rebus exſiſtit, unde uel ipſi afficimur iniuria, uel alios etiam laedi , praeſertim iniuſte, uidemus . Inuidia di-
cta, quia non libenter uidemus, neque qui fortuna meliore, quam uellemus, utuntur, neque qui ſequuntur ea,
quae ipſi non probamus. Comprobat. } iam enim S.C. factum erat, cum multitudine regem reduci, pericu
loſum reip. uideri. Hoc ego uerius exiſtimo, quam quod a Dione traditum eſt , perſpectis Sibyllae uerſibus,
decreta omnia, pro rege facta, eſſe inducta : ualuiſſe enim S.C. quo reductio regis Lentulo mandabatur , in-
dicant quae infra ſunt : Ex illo S. C. quod te referente factum eſt , tibi decernit , ut regem reducas . Et ep. 7.
ſatis aperte: Nullum S.C. exſtat, quo reductio regis Alexãdrini tibi adempta ſit. Sed ita Dio excuſatur, quod
ſenatus induci quidem uoluit omnia decreta : ſed, intercedente tribuno pl. fieri S.C. non potuit: perſcriptaq.
ſenatus uoluntas : id quod, ubi S.C. impediretur , interdum fieri ſolitum animaduertimus : eaq. ſenatus au
ctoritas dicebatur : de qua ſic in eadem epiſtola: Quae de reductione regis ſcripta eſt auctoritas , cui ſcis in-
terceſſum eſſe, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam uim habet, ut magis iratorum hominum ſtudiũ ,
quã conſtantis ſenatus conſilium, eſſe uideatur. Hortari, et . orare, } hortantis mouet auctoritas, oran
tis uoluntas : & hortationi ſaepe adduntur preces , ut , ſi auctoritas pondus non habet , ſaltem uoluntas ua-
leat. utrumque coniunxit in prooemio lib. III. de Orat. Tibi frater, inquit, neque hortanti deero , neque ro-
ganti. nam neque auctoritate quiſquam apud me plus ualere te poteſt , neque uoluntate. In ep. 18. lib. V. Te
non hortor ſolum, uerum etiam pro noſtro amore rogo , atque oro, ut te colligas , uirumq. praebeas.
Liberivs accvsare, } leuius eſt, quam, libere accuſare. nam interdum efficacitatis minus habent , quae
comparandi aduerbia grammatici appellant , quam quae ſimpliciter , ſine ulla comparatione, enunciantur .
Accuſatio autem extra iudicium etiam in priuatis rebus, atque adeo inter amore coniunctiſsimos, locum ha
bet. itaque lib. III. Off. Accuſabit patrẽ filius, nefaria de patria cogitantem : pro, reprehendet . Monere, }
Monere, & Hortari, idem ſunt in eo, quod utrumque rationes habet ad perſuadendum idoneas : in eo diffe-
runt, quod hortatio, quid eventurum boni ſit, id ſi fiat, quod ſuademus; monitio autem , quid mali, niſi fiat,
oſtendit : & illa lenior, ac mitior, haec ſeuerior , ac durior : non enim caret obiurgatione quadam . id oſten-
dunt loca duo Ciceronis in Laelio . Omnis, inquit, hac in re habenda ratio, & diligentia eſt, primum, ut mo-
nitio acerbitate, deinde obiurgatio contumelia careat . Quo loco ſic uſurpat, Obiurgatio, pro , monitio, ut
paullo poſt, Obiurgari, pro, moneri. Subiungit enim: Illud abſurdum eſt, quod ij, qui monentur, eam mole-
ſtiam, quam debent capere, non capiunt ; eam capiunt, qua debent uacare . peccaſſe enim ſe, non anguntur ;
obiurgari , moleſte ferunt: quod contra oportebat , delicto dolere , obiurgatione gaudere . recte igitur
Cicero , cum hortatus Pompeium eſſet , monendum etiam putauit , ut ei magnam ex reductione regis in-
famiam proponeret. Magnam . infamiam } triplicem; uel ingrati animi, qui Lentulo, cuius erga ſe offi-
cia cum in ſermone quotidiano, tum in ſenatu palam cõmemorauerat, reductionem regis Alexandrini , prae
ſertim ei iam a ſenatu decretam, conaretur eripere; uel immoderatae ambitionis, qui, ſummis iam perfunctus
honoribus, triumq. triumphorum gloria circumfluens, frumentaria etiam curatione , ſumma cum poteſta-
te, paullo ante ornatus, tamen, his non contentus , honorem praeterea , quicumque eſſet, Aegyptiae legatio-

nis appeteret; uel etiam auaritiae, quod regis muneribus, magnam ab ipſo reſtituendi cupiditatem praeſeferentis, corruptus exiſtimari poſſet. PLANE } hic ualet, omnino: ut ad Tironem lib. XVI. Mihi placebat, ſi firmior eſſes, ut te Leucadem deportares; ut ibi te plane confirmares. Alibi, aperte: quia, quae plana ſunt, oculis patent: ut ad Coelium lib. II. De Ocella parum plane ad me ſcripſeras. NEC . PRECIBVS *noſtris, nec admonitionibus*} cur haec duo tantum attingit, quattuor iam propoſitis, hortari, orare, accuſare, monere? Quia, qui locum precibus, & admonitionibus non relinquit, multo minus hortationi, aut accuſationi. magis enim & orando mouemus, quam hortando; & monendo, quam accuſando: idq. uel ipſe diſpoſitionis ordo declarat. nam, ut orare poſt hortari, ſic monere poſt accuſare, augendi gratia, Cicero collocauit. Hic dubitantibus, in uerbo, Admonitionibus, & mendoſum ſuſpicantibus, quod tamen in omnibus legitur antiquis libris, aptamq, & percommodam ſententiam habet, ſcrupulum placet eximere. Dixerat Cicero, Et monere: debuit igitur, ut nomen cum uerbo congrueret, inferre, Monitionibus, non, Admonitionibus: cum, monere, & admonere, ſignificatione differant inter ſe. obiurgat enim is, qui monet, ut ſupra oſtendimus: qui uero admonet, non obiurgat, ſed, quid faciendum ſit, docet: ut exempla declarant. In hoc igitur prudentia Ciceronis agnoſcitur: qui cum de principe ciuitatis, & praecipuo ſui ab exſulio reditus auctore Pompeio loqueretur, aſperiore uerbo iterum uti noluit, ſed mitigandam leniore uerbo ſententiam putauit: ut oſtendat ita Pompeium erga Lentulum animatum eſſe, non modo ut eum a reſtituendi regis conſilio uerbis aſperioribus abduci, neceſſe non ſit, ſed nec admoneri quidem, ac doceri, quo pacto & ſuſpicionem uitet cupiditatis, & illam reducendi regis curam cupienti Lentulo obſequatur. RELIQVIT . LOCVM.} Non relinquere locum precibus, duobus modis accipitur: uel cum is, cuius gratia & auctoritas prodeſſe nobis poteſt, ita ſe geſsit, ut eum rogare non oporteat; ut in hoc loco: uel cum ita meriti ſumus, ut precibus nihil proficere poſſe uideamur: cuius generis habemus exemplum apud Terentium in And. Quid cauſſae eſt, quin hinc in piſtrinum recta proficiſcar uia? Nihil eſt preci loci relictũ: iam perturbaui omnia. Locum igitur precibus uel aliena humanitas, uel noſtra adimit improbitas. IN . SERMONE . QVOTIDIANO,} uarie loquitur in hac ſententia: nam hic, In ſermone quotidiano, dicit: ep. 9. In ſermonibus dictitare: in eadem, Dictitare, ſimpliciter. IN SENATV} Hoc tempore Pompeius erat cum imperio, ſuperiore anno rei frumentariae, & S.C. & lege praepoſitus. qui autem cum imperio eſſent, ijs urbem, niſi depoſito imperio, ingredi non licuiſſe, notum eſt. petijſſe igitur a ſenatu Pompeium exiſtimemus, ut introire in urbem, ſaluis legibus, poſſet. quod etiam poſtea, ijſdem conſulibus, ut accuſatum de ui P. Sextium laudaret, impetrauit. ep. 9. EGIT . CAVSSAM TVAM,} cum hortaretur ſenatum, ut reductionem regis tibi demandaret. ELOQVENTIA, GRAVITATE, STVDIO, CONTENTIONE} Eloquentia, ubertate & elegantia orationis; Grauitate, ſententiarum pondere; Studio, propenſa in Lentulum uoluntate; Contentione, ope ſumma. plus enim eſt contentio, quam ſtudiũ. nam, qui ſtudet; cupit: qui contendit, in eo, quod cupit, intendit omnes neruos. quod integrum poſuit in ep. 14. lib. XV. Omnes tuos neruos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc prouinciam temporis prorogetur. Inde Contentio, uehemens actio. infra: Libonis, & Hypſaei non obſcura concurſatio, & cõtentio. Ep. 9. Caeſaris, ut illum defenderem, mira contentio eſt conſecuta. Ep. 2. lib. VII. In primis me delectauit, tantum ſtudium bonorum in me exſtitiſſe contra incredibilem contentionem clariſsimi, & potentiſsimi uiri. TVORVM . IN . SE . OFFICIORVM,} Quod cum ornaſti, dixit in extrema fere epiſtola. praeſtantem etiam Lentuli in Pompeium liberalitatem nominat epiſt. 7. maximum autem in Pompeium officium fuit, poteſtas rei frumentariae, per quinquennium ei toto orbe terrarum data. quod Lentulum conſulem praecipue curaſſe, Plutarchus in Pompeio ſignificat. quamquam, ut idem tradit, ſuſpicio fuerit, id Lentulum ſpectaſſe, ut, Pompeio frumentaria curatione implicito, ipſe Ptolemaeum reduceret. MARCELLINVM} Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, conſulem hoc anno cum L. Marcio Philippo. Syriae poſt praeturam uterque praefuerat, Philippus Caeſare & Bibulo cos. Marcellinus anno ſequenti, Gabinio & Piſone. Appianus in Syriaco, Ioſephus XIV. Antiq. De hoc Cicero in Bruto ſic; Nec umquam indiſertus, & in conſulatu pereloquens uiſus eſt, non tardus ſententijs, non inops uerbis, uoce canora, facetus ſatis. Marcellinus, cognomen gentis Corneliae non eſt, ſed ab adoptione deriuatũ. qui enim Claudianus appellari debuit; cum eſſet ex Claudijs Marcellis; Marcellinus potius, quam Claudianus, appellari uoluit: puto, ne uideretur ex Pulchris, aut Neronibus fuiſſe; quae cognomina Claudiae gentis erant, patriciae: Marcelli autem, plebeiae. confirmat hanc opinionem Pedianus in commentario Diuinationis, cum ait: Marcelli, & Marcellini inter ſe gentiles fuere. Non quod Marcellini eſſent Claudij, ſed quod ex Claudia gente orti, indeq. in Corneliam tranſlati. Eodem cognomine filius eius uſus eſt, qui bello ciuili contra Pompeium quaeſtor pro Caeſare pugnauit, paterni uidelicet heres odij: nam conſul huius anni Marcellinus quam infenſus Pompeio fuerit, Cicero in ep. 5. lib. II. ad fratrem, & Plutarchus in Pompeio demonſtrat. IRATVM} quia te cupidum uideat reducendi regis. Conſulibus neque cum exercitu regem reſtitui placebat, neque ab ijs, qui cũ imperio eſſent, ideſt, nec a Lentulo, nec a Pompeio. epiſtola ſequenti. TVI . DEFENSOREM } tuarum omnium ſententiarum, ac uoluntatum. OSTENDIT.} uerbis. ep. 9. In eo ipſo, quod te oſtendis eſſe facturum. Ad Sulpicium ep. 1. lib. IV. Eadem omnia, quae a te de pace, & de Hiſpanijs dicta ſunt, oſtendi me eſſe dicturum. Ad Varronem ep. 8. lib. IX. Munus flagitare, quamuis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus. QVOD . DAT, ACCIPIMVS:} nihil dat in regia cauſſa, in ceteris rebus omnia. ſic loquimur, cum nec id plane, quod uolumus, nec tamen nihil impetramus. In Verrem lib. II. Alio loco de aratorum animo, & iniurijs uidero: nunc, quod mihi abs te datur, id accipio, eos tibi eſſe inimiciſsimos. Ibidem paullo poſt: Vtar eo, quod datur. Et lib. II. de Orat. Si ſe iudices dant, & ſua ſponte, quo impellimus, inclinant, atque propendent; accipio, quod datur; & ad id, unde aliquis flatus oſtenditur, uela do. REFERRE} Re-

RE} Referre, ad ſenatum, de quo ſententiae dicerentur; Ferre, ad populum, de quo ſuffragia ferrentur; uſitatum ueteribus eſt. Caeſar tamen lib. I. bel. ci. dixit, De quorum imperio ad populum referatur: ſi modo uulgati libri uacant mendo. nam, Ferre ad populum, uſitatius eſſe, quam Referre, nemo, ut arbitror, negabit. DE. RELIGIONE, } de Sibyllinis uerſibus, reduci regem cũ multitudine uetantibus. AB. EO. DEDVCI NON. POTEST. } tuebatur obſtinato animo ſententiam ſuam, in quam, ut in Argumẽto iam diximus, factum erat S.C. regem cum multitudine reduci, periculoſum reip. uideri, ep. 2. lib. II. ad Q. Fratrem. IDIBVS} quo die ſenatus erat futurus. nec dubito, quin edictus eſſet, cum haec Cicero ſcripſit. nam & in epiſtola ſequenti, cum ante lucem XVI. Kal. Febr. ſcriberet, ſubiunxit: Eo die ſenatus erat futurus. quo perſpicuum eſt, nõ eo die, quo haberetur, ſed ſuperiore, ſenatum edici ſolitum. MANE } prima luce. ſed ep. 30. lib. VII. cum dixit, Quae erant futurae mane poſtridie, aliter explanandum. HORTENSII, } declarata conſulis uoluntate, conſularium ſententias incipit exponere. Hic eſt ille Q. Hortenſius, oratoria laude clarus. Hoc loco mirari aliquis poſsit, cur Cicero, de Marcellino conſule locutus, ad conſulares, omiſſa alterius conſulis L. Philippi mentione, orationem traducat. Opinor, qui conſul primo anni menſe faſces ſumeret, eundem & ſenatum eodem menſe habuiſſe; &, qua de re deliberandum putaret, retuliſſe: ſecundo autem menſe collegam faſces recepiſſe: eundemq. ordinem, ut alternis menſibus faſces haberent, uſque ad extremum annum ſeruatum eſſe. itaque non Philippus, ſed, qui faſces prior ſumpſerat, Marcellinus praecipuam menſis Ianuarij curam ſuſtinuit, & de religione retulit, collega tamen aſſentiente: nam diſſentientem Cicero nominaſſet. Vter autem faſces prior ſumeret, docet Gellius lib. XXI. cap. 15. LVCVLLI } Marci, non Lucij, qui perierat anno ſuperiore. hic enim, qui nominatur, ſine dubio idem eſt, de quo haec ſunt in ep. 8. Quo quidem tempore, ut perſcripſi ad te antea, cognoui Hortenſium percupidum tui, ſtudioſum Lucullum. Quam epiſtolam Pompeio & Craſſo cos. ideſt poſt Marcellinum & Philippum, eſſe ſcriptam, ſatis conſtat: quo anno Lucius uiuere nõ potuit: cum eum oratio de prouincijs, habita, ut ait Pedianus, Marcellino & Philippo cos. iam uita exceſsiſſe demonſtret. Marcum autem, ac Lucium, fratres fuiſſe, Cicero, Plutarchus, alij teſtantur. Eutropius lib. VI. conſobrinos uocat: in quo ei non aſſentior; niſi ſi, duas ſorores duobus Lucullis nupſiſſe, aliquis dixerit. quod mihi non fit ueriſimile. uideo enim, M. Lucullum ſimul cum Lucio fratre Seruilio auguri diem dixiſſe, qui Lucij patrem accuſauerat. quam rem ijs uerbis Cicero commemorat in prooemio Academicorum, ut Lucium, & Marcum, in ulciſcendo Seruilio, non conſobrinos, ſed plane germanos fratres agnoſcere uideatur: ait enim de Lucio; Adoleſcens admodum cum fratre, pari pietate, & induſtria praedito, paternas inimicitias magna cum gloria eſt perſecutus. Verbum, Pietas, eundem utrique patrem fuiſſe oſtendit. Plutarchus etiam, cum ait, uiuo adhuc Lucio rem eius domeſticam a Marco fratre gubernatam, germanos potius fratres, quam conſobrinos, ſignificat. Sed Marci praenomen ab adoptiuo patre M. Terentio Varrone ſumptum eſt. nam, a Terentio Varrone adoptatum, indicat Cicero in Verrem, cum legem Terentiam, & Caſsiam nominat, latam a duobus eiuſdem anni conſulibus, M. Terentio Varrone, & C. Caſsio Varo. CEDIT *religioni de exercitu:* } antea tamen, reducendum cum exercitu regem, Cicero cenſuerat: habuit enim orationem pro Ptolemaeo reducendo: ex qua Aquila, Fortunatianus, & Capella recitant haec uerba: Difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis. TENERI } obtineri. Sic locutus eſt ep. 7. Si res facultatem habitura uideatur, ut Alexandriam, atque Aegyptum tenere poſsis. Et ep. 9. Etiam ſi portum tenere non queas. Et ad Att. ep. 12. lib. XIV. Tam claram, tamq. teſtatam rem, tamq. iuſtam, Butrhotiam nõ tenebimus? & in oratione pro Sextio; Non tenuit eum locum, in quẽ, niſi popularis eſſe uoluiſſet, facillime perueniſſet. QVOD. COMMODO *rem facere poſſis:* } Commodo, pro Commode, antique dictum. in quo dubitatum a nonnullis miror; quaſi, Commodo, aduerbiũ eſſe non poſsit. quod niſi diligens antiquitatis obſeruator Cariſius admonuiſſet, Caeſaris tamen ad Ciceronem epiſtola doceret, Cum Furnium, inquit, noſtrũ tantũ uidiſſem, neque alloqui, neque audire me commodo potuiſſet. Mihi tamen olim placuit, neque nunc, quamquam repugnantibus antiquis libris, diſplicere poteſt, pro, Rem, legi, Reip. atque hanc ex antiqua Latini ſermonis conſuetudine coniecturam duxi. quo in ſtudij genere, nec infitior, a prima adoleſcentia ſatis accurate me eſſe uerſatum, nec omnino paenitet. Erat autem in mandanda publica re exceptio quaedam, ut id, quod mandaretur, ita fieret, ſi commodo reip. fieri poſſet. quo ſignificabatur, eam rem non poteſtati magis, quam prudentiae, committi. Recitabo ueterum exempla: quibus & eadem ſententia, & ijſdem enunciata uerbis, agnoſcetur. ac tum denique, utrum ſcriptis libris, ideſt dubiae librariorum fidei, an certiſsimis antiquorum teſtimonijs, credi oporteat, cum praeſertim nec a ſcriptis libris admodum diſcedat opinio noſtra, doctorum uirorum arbitrio permittam. Caeſar lib. I. bel. ci. Quoniam M. Meſſalla, M. Piſone cos. ſenatus cenſuiſſet, uti, quicumq. Galliam prouinciam obtineret, quod commodo reip. facere poſſet, Aeduos, ceterosq. amicos populi Romani defenderet, ſe Aeduorum iniurias non neglecturum. Idem lib. V. Scribit Labieno, ſi reip. commodo facere poſſet, cum legione ad fines Neruiorũ ueniat. Lib. VI. Labienum, Treboniumq. ſi reip. commodo facere poſsint, ad eam diem reuertantur. Cicero ad M. Brutum; Decreui hoc amplius, ut tu, ſi arbitrarere utile fore, & e rep. eſſe, perſequerere Dolabellam bello; ſi minus id commodo reip. facere poſſes, in ijsdem locis exercitum contineres. Omitto illa ſimilia, quae Ciceronẽ legentibus occurrũt: Quod tuo commodo fieri poſsit: quod ſine moleſtia tua facere poſsis: quod tuo commodo fiat: quod ſine peccato meo fiat. Hic opponitur a quibuſdam: hoc loquendi genus huic Ciceronis loco nullo modo conuenire: putant enim, ſenatus haec uerba fuiſſe, cum S. C. faceret, aut eorum, qui prouincijs cum imperio praeeſſent, cum aliquid legatis mandarent: non igitur ea cadere in ſententiam Ciceronis, Hortenſij, & Luculli, qui priuati ſenatores erant. Haec ratio quid momenti habeat, examinando cognoſcemus. Primum quaero; ſi ſenatus, cum decernit, utitur his uerbis, ut reip. caueat, cur non ijſdem ſenator, qui & ipſe ſua ſententia decernit,

cernit,

cernit, uti poſsit? decet enim, ut ſenatum in publico decreto, ita ſenatores ſingulos in dicenda ſentẽtia reip. conſulere. quid eſt autem S. C. niſi multorum ſenatorum idem probantium conſenſus? quod ſi, S.C. in alicuius ſententiam ſenatoris eſſe factum, ſaepe legimus: nil aliud exiſtimare licet, quam grauiores eius ſententiae partes in S.C. eſſe tranſlatas: grauius autem nihil, quam ut id, quod mandaretur, incommodo reip. ne fieret. itaque non eſt, opinor, mandantis dumtaxat, hic loquendi modus, ut ſenatus, aut proconſulis, ſed eius etiam, qui ſuadet. Negabit hoc aliquis: at credat exemplo. Cicero in epiſtola ad Brutum: Decreui hoc amplius, ut tu, ſi arbitrarere utile fore, & e rep. eſſe, perſequerere Dolabellam bello; ſi minus id commodo reip. facere poſſes, in ijsdem locis exercitum contineres. Haec neque ſenatusconſulti uerba ſunt, neque proconſulis, ſed priuati Ciceronis, in ſenatu ſententiam dicentis. cur igitur in hac etiam ad Lentulum epiſtola locũ habere non poſsint? At libri ueteres aduerſantur omnes. Diſsimulamus in re nota. quam multa enim contra ueterum librorum auctoritatem, adiuuante hiſtoria, ſententia, ipſa etiam Latini ſermonis regula, non modo ſine reprehenſione, uerum etiã cum laude ſumma docti homines immutarunt. mihi ſane uidetur, ut in omni re, ſic in hoc induſtriae genere, modus quidam eſſe: ut libris quidem antiquis in corrigẽdo utamur, id quod ego diligenter ſeruo, mutare tamen ex ingenio, doctrinaue aliquid aliquando liceat, ſed ita parce, & uerecunde, ne corrigendi libertas ad temeritatem progreſſa uideatur. quam ob cauſſam ueterem hic ſcripturam immutare noluimus: tantum fecimus, ut oſtenderemus opinionem noſtram: quam nec ijs improbari, qui nõ temere, praeter ſua, quidquam probant, ex eo poſſumus conijcere, quod, ſi qua laus coniecturae noſtrae debetur, eam alio transferre conantur. Nimirum, ad iſtas artes confugere, & alienis laboribus honorem ereptum uelle, puſilli animi eſt: non enim addam, Et ipſa maleuolentia ieiuni: quod Cicero addidit in re non diſsimili. neque nunc de meo iure litigabo: malim cauſſa cadere, quam ijs de rebus in iudicium, contentionemq. uenire, quarum ſtudio ſi hoc aſſequor, ut bonis litteris opem feram, cetera non ualde requiro: ſi dantur, accipio: ſi minus, uberrimum tamen, & ſuauiſsimum ex ipſa conſcientia fructum capio.

AVCTOREM} ut reſtituti regis honor, & gloria penes te ſit. quod iam ſenatus decreuerat. Auctor is eſt, cuius auctoritate, & ſententia aliquid fit. ep. 17. ad Att. lib. I. Agraria lex a Flauio tribuno pl. uehementer agitabatur, auctore Pompeio; quae nihil populare habebat, praeter auctorem. Scriptor autem alicuius libri, quam latine Auctor dicatur, uiderint ij, qui non dubitanter uſurpant. Equidem neque Ciceronem, nec eius aequales, aut omnino quemquam ſtante rep. ita locutum exiſtimo. Et quoniam, cuius uel conſilio, uel tacita auctoritate ad agendum impellimur, is quaſi origo quaedam, & agendi principium eſt; inde factum, ut Auctor nobilitatis appelletur, a quo nobilitatis initia manarunt; Auctor huius ſermonis, a quo primum fluxit hic ſermo; Auctor meae ſalutis, cuius opera ſalutem adeptus ſum. Auctor etiam notatur is, cuius teſtimonio, ut aliquid credamus adducimur: ut ep. I. ad Att. lib. VI. Nec uero pauci ſunt auctores, Cn. Flauium ſcribam faſtos protuliſſe. Addo illud, Auctorem dici, non qui hortatur, ne quid fiat, ſed qui hortatur, ut fiat. itaque, Auctor, & Diſſuaſor, Cicero opponit: ceteraq. eiuſdem, atque etiam aliorum exempla ad affirmationem ſemper, numquam ad negationem ſpectant. & ab Augeo quoque deductum Auctor, Cariſius, & Seruius oſtendunt: idq. probant antiqui lapides, & libri. Auctorem igitur dixit, ut auctoritate Lentuli potius, quam poteſtate, & armis, exercitum religione tollente, Alexandrini Ptolemaeo reconcilientur. Eodem modo Phil. 2. Ille inquit, uir fuit, nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus. Auctorem uocat Caeſarem, a quo illa manauerant: tamquam enim ab illo ſcripta defendebantur.

CRASSVS} M. Licinius Craſſus, nunc quidem in Pompeium male animatus. quod indicat ep. 3. lib. II. ad Q. Fr. ſed anno ſequenti, conſules iterum creati, in gratiam redierunt. Plutarchus. Hunc Quiritium, poſt Sullam, ditiſsimum, Plinius fuiſſe tradit, poſſediſſe in agris H-S bis millies, ideſt, ad rationem nummi noſtri, ſexagies centena ſcutatorum millia. Plutarchus totam eius rem, poſt decimam partem Herculi conſecratam, epulumq. publicum, & congiarium trium menſium ſingulis ciuibus datum, ſeptem millibus, & centum talentis aeſtimat: quae ſunt Romano nummo, millies ſeptingenties, & aliquanto amplius: uel, ut more noſtro loquamur, ſcutatorum quinquagies ſemel, eoq. amplius: uulgo, ſupra quinque milliones, dicerent.

NEC. EXCLVDIT *Pompeium*;} cui, frumentariae curationis gratia, toto orbe terrarum & ſenatus, & populus imperium dederat. ep. 4. lib. IV. ad Att. Plutarchus, Dio, alij.

CVM. IMPERIO. SVNT:} Imperium duplex fuit, urbanum, & prouinciale. Vrbanum aut a populo dabatur, aut a ſenatu: a populo, conſulibus, praetoribus; qui, centuriatis comitijs creati, maiores magiſtratus uocabantur: a ſenatu, dictatori, interregi; qui, nullis comitijs, S.C. creabantur. nam cenſores, licet inter maiores magiſtratus nominarentur, tamen nec imperium, nec ferendae legis ius habebant, neque lictoribus, aut uiatoribus utebantur. reliqui uero, quos nominauimus, & imperium, & legis ferendae ius, praeterea uiatores, & lictores habebant. Minores magiſtratus, aediles cur. aediles pl. tribuni pl. quaeſtores, & alij inferioris ordinis, poteſtatem habere, non imperium, dicebantur. Imperium tribuno pl. non fuiſſe, Liuius aperte oſtendit exemplo Appij conſulis, priuatum tribunum pl. clamitantis, ſine imperio, ſine magiſtratu. Imperium igitur in urbe habebant ij tantum magiſtratus, qui uocationem, qua carebant minores magiſtratus. Hoc imperium ſine armis erat: propterea centuriata comitia, quod a Laelio Felice ſcriptũ Gellius lib. XV. cap. 17. recitat, intra pomerium fieri, nefas erat; quia exercitum extra urbem imperari oporteret, intra urbem imperari ius non eſſet. Vrbani imperij tempus in annuis magiſtratibus annuum erat, in dictatore ſemeſtre ad ſummum, in interrege non ultra quinque dies: nam diuturnior is magiſtratus non erat. Conſulis tamen imperium maius erat, quàm praetoris: nam conſul praetoris creandi ius habebat, non contra praetor conſulis. & conſul ab omnibus magiſtratibus auocare comitiatum, concionemq. poterat: praetor a conſule non poterat: quod apud Gellium lib. XIII. cap. 14. 15. Meſſalla docet. Quam-

quam autem imperium eſſet in urbe, nemo tamen ex urbanis magiſtratibus imperator eſt appellatus, ſed hoc nomen ijs dumtaxat, qui exercitum haberent, tribui ſolitum eſt, etiam ante quam, re bene geſta, imperatores ab exercitu ſalutarentur. Imperium prouinciale duplex fuit, unum a ſenatu datum, ex lege Cornelia, ſine armis; alterum a populo, ex lege Curiata, cum armis. uide ep.9. in extremo. BIBVLVS} M. Calpurnius Bibulus, plebeij generis, Caeſaris in aedilitate, praetura, conſulatu collega, eiuſdemq. inimiciſsimus, Pompeio etiam, ob Caeſaris affinitatem, hoc tempore infenſus: ideo priuatos decernebat, ut eum excluderet. Pompeij obtrectatores Bibulus, Curio, Craſſus appellantur ep.5. lib.II. ad Q. Fr. CONSVLARES,} atque etiam conſules: nam, ut eſt in epiſtola ſequenti, Bibuli ſententiam ualere cupierunt. SERVILIVM,} e numero conſularium, qui aſſentiuntur Bibulo, tres excipit, Seruilium, qui omnino reduci negat oportere, cuius probatam a ſenatu ſententiam, ſed a tribunis pl. interceſſum, indicat epiſtola ſeptima; Volcatium, qui Pompeium decernit; Afranium, qui aſſentitur Volcatio. Hic eſt P. Seruilius Vatia Iſauricus, qui cum Ap. Claudio, P. Clodij, Ciceronis inimici, patre, conſulatum geſsit anno urbis 674. triumphauit de Iſauris ex Cilicia anno 679. unde Iſaurici cognomen accepit: quo etiam filium eius, qui cum Caeſare conſul fuit, uſum eſſe uideo. Cenſor fuit cum L. Cotta, ut ex Valerio, & Plutarcho licet colligere. uixit ad annos LXXX. ut Philippica 2. indicat: & Strabo, qui ſcripſit hiſtoriam ſuam imperante Tiberio, cum a ſe uiſum teſtatur lib. XII. obijt, ut lib. XLV. Dio docet, Antonio & Dolabella coſ. VOLCATIVM,} L. Volcatium Tullum, qui cum M'. Aemilio Lepido anno urbis 687. conſulatum geſsit. LVPO} P. Rutilio Lupo tribuno pl. quod ex epiſtola ſequenti cognoſcitur. praetor anno primo ciuilis belli Pompeium ſecutus, Achaiam obtinuit. ad Att. ep.12, lib. IIX. ep.1, lib. IX. Caeſar lib. II. & III. bel. ci. REFERENTE,} non de reducendo rege tantum, ſed ut a Pompeio reduceretur: quod patet ex epiſtola ſequenti. Ius autem referendi in ſenatu tribunos pl. habuiſſe, uel hic locus oſtendit: ſed accedunt non modo epiſtolarum teſtimonia, 16. lib. X. & 1. lib. II. ad Q. Fr. uerum etiam orationum. nam in ea pro Sextio, Ninnij tribuni pl. relatio nominatur. Neque ſolum ea de re, de qua conſul, ſed etiam de diuerſa, eodem die, referre poterat tribunus pl. nam ex Phil. VII. conſulem de Appia uia, & de Moneta, ribunum pl. de Lupercis retuliſſe uideo. Retulerunt igitur in eodem ſenatu de reductione regis duo magiſtratus, conſul Marcellinus de religione, ideſt, ne rex, prohibente Sibylla, cum exercitu reduceretur; Lupus uero tribunus pl. ut a Pompeio reduceretur. de religione conſuli omnes aſſenſerunt; de reductione non idem omnibus placuit. Hortenſius, Lucullus, Cicero Lentulum decernebant; Craſſus, & Bibulus tres legatos, hic priuatos, ille etiam eos, qui cum imperio eſſent. reliqui conſulares Bibuli ſententiam probarunt, tribus exceptis, quorum duo, Volcatius, & Afranius, Lupi ſententiam ſecuti ſunt: tertius Seruilius totum de rege reducendo conſilium, uel quod inutile putaret eſſe reip. uel quod alienum a populi Romani dignitate, ſua ſententia damnabat. POMPEIO. DECERNIT;} plerique ueteres libri habent, Pompeio: nonnulli, Pompeium: pleroſque ſum ſecutus. utroque tamen modo recte: eſt enim in hac ipſa epiſtola, Tibi decernit, et, Tres legatos decernit. AFRANIVM,} L. Afranium, qui quadriennio ante conſul fuerat cum Metello Celere. Ne miremur eum ſtuduiſſe Pompeio. nam & eo duce contra Sertorium, uiuo Sulla dictatore, pugnauerat; & eiuſdem Mithridatico bello fuerat legatus; & conſulatum eius praecipue ſtudio, atque opera adeptus erat. is ciuili bello a Caeſare in Hiſpania uictus, & liberatus, poſtea captus ab eodem in Africa, diſſenſione in exercitu orta, cum Fauſto, Sullae dictatoris filio, eſt interfectus. ASSENTITVR} non miror, Volcatium ſententiam dixiſſe ante Afranium, cum ſexennio ante conſulatum geſsiſſet. SVSPICIONEM} nam ipſe diſsimulabat cupiditatem ſuam, & fauere Lentulo uidebatur, cuius etiam in ſenatu cauſſam diligenter in primis egerat. de hac ſuſpicione in epiſtola ſequenti, & in 2. lib. 2. ad Q. Fr. LABORATVR} difficultas negotij non ſine quadam animi ſollicitudine oſtenditur, ut in extremo, Non laboraremus. INCLINATA. RES. EST.} lepida tranſlatio. Rerum ſtatus triplex eſt: aut enim ita ſe habent, ut uolumus, & ſtare tunc dicuntur; aut aliter, ac uolumus, & inclinatae eſſe; aut prorſus contra quam uolumus, & iacere. LIBONIS, ET. HYPSAEI} utrumque puto tribunum pl. eſſe: de Hypſaeo quidem affirmat Dio lib. XXXIX. Eſt autem L. Libo Scriboniae gentis, Pompeio primum amicitia, deinde etiam affinitate coniunctus. nam eum Sex. Pompeij, qui ex duobus Pompeij Magni filijs natu minor fuit, ſocerum nominat Dio lib. XLIIX. eiuſdemq. alteram filiam, deuictis Bruto, & Caſsio, Caeſar Octauianus uxorem duxit: quod in Auguſto, & in libro de claris grammaticis Suetonius oſtendit: cuius auctoritate, & ipſa etiam temporum ratione moueor, ut in Dione non Λίβωνος ἀδελφήν, ſed Λίβωνος θυγατέρα legendum exiſtimem, quod tamen Dionis mendum potius, quam librarij, oportet credere. In bello ciuili Pompeium ſecutus, primum Etruriae, mox, inde pulſus, nauibus quinquaginta praefuit. Florus lib. IV. Dio lib. XLI. & Caeſar lib. I. & III. bel. ci. Crudelem fuiſſe, nec mediocri obſtrictum aere alieno, Cicero ſignificat ep.9. lib. IX. ad Att. Quid tu, inquit, illuc Scipionem, quid Fauſtum, quid Libonem praetermiſſurum ſceleris putas? quorum creditores conuenire dicuntur. quid eos autem, cum uicerint, in ciues effecturos? Conſulatum anno 719. cum M. Antonio geſsit. P. Plautius Hypſaeus iure pro Pompeio contendebat: fuerat enim eius quaeſtor bello Mithridatico: id quod in commentario Milonianae ſignificat Aſconius: & quaeſturae coniunctionem liberorum neceſsitudini proximam fuiſſe, patet ex ep.10. lib. XIII. CONCVRSATIO,} prenſantium propria. Concurſabant barbatuli iuuenes, ep.10. lib. I. ad Att. CONTENTIO,} maius quiddam eſt, ut iam diximus in contentione, quam in ſtudio. itaque Liboni, & Hypſaeo tribuitur contentio, ſtudium reliquis Pompeij familiaribus. FAMILIARIVM} iterum familiares appellat, & paullo poſt intimos, ac domeſticos, ad augendam ſuſpicionem Pompeij uoluntatis. nam familiares, & intimos de alicuius honore, ipſo inuito, laborare, qui conſentaneum eſt? Sed

Cicero interdum, uel Pompeij adductus beneficio, (nam, eo contendente, in patriam redierat) uel quod ita ſentiret, liberare uidetur cum omni ſuſpicione cupiditatis: idq. cum illa uerba declarant: In ſenatu ſic egit cauſſam tuam: tum ea, quae ſunt in epiſtola ſequenti: Quem ego ipſum cum audio, prorſus eum libero omni ſuſpicione cupiditatis. Et ep. 7. Qui mihi ſemper tuae laudi fauere uiſus eſt, etiam ipſo ſuſpicioſiſsimo tempore Caniniano. Quamquam, non omnino quod ita ſentiat, ſed ut officio fungatur boni uiri, Ciceronem ea ſcribere crediderim; qui, cum utrique ſumme deberet, eorum amicitiam libenter conſeruaret. eoq. ſum in hanc opinionem propenſior, quod ep. 2. lib. II. ad Q. Fratrem, apud quem ſimulatio neceſſaria non erat, ambigere ſe de Pompeij animo ſignificat his uerbis: In ea re, Pompeius quid uelit, non diſpicio: familiares eius quid cupiant, omnes uident. Cᴠɪ . ǫᴠɪ . ɴᴏʟᴠɴᴛ,} qui amici non ſunt. Similiter cum dandi caſu, Fundanio cupio, dixit ad Q. Fr. ep. 2. lib. I. Fauent, & cupiunt Heluetijs, Caeſar lib. I. bel. Gall. Qᴠᴏᴅ . ᴇᴠᴍ . ᴏʀɴᴀꜱᴛɪ,} cum ad eum conſul frumentariam curationem detuliſti. Nᴏꜱ} epiſtolae clauſula mirum habet artificium. nam, quia rem inclinatam eſſe dixerat, ueritus ne propterea Lentulo, cui omnia debebat, in aliquam negligentiae, aut etiam ingrati animi ſuſpicionem ueniret, auertit a ſe omnem culpam, excuſatione quinquepartita: quod auctoritatis in regia cauſſa minus habeat, quia pro bene de ſe merito contendat: quod gratiam ſuam Pompeij gratia maior exſtinguat: quod multi ad Pompeium, ab eius domeſticis, & a rege ipſo corrupti, rem deferri uelint: quod conſulares, ob regiam praecipue largitionem, totum conſilium de reſtituendo rege improbent: poſtremo, quod nonnulli, quorum Lentulus auctoritatem, dignitatem, uoluntatemq. defenderat, non tam uirtutis eius memores eſſent, quam laudis inimici. quod perfidiae uitium & hic perſpicue notat, & in ſequentibus epiſtolis, 7. 8. 9. Aᴠᴄᴛᴏʀɪᴛᴀᴛᴇᴍ *eo minorem habemus, quod tibi debemus.*} ep. 7. Noſtra propugnatio, ac defenſio dignitatis tuae, propter magnitudinem beneficij tui, fortaſſe pleriſque officij maiorem auctoritatem habere uideatur, quam ſententiae. Gʀᴀᴛɪꜰɪᴄᴀʀɪ} in eo, quod a te cauſſam regiam ad Pompeium tranſferant. Mᴠʟᴛᴏ ᴀɴᴛᴇ, *quam profectus es,*} prorſus in tota epiſtola Ciceronis ingenium, & oratoriam calliditatem agnoſco. nam exulceratae res poſt Lentuli profectionem, argumento eſſe poterant diligentiae praetermiſſae. id ne obijci poſsit, occurrit his uerbis: Multo ante, quam profectus es. Quod etiam iterat in epiſtola ſequenti, cum ait: Totam rem iſtam iampridem eſſe corruptam. Aʙ . ɪᴘꜱᴏ . ʀᴇɢᴇ,} cum tu hic eſſes, nam regem ante Lentuli profectionem ab urbe diſceſsiſſe, Feneſtella teſte probauimus. Exᴠʟᴄᴇʀᴀᴛɪꜱ,} corruptis, male affectis: tranſlatione ab ulceribus, quae ſaepe, illato ungue, dilatantur. His autem tranſlationum quaſi luminibus, ſi cuius inter Latinos, Ciceronis maxime ſplendet oratio. Tranſlata porro uerba plus habere iucunditatis, quam propria, quae tamquam quotidiana faſtidimus interdum, ac plus etiam ad ſignificandum ualere, ſatis conſtat. nam quia cõparationes, & ſimilitudines rem plane ſubijciũt oculis; ideo tranſlata, quae nihil aliud, quam breues, & conciſae ſimilitudines ſunt, uigere magis in oſtendenda re, quam propria, uidentur. Sed de tranſlatione Ariſtoteles, Cicero, Demetrius in primis in illo aureo περὶ ἑρμηνείας libello, quem pater meus, reſtituendae cupidus antiquitatis, ante me natum edidit. Exᴀɢɪᴛᴀᴛɪꜱ,} grauiter uituperatis, ſic in Oratore: Plato, exagitator omnium rhetorum, hunc miratur unum. Et Coelius ep. XI. lib. IIX. Totus eius ſecundus conſulatus exagitatur. Iɴᴠɪᴅɪᴀᴍ} infamiam, ob apertam regis largitionem. ſupra: Senatus religionis calumniam, non religione, ſed illius regiae largitionis inuidia, comprobat. Iᴛᴀ . ᴠᴇʀꜱᴀᴍᴠʀ.} quaſi dicat, Poſt diſceſſum tuum nihil damni factum eſt noui: Ita uerſamur in cauſſa, ut ante quam tu profectus es. Nᴏꜱᴛʀᴀᴍ ꜰɪᴅᴇᴍ} negotiales epiſtolae moralibus fere clauduntur ſententijs; & uitandae ſatietatis cauſſa; quia faſtidium parit a primo ad ultimum producta narratio; & quod amici, uti ſumus, ita uideri uolumus. Pʀᴀᴇꜱᴇɴᴛɪꜱǫ. *cognoſcent.*} Sunt qui legant, Praeſentes tui: recte fortaſſe: mihi tamen ſententia non arridet. quae enim haec amoris, & fidei, minime neceſſaria diſtinctio? cur non & amor ſimul cum fide ab omnibus, & fides item ſimul cum amore a praeſentibus cognoſcatur? Quanto & planius, & commodius; Noſtram fidem omnes, amorem tui abſentis, praeſentisq. cognoſcent. quod eſt in duobus antiquis libris: in ceteris autem omnibus, quos quidem ego uiderim, diuerſe, non tamen ut ſententia mutetur: Tui abſentis, praeſentisq. tui. poteſt enim ferri pronomen iteratum: poteſt etiam, quod malim credere, iteratum uideri ſcriptoris incuria. nullo quidem in uetere libro, Praeſentes tui, legimus. quod ideo teſtatum eſſe uoluimus, ne quem coniectura minime neceſſaria delectaret, cum ex antiquis libris commodam elici ſententiam uideret. Fɪᴅᴇꜱ,} qui beneuolentiam erga Lentulum conſulem, tempori ſeruientes, ſimulauerant, ijdem, poſt conſulatum, debitam eius meritis fidem abſenti non praeſtiterunt. Videtur conſulares indicate: de quibus ep. 5. Amicum ex conſularibus neminem tibi eſſe uideo, praeter Hortenſium, & Lucullum. ep. 7. Vehementer quoſdam homines, & eos maxime, qui te & maxime debuerunt, & plurimum iuuare potuerunt, inuidiſſe dignitati tuae. Et paullo poſt apertius: Praeterea quidem de conſularibus nemini poſſum aut ſtudij erga te, aut officij, aut amici animi eſſe teſtis. Et ibidem aliquanto poſt: Poterat utrumque praeclare, ſi eſſet fides, ſi grauitas in hominibus conſularibus. Definitur Fides lib. I. Off, his uerbis: Fides eſt dictorum, conuentorumq. conſtantia, & ueritas: ex quo; quamquam hoc uidebitur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, unde uerba ſint ducta; credamusq. quia fiat quod dictum eſt, appellatam Fidem. Et lib. IV. de rep. apud Nonium: Fides nomen ipſum mihi uidetur habere, cum fit quod dicitur. Hinc illud ad Tironem ep. 12. lib. XVI. Tu muſis noſtris para ut operas reddas. noſtra ad diem dictam fient. docui enim te, Fides ἔτυμον quod haberet. Sᴠᴍᴍᴀ . ᴇꜱꜱᴇ . ᴅᴇʙᴇʙᴀᴛ;} quod eorum auctoritatem, dignitatem, uoluntatemq. defenderas.

## Argumentum ep. 2.

*TOta eſt negotialis epiſtola, excepta morali clauſula: in qua ſtudium, & officium in agendo, diligentiam in ſcribendo promittit. Significat, quid actum ſit in ſenatu; quid ipſe oratione ſua profecerit; quem Bibuli ſententia exitum habuerit; conſules quid ſentiant; quo Pompeius, quo familiares eius animo ſint. Et, quoniam Lentulo in regia cauſſa duo maxime tribuni pl. aduerſabantur, Cato, & Caninius, quorum alter totam regis reductionem oppugnabat, alter Pompeio ſtudebat: his, ne quid agere cum populo poſſent, obiecta eſſe dicit impedimenta auſpiciorum, & legum.*

### *Cicero S. D. Lentulo.* 2.

*IDIBVS Ian. in ſenatu nihil eſt confectum: propterea quod dies magna ex parte conſumptus eſt altercatione Lentuli conſulis, & Caninij tribuni pl. eo die nos quoque multa uerba fecimus; maximeq. uiſi ſumus ſenatum commemoratione tuae uoluntatis erga illum ordinem commouere. itaque poſtridie placuit, ut breuiter ſententias diceremus. uidebatur enim reconciliata nobis uoluntas ſenatus eſſe: quod tum dicendo, tum ſingulis appellandis, rogandisq. perſpexeram. itaque, cum ſententia prima Bibuli pronunciata eſſet, ut tres legati regem reducerent; ſecunda Hortenſij, ut tu ſine exercitu reduceres; tertia Volcatij, ut Pompeius reduceret: poſtulatum eſt, ut Bibuli ſententia diuideretur. quatenus de religione dicebat; cuiq. rei iam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt. de tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. Proxima erat Hortenſij ſententia, cui Lupus tribunus pl. quod ipſe de Pompeio retuliſſet, intendere coepit, ante ſe oportere diſceſſionem facere, quam conſules. eius orationi uehementer ab omnibus reclamatum eſt: erat enim & iniqua, & noua. conſules neque concedebant, neque ualde repugnabant: diem conſumi uolebant: id quod eſt factum: perſpiciebant enim in Hortenſij ſententiam multis partibus plures ituros: quamquam aperte Volcatio aſſentirentur. multi rogabantur, atque id ipſum conſulibus inuitis: nam Bibuli ſententiam ualere cupierunt. Hac controuerſia uſque ad noctem ducta, ſenatus eſt dimiſſus; & ego eo die caſu apud Pompeium cenaui; nactusq. tempus hoc magis idoneum, quam umquam antea, quod poſt tuum diſceſſum is dies honeſtiſſimus nobis fuerat in ſenatu, ita ſum cum illo locutus, ut mihi uiderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam transducere. quem ego ipſum cum audio, prorſus eum libero omni ſuſpicione cupiditatis; cum autem eius familiares omnium ordinum uideo, perſpicio id, quod iam omnibus eſt apertum, totam rem iſtam iampridem a certis hominibus, non inuito rege ipſo, conſiliarijsq. eius, eſſe corruptam. Haec ſcripſi ad XVI. Kal. Febr. ante lucem. eo die ſenatus erat futurus. nos in ſenatu, quemadmodum ſpero, dignitatem noſtram, ut poteſt in tanta hominum perfidia, & iniquitate, retinebimus. Quod ad popularem rationem attinet, hoc uidemur eſſe conſecuti, ut ne quid agi cum populo aut ſaluis auſpicijs, aut ſaluis legibus, aut denique ſine ui poſſit. De his rebus pridie, quam haec ſcripſi, ſenatus auctoritas grauiſſima interceſſerat: cui cum Cato, & Caninius interceſſiſſent, tamen eſt perſcripta. eam ad te miſſam eſſe arbitror. De ceteris rebus, quidquid erit actum, ſcribam ad te; &, ut quam rectiſſime agantur, omni mea cura, opera, diligentia, gratia prouidebo. Vale.*

## EXPLANATIO

ALTERCATIONE] de rege reducendo: cum Caninius Pompeio rem deferri uellet; conſul regem neque cum exercitu reduci, neque ab ijs, qui cum imperio eſſent. ita Pompeium excludebat, qui cum imperio erat. LENTVLI] Marcellini: hic apellatur & ep. 2. lib v. ad Atticum. In quibuſdam libris, Lucij, non omnino abſurde: poteſt enim intelligi de altero conſule L. Philippo, qui ſentiebat idem, quod collega. Ac, ne quem offendat unicum praenomen, exempla occurrunt ſimilia non pauca, ut cum, Cnaeus, pro Pompeio Magno accipitur; Publius, pro Clodio, Ciceronis inimico; Sextus, pro Peducaeo, Attici familiariſsimo. praeterea, cum conſul nominatur, non ne ſatis, quis Lucius ſit, oſtenditur, & a ceteris Lucijs diſtinguitur? CANINII] pro Pompeio contendentis. conſules autem uel non reduci regem uolebant, uel non ab ijs reduci, qui cum imperio eſſent, ſed a priuatis, ex Bibuli ſententia. ita Pompeius, & Bibulus excludebantur. Infra: Bibuli ſententiam conſules ualere cupierunt. Caninius hic poteſt eſſe Rebilus ille, qui mortuo pridie Kal. Ian. Q. Fabio conſule, ſubrogatus eſt, ut in reliquas tantum eius diei horas conſulatum gereret. ep. 30. lib. VII. Meruit in Gallia Caeſare imperatore. Hirtius lib. IIX. bel Gall.

TRIBVNI. PL.} ſi cum conſule altercatur, nimirum eſt in ſenatu. itaque falſa uideri poteſt Valerij doctrina: cuius haec ſunt lib. II. cap. I. Tribuni pl. intrare curiam non licebat: ante ualuas, poſitis ſubſellijs, decreta patrum examinabant. Quod refellunt exempla prope innumerabilia: quorum unum afferam ex ep. 5. In ſenatu a Catone aſpere, & acerbe, omnium magno ſilentio, eſt accuſatus. Verum ad priſca fortaſſe tempora Valerius reſpexit: cum praeſertim dicat, Non licebat; &, Examinabant: tamquam conſuetudine mutata. nam, cum tribuni pl. ſenatores non erant, tunc ijs non licuiſſe curiam intrare, ratio magis probat. poſtea, niſi ſenatorij eſſent ordinis, non uidentur petijſſe tribunatum. quod Suetonius in Auguſto docet his uerbis: In locum demortui tribuni pl. candidatum ſe petitorem oſtendit, quamquam patricius, necdum ſenator. Et infra: Comitijs tribunicijs, ſi deeſſent candidati ſenatores, ex equitibus Romanis creauit, ita ut, poteſtate tranſacta, in utro uellent ordine manerent. Id Gellius quoque comprobare uidetur lib. XIV. cap. 8. TVAE. VOLVNTATIS} auctoritatem ſenatus Lentulus conſul acerrime defendit. unde illud ep. 9. Senſus bonorum recreatus abs te totus eſt. Quibus enim conſulibus noua quaedam, & extraordinaria imperia placerent, ij, contempto ſenatu, populi ſtudium, & beneuolentiam aucupabantur. qua uia Caeſar uſus, ad ſingularem potentiam peruenit. ORDINEM} princeps ordo, ſummus, ampliſsimus a Cicerone ſenatus uocatur, diſtinguendi gratia: tres enim erant ordines in ciuitate, primo loco ſenatus, ſecundo equites, poſtremo ij, qui neque ſenatores, neque equites erant, qui, de plebe, dicebantur. Sed, quoniam Ordinis nomen honeſtatem quandam ſignificat; ideo, plebeius ordo, de ueteribus, quod ſciam, nemo dixit; cum tamen, tertius ordo, aut infimus ordo, dicerent, plebem ipſam ſignificantes. at ſenatorijs ordinis, equeſtris ordinis creberrima mentio. id puto cauſſae fuiſſe; quia plebs ex ingenuis tota non conſtabat; cum in ea libertini eſſent: quos Ordinem parum proprie uocari, Pedianus oſtendit. nam cum de ijs, O modeſtum ordinem, Cicero dixiſſet; ſubiungit haec: Libertinos ſignificat; quorum non condicionem, ſed more ſuo, quaſi honeſtorum, ordinem uocat. RECONCILIATA} quam alienauerat regia largitio. APPELLANDIS,} nominandis. ROGANDISQ.} ut ſententiam dicerent. rogabantur enim & a priuatis ſententiae: quod hic locus indicat; & infra: Multi rogabantur, atque idipſum conſulibus inuitis. Mos quidem erat, ut ſententias rogaret magiſtratus is, qui ad ſenatum retulerat. exemplum habemus apud Ciceronem de Lupo tribuno pl. in ep. I. ad Q. Fratrem. SENTENTIA *prima Bibuli*} ſi ratio geſti conſulatus haberetur, primus rogari ſententiam debuit Hortenſius, ſecundus Volcatius, tertius Bibulus: ſed, quia conſules Hortenſium fauere Lentulo, Volcatium Pompeio, Bibulum utrique infenſum eſſe intelligebant, ideo uel primo loco Bibulum rogarunt: (nam, quem uellent, rogare primum poterant, ut Cicero ep. XI. lib. I. ad Att. & Suetonius in Iulio docet) uel certe cum ordinem in rogando ſeruaſſet, primam tamen pronunciari Bibuli ſententiam uoluerunt: cuius exemplum beneficij habemus in ep. 12. lib. X. Cum Seruilius gratia effeciſſet, ut ſua ſententia prima pronunciaretur; frequens eum ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceſsit. Erant autem ij, quorum ſententiae primae pronunciarentur, ideo condicione meliore, quia, ſi plures in eorum ſententiam tranſirent, fiebat S. C. neque reliquorum ſententijs locus erat. TRES. LEGATI} ex ijs, qui priuati erant. HORTENSII,} cum quo Lucullus, & Cicero ſentiebant. DIVIDERETVR.} quia de religione, & de tribus legatis ſimul deliberandum cenſebat: quod ſi eſſet factum, utrumque ſimul reijci, aut utrumque ſimul probari neceſſe erat. quam conſuetudinem egregie Pedianus expreſsit his uerbis: Cum aliquis in dicenda ſententia duas pluresue res complectitur, eae ſi non omnes probantur, poſtulatur, ut diuidatur, ideſt de rebus ſingulis referatur. Et cum ſubiungit, Multi ſedentes hoc unum uerbum pronunciant, Diuide; oſtendit, ius poſtulandi, ut ſententia diuideretur, non conſulibus tantum, ſed ſenatoribus etiam fuiſſe. Feſtus etiam ſic: Numera ſenatum, ait quiuis ſenator conſuli, cum impedimento uult eſſe, quo minus faciat S. C. poſtulatq. ut aut res, quae afferuntur, diuidantur; aut ſinguli conſulantur; aut, ſi tot non ſunt ſenatores, quo numero liceat praeſcribi S.C. DE. RELIGIONE} de Sibyllinis uerſibus regem reduci cum exercitu uetantibus. CVIQ. REI *iam obſiſti non poterat*,} ſatis implicata ſententia uidetur, ſed, ut arbitror, explicabitur hoc modo. Quatenus de religione loquebatur, & in quo iam obſiſti non poterat; Bibulo aſſenſum eſt. ep. I. Hortenſij, & mea, & Luculli ſententia cedit religioni de exercitu: teneri enim res aliter non poteſt. Obſiſti autem ideo non poterat, quia factum iam erat S.C. regem cum multitudine reduci, periculoſum reip. uideri. Antiqui libri omnes, qui apud me ſunt, Clam, habent, pro, Iam: quod mendoſum eſſe conſtat. IERVNT *in alia omnia*.} Ire in alia omnia, & Diſcedere, & Tranſire, pro diſſentire, ueteres dicebant. de quo Feſtus his uerbis: Qui hoc cenſetis, illuc tranſite; qui alia omnia, in hanc partem. his uerbis praeit ominis uidelicet cauſſa; ne dicat, Qui non cenſetis. ſic locutus eſt Coelius ep. 13. lib. IIX. Cum prima M. Marcelli ſententia pronunciata eſſet, qui agendum cum tribunis pl. cenſebat; frequens ſenatus in alia omnia ijt. Et Cic. ep. 12. lib. X. Cum gratia effeciſſet, ut ſua ſententia prima pronunciaretur; frequens eum ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceſsit. Ep. I. lib. II. ad Att. Ibatur in eam ſententiam. Hirtius lib. IIX. bel. Gal. Diſceſsionem faciente Marcello, ſenatus frequens in alia omnia tranſijt. CVM. LVPVS} ſiue, Cum, ſiue, Tum, ſiue, Cui, legatur; in quo ſcripti libri diſſentiunt; parui refert. nihil enim aut additur ad ſententiam, aut detrahitur. INTENDERE} ſic antiqui libri, quos uiderim, omnes, non, Contendere. Pro Quinctio: Qui ſibi eum nuper edidit ſocium, quem, quo modo nunc intendit, ne in uiuorum quidem numero tum demonſtrat fuiſſe. Hoc autem intendebat Lupus, cum ipſe de Pompeio, ſine controuerſia principe ciuitatis, retuliſſet, ante ſe oportere diſceſsionem facere, quam conſules: quod uereretur, ne, ſi de Hortenſij ſententia, quae Lentulum decernebat, diſceſsio fieret, maior ſenatorum numerus eam probaret. DISCESSIONEM *facere*,} aut, diſcedendi poteſtatem facere ſenatoribus de ſua ſententia: aut, di-

ſceſsionem

ſceſsionem ipſum facere ; quia primus de ſua ſententia diſceſsionem facere ſoleret is , qui retuliſſet ; deinde ſenatores alij ſequerentur. Quaeri poteſt, cur non idem Bibulo Lupus , quod Hortenſio oppoſuiſſet, ut de ſua ſententia diſceſsionem ipſe faceret, ante quam conſules. Quia ſenatoribus non admodum eius probari ſententiam, nec ab eo, ſed ab Hortenſio, timendum intelligeret. INIQVA, *& noua.*} iniquum , & nouum eſt, ut in diſceſsione facienda, quod tribunis pl. placeat, fiat potius, quam quod conſulibus. MVLTIS. PARTIBVS, PLVRES} multo plures . Eodem modo Coelius ep. 9. lib. IIX. Turpe tibi erit , Patiſchum Curioni decem pantheras miſiſſe, te non multis partibus plures. In Academicis : Quibus efficitur, ſolem multis partibus maiorem eſſe, quam terram. Lib. III. de Fin. Multis partibus malit, pro multo malit. Caeſar lib. III. bel. ci. Eo fama iam praecurrerat de proelio Dyrrhachino , quod multis auxerat partibus. Ibidem infra : Exercitus numero multis partibus inferior ; Suetonius in Iulio : Innumeras aduerſariorum copias multis partibus ipſi pauciores facile ſuperauerunt. APERTE} ſimulabant Pompeij cauſſa : ſed conſules, oratione Ciceronis reconciliatam Lentulo ſenatus uoluntatem intelligentes , diem conſumi paſsi ſunt ; ne diſceſsio fieret : cum nec a Lentulo, nec a Pompeio regem reduci uellent, ſed aut a priuatis , ex Bibuli ſententia , quam ſenatus iam improbauerat, aut omnino non reduci : quod factum eſt. ROGABANTVR,} a ſenatoribus, uarie ſentientibus: cum alij Pompeio, alij Lentulo fauerent, alij aliter ſentirent. ipſe etiam Cicero rogauerat. dixit enim : Quod tum dicendo, tum ſingulis appellandis, rogandisq. perſpexeram. EO. DIE} cum de certo die loquimur, uirili utimur genere ; cum de tempore, muliebri. confirmatur exemplis, quo magis miror Nonium contra ſentire. ſcripſit enim haec : Diem uolunt, cum feminino genere dicimus, tempus ſignificare; maſculino, diem ipſum , nos contra inuenimus . Turpilius Pedio : Quando equidem amorem intercapedine ipſa leniuit dies, ideſt, ipſum tempus. Pacuuius Duloreſte : Gnatam deſpondit : nuptijs hanc dat diem. Virg. Aen. lib. 2. Ergo dies infanda aderat. mihi ſacra parari. Haec Nonius ; uerum haec fortaſſe licentia tribuitur poetis ; quorum teſtimonio uſus eſt. APVD *Pompeium cenaui;*} Cenare apud aliquem, interdum eſt & eius domi, & cum eo cenare: quod hic locus oſtendit, & ille ep. 9. Cenauit apud me in mei generi Craſsipedis hortis , Interdum autem , eius quidem domi, non autem cum eo cenare : ut ep. 12. lib. IV. ad Att. Poſtridie Kal. cena apud me cum Pilia. Apud me, inquit, ideſt domi meae : quãquam ipſe abeſſet. Cenarum uſus non idem ſemper apud ueteres fuit. Primũ, cibus meridie ſumptus cena uocabatur, ueſperi ueſperna : poſtea meridianus cibus, quem non ordinarium fuiſſe e Celſo conſtat, prandium appellatum, ueſpertinus autem cena. de quo ſic Feſtus : Cena apud antiquos dicebatur, quod nunc eſt prandium : ueſperna, quam nunc cenam appellamus. Et alio loco : Veſperna apud Plautum cena intelligitur. Et Iſidorus cap. 20. lib. 2. Eſt etiam cena ueſpertinus cibus , quam ueſpertinam antiqui dicebant. in uſu enim non erant prandia. Merendam ueteres dixiſſe pro prandio, quod ſcilicet medio die caperetur, auctor eſt Feſtus. Nonius autem : Merenda cibus eſt , qui poſt meridiem datur. Idem Iſidorus ; Merenda eſt cibus, qui declinante die ſumitur, quaſi poſt meridiem edenda ; & proximo cenae : unde & antecena a quibuſdam uocatur. item merendare, quaſi meridie edere. Sed Feſtus de priſcis temporibus loquitur, cum merenda fuit pro prandio ; Nonius de ſuis , cum inter prandium & cenam merenda in uſu eſſet : qui mos hodieq. retinetur. Quinquies igitur quotidie capi ſolitum eſſe cibum , quod a paucis tamen factum exiſtimo, animaduertitur; mane, quod ientaculum dixere ; meridie, prandium; poſt meridiem, merendam ; ueſperi, cenam ; poſt cenam, commiſſationem. ſolae cenae quotidie in uſu fuere : prandia nec, ut opinor, apud omnes, (de Romanis loquor) & aeſtate potius, quam hieme : quod Celſus lib. IV. & VII. docet. HONESTISSIMVS} eo enim die ſenatus uoluntas Lentulo reconciliata uidebatur. itaque, quod in proſperis rebus plus habet auctoritatis oratio noſtra, quam in aduerſis ; propterea magis idoneum, quam umquam antea, tempus illud Cicero iudicauit cum Pompeio colloquendi. CVM ILLO. LOCVTVS,} qui ſcribunt, Loquutus, potius quam, Locutus , contra Priſciani auctoritatem faciunt, is enim lib. I. Q in quibuſdam participijs transfertur in c, ut ſequor ſecutus, loquor locutus. HOMINIS} Sic ſaepe ueteres loquebantur, cum indicare uellent eum ipſum, quem antea nominarant. ep. I. lib. III. Valde hominem diligo. Et in Verrem : Noſtis os hominis. SVSPICIONE. CVPIDITATIS;} orta ex concurſatione, & contentione Libonis, & Hypſaei, omniumq. eius familiarium ſtudio. ep. I. OMNIVM. ORDINVM} dixi iam, conſtare ciuitatem e tribus ordinibus. IAM PRIDEM} multo ante, quam profectus es. ep. I. CERTIS. HOMINIBVS,} intimis, ac domeſticis Pompeij. NON, INVITO. *rege ipſo*,} Ab ipſo rege, dixit, ep. I. CORRVPTAM.} ne putemus, corruptum Pompeium ſignificari, quem liberauit iam omni ſuſpicione cupiditatis : ſed hoc in eius familiares confertur. AD. XVI. *Kal. Febr.*} ergo pridie fuerat, XVII. Kal. quo die ſententias eſſe dictas oſtendit. at nunc qui dies in Ianuario menſe poſt idus ſequitur, eſt XIX. Kal. Febr. non XVII. quo ne moueamur, ſciendum eſt, Ianuarium tunc habuiſſe tantum XXIX. dies, Numae regis inſtituto, qui annum Lunae curſu dimetitus eſt. Caeſar autem dictator annum ad curſum Solis accommodauit, binis diebus in Ianuarium, Sextilem, Decembrem inſertis : ut tricenos ſingulos haberent dies, qui XXIX. tantum habuerant. Macrobius, Suetonius, alij : PERFIDIA, ET. INIQVITATE,} *perfidia*, inuidorum; *iniquitate*. inimicorum. POPVLAREM, RATIONEM} a populo magis in regia cauſſa, quam ab ſenatu, timendum erat. nam Cato, & Caninius, tribuni pl. male erant erga Lentulum animati : & Cato rogationem poſtea promulgauit, ut imperium Lentulo abrogaretur : Caninius alteram legem, ut Pompeius cum duobus legatis regem reduceret. ep. 5. Plutarchus in Pompeio. AGI. *cum populo*,} a tribunis pl. Agere cum populo, eſt, ut Meſſalla docet apud Gellium lib. XIII. cap. 15. rogare populum, quod ſuffragijs ſuis aut iubeat, aut uetet. Feſtus autem, Cum populo, inquit, agere, eſt, populum ad concilium, aut

lium, aut comitia uocare. Quod eodem ſpectat. non enim populus aut ad concilium, aut ad comitia uocabatur, niſi ut ſuffragijs uel iuberet aliquid, uel uetaret. SALVIS *auſpicijs*,} genus illud auſpiciorum, quod, ſeruare de caelo, dicebatur, ſignificat, neque enim lex ferri, aut omnino agi cum populo poterat eo die, quo magiſtratus de caelo ſeruaret: quae ſpectio uocabatur: eoq. auſpiciorum genere non augures, ſed magiſtratus, non modo maiores, uerum etiam minores utebantur. Impedire actiones tribunicias uel ope magiſtratus, qui comitialibus diebus de caelo ſeruaret, Cicero cogitabat; uel, ſi lex ferretur, alicuius tribuni pl. interceſsione: propterea ſubiungit, *Aut ſaluis legibus*: nam interceſsioni parendum legibus erat. Nihil, inquit, a populo timendum: ſi modo auſpicia, aut leges ualebunt: quae ſtante rep. ualeant, neceſſe eſt. Haec duo legis impediendae genera nominantur in oratione pro Sextio: Victa eſt cauſſa reip. non auſpicijs, non interceſsione, non ſuffragijs, ſed ui, manu, ferro. Et Phil. I. Quaerunt, quid ſit, cur aut ego, aut quiſquam ueſtrum, P. C. bonis tribunis pl. leges malas metuat. paratos habemus, qui intercedant; paratos, qui remp. religione defendant. Religionis enim nomine auſpicia magiſtratuum ſignificat. Habebat autem Cicero ſui ſtudioſiſsimos ex collegio tribunorum, quos uel ad ſeruandum de caelo, uel ad intercedendum facile poſſet adducere, Racilium, & Plancium. ep. I. lib. II. ad Q. Fratrem. AVT. DENIQVE *ſine ui*} cur hoc tertium addit? Vt oſtendat, ſi tribunos pl. nec auſpicia, nec interceſsio deterreat, populum tamen ipſum nouas leges non eſſe probaturum. itaque, praeter uim, qua tribuni pl. nonnumquam in ferendis legibus utebantur, nihil timendum. De hac ipſa ui ſic in ep. 2. lib. II. ad Q. Fr. Suſpicor Caninium per uim rogationem perlaturum. De eadem, & ſimul de populi ſtudio erga Lentulum, epiſt. 4. Ego tibi a ui, hac praeſertim imbecillitate magiſtratuum, praeſtare nihil poſſum: ui excepta, poſſum confirmare, te & ſenatus, & populi Romani ſummo ſtudio amplitudinem tuam retenturum. Vis autem illa ſignificatur, cum ſeditioſi tribuni pl. ut ſuas rogationes perferrent, eam populi partem, quae bene de rep. ſentire uidebatur, armis foro excluderent, operas autem ad ſuffragia ferenda inducerent. Deſcribitur haec uis cum in alijs orationibus, tum in Phil. I. his uerbis: Forum ſaepiętur: omnes claudentur aditus: armati in praeſidijs collocabuntur. &c. DE. HIS. REBVS} ut omnino tribuni pl. nihil agere cum populo poſſent, quod Lentuli dignitatem imminueret. PRIDIE} XVII. Kal. Febr. quo die breuiter in ſenatu ſententiae dictae ſunt. AVCTORITAS} cum ſenatus legitimus, id eſt, quo loco, quo die, quo numero, a quo magiſtratu oporteret, habitus, aliquid uel de publica, uel de priuata re decreuerat; tum ſi ex collegio tribunorum pl. nemo intercedebat, rata ſenatus uoluntas erat, & S. C. dicebatur; eoq. nomine inſcriptum publicis tabulis conſignabatur: ſin autem uel ſenatus non legitimus aliquid decreuerat, uel tribunus pl. interceſſerat; infirmum, ac prorſus irritum decretum illud erat, nec S. C. ſed ſenatus auctoritas uocabatur: propterea quod auctoritatem quandam publicis tabulis teſtata ſenatus uoluntas habere uidebatur. teſtis Liuius lib. IV. Si quis, inquit, intercedat, S.C. auctoritate ſe fore contentum. Teſtis Dionis hiſtoria. nam cum Q. Caſsius Longinus, & M. Antonius, tribuni pl. intercederent, quominus fieret S.C. de Caeſare ex Gallia reuocando; cumq. ſenatus, Pōpeio deditus, a Caeſare alieno, propterea ueſtem, ut in aduerſa triſtiq. re, mutaſſet: tamen ne ſic quidem factum eſſe S.C. ſed perſcriptam ſententiam eſſe, Dio lib. XLI. ſignificat. Idemq. lib. XLII. cum S. C. intercederent tribuni pl. ſenatus tamen auctoritas perſcripta eſt. Planiſsime autem lib. LV. his fere uerbis: Si quando aliquid ſenatus decreuiſſet, nec legitimus ſenatorum numerus affuiſſet: non inerat in eo uis S.C. ſed auctoritas ſenatus dicebatur, qua tantum conſtaret eorum, qui tunc affuiſſent, uoluntas, & ſententia. obſeruatum idem eſt, cum uel ſenatus alieno loco, aut tempore, aut non legitimo edicto habitus eſſet, uel tribuni pl. interceſsiſſent. impedito enim S.C. extare tamen ſenatus uoluit ſententiam ſuam. Accedit Ciceronis teſtimonium in ep. 7. S. C. nullum exſtat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta ſit; eaque, quae de ea ſcripta eſt, auctoritas, cui ſcis interceſſum eſſe, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam uim habet, ut magis iratorum hominum ſtudium, quam conſtantis ſenatus conſilium, eſſe uideatur. Et ibidem paullo poſt: Offenſionem eſſe periculoſam, propter interpoſitam auctoritatem, religionemq. uideo. Et ep. 2. lib. IV. ad Att. Nondum ſatis erat allatum, quo modo Caeſar ferret de auctoritate perſcripta. Loquitur ibi Cicero de S. C. ab intercedentibus Caſsio, & Antonio, tribunis pl. impedito. quod ex Dione iam oſtendimus. Nec dubito, quin de auctoritate perſcripta, cum ſenatus decreto interceſſum eſſet, Cicero ſignificet lib. III. de leg. in eo loco: Senatus decreta rata ſunto. aſt ni poteſtas par, maiorue prohibeſsit, perſcripta ſeruanto. Quae licet exempla ſatis hunc morem oſtendant: ut dubitatio tamen omnis auferatur, adſcribemus uerba S. C. quod Coelius incluſum epiſtolae ad Ciceronem miſit. Si quis huic S. C. interceſſerit; ſenatui placere auctoritatem perſcribi, & de ea re ad ſenatum, populumq. referri. Et in alio eiuſdem S. C. capite: Si quis huic S. C. interceſsiſſet, auctoritas perſcriberetur. Huic opinioni locum aduerſari Ciceronis in oratione pro Deiotaro, aliquis fortaſſe dixerit. Cum audiſſet Deiotarus, inquit, ſenatus conſentientis auctoritate arma ſumpta, conſulibus, praetoribus, tribunis pl. nobis imperatoribus remp. defendendam datam. Senatus auctoritatem uocat in ea re, de qua S. C. eſſe factum, Caeſar oſtendit lib. I. de bel. ci. Decurritur, inquit, ad illud extremum, atque ultimum S. C. quo, niſi paene in ipſo uerbis incendio, atque deſperatione omnium ſalutis, numquam ante deſcenſum eſt: Dent operam conſules, praetores, tribuni pl. quiq. proconſules ſunt ad urbem, ne quid reſp. detrimenti capiat. Haec S.C. perſcribuntur ad VII. Id. Ian. Hoc argumentum duplici ratione refellitur: uel quod, cū S.C. illud contra Caeſarem, belli ciuilis initio factū eſſet; nec tribunis pl. ad intercedendum paratis, locus eſſet; non auderet Cicero, ad Caeſarem, iam omnia tenentem, pro Deiotaro reo ſuppliciter agens, S. C. appellare: praeſertim cum ſciat, ſi tribunis pl. Antonio, & Caſsio intercedere licuiſſet, quod Pompeianorum factione non licuit, S.C. eſſe non potuiſſe. itaque

ſapienter,

ſapienter, tempori, cauſſaeq. ſeruiens, odioſum Caeſari uocabulum Cicero uitauit, a quo ſalutem Deiotari regis impetrare cupiebat. Altera eſt ratio, mihi quidẽ ualde probata, quod ſenatus auctoritas non ſemper decretũ illud ſignificat, quod ne ſenatusconſulti uim & nomen haberet, interceſsione fiebat; ſed, ubi nulla interceſsionis mentio fit, pro ipſo accipitur S.C. ut in oratione in Piſonem: Quam prouinciam P. Lentulus cũ & ſenatus auctoritate, & ſorte haberet, depoſuiſſet. Significat enim a Lentulo depoſitam Ptolemaei regis reductionem, quam ei ſenatusconſulto eſſe mandatã, & ſupra demonſtratum eſt. Et in ea pro domo: Ex ſenatus auctoritate & ſenatum, & omnes bonos mutata ueſte uidi. Senatus auctoritatem appellat, cum tamen S.C. de mutanda ueſte factum eſſet: quod ex oratione pro Sextio cognoſcitur. In Vatinium; Ne hoc quidẽ ſenatui relinquebas, ut legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? Quis non intelligit, Ex eius ordinis auctoritate, pro, ex S. C. dictum eſſe? cum paullo poſt ſequatur: Quis legatos umquam audiuit ſine S. C? ante te nemo. Ergo, ſenatus conſentientis auctoritate arma ſumpta, idem ualet, quod, uniuerſo approbante ſenatu, decreto ſenatus uniuerſi. INTERCESSERAT:} Intercedere, modo eſt impedire, ut infra: Cui cum Cato, & Caninius interceſsiſſet, tamen eſt perſcripta: modo interuenire, ut hic, & ep. 2. lib. XV. Cum ueſtra auctoritas interceſsiſſet, ut ego regem Ariobarzanem tuerer. Et ep. 4. eiuſdem libri: Studui quam ornatiſsima ſenatus, populiq. Romani de me iudicia intercedere. Eodem ſenſu dixit Coelius ep. 6. lib. IIX. Significatio ulla ſi interceſſerit; clarius, quam deceat, aut expediat, fiat. Et in Verrem lib. II. Cum imperatoris populi Romani auctoritas, legatorum decem dignitas S. C. intercederet. INTERCESSISSENT,} impediſſent, ne S. C. fieret. ideo ſenatus auctoritas, S. C. impedito, perſcripta eſt. intercedere enim, proprie tribunorum pl. fuit, quamquam participes eius fuiſſe poteſtatis omnes, qui eadem poteſtate, qua ij, qui S. C. facere uellent, maioreue eſſent, docet Gellius ex Varrone lib. XIV. cap. 7. DE CETERIS, REBVS,} a negotio tranſit ad officium; id quod, abſoluta narratione, uel ad augendam eius, ad quem ſcribitur, ſpem, uel ad leniendum dolorem ualere plurimum ſolet. Ceteris rebus, dixit, non quaecumque ad Lentulum, ſed ijs, quae ad regis reductionem pertinere uiderentur. CVRA, OPERA, *diligentia, gratia*} quia neque cura ſine opera, nec opera ſine diligentia ſufficit, ideo coniungit haec tria. rurſus, quod haec ſimul omnia, niſi accedat gratia, ualde non proficiunt; gratiam adiungit: aeque ac ſi dicat: Quidquid gratia ualebo, ualebo tibi.

---

# Argumentum ep. 3.

*Commendaticiae litterae pertinent ad morale genus. non enim a geſta, gerendaue re ſumitur argumentum; ſed ea ſcribuntur, quae magna ex parte ſuadet humanitas, quaeq. in commendando plurimum habere ponderis exiſtimamus. Perfecta autem commendatio tribus fere conſtat partibus. nam & amicitia cum eo, qui commendatur, & rei aequitas, & ſtudium noſtrum oſtenditur. Hic amicitia cum Trebonio declaratur in eo loco, Multos annos utor ualde familiariter: rei aequitas in eo, Quae T. Ampius de eius re decreuerit: ſtudium commendantis in clauſula, Vt intelligat noſtram commendationem non uulgarem fuiſſe.*

## *Cicero S. D. Lentulo.* 3.

A. TREBONIO, *qui in tua prouincia magna negotia, & ampla, & expedita habet, multos annos utor ualde familiariter. is cum antea ſemper, & ſuo ſplendore, & noſtra, ceterorumq. amicorum commendatione, gratiſſimus in prouincia fuit: tum hoc tempore, propter tuum in me amorem, noſtramq. neceſſitudinem, uehementer confidit, his meis litteris ſe apud te gratioſum fore. quae ne ſpes eum fallat, uehementer te rogo: commendoq. tibi eius omnia negotia, libertos, procuratores, familiam, in primiſque, quae T. Ampius de eius re decreuerit, ea comprobes: omnibusq. rebus eum ita tractes, ut intelligat noſtram commendationem non uulgarem fuiſſe. Vale.*

## EXPLANATIO

A. TREBONIO} non dubito, quin fuerit equeſtris ordinis. nam negotiari ſenatoribus non modo turpe fuit, uerumetiam ueteri lege non licuit. Liuius lib. XXI. Q. Claudius tribunus pl. legem tulit, ne quis

lit, ne quis ſenator, cuiue ſenator pater fuiſſet, maritimam nauem, quae plus, quam trecentarum amphorarum eſſet, haberet. id ſatis uiſum ad fructus ex agris uectandos. Praeterea, ſplendoris mentio pertinere ad equitem uidetur. PROVINCIA} Cilicia. MAGNA} iure igitur a me commendatur. AMPLA,} multis in locis: nam, ſi uno loco eſſent, minus eſſet neceſſaria commendatio. Saepe ad rei magnitudinem additur amplitudo, ut in epiſt. Caecinae lib. VI. Quamquam id magnum, & amplum eſt. De Inuent. lib. I. Magna, & ampla pars. Pro Sextio: Non aggrediar ad illa maxima, atque ampliſsima. EXPEDITA} impedita enim, ne tibi moleſtiam afferrem, haud libenter tibi commendarem. MVLTOS ANNOS *utor ualde familiariter*.} uſus commendationis eſt cauſſa. quo enim utimur, cum commendare debemus: ſed, ſi hoc accedit, ut & multos annos, & ualde familiariter utamur; officio non ſolum iuſto, uerum etiam prope neceſſario ad commendandum impellimur. SVO. SPLENDORE,} ſaepe Splendorem Cicero tribuit equitibus Romanis, ut ep. 26. lib. XII. Magnam ex eorum ſplendore & obſeruantia capies uoluptatem. & ep. 27. eiuſdem libri: Sex. Aufidius ſplendore equitis Romani nemini cedit. In oratione pro Roſcio Amer. Equeſtrem ſplendorem nominat. Eſt autem ſplendor in equite, dignitas non ex aliquo magiſtratu parta, ſed ex ipſo ordine, qui fuit in ciuitate honeſtiſsimus. probatur ipſo interprete Cicerone: cuius haec ſunt in oratione pro Coelio: Obiectus eſt pater uarie, quod aut parum ſplendidus ipſe, aut parum pie tractatus a filio diceretur. De dignitate, Coelius notis ac maioribus natu etiam ſine mea oratione tacitus facile ipſe reſpondeat. De dignitate, dixit, cum ad illud, Parum ſplendidus, reſponderet. ex quo apparet, ſplendorem, & dignitatem in equite idem eſſe. CETERORVM} bonus igitur uir, qui abundet amicis. GRATISSIMVS *in prouincia fuit*:} ne me putes ignotum hominem tibi commendare. Malim, Gratioſiſsimus: cum ſequatur, ſe apud te gratioſum fore: nec omnino loquendi modus placeat, Gratum eſſe aliquem in prouincia. ſignificat autem, apud eos potius, qui prouinciae praefuerunt, gratioſiſsimum fuiſſe, quam apud prouinciales, priuatiq. iuris homines. TVVM. IN. ME. AMOREM,} omnibus notiſsimum & beneficij tui magnitudine, & nouitate meorum temporum. NOSTRAMQ. NECESSITVDINEM,} mutuus amor oſtenditur, nec ſine cauſſa. hoc enim ſignificat: quia tu me amas, Trebonius futurum ſperat, ut id, quod cupio, conſequar: quia uero ego te uiciſsim amo, dignum eſſe me, qui hoc impetrem, arbitratur. LIBERTOS, *procuratores, familiam*} apparet, id quod Cicero dixit, magna fuiſſe, & ampla Trebonij negotia: cum ea liberti, procuratores, ſerui tractarent ſic ep. 29. lib. XII. Tantum uelim exiſtimes, ſi negotia Lamiae, procuratores, libertos, familiam quibuſcumque rebus opus erit, defenderis. &c. Liberti, ut meliore, quam ſerui, iure ſunt, cum ciuitatem adipiſcantur; ſic deteriore, quam ingenui, cum honores non capiant. ſunt autem uel ſingulorum hominum, quibus antea ſeruiebant, uel ſocietatum, uel fanorum, uel opidorum beneficio liberati, ſi ſingulorum, ab ijs praenomen, & nomen ſumebant, retento ſeruili nomine, quod poſt manumiſsionem tertio loco quaſi cognomen ponebatur. ut M. Tullius Tiro: ſi ſocietatum, earum nominibus utebantur, Aſiatici, Siculi ue liberti uocati: ſi fanorum, ab ijs appellabantur, ut Venerij, Mercuriales, Capitolini: ſi opidorum, ab ijs quoque, ut a Fauentia Fauentini, a Reate Reatini. Romae mos antiquus immutatus eſt: nam cum liberti Romani dicti eſſent, ad ſimilitudinem libertorum municipalium, poſtea magiſtratus nomina, qui eos liberaret, acceperunt: in ſeruis tamen publicis, quae in libertis eſt amiſſa, uetus appellatio manſit: ſemper enim dicti ſunt, publici ſerui Romani. Hac tota de re M. Varro, ſed obſcure ſatis, nos tamquam interpretes, quam planiſsime fieri potuit, eius doctrinam ſtuduimus explicare. Procuratores uocat, uicarios iuris ſui: familiam, ſeruos, ut in Bruto: Cum inſimularetur familia, partim etiam liberi homines ſocietatis eius. T. AMPIVS} qui ante Lentulum Ciliciae praefuerat, praetorius, non conſularis. T. Ampium tribunum pl. nominat Velleius lib. II. qui cum T. Labieno collega legem tulit, Cicerone conſule, ut Pompeius poſt uictoriam Mithridaticam ludis Circenſibus corona aurea, & omni cultu triumphantium uteretur, ſcenicis autem praetexta, coronaq. aurea. Inter tribunatum autem, & praeturam cum anni quattuor interſint, praetor fuiſſe uidetur Piſone & Gab. cos, ideſt quadriennio poſt Ciceronem conſulem, & anno ſequenti, Lentulo & Metello cos. iuit in Ciliciam: eiq. poſtero anno Lentulus, Marcellino & Philippo cos. ſucceſsit. itaque ratio temporum probare uidetur, Ampium, qui Ciliciae praefuit ante Lentulum, eum eſſe, quem nominat Velleius. Nec tamen eum negauerim eſſe poſſe, qui ciuili bello delectum habuit pro Pompeio, ut ep. XI. lib. IIX. ad Att. & ad quem exſulem epiſtolae Ciceronis exſtant lib. VI. & lib. X. Caeſar quoque Pompeianum indicat fuiſſe lib. III. bel. ci. cum ait: Reperiebat, T. Ampium conatum eſſe tollere pecunias Epheſi ex fano Dianae, eiusq. rei cauſſa ſenatores omnes ex prouincia uocaſſe, ut, ijs teſtibus, ſumma pecuniae uteretur, ſed interpellatum aduentu Caeſaris profugiſſe. Legebatur olim in uulgatis libris, T. Appius, mendo manifeſto: quia duo praenomina ſimul eſſe non poſſunt. ideo repoſuimus, coniecturam ſecuti, T. Ampius: quam poſtea coniecturam ueteres aliquot libri comprobarunt. Mediceus tamen, & alij nonnulli, Tampius: quod reprehendere non auſim, cum Tampiorum quoque familiam Romae fuiſſe uideam. NON. VVLGAREM} non quo genere uulgo utimur in ijs commendandis, quorum cauſſa minimum laboramus, uerum accuratam, exquiſitam, amoris, ac ſtudij plenam.

## Argumentum ep. 4.

*NEgotialis eſt uſque ad illud, Ego neque de meo ſtudio. Narrat, quid actum in ſenatu, quid promiſerint tribuni pl. quae ſit opinio populi Romani, qua ſenatus in eum uoluntate: quod ad popularem rationem attinet, nihil timendum, ui tamen excepta: ſuum ſtudium in regia cauſſa, aliorum iniurias, magiſtratuum imbecillitatem oſtendit: poſtremo de ſenatu, populoq. Romano ſpem optimam affert.*

### *Cicero S. D: Lentulo.* 4.

*AD XVI. Kal. Febr. cum in ſenatu pulcherrime ſtaremus, quod iam illam ſententiam Bibuli de tribus legatis pridie eius diei fregeramus; unumq. certamen eſſet relictum, ſententia Volcatij; res ab aduerſarijs noſtris extracta eſt uarijs calumnijs. cauſſam enim, frequenti ſenatu, in magna uarietate, magnaq. inuidia eorum, qui a te cauſſam regiam alio transferebant, obtinebamus. eo die acerbum habuimus Curionem, Bibulum multo iuſtiorem, paene etiam amicum. Caninius, & Cato negarunt ſe legem ullam ante comitia eſſe laturos. ſenatus haberi ante Kal. Febr. per legem Pupiam, id quod ſcis, nõ poteſt, neque menſe Febr. toto, niſi perfectis, aut reiectis legationibus. haec tamen opinio eſt populi R. a tuis inuidis, atque obtrectatoribus nomen inductum fictae religionis, non tam ut te impedirent, quam ut ne quis propter exercitus cupiditatem Alexandriam uellet ire. dignitatis autem tuae, nemo eſt, quin exiſtimet habitam eſſe rationem ab ſenatu. nemo eſt enim, qui neſciat, quo minus diſceſſio fieret, per aduerſarios tuos eſſe factum. qui nunc populi R. nomine, re autem uera ſceleratiſſimo latrocinio, ſi qua conabuntur agere; ſatis prouiſum eſt, ut ne quid ſaluis auſpicijs, aut legibus, aut iam ſine ui agere poſſint. Ego neque de meo ſtudio, neque de nonnullorum iniuria ſcribendum mihi eſſe arbitror. quid enim aut me oſtentem, qui, ſi uitam pro tua dignitate profundam, nullam partem uidear tuorum meritorum aſſecutus; aut de aliorum iniurijs querar, quod ſine ſummo dolore facere non poſſum? ego tibi a ui, hac praeſertim imbecillitate magiſtratuum, praeſtare nihil poſſum: ui excepta, poſſum confirmare, te & ſenatus, & populi R. ſummo ſtudio amplitudinem tuam retenturum. Vale.*

## EXPLANATIO

AD XVI. KAL. FEBR.} continuo triduo, idibus, XVII. & XVI. Kal. actum eſt in ſenatu de reductione regis. comitialis dies fuit, quo hanc epiſtolam Cicero ſcripſit, XV. Kal. ut ex ep. 2. lib. 2. ad Q. Fr. cognoſcitur. ijs tribus diebus cur nihil ſit confectum, uariae quidem obſtitere cauſſae, ſed uno nomine omnes, nimirum tribunorum pl. iniquitate, comprehenduntur. nam idibus Caninius tribunus pl. eouſque cum Lentulo conſule altercatus eſt, ut diem conſumpſerit. XVII. Kal. ne diſceſsio fieret in Hortenſij ſententiam, quae Lentulo decernebat, ut regem reduceret; Lupi tribuni pl. iniqua, & noua prohibuit oratio. XVI. Kal. res ab aduerſarijs Lentuli, ideſt a tribunis pl. extracta eſt uarijs calumnijs. PVLCHERRIME} honeſtiſsime, perhonorifice. STAREMVS,} tranſlatio a pugnantibus, qui ſtare tunc dicuntur, cum eum, quem cepere, locum obtinent: quod fortitudinis eſt. DE. TRIBVS. LEGATIS} priuatis: qua ſententia Lentulus, & Pompeius excludebantur, qui erant cum imperio. FREGERAMVS;} pergit in tranſlatione. nam, frangere impetus aduerſarij, de pugnantibus uſurpatur. ſignificat, quod in ep. 2. dictum eſt: De tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. CERTAMEN} tertium, & ultimum tranſlationis uerbum, longius autem producta, ſimilitudo potius, quam tranſlatio, uideretur. SENTENTIA. VOLCATII;} ut Pompeius regem reduceret: de quo Lupus tribunus pl. retulerat. ADVERSARIIS} praeſertim tribunis pl. de quibus infra: Nemo eſt enim, qui neſciat, quo minus diſceſsio fieret, per aduerſarios tuos eſſe factum: qui nunc, populi Romani nomine, re autem uera ſceleratiſsimo latrocinio, ſi qua conabuntur agere; ſatis prouiſum eſt. &c. VARIIS *calumnijs*.} ſenatores cum eam rem, de qua ſenteutiam rogabantur, perfici nollent, longa oratione, ut diem conſumerent, utebantur. ius enim erat, ut ſententiam rogati, dicerent ante, quidquid uellent alius rei, & quoad uellent. quod in libro de officio ſenatorum Capito ſcriptum reliquit. Hac igitur poteſtate, improbo, aſtutoq. conſilio rem extraxerunt Lentuli aduerſarij, cum alius alia diceret, ut diem eximerent: quod eſt factum. Varias calumnias uocat Cicero uarias cauſſas ficte inductas, uaria figmenta, cum nihil uerum, nihil ex animo loquerentur, ſed tantum ut rem ducerent, diemq. dicendo extraherent. ſic 2. lib. 2. ad fratrem: Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta eſt. FREQVENTI. SENATV,} cum adeſſent plurimi ſenatores. Plures quadringentis in ſenatu affuiſſe, bis omnino, ut mea memoria eſt, legi, CDX, in oratione poſt reditum in ſenatu, CDXV, ep. 10. lib. 1. ad Att. IN. MAGNA *uarietate*,} ſic tres mei, ſic & unus Alberti Ferri,

optimi

optimi eruditiq. adoleſcentis,& duo praeterea Sigonij ueteres libri. Varietatem autem ſententiarum dicit: hoc enim in primis honorificum, in magna uarietate, magnaq. inuidia, cauſſam tamen obtinere. in quo ſuũ officium tacite Cicero commendat. quis enim neſcit, operam, officiumq. noſtrum laudari magis, ubi quid obtinemus in magna ſententiarum uarietate, quam ſi uarietas non magna ſit? Sententias quinque uarie decernentium expoſuit in prima epiſtola; Hortenſij, de reductione regis uni Lentulo mandanda; Craſsi, de tribus legatis, etiam ex ijs, qui cum imperio eſſent; Bibuli, de tribus item legatis, ſed ex ijs tantum, qui priuati eſſent; Seruilij, ne rex reduceretur; Volcatij, ut reduceretur a Pompeio. ut magnam fuiſſe uarietatem ſententiarum neceſſe ſit, ubi Lentulo conſulares quattuor, Craſſus, Bibulus, Seruilius, Volcatius, aduerſarentur. in qua tamen uarietate cauſſam Lentulus obtinuiſſet, niſi uarijs calumnijs ab eius aduerſarijs extracta res eſſet. Ep.2.lib.2.ad Q. Fr. Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta eſt. INVIDIA} conſularium: de quibus in ep.1. Si eſſet in ijs fides. In 2. In tanta hominum perfidia. In 5. Eandem fidem hominum. Et ibidem: Siquid hominum perfidia detraxerit. Et in extremo: Amicum ex conſularibus neminem tibi eſſe uideo. In 6. Proditores appellat. In 7. Vehementer quoſdam homines inuidiſſe dignitati tuae. Ibidem: De conſularibus nemini poſſum aut ſtudij erga te, aut officij, aut amici animi eſſe teſtis. Aliquanto poſt: Eſſe te in principibus facile paſsi ſunt, euolare altius certe noluerunt. ALIO} ad alios: cum quidam ſoli Pompeio cauſſam regiam deferri uellent; alij aliter ſentirent. ACERBVM} acrem aduerſarium: quod ante eum diem non contigerat. non tamen uni Lentulo, ſed Pompeio pariter acerbum fuiſſe arbitror: oderat enim peſsime ſocerum Pompeij C. Caeſarem, ut Suetonius oſtendit: quare Caeſaris potentiam augenti quotidie Pompeio non amicum fuiſſe uериſimile uidetur. & eum Pompeius ipſe ſuum eſſe obtrectatorem aiebat. ep.3.lib.2. ad Q. Fr. CVRIONEM,} C. Scribonium Curionem, conſularem, & triumphalem, patrem eius, ad quem epiſtolae mittuntur lib.2. IVSTIOREM, *paene etiam amicum.*} huius mutationis illa Bibulo cauſſa fuit, quod, cum ipſe de tribus legatis obtinere non potuiſſet, malebat Lentulo rem deferri, quam Pompeio; quem Caeſaris, inimiciſsimi ſui, generum, fautoremq. & amplificatorem dignitatis, ornari non libenter uidebat. LEGEM. VLLAM} quod fautores Lentuli timebant. ideo ſubiunxit: Satis prouiſum eſt, ne quid ſaluis auſpicijs, aut legibus, aut iam ſine ui agere poſsint. Et ep.2. ANTE. COMITIA} ante Sextilem menſem, quo deſignabantur magiſtratus, maiores centuriatis comitijs, minores tributis. LATVROS.} Cato tamen ferre conatus eſt: promulgauit enim, ut Lentulo Ciliciae imperium abrogaretur. ep.5. LEGEM. PVPIAM,} quae comitialibus diebus haberi ſenatum uetabat. ad Q. Fr. ep. 2. lib. 2. Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta eſt. conſecuti ſunt dies comitiales, per quos ſenatus haberi non poterat. Et ep. 12. Comitialibus diebus Appius interpretatur, non impediri ſe lege Pupia, quo minus habeat ſenatum; &, quod Gabinia ſanctum ſit, etiam cogi, legatis quotidie ſenatum dari. PERFECTIS,} auditis, &, dato reſponſo, remiſsis. LEGATIONIBVS.} quibus dari ſenatum, lex Gabinia iubebat. FICTAE. RELIGIONIS,} non enim eos religio mouebat: ſed ſpecie religionis maleuolentiam ſuam tegebant. Religionis calumnia uocatur in ep. 1. VELLET. IRE.} adempto enim exercitu, nemo ire uellet: cum Alexandrinos, niſi cogerentur armis, regem non eſſe recepturos conſtaret. AB. SENATV.} non enim ſenatus, ſed aduerſariorum tuorum culpa, ne diſceſsio fieret, commiſſum eſt. QVI. NVNC} his comitialibus diebus: quorum primus erat xv. Kal. Febr. quo die ſcripta eſt epiſtola. quae enim acta erant in ſenatu, poſtero die ſignificat, ut etiam ep. 2. & ad fratrem ep. 2. lib. 2. POPVLI *Romani nomine,*} populi Romani cauſſam tueri, tribunorum pl. erat. ſed eo ſaepe nomine abutentes, rogationes iniquiſsimas, maleuolentiae, & inuidiae cauſſa, ferebant. LATROCINIO,} quod per inſidias, ut latrones, ficto populi Romani nomine, remp. laedebant. Sic in ep.2.ad Q. Fr. Quid futurum ſit latrocinio tribunorum, non diuino. SALVIS. AVSPICIIS,} ne iterentur eadem, uide quae diximus ep. 2. EGO. NEQVE. DE. MEO. STVDIO,} modeſta commemoratio ſtudij ſui. nam & diſsimulat, & narrat. ſignificandis autem aliorum iniurijs, ex comparatione auget officium ſuum. PROFVNDAM,} tranſlatione ab aquis. ep.5. lib.v. Quae ego ſi non profundere, ac perdere uidebor. ASSECVTVS;} Aſſequi merita, eſt aequare, & paribus meritis remunerari. tranſlatione a uiatoribus, uel a currentibus, cum aſſequuntur eos, qui anteibant. ep. 4. ad Torquatum: Beneuolentiam tuam imitabor, merita non aſſequar. SINE. SVMMO DOLORE} artificioſe: nam & beneuolentiam ſuam declarat, & conſolatur etiam ſocietate doloris. lib.IV.ep.4.5. A. VI. PRAESTARE *nihil poſſum:*} ſi ius erit, certi nihil promitto. Alibi, Praeſtare, eſt, re ipſa efficere; hic, certum polliceri, prorſus futurum affirmare, atque in ſe recipere. ep.31. lib. XII. ad Att. Praeſtabo, nec Bibulum, nec Acidinum, quos Athenis futuros audio, maiores ſumptus facturos, quam quod ex eis recipietur. Timebat, ne Caninius rogationem aliquam pro Pompeio contra Lentulum per uim ferret. ep.2.& ad Q. Fr. ep.2. IMBECILLITATE} cum aduerſus uim fortitudo requiratur. POPVLI *Romani*} quem in Lentulum optime animatum eſſe, iam oſtendit ijs uerbis: Haec tamen opinio eſt populi Romani. AMPLITVDINEM *tuam*} latius patet Amplitudo, quam aut Dignitas, aut Auctoritas. nam & quantumcumque, & quacumque re ualemus, totum id Amplitudinis nomine comprehenditur. interdum tamen, ut in epiſtola ſequenti, cum dignitatis mentione coniungitur; non ut aliquid addatur: ſed ut id nominetur, quod in amplitudine praecipuum eſt. Definitur his uerbis lib. 2 de Inuentione. Amplitudo, eſt potentiae, aut maieſtatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia.

## Argumentum ep. 5.

*MIſta eſt ex negotialibus, moralibusq. ſententijs: ſed, ſi cauſſa, cur ſcripta ſit, animaduertatur; negotialis eſt. interdum autem negotij narrationem antecedit, ſaepe ſequitur officij ſignificatio: quod in his ad Lentulum epiſtolis perſpicuum eſt. Scribit de C. Catonis legis promulgata, de ſtatu regiae cauſſae, de ſuo, Selicijq. conſilio.*

### *Cicero S. D. Lentulo. 5.*

TAMETSI *nihil mihi fuit optatius, quam ut primum abs te ipſo, deinde a ceteris omnibus quam gratiſſimus erga te eſſe cognoſcerer: tamen afficior ſummo dolore, eiuſmodi tempora poſt tuam profectionem conſecuta eſſe, ut & meam, & ceterorum erga te fidem, et beneuolentiam abſens experirere. Te autem uidere, & ſentire eandem fidem hominum in tua dignitate, quam ego in mea ſalute ſum expertus, ex tuis litteris intellexi. Nos cum maxime conſilio, ſtudio, labore, gratia de cauſſa regia niteremur; ſubito exorta eſt neſaria Catonis promulgatio, quae noſtra ſtudia impediret, & animos a minore cura ad ſummum timorem transduceret. ſed tamen in eiuſmodi rerum perturbatione quamquam omnia ſunt metuenda, nihil magis, quam perfidiam, timemus; & Catoni quidem, quoquo modo ſe res habet, profecto reſiſtimus. De Alexandrina re, cauſſaq. regia tantum habeo polliceri, me tibi abſenti, tuisq. praeſentibus cumulate ſatisfacturum. ſed uereor, ne aut eripiatur nobis, aut deſeratur: quorum utrum minus uelim, non facile poſſum exiſtimare. ſed ſi res coget, eſt quiddam tertium, quod neque Selicio, nec mihi diſplicebat: ut neque iacere regem pateremur, nec, nobis repugnantibus, ad eum deferri, ad quem prope iam delatum eſſe exiſtimatur. a nobis agentur omnia diligenter: ut neque, ſi quid obtineri poterit, non contendamus; nec, ſi quid non obtinuerimus, repulſi eſſe uideamur. Tuae ſapientiae, magnitudinisq. animi eſt, omnem amplitudinem, & dignitatem tuam in uirtute, atque in rebus geſtis tuis, atque in tua grauitate poſitam exiſtimare; ſi quid ex iis rebus, quas tibi fortuna elargita eſt, nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id maiori illis fraudi, quam tibi, futurum. A me nullum tempus praetermittitur de tuis rebus et agendi, & cogitandi: utorq. ad omnia Q. Selicio: neque enim prudentiorem quemquam ex tuis, neque fide maiore eſſe iudico, neque amantiorem tui.*

HIC *quae agantur, quaeq. acta ſint, ea te & litteris multorum, et nuncijs cognoſcere arbitror: quae autem poſita ſunt in coniectura, quaeq. mihi uidentur fore, ea puto tibi a me ſcribi oportere. Poſtea quam Pompeius apud populum ad.* IIX. *id. Febr. cum pro Milone diceret, clamore, conuicioq. iactatus eſt, in ſenatuq. a Catone aſpere, & acerbe, nimium magno ſilentio, eſt accuſatus; uiſus eſt mihi uehementer eſſe perturbatus. itaque Alexandrina cauſſa, quae nobis adhuc integra eſt, (nihil enim tibi detraxit ſenatus, niſi id, quod per eandem religionem dari alteri non poteſt) uidetur ab illo plane eſſe depoſita. nunc id ſperamus, idq. molimur: ut, cum rex intelligat ſeſe, id quod cogitabat, ut a Pompeio reducatur, aſſequi non poſſe, et, niſi per te ſit reſtitutus, deſertum ſe, atque abiectum fore, proficiſcatur ad te. quod ſine ulla dubitatione, ſi Pompeius paullum modo oſtenderit ſibi placere, faciet. ſed noſti hominis tarditatem, & taciturnitatem. nos tamen nihil, quod ad eam rem pertineat, praetermittimus. ceteris iniurijs, quae propoſitae ſunt a Catone, facile, ut ſpero, reſiſtemus. amicum ex conſularibus neminem tibi eſſe uideo, praeter Hortenſium, & Lucullum. ceteri ſunt partim obſcurius iniqui, partim non diſſimulanter irati. tu fac animo forti, magnoq. ſis; ſperesq. fore, ut, fracto impetu leuiſſimi hominis, tuam priſtinam dignitatem, & gloriam conſequare. Vale.*

## EXPLANATIO

AFFICIOR. SVMMO *dolore,*} non enim tam laetor officio meo, quam angor incommodo rerum tuarum. IN. TVA *dignitate*,} de qua agitur in regia cauſſa. IN. MEA *ſalute*} cum ab amicis proditus in exſulium abij. NOS. CVM} morali parte, quam breuitas decet, abſoluta, negotialem aggreditur. EXORTA. EST} praeter exſpectationem: quia Cato, & Caninius negauerant ſe ullam legem ante comitia eſſe laturos. CATONIS} quem Lentulus acerbiſsimum habuit ab initio tribunatus, turbulentum adoleſcentem, ut ait Feneſtella, & audacem, nec imparatum ad dicendum. Cicero autem ep. 2. lib. 1. ad fratrem: Cato adoleſcens, nullius conſilij, ſed tamen ciuis, & Cato, uix uiuus effugit. PROMVLGATIO,} ut Lentulus e Cilicia reuocaretur. ep. 3. lib. 1. ad fratrem: Cato legem promulgauit de imperio Lentulo abrogando. ueſtitum filius mutauit. Promulgari leges ſolitae ſunt per trinas mūdinas antequam ferrentur; ut poſſet eas per otium, qui uellet, examinare; ne repente, quo die lex ferretur, de incognita re ſuffragium populus ferret. de quo diximus in libro de Legibus, A. MINORE *cura ad ſummum* [illegible]} multo enim leuius eſt, curare, ut aliquid accedat ad dignitatem, quod ex regia cauſſa ſperabatur; quam timere, ne tota dignitas amittatur, quod ex lege Catonis impendebat. PERFIDIAM,} ſi

enim

enim in officio manſerint amici, qui ſuam nobis operam ad impediendas tribunorum pl. rogationes polliciti ſunt, nihil timemus. Ep.2. Quod ad popularem rationem attinet, hoc uidemur eſſe conſecuti, ut ne quid agi cum populo, aut ſaluis auſpicijs, aut ſaluis legibus, aut denique ſine ui, poſsit. Idem ep.4. QVOQVO . MODO } difficili enim loco res eſt. PROFECTO } coniunguntur, Quidem profecto, Quidem certe, cum id, quod cupimus, imminuitur: ut ego te iſta moleſtia ſi non liberabo, leuabo quidem certe. & hic: ex promulgata lege nihil magis, quam perfidiam, timemus: Catoni quidem interim, quamquam inclinata re, profecto reſiſtimus: enitimur enim, quantum in nobis eſt, ne lex a Catone promulgata perferatur. DE . ALEXANDRINA *re, cauſſaq. regia* } in quo Res, & Cauſſa differant, ſatis oſtendimus ep. 1. infra quoque coniunguntur, ep.7. In hac ratione quid res, quid cauſſa, quid tempus ferat, tu facillime, optimeq. perſpicies. ERIPIATVR } ut Pompeius regem reducat. ſequitur enim paullo poſt: Ad quem prope iam delatum eſſe exiſtimatur. ERIPIATVR *cauſſa regia*, } ante aliquot annos, Cauſſa regia, ſuſtuli, ut gloſſema. DESERATVR: } ne quis omnino regem reducat: quod & Seruilio placebat, ut ep. 1. & poſtea decretum eſt a ſenatu, ut ep.7. QVIDDAM *tertium*, } quid hoc ſit, plane non exponit: ſed uidetur ſignificare: ſi Lentulus regem non reducat, neque ſibi, neque Selicio diſplicere, ut a quouis alio potius quam a Pompeio, reducatur. Minus autem eſt, non diſplicere, quam placere: non enim omnino placet, quod non diſplicet. placebat Ciceroni, ut Lentulus regem reduceret; id ſi obtineri non poſſet, a quouis alio potius, quam a Pompeio, reduci non diſplicebat. IACERE } a nemine reſtitui. Ne cauſſa regia deferatur, proxime dixit: infra coniungit utrumque uerbum, Deſertum ſe, atque abiectum fore. NOBIS *repugnantibus*, } primum pugnabimus, ut ad te deferatur: ſin id non poterit, ne deferatur ad Pompeium, repugnabimus. DELATVM *eſſe* } ex Volcatij ſententia, ſtudio maxime duorum tribunorum, Lupi, & Caninij. ep. 1.2. REPVLSI } pertinet ad illud tertium, quod ſibi non diſplicere dixit, rege enim ad Pompeium delato, Lentulus repulſam tuliſſe uideretur; ſin, utroque reiecto, alia quapiam ratione reducere tur, iacturam exiſtimationis ſuae Lentulus in eo nullam faceret. TVAE . SAPIENTIAE, } hoc eo ſpectat, ne Lentulus admodum ſperet de rege reducendo. Eſt autem ea gratior conſolatio, quae cum laude coniungitur. itaque dat ei ſapientiam & fortitudinem: quarum altera iudicat, quãti quidque faciendum ſit; altera, quidquid accidat aduerſi, facile fert, atque cõtemnit. propterea, cũ Nigidium quoque conſolaretur, admonet eum utriusque uirtutis. Quid ſit, inquit, forti, & ſapienti homine dignum, tu uidebis. Eandem Lentulo tribuit animi magnitudinẽ ep.7. cum ait. Magnitudinẽ animi tui, quã ego ſemper ſum admiratus, ſemperq. amaui, ne umquã inflectas cuiuſquam iniuria. Et ep.9. Noui animum tuum, cum magnum, ex excelſum, tum etiam apertum, & ſimplicem. Et in lib. de claris orat. Tantus in Lentulo ſplendor animi, & tanta magnitudo, ut ſibi omnia, quae clarorum uirorum eſſent, non dubitaret adſciſcere, eaq. omnia dignitate obtineret. Vtrumque ſimul nominauit ep. XI. lib. VI. Eſt tuae ſapientiae, magnitudinisq. animi, quid amiſeris, obliuiſci; quid recuperaueris, cogitare. AMPLITVDINEM, *& dignitatem tuam* } modo alteram pro altera ponit, ut ep. 4. Te & ſenatus, & populi Romani ſummo ſtudio amplitudinem tuam retenturum. Modo coniungit utramque, quaſi differant, ut hic, & ep.9. in extremo: Ad tuam ſummam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem pertinere. Videtur autem dignitas amplitudinis eſſe pars: ideo, qui amplitudinem uel ſolam nominat, dignitatem non excludit. REBVS *geſtis* } in conſulatu, cum me contra legem Clodiam, patriae compotem feciſti. ep.7. Magna eſt memoria conſulatus tui. & ep.9. Illius actionis amplitudinem, & gloriam. Vel Rebus geſtis, quas in prouiſcia geres, ut haec adhortatio potius, quam laudatio ſit; quod ijs uerbis confirmatur ep.7. Haec, profecto uides, quanto expreſsiora, quantoq. illuſtriora futura ſint, cum aliquantum ex prouincia, atque ex imperio laudis acceſſerit. GRAVITATE } eſt enim leuitatis, ea curare, quae non ueram, ſolidamq. laudem, ſed fucatam, inanenq. pariant. tacite, quidquid eueniat in regia cauſſa, non eſſe Lentulo uehementer laborandum ſignificat. POSITAM *exiſtimare*; } non in reductione regis. FORTVNA } non enim, quae habes a te ipſo, uirtutem, & grauitatem tibi quiſquam detrahet: cetera ſi amiſeris, non tibi, ſed ijs, quorum amittentur culpa, uitio dabitur. Videtur in fortunae bonis numerare ſpeciem quandam dignitatis, non a uirtute, & grauitate, ſed ab honoribus, qui deferuntur, ideſt a populari ſenſu profectam. Vide quae diximus ep.3. lib.2. ELARGITA . EST, } copia ſignificatur: quo Lentulus aequiore animo ferat, ſi, quibus rebus abundat, de ijs aliquid detrahatur. FRAVDI, } culpae. ad Att. ep. ult. lib. v. Fit gratia Bruti S. C. ut neue Salaminijs, ne ue qui eis dediſſet, fraudi eſſet. Pro Murena: Id erit eius uitrico fraudi, ac crimini? NVLLVM *tempus praetermittitur de tuis rebus & agendi, & cogitandi*: } ubicumque res poſtulat, & ago de te, & cogito. ſimile illud ad Caſsium ep. 1. lib. XII. Finem nullum facio de te cogitandi. PRVDENTIOREM } nominat, quae tria maxime requiruntur in amico, conſilium, fidem, beneuolentiam. HIC . QVAE *agantur*, } diſiungendum a ſuperioribus: ut ſit alia epiſtola: quod ex ipſo cognoſcitur argumento. dixit enim in ſuperiore, prope delatum eſſe regem ad Pompeium: in hac, Alexandrinam cauſſam ab eo depoſitam, ſignificat. praeterea, cur de Catone eadem iterentur? cur ita concludat epiſtolam: Tu fac animo forti, magnoq. ſis: cum eum iam ad animi magnitudinem cohortatus in eo loco ſit: Tuae ſapientiae, magnitudinisq. animi eſt? Et omnino cum tota res alia uidetur: tum agnoſcitur epiſtolae principium in his uerbis: Hic quae agantur, quaeq. acta ſint, ea te. &c. QVAE . AVTEM *poſita ſunt in coniectura*, } quae coniectura licet aſſequi: quae poſſunt e ſignis diuinari. Coniectura, & diuinatio, non idem ſunt. nam coniectura ducitur e ſignis, diuinatio ſaepe ſigna non ſequitur. ita fit, ut omnis coniectura diuinatio ſit, non contra. QVAEQ. *mihi uidentur fore* } tranſit a generali ſententia ad particularem. nam generale illud eſt, Quae poſita ſunt in coniectura: particulare hoc, Quae mihi uidentur fore. Aedilis autem hoc anno P. Clodius Milonem de ui ad populum accuſauit. ep.3. lib.2. ad fratrem, &

in ora-

in oratione pro Sextio. APVD *populum* } populus de reis iudicabat, accuſante tribuno pl. aut aedili. CONVICIO } cum enim Clodius de loco ſuperiore ut ait Plutarchus, interrogaret ſuos in concione ſtantes, quis eſſet, qui plebem fame necaret? reſpondebant operae, Pompeius: quis Alexandriam ire cuperet? Pompeius. Ad conuicium impetus acceſsit: nam in oratione pro Milone, Reo, inquit, Milone ad populum, accuſante P. Clodio, cum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus eſſet, quae tum non modo occaſio, ſed etiam cauſſa illius opprimendi fuit? Ep. 3. lib. 2. ad fratrem: Hora fere nona; quaſi ſigno dato, Clodiani noſtri conſputare coeperunt, exarſit dolor. urgere illi, ut loco nos mouerent. IACTATVS. EST,} exagitatus, uehementer perculſus. CATONE } C. Catone tribuno pl. de quo ſupra. VEHEMENTER. ESSE. PERTVRBATVS.} non tam, quod aſpere, & acerbe accuſatus eſſet a Catone; quam, quod ſenatorum omnium magno ſilentio. hac de re ſic ep. 3. lib. II. Ad Q. Fr. Eo die Cato eſt uehementer in Pompeium inuectus, & eum oratione perpetua, tamquam reum, accuſauit. de me multa, me inuito, cum mea ſumma laude dixit; cum illius in me perfidiam increparet. auditus eſt magno ſilentio maleuolorum. Prudentiam Ciceronis licet in hoc animaduertere, quod, ad Lentulum cum ſcribit, ſe laudatum a Catone, non dicit: ne animum eius offenderet. non enim aequo animo Lentulus ferre poſſet. ab eo laudatum eſſe Ciceronem in ſenatu, qui rogationem de imperio ſibi abrogando promulgauerat, in ea uero ad fratrem epiſtola, libere, ut res erat, ita ſcribit: quamquam addit, Me inuito: ne uideretur eius hominis oratione delectari, qui ſuam laudem Pompeij cum infamia coniungeret. Alienatum a Pompeio ſenatum Plutarchus oſtendit, quia Ciceronem ſuperiore anno, a Clodio tribuno pl. oppugnatum, deſeruerat: propterea, cum C. Cato perfidiam eius in Ciceronem increparet, magno omnium ſilentio auditus eſt. NIHIL *enim tibi detraxit ſenatus,*} dederat tibi, ut regem reduceres: id poſtea non detraxit, ſed exercitum: quem non tam tibi, quam omnino omnibus ademptum exiſtimare debes. Duo S. C. facta eſſe iam dixi, unum ipſo Lentulo conſule referente, ut rex a Lentulo reduceretur; alterum referente Marcellino conſule, ne cum exercitu reduceretur. PER. EANDEM. RELIGIONEM}. per quam tibi detraxit exercitum, itaque nihil tibi proprie eſt ademptum, ſed quod habere prorſus nemo poteſt. ID. QVOD. COGITABAT,} faciliorem enim ſibi reditum duce Pompeio, quam quouis alio, pro ſumma eius apud omnes gentes auctoritate, rerumq. geſtarum gloria, ſperare poterat. PROFICISCATVR. AD. TE.} per ſuos creditores, & per eos, quorum ſibi uoluntatem largitione adiunxit, agat, operamq. det, ut abs te reducatur. NOSTI *hominis tarditatem, & taciturnitatem.*} ſimulationem Pompeij, & conſuetudinem in occultanda uoluntate, modeſte deſcribit. non enim uideri uult eius ingenium, & mores carpere, quem optime de ſe meritum negare non poterat. praeterea fungitur officio boni uiri, cum inter amiciſsimos ſuos, Lentulum, & Pompeium, quantum in ipſo eſt, amicitiam conſeruat. itaque, cum ad Q. fr. ſcriberet, libere ſuum ſenſum aperuit. Pompeius, inquit, noſter in amicitia P. Lentuli uituperatur. Naturam eius oſtendit ep. ult. lib. III. ad eundem: Velit, nolit, ſcire difficile eſt. Et ad Att. ep. 10. lib. IV. Nos hic cum Pompeio fuimus. multa mecũ de rep. ſane ſibi diſplicens ut loquebatur: ſic eſt enim in hoc homine dicendum. Coelius autem ep. 1. lib. IIX. Solet aliud ſentire, & loqui. Eiuſdem tarditatem idem oſtendit ep. 4. Cum, ex Gallia, coactus eſſet dicere Pompeius, ſe legionem obducturum, ſed non ſtatim ſub mentionem, & conuicium obtrectatorum. A. CATONE,} de cuius rogatione promulgata ſupra dixit. FACILE,} uel auſpicijs, uel interceſsione tribunicia. ep. 2. & 4. NEMINEM} idem ſcribit in ep. 7. OBSCVRIVS} iniquitas eorum apparet, ſed paullo obſcurius. INIQVI,} leuius eſt, quam inimici. FRACTO. IMPETV} rogatione eius impedita. LEVISSIMI} qui facile ad omnem improbitatem feratur. ideo dixit ep. 2. lib. I. ad fratrem: Cato adoleſcens, nullius conſilij. Et Feneſtella: Cato adoleſcens, turbulentus, & audax. PRISTINAM} quae fuit ante promulgatam Catonis rogationem; propterea ſubiunxit, Conſequare, ut amiſſam ex aliqua parte, & in diſcrimen adductam.

---

# Argumentum ep. 6.

*Moralis tota, excepta prima ſententia, quae negotialis eſt. Conſolationem Cicero adhibet dolori ſuo, eam ſcilicet, quam ſperat in Lentuli quoque dolore poſſe aliquid proficere. Et, quia ualet ad conſolandum amoris ſignificatio; & amoris indicium dolor eſt: orditur a dolore ſuo. quia uero conſolationis duae quaſi uiae ſunt, ratio, & exemplum, non modo ut fieri debere, quod ſuademus, uerum etiam ut factum eſſe oſtendatur: utraque uia progreditur. argumentatur enim a ſpe, quam in conſilijs amicorum, & in ipſa die ponit: exemplum uero ſumit a ſimilitudine ſuorum temporum.*

*Tertius*

*Tertius hortationis locus eſt: quod ipſum ad minuendum dolorem pertinet: eſt enim cum laude coniuncta cohortatio. delectamur autem laudibus, & quodam modo languentes excitamur. Concluſio eſt, quae ſpe quadam animum recreat, omnium ſtudiorum, officiorumq. promiſsio.*

## *Cicero S. D. Lentulo. 6.*

*QVAE gerantur, accipies ex Pollione, qui omnibus negotijs non interfuit ſolum, ſed praefuit. Me in ſummo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime ſcilicet conſolatur ſpes, quod ualde ſuſpicor fore, ut infringatur hominum improbitas et conſilijs tuorum amicorum, et ipſa die, qua debilitantur cogitationes & inimicorum, & proditorum. Facile ſecundo loco me conſolatur recordatio meorum temporum: quorum imaginem uideo in rebus tuis. nam, etſi minore in re uiolatur tua dignitas, quam mea ſalus afflicta ſit: tamen eſt tanta ſimilitudo, ut ſperem te mihi ignoſcere, ſi ea non timuerim, quae ne tu quidem umquam timenda duxiſti. ſed praeſta te eum, qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus. illuſtrabit, mihi crede, tuam amplitudinem hominum iniuria. a me omnia ſumma in te ſtudia, officiaq. exſpecta. non fallam opinionem tuam. Vale.*

## EXPLANATIO

POLLIONE,} duarum gentium, quod meminerim, cognomen fuit, Aſiniae, & Vediae. SED. PRAEFVIT.} auget ſententiam, ut in oratione in Piſonem: Omnibus conſilijs, quae ad me opprimendum parabantur, non interfuiſti ſolum, uerum etiam crudeliſsime praefuiſti. Particula autem, Sed, interdum negat, ac tollit quod dictum eſt, ut non diues, ſed inops, interdum auget ut hic; nam qui praeeſt, etiam intereſt. Vſus latinae linguae poſtulabat, Sed etiam: uerum unica particula, Sed, pro Sed etiam, non numquam Cicero contentus eſt. ME. IN. SVMMO *dolore, quem in tuis rebus capio, maxime ſcilicet conſolatur ſpes,*} Contrarium illud ep. 8. lib. XVI. In magna conſolatione ingens ineſt ſollicitudo. De hac figura diximus ep. 9. In moleſtia gaudeo. SCILICET: alibi per ironiam negat, ut in oratione pro Rabirio, perduellionis reo: Scilicet tibi grauiorem dolorem patrui tui mors attulit, quam C. Graccho fratris. Et Terentius: Id populus curat ſcilicet. Et Virgilius: Scilicet is ſuperis labor eſt. Hic affirmat, non negat, ut ep. 21. lib. IX. Priuatas cauſſas, & eas tenues, agimus ſubtilius; capitis, aut famae, ſcilicet ornatius. Ep. 15. lib. XV. Ex interitu reip. nullam ſpem ſcilicet mihi proponebam, ex reliquis magnam. Ep. ult. lib. I. ad fratrem: Si leuare potes communem caſum miſericordia hominum; ſcilicet incredibile quiddam aſſequeris. Ep. 10. ad Att. lib. XIII. Hoc nullam ad partem ualet ſcilicet. INFRINGATVR} ubi difficultas eſt, ibi uſurpatur hoc uerbum; quo maior infringentis uirtus appareat. ep. 4. Sententiam Bibuli fregeramus. Ep. 5. Speresq. fore, ut, fracto impetu leuiſsimi hominis, tuam priſtinam dignitatem, & gloriam conſequare. Ep. 4. lib. IV. Fregit hoc meum conſilium & Caeſaris magnitudo animi, & ſenatus officium. Ep. 6. Cum frangerem iam ipſe me, cogeremq. illa ferre toleranter; habebam, quo confugerem. DEBILITANTVR} quia tempus omnia minuit. PRODITORVM} de quibus dixit ep. 1. Si eſſet in ijs fides, in quibus ſumma eſſe debebat, non laboraremus. SECVNDO. LOCO} pro, deinde. ſic locutus Phil. IIX. Huius induſtriam, maxime quidem uellem, ut imitarentur ij, quos oportebat; ſecundo autem loco, ne alterius labori inuiderent. Secundo, ſimpliciter in oratione pro Plancio: Equidem primum, ut honore dignus eſſem, maxime ſemper laboraui; ſecundo, ut exiſtimarer. IMAGINEM} quam expreſsit ep. 5. his uerbis: Te autem uidere, & ſentire eandem fidem hominum in tua dignitate, quam ego in mea ſalute ſum expertus, ex tuis litteris intellexi. Et ep. 7. Simillimamq. in re diſsimili tui temporis nunc, & noſtri quondam, fuiſſe rationem. Ibidem infra: In te, homine omnium nobiliſsimo, ſimillima inuidorum uitia perſpexi. VIOLATVR. TVA. DIGNITAS,} in explanando Cicerone nihil duco fieri a me poſſe elegantius, aut etiam utilius, quam ſi conferam ſimilia ſimilibus: uel ut illuſtrentur obſcurae ſententiae: uel ut copia paretur. Hic quid Cicero ſibi uelit, obſcurum non eſt: hoc ipſum tamen quod intelligimus, ex comparatione quodam modo fiet apertius. oſtendit, & ſalutem pluris eſſe, quam dignitatem; &, affligi, grauius, quam uiolari. dixit idem alijs uerbis, nec minus ornate, ep. ſequenti: Multum intereſt, utrum laus imminuatur, an ſalus deſeratur. Nec diſsimile admodum illud ep. 5. Te uidere, & ſentire eandem fidem hominum in tua dignitate, quam ego in mea ſalute ſum expertus, ex tuis litteris intellexi. SIMILITVDO,} ob amicorum infidelitatem. SI. EA. NON *timuerim, quae ne tu quidem umquam timenda duxiſti,*} promulgata Catonis rogatione de abrogando tibi Ciliciae imperio, non timui: quia nec tu, me patria pulſo, timueras; cum ſperares futurum, id quod euenit, ut ea mihi calamitas etiam honori eſſet: quae me ſpes aeque nunc in rebus tuis conſolatur. PRAESTA *te eum,*} fac ut te tui ſimilem agnoſcamus: fortem animum habeas, quem ſemper habuiſti. Significat id, quod in ep. ſequenti: Magnitudinem animi tui ne umquam inflectas cuiuſquam iniuria. A. TENERIS, *ut Graeci dicunt, unguiculis*} a pueritia: dixit enim in epiſtola ſequenti: Vt omnem gloriam, ad quam a pueritia inflammatus fuiſti, omni cura, atque induſtria conſequare. ſaepe hoc Cicero legerat in Graecis libris: nos egemus exemplis. Plu-

tarchus

tarchus tamen ἐν τῷ περὶ παίδων ἀγωγῆς, ἀξ ἁπαλῶν, inquit, (ſic enim eſt in antiquo libro nobiliſsimi, & eruditiſsimi iuuenis Io. Vincentij Pinelli) ὀνύχων ἀγαπῶσι τὰ τέκνα. ILLVSTRABIT} elucet enim uirtus in aduerſis. STVDIA. OFFICIAQ.} recte coniunguntur. poteſt enim & ſine officio ſtudium, & ſine ſtudio officium eſſe: cum animi ſtudium ſit, officium opera probetur; & ſtudium ſine officio parum proſit, officium ſine ſtudio langueat. ſic ep. ſequenti: De conſularibus nemini poſſum aut ſtudij erga te, aut officij eſſe teſtis. Ep. 5. lib. v. Homo omnium meorum in te ſtudiorum, & officiorum maxime conſcius. Ad Att. ep. 14. lib. xv. Ex omnibus, mi Dolabella, ſtudijs in me, & officijs, quae ſumma ſunt, hos ſcito mihi & ampliſsimum uideri, & gratiſsimum eſſe. NON. FALLAM. OPINIONEM TVAM,} ſimile illud, quod, augendae copiae gratia, ſubiungam, ep. 10. lib. III. Omnia uolo a me & poſtules, & exſpectes. uincam cogitationes tuas officijs meis. Et apud Nonium, in fragmento Ciceronis epiſtolae ad Caeſarem iuniorem: Poſthac, quod uoles a me fieri, ſcribito. uincam opinionem tuam. Quae ſcilicet eo pertinent, ut oſtendatur, morale quiddam eſſe, & decere in primis, epiſtolas claudere ſignificatione beneuolentiae.

## Argumentum ep. 7.

*Reſpondet ad ea, quae Lentulus quaeſierat. &, quamquam moralia quaedam admiſcentur: tamen, quia reductio regis praecipua ſcribendi cauſſa fuit, (id enim ſpectandum eſt) inter negotiales epiſtolas referatur. Diuiditur in partes octo. Prima eſt, de ſuo in primis erga Lentulum amore: altera, de amicorum fide: tertia, de Alexandrina cauſſa: quarta, de ſuis in rep. capeſſenda conſilijs, & hominum conſularium inuidia: quincta, cohortatio ad gloriam, atque conſtantiam: ſexta, de reip. ſtatu: ſeptima, de Tulliae filiae ſuae, Craſſipedisq. nuptijs: octaua, & ultima, de Lentuli filio: Pompeio, & Craſſo iterum cos.*

### *Cicero. S. D. Lentulo procos. 7.*

*LEGI tuas litteras; quibus ad me ſcribis, gratum tibi eſſe, quod crebro certior per me fias de omnibus rebus, & meam erga te beneuolentiam facile perſpicias. quorum alterum mihi, ut te plurimum diligam, facere neceſſe eſt; ſi uolo is eſſe, quem tu me eſſe uoluiſti: alterum facio libenter; ut quoniam interuallo locorum, & temporum diſiuncti ſumus, per litteras tecum quam ſaepiſſime colloquar. quod ſi rarius fiet, quam tu exſpectabis; id erit cauſſae, quod non eius generis meae litterae ſunt, ut eas audeam temere committere. quoties mihi certorum hominum poteſtas erit, quibus recte dem, non praetermittam. Quod ſcire uis, qua quiſque in te fide ſit, & uoluntate: difficile dictu eſt de ſingulis. unum illud audeo, quod antea tibi ſaepe ſignificaui, nunc quoque, re perſpecta, & cognita, ſcribere: uehementer quoſdam homines, & eos maxime, qui te & maxime debuerunt, & plurimum iuuare potuerunt, inuidiſſe dignitati tuae: ſimillimamq. in re diſſimili, tui temporis nunc, & noſtri quondam, fuiſſe rationem: ut, quos tu reip. cauſſa laeſeras, palam te oppugnarent; quorum auctoritatem, dignitatem, uoluntatemq. defenderas, non tam memores eſſent uirtutis tuae, quam laudis inimici. Quo quidem tempore, ut perſcripſi ad te antea, cognoui Hortenſium percupidum tui, ſtudioſum Lucullum, ex magiſtratibus autem L. Racilium & fide, & animo ſingulari. nam noſtra propugnatio, ac defenſio dignitatis tuae, propter magnitudinem beneficij tui, fortaſſe pleriſque officij maiorem auctoritatem habere uideatur, quam ſententiae. praeterea quidem de conſularibus nemini poßum aut ſtudij erga te, aut officij, aut amici animi eſſe teſtis. etenim Pompeium, qui mecum ſaepiſſime, non ſolum a me prouocatus, ſed etiam ſua ſponte, de te communicare ſolet, ſcis temporibus illis non ſaepe in ſenatu fuiſſe. cui quidem litterae tuae, quas proxime miſeras, quod facile intellexerim, periucundae fuerunt. mihi quidem humanitas tua, uel ſumma potius ſapientia, non iucunda ſolum, ſed etiam admirabilis uiſa eſt. uirum enim excellentem, & tibi tua praeſtanti in eum liberalitate deuinctum, nonnihil ſuſpicantem, propter aliquorum opinionem ſuae cupiditatis, te ab ſe abalienatum, illa epiſtola retinuiſti. qui mihi cum ſemper tuae laudi fauere uiſus eſt, etiam ipſo ſuſpicioſiſſimo tempore Caniniano: tum uero, lectis tuis litteris, perſpectus eſt a me, toto animo de te, ac de tuis ornamentis, & commodis cogitare. Quare ea, quae ſcribam, ſic habeto, me, cum illo re ſaepe communicata, de illius ad te ſententia, atque auctoritate ſcribere: quoniam S. C. nullum exſtat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta ſit; eaque, quae de ea ſcripta eſt, auctoritas, cui ſcis interceſſum eſſe, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam uim habet, ut magis iratorum hominum ſtudium, quam conſtantis ſenatus conſilium, eſſe uideatur; te poſſe perſpicere, qui Ciliciam, Cyprumq. teneas, quid efficere, & quid conſequi poſſis: &, ſi res facultatem*

habitura

*habitura uideatur, ut Alexandriam, atque Aegyptum tenere poſſis; eſſe & tuae, & noſtri imperij dignitatis, Ptolemaide, aut aliquo propinquo loco rege collocato, te cum claſſe, atque exercitu proficiſci Alexandriam; ut, cum eam pace praeſidijsq. firmaris, Ptolemaeus redeat in regnum; ita fore, ut per te reſtituatur, quemadmodum ſenatus initio cenſuit; & ſine multitudine reducatur, quemadmodum homines religioſi Sibyllae placere dixerunt. Sed haec ſententia ſic & illi, et nobis probabatur, ut ex euentu homines de tuo conſilio exiſtimaturos uideremus: ſi cecidiſſet, ut uolumus, & optamus, omnes te & ſapienter, & fortiter; ſin aliquid eſſet offenſum, eoſdem illos, & cupide, & temere feciſſe, dicturos. Quare, quid aſſequi poſſis, non tam facile eſt nobis, quam tibi, cuius prope in conſpectu Aegyptus eſt, iudicare. nos quidem hoc ſentimus: ſi exploratum tibi ſit, poſſe te illius regni potiri, non eſſe cunctandum; ſin dubium, non eſſe conandum. illud tibi affirmo, ſi rem iſtam ex ſententia geſſeris, fore, ut abſens a multis; cum redieris, ab omnibus collaudere. offenſionem eſſe periculoſam propter interpoſitam auctoritatem, religionemq. uideo. ſed ego te ut ad certam laudem adhortor, ſic a dimicatione deterreo; redeoq. ad illud, quod initio ſcripſi, totius facti tui iudicium non tam ex conſilio tuo, quam ex euentu homines eſſe facturos. Quod ſi haec ratio rei gerendae periculoſa tibi uidebitur; placebat illud, ut, ſi rex amicis tuis, qui per prouinciam, atq. imperij tui prouincias ei credidiſſent, fidem ſuam praeſtitiſſet, & auxilijs eum tuis, & copijs adiuuares: eam eſſe naturam, & regionem prouinciae tuae, ut illius reditum uel adiuuando confirmares, uel negligendo impedires. In hac ratione quid res, quid cauſſa, quid tempus ferat, tu facillime, optimeq. perſpicies; quid nobis placuiſſet, ex me potiſſimum putaui te ſcire oportere. Quod mihi de noſtro ſtatu, de Milonis familiaritate, de leuitate, et imbecillitate Clodij gratularis: minime miramur te tuis, ut egregium artificem, praeclaris operibus laetari. quamquam eſt incredibilis hominum peruerſitas; (grauiori enim uerbo uti non libet) qui nos, quos fauendo in communi cauſſa retinere potuerunt, inuidendo abalienauerunt: quorum maleuolentiſſimis obtrectationibus nos ſcito de uetere illa noſtra diuturnaq. ſententia prope iam eſſe depulſos; non nos quidem ut noſtrae dignitatis ſimus obliti, ſed ut habeamus rationem aliquando etiam ſalutis. poterat utrumque praeclare, ſi eſſet fides, ſi grauitas in hominibus conſularibus: ſed tanta eſt in pleriſque leuitas, ut eos non tam conſtantia in rep. noſtra delectet, quam ſplendor offendat. quod eo liberius ad te ſcribo, quod tu non ſolum temporibus ijs, quae per te ſum adeptus, ſed, iam olim naſcenti prope noſtrae laudi, dignitati, uirtutiq. praefuiſti: ſimul quod uideo, non, ut antehac putabam, nouitati eſſe uiſum meae. in te enim, homine omnium nobiliſſimo, ſimilia inuidorum uitia perſpexi: quem tamen illi eſſe in principibus facile ſunt paſſi; euolare altius certe noluerunt. Gaudeo tuam diſſimilem fuiſſe fortunam. multum enim intereſt, utrum laus imminuatur, an ſalus deſeratur. me meae tamen ne nimis paeniteret, tua uirtute perfectum eſt. curaſti enim, ut plus additum ad memoriam nominis noſtri, quam demptum de fortuna uideretur. Te uero moneo, cum beneficijs tuis, tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam a pueritia inflammatus fuiſti, omni cura, atque induſtria conſequare; magnitudinemq. animi tui, quam ego ſemper ſum admiratus, ſemperq. amaui, ne umquam inflectas cuiuſquam iniuria. magna eſt hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria conſulatus tui. haec profecto uides quanto expreſſiora, quantoq. illuſtriora futura ſint, cum aliquantum ex prouincia, atque ex imperio laudis acceſſerit. quamquam te ita gerere uolo, quae per exercitum, atque imperium gerenda ſunt; ut haec multo ante meditere, huc te pares, haec cogites, ad haec te exerceas; ſentiasq. id, quod quia ſemper ſperaſti, non dubito quin adeptus intelligas, te facillime poſſe obtinere ſummum, atque altiſſimum gradum ciuitatis. Quae quidem mea cohortatio ne tibi inanis, aut ſine cauſſa ſuſcepta uideatur; illa me ratio mouit, ut te ex noſtris euentis communibus admonendum putarem; ut conſiderares in omni reliqua tua uita, quibus crederes, quos caueres. Quod ſcribis, te uelle ſcire, qui ſit reip. ſtatus: ſumma diſſenſio eſt, ſed contentio diſpar. nam, qui plus opibus, armis potentia ualent; profeciſſe tantum mihi uidentur ſtultitia, & inconſtantia aduerſariorum, ut iam etiam auctoritate plus ualerent. itaque, perpaucis aduerſantibus, omnia, quae ne per populum quidem ſine ſeditione ſe aſſequi poſſe arbitrabantur, per ſenatum conſecuti ſunt. nam & ſtipendium Caeſari decretum eſt, & decem legati; &, ne lege Sempronia ſuccederetur, facile perfectum eſt. quod ego ad te breuius ſcribo, quia me ſtatus hic reip. non delectat: ſcribo tamen, ut te admoneam; quod ipſe litteris omnibus a pueritia deditus, experiendo tamen magis, quam diſcendo, cognoui, tu tuis rebus integris diſcas, neque ſalutis noſtrae rationem nobis habendam eſſe ſine dignitate, neque dignitatis ſine ſalute. Quod mihi de filia, et de Craſſipede gratularis: agnoſco humanitatem tuam: ſperoque, et opto, nobis hanc coniunctionem uoluptati fore. Lentulum noſtrum, eximia ſpe ſummae uirtutis adoleſcentem, cum ceteris artibus, quibus ſtuduiſti ſemper ipſe, tum in primis imitatione tui fac erudias. nulla enim erit hac praeſtantior diſciplina. quem nos, & quia tuus, & quia te dignus eſt filius, & quia nos diligit, ſemperq. dilexit, in primis amamus, carumq. habemus. Vale.*

## EXPLANATIO

QVEM *tu me eſſe uoluiſti:*} ſi uolo dignus eo loco eſſe, in quem me, inimicorum iniuria pulſum, tua uirtus reſtituit. TEMPORVM} biennium iam aberat Lentulus. QVOTIES} antiqui & lapides, & libri, in his etiam Mediceus, Quotiens. quod ſi probamus; eadem ratione dicendum erit, deciens, uiciens, centiens, milliens, & ſimilia, me quidem non libenter aſſentiente. QVA. QVISQVE *in te fide ſit, & uoluntate:*} Fide, ad amicos pertinet: uoluntate, ad omnes. uel, de ijſdem quaerebat Lentulus, & qua fide, & qua uoluntate eſſent. nam infra: Et fide, & animo in te ſingulari. Niſi me fallit aurium iu-



dicium,

dicium, ſuauior hic eſt nnmerus, quam, quod alijs placuit, Qua fide quisque in te ſit, & uoluntate. opinioni noſtrae cum alij non pauci, tum ille etiam inſigni uetuſtate Mediceus liber ſuffragatur MAXIME *debuerunt*, } perfidiam ſaepe accuſat. ep. I. Si eſſet in ijs fides, in quibus maxima eſſe debebat; non laboraremus. Ep. 2. Dignitatem noſtram, ut poteſt in tanta hominum perfidia, & iniquitate, retinebimus. Ep. 5. Te uidere, & ſentire eandem fidem hominum in tua dignitate, quam ego in mea ſalute ſum expertus, ex tuis literis intellexi. PLVRIMVM *iuuare potuerunt*, } conſulares uidetur deſcribere: de quibus infra: De conſularibus, nemini poſſum aut ſtudij erga te, aut amici animi eſſe teſtis. Et ep. 5. Amicum ex conſularibus neminem eſſe uideo, praeter Hortenſium, & Lucullum. ceteri ſunt partim obſcurius iniqui, partim non diſsimulanter irati. INVIDISSE *dignitati tuae*: } infra: Quem eſſe in principibus facile ſunt paſsi, euolare altius certe noluerunt. IN . RE . DISSIMILI, } infra: Multum intereſt, utrum laus imminuatur, an ſalus deſeratur. Et ep. 6. Minore in re uiolatur tua dignitas, quam mea ſalus afflicta ſit. NOSTRI *quondam*, } cum eiectus patria ſum, tum eorum odio, quos reip. cauſſa laeſeram, tum eorum inuidia, quorum auctoritatem, dignitatem, uoluntatemq. defenderam. quod idem tibi, quam quam diſsimili in re, contigit. EX *magiſtratibus L. Racilium* } loquitur de magiſtratibus anni ſuperioris; dixit enim, Quo quidem tempore: & infra, Temporibus illis, ideſt, Marcellino & Philippo cos. Racilius autem eodem anno, quo Lupus, tribunus pl. fuit, ut conſtat ex ep. I. lib. 2. ad Q. Fratrem. Lupum uero tribunum pl. fuiſſe Marcellino & Philippo cos. plane cognoſcitur ex ep. I. & 2. non poteſt igitur hoc anno Racilius tribunatum pl. gerere: cum epiſtola ſcripta ſit Pompeio et Craſſo II. cos. poſt decretum Caeſari ſtipendium, & auctum legatorum numerum: quae facta eſſe Pompeij & Craſsi ſecundo conſulatu, Appianus, & Dio docent. Tribunum pl. Plutarchus in Probl. negat magiſtratum fuiſſe: idq. multis argumentis probare conatur. nec diſſentire uidetur Liuius: apud quem lib. 2. Appius conſul clamitat, priuatum tribunum pl. eſſe, ſine imperio ſine magiſtratu. ſed utrumque refellit Cicero & hic & lib. I. de Orat. cum ait: Exierant cum Craſſo adoleſcentes, C. Cotta, qui tum tribunatum pl. petebat, & P. Sulpicius, qui deinceps eum magiſtratum petiturus putabatur. In Bruto: Ita tacitus Craſsi tribunatus, ut, niſi in eo magiſtratu cenauiſſet apud praeconem Granium, idq. nobis narrauiſſet Lucilius, tribunum pl. neſciremus fuiſſe. In oratione pro Quinctio: Per magiſtratum, qui auxilij cauſſa conſtitutus eſt. Salluſtius in Iugurtha: L. Lucilius, & L. Annius, tribuni pl. reſiſtentibus collegis continuare magiſtratum nitebantut. Apud Nonium Feneſtella: Vt magiſtratum inierunt tribuni pl. C. Cato Ptolemaeo regi, & Lentulo conſuli aſsiduis concionibus inuidiam concitare coepit. Aſconius quoque: Inuocare tribus Gabinius coepit, ut Trebellio magiſtratum abrogaret. Mirari etiam aliquis fortaſſe poſsit, cur tribunis pl. purpuram adimat Plutarchus; cum in oratione pro Cluentio legantur haec de tribuno pl. Quinctio: Facite, ut non ſolum mores eius, & arrogantiam, ſed etiam uultum, atque amictum, & illam uſque ad talos demiſſam purpuram recordemini. Sed cogitare licet, uel de ſua tantum aetate locutum eſſe Plutarchum, in qua tribuni pl. imminuta iam poteſtate, purpurea non uterentur; uel Ciceronem in Quinctio notaſſe, quod ille ſibi, neglecta conſuetudine, per ſingularem arrogantiam aſſumpſerat. Nam, quod ait Plutarchus, lictoribus non uſum eſſe tribunum pl. ideoq. conſtare, magiſtratum non fuiſſe: refellitur exemplo cenſorum, qui lictores non habebant, & tamen non modo magiſtratus cenſura fuit, uerum etiam, quod negare arbitror neminem, inter maiores magiſtratus. ET . FIDE, *& animo in te ſingulari.* } multi enim fauent, ut fidem praeſtent: animus tamen ſingularis non eſt. Reſpondet ad illud, Qua quiſque in te fide ſit, & uoluntate. OFFICII *maiorem auctoritatem habere uideatur, quam ſententiae.* } fauere me tibi, fortaſſe homines arbitrantur, non quod ita ſentiam, ſed quod beneficio tuo uinctus, ingratus eſſe non poſsim. id aperte ſignificat in prima: Nos in cauſſa auctoritatem eo minorem habemus, quod tibi debemus. VIDEATVR: uideri poſsit. AVT *ſtudij erga te, aut officij, aut amici animi* } oſtendi iam, inter officium, & ſtudium quid interſit. minus autem eſt, Amici animi, quam ſtudij: cum in aliquem amico eſſe animo poſsimus, nec tamen ei ſtudere, aut eius cauſſa laborare. itaque hoc ſignificat: in conſularibus non modo ſtudium erga te, aut officium, ſed ne amicum quidem animum perſpexi. Et ut hic, amicus animus, minus, quam amor, ſignificat: ſic, non amicus animus, minus quam odium, ualet: ut ep. 3. lib. 2. ad fratrem: Craſſus aderat tum, Miloni animo non amico; pro, leuiter infenſus. POMPEIVM, } conſulatum hoc anno cum Craſſo gerentem: quod infra patet. NON *ſolum a me prouocatus*, } tribus modis legitur in antiquis libris: Non ſolum a me prouocatus: recte: Non ſolum me prouocante: & hoc recte: Non ſolum me prouocatus: ut in Mediceo, & alijs: mendoſe. SVA . SPONTE, } libenter Pompeium purgat: ueretur enim, ne qua Lentulo de eius cupiditate ſuſpicio haeſerit. ep. I. In ſenatu palam ſic egit cauſſam tuam, ut neque, &c. Ep. 2. Ipſum cum audio, prorſus eum libero omni ſuſpicione cupiditatis. NON *ſaepe in ſenatu fuiſſe.* } quod eſſet cum imperio, curationi frumentariae praepoſitis. ingredi enim urbem, quod iam dixiſſe me arbitror, non licebat ijs, qui cum imperio eſſent. TEMPORIBVS *illis* } cum ageretur in ſenatu de Ptolemaeo reducendo, Marcellino & Philippo cos. ſcripta enim eſt haec epiſtola Pompeio & Craſſo cos. NON *ſaepe* } interdum enim, qui erant cum imperio, petebant a ſenatu, ut ingredi urbem liceret. itaque Pompeius, quod ep. I. declarat, egit Lentuli cauſſam in ſenatu: &, ut laudaret P. Sextium reum, introijſſe eum in urbem, legitur in ep. 9. quod alijs quoque probatur exemplis. QVOD *facile intellexerim*, } nota erat Lentulo Pompeij taciturnitas, & ſimulatio: unde illud ep. 5. Noſti hominis tarditatem, & taciturnitatem. propterea Cicero, ne dubiam ſequi coniecturam uideatur, hoc addit: Quod facile intellexerim: quaſi dicat: nec enim ſuae uoluntatis, ut ſolet, obſcura ſigna dedit. infra; Perſpectus eſt a me, toto animo de te, ac de tuis ornamentis, & commodis cogitare. SAPIENTIA, } quia retinendam

uiri

uiri excellentis amicitiam ſapientiſsime iudicaueris. VISA . EST.} proprie, admirabilis uiſa eſt: fortaſſe non item, iucunda uiſa eſt. nec tamen, iucunda, alio referri poteſt. ſed interdum in ſcribendo, ea, quae longius diſtant, ad proxima uerba accommodamus. LIBERALITATE } ſignificatur quod in ep. I. ſcriptum eſt: Cum ſumma teſtificatione tuorum in ſe officiorum. & in eadem infra: Quod cum ornaſti. Liberalis autem in Pompeium Lentulus fuerat, cum de frumentaria curatione ad eum deferenda & egerat conſul, & obtinuerat. OPINIONEM *ſuae cupiditatis,* } ortam ex eo, quod eius familiares omnes de re Alexandrina ei mandanda uehementer contenderant. ep. I. & 2. TE . AB . SE *ab alienatum,* } moneo lectorem, in nullo uetere libro ſic legi, ſed aut abeſſe, Te, aut eſſe, Tuae, non Te, ut in Mediceo: quod mendi ſuſpicionem auget. praeterea, pro, Ab ſe, antiqui omnes libri, ij quidem, quibus ego nunc utor, habent, Abs te. quod eruditorum iudicio perpendendum relinquam: tantum feci, ut ueterem ſcripturam fideliter oſtenderem: quod officij mei ratio poſtulare uidebatur. EPISTOLA } cum dicatur, Epiſtolium, & Stola, Graece autem ἐπιςολή, cur non dicam, Epiſtola, potius quam, Epiſtula? ueteres quidem libri uarie: & Mediceus non minus ſaepe, Epiſtola, quam, Epiſtula. RETINVISTI.} iam tibi tua liberalitate deuinctum, illa epiſtola retinuiſti. Pergit in translatione: quia dixerat, Tibi deuinctum. SVSPICIOSISSIMO} quo ſuſpicio maxima fuit, Caninium tribunum pl. inductum a Pompeio, rogationem ferre uoluiſſe, ut Ptolemaeus ab eo, cum duobus tantum lictoribus, reduceretur: quod a Plutarcho litteris proditum legimus. Et hanc rogationem Cicero ſignificat ep. 5. lib. 2. ad Q. fr. Quod de Pompeio Caninius agit, ſane quam refrixit, neque enim res probatur: et Pompeius noſter in amicitia P. Lentuli uituperatur. Puer affui, cum hunc locum Egnatius publice interpretaretur. probabat, Catoniano, potius, quam Caniniano, adductus in hanc opinionem ex his uerbis ep. 5. Exorta eſt nefaria Catonis promulgatio. ſed inde nulla potuit in Pompeium, quaſi cum Catone ſentientis, exſiſtere ſuſpicio: cum Cato ipſi Pompeio, aeque ac Lentulo, fuerit infenſus. itaque in eadem epiſt. Pompeius a Catone aſpere & acerbe eſt accuſatus. & ad Q. Fr. ep. 3. lib. 2. PERSPECTVS *eſt a me* } confirmat illud, Quod facile intellexerim; ut omnem prorſus de Pompeio ſuſpicionem tollat. SENTENTIA, *atque auctoritate* } & id ſentit, quod ſcribam; &, ut efficias, auctor eſt. ADEMPTA SIT} quae tibi data eſt eo S. C. quod, te conſule referente, factum eſt. AVCTORITAS, } quae ſit ſenatus auctoritas, oſtendimus ep. 2. INTERCESSVM} a tribunis pl. ex quo fieri non potuit S. C. ſed remanſit ſenatus auctoritas. NE . QVIS *omnino regem reduceret,* } quod Seruilius Iſauricus anno ſuperiore cenſuerat. ep. I. TANTAM *uim habet,* } uerbum, Tantam, minuit hic potius, quam auget: ut in ep. 8. lib. IIX. Aut non erit iſtic bellum, aut tantum erit, ut uos, aut ſucceſſores, paucis additis copijs, ſuſtinere poſsint. Et ep. 14. lib. XV. Si tanta ſunt onera tuorum, ut ea ſuſtinere poſsis. Tuſc. 2. Vrgentibus aſperis & odioſis doloribus, ſi tanti non ſint, ut ferendi ſint, quo ſit confugiendum, uides. Pro lege Manilia: Ceterarum prouinciarum uectigalia tanta ſunt, ut his uel ipſas prouincias tutandas uix cōtenti eſſe poſsimus. Apud Caeſarem lib. VI. Praeſidij tantum eſt, ut ne murus quidem cingi poſsit. lib. III. bel. ci. Tantum nauium reperit, ut anguſte quindecim milia legionariorum militum tranſportare poſſent. IRATORVM HOMINVM} ob regiam largitionem. ep. I. STVDIVM, } recte, de iratis hominibus Studium; de conſtanti ſenatu Conſilium, dixit. impellimur enim ſtudio, conſilio regimur. QVI . CILICIAM, } Cilicia Lentuli prouincia uocabatur, cum tamen ſimul Aſiae partem adminiſtraret. argumento eſt illud in ep. 9. De Quincti Fratris negotio ſcribis, te priore aeſtate, quod, morbo impeditus, in Ciliciam non tranſieris, conficere non potuiſſe. Partem autem illam Aſiae Lycaoniam, Pamphyliam, Phrygiam fuiſſe crediderim, ſed Phrygiae partem, non uniuerſam. ad Appium ep. 3. lib. III. Haec in eo grauitas, haec animi altitudo fuit, non modo ut Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis feciſti, ſed ne ſummorum quidem hominum maleuolis de me ſermonibus crederet. Cicero autem, qui, poſt Lentuli ſucceſſorem Appium, Ciliciae praefuit, maiorem utroque prouinciam habuit. nam tres praeterea dioeceſes Aſiaticas ſibi attributas eſſe, ait ep. 63. lib. XIII. CYPRVMQ.} poſt legem Clodiam, Piſone & Gabinio cos. latam, Cyprus inſula a Lentulo ſimul cum Cilicia eſt adminiſtrata. & quia Cyprus & Cilicia Aegypto propinquae ſunt, ideo longe melius, quam Cicero, & Pompeius, qui Romae erant, perſpicere Lentulus poterat, quid efficere, & quid confici poſſet. SI . RES *facultatem habitura uideatur,* } ſi res poſſe perfici, & exitum habere uideatur. TENERE} obtinere, potiri, ut ep. I. Teneri enim res aliter non poteſt. infra idem alijs uerbis: Si exploratum tibi ſit, poſſe te illius regni potiri. PTOLEMAIDE,} opido Alexandriae propinquo. Mediceus liber, & alij fere omnes, Ptolomaide, & infra Ptolomaeus: quod non probaui. nam & Graeci ε in ſecunda ſyllaba, non ο ponunt: & ita Ptolemaeus a πωλεμῶ deducitur, ut Timaeus a τιμῶ. quod oſtendit lib. 2. Priſcianus. ALIQVO } recte: quamquam nonnulli ueteres libri habent, Alio: quod inde natum eſt, quia ſcriptum uidebant, Alico: ſic enim & Mediceus liber habet. ATQVE . EXERCITV } non ut Ptolemaeum cum exercitu reducas, ſed ut, eo Ptolemaide, aut aliquo propinquo loco collocato, ipſe cum exercitu Alexandriam profectus, regem cum Alexandrinis in gratiam reſtituas. ita nihil commiſeris neque contra S. C. neque contra religionem: non enim regem cum multitudine reduces. PACE, } te auctore facta inter Ptolemaeum, & Alexandrinos. PRAESIDIISQ. } ut Alexandrini, praeſidij metu, a te relicti, pacem ſeruent. FIRMARIS, } ne noua conſilia ſuſcipiant. leues enim, & infidi Alexandrinorum animi, ut pote qui bis iam Ptolemaeum eiecerant. REDEAT *in regnum:* } non a te reducatur, ne contra ſenatus uoluntatem committas, ſed, Alexandria prius a te pace, praeſidijsq. firmata, ipſe redeat. INITIO *cenſuit;* } facto S. C. te ipſo conſule referente. ep. I. HOMINES *religioſi* } poteſt de quindecim uiris, ideſt de

ſacerdotibus Sibyllinos libros cuſtodientibus, hoc dicere; qui a C. Catone tribuno pl. ad populum producti, oraculum expoſuerant: poteſt etiam de ipſo Catone, qui eos produxit: cum ironia certe, Homines religioſi, dictum eſt: quaſi de religione minimum laborarent, ſed honeſto nomine maleuolentiam, inuidiamq. ſuam obtenderent. unde illud ep. 4. A tuis inuidis, atque obtrectatoribus, nomen inductum fictae religionis. Et ep. 1. Senatus religionis calumniam, non religione, ſed maleuolentia, & illius regiae largitionis inuidia, comprobat. SIBYLLAE *placere*} quod cum ſenatus aut credidiſſet, aut ſe credere ſimulaſſet, decreuit, ne quis regem cum multitudine reduceret. EX. EVENTV} eadem ſententia in oratione pro Poſtumo. Hoc, inquit, plerumque facimus, ut conſilia euentis ponderemus; &, cui bene quid proceſſerit, multum illum prouidiſſe; cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus. Veteres libri mei, Ex euentu: Mediceus, Ex euento. utroque modo recte. infra: Vt te ex noſtris euentis communibus admonendum putarem. In Partitionibus: Si cuiusque facti, & euenti cauſſa ponetur. DE. TVO *conſilio*} regis reducendi. EXISTIMATVROS} nota uerbi ſignificatio: ſed interdum accipitur pro iudicare, ut hic: nam infra ſubiungitur: Redeo ad illud, quod initio ſcripſi, totius facti tui iudicium non tam ex conſilio tuo, quam ex euentu homines eſſe facturos. In Bruto: Quorum exſtant orationes, ex quibus exiſtimari de ingenijs oratorum poteſt. SI. CECIDISSET, *ut uolumus*,} infra idem alijs uerbis: Si rem iſtam ex ſententia geſſeris. tranſlatum uidetur a talis, modo ut uolumus, modo contra quam uolumus, cadentibus: ut uolumus, cum iactus unius tali ſenionem efficit; uel, cum quattuor talorum iactus, diuerſa cuiuſque facie, Venerem facit: contra quam uolumus, cum unus talus in iactu canem facit, aut cum quattuor numquam Venerem ferunt, ſimili facie duorum, aut trium, aut omnium talorum: nam, ut dixi, omnibus diſsimilem faciem oſtendentibus, feliciſsimus eſt iactus, quae uocatur Venus. SIN. ALIQVID} libri ueteres, etiam Mediceus, Si, pro Sin: unus, Si quid: quod placet. ESSET *offenſum*,} ſi difficultatem res habuiſſet, & Alexandrinis regem recuſantibus, uentum eſſet ad arma. CVPIDE, *& temere*} antitheta ſunt, ad illa, Sapienter, & Fortiter. Cupide, quaſi reductionem regis, ambitione adductus, nimium appetiſſet; temere, quaſi rei difficultatem parum conſideraſſet. QVID *aſſequi poſsis*,} poſsis ne rem conficere ex animi ſententia. PROPE *in conſpectu*} non enim Cilicia longe admodum diſtat ab Aegypto. SI. EXPLORATVM *tibi ſit, poſſe te illius regni potiri*,} quod paullo ante dixit, Si res facultatem habitura uideatur, ut Alexandriam, atque Aegyptum tenere poſsis. Potiri autem non eſt hic, armis expugnare: ſequitur enim infra: Ego te ut ad certam laudem adhortor, ſic a dimicatione deterreo: ſed eſt, obtinere, ut Alexandrini ſe tibi committant, uoluntatiq. tuae, in recipiendo rege, obtemperent. SIN. DVBIVM,} & hic ueteres libri, ſimul cum Mediceo, Si dubium. OFFENSIONEM} ſi Alexandrini dimicare malint, quam tibi ſe committere, regem reducere cupienti. proxime: Sin aliquid eſſet offenſum. AVCTORITATEM,} ſenatus. decreuerat enim, ne quis omnino regem reduceret. RELIGIONEM} quia uetabat Sibylla, regem cum multitudine reſtitui. CERTAM} ſi exploratum habes, poſſe te illius regni potiri. LAVDEM} omnes enim te ex euentu laudabunt. PERICVLOSA *tibi uidebitur*;} uiſa eſt. non enim conſilium illud Ciceronis, & Pompeij ſecutus eſt Lentulus. QVI. PER *prouinciam, atque imperij tui prouincias ei credidiſſent*;} Per prouinciam Ciliciam, cuius proconſul uocabatur, & reliquas eius imperij partes. nam praeter Ciliciam, aliquot eius imperio dioeceſes Aſiaticae parebant, ut Lycaonia, Pamphylia, Phrygiae maioris pars ultra Maeandrum. Cicero tres amplius habuit cum eandem prouinciam regeret: ut ipſe ſcripſit ad Seruilium ep. 67. lib. XIII. Credidiſſent, pro, pecunias ei mutuas dediſſent. magnam enim pecuniae uim Ptolemaeus, a quibus potuerat, mutuatus erat; ut multorum deinde animos largitione ad ſuam cauſſam adiungeret. FIDEM *ſuam praeſtitiſſet*,} non opinor hoc dici: pecuniam perſoluiſſet: non enim ſoluendo rex erat, prius quam in regnum reduceretur: ſed, cauiſſet de fide ſua: effeciſſet aliquo modo, ut eius fides in dubiũ illis uenire non poſſet. ep. 9. Vt fidẽ fratris mei praeſtarẽ. Ep. XI. lib. V. Quamcunque ei fidem dederis, praeſtabo. De Diuin. lib. 2. Spectare uetat fortunã uirtus, dũ praeſtetur fides. ADIVVARES:} non, ut ipſe cum claſſe, atque exercitu Alexandriã proficiſcaris, ut eam pace, praeſidijsq. firmes: quae ratio rei gerendae periculoſa uideri poteſt: ſed ut ipſum Ptolemaeum, in regnum redeuntem, & auxilijs tuis, copijs Adiuues. Eſt autem Auxiliari, afflicto atque egenti ſubuenire; & in aduerſa tantum fortuna locum habet: Adiuuare autem de ſecundis etiam rebus uſurpatur: nec aliud eſt, quam, ſimul agere, ut aliquid ad exitum perducatur. quod *συνεργεῖν* Graecis eſt. NATVRAM, *& regionem*} Naturam, quod multis rebus prouincia tua reditum regis uel confirmare poſsit, uel impedire: Regionem, ſitum, quia non longe diſtat ab Aegypto. paullo ante: Cui prope in conſpectus Aegyptus eſt. ſic autem coniungit hic regionem, & naturam, ut in Rullum, & in Verrem, Situm, & Naturam. QVID. RES, *quid cauſſa*,} Res cauſſam continet: totum enim Alexandrinum negotium ſignificat: cauſſa uero partem negotij, quae ad Lentulum, regemq. pertinet: ideſt, ut Lentulus ipſe regem reducat. hoc ſatis probatum eſt ep. 1. TEMPVS} quo ſaepe conſilia recte mutantur: non enim licet nobis futura proſpicere. FACILLIME,} cui prope in conſpectu Aegyptus eſt. OPTIME} non enim errare te tua prudentia patietur. DE. NOSTRO *ſtatu*} quod priſtina fruar & dignitate, & gratia. MILONIS} qui tribunus pl. cum Lentulo conſule Ciceronem reſtituerat, Clodij acerrimus inimicus. LEVITATE,} cum aliquid quotidie contra leges, & bonos uiros conetur. IMBECILLITATE} quia, quod conatur, efficere non poſsit. aduerſabantur autem nefarijs eius conatibus Cicero in primis, & Milo, ille conſilio, hic etiam manu. ARTIFICEM,} opus enim tuum eſt, quod ego meum ſtatum recuperauerim, quod Milone familiariter utar, quod ita Clodij uires afflictae ſint, ut, in ſumma nocendi uoluntate, nocere tamen nihil poſsit. QVAMQVAM} excuſatio, quod ſe in tuenda republica

ad Pompeij

ad Pompeij maxime uoluntatem conformet, temporibus admonitus, & quorundam inuidia, qui tamen eum in reditu iuuerant, compulſus. erant enim factiones in rep. duae: in una Caeſar, Pompeius, Craſſus, de ſua potentia laborantes; a quibus diſſentire, periculoſum Cicero uidebat: in altera optimates: qui licet de rep. optime ſentirent, Ciceroni tamen, nouo homini, tantam gloriam, ac dignitatem adepto, inuidebant, atque etiam obtrectabant. quos in ep. 9. ſignificat his uerbis: Certorum hominum ſermones referebantur ad me: qui, cum illa ſentirent in rep. quae ego agebam, ſemperq. ſenſiſſent; me tamen non ſatisfacere Pompeio, Caeſaremq. mihi inimiciſsimum futurum, gaudere ſe aiebant. Notat autem maxime Bibulum, Catonem, Domitium Ahenobarbum, Marcellinum, Caeſari, Pompeioq. infenſos. PERVERSITAS;} minus eſt, quam improbitas. eſt enim quaſi declinatio quaedam a recta conſilij uia. IN. COMMVNI *cauſſa*} in eo, quod ad omnes pertinet, in rep. tuenda. INVIDENDO} de quo ſic ep. 3. lib. IV. ad Att. Qui nos abſentes defenderunt, incipiunt praeſentibus occulte iraſci, aperte inuidere. Et ep. IV. ibidem. Neceſsitatem mihi uolui imponere huius nouae coniunctionis; ne qua mihi liceat labi ad eos, qui etiam tum, cum miſereri mei debent, non deſinunt inuidere. OBTRECTATIONIBVS} quaerit excuſationem ſui facti. nam quia Caeſarem coeperat ornare; quod optimates non probabant, quibus nimia paucorum potentia merito ſuſpecta erat: non ſe ſua ſponte a priſtina ſententia diſceſsiſſe, ſed quorundam maleuolentiſsimis obtrectationibus depulſum eſſe demonſtrat. Ornamenta autem, quae Cicero in Caeſarem contulerat, ut ex oratione de prouincijs cognoſcitur, haec ſunt, ſupplicatio quindecim dierum, ſtipendium exercitus, decem legati. quae Cicero ſua ſententia decreuit. SENTENTIA,} cum in defendenda rep. dignitati potius meae, quam ſaluti, conſulebam: ex quo potentium animos offendi. PROPE} non omnino: quia dignitatis adhuc rationem habeo. DEPVLSOS;} quaſi per uim, ab inuidis, atque obtrectatoribus. ALIQVANDO} ſero quidem, (potentium enim conſpiratione in exſulium pulſus, nimis magna mercede didici, ſalutis quoque rationem eſſe habendam) aliquando tamen. CONSVLARIBVS:} quos ſaepe carpit lib. IV. ep. ad Att. SPLENDOR} uitae ſpecies, ac dignitas. ep. 9. Hic meae uitae curſus offendit eos fortaſſe, qui ſplendorem, & ſpeciem huius uitae intuentur, ſolicitudinem autem, & laborem perſpicere non poſſunt. TEMPORIBVS. IIS} quae, in patriam reſtitutus, ſecunda ſum adeptus. infra: Res aduerſas, uocat tempora. NASCENTI. PROPE} a prima paene adoleſcentia. PRAEFVISTI:} hoc uerbum abeſt ab omnibus antiquis libris: in Mediceo additum eſt recenti manu, deleto alio uerbo: quod ſuſpicor fuiſſe, Virtutiq. nam in omnibus meis ita ſcriptum uideo: Laudi, dignitati, uirtutiq. mendoſus igitur locus: cum omnino uerbum aliquod ſententia deſideret. NOVITATI.} Arpini enim natus, Romae ſummos honores, uictis in petitione nobiliſsimis uiris, eloquentia, probitate, induſtria conſecutus eſt. Nouitati nobilitas opponitur: ideo ſubiungit: In te enim, homine omnium nobiliſsimo. Et ep. 18. lib. V. Adeptus es, quod non multi homines noui; amiſiſti, quod plurimi homines nobiliſsimi. Et in Verr. Nae iſta praeclara nobilitas deſinat queri, populum Romanum hominibus nouis, atque induſtrijs libenter honores mandare. HOMINE *omnium nobiliſsimo,*} non quia Lentulus Cornelia gente patricia (fuit enim & Cornelia plebeia) natus eſſet, uerum quod eius maiores honoribus, & meritis in remp. praeſtitiſſent. non enim, nobilis, & plebeius, ſed nobilis, & homo nouus, opponuntur. neque Lentuli, Scipiones, Caeſares, ideo nobiles, quia patricij, ſed quia claris maioribus orti. eademq. de cauſſa quamquam plebeij generis, nobiles tamen Antonij, Metelli, Marcelli. itaque nobiliſsimum adoleſcentem uocat Cicero M. Antonium in oratione pro Milone; L. Marcium Philippum, ſumma nobilitate hominem, in Bruto; quos plebeijs gentibus natos eſſe, nemo, Romanarũ gentium uel mediocriter peritus, ignorat. quocirca nec omnes patricij nobiles, (multorum enim obſcuri maiores) nec omnes plebeij ignobiles: cum plebeij multi parentibus, auis, maioribus clariſsimis orti ſint: non quidem ſemper, uerum, a quo tempore plebeijs etiam gentibus honores communicari coepti ſunt. Eademq. ratione nec ſenatores omnes nobiles, nec qui ſenatores nõ eſſent, omnes ignobiles. ſiquidem nobilitas ita definitur, claritas nominis a parentibus, auis, maioribus accepta: quae nec patricijs omnibus, nec ſenatoribus contigit, multis autem contigit non patricijs, & multis nondum ſenatorium ordinem adeptis. propterea Plinius lib. XXXIII. cap. I. Anulos depoſitos a nobilitate, non a ſenatu uniuerſo, in annales relatum ait. Quibus uerbis, quis non intelligit, diuerſa eſſe, nobilitatem, & ſenatum uniuerſum? quia ſcilicet non ſenatus uniuerſus e ſenatoribus nobilibus conſtaret. Quod autem ſaepe nobilitatis nomen pro ſenatu, in urbanarum turbarum mentione Liuius uſurpauerit, in eo maiorem ſenatus partem, parentibus, aut maioribus inſignem, pro toto ſenatu accepit. Nobilitas tamen interdum accipitur non pro nobilibus uiris, ideſt claro genere ortis, uerum pro ea fama, quae ſequitur uirtutem: ut in oratione pro Archia: Philoſophi in eo ipſo, in quo praedicationem, nobilitatemq. deſpiciunt, praedicari de ſe, ac nominari uolunt. Ad hanc ſignificationem ſpectat illa definitio Ciceronis in epiſtola ad Hirtium: Nobilitas nihil aliud eſt, quam cognita uirtus. Ex qua definitione, Cicero etiam ipſe, nulla maiorum claritate, nobilis tamen eſt: habet enim uirtutem, qua famam conſequitur. Atque hanc ſolidam, & ueram eſſe nobilitatem, illam uero, quae a maioribus accipitur, & generis potius, quam hominis eſt, inanem & falſam, indicat ep. 7. lib. III. his uerbis: Tu ſi aliter exiſtimas, nihil errabis, ſi paullo diligentius (ut, quid ſit εὐγένεια, quid ſit nobilitas, intelligas) Athenodorus, Sandonis filius, quid de his rebus dicat, attenderis. Ex illa autem priore definitione, cum nouus homo ſit, nobilis eſſe non poteſt: poſteris tamen ſuis fons, & origo nobilitatis eſt, adeptus illos magiſtratus, unde nobilitas naſcitur. PERSPEXI:} ſimile illud ep. 9. Vidi ego quoſdam in te tales, quales tu eoſdem in me uidere potuiſti. NOLVERVNT.} in eo maxime, quod obſtiterunt, ne regem reduceres: id quod, te conſule referente, ſenatus decreuerat.

VTRVM

VTRVM . LAVS . IMMINVATVR,} tantum enim de tua dignitate agitur, mea uero ſalus afflicta eſt. Ep.6. Minore in re uiolatur tua dignitas, quam mea ſalus afflicta ſit. Ep. 9. In moleſtia gaudeo, eandem fidem te cognoſcere hominum, non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram. AN SALVS *deſeratur.*} in uerbo, Deſeratur, ineſt ſignificatio perfidiae: de qua ſic ep.9. Vt iam ſit in ijs culpa, qui me non defenderunt; non minor eſt in ijs, qui reliquerunt. MEAE} meae fortunae, quod eiectus ſim. CVRASTI} cum ita me honorifice reſtituendum curaſti, ut maior eſſet in reditu gloria, quam calamitas in diſceſſu. DE . FORTVNA} recte, De fortuna: tantum enim illa, quae fortunae bona dicuntur, non ſimul uirtutem, optimamq. mentem eripere potuerant inimici. ex quo illa praeclara in Clodium Parad.4. Niſi forte, cum parietes diſturbabas, aut cum tectis ſceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere, aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum eſt, neque cuiuſquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti poteſt. Si mihi eripuiſſes diuinam animi mei conſtantiam, meas curas, uigilias, conſilia, quibus reſpublica inuicta ſtat: ſi huius aeterni beneficij immortalem memoriam deleuiſſes: multo etiam magis, ſi illam mentem, unde haec conſilia manarunt, mihi eripuiſſes: tum ego accepiſſe me confiterer iniuriam: ſed, ſi haec nec feciſti, nec facere potuiſti: reditum mihi glorioſum tua dedit iniuria, non exitum calamitoſum. TE . VERO . MONEO,} quia recte ſentientes, aduerſa fortuna perturbati, conſiliũ quandoque mutant; ideo, cum iniuriam Lentulo illatam, expoſuit, cohortationem ſubiungit, ueritus ne deſciſcat Lentulus a priſtina cauſſa, ſtudiumq. defendendae reip. deponat. hinc illud ep.5. Tuae ſapientiae, magnitudinisq. animi eſt, omnem amplitudinem, & dignitatem tuam in uirtute, atque in rebus geſtis tuis, atque in tua grauitate poſitam exiſtimare. Hic teſtatum eſſe uolo, in uno tantum antiquo libro legi Moneo, in ceteris omnibus, etiam in Mediceo, Emoneo. quod uerbum quamquam uſu parum cognitum eſt, omittendum tamen, conſenſu tanto ueterum exemplarium, non putaui. OMNI *cura, atque induſtria*} ſtudio, atque opera. SEMPER *ſum admiratus, ſemperq. amaui,*} quod & ſumma eſſet, & utilis reip. INFLECTAS} inflexiſſe tamen Cicero ipſe paullulum uidetur. dixit enim: Nos ſcito de uetere illa noſtra, diuturnaq. ſententia prope iam eſſe depulſos. Quamquam ſe non abieciſſe curam reip. ſignificat ſequentibus uerbis: Non nos quidem, ut noſtrae dignitatis ſimus obliti. Et in extrema fere epiſtola Lentulum hortatur, ut ipſe quoque ita rationem habeat dignitatis, ne ſalutis obliuiſcatur. Quare, Ne umquam inflectas, interpretemur, ne umquam ita mutes, ut, reip. cauſſa penitus neglecta, cum improbis te, ſingularem potentiam cogitantibus, coniungas. MAGNA} in hoc ornamento, quod fit eodem uerbo ter uſurpata amplificationis gratia, diſcedere epiſtola uidetur ab humilitate quotidiani ſermonis, & ad ſimilitudinem orationis accedere. HOMINVM *opinio*} cui non reſpondere turpe eſt. LIBERALITATIS,} quod officia libenter in omnes conferas: ut ſupra: Tua praeſtanti in eum liberalitate tibi deuinctum. Vel ad aedilitatem reſpexit, in qua Lentulus ſnmmam liberalitatẽ oſtenderat: quam Cicero effert laudibus lib.1. Off. CONSVLATVS *tui.*} quo me ab exſulio, ſpreta Clodia rogatione, reuocaſti. EXPRESSIORA, *atque illuſtriora,*} expreſſa patent oculis, quia eminent: illuſtria multo etiam magis, quia ſplendorem habent. EX IMPERIO} hoc addit, quia multis imperium, quod uel augendae, uel tuendae reip. cauſſa dabatur, & ipſis, & reip. dedecori, damnoq. fuit. QVAMQVAM} & hic tacite monet, ut de Ptolemaeo cum exercitu reducendo diligenter conſideret. QVOD *quia ſemper ſperaſti,*} ſperaſti fore, ut adipiſcereris gradum ciuitatis altiſsimum: quem quando adeptus es, non dubito, quin intelligas, eum te facillime tueri, & conſeruare poſſe. certe enim facilius nunc eſt, id retinere, quod adeptus es, quam fuit olim adipiſci, quod ſperabas. FACILLIME} cum adeptus iam ſis, quod facillimum non fuit. OBTINERE} tueri, & conſeruare: dixit enim, Adeptus. Optinere, quidam ſcribunt: quorum opinioni ſuffragatur hic Mediceus liber, conuerſa B in P ut etiã ep.5. lib.2. Opſecrare, opteſtariq. SVMMVM, *atque altiſſimum*} exornatio quaedam eſt, πλεονασμὸς a Graecis appellata, cum iterantur uerba, idem ſignificantia. quo genere abundat Cicero, idque notat Quinctilianus lib.IX. QVAE *quidem mea cohortatio*} reſpicere oportet ad ſuperiora; ut intelligamus, duas res ea cohortatione contineri, primum, ut elaboret Lentulus in gloria conſequenda; deinde, ne cuiuſquam iniuria debilitatus, a praeſtantibus curis ad humiles cogitationes animum deijciat. EX *noſtris euentis communibus*} idem enim contigit utrique noſtrum, ut eandem hominum perfidiam & iniquitatem experiremur. itaque putaui te admonendum, ne cuiquam poſthac facile crederes, ne ue in alijs, ſed in te ipſo, & in cura, induſtriaq. tua ſpem omnem collocares augendae dignitatis tuae. omnem, inquam, gloriam ab omni cura, omniq. induſtria tua uelim exſpectes, minime pendens ab eorum officijs, in quos tua non uulgaria merita extiterunt. id quod ego meis temporibus didici: quorum imaginem uideo in rebus tuis. QVIBVS *crederes,*} morale praeceptum, ut ex malo eliciatur bonum: cognita enim perfidia, non eſſe credendum, monet. QVI *plus opibus, armis, potentia ualent,*} Caeſar, qui Galliam cum exercitu adminiſtrabat; Pompeius, & Craſſus, cum Caeſare ſentientes, qui conſulatum gerebant. PROFECISSE *tantum mihi uidentur*} ſaepe mihi non placet Mediceus liber, ut hic: habet enim, Perfeciſſe tamen: & ſupra Sententiasq. pro, Sentiasq. STVLTITIA,} ſtulti enim, qui a ſenatu & ordinem equeſtrem, & Pompeium abalienauerint. ep.8. INCONSTANTIA} quod in gratiam redierint cum P. Clodio, quem oderant antea. ex quo Cicero ipſe alienatus ab optimatum cauſſa, & ſtipendium Caeſari, & decem legatos, & quaecumque potuit, Caeſari ornamenta decreuit: ut in oratione de prouincijs. Deſignat autem Catonem, Bibulum, Domitium Ahenobarbum, & uniuerſam eorum factionem, ita infenſam Caeſari, ut propterea cum Clodio, qui Caeſaris potentiam oppugnare coeperat, in gratiam redierint. ita, dum Clodium ad ſuas partes adiungunt propter Caeſarem, Ciceronem a publica cauſſa propter Clodium remouerunt. ADVERSARIORVM,} optimatum. AVCTO-

RITATE}

RITATE } in ſenatu: cum antea gratia ualuerint apud populum. PERPAVCIS } Catone, Bibulo, Domitio, qui ſemper contra paucorum opes pro rep. pugnarunt. Plutarchus, Dio, & alij. NE PER *populum quidem* } quem ſibi Caeſar adiunxerat, diuiſo pauperibus campo Stellate, & Campano. SINE *ſeditione* } non enim populus uniuerſus id Caeſari tribuiſſet, quod ſenatus, qui ab eo fuerat alienior, largitus eſt. SE ASSEQVI *poſſe arbitrabantur*, } uerbum, Poſſe, nec in meis antiquis libris eſt, nec in Mediceo: itaque ſuſpicor additum ex ingenio: cum ſine eo tamen ſententia conſiſtat. CONSECVTI SVNT. } & quidem ipſo decernente Cicerone. quod hic diſsimulat, ueritus fortaſſe, ne Lentulum offendat, aut ne famam ſubeat inconſtantiae; cum optimatum cauſſam aduerſus paucorum opes antea defendiſſet. oratio de prouincijs. STIPENDIVM } & ſtipendium, & legatorum numerum, & ſupplicationes ſenatus decernebat ſine populi ſuffragio. quae Cicero ſignificat in ep. 9. cum ait, ſingularibus, & nouis honoribus, ac iudicijs ſenatus ornatum eſſe Caeſarem. idq. exponit aperte in oratione de prouincijs, his uerbis: Relatum eſt ad nos nuper de ſtipendio exercitus: non decreui ſolum, ſed etiam, ut uos decerneretis, laboraui: multa diſſentientibus reſpondi: ſcribendo affui. Stipendium autem a ſenatu impetrare, in tantis anguſtijs aerarij, non facillimum fuit. quod ex eadem oratione conieci. dixit enim: In his anguſtijs aerarij, publicanis tamen ſubueniatis, neceſſe eſt, crudelitate Gabinij paene afflictis iam, atque euerſis. Hac de re ſic in ea pro Balbo; C. Caeſarem ſenatus & genere ſupplicationum ampliſsimo ornauit, & numero dierum nouo. idem, in anguſtijs aerarij, uictorem exercitum ſtipendio affecit: imperatori decem legatos decreuit: lege Sempronia ſuccedendum non cenſuit. harum ego ſententiarum & princeps, & auctor fui. DECEM LEGATI: } quorum opera in bello uteretur, quiq. ſingulis legionibus, ſinguli praeeſſent. id quod Caeſaris Commentarij teſtantur. in oratione autem de prouincijs hoc modo: Actum eſt de decem legatis: quos alij omnino non dabant: alij exempla quaerebant: alij tempus differebant: alij ſine ullis uerborum ornamentis dabant. in ea quoque re ſic ſum locutus, ut omnes intelligerēt, me id, quod reip. cauſſa ſentirem, facere uberius propter ipſius Caeſaris dignitatem. Decem autem fuiſſe Caeſaris legiones in Gallia poſt prorogatam ei alterum in quinquennium prouinciam, declarat ipſe lib. VII. bel. Gal. in extremo: Nouem enim aſsignat nouem legatis: ipſe unam ſecum, Bibractehie maturus, retinet. Hirtius etiam lib. IIX. Decem legiones nono Gallici imperij anno Caeſari fuiſſe demonſtrat, quarum duas Pompeio traditas eſſe, quattuor in Belgio, totidem in Aeduorum regione collocatas. Idem plane confirmat Suetonius his uerbis: Cum aduerſarijs pepigit, ut, dimiſsis octo legionibus, tranſalpinaq. Gallia, duae ſibi legiones, & ciſalpina prouincia, uel etiam una legio cum Illyrico concederetur. Et Plutarchus in Pompeio decem Caeſaris legiones nominat. Verum, his omnibus legionibus, ſi Suetonium audimus, non uidetur a ſenatu ſtipendium eſſe decretum. Perfecit, inquit, ut in quinquennium ſibi imperium prorogaretur. qua fiducia, ad legiones, quas a rep. acceperat, alias publico, alias priuato ſumptu addidit. Plutarchus non diſtinguit; tantum, prorogatam prouinciam, ſuppeditatasq. in ſtipendia militum pecunias, demonſtrat. Sed, ut redeam ad legatos; numerus a ſenatu decernebatur; deligendi, & nominandi poteſtas aut penes eum erat, qui prouinciae praeerat; aut in eo certe ſenatus gratificari conſueuit ijs, quibus legati, reip. gerendae cauſſa, legabantur. Decretos a ſenatu, oratio pro Sextio docet his uerbis: Pro te ipſo, Piſo, nemo ne ueſtitum mutauit, ne iſti quidem, quos legatos non modo nullo S. C. ſed etiam repugnante ſenatu, tute tibi legaſti? Et in Vatinium: Quis legatos umquam audiuit ſine S. C? ante te nemo. poſt continuo fecit idem in duobus prodigijs reip. Clodius. Delectos autem, & nominatos ab ijs, quibus imperium prouinciae mandabatur, indicant exempla, quae ſubiungam de multis pauca: ne ſatietatem habeat prolixa narratio. Ep. 14. lib. 2. ad Att. A Caeſare inuitor in legationem illam, ſibi ut ſim legatus. In oratione de prouincijs: Poſtea me, ut ſibi eſſem legatus, non ſolum ſuaſit, uerum etiam rogauit. ep. 14. lib. IV. ad Att. Meſsius defendebatur a nobis, e legatione reuocatus: nam eum Caeſari legarat App. Ad Thermum autem ſcribens, ep. 55. lib. XIII. Legationem ait a ſe delatam Anneio, cum multis eam petentibus denegaſſet. Pertinet eodem illud de Pompeio ſcriptum curationi frumentariae praepoſito, ep. 1. lib. IV. ad Att. Ille, cum quindecim legatos poſtularet, me principem nominauit. Officium autem legati, ſi quis quaerat, quale fuerit, diſcet ex oratione in Vatinium, in qua legatos Cicero uocat, nuncios pacis, ac belli, curatores, interpretes, bellici conſilij auctores, miniſtros muneris prouincialis. Quod ſi, quae fuerit apud Romanos legatorum dignitas, libet indagare: multa bella ſuſcepta, multas urbes eorum cauſſa deletas eſſe reperiemus. de quo ſic in oratione pro lege Manilia: Legati quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres ueſtri, totius Graeciae lumen, exſtinctum eſſe uoluerunt: uos eum regem inultum eſſe patiemini, qui legatum populi Romani conſularem, uinculis, ac uerberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necauit? Quibus uerbis etiam illud conſtat, quod ex Liuio quoque, & alijs intelligitur, multis poſt conſulatum legationis honorem eſſe delatum. In Verrem autem actione II. Video, inquit, & ex ijs, quae legi, & audiui, intelligo; in qua ciuitate non modo legatus populi Romani circumſeſſus, non modo igni, ferro, manu, copijs oppugnatus, ſed aliqua ex parte uiolatus ſit, niſi publice ſatisfactum ſit, ei ciuitati bellum indici, atque inferri ſolere. Quo loco Pedianus ait, ob legatos bellum indictum, illatumq. eſſe Corinthijs, & Tarentinis. LEGE *Sempronia* } nec ſatis patet, quae fuerit Semproniae legis ſententia; &, ſi ignoretur, locus hic erit ad intelligendum perdifficilis. quare primum de lege, deinde, quae locus requirit, diligenter exponam. C. Gracchus, Tiberij frater, in ea lege, quam de prouincijs tulit, tria comprehendit, unum, ut ſenatus conſulares prouincias decerneret, ideſt eas, in quas conſules, magiſtratu functi, ſorte proficiſcerentur; alterum, ut quotannis; tertium, ut, cum decerneretur, intercedere nemini liceret. Prima duo capita ex oratione pro domo cognoſcuntur, in qua ſunt haec: Tu prouincias conſulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popu-

me popularis fuit, non modo non abſtulit ab ſenatu, ſed etiam, ut neceſſe eſſet quotannis per ſenatum decerni, lege ſanxit, eas, lege Sempronia per ſenatum decretas, reſcidiſti, extra ordinem, ſine ſorte, nominatim dediſti, non conſulibus, ſed reip. peſtibus. In ea pro Balbo: Senatus in anguſtijs aerarij uictorem exercitum ſtipendio affecit, imperatori decem legatos decreuit, lege Sempronia ſuccedendum non cenſuit. Tertium caput in oratione de prouincijs animaduerti, in eo loco: Faciam, inquit, illas praetorias; ut Piſoni, & Gabinio ſuccedatur ſtatim, ſi hic ſinat: tum enim tribunus intercedere poterit, nunc non poteſt. Nam id, Nunc non poteſt, ad legem Semproniam pertinet: qua non licebat intercedi, cum de ſucceſsione prouinciarum decerneretur: quod illa, quae paullo poſt conſequuntur, uerba demonſtrant: Mihi credite, numquam ſuccedetur illis, niſi cum ea lege referetur, qua intercedi de prouincijs non licebit. Venio nunc ad Ciceronis uerba. Proximo anno agitatum erat in ſenatu, ut conſulares prouinciae duae lege Sempronia a ſenatu decernerentur, non eius anni conſulibus, qui uidentur prouincias recuſaſſe, ſed ijs, qui deſignati nondum erant, qui poſtea fuere Pompeius, & Craſſus, ex interregno creati. Quattuor erant prouinciae, quas obtinebant ij, qui conſulatum geſſerant, Galliae duae, uno imperio coniunctae, quibus praeerat Caeſar; Syria, quam Gabinius, Macedonia, quam Piſo adminiſtrabat. De his quattuor, cum duas tantum lege Sempronia decerni oporteret, uariae ſententiae dicebantur. erant, qui utramque Caeſari Galliam eriperent, & a ſequentis anni conſulibus, ubi conſulatum peregiſſent, adminiſtrari uellent. alius neque utramque Galliam, neque Syriam cum Macedonia, ſed uel Syriam, uel Macedoniam cum altera Gallia decernebat. Rurſus erant duae ſententiae, utraque Piſoni Macedoniam relinquens, utraque Gabinio Syriam auferens, ſed altera ulteriorem Galliam, altera citeriorem cum Syria coniungens. Contra omnes Cicero ſenſit. dixit enim ſententiam, ut Caeſar utramque Galliam uſque ad exitum quinquennij, lege Vatinia datum, obtineret; Gabinius, & Piſo decederent. Harum ſententiarum nulla ualuit: nec eo anno conſulares prouinciae lege Sempronia decretae. id ex eo liquet, quod in utraque Gallia Caeſar permanſit, in Macedoniam autem praetorius iuit, non conſularis, Q. Ancharius, qui ſtatim Piſoni ſucceſſit: Gabinius in Syria manſit, opinor quod ei, qui praetorias Macedoniam, & Syriam faciebat, de Macedonia permiſſum, de Syria uel negatum a ſenatu, uel interceſſum a tribuno pl. Atque haec duabus ex orationibus, de prouincijs conſularibus, & in Piſonem, fere omnia colliguntur: quae putauimus explicanda, ut intelligatur, cum prouinciae conſulares anno ſuperiore, ideſt Marcellino & Philippo cos. ab ſenatu decretae non eſſent, hoc ſaltem anno, Pompeio & Craſſo conſulatum gerentibus, decerni debuiſſe: quod tamen ne fieret, facile perfectum eſt, conſulum uidelicet opera, qui Caeſaris cauſſam tuebantur, cum Pompeius ei gener eſſet, Craſsi uero filij cum Caeſare, Marcus eius quaeſtor, Publius legatus in Gallia militarent. quod ſi de conſularibus prouincijs lege Sempronia decernendis actum eſſet; timendum erat conſulibus, ne in eam ſententiam plures irent, quae Caeſari Gallias adimeret. itaque cupierunt, idq. facile conſecuti ſunt, ne conſulares prouincias obtinentibus ſuccederetur. Oritur quaeſtio, ſi conſulares prouinciae lege Sempronia decretae non ſunt, quo modo Pompeius Hiſpanias, Craſſus Syriam, utramque conſularem accepit? Non S. C. ſed lege tribunicia, quam tulit C. Trebonius, ut ijs prouincijs quinquennium uterque praeeſſet. nam, ſi a ſenatu lege Sempronia prouincias accepiſſent; annua tantum prouinciarum fuiſſet adminiſtratio. quam ob cauſſam, & ſimul quia uerebantur, ne Galliae ſibi a Caeſaris aduerſarijs decernerentur, petere prouincias, omiſſa lege Sempronia, a populo maluerunt, Caeſaris exemplum ſecuti, qui & ipſe Galliam citeriorem inuito ſenatu, lege Vatinia in quinquennium accepit. Reſtat illud, quod hiſtoriae ordo poſtulat, ut oſtendamus, haec tria, de ſtipendio Caeſari decreto, de decem legatis, de prorogata prouincia, quamquam a Cicerone continenti narratione demonſtrentur, temporibus tamen diſtingui. non enim facta eodem anno ſunt omnia: ſed ſtipendium cum decem legatis decretum Marcellino & Philippo cos. quod indicat oratio de prouincijs, habita, ut ait Aſconius, ijs conſulibus. in ea enim oratione de decem legatis mentio fit, de prorogata prouincia uerbum nullum. prorogatam autem ſequenti anno, Pompeio & Craſſo cos. Suetonius, Velleius, Plutarchus, Appianus, Dio, Cicero ipſe ep. 3. lib. IIX. ad Att. declarat. QVOD . EGO *ad te breuius ſcribo*, } ſic libri mei, ſic Mediceus: & recte. mutare tamen non nullis placuit, & pro, Ego, reponere, Eo. NON . DELECTAT: } pluribus enim uerbis, quae nos delectant, perſequimur. LITERIS *omnibus*} iure ciuili, philoſophiae, hiſtoriae, poeticae etiam facultati: quae ad oratoriam laudem cum pertineant, culta ſunt a Cicerone diligenter: quod ipſe ſuis in libris, & Plutarchus in eius uita teſtatum reliquit. TV . TVIS REBVS *integris, diſcas*, } me docuit calamitas: tu in re tua, non ita magna mercede, potes diſcere. NEQVE *ſalutis noſtrae*} ut remp. quidem, ſed ſimul cum ea noſmet ipſos diligamus. DE . FILIA, *& de Craſſipede*} Ciceronis filia Tullia ter nupſit, contra quam Pedianus & Plutarchus uidentur exiſtimaſſe, L. Calpurnio Piſoni Frugi, Furio Craſsipedi, cuius numquam praenomen inueni, P. Cornelio Dolabellae. Piſo perijt exſulante Cicerone: Craſsipedis interitus mentio nulla; ut dimiſſam ab eo putem: Dolabella diuortium fecit: nec multo poſt ex partu deceſsit. quae colliguntur omnia ex his, & ad Atticum, & ad Q. Fratrem epiſtolis. SPEROQ. *& opto, nobis hanc coniunctionem uoluptati fore*. } Fore, ad uerbum, Spero, non ad, Opto, reſpicit. nam, opto eſſe, dicitur, non, opto fore. quo factum eſt, ut nonnulli, de mendo ſuſpicati, legendum putauerint, Optoq. & ſpero, ignari ſcilicet Ciceronianae conſuetudinis: cuius exempla poſſum afferre multa, ſed uno contentus ero: quo ſatis probabitur, non eius, quod prope adeſt, ſed quod longius diſtat, nominis habitam eſſe rationem. prima uerba lib. I. de leg. haec ſunt. Lucus ille, & haec Arpinatum quercus agnoſcitur ſaepe a me lectus in Mario. LENTVLVM *noſtrum*, } naturalem huius P. Lentuli filium, adoptiuum autem Manlij Torquati, ut lib. XXXIX. Dio narrat.

Hunc

Hunc ab Octauiano, uictis reip. partibus, occiſum, ait Plutarchus, falſo gloriatum; inani ſtudio laudis, ſe quoque Caeſaris necis cum Bruto & Caſsio participem fuiſſe; quod ipſemet fatetur ep. 14. lib. XII. his uerbis: Ego me de rep. ita puto eſſe meritum, ut non prouinciae iſtius beneficium exſpectare debeam, ſed tantum, quantum Caſsius, & Brutus, non ſolum illius facti, periculiq. ſocietate, ſed etiam huius temporis ſtudio, & uirtute. EXIMIA *ſpe ſummae uirtutis adoleſcentem*,} eadem ſententia, de Curione dixit in Philippica 2. Summa ſpe adoleſcentem & animi, & ingenij praeditum. In pueris autem, & adoleſcentibus laudari ſolet ſpes, facta non poſſunt. Huc pertinet Seruij locus, ubi explanatur illud Virgilij ex lib. VI. Aen. In tantum ſpe tollet auos. Rhetorice, ait, ſpem laudat in puero, quia facta non inuenit. eſt autem Ciceronis in Dialogo: Cauſſa difficilis, laudare puerum: non enim res laudanda, ſed ſpes eſt. STVDVISTI } ſcientiam litterarum Lentulo tribuere uidetur Cicero in libro de claris oratoribus, cum ait: Quidquid habuit, totum illud habuit e diſciplina, inſtrumenta naturae deerant. IMITATIONE *tui fac erudias*.} ut in tuam uitam, tamquam in ſpeculum, intuens, tibi ſtudeat eſſe quamſimillimus. uirtutis enim diſciplinam meliorem reperiet nullam, quam contemplationem, atque imitationem tui. Quibus uerbis uſus eſt Cicero de filio ſuo in ep. ad M. Brutum. NVLLA *enim erit hac praeſtantior diſciplina*.} legerat accuratiſsime Cicero Xenophontis libros de Cyro maiore conſcriptos. quod ipſe in epiſtola ad Papirium oſtendit his uerbis: Κύρου παιδίαν, quam contriueram legendo, totam in hoc imperio explicaui. Ex ea lectione haec erant praeclara multa in illius memoria, ut hoc fortaſſe de maiorum imitatione. nam apud Xenophontem lib. IIX. ſic Cyrus moriens filios alloquitur: Εἰ μὲν οὖν ἐγὼ ὑμᾶς ἱκανῶς διδάσκω, οἵους χρὴ πρὸς ἀλλήλους εἶναι: εἰ δὲ μὴ, καὶ παρὰ προγεγενημένων μανθάνεται. αὕτη γὰρ ἀρίστη διδασκαλία. QVIA TVVS,} amamus enim amicorum filios, qualeſcunque ſunt, parentum cauſſa. quam ſententiam confirmant Trebonij uerba ep. 16. lib. XII. Tibi, inquit, quod uere facere poſſum, libenter gratulor, nec minus etiam nobis; quod eum, quem neceſſe erat diligere, qualiſcumque eſſet, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. QVIA. TE *dignus*} uirtuti deditus, ac probitati: ut, etiam ſi tuus non ſit filius, amandus tamen ſuopte merito uideatur. QVIA. NOS *diligit*,} nihil enim minus hominis uidetur, quam non reſpondere in amore ijs, a quibus prouocere. ut eſt in ep. 1. ad M. Brutum.

---

# Argumentum ep. 8.

*DEſperata iam reductione regis, queritur de ſtatu rerum communium; ut ex eo Lentulus de ſua ratione meditetur. itaque negotialem epiſtolam eſſe dicemus: quandoquidem ad Alexandrinum negotium tota fere narratio ſpectat. quiddam tamen quaſi conſolationis affert, cum ait: Sunt quidem certe in amicorum noſtrorum poteſtate: & cum ſubiungit infra: Pompeium tibi ualde amicum eſſe cognoui. Poſtremo claudit epiſtolam ſpe ſupplicationum, & officij ſui mentione: ut Lentuli dolorem, amiſſa regis reſtituendi ſpe, aliqua ſaltem ex parte leniat.*

## *Cicero S. D. Lentulo procos.* 8.

*DE omnibus rebus, quae ad te pertinent, quid actum, quid conſtitutum ſit, quid Pompeius ſuſceperit, optime ex Emplatorio cognoſces; qui non ſolum interfuit his rebus, ſed etiam praefuit, neque ullum officium erga te hominis amantiſſimi, prudentiſſimi, diligentiſſimi praetermiſit. ex eodem de toto ſtatu rerum communium cognoſces: quae quales ſint, non facile eſt ſcribere; ſunt quidem certe in amicorum noſtrorum poteſtate, atque ita, ut nullam mutationem umquam hac hominum aetate habitura res eſſe uideatur. ego quidem, ut debeo, & ut tute mihi praecepiſti, & ut me pietas, utilitasq. cogit, me ad eius rationes adiungo, quem tu in meis rationibus tibi eſſe adiungendum putaſti. ſed te non praeterit, quam ſit difficile, ſenſum in rep. praeſertim rectum, & confirmatum, deponere. uerumtamen ipſe me conformo ad eius uoluntatem, a quo honeſte diſſentire non poſſum. neque id facio, ut forſitan quibuſdam uideor, ſimulatione. tantum enim animi inductio, & mehercule amor erga Pompeium apud me ualet, ut, quae illi utilia ſunt, & quae ille uult, ea mihi omnia iam & recta, & uera uideantur. neque, ut ego arbitror, errarent ne aduerſarij quidem eius, ſi, cum pares eſſe non poſſent, pugnare deſiſterent. Me quidem etiam illa res conſolatur, quod ego is ſum, cui uel maxime concedant omnes, ut uel ea defendam, quae Pompeius uelit; uel taceam; uel etiam, id quod mihi maxime lubet, ad noſtra me ſtudia referam literarum: quod profecto faciam, ſi mihi per eiuſdem amicitiam licebit. quae enim propoſita fuerant nobis, cum & honoribus ampliſſimis, & laboribus maximis perfuncti eſſemus, dignitas in ſententijs dicendis, libertas in rep. capeſſenda, ea ſublata tota.*

*ſed nec mihi m agis, quam omnibus. nam aut aſſentiendum eſt nulla cum grauitate paucis; aut fruſtra diſſentiendum. Haec ego ad te ob eam cauſſam maxime ſcribo, ut iam de tua quoque ratione meditere. commutata tota ratio eſt ſenatus, iudiciorum, rei totius publicae: otium nobis exoptandum eſt, quod ij, qui potiuntur rerum, praeſtaturi uidentur, ſi quidam homines patientius eorum potentiam ferre potuerint. dignitatem quidem illam conſularem fortis, & conſtantis ſenatoris, nihil eſt, quod cogitemus: amiſſa eſt culpa eorum, qui a ſenatu & ordinem coniunctiſſimum, & hominem clariſſimum abalienarunt. Sed, ut ad ea, quae coniunctiora rebus tuis ſunt, reuertar: Pompeium tibi ualde amicum eſſe cognoui; & eo tu conſule, quantum ego perſpicio, omnia, quae uoles, obtinebis. quibus in rebus me ille ſibi affixum habebit: neque a me ulla res, quae ad te pertineat, negligetur. neque enim uerebor, ne ſim ei moleſtus: cui iucundum erit etiam propter id ipſum, quod me eſſe gratum uidebit. Tu uelim tibi ita perſuadeas, nullam rem eſſe minimam, quae ad te pertineat, quae mihi non carior ſit, quam meae res omnes. idq. cum ſentiam; ſedulitate mihimet ipſe ſatisfacere poſſum; re quidem ipſa ideo mihi non ſatisfacio, quod nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſſum. Rem te ualde bene geſſiſſe rumor erat. exſpectabantur litterae tuae: de quibus eramus iã cum Pompeio locuti: quae ſi erunt allatae, noſtrum ſtudium exſtabit in conueniendis magiſtratibus, & ſenatoribus. cetera, quae ad te pertinebunt, cum etiam plus contenderimus, quam poſſumus, minus tamen faciemus, quam debemus. Vale.*

## EXPLANATIO

DE. OMNIBVS. REBVS,} non de regia tantum cauſſa, ſed omnino de omnibus rebus, quae ad te pertinent. POMPEIVS} conſul. SVSCEPERIT;} agendum tua cauſſa. EX. EMPLATORIO} non agnoſco Romanam gentem: & malim, Ex M. Plaetorio. Plaetorij enim inter gentes Romanas noti; & M. Plaetorius praetor in oratione pro Cluentio nominatur. PRAEFVIT,} praecipuam curam, dum agerentur, adhibuit. NON. FACILE *eſt ſcribere*:} cum tota ratio ſenatus, iudiciorum, rei totius publicae commutata ſit. QVIDEM. CERTE} ita ueteres loquebantur de re ſatis optata, cum eam, quae erat optatior, aſſequi non licebat. res, inquit, communes optime ſe non habent, ſunt tamen in amicorum noſtrorum poteſtate. non habemus, quod uolumus, ut ſit optimus rerum communium ſtatus: id quidem certe habemus, quod ſecundo loco optandum erat, ut in amicorum noſtrorum poteſtate ſint. Ep.9. Conſiliario me fortaſſe non imperitiſsimo, fideli quidem, & beneuolo certe uſus eſſes. Quo loco ſeparatim poſuit, elegantiae cauſſa, quidem, & certe: quemadmodum, ep.5. Catoni quidem, quoquo modo ſe res habet, profecto reſiſtimus. AMICORVM} Pompeij & Caeſaris: addo etiam Craſſum; cum quo, rogatus a Pompeio, & Caeſare, a Publio praeterea, ipſius Craſsi filio, redierat in gratiam. ep.ſequenti, & ep.8.lib.v. & apud Plutarchum in Craſſo. NVLLAM *mutationem*,} uere: numquam enim poſtea reſp. ualuit. HABITVRA *res eſſe uideatur*.} hic eſt ille numerus, quem in Cicerone obtrectatores eius notabant; non quod optimus non eſſet; ſed quod ei nimium familiaris, quaſi de induſtria quaeſitus. Tacitus in dialogo de oratoribus: Nolo irridere Rotam fortunae, & Ius Verrinum, & illud, tertio quoque ſenſu in omnibus pro ſententia poſitum, Eſſe uideatur. Quinctilianus quoque lib.x. cap.2. Noueram, inquit, quoſdam, qui ſe pulchre expreſsiſſe genus illud caeleſtis huius in dicendo uiri ſibi uiderentur, ſi in clauſula poſuiſſent, Eſſe uideatur. Sane & in ea, quae proxima ſequitur, idem iteratum eſt. Verum, ut mihi uidetur, inique faciunt, qui uitioſum exiſtimant, quod & a ſententia poſtulatur, & aures ob numeri ſuauitatem oblectat, nec tamen, ut ait Tacitus, tertio quoque ſenſu in omnibus pro ſententia ponitur. VT. DEBEO,} ob eius in me merita. VT. TVTE *mihi praecepiſti*,} cum eius in me beneficium, cuius ipſe teſtis fueras, praedicares. in ep.ſequenti: Pompeio plurimum, & quidem ipſo praedicatore, ac teſte, debebam. VT. ME *pietas, utilitaſq. cogit*,} pietas, erga optime de me meritum: utilitas, cum habendam mihi rationem aliquando etiam ſalutis intelligam. Ep.ſequenti: Nec mihi aliter potuiſſe uideor hominum perditorum de me conſilia frangere, niſi cum praeſidijs ijs, quae ſemper habui, nunc etiam potentium beneuolentiam coniunxiſſem. Pietatis autem nomen erga eos etiam, qui ſumma in nos beneficia contulerunt, uſurpari ſolere, diximus in ep.1. Antiqui libri, uel, Dietas, uel Dictas, habent: ex quo nonnulli legunt, Dignitas. quod, ut opinor, diuerſam a Ciceronis mente ſententiam habet. cogebatur enim utilitate, non dignitate; quae reuocare potius ab eorum amicitia uidebatur, qui de ſua potentia, non de rep. laborabant. & ſibi non nihil, ſalutis cauſſa, diſcedendum a dignitate, dixit in proxima epiſtola. idemq. ſignificat, cum ſubiungit. Non libenter ſe rectum, & confirmatum a rep. ſenſum deponere. & infra: Dignitatem illam conſularem, fortis, & conſtantis ſenatoris, nihil eſt, quod cogitemus. At enim, cum proxime dixerit, Vt debeo, uidetur abundare, Pietas. Non abundat, ſed auget id, quod dixit: quod & oratorium eſt, & Ciceroni, oratorum omnium principi, frequentiſsimum. ſaepe enim ita debemus, ut officio moueamur potius, quam impellamur. itaque Cicero, non ſe debere tantum ſed cogi etiam pietate, demonſtrat; cum Pompeium in recuperanda ſalute ita paene ſui ſtudioſum ſenſerit, ut erga liberos parentes: in quos nomen pietatis conuenire, iam diximus. AD. EIVS *rationes*} ad ea, quae illi utilia ſunt, quaeq. ille uult. Pompeium ſignificari, ſatis conſtat. PVTASTI.} cum de me ageres. QVAM *ſit difficile*,} indicat, ſe coactum ſua conſilia ad potentium uoluntatem accommodare coepiſſe PRAESERTIM *rectum*,} non enim facile boni ciues a ſententia demouentur. CONFIRMATVM,} ueterem, ac diuturnam ſententiam appel-

lauit

lauit in epiſtola ſuperiore. IPSE . ME *conformo* } quaſi rem nouam : non tam ut ſaluti ſeruiam, quod antea non feci : quam ut optime de me merito gratiam referam. Proxime dixit : Ipſe me ad eius rationes adiungo. A QVO *honeſte diſſentire non poſſum.* } cum is auctor fuerit ſalutis meae. SIMVLATIONE. } quia Pompeius in ciuitate plurimum ualeat. ANIMI *inductio*, } excluditur ſimulatio, non tamen amor oſtenditur. propterea ſubiungit : Et mehercule amor. VIDEANTVR. } magni amoris argumentum, ut uoluntatem ſequatur opinio. ADVERSARII } qui optimates haberi uolebant. CONCEDANT *omnes*, } cum intelligant honeſte me a Pompeio, cui tantum debeam, diſſentire non poſſe. VEL *taceam*; } tranſit ad minora. nam, ſi conceditur, ut ea defendat, quae Pompeius uelit, multo magis, ut taceat; maxime uero, ut ad ſtudia ſe referat litterarum : quo uideri poſſet, ea, quae fierent, non probare, & multo magis conſulere uideretur dignitati ſuae, quam ſi uel defenderet in ſenatu, quae Pompeius uellet, uel etiam taceret. PER . EIVSDEM *amicitiam* } cui roganti, ut in ſenatu adſim, eiusq. uoluntatem defendam, pro amicitia deeſſe non poſſum. PERFVNCTI *eſſemus*, } Perfunctus eſſe dicitur, qui ad exitum alicuis rei, ſiue optabilis ea ſit, ſiue contra, iam peruenit. prioris generis exemplum hoc eſt : Perfungi honoribus ampliſsimis : & lib. III. de Orat. Qui annus ei primus ab honorum perfunctione aditum omnium conceſſu ad ſummam auctoritatem dabat, is eius omnem ſpem, atque omnia uitae conſilia morte peruertit. Et Sulpicius ep. 5. lib. IV. Omnibus bonis prope perfunctum eſſe. Poſterioris generis plura & apud hunc noſtrum, & apud alios exempla ſuppeditant. Defungi, ualet idem, ſed hoc differt, quod in malam partem ſemper, ut mea memoria eſt, accipitur : quo modo Coelius ep. I. lib. IIX. uſus eſt. Et hoc mendacio ſi qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur, optaui. DIGNITAS } quod erat praemium maximorum laborum. CAPESSRNDA, } adminiſtranda. id enim eſt Capeſsere. ep. ſequenti ; Neque integra re mihi ad conſulendum, capeſſerem ne remp. implicatus tenebar. Lib. III. de rep. apud Auguſtinum de ciuitate Dei : Non eſt reſp. cum tyrannus eam factione capeſſat. Lib. IV. apud eundem : Aeſchines Athenienſis, cum tragoedias actitauiſſet, remp. capeſsiuit. NVLLA *cum grauitate* } aſſentiri enim ijs, contra quos antea reip. cauſſa ſenſeris, leuitatis eſt. PAVCIS; } ſi pauci, quo modo ab ijs fruſtra diſſentitur? quia pauci quidem principes, Caeſar, Pompeius, Craſſus, ſed factio eorum maxima. FRVSTRA } cum etiam in ſenatu, qui alienior ab ijs antea fuit, auctoritate plurimum ualeant. DE . TVA *ratione* } de eo, quod ad te pertinet, de regia cauſſa. SENATVS, } per quem conſecuti ſunt, quae ne populum quidem ſine ſeditione ſe aſſequi poſſe arbitrabantur. Populum non nominat, quia commutatus is non erat : ſemper enim Caeſaris cauſſam iuuit. OTIVM } ſatis ſuperq. habebimus, ſi per eos, qui rerum potiuntur, nobis licebit eſſe otioſis. PRAESTATVRI } permittent, nihil ut agamus, & otioſa, & tranquilla uita perfruamur. QVIDAM . HOMINES } in primis M. Cato, eiusq. ſororum uiri, M. Bibulus, & L. Domitius Ahenobarbus, Caeſaris, & Pompeij ueteres inimici. DIGNITATEM *conſularem* } conſularium enim ſententiae magnum in ſenatu pondus habere debent; in quo dignitas eſt; nunc non habent : amiſſa igitur dignitas eſt. FORTIS, *& conſtantis* } qui nullis periculis a tuenda rep. deterretur. cuius nunc fortitudinis, atque conſtantiae neque praemium eſt ullum, paucis omnia tenentibus; neque fructus, quia fruſtra diſſentitur. ORDINEM *coniunctiſſimum*, } equeſtrem ordinem : quem ipſe Cicero conſul cum ſenatu coniunxerat. alienatus autem eſt a ſenatu Catonis opera, qui, petentibus Aſianis publicanis, ut induceretur locatio uectigalium, quae, cupiditate prolapſi, nimium magno conduxerant, reſponſum dari paſſus non eſt; quam Caeſar, anno ſequenti conſul, occaſionem arripuit conciliandi ſibi, & a ſenatu diſiungendi ordinis equeſtris. de quo Suetonius : Publicanos, remiſsionem petentes, tertia mercedum parte releuauit, ac, ne in locatione nouorum uectigalium immoderatius licitarentur, propalam monuit. Idem confirmat Dio lib. XXXIIX. & Appianus lib. 2. bel. ci. Cicero autem ep. 15. lib. I. ad Att. plane rem exponit. Aſiani, inquit, qui de cenſoribus conduxerant, queſti ſunt in ſenatu, ſe, cupiditate prolapſos, nimium magno conduxiſſe : ut induceretur locatio, poſtulauerunt. ego princeps in adiutoribus. Ibidem paullo poſt : Ego conſeruans rationem, inſtitutionemq. noſtram, tueor, ut poſſum, illam a me conglutinatam concordiam. ep. 16. Alienati equites Romani. ſic ille annus duo firmamenta reip. per me unum conſtituta, euertit. nam & ſenatus auctoritatem abiecit, & ordinum concordiam diſiunxit. In eadem : Cato miſeros publicanos tertium iam menſem uexat, neque ijs a ſenatu reſponſum dari patitur. Ep. I. lib. 2. ad eundem : Cum equitatus ille, quem ego in cliuo Capitolino collocaram, ſenatum deſeruerit. Ibidem paullo poſt : Quid impudentius publicanis renunciantibus? fuit tamen, retinendi ordinis cauſſa, facienda iactura. reſtitit, & peruicit Cato. In Catilinam autem oratione IV. ad conſeruandam ſenatus equitumq. concordiam hortatur his uerbis : Quam coniunctionem ſi, in conſulatu confirmatam meo, perpetuam in rep. tenuerimus : confirmo uobis, nullum poſthac malum ciuile, ac domeſticum ad ullam reip. partem eſſe uenturum. HOMINEM *clariſſimum* } Pompeium, quem abalienauerant a ſenatu, qui ea, quae ille, deuicto Mithridate, regibus, dynaſtis, & ciuitatibus in Aſia conceſſerat, confirmari a ſenatu non permiſerant : quorum princeps fuit L. Lucullus, qui ſororem M. Catonis Seruiliam in matrimonio habebat, adiuuantibus Catone, & Metello Celere conſule. ex quo Pompeius, uxore ducta Caeſaris filia, facile impetrauit, ut is conſul acta ſua confirmaret. Appianus lib. 2. bell. ci. Dio lib. XXXVII. Suetonius. EO . CONSVLE, } non, cum erit conſul, ſed, quoad erit. hoc enim anno, quod iam diximus, conſulatum gerebat cum M. Craſſo. AFFIXVM } numquam ab eo diſcedam, haerebo illi, ut haerent ea, quae affixa ſunt. ep. I. lib. III. ad fratrem ; Dedit etiam alterá illam mihi, qua iubes eum mihi eſſe affixum, tanquam magiſtro. ETIAM *propter id ipſum*, } non ſolum quia te diligit, ſed etiam propter id ipſum, quod me tibi, de me optime merito, eam, quam debeo, praeſtare memoriam, ac beneuolentiam intelliget : tum quia

ſolet amabilis, & iucunda apud omnes eſſe grati animi ſignificatio: tum eo praecipue nomine, quod Pompeius, qua in ipſum quoque uoluntate ſim, cui debeo plurimum, inde coniecturam capiet. MINIMAM,} unde tibi, quo animo ſim in maximis, licet conijcere. CONSEQVI *poſſum.*} ſic ep. IV. Si uitam pro tua dignitate profundam, nullam partem uideat tuorum meritorum aſſecutus. RVMOR. ERAT.} uerus. nam ep. ſequenti: Te eſſe imperatorem, prouinciamq. bene geſtis rebus cum exercitu uictore obtinere, ut debeo, laetor. Quamquam explorata Lentuli uictoria nondum erat. ſi enim certus bene geſtae rei nuncius allatus eſſet, epiſtolam inſcripſiſſet, Lentulo Imperatori, ut in ep. ſequenti. POMPEIO} ut, allatis tuis litteris, rem bene geſtam ſignificantibus, referat ad ſenatum de ſupplicationibus tibi decernendis. PLVS *contenderimus, quam poſſumus,*} uelle ſe plurimum Lentuli cauſſa, oſtendit, nec tamen praeſtare poſſe quantum debeat. Simile illud ep. 8. lib. IV. Vt me non ſolum omnia debere tua cauſſa, quae poſſum, ſed ea quoque, quae non poſsim, putent. Item Phil. 6. Conſilio, quantum potero, labore plus paene, quam potero, excubabo, uigilaboq. pro uobis. QVAM *debemus.*} nam, ut omnia tua cauſſa praeſtem, uincentur tamen mentis tuis officia mea. Quod autem hic, Minus quam debemus, in ep. 4. lib. VI. dixit, Merita non aſſequor.

---

## Argumentum ep. 9.

*Sine dubio moralis eſt epiſtola, ob eam maxime cauſſam ſcripta, ut id, quod factum eſt, recte factum oſtendatur. quaerenti enim Lentulo, cur cum inimicis, Caeſare, Appio, Vatinio, in gratiam Cicero redierit, atque ita, ut Vatinium, quem accuſauerat antea, defenderit, ac laudarit, cauſſas exponit conſilij ſui. Tota uero eius excuſatio quinque potiſsimum rationibus nititur: primum, quod, cum & Pompeio plurimum debeat, & mirificam Caeſaris erga ſe, fratremq. ſuum liberalitatem ſit expertus, ad eorum ſe rationes non inuitus adiungat, a quibus honeſte diſſentire non poſſit: deinde, quod in eum ſenſum non tam alliciatur beneficijs, quam compellatur iniurijs; cum ei ciues improbi nocere ſtudeant, boni etiam inuideant: tertio loco, quod, habendam eſſe non modo dignitatis, uerum etiam ſalutis rationem, exſulij ſui calamitate doctus, intelligat: tum, quod, cum Pompeio, ac Caeſare, optime utroque de rep. merito, coniungi, & eorum cauſſa paulliſper ſententiam mutare, turpe non ſit: idq. confirmat ſapientiſsimorum hominum auctoritate, qui perpetuam in rep. gubernanda ſententiam numquam laudauerint: poſtremo, quod, in eo ſe nihil contra Lentuli uoluntatem commiſiſſe, crediderit; cuius animum nouerit tum ſibi amiciſsimum, tum nulla in ceteros maleuolentia ſuffuſum. Extrema pars epiſtolae negotia continet, de ſuis ſcriptis, de Lentuli rebus domeſticis, de Q. Fratris negotio, de Appij cupiditate Ciliciae adminiſtrandae, de publicanis.*

### *Cicero S. D. Lentulo imp.* 9.

PERIVCVNDAE *mihi fuerunt litterae tuae: quibus intellexi, te perſpicere meam in te pietatem: quid enim dicam, beneuolentiam? cum illud ipſum grauiſſimum, & ſanctiſſimum nomen Pietatis leuius mihi meritis erga me tuis eſſe uideatur. Quod autem grata tibi mea erga te ſtudia ſcribis eſſe: facis tu quidem abundantia quadam amoris; ut etiam grata ſint ea, quae praetermitti ſine nefario ſcelere non poſſunt: tibi autem multo notior, atque illuſtrior meus in te animus eſſet, ſi hoc tempore omni, quo ſeiuncti fuimus, & una, & Romae fuiſſemus. nam in eo ipſo, quod te oſtendis eſſe facturum, quodq. & in primis potes, et ego a te uehementer exſpecto, in ſententijs ſenatorijs, & in omni actione, atque adminiſtratione reip. floruiſſemus. de qua oſtendam equidem paullo poſt, qui ſit meus ſenſus, & ſtatus: & reſcribam tibi ad ea,*

*quae*

*quae quaeris. ſed certe & ego te auctore amiciſſimo, ac ſapientiſſimo, et tu me conſiliario fortaſſe nõ imperitiſſimo, fideli quidem, & beneuolo certe uſus eſſes. quamquam tua quidem cauſſa, te eſſe imperatorem, prouinciamq. bene geſtis rebus cum exercitu uictore obtinere, ut debeo, laetor; ſed certe, qui tibi ex me fructus debentur, eos uberiores, & praeſtantiores praeſens capere potuiſſes. in eis uero ulciſcendis, quos tibi partim inimicos eſſe intelligis propter tuam propugnationem ſalutis meae, partim inuidere propter illius actionis amplitudinem, & gloriam, mirificum me tibi comitem praebuiſſem. quamquam ille perennis inimicus amicorum ſuorum, qui tuis maximis beneficijs ornatus, in te potiſſimum factam illam, & debilitatam uim ſuam contulit, noſtram uicem ultus eſt ipſe ſeſe: ea eſt enim conatus, quibus patefactis, nullam ſibi in poſterum non modo dignitatis, ſed ne libertatis quidem partem reliquit. Te autem etſi mallem in meis rebus expertum, quam etiam in tuis: tamen in moleſtia gaudeo, eandem fidem cognoſcere hominum non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram. de qua ratione tota iam uidetur mihi exponendi tempus dari, ut tibi reſcribam ad ea, quae quaeris. Certiorem te per litteras ſcribis eſſe factum, me cum Caeſare, & cum Appio eſſe in gratia; teq. id non reprehendere adſcribis. Vatinium autem, ſcire te uelle oſtendis, quibus rebus adductus defenderim, & laudarim. quod tibi ut planius exponam, altius paullo rationem meorum conſiliorum repetam, neceſſe eſt. Ego me, Lentule, initio rerum, atque actionum tuarum, non ſolum meis, ſed etiam reip. reſtitutum putabam: &, quoniam tibi incredibilem quendam amorem, & omnia in te ipſum ſumma, ac ſingularia ſtudia deberem, reip. quae te in me reſtituendo multum adiuuiſſet, eum certe me animum merito ipſius debere arbitrabar, quem antea tantummodo communi officio ciuium, non aliquo erga me ſingulari beneficio, debitum praeſtitiſſem. Hac me mente fuiſſe, & ſenatus ex me te conſule audiuit, & tu in noſtris ſermonibus, collocutionibusq. ipſe uidiſti. etſi iam primis temporibus illis, multis rebus meus offendebatur animus; cum, te agente de reliqua noſtra dignitate, aut occulta non nullorum odia, aut obſcura in me ſtudia cernebam. nam neque de monumentis meis ab ijs adiutus es, a quibus debuiſti, neque de ui nefaria, qua cum fratre eram domo expulſus: neque hercule in ijs ipſis rebus, quae quamquam erant mihi propter rei familiaris naufragia neceſſariae, tamen a me minimi putabantur, in meis damnis ex auctoritate ſenatus reſarciendis eam uoluntatem, quam exſpectaram, praeſtiterunt. Quae cum uiderem; (neque enim erant obſcura) non tamen tam acerba mihi haec accidebant, quam erant illa grata, quae fecerant. itaque, quamquam & Pompeio plurimum, te quidem ipſo praedicatore, ac teſte, debebam; & eum non ſolum beneficio, ſed amore etiam, & perpetuo quodam iudicio meo diligebam: tamen, non reputans quid ille uellet, in omnibus meis ſententijs de rep. priſtinis permanebam. Ego, ſedente Cn. Pompeio, cum, ut laudaret P. Sextium, introijſſet in urbem; dixiſſetq. teſtis Vatinius, me fortuna, & felicitate C. Caeſaris commotum illi amicum eſſe coepiſſe; dixi, me eam Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis, uictorijsq. anteferre; dixiq. eodem teſte alio loco, eoſdem eſſe, qui Bibulum exire domo prohibuiſſent, & qui me coegiſſent. tota uero interrogatio mea nihil habuit aliud, niſi reprehenſionem illius tribunatus: in quo omnia dicta ſunt libertate, animoq. maximo de ui, de auſpicijs, de donatione regnorum. neque uero hac in cauſſa modo, ſed conſtanter ſaepe in ſenatu. quin etiam, Marcellino, & Philippo coſ. nonis Apr. mihi eſt ſenatus aſſenſus, ut de agro Campano, frequenti ſenatu, idibus Maij referretur. num potui magis in arcem illius cauſſae inuadere, aut magis obliuiſci temporum meorum, & meminiſſe actionum? hac a me ſententia dicta, magnus animorum motus eſt factus, cum eorum, quorum oportuit, tum illorum etiam, quorum numquam putaram. nam hoc S.C. in meam ſententiam facto, Pompeius, cum nihil mihi oſtendiſſet ſe eſſe offenſum, in Sardiniam, & in Africam profectus eſt: eoq. itinere Lucam ad Caeſarem uenit: ubi multa de mea ſententia queſtus eſt Caeſar, quippe, qui etiam Rauennae Craſſum ante uidiſſet, ab eoq. in me eſſet incenſus. ſane moleſte Pompeium id ferre conſtabat: quod ego cum audiſſem ex alijs, maxime ex meo fratre cognoui. quem cum in Sardinia Pompeius paucis poſt diebus, quam Luca diſceſſerat, conueniſſet; Te, inquit, ipſum cupio; nihil opportunius potuit accidere: niſi cum Marco fratre diligenter egeris; dependendum tibi eſt quod mihi pro illo ſpopondiſti. quid multa? queſtus eſt grauiter: ſua merita commemorauit: quid egiſſet ſaepiſſime de actis Caeſaris cum ipſo fratre, quidq. ſibi is de me recepiſſet, in memoriam redegit: ſeque, quae de mea ſalute egiſſet, uoluntate Caeſaris egiſſe ipſum meum fratrem teſtatus eſt: cuius cauſſam, dignitatemq. mihi ut commendaret, rogauit; ut eam ne oppugnarem, ſi nollem, aut non poſſem tueri. Haec cum ad me frater pertuliſſet; & cum ante tamen Pompeius ad me cum mandatis Vibullium miſiſſet, ut integrum mihi de cauſſa Campana ad ſuum reditum reſeruarem: collegi ipſe me, & cum ipſa quaſi rep. ſum collocutus; ut mihi tam multa pro ſe perpeſſo, atque perfuncto, concederet, ut officium meum, memoremq. in bene meritos animum, fidemq. fratris mei praeſtarem; eumque, quem bonum ciuem ſemper habuiſſet, bonum uirum eſſe pateretur. In illis autem meis actionibus, ſententijsq. omnibus, quae Pompeium uidebantur offendere, certorum hominum, quos iam debes ſuſpicari, ſermones referebantur ad me: qui cum illa ſentirent in rep. quae ego agebam, ſemperq. ſenſiſſent: me tamen non ſatisfacere Pompeio, Caeſaremq. inimiciſſimum mihi futurum gaudere ſe aiebant. Erat hoc mihi dolendum, ſed multo magis illud, quod inimicum meum, meum autem? immo uero legum, iudiciorum, otij, patriae, bonorum omnium, ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fouebant, ſic, me praeſente, oſculabantur, non illi quidem ut mihi ſtomachum facerent, quem ego funditus perdidi, ſed certe ut facere ſe arbitrarentur. Hic ego, quantum humano conſilio efficere potui, circumſpectis rebus omnibus, rationibusq. ſubductis, ſummam feci cogitationum mearum omnium: quam tibi, ſi potero, breuiter exponam. Ego, ſi ab improbis, & perditis ciuibus remp. teneri uiderem, ſicut & meis temporibus ſcimus, & non nullis alijs accidiſſe accepimus; non modo praemijs, quae apud me minimum ualent, ſed ne periculis quidem compulſus ullis, quibus tamen mouentur etiam fortiſſimi uiri, ad eorum cauſſam me adiungerem, ne ſi ſumma quidem eorum in me merita conſtarent. cum autem in rep. Cn. Pompeius princeps eſſet, uir is, qui*

hanc

*hanc potentiam, & gloriam maximis in remp. meritis, praeſtantiſſimusq. rebus geſtis eſſet conſecutus, cuiusq. dignitatis ab adoleſcentia fautor, in praetura autem, & in conſulatu adiutor etiam exſtitiſſem; cumq. idem auctoritate, & ſententia per ſe, conſilijs, & ſtudijs tecum me adiuuiſſet; meumq. inimicum unum in ciuitate haberet inimicum: non putaui famam inconſtantiae mihi pertimiſcendam, ſi quibuſdam in ſententijs paullum me immutaſſem, meamq. uoluntatē ad ſummi uiri, de meq. optime meriti, dignitatem aggregaſſem. In hac ſententia complectendus erat mihi Caeſar, ut uides, in coniuncta et cauſſa, et dignitate. hic multum ualuit cum uetus amicitia, quam tu non ignoras mihi, & Quincto fratri cum Caeſare fuiſſe: tum humanitas eius, ac liberalitas, breui tempore & litteris, & officijs perſpecta nobis, & cognita. Vehementer etiam res ipſa publica me mouit: quae mihi uidebatur contentionem, praeſertim maximis rebus a Caeſare geſtis, cum illis uiris nolle fieri, &, ne fieret, uehementer recuſare. Grauiſſime autem me in hanc mentem impulit & Pompeij fides, quam de me Caeſari dederat, & fratris mei, quam Pompeio. Erant praeterea haec animaduertenda in ciuitate, quae ſunt apud Platonem noſtrum ſcripta diuinitus: Q*VALES *in rep. principes eſſent, tales reliquos ſolere eſſe ciues. Tenebam memoria, nobis conſulibus ea fundamenta iacta ex Kalendis Ian. confirmandi ſenatus, ut neminem mirari oporteret, nonis Dec. tantum uel animi fuiſſe in illo ordine, uel auctoritatis. Idemq. memineram, nobis priuatis uſque ad Caeſarem, & Bibulum cos. cum ſententiae noſtrae magnum in ſenatu pondus haberent, unum fere ſenſum fuiſſe bonorum omnium. Poſtea, cum tu Hiſpaniam citeriorem cum imperio obtineres; neque reſp. conſules haberet, ſed mercatores prouinciarum, & ſeditionum ſeruos, ac miniſtros; iecit quidam caſus caput meum, quaſi certaminis cauſſa, in mediam contentionem, diſſenſionemq. ciuilem. quo in diſcrimine, cum mirifica ſenatus, incredibilis Italiae totius, ſingularis bonorum omnium conſenſio in me tuendo exſtitiſſet; non dicam, quid acciderit; (multorum eſt enim, & uaria culpa) tantum dicam breui, non mihi exercitum, ſed duces defuiſſe. in quo, ut iam ſit in ijs culpa, qui me non defenderunt: non minor eſt in ijs, qui reliquerunt. &, ſi accuſandi ſunt, qui pertimuerunt; magis etiam reprehendendi, qui ſe timere ſimularunt. Illud quidem certe noſtrum conſilium iure laudandum eſt, qui meos ciues, & a me ſeruatos, & me ſeruare cupientes, ſpoliatos ducibus, ſeruis armatis obijci noluerim; declarariq. maluerim, quanta uis eſſe potuiſſet in conſenſu bonorum, ſi ijs pro me ſtante pugnare licuiſſet, cum afflictum excitare potuiſſent. quorum quidem animum tu non perſpexiſti ſolum, cum de me ageres, ſed etiam confirmaſti, atque tenuiſti. Qua in cauſſa non modo non negabo, ſed etiam ſemper & meminero, & praedicabo libenter. uſus es quibuſdam nobiliſſimis hominibus, fortioribus in me reſtituendo, quam fuerant ijdem in tenendo. qua in ſententia ſi conſtare uoluiſſent, ſuam auctoritatem ſimul cum ſalute mea recuperaſſent. recreatis enim bonis uiris conſulatu tuo, & conſtantiſſimis, atque optimis actionibus tuis excitatis, Cn. Pompeio praeſertim ad cauſſam adiuncto, cum etiam Caeſar, rebus maximis geſtis, ſingularibus ornatus, & nouis honoribus, ac iudicijs ſenatus, ad auctoritatem eius ordinis adiungeretur; nulli improbo ciui locus ad rēp. uiolandam eſſe potuiſſet. ſed attende quaeſo, quae ſint conſecuta. Primum illa furta muliebrium religionum: qui non pluris fecerat Bonam deam, quam tres ſorores, impunitatem eſt eorum ſententijs aſſecutus, qui cum tribunus pl. poenas a ſeditioſo ciue per bonos uiros iudicio perſequi uellet, exemplum praeclariſſimum in poſterum uindicandae ſeditionis de rep. ſuſtulerunt; ijdemq. poſtea non meum monumentum, (non enim illae manubiae meae, ſed operis locatio mea fuerat, monumentum uero ſenatus) hoſtili nomine, & cruentis inuſtum litteris eſſe paſſi ſunt. qui me homines quod ſaluum eſſe uoluerunt, eſt mihi gratiſſimum; ſed uellem, non ſolum ſalutis meae, quemadmodum medici, ſed etiam, ut aliptae, uirium, & coloris rationem habere uoluiſſent. nunc, ut Apelles Veneris caput, & ſumma pectoris politiſſima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit: ſic quidam homines in capite meo ſolum elaborarunt, reliquum corpus imperfectum, ac rude reliquerunt. in quo ego ſpem fefelli non modo inuidorum, ſed etiam inimicorum meorum: qui de uno acerrimo, & fortiſſimo uiro, meoq. iudicio, omnium magnitudine animi, & conſtantia praeſtantiſſimo, Q. Metello L. F. quondam falſam opinionem acceperunt: quem poſt reditum dictitant fracto animo, & demiſſo fuiſſe. eſt uero probandum, qui & ſumma uoluntate ceſſerit, & egregia animi alacritate abfuerit, neque ſane redire curaret; eum ob id ipſum fractum fuiſſe animo, in quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum, ſingularem uirum, conſtantia, & grauitate ſuperaſſet. ſed, quod de illo acceperant, aut etiam ſuſpicabantur, de me idem cogitabant, abiectiore animo me futurum: cum reſp. maiorem etiam mihi animum, quam umquam habuiſſem, daret; quae iam declaraſſet, ſeſe non potuiſſe me uno ciue carere: cumq. Metellum unius tribuni pl. rogatio, me uniuerſa reſp. duce ſenatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus, referente conſule, comitijs centuriatis, cunctis ordinibus, hominibus incumbentibus, omnibus denique ſuis uiribus recuperaſſet. Neque uero ego mihi poſtea quidquam aſſumpſi, neque hodie aſſumo, quod quemquam maleuolentiſſimum iure poſſit offendere. tantum enitor, ut neque amicis, neque etiam alienioribus opera, conſilio, labore deſim. Hic meae uitae curſus offendit eos fortaſſe, qui ſplendorem, & ſpeciem huius uitae intuentur, ſollicitudinem autem, & laborem perſpicere non poſſunt. Illud uero non obſcure queruntur in meis ſententijs, quibus ornem Caeſarem, quaſi deſciuerim a priſtina cauſſa. Ego autem cum illa ſequor, quae paullo ante propoſui, tum hoc non in poſtremis, de quo coeperam exponere. non offendes eundem bonorum ſenſum, Lentule, quem reliquiſti: qui confirmatus conſulatu noſtro, non numquam poſtea interruptus, & afflictus ante te conſulem, recreatus abs te totus eſt, nunc ab ijs, a quibus tuendus fuerat, derelictus: idq. non ſolum fronte, atque uultu, quibus ſimulatio facillime ſuſtinetur, ij declarant, qui tum noſtro illo ſtatu optimates nominabantur, ſed etiam ſententia ſaepe iam, tabellaq. docuerunt. itaque tota iam ſapientium ciuium, qualem me & eſſe, & numerari uolo, & ſententia, & uoluntas mutata eſſe debet. id enim iubet idem ille Plato, quem ego auctorem uehementer ſequor:* TANTVM *contendere in rep. quantum probare tuis ciuibus poſſis: uim neque parenti, neque patriae afferre oportere. atque hanc quidē ille cauſſam ſibi ait non*

*attingendae*

attingendae reip. fuiſſe, quod, cum offendiſſet populũ Athenienſem prope iam deſipientem ſenectute; cumq. eum nec perſuadendo, nec cogendo regi poſſe uidiſſet; cum perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe nõ arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quod, neque deſipiente populo, neque integra re mihi ad conſulendum capeſſerem ne remp. implicatus tenebar. ſed laetatus tamen ſum, quod mihi liceret in eadem cauſſa & mihi utilia, & cuiuis bono recta defendere. Huc acceſſit commemoranda quaedam, & diuina Caeſaris in me, fratremq. meum liberalitas: qui mihi, quaſcumque res gereret, tuendus eſſet; nunc in tanta felicitate, tantisq. uictorijs, etiam ſi in nos non is eſſet, qui eſt, tamen ornandus uideretur. ſic enim te exiſtimare uelim; cum a uobis meae ſalutis auctoribus diſceſſerim, neminem eſſe, cuius officijs me tam eſſe deuinctum non ſolum confitear, ſed etiam gaudeam. Quod quoniam tibi expoſui: facilia ſunt ea, quae a me de Vatinio, & de Craſſo requiris. Nam de Appio quod ſcribis, ſicut de Caeſare, te non reprehendere: gaudeo tibi conſilium probari meum. De Vatinio autem, primum reditus interceſſerat in gratiam per Pompeium, ſtatim ut ille praetor eſt factus; cum quidem ego eius petitionem grauiſſimis in ſenatu ſententijs oppugnaſſem, neque tam illius laedendi cauſſa, quam defendendi, atque ornandi Catonis: poſt autem Caeſaris, ut illum defenderem, mira contentio eſt conſecuta. cur autem laudarim, peto a te, ut id a me ne ue in hoc reo, ne ue in alijs requiras; ne tibi ego idem reponam, cum ueneris; tametſi poſſum uel abſenti. recordare enim, quibus laudationem ex ultimis terris miſeris. nec hoc pertimueris. nam a me ipſo laudantur, & laudabuntur ijdem. ſed tamen defendendi Vatinij fuit etiam ille ſtimulus, de quo in iudicio, cum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho paraſitus ſuaderet militi.

,, Vbi nominabit Phaedriam: tu Pamphilam
,, Continuo. ſi quando illa dicet, Phaedriam
,, Comiſſatum intromittamus: tu, Phamphilam
,, Cantatum prouocemus. ſi laudabit haec
,, Illius formam: tu huius contra. denique
,, Par pro pari referto, quod eam mordeat.

ſic petiui a iudicibus, ut quoniam quidam nobiles homines, & de me optime meriti, nimis amarent inimicum meum, meque inſpectante ſaepe eum in ſenatu modo ſeuere ſeducerent, modo familiariter, atque hilare amplexarentur; quoniamq. illi haberent ſuum Publium, darent mihi ipſi alium Publium, in quo poſſem eorum animos mediocriter laceſſitus leuiter repungere. neque ſolum dixi, ſed etiam ſaepe facio dijs, hominibusq. approbantibus. Habes de Vatinio: cognoſce de Craſſo. Ego cum mihi cum illo magna iam gratia eſſet; quod eius omnes grauiſſimas iniurias, communis concordiae cauſſa, uoluntaria quadam obliuione contriueram; repentinam eius defenſionem Gabinij, quem proximis ſuperioribus diebus acerrime oppugnaſſet, tamen, ſi ſine ulla mea contumelia ſuſcepiſſet, tuliſſem; ſed, cum me diſputantem, non laceſſentem, laeſiſſet; exarſi, non ſolum praeſenti, credo, iracundia, (nam ea tam uehemens fortaſſe non fuiſſet) ſed cum incluſum illud odium multarum eius in me iniuriarum, quod ego effudiſſe me omne arbitrabar, reſiduum tamen inſciente me fuiſſet, omne repente apparuit. Quo quidem tempore ipſo quidam homines, & ijdem illi, quos ſaepe nutu, ſignificationeq. appello, cum ſe maximum fructum cepiſſe dicerent ex libertate mea, meq. tum denique ſibi eſſe uiſum reip. qualis fuiſſem, reſtitutum; cumq. ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tuliſſet; gaudere ſe dicebant, mihi & illum inimicum, & eos, qui in eadem cauſſa eſſent, numquam amicos futuros. quorum iniqui ſermones cum ad me per homines honeſtiſſimos perferrentur; cumq. Pompeius ita contendiſſet, ut nihil umquam magis, ut cum Craſſo redirem in gratiam, Caeſarq. per literas maxima ſe moleſtia ex illa contentione affectum oſtenderet: habui non temporum ſolum rationem meorum, ſed etiam naturae: Craſſusque, ut quaſi teſtata populo R. eſſet noſtra gratia, paene a meis laribus in prouinciam eſt profectus. nam, cum mihi condixiſſet, cenauit apud me in mei generi Craſſipedis hortis. quamobrem eius cauſſam, quod te ſcribis audiſſe, magna illius commendatione ſuſceptam, defendi in ſenatu, ſicut mea fides poſtulabat. Accepiſti, quibus rebus adductus, quamq. rem, cauſſamq. defenderim; quiq. meus in rep. ſit pro mea parte capeſſenda ſtatus. de quo ſic uelim ſtatuas; me haec eadem ſenſurum fuiſſe, ſi mihi integra omnia, ac libera fuiſſent. nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes; neque delendum, etiam ſi id fieri poſſet, ſummorum ciuium principatum; neque permanendum in una ſententia, conuerſis rebus, ac bonorum uoluntatibus immutatis; ſed tẽporibus aſſentiendũ. NVMQVAM enim praeſtantibus in rep. gubernanda uiris laudata eſt in una ſentẽtia perpetua permanſio. ſed, ut in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiam ſi portum tenere non queas; cum uero id poſſis, mutata uelificatione, aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quẽ ceperis, potius, quam, eo commutato, quo uelis, tamen peruenire: ſic, cum omnibus nobis in adminiſtranda rep. propoſitum eſſe debeat, id quod a me ſaepiſſime dictum eſt, cum dignitate otium; NON idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus. Quamobrẽ, ut paulo ante poſui, ſi eſſent omnia mihi ſolutiſſima; tamen in rep. non alius eſſem, atque nunc ſum. cum uero in hunc ſenſum & alliciar beneficijs hominum, & compellar iniurijs; facile patior ea me de rep. ſentire, ac dicere, quae maxime cum mihi, tum etiam reip. rationibus putem conducere. Apertius autem haec ago, ac ſaepius; quod & Quinctus, frater meus, legatus eſt Caeſaris, & nullum meum minimum dictum, non modo factum, pro Caeſare interceſſit, quod ille non ita illuſtri gratia exceperit, ut ego eum mihi deuinctum putarem. itaque eius omni & gratia, quae ſumma eſt, & opibus, quas intelligis eſſe maximas, ſic fruor, ut meis. nec mihi aliter potuiſſe uideor hominum perditorum de me conſilia frangere, niſi cum praeſidijs ijs, quae ſemper habui, nunc etiam potentium beneuolentiam coniunxiſſem. His ego conſilijs ſi te praeſentem habuiſſem; ut opinio mea fert, eſſem uſus eiſdem. noui enim temperantiam, & moderationem naturae tuae: noui animum cum mihi amiciſſimum, tum nulla in ceteros maleuolentia ſuffuſum, contraq. cum magnum, & excelſum, tum etiam apertum, & ſimplicem. uidi ego quoſdam in te tales, quales tu eoſdem in me uidere potuiſti. quae me mouerunt, mouiſſent eadem te profecto. ſed, quocumque tempore mihi poteſtas praeſentis tui fuerit, tu eris omnium moderator conſiliorum meorum: tibi erit eidem, cui ſalus mea fuit, etiam dignitas curae. me quidem certe tuarum actionum, ſententiarum, uoluntatum, rerum denique omnium ſocium, comitemq. habebis: neque mihi

in omni

*in omni uita res tam erit ulla propoſita, quam ut quotidie uehementius, te de me optime meritum eſſe, laetere. Quod rogas, ut mea tibi ſcripta mittam, quae poſt diſceſſum tuum ſcripſerim: ſunt orationes quaedam, quas Menocrito dabo, neque ita multae, ut pertimeſcas. ſcripſi etiam, (nam etiam ab orationibus diſiungo me fere, referoq. ad manſuetiores muſas, quae me maxime, ſicut iam a prima adoleſcentia delectarunt) ſcripſi igitur Ariſtotelico more, quemadmodum quidem uolui, tres libros in diſputatione, ac dialogo, de Oratore: quos arbitor Lentulo tuo fore non inutiles: abhorrent enim a communibus praeceptis, & omnem antiquorum & Ariſtotelicam, & Iſocraticam rationem oratoriam complectuntur. ſcripſi etiam uerſibus tres libros de temporibus meis: quos iampridem ad te miſiſſem, ſi eſſe edendos putaſſem: ſunt enim teſtes, & erunt ſempiterni meritorum tuorum erga me, meaeq. in te pietatis. ſed, quia uerebar, non eos, qui ſe laeſos arbitrarentur, (etenim id feci parce, & molliter) ſed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. quos tamen ipſos libros, ſi quem, cui recte committam, inuenero, curabo ad te perferendos. Atque iſtam quidem partem uitae, conſuetudinisq. noſtrae totam ad te defero. quantum litteris, quantum ſtudijs, ueteribus noſtris delectationibus, conſequi poterimus, id omne ad arbitrium tuum, qui haec ſemper amaſti, libentiſſime conferemus. Quae ad me de tuis rebus domeſticis ſcribis, quaeq. mihi commendas, ea tantae mihi curae ſunt, ut me nolim admoneri, rogari uero ſine magno dolore uix poſſim. Quod de Quincti fratris negotio ſcribis, te priore aeſtate, quod morbo impeditus in Ciliciam non tranſieris, conficere non potuiſſe, nunc autem omnia facturum, ut conficias: id ſcito eſſe eiuſmodi, ut frater meus uere exiſtimet, adiuncto iſto fundo patrimonium fore ſuum per te conſtitutum. Tu me de tuis rebus omnibus, & de Lentuli tui, noſtriq. ſtudijs, & exercitationibus uelim quam familiariſſime certiorem, & quam ſaepiſſime facias; exiſtimesque, neminem cuiquam neque cariorem, neque iucundiorem umquam fuiſſe, quam te mihi; idque, me, non modo ut tu ſentias, ſed ut omnes gentes, etiam ut poſteritas omnis intelligat, eſſe facturum. Appius in ſermonibus antea dictitabat, poſtea dixit etiam in ſenatu palam, ſe ſe, ſi licitum eſſet legem curiatam ferre, ſortiturum eſſe cum collega prouinciam; ſi curiata lex non eſſet, ſe paraturum cum collega, tibiq. ſucceſſurum: legem curiatam conſuli ferri opus eſſe, neceſſe non eſſe: ſe, quoniam ex S. C. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introiſſet. ego, quid ad te tuorum quiſque neceſſariorum ſcribat, neſcio: uarias eſſe opiniones intelligo. ſunt, qui putant poſſe te non decedere, quod ſine lege curiata tibi ſuccedatur: ſunt etiam, qui, ſi decedas, a te relinqui poſſe, qui prouinciae praeſit. mihi non tam de iure certum eſt, (quamquam ne id quidem ualde dubium eſt) quam illud, ad tuam ſummam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te ſcio libentiſſime ſolere frui, pertinere, te ſine ulla mora prouinciam ſucceſſori concedere; praeſertim cum ſine ſuſpicione tuae cupiditatis non poſſis illius cupiditatem refutare. ego utrumque puto meum eſſe; &, quod ſentiam, oſtendere; &, quod feceris, defendere.*

S C R I P T A *iam epiſtola ſuperiore, accepi tuas litteras de publicanis: quibus aequitatem tuam non potui non probare. felicitate autem, quod uellem, conſequi potuiſſes, ne eius ordinis, quem ſemper ornaſti, rem, aut uoluntatem offenderes. equidem non deſinam tua decreta defendere: ſed noſti conſuetudinem hominum: ſcis, quam grauiter inimici illi ipſi Q. Scaeuolae fuerint. tibi tamen ſum auctor, ut, quibus rebus poſſis, eum tibi ordinem aut reconcilies, aut mitiges. id etſi difficile eſt, tamen mihi uidetur eſſe prudentiae tuae. Vale.*

## E X P L A N A T I O

L E N T V L O . I M P. } re bene geſta, qui ab exercitu imperator erat appellatus, litteras ſuas imperatoris nomine inſcribebat: quod Cicero fecit ep. 10. lib. 2. ſimiliter, qui ad eũ ſcribebant, imperatorem appellabant: propterea ſuperiores litterae inſcribuntur, Lentulo proconſuli, uictoria nondum certa, hae uero, imperatori, cum plane cognita res eſſet. G R A V I S S I M V M, } quod tamen ſua grauitate tuorum in me meritorum pondera non acquat. S A N C T I S S I M V M } proprie enim de diis uſurpatur, inde transfertur in patriam, in parentes, in optime meritos. ep. I. A B V N D A N T I A *quadam amoris, ut etiam grata ſint ea,* } uera laus liberalitatis in eo ſita eſt, cum ita beneficium damus, ut ab eo, qui accipit, non modo fructum, aut mercedem ullam non exigamus, ſed ne exſpectemus quidem. hac laude Cicero ornat Lentulum: ſed adiungit alteram, humanitatis uidelicet, cum ſtudia ſua non modo ab eo non exſpectari ſignificat, ſed grata etiam eſſe, neque grata ob eam cauſſam, quod utilitatem, uel honorem pariant, ſed propter quandam amoris abundantiam, ſignificat. S I N E *nefario ſcelere* } peccat, qui gratiae referendae occaſionem praetermittit: ſed nec, quicumque peccat, ſceleratus eſt; nec omnia ſcelera nefaria ſunt. Oſtendit igitur Cicero magnitudinem eius beneficij, quod a Lentulo acceperit, cum ait: Ea ſtudia ita a ſe deberi, ut praetermitti ſine neferio ſcelere non poſsint. N O T I O R, *atque illuſtrior* } geminatio uerborum idem ſignificantium, (πλεοναςμὸν rhetores appellant,) modo uirtus eſt, ubi ſententiam auget, uel ornat; modo uitium, ubi neutrum: quo de utroque genere lib. IIX. & IX. diſputat Quintilianus. hic non eſt otioſum, Illuſtrior: addit enim ad ſententiam: quia nota multa ſunt nec tamen illuſtria. ornat autem, quia translata uerba quiddam habent magnificentius, quam propria, & orationem, ut ait Cicero in Oratore, quaſi ſtellae quaedam illuſtrant. H O C *tempore omni* } triennium. nam ante biennium Lentulus, conſulatu functus, iuerat in Ciliciam, manſitq. ad Caluinum, & Meſſallam conſulem: quo anno ſucceſsit ei App. Claudius. O S T E N D I S } uerbis ſignificas. ſic ep. 2. Ceteris in rebus ſe acerrimum tui defenſorem fore oſtendit. P O T E S, } oſtendis, inquit, futurum, ut opiniones noſtrae conſentiant in capeſſenda rep. idq. potes, quia me tuarum actionum, ſententiarum, uoluntatum ſocium, comitemq. habebis.

bebis. Hoc in extrema fere epiſtola. VEHEMENTER *exſpecto,*} propter mutuam beneuolentiam, & opinionum ſimilitudinem. IN *ſententijs ſenatorijs,*} omiſſa populi mentione, ſenatum nominat: cuius cauſſam optimates tuebantur; cum leues, & improbi ciues populi gratiam ſectarentur. ACTIONE, *atque adminiſtratione reip.*} latius patebat, Actione; contraxit igitur, & a toto actionum genere tranſit ad eam partem, in qua Lentulo notior, & illuſtrior eius animus eſſe potuiſſet. id autem erat, reip. adminiſtratio: cum qua ſequens uerbum, Floruiſſemus, apte congruit. FLORVISSEMVS:} coniunctis enim duorum conſularium ſententijs, utrique dignitas comparatur. OSTENDAM *equidem*} ut intelligas, me non aliter, ac debeam, ſentire. uerumtamen, ſi tu affuiſſes, nihil ſine conſilio tuo feciſſem, te auctore prorſus in omnibus rebus uſus eſſem. AVCTORE} ſecutus eſſem uoluntatem tuam in reconciliand a cum Caeſare, Appio, Vatinio gratia. AMICISSIMO, *ac ſapientiſſimo,*} cur ei non obtemperem, atque obſequar, qui & omnia mea cauſſa uult, & ita excellit ſapientia, ut errare non poſsit? hoc enim ſimul utrumque requiritur in eo, qui conſilium dat. FIDELI *quidem, & beneuolo*} fides, & amor a conſiliario poſtulantur. non enim praeſtare fidem, quod probitatis eſt, uidetur ſatis: ſed agere etiam oportet ea diligenter, quae ad rem pertinere ducimus; quod amoris eſt. ita, cum beneuolentiam, & ſapientiam Lentulo tribuerit, ei ſe comparat in beneuolentia: quod amabile potius, quam odioſum eſt: ſapientiam uero nec eandem ſibi arrogat, nec tamen omnino detrahit, cum ait, Fortaſſe non imperitiſsimo. TVA *quidem cauſſa,*} nam mea te adeſſe maluiſſem. Expreſsit egregie ep. 1. lib. 2. eandem ſententiam his uerbis: Ego, te abfuiſſe tam diu a nobis, & doleo, quod carui fructu iucundiſsimae conſuetudinis tuae; & laetor, quod, abſens, omnia cum maxima dignitate es conſecutus. IMPERATOREM,} appellatum ab exercitu. ep. 10. lib. 2. BENE *geſtis rebus*} materiam triumphandi rectores prouinciarum ex finitimarum gentium bellis quaerebant. Ttriumphauit Lentulus ex Cilicia, non ſtatim ad urbem reuerſus, ſed poſt aliquot menſes: id quod ex eo loco ep. 21. lib. v. ad Att. licet intelligere: Acceperam ſatis celeriter Iconij per publicanorum tabellarios a Lentuli triumpho datas. VBERIORES, *& praeſtantiores*} apte poſt copiam ſubiungitur magnitudo: idq. Cicero ſaepe facit. cum igitur ad ſententiam, & Ciceronis conſuetudinē, accedat ueterum aliquot librorū auctoritas; uerbum, Praeſtantiores, in Praeſentiores, quod alij maluerunt, cōmutare uiſum nō eſt. VLCISCENDIS,} dicimus, Vltus eſt inimicum, ut hic, & Vltus eſt ſeſe, ut paullo poſt, ſenſu eodem. ſignificat autem eos, qui ſe in reductione Ptolemaei regis aduerſarios Lentulo praebuerant. INIMICOS *eſſe*} populares ciues hic ſignificat; optimates autem, cum ſubiungit, Inuidere: quod utrumque genus ſaepe notat in his epiſtolis. PROPVGNATIONEM} in conſulatu. ACTIONIS} cum me conſul uirtute, & conſtantia in patriam ab exſulio reduxiſti. PERENNIS *inimicus*} cum ſequatur, In te potiſsimum, C. Catonem hunc eſſe, poſsit aliquis iure ſuſpicari, qui biennio ante tribunus pl. rogationem tulerat, ut imperium Ciliciae Lentulo abrogaretur. ep. 5. FRACTAM} a conſequentibus nominantur multa: ut hic, Fractam uim, Cicero appellat, quia Lentulo non nocuit. exitus enim, quam infirma uis eius eſſet, oſtendit. DEBILITATAM} tranſlatis illuſtratur oratio. haec autem duo, Frangi, & Debilitari, ſaepe Cicero coniungit, ut ep. 13. lib. v. Circumſpice omnia membra reip. nullum reperies profecto, quod non fractum, debilitatum ue ſit. & ep. 1. lib. 1. ad fratrem: Animos noſtros frangi, & debilitari moleſtia non oportet. Et pro Flacco: Quae urbs auctoritate tanta eſt, ut iam fractum prope, ac debilitatum Graeciae nomen huius urbis laude nitatur. NOSTRAM *uicem*} quod ad nos pertinuit, quod ipſi facere debuimus. ſic, Doleo tuam uicem, ueteres dicebant, pro, quod ad te pertinet. Et Plautus in Capt. Neque ullum pol de hac re negotium eſt, Quin male occidam, oppetamq. peſtem, heri uicem mei. VLTVS *eſt ipſe ſeſe:*} ſe ipſe puniuit, poenas ipſe ſibi eas intulit, quas inferre nos debuimus. NE *libertatis quidem*} ut ei ne liberum quidem ſit in publico uerſari; uel quod ſcelus aliquod inſigne committere uoluerit: uel quod reuocatus in iudicium ſit; cum, defendente Scauro, hoc ipſo anno, ut Pedianus docet, Quinctili menſe abſolutus eſſet. certe cum propter alia flagitia, tum eo nomine inuiſum eſſe optimatibus oportuit, quod tribunus pl. interceſſerat, ne conſules Marcellinus, *&* Philippus comitia conſularia habere poſſent. ex quo ſenatus, ad maerorem indicandum, ueſtem mutauit. epitome Liuiana lib. cv. quo magis haec ſuſpicor ad eum attinere: nam de P. Clodio quidem, Ciceronis, & Lentuli inimico, uix crediderim. non enim hoc in eum conuenit, Nullam ſibi libertatis partem reliquit. id enim quale eſſet, uel ipſius ſcripta Ciceronis, ad obijciedum parati, uel monumenta annalium oſtenderent. Porro tantum abeſt, ut omnes libertatis partes Clodius amiſerit, ut etiam priſtinam dignitatem retinuerit, quippe qui de petenda ſuo anno praetura, ideſt biennio poſt aedilitatem ab eo geſtam, cogitauerit. quod Cicero in oratione pro Milone teſtatum reliquit. IN. MEIS *rebus expertum,*} quod dixit ep. 5. Te uidere, & ſentire eandem fidem hominum in tua dignitate, quam ego in mea ſalute ſum expertus, ex tuis litteris intellexi. IN. MOLESTIA *gaudeo,*} Figura quaedam ex miſtione contrariorum orationi uenuſtatem concilians: quae niſi pluribus oſtendatur exemplis, fortaſſe non facile dabitur imitandi facultas. nobis autem, hunc interpretandi laborem ſuſcipientibus, id maxime propoſitum fuit, ut adoleſcentes, pro uiribus ingenij noſtri, commodiore quadam quaſi uia ad aliquam eloquentiae laudem perduceremus. Duplex igitur haec figura eſt. aut enim cum ſignificatione doloris, & moleſtiae, coniungitur gaudium, & conſolatio; aut cōtra, gaudij, conſolationisq. ſignificationem dolor, & moleſtia ſequitur. Primum genus hoc exemplo declaratur, In moleſtia gaudeo. Et ep. 14. lib. 2. ad Q. Fr. Se effecturum, ut ego in medio dolore, ac deſiderio tui, te, cum a me abeſſes, potiſsimum ſecum eſſe laetarer. Nec diſsimile illud ep. 6. Me in ſummo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime ſcilicet conſolatur ſpes, quod ualde ſuſpicor fore, ut infringatur hominum improbitas. Aut illud

ep. 15. lib. 1. ad Atticum: In iſta incommoditate alienati illius animi,& offenſi,illud ineſt tamen commodi. Aut ep.26.lib.XI. In maximo meo dolore, hoc ſolatio utor. Alterum genus agnoſcitur ep.21. lib. XV. Sed tamen in ea uoluptate, hunc accepi dolorem. Ep.8. lib. XVI. In magna conſolatione, ingens ineſt ſollicitudo. Ep.9. lib.2. ad Q. Fr. Nunc mihi iucunditatis plena epiſtola hoc aſperſit moleſtiae. Pertinere uidetur ad hoc genus & illud ep.16.lib.2. Haec adſperſi, ut ſcires, me tamen in ſtomacho ſolere ridere. NON. ITA *magna mercede,*} quod explanauit ep.6. Minore in re uiolatur tua dignitas, quam mea ſalus afflicta ſit. & ep.7. Multum intereſt, utrum laus imminuatur, an ſalus deſeratur. MAXIMO *dolore* } afflicta ſalute, cum eiectus patria ſum. DE. QVA *ratione*} ut intelligas, quam incerta ſit hominum fides. quae me cauſſa de uetere illa mea, diuturnaq. ſententia prope iam depulit, & cum inimicis in gratiam reduxit. Hoc Cicero ſignificat, ut conſilij ſui mutationem, cuius cauſſam Lentulus quaeſierat, excuſet. CVM *Caeſare, & cum Appio*} quos antea inimicos diuerſis nominibus habuerat, Appium, P.Clodij, fratris ſui, gratia; Caeſarem,quod in quodam iudicio, de ſtatu temporum paullo liberius locutus, eius animum offenderat. de quo Suetonius haec: Cicerone in iudicio quodam temporũ ſtatum deplorante,P.Clodium,inimicum eius, fruſtra iam pridem a patribus ad plebem tranſire conantem, eadem die, horaq. nona traduxit. Idem ipſe confirmat in oratione pro domo: Hora fortaſſe ſexta diei queſtus ſum in iudicio, cum C.Antonium collegam meum defenderem, quaedam de rep.quae mihi uiſa ſunt ad illius miſeri cauſſam pertinere. haec homines improbi ad quoſdam uiros fortes, longe aliter, atque a me dicta erant,detulerunt. hora nona,illo ipſo die,tu es adoptatus. Et in oratione de prouincijs: Traduxit ad plebem inimicum meum, ſiue iratus mihi, quod me ſecum ne beneficijs quidem uidebat poſſe coniungi, ſiue exoratus. Idem Plutarchus, Dio, alij. ESSE *ingratia;*} audierat Lentulus, Ciceronem de commodis, & ornamentis Caeſaris maxime omnium in ſenatu laboraſſe. decreuerat enim ei ſua ſententia ſupplicationes quindecim dierum, quod ante contigerat nemini; ſtipendium, & decem legatos: praeterea, cum de ſucceſsione Galliarum ageretur, luculentam habuerat de conſeruanda Caeſari utraque Gallia orationem, quae nunc exſtat, inſcripta, De prouincijs conſularibus. TEQ. ID *non reprehendere* } offenſus Lentulus ijsdem, quibus Cicero, uitijs optimatum, inuidia ſcilicet, atque obtrectatione, nouam Ciceronis cum inimicis coniunctionem, maximeq. cum Caeſare, populi gratia florentiſsimo, non improbabat. Scripſerat enim ad eum Cicero cum alia de amicorum perfidia, tum illud epiſt. 7. In te homine omnium nobiliſsimo, ſimilia inuidorum uitia perſpexi. VATINIVM} quem maxime oderat, & reip. cauſſa, & ſua: quod primum tribunus pl. contra ſenatus uoluntatem multa commiſerat; deinde teſtimonium dixerat in P.Sextium, cuius in primis opera Cicero in patriam redierat. Exſtat in Vatinium oratio. DEFENDERIM,} defendit rogatu Caeſaris: ut infra. ipſe etiam Vatinius ep.9. lib.V. defenſum ſe a Cicerone,eiusq. patrocinio periculum euaſiſſe ſignificat. Valerius Max.lib.IV. cap.2. Cicero P. Vatinium, dignitati ſuae ſemper infeſtum, duobus publicis iudicijs tutatus eſt. LAVDARIM.} defendebant reos patroni,laudabant uiri nobiles,ut eorum auctoritas ac teſtimonium quaſi commendaret eos iudicibus. paullopoſt: Cum Pomponius,ut laudaret P. Sextium, introijſſet in urbem. Et M.Scaurum, quem Cicero defendit, laudatum a nouem conſularibus, in Aſconio legimus. EGO ME,} haec tota narratio ad euitandam leuitatis, & inconſtantiae culpam pertinet. oſtendit enim Cicero, ſe in patriam redijſſe ita animatum,ut & cum quibus, & contra quos antea,cum ijſdem, & contra eoſdem in capeſſenda rep.ſentiret: ſed eum ſibi animum,eamq. ſententiam inuidia, & obtrectatione quorundam ſibi eſſe ereptam. probat hoc exemplis,quod in Sextij iudicio, ſedente Cn. Pompeio,non reputans quid ille, aut quid Caeſar uellet, contra utrumque ſuam priſtinam dicendi libertatem retinuerit, maxime uero, quod de agro Campano diuidendo ſententiam dixerit eam, quae Caeſarem, & Pompeium, eius generum,optime de ſe meritos offendit. INITIO *rerum, atque actionum tuarum.*} non,quo primum tempore Lentulus de eo reſtituendo coepit agere, ſed cum primum reſtitutus eſt; ut e ſequentibus apparet. dicit enim, Initio actionum tuarum, pro, initio reditus mei, qui actio tua fuit. REIP.} ut in ea tuenda priſtinam conſuetudinem ſeruarem. QVENDAM} hoc uerbo amoris magnitudo tanta declaratur, quantam uerbis exprimere non licet. ſic enim loquimur, ubi conceptam animo ſententiam enunciare, atque oſtendere pro uoluntate non poſſumus. ep.1.lib.2. Incredibilis quaedam exſpectatio. in hac, infra: Commemoranda quaedam, & diuina Caeſaris liberalitas. IN *te ipſum*} non ſolum in remp. SVMMA, *ac ſingularia*} poſſunt enim eſſe ſumma, nec tamen ſingularia. Sunt enim ſumma, quibus nulla maiora; ſingularia, quae omnium maxima. STVDIA} amorem, & ſtudia nominat, quia nec amorem ſemper ſtudia comitantur, praeſertim ſumma,& ſingularia, nec ſemper ſtudijs amor, praeſertim incredibilis, adiunctus eſt. DEBEREM,} & hic augetur ſententia. dixi, amorem interdum ſine ſtudijs eſſe,ſtudia ſine amore: iure igitur utrumque Cicero coniunxit. nunc addo, eum, qui & amet incredibiliter, & ei, quem amat, ſumme faueat interdum hoc facere ſua ſponte, non beneficio adductum: quo minor eum, ſi ab illla uoluntate diſcedat, ſequitur infamia. maior igitur ab eo exſpectanda conſtantia, qui amat eum, cui plurimum debet; cum intelligat, ſibi non inconſtantiae modo famam, ſed ingrati quoque animi crimen pertimeſcendum. MVLTVM. ADIVVISSET,} cum enim omnes magiſtratus una cum Lentulo de ſalute Ciceronis promulgarint, in eoq. omnes ordines, hominesq. contenderint, ideo reſtitutus ab ipſa rep. Cicero uidetur. COMMVNI *officio ciuium,*} erga patriam; cui naſcimur, ut dixit Plato. DEBITVM *praeſtitiſſem.*} proprie coniungitur uerbum, Praeſto, cum ijs rebus, quibus agendis aut ſidei ſatisfacimus, ut cum aliquid promittitur, aut officio, ut cum patriae, amicis, bonis uiris opitulamur. HAC *me mente fuiſſe,*} idem erat, ſi copiam quaerimus, hoc animo, hoc ſenſu, hac ſententia: idem etiam, ut uarietur loquendi genus, hanc mihi menten fuiſſe: unde illud Salluſtianum; Longe mihi

alia

alia mens eſt. TE . CONSVLE } per quattuor menſes, eoq. amplius: redijt enim in patriam Cicero Sextili menſe: quod oſtendit ep. I. lib. IV. ad Att. AVDIVIT, } cum ſententiam dicerem. non enim reputans, quid Pompeius uellet, aut ſocer eius Caeſar, in omnibus meis ſententijs de rep. priſtinis permanebam. COLLOCVTIONIBVS, } collocutio, inter duos eſt; ſermo, & inter duos eſſe, & patere latius poteſt. & collocutio ſermonem ab arbitris remotum, priuatim, & paullo ſecretiore loco habitum, uidetur indicare; ſermo autem, licet inter duos habeatur, celebri tamen eſſe loco poteſt. itaque maior quaedam in collocutione, quam in ſermone, res uidetur agi: ſecreto enim colloquentes, intimum animi ſenſum liberius, quam in publico, patefaciunt. ILLIS, } ante triennium. conſules enim fuerant poſt reditum Ciceronis Marcellinus, & Philippus; Pompeius, & Craſſus; Appius, & Domitius, quorum paene peractum eſſe conſulatum, ſignificat in extrema epiſtola mentio Appij, Lentulo ſuccedere cupientis. RELIQVA *noſtra dignitate*, } pertinebat enim ad eius dignitatem, ſi & donum ſuam recuperaret; & poſt reditum ſuum domo pulſus a Clodio, ultorem eius iniuriae ſenatum haberet; & in damnis rei domeſticae ſarciendis paullo liberaliorem optimatum uoluntatem experiretur. NONNVLLORVM }. eorum, qui de reditu eius laborauerant: quos ita offendit Ciceronis cum Pompeio, & Caeſare multis rebus declarata reconciliatio, ut alij priſtinum ſtudium magna ex parte depoſuerint, alij odium etiam aduerſus Ciceronem ſuſceperint. cum enim grauiſsimum, & acerrimum eius inimicum, P. Clodium amplexarentur, in manibus haberent, fouerent, ipſo praeſente oſcularentur; argumento id quidem erat, Ciceronem eis eſſe odio; licet palam non profiterentur. Nec dubium eſt, Catonem, & Bibulum in primis ſignificari, qui non modo Caeſarem, ſed Pompeium etiam, Caeſaris cauſſa, uehementer oderant. DE *monumentis meis* } de domo. quae cum Ciceroni ſit reſtituta, quod multis locis conſtat; poſsit aliquis quaerere, cur Lentulum dicat adiutum in ea non eſſe. tollitur dubitato, ſi reſtitutam quidem Ciceroni domum intelligamus, partem tamen quandam, in qua ſuum nomen Clodius inſcripſerat, non eſſe reſtitutam: quam opinionem adiuuant illa, quae ſequuntur aliquanto poſt: Iidemq. poſtea non meum monumentum, (non enim illae manubiae meae, ſed operis locatio mea fuerat, monumentum uero ſenatus) hoſtili nomine, & cruentis inuſtum litteris eſſe paſsi ſunt. CVM *fratre eram domo expulſus*: } expulſi erant fabri de area, in qua domum Ciceronis aedificabant. qua tota de re ſic ep. 3. lib. IV. ad Att. Armatis hominibus ante diem III. Non. Nou. expulſi ſunt fabri de area noſtra, diſturbata porticus Catuli, quae ex S. C. conſulum locatione reficiebatur, & ad tectum paene peruenerat. Quincti fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area noſtra, deinde inflammata iuſſu Clodij, inſpectante urbe, coniectis ignibus, magna querella, & gemitu, non dicam bonorum, qui, neſcio, an ulli ſint, ſed plane hominum omnium. EX *auctoritate ſenatus* } e S. C. factum enim erat S. C. placere domum Ciceroni reſtitui, porticum Catuli locari. de quo in ep. 2. lib. IV. ad Att. Auctoritatem autem ſenatus pro S. C. interdum uſurpari, diximus in ep. 2. RESARCIENDIS } quod enim Clodius euerterat, id cum ſenatus publico ſumptu aedificandum cenſuiſſet, aeſtimarunt conſules de conſilij ſententia, quanti fuiſſet aedium ſuperficies: neque hoc ſolum, ſed quanti etiam fuiſſent uillae, Tuſculana, & Formiana, euerſae ab eodem Clodio. quam Cicero aeſtimationem in domo non improbat, in uillis accuſat ep. 2. lib. IV. ad Att. Poſtridie, inquit, S.C. factum eſt, id, quod ad te miſi: deinde conſules porticum Catuli reſtituendam locarunt: illam porticum redemptores ſtatim ſunt demoliti, libentiſsimis omnibus. nobis ſuperficiem aedium conſules de conſilij ſententia aeſtimarunt H-S uicies, cetera ualde illiberaliter, Tuſculanam uillam quingentis millibus, Formianum H-S ducentis quinquaginta millibus. quae aeſtimatio non modo uehementer ab optimo quoque, ſed etiam a plebe reprehenditur. QVAE *cum uiderem; neque enim erant obſcura;* } ſimiliter locutus in oratione pro Sextio: Haec ego cum uiderem: neque enim erant occulta. Et in Agraria II. Quae cum ego non ſolum ſuſpicarer, ſed plane cernerem: neque enim erant obſcura. Imitatus eſt fortaſſe Demoſthenem, qui ſic in oratione περὶ τοῦ στεφάνου: Ταῦτα ὁρῶν, (οὐ γὰρ ἦν ἀφανῆ.) QVAM . ERANT *illa grata*, } inuitum ſe de priſtina ſententia depulſum eſſe, et, omiſſa optimatum cauſſa, ſuam uoluntatem, ad popularium ciuium, optime de ſe meritorum, dignitatem aggregaſſe, probat hoc argumento, quod licet in quibuſdam non eam, quam exſpectarat, uoluntatem agnouerit, illico tamen de uetere ſuorum inſtitutorum curſu ad noua conſilia non deflexerit. eſt enim boni uiri, de rep. uehementius, quam de ſuis rebus, ac de ſe ipſo, laborare. QVAE *fecerant*. } pro ſalute mea. decet enim, maiorem haberi rationem beneficij, quam iniuriae. TESTE, } qui ſtudium illius in mea ſalute uideras. SED *amore etiam*, } non amamus pariter, quibus debemus, & quos, etiam ſi nullum ab ijs beneficium acceperimus, amandos tamen eſſe iudicamus. Amabam, inquit, Pompeium, ante quam ei obligatus eſſem, iudicio meo, quod habui ſemper de illius uirtute, permotus. QVID *ille uellet*, } uolebat idem, quod Caeſar, uel affinitatis cauſſa, quod eius filiam in matrimonio habebat; uel quorundam optimatum impulſus iniurijs. de quo ſic ep. 8. Dignitas illa conſularis amiſſa eſt culpa eorum, qui a ſenatu & ordinem coniunctiſsimum, & hominem clariſsimum abalienarunt. PRISTINIS } quod ante exſulij mei calamitatem ſenſeram, reuerſus in patriam idem ſenſi. EGO, } tria ponit exempla, quibus probet libertatem ſuam in dicenda ſententia. SEDENTE *Cn. Pompeio*, } in iudicio, cum defenderet Sextium Cicero, de ui accuſatum ab Albinouano. exſtat oratio. SEXTIVM, } Sextij plebeij, Seſtij patricij. lapides Capitolini, & nummi ueteres. INTROIISSET *in urbem*; } quod ut ei ſaluis legibus liceret, a ſenatu impetrauerat. alioqui, eum eſſet cum imperio frumentariae curationis cauſſa, urbem introire non poterat. TESTIS *Vatinius*, } teſtis in Sextium; de quo in oratione, quam in eum Cicero habuit. AMICVM *eſſe coepiſſe*; } Marcellino enim, & Philippo cos. quo anno Sextius de ui cauſſam dixit, decreuit Cicero ſua ſententia Caeſari ſupplicationes quindecim

dierum, ſtipendium, decem legatos ; ut in oratione de prouincijs. BIBVLI} quem Vatinius tribunus pl. & Caeſar conſul exire domo prohibuerant, ne Caeſaris acta impediret. Cicero, Suetonius, Plutarchus, Appianus, Dio. OMNIVM *triumphis, uictorijsq. anteferre;* } triumphis Pompeij; uictorijs, Caeſaris. EODEM *teſte*} Pompeio. EOSDEM *eſſe,* } his uerbis nec ipſi Pompeio pepercit. is enim pro Caeſare conſule contra Bibulum, eius collegam, omni non ſolum ſtudio, ſed etiam contentione dimicauit, Plutarchus, & alij. INTERROGATIO} oratio in Vatinium interrogatio eſt. ep. 4. lib. 2. ad fratrem: Vatinium, a quo palam Sextius oppugnabatur, arbitratu noſtro concidimus. Videtur Vatinius reſpondiſſe Ciceroni. nam eius oratio, in qua ſcurram conſularem Ciceronem uocauit, nominatur a Macrobio lib. 2. Sat. ILLIVS *tribunatus;*} quem geſsit Caeſare conſule. DE VI,} qua Bibulum obnunciantem foro expulit, atque etiam in uincula ducere conatus eſt. Cicero, Suetonius, Plutarchus, alij. DE. AVSPICIIS,} quibus neglectis, leges pro Caeſare Vatinius tulit. plena omnis hiſtoria. DE. DONATIONE *regnorum,*} puto id ſignificari, quod in oratione in Vatinium ita ſcriptum eſt: Volo uti mihi reſpondeas, feceris ne foedera tribunus pl. cum ciuitatibus, cum regibus, cum tetrarchis? HAC *in cauſſa*} P. Sextij. IN. SENATV.} cum ſententiam diceret. MARCELLINO, *& Philippo cos.*} ſuſpicor hoc abundare. cur enim annus nominibus conſulum notetur: cum & haec proxima ſuperiora eodem anno dicta ſint? NONIS. APR.} de quo ſic ep. 5. lib. 2. ad fratrem: Nonis Apr. uehementer actum de agro Campano, clamore ſenatus prope concionali. DE. AGRO *Campano referretur.*} hoc Caeſari ac Pompeio uehementer diſplicuiſſe, ex ijs, quae Cicero ſubiungit, licet intelligere. ſi cauſſa quaeritur, haec eſt. legem tulerat Caeſar in conſulatu de agro Campano diuidendo, diuiſitq. extra ſortem uiginti millibus ciuium, quibus terni, pluresue liberi eſſent. quod ex Tranquillo cognoſcitur. Quid igitur de agro Campano, ſiquidem diuiſus iam erat, referri ad ſenatum opus erat? dicam quod ſentio. Duae partes erant agri Campani, una publica, de qua Suetonius, Agrum, inquit, Campanum, ad ſubſidia reip. ueſtigalem relictum, Caeſar diuiſit extra ſortem uiginti millibus ciuium, quibus terni, pluresue liberi eſſent. Altera, quae poſsidebatur a priuatis, quam emi pecunia publica, & plebi item diuidi Caeſar uoluerat. atque hanc agri Campani partem cum in oratione in Rullum Cicero ſignificat, ubi de priuatis agris, in publicum Campanum incurrentibus, loquitur: tum uero planiſsime in oratione pro domo his uerbis: Quis illam optimam, fertilemq. Syriam, quis bellum pacatiſſimis gentibus, quis pecuniam, ad emendos agros conſtitutam, ereptam ui ex Caeſaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? Inuehitur in Clodium, qui pecuniam illam, qua emi a priuatis agri Campani partem lex Iulia iubebat, ex aerario ſumptam Gabinio dederat. Nec uero Gabinio tantum, ſed eius etiam collegae Piſoni partem eius pecuniae Clodius largitus erat. qua de re ſic in oratione in Piſonem: Cauerat ſibi ille ſororius adulter, ut, ſi tibi prouinciam, ſi exercitum, ſi pecuniam, ereptam ex reip. uiſceribus, dediſſet, omnium ſuorum ſcelerum ſocium te, adiutoremque praeberes. Vocat ereptam ex reip. uiſceribus pecuniam, quam in oratione pro domo, ereptam ui ex Caeſaris rebus actis. Eodem ſpectat illud in ep. 5. lib. 2. ad Fratrem: Acriorem cauſſam faciebat inopia pecuniae. Et ep. 17. lib. 2. ad Att. Quid ager Campanus, quid effuſio pecuniae ſignificant? Erogandam enim fuiſſe pecuniã in agri Campani emptionẽ, utrobique oſtendit. Haec igitur pars agri Campani, cuius diuiſio publicam pecuniam requirebat, Caeſare conſule, qui legem tulit, diuiſa non eſt: nec diuiſam puto ante ciuile bellum. Scribit enim haec Coelius Ciceroni, belli ciuilis initio. Illud addo ad actiones C. Curionis, de agro Campano: de quo negant Caeſarem laborare, ſed Pompeium ualde nolle; ne uacuus aduenienti Caeſari pateat. Suſpicor autem diuiſionem illam ante Caeſaris necem non eſſe factam: ſunt enim haec in epiſtola D. Bruti, ſcripta Caeſare mortuo: Quattuor legionibus ijs, quibus agros dandos cenſuiſtis, uideo facultatem fore ex agris Sullanis, & agro Campano. Sed quaeritur, cur eo uſque producta diuiſio ſit. Quia, cum Caeſar leges, Bibulo de caelo ſeruante, contra auſpicia tuliſſet, eius acta non libenter ſenatus comprobabat. nihil enim, cum de caelo ſeruaretur, agi cum populo poterat. abundamus exemplis, uel ex ipſo Cicerone, uel ex ueterum annalibus. Dixerat igitur hanc ſententiam Cicero, ut idibus Maij de agro Campano, frequenti ſenatu, referretur. qua ſententia Pompeio, & ijs, qui Caeſari ſtudebant, iniectus timor eſt, ne de infirmandis omnibus eius actis in ſenatu ageretur: quandoquidem ſaluis auſpicijs nihil egerat, Bibulo de caelo ſeruante. Nec uero primus Cicero poſt Caeſarem conſulem agendam agri Campani cauſſam cenſuit: nam P. Lentulo, & Q. Metello cos. in extremo anno, Lupus tribunus pl. de agro Campano retulerat: ut patet ex ep. 1. lib. 2. ad Q. fr. Eius autem agri diuiſionem duabus de cauſsis improbabant boni uiri; primum quia legem illam Caeſar contra auſpicia tuliſſet; deinde, quia pecunia publica, cuius inopia magna erat, emi agrum Campanum ex illa lege oportebat. FREQVENTI. SENATV,} ut S. C. fieri poſſet contra Caeſaris legem de agro Campano diuidendo. certus enim erat ſenatorum numerus; qui ſi non adeſſet, S. C. fieri leges uetabant. Vnde illud M. Fuluij contra M. Aemilium, lib. XXXIX. apud Liuium: Qui per infrequentiã S. C. factum ad aerarium detulerit. Feſtus: Numera ſenatum, ait quiuis ſenator conſuli, cum impedimento uult eſſe, quo minus faciat S. C. poſtulatq. ut aut res, quae adferuntur, diuidantur, aut ſinguli conſulantur; aut, ſi tot non ſint ſenatores, quo numero liceat praeſcribi S. C. Legimus etiam apud Pedianum C. Cornelium trib. pl. legem tuliſſe, ne quis in ſenatu legibus ſolueretur, niſi ducenti affuiſſent. Quod ſi quis neceſſarium S. C. conficiendo ſenatorum numerum ſcire uelit, Dionem conſulat, cuius haec ſunt uerba lib. LIV. Auguſtus, cum uideret, frequentes non ſemper conuenire ſenatores, decreuit, ut a paucioribus, quam quadringentis, S. C. fieri poſſent. Cum antea niſi quadringenti affuiſſent, rata non eſſent. IDIBVS. MAII} quo tamen die relatum non eſſe, ſcribit ipſe ad fratrem ep. 7. lib. 2. Quod, in-

quit,

quit, idibus, & poſtridie fuerat dictum, de agro Campano actum iri; non eſt actum. Ideo autem eo die, ut ſenatus decreuerat, de agro Campano non eſt actum, quia ſententiam Cicero mutauit: quod indicant ea, quae ſequuntur. NVM. POTVI} quis non uidet, maiorem in ſententia uim eſſe, ſi a particula, Num, incipiat, periodum claudente interrogandi nota, quam ſi a, Non, ſine eadem nota? & haec uis hic maxime requiritur, ubi ſe Lentulo, tamquam bonum ciuem, nec exſulij mutatum calamitate, iactans, actiones pro rep. ſuas extollit. Eadem uis agnoſcitur lib. I. de Orat. Num quod eloquentiae ueſtigium apparet? pro, Nullum prorſus eloquentiae ueſtigium apparet. quod idem erat in ſententia, ſed, ut patet, languidius. Haec, in re ſatis nota, tamen dixi: quia nonnullos dubitare audio, utrum rectius, Num, an Non. MAGIS *in arcem illius cauſſae inuadere,*} magis aduerſari Caeſaris, ac Pompeij uoluntati. tranſlatione uſus eſt, ad indicandam animi ſui fortitudinem accommodata. nemo enim, niſi fortis, & conſtans, in arcem inuadit. TEMPORVM *meorum,*} quae monere uidebantur, ne quid contra potentium uoluntatem agerem. quod cum antea feciſſem, cum P. Clodio ad perniciem meam conſpirarunt. ACTIONVM?} ueterum actionum pro rep. cum quibus conſentire uidebatur ſententia Ciceronis de agro Campano dicta, nulla eorum ratione habita, quorum ope reſtitutus erat ab exſulio. QVORVM *numquam putaram.*} Pompeium ſignificari, ſatis conſtat ex ijs, quae ſequuntur. CVM *nihil mihi oſtendiſſet ſe eſſe offenſum,*} nec enim, quid ſentiret, Pompeius oſtendere ſolitus eſt. ep. 5. Noſti hominis tarditatem, & taciturnitatem. ep. I. lib. IIX. Solet aliud ſentire, & loqui. IN. SARDINIAM, *& in Africam*} ut frumentum ad urbem conuehendum curaret: quam poteſtatem ex S. C. & lege ei mandatam eſſe, iam diximus. ep. I. lib. IV. ad Att. LVCAM} extremum opidum Galliae Ciſalpinae, quae Caeſaris imperio cum Tranſalpina, & Illyrico regebatur. ad mare inferum Luca fuit, ad ſuperum Rauenna. ad utrumque igitur, ſaluis legibus, Caeſarem ueniſſe conſtat. quod ſi citra Lucam, & Rauennam aliquod opidum eius prouinciae fuiſſet: quis dubitat, quin eo uenturus fuerit, ut cum Craſſo & Pompeio maximis de rebus loqueretur? Haec qui ambigit, idem, ut meridie lucere neget, adducetur. VENIT:} antequam in Sardiniam proficiſceretur. ſic enim itineris ratio poſtulat: patet etiam in ſequentibus. A. CRASSO} cuius defenſionem pro Gabinio Cicero ferre nō potuerat. Infra: Cum me diſputantem, non laceſſentem, laeſiſſet; exarſi. IN. SARDINIA} quaero, quid hoc tempore negotij gereret in Sardinia Q. Cicero. an propraetor eam regebat? non uidetur, neque conſentaneum eſt; cum Aſiae iam triennium praefuiſſet. puto igitur eum iuiſſe in Sardiniam, ut frumentum curaret, miſſum a Pompeio legationis nomine. nam & Pompeius, annonae praefectus, quindecim legatos, frumentariae curationis cauſſa, poſtulauerat a ſenatu; quod in ep. I. lib. IV. ad Att. legimus; & eos confeſtim circa prouincias, conquirendi frumenti gratia, dimiſit: quod Appianus lib. 2. bel. ci. ſcriptum reliquit. ueri autem ſimile uidetur, cum Pompeius in his legatis principem nominauerit M. Ciceronem, id ab eo muneris recuſatum eſſe, & in Quinctum fratrem eſſe tranſlatum: qui nauigauit in Sardiniam Decembri menſe: quod ſignificat ep. I. lib. 2. ad eum, in extremo. congruunt igitur tempora, dimiſsis hieme legatis a Pompeio ad regiones frumentarias, & Quincto Cicerone Decembri menſe in Sardiniam profecto. Praeterea uidetur omnino cum aliqua poteſtate Quinctus in Sardinia fuiſſe: quod ut ſentiam, facit illud in ep. 5. lib. 2. ad eundem: Quoſdam ueniſſe Olbia dicebant, qui te unice laudarent, plurimiq. in prouincia fieri dicerent. Et in eadem epiſtola uerba ſunt, quae Lucceium Quincto ſucceſsiſſe demonſtrant; quod ea poteſtas, non, ut aliae a ſenatu, uel a populo datae, certum tempus ac definitū haberet, ſed Pompeij tum daretur, tum auferretur arbitrio. Lucceium, inquit, uidere uolebā, quod in Sardiniam iter habebat. hominem conueni; & ab eo petiui, ut quam primum te nobis redderet. ſtatim, dixit. Tu, mi frater, ſimul ac ille uenerit, primā nauigationem, dummodo idonea tēpeſtas ſit, ne omiſeris. TE, INQVIT, *ipſum cupio;*} lector admonendus, quod pertinet ad uſum Latinae linguae, nec Ciceronē, nec Terentium, nec omnino quemquā reip. temporibus, Inquit, uſurpari, niſi praepoſito aliquo uerbo. quod non attigiſſem, niſi peccare in hoc ſaepe non obſcuri nominis homines animaduerterem. DEPENDENDVM *tibi eſt*} promiſſa perſoluenda. ductum ab aeris grauis dependendi, ideſt, perſoluendi, more priſco, antequam pecunia ſignaretur. Plinius lib. XXXIII. cap. 3. SPOPONDISTI.} receperat enim Pompeio Quinctus Cicero, ſi Marcus frater in patriam ab exſulio reuocaretur, operam eum daturum, ut Caeſaris acta a ſenatu confirmarentur, nec omnino quidquam, quod aut ipſi Pompeio, aut Caeſari diſpliceret, eſſe facturum. docent hoc ea, quae ſequuntur. QVID *multa?*} cum rem conferre uolumus in pauca, utimur hoc loquendi genere, quid multa? quid plura? quid quaeris? quid multis opus eſt? quid pluribus opus eſt? quid uerbis opus eſt? &, ſine interrogandi nota, ne multa, ne multis, ne plura, ne pluribus, ne te multis morer, ne te multis teneam, ne ſim longior; &, quod eſt in ep. 4. lib. IV. Noli quaerere: quaeq. praeterea in ſuas Elegantias collegit Aldus filius. QVESTVS *eſt grauiter:*} quod in Caeſaris iniuria ſe quoque laedi putaret, uel propter affinitatem, uel communis potentiae cauſſa. SVA *merita*} in Marcum quidem Ciceronem praecipue, quem in patriam cum Lentulo conſule reduxerat, ſed fortaſſe etiam in ipſum Quinctum; quem fuiſſe tum ipſius Pompeij legatum in Sardinia ſuſpicamur. DE *actis Caeſaris*} ut ea, quae conſul Caeſar, aduerſante, ac de caelo ſeruante collega Bibulo, egerat, Ciceronis reſtituti ſententia confirmarentur. quod cum Pompeio Quinctus promiſiſſet, non praeſtare fidem eius Marcus frater in ea ſententia de agro Campano uiſus eſt. Eadem cauſſa Caeſarem adduxit, ut eijci a Clodio Ciceronem paterentur. de quo ſic in oratione pro Sextio: Illi, aliquorum timore perterriti, quod acta illa, atque omnes res ſuperioris anni labefactari a praetoribus, infirmari a ſenatu, atque principibus ciuitatis putabant, tribunum popularem a ſe alienari nolebant, ſuaq. ſibi propiora pericula eſſe,

quam

quam mea, loquebantur. Et in eadem de prouincijs: Ecce illa, illa tempeſtas, caligo bonorum, & ſubita, atque improuiſa formido, & terror iniectus Caeſari de eius actis, metus caedis bonis omnibus. VOLVNTATE *Caeſaris egiſſe,*} hac de re ſic in oratione de prouincijs: Cn. Pompeius mihi teſtis de uoluntate Caeſaris, & ſponſor eſt illi de mea. NON. POSSEM} quod ſenſum confirmatum deponere difficillimum eſſet. VIBVLLIVM} Q. Vibullium, praefectum fabrum Pompeij ciuili bello, eiuſdemq. copiarum ductorē. ep.2.lib.IIX.ad Att.& ep.Pompeij ad Ciceronem eodem libro,& ep.Caeſaris lib. IX. ad Att. idemq. lib.I.bel.ci. INTEGRVM} ne quid agerem. Vbi enim coepta res agi, non amplius integra uidetur, ſed tamquam imminuta, detracta ſcilicet ea parte, quae confecta iam eſt. Coelius ep.6.lib.IIX. De Dolabella integrum tibi reſerues, ſuadeo. RESERVAREM:} reſeruauit: ut ep.7.lib.2.ad fratrem demonſtrat: & hic in ſequentibus non obſcure cognoſcitur. COLLEGI *ipſe me,*} ut accuratius de officio meo mecum ipſe conſiderarem, quaſi animum collegi. Hoc loquendi genus ipſe interpretatur in Tuſc.IV. Quid eſt, inquit, ſe ipſum colligere, niſi, diſsipatas animi partes in ſuum locum cogere? Sic ep.10.lib.III. Etſi grauiter primo nuncio commotus ſum; tamen, ut me collegi, cetera mihi facillima uidebantur. Ep.18.lib.V. Rogo, atque oro, te colligas, uirumq. praebeas, &, qua condicione omnes homines, & quibus temporibus nati ſumus, cogites. Et ad Att. ep.34. lib. XII. Etſi minus urgeor, meq. ipſe propemodum collegi: tamen indigeo tui conſilij. Ad eundem ep. 21.lib. XV. Tum me collegi, uerens ne quid, mihi ille iratus, tibi noceret. Ad M. Brutum ep.13. Iudicium tuum magni aeſtimans, idq. ueritus, me ipſe collegi. CVM. IPSA *quaſi rep. ſum collocutus;*} quaſi ſum collocutus cum ipſa rep. non enim reuera colloquimur cum rep. ſed ipſa cogitatio colloquij ſimilitudinem habet. PERFVNCTO,} ſic ep.8. Perfuncti laboribus maximis. Nec abhorret ab uſu Latini ſermonis, ſi, Perfuncti, referas ad, Multa: cum Terentius quoque dixerit, Functus eſt officium boni adoleſcentis. QVEM *bonum ciuem ſemper habuiſſet, bonum uirum eſſe pateretur.*} in optima rep. nihil inter bonum ciuem, & bonum uirum intereſſe, docet Ariſtoteles pluribus uerbis lib. III. Polit. nam in rep. optime inſtituta nihil eſt utile, quod non honeſtum. itaque bonus ciuis ab officio boni uiri diſcedere non cogitur. Hic autem Cicero bonum ciuem a bono uiro diſtinguit, quia patriae ſimul & amicitiae ſatisfacere non poſſit. uerum, duobus propoſitis honeſtis, minori maius praeferendum eſſe quis dubitet? maior igitur patriae, quam amicitiae, habenda ratio eſt. quod ipſe lib.III.Off. declarat. Quae uidentur, inquit, utilia, honores, diuitiae, uoluptates, & cetera generis eiuſdem, haec amicitiae numquam anteponenda ſunt. at neque contra remp. neque contra iuſiurandum, ac fidem, amici ſui cauſſa uir bonus faciet. Quamquam, cum dicat, Bonum uirum eſſe pateretur, quaſi gratiae loco poſtulat ab ipſa rep. quod ab eius rationibus alienum eſſe, id eſt quod officio boni ciuis aduerſari non ignorat. Eandem ſententiam in oratione pro Plancio poſuit his uerbis: Res uero ipſa publica ſi loqui poſſet, ageret mecum, ut, quod ſibi ſeruiſſem ſemper, numquam mihi, fructus autem ex ſeſe, non, ut oportuiſſet, laetos, & uberes, ſed magna acerbitate permiſtos tuliſſem; iam mihi ſeruirem, conſulerem meis. IN. ILLIS *autem meis actionibus,*} hactenus oſtendit, ſe & Pompeij cauſſa, cui deberet plurimum, & fratris ſui fide, quam Pompeio de ſe dederat, adductum eſſe, ne quid amplius contra Caeſaris uoluntatem moliretur: nunc alteram cauſſam affert, cur a ſua ſententia diſceſſerit, maleuolentiam, & obtrectationem quorundam optimatum. VIDEBANTVR} quia, quod ad Caeſarem attineret, ſimul ad Pompeium, Caeſaris generum, attinere uideretur. CERTORVM *hominum,*} Catonem in primis, Bibulum, L. Domitium, Caeſaris inimicos, deſcribit: de quibus infra: Quidam homines, & ijdem illi, quos ſaepe nutu, ſignificationeq. appello, cum ſe maximum fructum cepiſſe dicerent ex libertate mea, meq. tum denique ſibi eſſe uiſum reip. qualis fuiſſem, reſtitutum; gaudere ſe dicebant, mihi & illum inimicum, & eos, qui in eadem cauſſa eſſent, numquam amicos futuros. Eoſdem in oratione de prouincijs deſignat. A uiris fortiſsimis, & de me optime meritis quibuſdam peto, ut, ſi ego illos meorum laborum, & incommodorum participes eſſe uolui, ne illi me ſuarum inimicitiarum ſocium uelint eſſe. NON *ſatisfacere Pompeio,*} quia meas actiones, ac ſententias ad illius uoluntatem, de ſoceri potentia laborantis; parum accommodarem. Dicit idem ep.5. lib.IV.ad Att. Quibus ſententiis dixi, quod & ipſi probarent, laetati ſunt tamen, me contta Pompeij uoluntatem dixiſſe. ERAT *hoc mihi dolendum;*} mouebar fratris mei fide, Pompeij uoluntate, certorum hominum maleuolentia: ſed ea me res ad conſilii mutationem grauiſsime impulit, quod ijdem illi, quibus actiones meae pro rep. probabantur, inimicum non modo meum, ſed legum, iudiciorum, otij, patriae, bonorum omnium, me praeſente oſcularentur, mihi ut ſtomachum facerent, de patria, deq. ipſis optime merito. INIMICVM *meum,*} P. Clodium: quem oderant antea, poſt, cum ille Caeſaris acta coepit oppugnare, diligere coeperunt. de quibus in oratione de prouincijs, Leuiſsime, inquit, feram, ſi forte hoc aut jis minus probaro, qui meum inimicum, repugnante ueſtra auctoritate, texerunt; aut ijs, ſi qui meum cum inimico ſuo reditum in gratiā uituperabūt; cum ipſi & cum meo, & cū ſuo inimico in gratiā non dubitauerint redire. MEVM *autem?*} idem erat, Vel potius: ſed uſus eſt eo correctionis genere, quod indignationem praeſefert. SIC *amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fouebant, ſic, me praeſente, oſculabantur,*} augent ſingula, & familiaritatem, ac beneuolentiam quoque declarant. STOMACHVM *facerent,*} iram commouerent; locus pro locato, ſtomachus enim irae ſedes eſt. FVNDITVS *perdidi,*} plane mihi impero, ne qua omnino re iraſcar, Dolebam, inquit, non iraſcebar. Hanc ſibi laudem adſciſcit Cicero in epiſtola ad Caerelliam: ex qua recitat haec uerba Quinctilianus lib.VI.cap.4. Haec aut animo Catonis ferenda ſunt, aut Ciceronis ſtomacho. HIC, EGO,} quarta ratio ad tuendam conſilij mutationem: quod ſe non cum improbis, ac perditis ciuibus, ſed cum optime de rep. meritis coniunxerit.

Hic,

Hic, rationem temporis, non locum, ut alibi, notat: perinde ac ſi dixerit: Quae cum ita ſe haberent. uſurpatur de re praeſenti ep. 15. lib. v. Hic tu ea me abeſſe urbe miraris, in qua domus nihil delectare poſsit, ſummum ſit odium temporum, hominum, fori, curiae? De praeterita autem re, in ep. 8. lib. III. Hic ego multa ſimul cogitaui. HVMANO *conſilio*} quantum homini licuit. non enim, ut omnia circumſpiciantur, hominis natura patitur. CIRCVMSPECTIS *rebus omnibus*,} probat id, quod dixit: Non illi quidem ut mihi ſtomachum facerent. nam ſi ſtomachum feciſſent; ſtatim iracundia praeceps, nihil de boni ciuis officio cogitans, ad noua capeſſendae reip. conſilia delatus eſſet, uerum tanti non fuit iniuria, ut ſuſceptam ab adoleſcentia ſententiam temere proijceret. circumſpext prius omnia: rationes pro utraque parte ſubduxit: quarum ſumma facta, cognouit, plures eſſe cauſſas, quae ad Caeſaris, Pompeijq. coniunctionem, quam quae ad defendendas optimatum partes hortarentur. in Caeſare enim, & Pompeio praeſidij plurimum ſibi contra ſuos inimicos paratum uidebat: in optimatibus uero nihil fidei, nihil expertus erat conſtantiae. ET . PERDITIS} ſunt enim quidam ita improbi, ut perditi tamen non ſint: perditi uero, quorum ita mens a recta ratione diſceſsit, ut ad ſanitatem redire iam non poſſe uideantur. REMP. *teneri*} uarie diuerſis locis explicat hanc ſententiam. Ep. 8. Res communes in amicorum noſtrorum poteſtate ſunt. In eadem: Qui potiuntur rerum. Ep. 7. lib. IV. Qui tenet remp. Ep. 8. eiuſdem lib. Qui omnia tenet. Ep. 9. ibidem: Omnia delata ad unum ſunt. Ep. 13. ibidem: Qui plurimum poteſt. MEIS *temporibus*} Cinna, Maria, Sulla dominantibus. NONNVLLIS *alijs*} cum decemuiri remp. tenerent. NON . MODO *praemijs*,} quidam hoc loquendi genus imperfectum iudicarunt; quod, Non modo non praemijs, & apertius, & uſitatius eſſe uideretur. nos, & auctoritatem ueterum librorum, & Ciceronis conſuetudinem ſecuti, omnino legimus, Non modo praemijs. ualet enim idem, quod, Non modo non praemijs: ut ſit, Non modo, pro Nedum. exempla fidem facient. ep. 17. lib. IX. Hoc tamen ſcito, non modo me, ſed ne ipſum quidem principem ſcire, quid futurum ſit. Quo item loco, Non, inculcatum erat, contra ueteres libros. Sic & ep. 16. lib. 2. ad Att. Qui mihi non modo praemiorum ſed ne ſermonum, quidem umquam fructum ullum, aut gratiam retulerunt. In quo animaduertendũ, Praemiorum, ſermonum, pro Praemijs, ſermonibus, uſurpatum eſſe. Ep. 6. lib. x. Regnum non modo Romano homini, ſed ne Perſae quidem cuiquam tolerabile. Et ep. 24. lib. XI. Mihi non modo iraſci, grauiſsima iniuria accepta, ſed ne dolere quidem impune licet. Lib. 1. de Oratore: Neque ſolum inſcientiam meam, ſed ne rerum quidem magnitudinem perſpicit. Et in oratione 2. in Rullum: Si, non modo dena iugera dari uobis, ſed ne conſtipari quidem tantum numerum hominum poſſe in agrum Campanum, intelligetis: tamen ne uexari remp. contemni maieſtatem populi Romani, deludi uoſmet ipſos diutius a tribuno pl. patiemini? Tuſc. 1. Mortuorum, non modo uitae commodis, ſed ne uita quidem ipſa quiſquam caret. Tuſc. 5. Tertias, quod eſſent plane inanes, neque neceſsitatem modo, ſed ne naturam quidem attingerent, funditus eijciendas putauit. i. & non modo non neceſsitatem. Suſpicarer & Coelium ep. XI. lib. IIX. ſcripſiſſe, Non modo fecit: quod eſt in peruulgatis libris, Non modo non fecit. nam a pleriſque abeſt antiquis libris alterum, Non. Varro lib. IIX. lin. Lat. Dicam de uniuerſa analogia, cur non modo uideatur eſſe reprehendēda, ſed etiam cur in uſu quodam modo ſequenda. Atque in his, quae recitaui, locis, Non modo, uſurpatum uidetur pro Nedum. Eadem loquendi conſuetudo agnoſcitur in Graecis. nam Iſocrates in oratione, quae πλαταϊκὸς inſcribitur: Οὐχ ὅπως τῆς κοινῆς ἐλευθερίας μετέχομεν, ἀλλ' οὐδὲ δουλείας μετρίας ἠξιώθημεν τυχεῖν. Et in eadem infra. FORTISSIMI *uiri*,} manifeſtis enim periculis non moueri, temeritatis eſt, non fortitudinis: quod a ſapientiſsimis proditum. AD . EORVM *cauſſam me adiungerem*,} cum ijs in rep. non conſentirem, non ſequerer eorum ſententiam, meam uoluntatem ad eorum dignitatem non aggregarem. CN. *Pompeius*} arguit a Pompeij uirtute, ſummi q. in remp. meritis: a Caeſaris uetere amicitia, & erga ſe, fratremq. ſuum liberalitate: ab ipſa rep. Caeſaris rebus geſtis uehementer aucta: a Pompeij, fratriſq. ſui fide: a Platonis auctoritate: a ſua calamitate: ab optimatum quorundam inuidia, & inconſtantia: a ratione temporum. quae ſubiungit deinceps omnia diligenter, famam ueritus improbitatis, non modo leuitatis, & inconſtantiae, praeſertim apud Lentulum, bene erga remp. animatum. PRINCEPS *eſſet*,} pro Plancio: Ego Cn. Pompeium non tuear, quem omnes in rep. principem eſſe concedunt? Princeps autem eo facilius in rep. Pompeius, quia Caeſar & Craſſus aberant, hic in Parthis, ille in Gallia bellum gerens. REBVS *geſtis*} maioribus, quam ſuperiorum omnium: ter enim triumphauerat, ex tribus orbis terrae partibus, Africa primum, deinde Europa, poſtremo Aſia, Mithridate uicto. IN *praetura, & in conſulatu*} praetor Maniliam rogationem ſuaſit, ut Pompeio Mithridatici belli cura mandaretur. exſtat oratio. conſul cum alijs eum ornauit officijs, tum etiam, quod retulit de ſupplicationibus decernendis, rep Mithridatico bello feliciſſime geſta. Me conſule referente, ait in oratione de prouincijs, primum decem dierum ſupplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto, confectoq. Mithridatico bello; meaq. ſententia primum duplicata eſt ſupplicatio conſularis. mihi. n. eſtis aſſenſi, cum, eiuſdem Pompeij litteris recitatis, confectis omnibus maritimis, terreſtribusq. bellis, ſupplicationem dierum XII. decreuiſtis. Et ep. 4. lib. III. ad Q. Fr. Ille, cum a me ſingularibus meis ſtudiis ornatus eſſet. &c. AVCTORITATE,} non poteſtate. priuatus enim, cum actum eſt de reditu Ciceronis, Pompeius erat. ſic in oratione pro Milone: Cn. Pompeius auctor, & dux mei reditus. Et in oratione pro domo: Hic, tibi, Lentule, grauiſsimus auctor ad inſtituendam, fideliſsimus ſocius ad comparandam, fortiſsimus adiutor ad rem perficiendam fuit. Auctoritatem etiam Lentulo tribuit in oratione pro Sextio, cum deſignatus conſul ſententiam in ſenatu dixit de Cicerone reuocando. SENTENTIA} quam dixit in ſenatu de reditu meo. In oratione pro Milone:

Cuius

Cuius ſententiam ſenatus omnis de ſalute mea grauiſsimam, & ornatiſsimam ſecutus eſt. Pro domo: Hic in ſenatu princeps ſententiae fuit. Mᴇ *adiuuiſſet;* } in recuperanda ſalute. Hᴀʙᴇʀᴇᴛ *inimicum:* } pulſo Cicerone, omnem ſuam uim contra Pompeij, Caeſariſq. potentiam Clodius conuertit. Quod autem iterauit Inimicum, non auribus modo, uerum etiam ſententiae conſuluit, cuius augeri uim, iterato uerbo, apte tamen collocato, plane conſtat. nam ſi loco moueas, Inimicum, frigebit. Qᴠɪʙᴠsᴅᴀᴍ *in ſententijs paullum* } non in omnibus, ſed in quibuſdam, nec omnino, ſed paullum. Iᴍᴍᴠᴛᴀssᴇᴍ, } minus eſt, quam, Permutaſſem, aut Commutaſſem. Sᴠᴍᴍɪ *uiri,* } quaerit excuſationem artificio quoque uerborum. minuit enim iam ſuum factum, cum dixit, Quibuſdam in ſententijs, paullum, immutaſſem. hic autem facti cauſſam ſtudioſe auget, cum inquit, Summi uiri, de me optime meriti, dignitatem: quae mouent ſingula. Iɴ ᴄᴏɴɪᴠɴᴄᴛᴀ *& cauſſa, & dignitate.* } res enim utriuſque communis agebatur; cum & ſuperiora communi conſilio geſsiſſent; & utrique non publica libertas, ſed immoderata ipſorum potentia propoſita eſſet. quod ſi communis eorum cauſſa; ſequitur, ut communis item eorum dignitas ſit. itaque aggregare ſuam uoluntatem ad Pompeij dignitatem Cicero non poterat, niſi iunctum cum eo Caeſarem complecteretur. Vᴇᴛᴠs *amicitia,* } de qua ſic in oratione de prouincijs: Tempus illud familiaritatis, & conſuetudinis, quae mihi cum Caeſare, quae fratri meo, quae C. Varroni, conſobrino noſtro, ab omnium noſtrum adoleſcentia fuit, praetermitto. Hᴠᴍᴀɴɪᴛᴀs *eius, ac liberalitas,* } humanitas poteſt eſſe in uultu, & uerbis, nullis praeterea officiis: liberalitas ſine officio numquam eſt. utraque laude Caeſar excelluit. infra: Sic enim te exiſtimare uelim; cum a uobis, meae ſalutis auctoribus, diſceſſerim, neminem eſſe, cuius officijs me tam eſſe deuinctum non ſolum confitear, ſed etiam gaudeam. Lɪᴛᴛᴇʀɪs, *& officijs* } litteris ad M. Ciceronem miſsis, officijs in Quinctum collatis: qui tunc erat Caeſaris legatus in Gallia. infra, & ep. ultima lib. ɪᴠ. ad Att. Quinctum meum, dij boni, quemadmodum tractat, honore, dignitate, gratia: non ſecus, ac ſi ego eſſem imperator. Mᴀxɪᴍɪs *rebus a Caeſare geſtis,* } Caeſaris hic, non Pompeij, mentionem facit; quod ad eum praecipue Campana cauſſa pertinebat: is enim conſul de agro Campano diuidendo legem tulerat. Gʀᴀᴠɪssɪᴍᴇ *autem me in hanc mentem impulit* } animaduertenda copia, qua uſus eſt in augenda ſententia: tres enim quaſi gradus eſſe uideo, primum, Multum ualuit uetus amicitia: alterum, Vehementer res ipſa publica me mouit: tertium, Grauiſsime autem me in hanc mentem impulit & Pompeij fides, & fratris mei. nam, Impulit, plus eſt, quam, Mouit, quod iam dixerat. Cᴀᴇsᴀʀɪ *dederat,* } cum ei pollicitus eſt, me, ſi reſtituerer, eius actis aduerſarium non futurum. Aᴘᴠᴅ *Platonem* } Platonis uerba ſunt haec lib. ɪᴠ. de legibus: Μηδὲς ὑμᾶς πειθέτω, ὦ φίλοι, ἄλλην θᾶττον, καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἄν ποτε πόλιν, καὶ τοὺς νόμους, ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονίᾳ. Quorum uerborum ſententiam Cicero ſatis plane, ſed more ſuo liberius expreſsit. Qᴠᴀʟᴇs *in rep. principes* } quales ij, qui remp. gubernant. In oratione pro Sextio: Nihil eſt, quod populus a delectis, principibusq. diſſentiat. De ſummis autem ciuitatis uiris, non de ijs, qui ſingulari dominantur imperio, intelligendum eſſe, oſtendit ipſe, quaſi hunc locum interpretans, lib. ɪɪɪ. de Legibus. Licet, inquit, uidere, qualeſcumque ſummi ciuitatis uiri fuerint, talem ciuitatem fuiſſe: quaecumque mutatio morum in principibus exſtiterit, eandem in populo ſecutam. Similiter & Xenophon lib. ɪɪx. de Cyri diſciplina: Ὁποῖοί τινες ἂν οἱ προστάται ὦσι, τοιοῦτοι καὶ οἱ ὑπ' αὐτοὺς ἐπιτοπολὺ γίγνονται. Et Iſocrates ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα, περὶ τοῦ βασιλεύειν: Τὸ τῆς πόλεος ὅλης ἦθος ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσι. Idem in ea, quae inſcribitur, Νικοκλῆς: Φιλεῖ τὸ πλῆθος ἐν τούτοις τοῖς ἐπιτηδεύμασι τὸν βίον διάγειν, ἐν οἷς ἂν τοὺς ἄρχοντας τοὺς ἑαυτῶν ὁρῶσι διατρίβοντας. Et in Areopagitico: Τούτους ἤλπιζον ἔσεσθαι καὶ τοὺς ἄλλους, οἷοίπερ ἂν ὦσιν οἱ τῶν πραγμάτων ἐπιστατοῦντες. Et in Eccleſiaſtico: Qualis rector eſt ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Idem agnoſcitur in omni diſciplina, & arte, praeſertim in re militari. bonum enim, malum ue ducem in utramque partem milites imitantur. de quo Salluſtius in Iugurtha: Dum haec Romae geruntur, qui in Numidia relicti a Beſtia exercitui praeerant, ſecuti morem imperatoris ſui, plurima & flagitioſiſsima exitia fecere. Tᴀʟᴇs *reliquos ſolere eſſe ciues.* } ex quo intelligebam, mutato optimatum ſenſu, mihi quoque & ſententiam, & uoluntatem eſſe mutandam. Infra: Non offendes eundem bonorum ſenſum, Lentule, quem reliquiſti. Et paullo poſt: Tota ſapientium ciuium, qualem me & eſſe, & numerari uolo, & ſententia, & uoluntas mutata eſſe debet. Eᴀ *fundamenta iacta* } labat aedificium, fundamentis male iactis; firmum eſt, bene conſtitutis. prima igitur conſulis Ciceronis actio quaſi fundamentum fuit publicae libertatis, atque conſtantiae. conſulis enim uirtute ſenatus excitatus, extremo anno, cum de poena coniuratorum ageretur, eandem uirtutem imitatus eſt. Ex *Kal. Ian.* } a primo magiſtratus die per totum deinde annum. In Piſonem: Ego Kalendis Ian. ſenatum, & bonos omnes, legis agrariae, maximarumq. largitionum metu liberaui. Cᴏɴꜰɪʀᴍᴀɴᴅɪ *ſenatus,* } ut ad eam, quae principem ordinem decet, animi cōſtantiam, atque ad ſtudium defendendae reip. meo excitarentur exemplo. Nᴏɴɪs *Dec.* } quo die de coniuratis extremo ſupplicio afficiendis S. C. factum eſt. hinc illa uox pro Flacco: O nonae illae Decembres, quae me conſule fuiſtis: quem ego diem uere natalem huius urbis, aut certe ſalutarem appellare poſſum. & M. Brutus in ep. ad Atticum: An, quia non omnibus horis iactamus idus Martias, ſimiliter atque ille nonas Decembres ſuas in ore habet, eo meliore condicione Cicero pulcherrimum factum uituperabit, quam Beſtia, & Clodius reprehendere illius conſulatum ſoliti ſunt? Et in oratione poſt reditum in ſenatu. Vᴇʟ *animi, uel auctoritatis:* } animi, in dicendis ſententijs; auctoritatis, quia, quod ſenatus in coniuratos decreuit, perfectum eſt. non enim fortaſſe ualuiſſet eius ordinis auctoritas, niſi eum iam antea confirmatum eſſe conſtaret. Iᴅᴇᴍ ǫ. *memineram,* } ſui conſulatus beneficio unum fuiſſe bonorum ſenſum uſque ad Caeſarem, & Bibulum conſules, demōſtrat.

quo ma-

quo magis confirmat illud Platonis, Quales in rep. principes, tales reliquos ſolere eſſe ciues. VSQVE *ad Caeſarem, & Bibulum cos.*} per triennium. PONDVS } Caeſare enim conſule, contemni coepta eſt, ac leuis eſſe ſenatus auctoritas: &, quam a ſenatu non impetrabat, a populo, Vatinia lege, citeriorem Galliam conſul accepit. POSTEA,} poſtero anno, Piſone, & Gabinio cos. HISPANIAM *citeriorem* } ut duae Galliae, ſic duae Hiſpaniae fuere, ulterior, & citerior. citeriorem ex praetura, quam Afranio, & Metello cos. geſſerat, Lentulus obtinuit, Caeſare, & Bibulo cos. id Caeſar ipſe lib. I. bel. ci. teſtatur. CVM IMPERIO }, lege curiata dato, ſine qua rem militarem attingere non licuit. in Rullum orat. 2. MERCATORES } qui meam ſalutem, acceptis pretij loco prouincijs, tribuno pl. Clodio uendiderint. Pro Sextio: Foedus fecerunt cum tribuno pl. palam, ut ab eo prouincias acciperent, quas ipſi uellent, ea lege, ſi ipſi prius tribuno pl. afflictam remp. tradidiſſent. id autem foedus, meo ſanguine ictum, ſanciri poſſe dicebant. Idem pro domo, de prouincijs, in Piſonem. SERVOS,} quas Piſo & Gabinius imperio cõſulari ſeditiones exſtinguere debuerunt, eas, tamquam ſerui, imperante ijs tribuno pl. adiuuerunt. Clodium enim ſeditionis ducem, ſeruos, ac miniſtros conſules fuiſſe oſtendit. CASVS } nõ mea culpa, ſed caſus. Et ait, Quidam caſus, ne originem inimicitiarum cum Clodio, pluribus uerbis exponat. CAPVT *meum,*} me. ponit enim partem pro toto, & eam partem, in qua uitae domicilium eſt. QVASI *certaminis cauſſa,*} ſperauit Clodius, ſi Ciceronem uexaret, eam fore cauſſam bonos cum improbis committendi. MEDIAM *contentionem,*} erat enim inter ciues ex partium diſſenſione contentio, ſed ſine armis. ex ea contentione certamen potuit exſiſtere: idq. ſperauerant improbi, coniecto in medium, quaſi ad animos concitandos, capite Ciceronis. MIRIFICA } apta notetur ad amplificandum copia, Mirifica, Incredibilis, Singularis. CONSENSIO } quidam libri, in ijs Mediceus, Conſenſus. quod erratum librarij fuit. SENATVS,} promulgata enim Clodij lege aduerſus eos, qui ciues Romanos indicta cauſſa condemnaſſent (quibus uerbis, Ciceronis nomine ſuppreſſo, pernicies tamen ei parabatur) ſenatus, quod in ſummo dolore fieri ſolitum eſt, ueſtitum mutauit: conſulesq. Piſo, & Gabinius, uere ſeditionum ſerui, ac miniſtri, ſenatum ad ueſtitum redire iuſſerunt. ITALIAE } quam ad defendendum paratam Cicero pro ſe pugnare noluit. atque hac tota de re libet uerba ſubſcribere, in primis ad hunc locum accommodata, quae ſunt in oratione pro Sextio. Erat in luctu ſenatus: ſqualebat ciuitas, publico conſilio mutata ueſte: nullum erat municipium Italiae, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae ſocietas uectigalium, nullum collegium, aut concilium, aut omnino aliquod commune conſilium, quod tum non honorificentiſsime decreuiſſet de mea ſalute: cum ſubito edicunt duo conſules, ut ad ſuum ueſtitum ſenatores redirent. Et paullo poſt: In cauſſa tam bona, tanto ſtudio ſenatus, conſenſu tam incredibili bonorum omnium, tam parato, tota denique Italia ad omnem contentionem expedita, ceſsi tribuni pl. furori. NON DICAM, *quid acciderit;*} quibus cauſsis afflictus ſim, non exponam: ne multos laedam. BREVI,} & Breui, & Breuiter, eodem ſenſu Cicero dixit: quod ueteres quoque grammatici notarunt. Sulpicius etiam ep. 5. lib. IV. Decreui breui ad te perſcribere. NON *mihi exercitum,*} cum & equeſtris ordo, & omnes boni ſummum in illius defendenda ſalute ſtudium profiterentur. de quo ſic in oratione pro Sextio: Quid agerem, iudices? ſcio enim, tum non mihi ueſtrum ſtudium, ſed meum prope ueſtro defuiſſe. DVCES } tres maxime deſignat, Pompeium, Caeſarem, Craſſum: qui cur eum deſeruerint, cauſſa explicatur in eadem oratione. Illi, inquit, aliquo tum timore perterriti, quod acta illa, atque omnes res ſuperioris anni labefactari a praetoribus, infirmari a ſenatu, atque principibus ciuitatis putabant, tribunum popularem a ſe alienare nolebant, ſuaq. ſibi propiora pericula eſſe, quam mea, loquebantur. QVI *reliquerunt.*} reliquit eum, praeter ceteros, Pompeius, pollicitus non ſemel, ei ſe numquam defuturum. de quo ſic ep. 20. lib. 2. ad Att. Clodius adhuc mihi denunciat periculum. Pompeius affirmat, non eſſe periculum; adiuuat; addit etiam, ſe prius occiſum iri ab eo, quam me uiolatum iri. SIMVLARVNT.} ſignificat eos, qui Ciceroni auctores fuerunt, ut Clodio cederet; ne inter ciues perniciosa contentio excitaretur. De Hortenſio ſic ep. 3. lib. I. ad fratrem: Me ſceleratiſsime, inſidioſiſsimeq. tractauit. ILLVD *quidem certe noſtrum conſilium iure laudandum eſt,*} ueritus, ne conſilium ſuum de complectendis Pompeio, & Caeſare, parum fortaſſe probaretur, duobus affirmantibus uerbis alia de re uſus eſt. nam, Quidem certe, poſt incertam, aut non ſatis probatam rem ponuntur, ut ep. 14. lib. IV. Opera, conſilio, ſtudio quidem certe. Et ep. 15. lib. XVI. Spero tibi ex tuis litteris melius eſſe, cupio quidem certe. QVI *meos ciues,*} Qui, refertur ad, Noſtrum conſilium: habetur enim ratio ſententiae potius, quam grammaticae. A ME *ſeruatos,*} coniuratione exſtincta. SPOLIATOS *ducibus,*} dixit iam, ſibi duces defuiſſe. SERVIS *armatis obijci noluerim;*} ſaepe hoc Cicero gloriatur. in oratione quidem pro Sextio ſic: Te patria, obteſtor, & uos penates, patrijq. dij me ueſtrarum ſedium, templorumq. cauſſa, me propter ſalutem meorum ciuium, quae mihi ſemper fuit uita mea carior, dimicationem, caedemq. fugiſſe. Seruos autem ſignificat, quos ſibi conciliauerat Clodius, collegiorum nomine: de quibus in oratione in Piſonem: Collegia, non ea ſolum, quae ſenatus ſuſtulerat, reſtituta ſunt, ſed innumerabilia quaedam noua, ex omni faece uerbis, & ſeruitio conſtituta. Et in eadem paullo poſt: Pro Aurelio tribunali delectus ſeruorum habebatur ab eo, qui nihil ſibi umquam nec facere, nec pati turpe duxit. Et pro domo: Cum in Aurelio tribunali conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiam ſeruos, ex omnibus uitijs concitatos, uim tum uidelicet non parabas. Et pro Sextio: Iiſdem conſulibus inſpectantibus, ſeruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum, cum uicatim homines conſcriberentur, decuriarentur, ad uim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur. Et poſt reditum ad Quir. Ego, cum homines in tribunali Aurelio palam conſcribi, centuriariq. ui-

diſſem, armis decertare pro mea ſalute nolui. Pro. me *ſtante*} incolumi, ante quam eijcerer. ſic ep. 2. lib. vii. Magnum quiddam ſpectauit, nec ſua quidem ſponte, ſed eorum auxilio, qui, me ſtante, ſtare non poterant. et ep. 6. lib. vi. Cum me ex rep. exuliſſent ij, qui illam cadere poſſe, ſtante me, non putarunt. Afflictvm} antitheta, Stante, Afflictum. Excitare} proprie excitamus dormientes. unde ep. 14. lib. xvi. Excita e ſomno tuas litteras. Transfertur ad alia, ut hic, & ep. 1. lib. vi. Cunctantem, & diffidentem excitare. Cvm. de *me ageres*} ut in patriam redirem. Qva *in cauſſa*} Cauſſam uocat totum id, quod ad ipſum pertinet. Ep. 1. Praedicabo *libenter,*} beneficium enim libenter praedico, iniuriam obliuiſcor. Qvibvsdam} ij ſunt, de quibus iam dixit, Certorum hominum ſermones referebantur ad me. In *tenendo*.} uel quia timuerint, uel quia ſe timere ſimularint. Svam *auctoritatem*} quam amiſerunt ſtultitia, & inconſtantia ſua, cum in gratiam redierint cum P. Clodio, inimico meo, nec eam, quam ego exſpectaueram, in meis rebus uoluntatem praeſtiterint. Hoc & paullo poſt oſtenditur, & ep. 7. ſignificatur ijs uerbis: Profeciſſe tantum mihi uidentur ſtultitia, & inconſtantia aduerſariorum, ut iam etiam auctoritate plus ualerent. Significat enim, ſe, commotum eorum iniurijs, cum Caeſare in gratiam rediſſe, eiq. ſua ſententia ſupplicationes, ſtipendium, legatos decreuiſſe. Ad *cauſſam adiuncto,*} cum pro mea ſalute propugnationem ſuſcepit contra Clodium, & reliquos, qui non tam me, quam ſenatus auctoritatem, oppugnauerant. Singvlaribvs} in oratione de prouincijs non, ſingulares, ſed prope ſingulares ait Caeſari honores eſſe decretos: nec tamen loquitur inconſtanter. hic enim habet rationem praeteriti temporis, quod eos honores antea nemo conſecutus eſſet; ibi autem futuri, quod ſimiles prope nemo conſequi poſſe uideretur. Novis *honoribus, ac iudicijs ſenatus,*} ſupplicatione quindecim dierum, ſtipendio exercitus, decem legatis ep. 7. Ego C. Caeſaris laudibus deſim? quas primum populi Romani, nunc etiam ſenatus, cui me ſemper addixi, plurimis, atque ampliſsimis iudicijs uideam eſſe celebratas? Primvm *illa furta*} ſignificatur illud tempus, cum Clodius, amore captus Pompeiae, Caeſaris uxoris, ad eam introiuit, ubi ſacrificium Bonae deae pro populo fiebat. ad Att. ep. 10. lib. i. P. Clodium, te credo audiſſe, cum ueſte muliebri deprehenſum domi C. Caeſaris, cum pro populo fieret. Sed hoc non refertur ad proximum uerbum, Conſecuta. non enim illa furta, Ciceronis reditum conſecuta; ſed ea commiſerat Clodius, Meſſalla, & Piſone cos. ideſt triennio ante Ciceronis exſulium. Eſt igitur, Primum illa furta, perinde ac ſi dixerit, Primum illa furta nota ſunt, quibus iam antea pollucrat Clodius aedem Bonae deae. Sed hoc etiam uehementer dolendum, quod proxime contigit, qui & tres ſorores ſuas ſtuprauerat, & in opertum Bonae deae, quo uiris non licebat, noctu flagitij cauſſa introierat, poſt reditum meum de ui accuſatum a Milone tribuno pl. impunitatem tamen eſſe conſecutum. Vbaldinus Bandinellus, & alij, eum poſtea ſecuti, legendum putarunt, Furia, pro Furta, locum alioqui mutilum arbitrati: quem tamen interpungendi ratio ſic adiuuat, ut nihil deſiderari ſatis conſtet. nec tamen cuiuſquam induſtriam reprehendo: ſed a ueteribus libris (omnes autem mei, & Mediceus etiam habet, Furta: quod, ut oſtendi, ſententia non reſpuit) ſine magna cauſſa diſcedendum non exiſtimo. Ridicule autem nonnulli de interpungendi notis antiquos libros conſulunt, diuerſos omnino, ad hanc quidem partem quod attinet, a recentioribus impreſsis. nam, Illa furta religionum muliebrium, ſententia ita fert, ſi, Furta religionum, pro nocturno flagitio in ſacris uſurpentur. Bonam *deam,*} cui ſacrificabant mulieres in domo pont. max. hac de re ſatis copioſe in oratione pro domo, de haruſpicum reſponſis, pro Milone, in Paradoxis. Feſtus etiam ſic: Damium ſacrificium fiebat in operto, in honorem Bonae deae, dictum a contrarietate, quod minime ſit δημόσιον, ideſt publicum. dea quoque ipſa δαμία, & ſacerdos eius δαμίας appellabatur. Arnobius autem, Lactantij Firmiani magiſter, lib. v. aduerſus gentes, Faetam, inquit, Fatuam, Bona quae dicitur dea, tranſeamus: quam myrteis caeſam uirgis, quod, marito inſciente, ſeriam meri ebiberit plenam, Sex. Clodius indicat ſexto de dijs Graecorum, ſignumq. monſtrari, quod, cum ei diuinam rem mulieres faciunt, uini amphora conſtituatur obtecta, ne myrteas fas ſit inferre uerbenas, ſicut ſuis ſcribit in Cauſſalibus Plutarchus. Sunt autem, quae Cauſſalia uocat Arnobius, Plutarchi Problemata: in quibus hoc de Bona dea legitur. Aliter Macrobius lib. i. Sat. Tres. sorores,} quas a Clodio ſtupratas, conſtans fama fuit. Tres autem, an duae potius Clodij ſorores fuerint, quaero, diſsimilitudine locorum in dubitationem adductus. hic quidem tres nominat Cicero, & Plutarchus in Ciceronis uita, his uerbis: Λούκουλλος δὲ, καὶ θεραπαινίδας παρ' ἔχεν ὡς συγγένοιτο τῇ νεωτάτῃ τῶν ἀδελφῶν ὁ Κλώδιος: ὅτε Λουκούλλῳ συνῴκει, πολλὴ δὲ ἦν δόξα, καὶ ταῖς ἄλλαις δυσὶν ἀδελφαῖς πλησιάζειν τὸν Κλώδιον, ὧν Τερεντίαν μὲν Μάρκιος Ῥήξ. Κλωδίαν δὲ Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν, ἣν κουαδραντίαν ἐκάλουν. &c. Aduerſatur Varronis teſtimonium. libro enim tertio de re ruſt. ſic loquentem Appium induxit, P. Clodij fratrem: Cum pauper cum duobus fratribus, & duobus ſororibus eſſem relictus: quarum alteram ſine dote dedi Lucullo. In hac uarietate non facile eſt uerum dijudicare: Varroni tamen libentius aſſentimur; nec mentiri: Ciceronem, aut Plutarchum opinamur: qui fortaſſe tres Clodij ſorores ita nominarunt, ut duas germanas, ijſdem parentibus natas, ſignificarent, tertiam patruelem, aut conſobrinam, e Terentia gente; quod Plutarchus indicat, qui nuptam Q. Marcio Terentiam uocat. quem locum olim deprauatum ſuſpicabar, & legendum, Tertiam: poſtea mutaui ſententiam, cum animaduertiſſem, νεωτάτῃ, dictum eſſe a Plutarcho de ea, quae L. Luculli uxor fuit. Sic ep. 3. ad Att. lib. iv. Contentio trium fratrum turpis: quo loco duo germani fratres, Appius, & Publius, ſignificantur, tertius patruelis Q. Metellus Celer cuius patris ſoror fuerat mater P. Clodij. De duabus autem ſororibus a Clodio ſtupratis, ea ſcilicet, quae Metello, & ea, quae Lucullo nupſit, mentionem ſaepe facit idem, qui tres hic nominat, Cicero in orationibus pro domo, pro Sextio, in Piſonem,

tem, pro Coelio, pro Milone. IMPVNITATEM *eſt eorum ſententijs aſſecutus,*} ne quis putet hoc dici, Clodium abſolutum eſſe iudicium ſententijs, in eo iudicio, quod de uiolatis Bonae deae ſacris factum eſt: quod ante Ciceronis exſulium factum erat: ſed, quorundam optimatum, quorum hic Cicero inconſtantiam, & perfidiam accuſat, ſententijs, in ſenatu dictis, factum eſſe, ut iudicium illud, quod Milo tribunus pl. Clodio de ui accuſato intendebat, omitteretur: ex quo non abſolutus Clodius, (non enim abſolutus dicitur, de quo latae ſententiae non ſunt) ſed impunitatem conſecutus, quia punitus non eſt, uere, ac proprie dicitur. tota uero res ita ſe habet. Reſtituto Cicerone, cum eius domus ex S. C. reficeretur, expulſi a Clodio fabri de area ſunt: diſturbata porticus Catuli, quae ipſa quoque ex S. C. reficiebatur, & ad tectum paene peruenerat: Q. Ciceronis domus primo fracta coniectu lapidum, deinde inflammata. Neque hac una ui contentus quieuit Clodius, ſed, ſexto poſt die, cum lapidibus, fuſtibus, gladijs M. Ciceronem inſecutus eſt: ſequenti autem die Milonis domum expugnare, & incendere ita conatus eſt, ut palam cum ſcutis homines eductis gladijs, alios cum accenſis facibus adduxerit. propterea Milo tribunus pl. eum de ui accuſauit. Sed iudicium, opera Clodij, eiuſq. amicorum, uſque eo perductum eſt, donec habitis aedilicijs comitijs, Clodius aedilis creatus in iudicium uocari non potuit. non enim uocare in iudicium eos licuit, qui magiſtratum gerebant. hoc igitur queritur Cicero, & iure queritur, quod, cum ageretur in ſenatu, utrum ante comitia iudicium fieret, quod Milo, Cicero, nec pauci praeterea, bene de rep. ſentientes, exoptabant, an, quod Clodius, eiuſq. factio poſtulabat, ut comitia ante iudicium haberentur: quo poſſet, magiſtratum adeptus, poenam effugere; S. C. factum ſit, ut poſt comitia iudicium fieret: in quibus poſitam eſſe Clodij, nocentiſsimi hominis, ſalutem, licebat intelligere. Hac de re ſic in oratione pro Sextio: Volitat aedilis, accuſat eum, qui aliqua ex parte eius furorem exſultantem repreſsit: hic accuſare eum moderate, a quo ipſe nefarie accuſatur, per ſenatus auctoritatem non eſt ſitus. Non licuiſſe Miloni per ſenatus auctoritatem Clodium accuſare, demonſtrat. In oratione autem de prouincijs, Qui meum, inquit, inimicum, repugnante ueſtra auctoritate, texerunt. Praeterea ep. 3. lib. IV. ad Att. & I. lib. 2. ad Q. fr. Impunitatem igitur Clodius aſſecutus eſt, quia iudicium fieri de eo, aedile creato, non licuit. Optimatum uero ſententijs, quia comitia fieri ante iudicium uoluerunt. Nec tamen omnes notat optimates, ſed tantum eos, qui iudicium de Clodio a Milone accuſato fieri noluerunt. nam bonos aliquot in ſenatu pro Milone, ideſt pro rep. ſenſiſſe, ſatis oſtendit ijs uerbis, quae iam recitauimus ex oratione de prouincijs. cum enim dixit: Qui meum inimicum, repugnante ueſtra auctoritate, texerunt, optimatum duo genera ſignificat, eos, qui Clodium texerunt, & eos, qui repugnarunt. TRIBVNVS *pl.*} Milo. POENAS *perſequi*} ſupplicium ſumere. A SEDITIOSO *ciue*} a Clodio, qui fabros de area Ciceronis expulerat, domum Q. fratris fregerat, atque inflammauerat, Milonis oppugnauerat, eiuſdem generis alia commiſerat. PER *bonos uiros*} per iudices integerrimos. SVSTVLERVNT:} Milo praeclariſsimū exemplum uindicandae ſeditionis, Clodij damnatione, uoluit in remp. inducere: at hi contra, Clodio impunitatem aſſecuto, exemplum illud egregium, quod ab omnibus comprobari debuit, de rep. ſuſtulerunt. id maxime per conſulem Metellum Nepotem, per Appium, P. Clodij fratrem, praetorem, per Serranum tribunum pl. factum eſſe, oſtenditur in oratione pro Sextio, his uerbis: Deſcendit Milo ad accuſandum: quis umquam tam proprie reip. cauſſa? fracti erant animi hominis: hoc enim accuſante, priſtini illius ſui iudicij turpitudinem deſperabat. Ecce tibi conſul, praetor, tribunus pl. noua noui generis edicta proponunt: ne reus adſit, ne citetur: ne quaeratur: ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceat. IIDEMQ. *non meum monumentum, (non enim illae manubiae meae, ſed operis locatio mea fuerat, monumentum uero ſenatus) cruentis inuſtum litteris eſſe paſſi ſunt.*} Hac tota re diligenter indagata, et, ut opinor, comperta, ſententiam Ciceronis, quam breuiſsime, aut certe quam planiſsime potero, conabor oſtendere. Tria monumenta, treſq. eorum inſcriptiones, in ſingulis ſingulae, fuerunt. Primum, atrium Libertatis, in imo Palatij cliuo, ſenatus decreto aedificatum, locante Cicerone conſule, poſt oppreſſam Catilinae coniurationem: ut conſeruatae libertati honor haberetur, exſtaretq. publicū monumentum ciuitatis ab impiorum manibus ereptae. in hoc atrio cruentas illas litteras, deleta priore inſcriptione ſenatus, Clodius tribunus pl. incidit, quinquennio poſt Ciceronem conſulem: quas litteras manſiſſe, ſenatus maxima ignominia, cum ſummo Ciceronis dedecore coniuncta, queritur in hac epiſtola Cicero: quam ſcripſit L. Domitio, Ap. Claudio cos. quadriennio poſt Clodij tribunatum. Eandem rem attigerat biennio ante, Marcellino, & Philippo cos. in oratione de haruſpicum reſponſis: in qua ſunt haec: Imperatorum monumenta euertit: inimicorum domos diſturbauit: ueſtris monumentis nomen ſuum inſcripſit. Cum dixit, Nomen ſuum inſcripſit, non dubito quin ſignificauerit eas litteras, quas hic, facta eiuſdem monumenti mentione, cruentas appellauit. Quod autē dixi, hoc atrium in cliuo Palatij infimo potius, quam in ſummo, fuiſſe; eo ſum adductus, quia in ep. 17. ad Att. lib. IV. ita ſcriptū eſt: Vt forum laxaremus, & uſque ad atrium Libertatis explicaremus. Nā ad radicem Palatij, ubi atrium Libertatis fuiſſe dixi, non ad ſummū collem, illam fori partem ex uoluntate Caeſaris explicare Cicero cogitauerat. Hoc atriū non puto ſacrum, & dedicatum fuiſſe: quia leguntur haec in oratione pro Milone: Quaeſtiones urgent Milonem, habitae in atrio Libertatis. Non enim arbitror quaeſtiones de ſeruis haberi potuiſſe in ſacris locis. Niſi ſi in ea oratione non illud ſignificatur atrium Libertatis, quod ſenatus decreto, Cicerone conſule, factum diximus, ſed illud, quod multis ante annis Romae fuit, de quo Liuius lib. III. Cenſores in atrium Libertatis adſcenderunt; &, ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoq. tabulario, & dimiſsis ſeruis publicis, negarunt ſe prius quidquam publici negotij geſturos, quam iudicium populi de ſe factum eſſet. Alterum monumentum eſt porticus a Q. Catulo, C. Marii conſulis collega, de manubiis Cimbricis exſtructa: quam por

ticum eodem anno Clodius, quo Ciceronem expulit, euertit; ſublatoq. Catuli nomine, ſuum incidit. euertit autem, non ut aream faceret, ſed ut ex ea, & euerſae Ciceronis domus parte nouam porticum exſtrueret ſicuti exſtruxit. qua de re ſic in oratione pro domo: Hanc uero, Pontifices, labem turpitudinis, & inconſtantiae poterit populi Romani dignitas ſuſtinere, uiuo ſenatu, uobis principibus publici conſilii, ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fuluii Flacci, ad memoriam paenae publice conſtitutae, coniuncta eſſe uideatur? M. Flaccus, quia cum C. Graccho contra ſalutem reip. ſenſerat, & ſenatus ſententia eſt interfectus; & eius domus euerſa, & publicata eſt: in qua porticum poſt aliquanto Q. Catulus de manubijs Cimbricis fecit. iſta autem fax, ac furia patriae, cum urbem Piſone & Gabinio ducibus cepiſſet, occuparet, teneret, uno eodemq. tempore & clariſsimi uiri mortui monumenta delebat, & meam domum cum M. Flacci domo coniungebat: ut qua poena ſenatus affecerat euerſorem ciuitatis, eadem iſte, oppreſſo ſenatu, afficeret eum, quem P. C. cuſtodem patriae iudicaſſent. Quae ſequuntur, ad nouam porticum pertinent, ideſt ad eam, quam tum ex euerſae Ciceronis domus parte, tum ex Catuli porticu Clodius fecerat. Hanc, inquit, in Palatio, atque in pulcherrimo urbis loco porticum eſſe patiemini, furoris tribunicii, ſceleris conſularis, crudelitatis coniuratorum, calamitatis reip. doloris mei defixum indicium ad memoriam omnium gentium ſempiternam? quam porticum pro amore, quem habetis in remp. & ſemper habuiſtis, non modo ſententiis, ſed, ſi opus eſſet, manibus ueſtris diſturbare cuperetis. De tota porticu locutus ea ſubiungit, quae non ad totam attinent, ſed ad partem dumtaxat dedicatam, ideſt ad eam, quam e Ciceronis domo Clodius Libertati dedicauerat: nam quae pars in uetere Catuli porticu a Clodio facta eſt, eam cur dedicatam putem, cauſſae nihil uideo. Niſi quem, inquit, illius caſtiſsimi ſacerdotis ſuperſtitioſa dedicatio deterret. o rem, quam homines ſoluti a cura ridere non deſinunt, triſtiores autem ſine maximo dolore audire non poſſunt. Publiusne Clodius, qui ex Pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit? Addam & illud ex eadem oratione de Catuli monumento teſtimonium, in quo eſt luculenta apoſtrophe ad Q. Catulum: Tu, Q. Catule M. Fuluij domum, cum is fratris tui ſocer fuiſſet, monumentum tuarum manubiarum eſſe uoluiſti; ut eius, qui pernicioſa reip. conſilia cepiſſet, omnis memoria funditus ex oculis hominum ac mentibus tolleretur. hoc ſi quis tibi, aedificanti illam porticum, diceret: fore tempus, cum is tribunus pl. qui auctoritatem ſenatus, iudicium bonorum omnium neglexiſſet, tuum monumentum conſulibus non modo inſpectantibus, uerum adiuuantibus, diſturbaret, euerteret, idq. cum eius ciuis, qui remp. ex ſenatus auctoritate conſul defendiſſet, domo coniungeret: nonne reſponderes, id, niſi euerſa ciuitate, accidere non poſſe? De litteris autem huic monumento inſcriptis, infra ſic: Tu procella patriae, turbo, ac tempeſtas pacis, atque otij, quod in naufragio reip. tenebris offuſis, demerſo populo, euerſo atque eiecto ſenatu, dirueris, aedificaris, religione omni uiolata, reip. tamen nomine contaminaris, in ciuis huiuſce aedibus, & in urbe, quam ſuis laboribus ac periculis conſeruaſſet, monumentum deletae reip. collocaris ad equitum notam, ad dolorem bonorum omnium; ſublatoq. Q. Catuli nomine, incideris; id ſperaſti remp. diutius, quam quoad mecum ſimul expulſa careret his moenibus, eſſe laturam? Locum autem huius inſcriptionis uerisimile eſt fuiſſe, non ubi antea fuerat inſcriptio Catuli, quae fuit in medio uetere porticu, ſed in medio parte totius nouae porticus. nam, Si Catuli porticum Clodius euertit, eandemq. ita aedificauit, ut, adiuncta Ciceronis aedium parte, longiorem faceret; quod multa confirmant: quis dubitet, mutatum quoque inſcriptionis locum? quod ſi locus mutatur; certe nuſquam aptior, quam in media noua porticu. Hic quaeri poteſt, manſerit ne, reſtituto Cicerone, haec inſcriptio, ſicuti manſiſſe illam in monumento ſenatus, Cicero ad Lentulum ſcribens queſtus eſt. Nõ manſiſſe, idem Cicero in ep. 2. ad Att. lib. IV. ſignificat his uerbis: Conſules porticum Catuli reſtituendam locarunt: illam porticum redemptores ſtatim ſunt demoliti. Si porticum demoliti ſunt redemptores; non manſiſſe Clodij inſcriptionem, ſatis conſtat. Tertium monumentum eſt, quod in parte Ciceronis aedium forum ſpectante, ideſt in ea, quae coniuncta eſt cum Catuli porticu, Libertati Clodius dedicauit, illato Tanagraeae cuiuſdam meretricis ſimulacro, quod pro libertate coleretur. hoc monumentum ſignificatur in eo loco orationis pro domo: In conſpectu totius urbis domus eſt mea, Pontifices. in qua ſi manet illud non monumentum urbis, ſed ſepulcrum, inimico nomine inſcriptum: demigrandum potius aliquo eſt, quam habitandum in ea urbe, in qua trophaea & de me, & de rep. uideam conſtituta. An ego tantum aut animi duritiem habere, aut oculorum impudentiam poſsim, ut, cuius urbis ſeruatorem me eſſe ſenatus omnium aſſenſu toties iudicarit, in ea poſsim intueri domum meam euerſam non ab inimico meo, ſed ab hoſte communi, & ab eodem exſtructam, & poſitam in oculis ciuitatis; ne umquam conquieſcere poſsit fletus bonorum? Exſtructam, inquit, quod in eius parte euerſa Clodius porticum fecerat, & in ſumma porticu, ne impediretur ambulatio, monumentum Libertatis. Infra quoque: Iſta tua pulchra libertas deos penates, & familiares meos lares expulit; ut a te ipſa tamquam in captiuis ſedibus collocaretur? Et paullo poſt: Libertatis ſimulacrum in domo hac collocabas, quae domus erat ipſa indicio tui crudeliſsimi dominatus, & miſerrimae populi Romani ſeruitutis. Eum ne potiſsimum Libertas domo ſua debuit pellere, qui niſi fuiſſet, in ſeruorum poteſtatem ciuitas tota ueniſſet. At unde inuenta eſt iſta Libertas? Tanagraea quaedam meretrix fuiſſe dicitur. eius non longe a Tenagris ſimulacrum e marmore in ſepulcro poſitum fuit. hoc quidam homo nobilis, non alienus ab hoc religioſo Libertatis ſacerdote, ad ornatum aedilitatis ſuae deportauit. ſignum, de buſto meritricis ablatum, iſti dedit, quod eſſet ſignum magis iſtorum, quam publicae libertatis. Hanc deam quiſquam uiolare audeat, imaginem meretricis, ornamentum ſepulcri, a fure ſublatam, a ſacrilego collocatam? haec me domo mea pellet; haec ultrix afflictae ciuitatis, reip. ſpolijs ornabitur? haec erit in eo monumento, quod poſitum eſt, ut

eſt, ut eſſet indicium oppres ſi ſenatus ad memoriam aeternam turpitudinis? De eodem monumento paullo poſt: At uidete hominis intolerabilem audaciam, cum proiecta quadam & effrenata cupiditate. Monumentum iſte numquam, aut religionem ullam cogitauit: habitare laxe, & magnifice uoluit, duasq. & magnas, & nobiles domos coniungere. domus mea illa prope tota uacua eſt: uix pars aedium mearum decima ad Catuli porticum acceſsit. cauſſa fuit ambulatio, & monumentum, & iſta Tanagraea, oppreſſa libertate, Libertas. in Palatio, pulcherrimo proſpectu, porticum cum conclauibus pauimentatam trecentum pedum concupierat, ampliſsimum periſtylum, cetera eiuſmodi, facile ut omnium domos & laxitate & dignitate ſuperaret. Ambulationem uocat porticum adiectam, exſtructam in parte Ciceronis aedium, qua proſpectus erat in forum: monumentum autem, illam partem, in qua dixi poſitum a Clodio ſimulacrum Libertatis, ideſt Tanagraeae meretricis. Atque, in hoc etiam tertio monumento inſcriptum fuiſſe nomen Clodii, etſi uerba Ciceronis iam recitata oſtendunt, iterabo tamen eadem. In conſpectu, inquit, totius urbis domus eſt mea, Pontifices. in qua ſi manet illud non monumentum urbis, ſed ſepulcrum inimico nomine inſcriptum; demigrandum potius aliquo eſt. Inijcitur in huius fere narrarionis exitu tamquam ſcrupulus abeunti. poſitum enim dicet aliquis ſimulacrum Libertatis non in domo Ciceronis, ſed in Catuli porticu, quia ſcripta ſunt haec in oratione de haruſpicum reſponſis: Simulacrum ereptum ex meretricis ſepulcro in imperatoris monumento collocares. Quid igitur? an a ſe ipſo diſſentire Ciceronem putemus? non diſſentit: ſed quia tota illa porticus, tum e Catuli uetere porticu, tum e Ciceronis aedibus facta, porticus Catuli uſitato nomine uocabatur; ideo ſimulacrum illud in Catuli monumento poſitum dicit, habita nominis ratione; cum tamen idem in ſua domo poſitum uere dixerit. Hoc tertium monumentum ſacrum dedicatumq. fuit. ideo delubrũ Cicero uocat in ea pro domo, ναὸν Plutarchus, νεὸν Dio: & ep. 1. lib. IV. ad Att. Si Pontifices religionem ſuſtulerint, aream praeclaram habebimus. Dixi de tribus monumentis, tribusq. inſcriptionibus: unum ſenatus manſiſſe monumentum, unamq. ſimul inſcriptionem, & in hac ad Lentulum epiſtola, & in oratione de haruſpicum reſponſis Cicero non mediocri cum dolore ſignificat. Illud addam quaſi extra rem, nec tamen prorſus a re ſeiunctum: non eſſe a Clodio totam Ciceronis domum dedicatam, ſed eam tantum partem, quae ad Catuli porticum acceſsit, & in qua, ut ipſe Cicero dixit, ambulatio, monumentum, & Tanagraeae ſimulacrum fuit. nam reliquam domum Clodius, ut in ſua domo porticum trecentum pedum cum conclauibus efficeret, occuparat, ſimulata emptione Statonis cuiuſdã Marſi. qua de re ſic in eadẽ pro domo: Homo religioſus, cũ aedes meas idem emeret, & uenderet; tamen, illis tantis tenebris, nõ eſt auſus ſuũ nomen emptioni illi adſcribere; poſuit. ſ. Statonẽ illum, hominem ſua uirtute egentẽ, ut is, qui in Marſis, ubi natus eſt, tectũ, quod imbris uitandi cauſſa ſuccederet, nullũ haberet, aedes in Palatio nobiliſsimas emiſſe ſe diceret. inferiorẽ aediũ partẽ aſsignauit non ſuae genti Fonteiae, ſed Clodiae, quam reliquit. quem in numerũ ex multis Clodijs nemo nomen dedit, niſi aut egeſtate, aut ſcelere perditus. In eadem ſupra: Hominem inuenire iſta labes tum, cum omnia tenebat, neminem potuit, cui ſedes meas addiceret, cui traderet, cui donaret: ipſe, cum loci illius, cum aedium cupiditate flagraret, ob eamq. cauſſam unam una iuſta illa rogatione ſua uir bonus dominum ſe in meis bonis eſſe uoluiſſet, tamen illo ipſo in furore ſuo non eſt auſus meam domum, cuius cupiditate inflammatus erat, poſsidere. Et in ep. 2. ad Att. lib. IV. de parte areae dedicata, non de tota domo, aperte mentio fit. nam, quia ſacra loca habitare profanis non licet, ideo Clodius eam partem non dedicauit, quam partim cum ſua domo coniungere, partim Clodiae genti aſsignare cogitabat. Habitaſſe autem in Palatio Clodium proxime Ciceronem, ſic ut paries parietem attingeret, non modo ex ijs, quae iam poſui, conijcere facile licet, uerum etiam ex ijs uerbis, quae ſunt in oratione de haruſpicum reſponſis: Quid habet domus mea religioſi, niſi quod impuri & ſacrilegi parietem tangit? Et in ea pro domo: Monumentum iſte numquam, aut religionem cogitauit: habitare laxe & magnifice uoluit, duasq. & magnas, & nobiles domos coniungere. HOSTILI *nomine*,} quia ſuum nomen Clodius inſcripſerat; ſic in oratione pro domo ſua: In conſpectu totius urbis domus eſt mea, Pontifices. in qua ſi manet illud non monumentum urbis, ſed ſepulcrum, inimico nomine inſcriptum; demigrandum potius aliquo eſt. &c. CRVENTIS} quaſi ex meo cruore confectis. meam enim eiectionem, ideſt meum interitum, teſtantur. INVSTVM} inſcriptum, dixit in oratione pro domo: ſed hic Inuſtum, cum ſtomacho pronunciauit, quaſi per uim eae litterae impreſſae, inuſtaeq. fuerint. PASSI . SVNT.} haec uerba ſatis declarant, non eſſe Ciceroni reſtitutam eam aedium partem, quam Clodius Libertati conſecrauerat. NON . SOLVM *ſalutis meae, quemadmodum medici, ſed etiam, ut aliptae, uirium, & coloris rationem habere uoluiſſent.*} etſi aliptae ἀπὸ τοῦ ἀλείφειν, quod eſt ungere, dicti ſunt: hic tamen ſi pro unctoribus accipias, non admodum congruere cum ſententia uidebitur. uires enim, & colorem oleum non auget. ſed adhibetur corporibus ad laſsitudinem uitandam. quare libentius acceperim pro ijs, qui exercitationibus athleticis praeerant, quos γυμναστὰς Graeci uocant. cum enim athletis normam, & rationem exercendi corporis praeſcriberent, uirium & coloris rationem habere uidebantur. hoc ſenſu & Celſus uſurpauit, cum dixit initio librorum ſuorum: Qui ſuae ſpontis eſt, nullis ſe obligare legibus debet, neque medico, neque alipta egere. & Ariſtoteles Moralium lib. 2. Cur autem gymnaſtae, aliptae interdum ſint appellati, occurrit ea ratio, quod ad eorum curam unctio quoque athletarum pertinebat. ita non a toto munere, ut gymnaſtae, ſed a parte muneris, aliptae dicti ſunt: ut gymnaſium quoque palaeſtra uocabatur: cum palaeſtra gymnaſij pars ſit. Aliptas uero pro unctoribus, proprio ſenſu, ſaepe uſurpauit Coelius Aurelianus. VIRIVM, *& coloris rationem habere uoluiſſent.*} ideſt, ut me non ſolum ab exſulio reuocaſſent, ſed priſtinam ſimul cum ſalute dignitatem reſtituere uoluiſſent. ep. 2. lib. IV. ad Att. Qui mihi pennas inciderant, nolunt eaſdem renaſci. NVNC,} pro, Sed,

ut lib. I. de Diuin. Quae quidem multo plura euenirent, ſi ad quietem integri iremus: nunc onuſti cibo, & uino, confuſa & perturbata cernimus. Et in prooemio Tuſc. III. Nunc paruulos nobis natura dedit igniculos: & alibi ſaepe. Graeci quoque νῦν pro ἀλλὰ crebro uſurpant. APELLES} Cous, pingendi mirus artifex, cui palmam in hoc genere detulit antiquitas. Dilexit eum praecipue, pingiq. ab uno uoluit, ut a Pyrgotele ſcalpi, a Lyſippo fingi, a ceteris edicto uetuit, Alexander ille Macedo. Plinius lib. VII. cap. 37. & lib. XXXVII. cap. I. Horatius ep. I. lib. 2. & hic noſter ep. 12. lib. V. & ad Att. ep. I. lib. 2. in Bruto, de Oratore lib. III. & alij. VENERIS} quae una maxime inter Apellis opera excelluit. celebratur a Cicerone ep. 21. lib. 2. ad Att. lib. III. Off. lib. 2. de Diuin. in Oratore, lib. I. de nat. de. in Verrem. POLITISSIMA *arte*} cui nihil deeſſet, exquiſita in primis, & egregia. ſic Politum iudicium, polita doctrina, politus homo. INCHOATAM} inchoatum eſt, quod principia tantum habet. ſic lib. III. Off. Nemo pictor eſt inuentus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquit, abſolueret. RELIQVIT} inexſpectata morte oppreſſus. IN *capite meo*} quia ſalutis tantum, non etiam dignitatis meae, rationem habere noluerunt. ELABORARVNT,} cum me in patriam reduxerunt. NON *modo inuidorum,*} de quibus hactenus locutus eſt. SED *etiam inimicorum*} qui multo etiam magis, quam inuidi, ſperauerant me poſt reditum, memoria calamitatis admonitum, fracto, ac demiſſo animo futurum. DE. VNO *acerrimo*,} Vno, magis exprimit Metelli fortitudinem, quam ſi dixiſſet, De acerrimo: quaſi praeter ceteros ea laude excelleret. CONSTANTIA} cum in L. Saturnini legem de agro Gallico diuidendo, per uim latam, iurare noluit, & in exſulium abire, quam de ſua ſententia decedere, maluit. Plutarchus in Mario, Appianus lib. I. bel. ci. in oratione pro Sextio. Q. METELLO L. F.} diſtinguendus erat a duobus Metellis, quorum utrique praenomen Quincto fuit, Balearico, & Nepote. itaque uel Numidici cognomen, ut in oratione pro Sextio, uel patris praenomen, ut hic, addi oportuit. Eandem ob cauſſam lib. III. de Orat. dixit, Carneadis auditores, etſi multos cognoui Athenis, tamen auctores certiſsimos laudare poſſum & ſocerum meum Scaeuolam, & Q. Metellum L. F. clariſsimum uirum. Hoc Caeciliae familiae cognomen unde manauerit, Feſti fragmenta demonſtrant. Metelli, inquit, dicuntur in re militari quaſi mercenarii. Attius annalium XXVII. Calones, famuliq. Metelliq. Caculaeq. a quo genere hominum Caeciliae familiae cognomen putatur ductum. FRACTO *animo, & demiſſo*} fracta enim demittuntur potius, quam extolluntur. EST *uero probandum*;} ironia; quae negandi uim habet, cum affirmare uerba tamen ipſa uideantur. Sic Virgilius lib. IV. Aeneid.

Egregiam uero laudem, & ſpolia ampla refertis Tuq. puerq. tuus.

SVMMA *uoluntate*} tantum abeſt, ut inuitus, ut etiam libentiſsime, precibus propinquorum, amicorumq. neglectis, patria ceſſerit. EGREGIA *animi alacritate abſuerit*,} cum reliqui fere omnes, erepto adſpectu patriae, in maerore iaceant. Recitat Gellius ipſius Metelli, ex epiſtola ad Domitios, haec uerba: Illi omni iure, atque honeſtate interdicti: ego neque aqua, neque igni careo; & ſumma gloria fruiſcor. De hac Metelli alacritate, & perpetua uultus, animiq. conſtantia, Valerius lib. IV. cap. I. & is, qui librũ ſcripſit de uiris illuſtribus. M. ILLVM *Scaurum*,} patrem eius, pro quo exſtat mutilata Ciceronis oratio, patricium, Aemiliae gentis, ſaepe principem ſenatus. in cenſura Aemiliam uiam ſtrauit, pontem Aemilium exſtruxit. Nominat eundem cum laude in oratione pro Sextio, in ea pro Rabirio, & Salluſtius, Pedianus, Plinius, ſcriptor libri de uiris illuſtribus. Dicit autem M. illum Scaurum, ut hic diſtinguatur ab eo M. Scauro, qui conſularis & ipſe fuit, ſed Aureliae gentis, ideſt plebeij generis, minime cum hoc uirtute, & honore conferendus. itaque, cum loquitur Cicero de nobiliore Scauro, addit fere, diſtinguendi gratia, pronomen, Ille, ut in ea pro domo: Quod M. Druſus in legibus ſuis pleriſque, bonus ille uir M. Scaurus, & L. Craſſus conſules non obtinuerint. CONSTANAIA, *& grauitate*} qui a C. Graccho uſque ad C. Marium ſeditioſis omnibus reſtiterit; quem nulla uis, nullae minae, nulla inuidia labefecerit. ſic enim de eo ſcripſit Cicero in oratione pro Sextio: in ea uero, quam pro eius filio habuit, cuius exſtant reliquiae quaedam, cuſtodem appellat reip. Ter accuſatum, a Domitio tribuno pl. a Q. Seruilio Caepione, a Q. Vario tribuno pl. nec umquam damnatum, indicat eadem oratio. Actione autem prima in Verrem ornat eum eadẽ conſtantiae, grauitatisq. laude. Sic enim Scauri generum, M'. Acilium Glabrionem, praetorem, alloquitur: Circumſtant te ſummae auctoritates, quae te dies, noctesq. commoneant, fortiſsimum tibi patrem, ſapientiſsimum auum, grauiſsimum ſocerum fuiſſe. Quare, ſi Glabrionis patris uim, & acrimoniam ceperis ad reſiſtendum hominibus audaciſsimis; ſi aui Scaeuolae prudentiam ad proſpiciendas, quae tuae, atque horum famae comparantur, inſidias; ſi ſoceri Scauri conſtantiam, ne quis te de uera, & certa poſsit ſententia dimouere: intelligit populus Romanus. &c. Conſtantiam eius Pedianus etiam commendat his uerbis: Q. Seruilius Caepio Scaurum ob legationis Aſiaticae inuidiam, & aduerſus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum, lege, quam tulit Seruilius Glaucia. Scaurus tanta fuit conſtantia, & animi magnitudine, ut Caepionem contra reum detulerit, &, breuiore die inquiſitionis accepta, effecerit, ut ille prior cauſſam diceret, M. quoque Druſum tribunum pl. cohortatus ſit, ut iudicia commutaret. GRAVITATE: in eadem oratione pro Scauro Grauitatem ei tribuit. Curia, inquit, illa de grauiſsimo principatu patris, fortiſsimoq. teſtatur. SVSPICABANTVR,} quia uериſimile uideretur, malis enim ſaepe frangitur conſtantia. CVM Q. *Metellum*} ſic malo, quam, Cum Q. Metellum. eſt enim haec altera ratio, cur maiore etiam, quam antea, eſſe animo deberet. Habent autem libri quoque ueteres, in ijs Mediceus, Cumque. PROMVLGANTIBVS *omnibus*,} legem de reditu Ciceronis omnes magiſtratus promulgarunt, praeter Appium praetorem, P. Clodij, qui Ciceronem ſua lege eiecerat, fratrem, & duos tribunos pl. Serranum, & Numerium Quinctium, quos in oratione in Piſonem de lapide emptos uocat. pro Milone autem, Septem, inquit,

inquit, praetores, octo tribuni pl. defenſores mei. REFERENTE. CONSVLE,} P. Lentulo. idem in oratione poſt reditum ad Quir. Ego, ijs, a quibus eiectus ſum, prouincias obtinentibus, inimico autem optimo uiro, & mitiſsimo, altero conſule referente, reductus ſum. Hoc tamen intelligendum, quia Lentuli maxime opera in patriam reſtitutus eſt Cicero, ideo relationem in ſenatu ei tantum tribui, cum tamen alter conſul, non a principio, ſed P. Seruilij Iſaurici oratione permotus, in relatione conſenſerit. itaque, cum ait Cicero, Lentulum retuliſſe, actionis initium, & praecipuam ſui reditus cauſſam ſpectat; cum uero addit, ſimul Q. Metellum retuliſſe, exitum rei conſiderat. primo enim aduerſatus non eſt Metellus Lentulo referenti, poſt etiam, ſeruili cohortatione, & precibus, adiuuit. unde illud in oratione poſt reditum in ſenatu: Fuit is non modo ſalutis defenſor, qui ante hoc unum beneficium fuerat inimicus, uerum etiam adſcriptor dignitatis meae. Et in ea poſt reditum ad Quir. P. Lentulo auctore, & pariter referente collega, frequentiſsimus ſenatus, uno diſſentiente, nullo intercedente, dignitatem meam uerbis ampliſsimis ornauit. Et pro domo: Q. Metellus, collega tuus, de me ad ſenatum tecum una retulit. Et pro Sextio: Vt & Q. Metellus conſul, qui mihi uel maxime ex magnis contentionibus reip. fuiſſet inimicus, de mea ſalute retulerit. COMITIIS *centuriatis,*} quibus legem tulit Lentulus conſul. qua de re ſic in oratione pro domo: Conſtat, nullis umquam comitijs campum Martium tanta celebritate, tanto ſplendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruiſſe. In Piſonem: Legem comitijs centuriatis tulit P. Lentulus conſul de collegae Q. Metelli ſententia: quae lex quemadmodum accepta ſit, quid me attinet dicere? ex uobis audio, nemini ciui ullam, quo minus adeſſet, iuſtam excuſationem eſſe uiſam, nullis comitijs umquam multitudinem hominum tantam, neque ſplendidiorem fuiſſe. Et pro Sextio: Cum de me ex S. C. comitijs centuriatis ferebatur; quis eſt, qui non profiteatur ſe affuiſſe, & ſuffragium de ſalute mea tuliſſe? Comitiorum tria genera fuerunt: de quibus alio loco pluribus uerbis: hoc tantum dicam, centuriatis creari ſolitos eſſe maiores dumtaxat magiſtratus, conſules, decem uiros, tribunos mil. conſulari poteſtate, cenſores, praetores: ijsdem a maioribus tantum magiſtratibus leges eſſe latas, ut cum de bello indicendo ferebatur: haberi autem a tribuno pl. non potuiſſe, qui non fuit inter maiores magiſtratus. quod ſi perduellionis aliquem tribunus pl. accuſaret, (quo de crimine centuriatis comitijs populus iudicare ſolitus eſt) petebat a conſule diem, quo populum in campum Martium per centurias non ipſe, ſed conſul ad iudicium conuocaret. Liuius, Gellius, alij. ORDINIBVS,} Augere ſententiam Cicero uidetur, cum, facta hominum mentione, ordines ſubiungit: quod illi familiare eſt. ep. 10. lib. III. Quae de hominum, atque ordinum omnium erga te ſtudijs ſcribis ad me. Et pro Cornelio, oratione I. Num alicui gratificabatur aut homini, aut ordini? & Coelius ep. 17. lib. IIX. Praeter feneratores paucos, nec homo, nec ordo quiſquam eſt, niſi Pompeianus. Omni genere hominum, & ordine, dixit lib. 2. Off. Tres autem erant ordines in ciuitate, ſenatus, equites, plebs. QVOD *quemquam maleuolentiſſimum*} uel minima res maleuolentiſsimos offendit: ego tamen nihil committo, quod iure quemquam, uel maleuolentiſsimum, poſsit offendere. ALIENIORIBVS} cum quibus nulla intercedit amicitia. Ad Att. ep. 20. lib. 2. Si modo erunt eiuſmodi litterae, quas in alienum incidere nolim. Et ad eundem lib. X. Obſignata iam epiſtola, non placuit ei dare, cui conſtitueram; quod erat alienus. Ep. 2. lib. I. ad Q. fr. Si Clodius ui agere conabitur; ſpero fore ſtudijs non ſolum amicorum, ſed etiam alienorũ, ut ui reſiſtamus. Pro Murena: Ea condicione Cato nobis erat in hac ciuitate natus, ut eius opes, & ingeniũ praeſidio multis, etiam alieniſsimis, uix cuiquam inimicus eſſe deberet. EOS} quos ſaepe nutu, & ſignificatione appellat. inuidebant enim Ciceroni, nouo homini, optimates multi. SPLENDOREM, *& ſpeciem*} dignitatẽ & gratiã. INTVENTVR,} plus eſt, Perſpicere, quam Intueri. propterea de manifeſtis, ſplendore, & ſpecie, dixit, Intuentur: de occultioribus autem, ſollicitudine, & labore, Perſpicere non poſſunt. ſimilibus uerbis, in ſimili ſententia, uſus eſt Iſocrates, cum ſcriberet ad Iaſonis liberos: Τὰς μὲν ἐξουσίας, inquit, καὶ τὰ κέρδη, καὶ τὰς ἡδονὰς ὁρῶσι, καὶ τούτων ἀπολαύσεσθαι προσδοκῶσι: τὰς δὲ ταραχὰς, καὶ τοὺς φόβους, καὶ τὰς συμφορὰς, τὰς τοῖς ἄρχουσι συμπιπτούσας, καὶ τοῖς φίλοις αὐτῶν, οὐ θεωροῦσιν. Crebro incurrebat Cicero in huiuſmodi figuras; primum quidem, quia ualebat ingenio; deinde, quia libros maxime peruolutabat Iſocratis: quem laudat egregie in libris de Oratore, in Bruto, in Oratore. SOLLICITVDINEM, *& laborem*} quibus eum ſplendorem, eamq. ſpeciem tueor. QVIBVS *ornem Caeſarem,*} cui decreuerat ſupplicationem quindecim dierum, ſtipendium, decem legatos. quod ſupra oſtendi. QVASI *deſciuerim*} hic, Quaſi, non minuit, ſed indicat: ut ſi dixiſſet: Illud queruntur in meis ſententijs, quod a priſtina cauſſa diſciuerim. Eadem uis huiuſce uerbi cognoſcitur apud Suetonium in Tiberio, cum ait: Ab Oſtia oram Campaniae legens, imbecillitate Auguſti nunciata, paullum ſubſtitit; ſed, increbeſcente rumore, quaſi ad occaſionem maioris ſpei commoraretur; tantum non aduerſis tempeſtatibus Rhodum nauigauit. A PRISTINA *cauſſa.*} ab optimatum cauſſa, qui ſe tueri remp. profitebantur; cum Caeſar, Pompeius, & Craſſus pro ipſorum potentia contendere uiderentur. Priſtina uero, quam ante exſulium, nulla neque Caeſaris, neque Pompeij ratione habita, defenderat. CVM ILLA *ſequor, quae paullo ante propoſui, tum hoc non in poſtremis,*} cum illa me ad ornandum Caeſarem cohortantur, quae paullo ante collegeram, fides Pompeij, quam Caeſari de me dederat, Quincti fratris, quam Pompeio; ipſius Pompeij uoluntas, de me optime meriti; quorundam optimatum cum inimico non ſolum meo, ſed etiam patriae, ac bonorum omnium reconciliatio; Caeſaris & uetus amicitia, & incredibilis quaedam in me, fratremq. meum liberalitas; res ipſa publica, Pompeij, Caeſariſq. rebus geſtis non mediocriter aucta; quae cum ijs, quibus tantum deberet, nolle contentionem fieri uideretur: cum igitur haec me monent: tum accedit illa ratio, a Platone comprobata, quod, quales in rep. principes, tales uideo reliquos ſolere eſſe ciues. COEPERAM *exponere.*}

*exponere.*} cum enim ſententiam Platonis poſuiſſet de corruptis principum exemplo ciuibus, eam ut probaret, ita longe digreſſus eſt, inducta commemoratione ſui conſulatus, ut a propoſito non nihil aberraſſe uideatur. itaque narrationem interruptam, ab alio tamquam orſus principio, retexit. NON *offendes eundem bonorum ſenſum,*} ex quo ſequitur, ut ſententia quoque noſtra commutanda uideatur: ſiquidem Platonem audimus, mutatae ciuitatis cauſſam in principes conferentem. RELIQVISTI:} tertio ante anno in prouinciam iuerat Lentulus: interea conuerſus eſt orbis reip. ſed maxime ſuperiore anno, Pompeio, & Craſſo cos. CONFIRMATVS} confirmandi enim ſenatus conſul ipſe ex Kal. Ian. fundamenta iecerat. INTERRVPTVS, *& afflictus*} annum ſignificat, quo multa per uim, contraq. auſpicia geſta ſunt a Caeſare conſule, eiusq. uoluntatis miniſtro Vatinio tribuno pl. RECREATVS *abs te totus eſt,*} amiſſam enim Piſone, & Gabinio cos. auctoritatem ſenatus reuocaſti tum alijs in rebus, tum uero in ſalute mea, quam Clodius, ingenti ſenatus dolore, afflixerat. A. QVIBVS *tuendus fuerat,*} de ijs loquitur, quos ſupra appellauit his uerbis: Aut occulta non nullorum odia, aut obſcura in me ſtudia cernebam. Et: Certorum hominum, quos iam debes ſuſpicari, ſermones referebantur ad me. Et: Vſus es quibuſdam nobiliſsimis hominibus, fortioribus in me reſtituendo, quam fuerant ijdem in tenendo. Infra uero: Quidam homines, & ijdem illi, quos ſaepe nutu ſignificationeq. appello. Tuendus autem paſsiue, ut Fruendus, Vtendus: ſed ipſo quoque uerbo paſsiue uſus eſt Varro lib. I. de re ruſt. In bello ab his tuebantur. FRONTE, *atque uultu,*} quae ſaepe mentiuntur. SVSTINETVR,} fallendi ſtudio ſuſcepta. NOSTRO *illo ſtatu*} cum ſententiae noſtrae magnum in ſenatu pondus haberent. OPTIMATES} patroni, ac defenſores publicae cauſſae: quos ita definit in oratione pro Sextio: Duo genera ſemper in hac ciuitate fuerunt, eorum, qui uerſari in rep. atque in ea ſe excellentius gerere ſtuduerunt: quibus ex generibus alteri ſe populares, alteri optimates & haberi, & eſſe uoluerunt. qui ea, quae faciebant, quaeq. dicebant, multitudini iucunda eſſe uolebant, populares; qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur. SENTENTIA} in ſenatu: ex qua non eundem eſſe eorum ſenſum, qui fuerat antea, cognouimus. TABELLA} in iudicijs: cum abſoluerunt, quos damnari oportuit. Nec dubito, quin hic Cicero Sex. Clodij, nocentiſsimi hominis, abſolutionem ſignificet; quem ſenatorum urna copioſe abſoluit; ad quos dirigitur haec tota narratio. ep. 6. lib. 2. ad Q. fr. SAPIENTIVM *ciuium,*} qui remp. optimo & animo, & conſilio tractarent, ſapientes olim uocabantur: & hoc ſapientiae genere Theages ille Platonicus optat excellere. hac igitur de ſapientia loquitur Cicero, nõ de illa, quae, ut a Stoicis definitur, diuinarum, humanarumq. rerum perfecta ſciẽtia eſt. IDEM *ille Plato,*} a me antea nominatus. QVEM *ego auctorem uehementer ſequor:*} cuius apud me grauis admodum auctoritas eſt; cui praecipienti aliquid maxime pareo; cuius etiam ſententias in mea ſcripta libenter transfero. Plinius in praefatione, Cicero, inquit, in libris de rep. Platonis ſe comitem profitetur: in Conſolatione filiae, Crantorem, inquit, ſequor. TANTVM *contendere in rep. &c.*} Platonis uerba ſunt in Critone: Πανταχοῦ ποιητέον ἃ ἂν κελεύοι ἡ πόλις τε, καὶ ἡ πατρὶς: ἢ πείθειν αὐτὴν, ᾗ τὸ δίκαιον πέφυκε: βιάζεσθαι δὲ οὐχ ὅσιον οὔτε μητέρα, οὔτε πατέρα, πολὺ δὲ τούτων ἔτι τὴν πατρίδα. Idem dixit in epiſtola longa ad Dionis propinquos: Πατέρα δὲ ἢ μητέρα, οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι προσβιάζεσθαι, μὴ νόσῳ παραφροσύνης ἐχομένους. βίαν δὲ πατρίδι πολιτείας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν, ὅταν ἄνευ φυγῶν, καὶ σφαγῆς ἀνδρῶν, μὴ δυνατὸν ᾖ γίνεσθαι τὴν ἀρίστην. QVANTVM *probare*} rationibus. nam uis neque patriae, neque parentibus afferenda. quod Plato dixerat, ᾗ τὸ δίκαιον πέφυκε, conuertit, Quantum probare tuis ciuibus poſsis. VIM *neque parenti, neque patriae*} eundem Platonis locum Salluſtius in prooemio Iugurthini uidetur imitatus. Vi quidem, inquit, regere patriam, aut parentes, quamquam & poſsis, & delicta corrigas, tamen importunum eſt. AIT.} non hoc ait in eodem dialogo, ſed in epiſtola ad Perdiccam, quam Ficinus Dionis eſſe putat. Subſcribemus Graeca uerba; in quibus de ſeniore iam populo, ueteribusq. inſtitutis aſſuefacto, non de deſipiente, mentio fit. ſed uidelicet Ciceronis hoc eſt in Graecis conuertendis, ut uerba non numeret, ſed tamquam appendat. quod ipſemet in prooemio libri de perfecto oratore profitetur. Ἐὰν δέ τις ἀκούσας ταῦτα εἴπῃ: Πλάτων, ὡς ἔοικε, προσποιεῖ μὲν τὰ δημοκρατίᾳ ξυμφέροντα εἰδέναι: ἐξὸν δὲ ἐν τῷ δήμῳ λέγειν καὶ συμβουλεύειν αὐτῷ τὰ βέλτιστα, οὐ πώποτε ἀναστὰς ἐφθέγξατο. πρὸς ταῦτ' εἰπεῖν: ὅτι Πλάτων ὀψὲ ἐν τῇ πατρίδι γέγονε, καὶ τὸν δῆμον κατέλαβεν ἤδη πρεσβύτερον, καὶ εἰθισμένον ὑπὸ τῶν ἔμπροσθεν, πολλὰ καὶ ἀνόμοια τῇ ἐκείνου ξυμβουλῇ πράττειν: ἐπεὶ πάντων ἂν ἥδιστα, καθάπερ πατρὶ, συνεβούλευεν αὐτῷ, εἰ μὴ μάτην μὲν κινδυνεύσειν ᾤετο, πλέον δ' οὐδὲν ποιήσειν. QVOD,} deeſſe uidetur, quo referatur. nam ea, quae ſequuntur, uerba, offendiſſet, uidiſſet, diffideret, arbitraretur, propinquam particulam, Cum, ſingula reſpiciunt: quod acute intuentibus uiſum iri arbitror. PROPE *iam deſipientem ſenectute;*} ſimilitudine uſus eſt Cicero hominum non morbo, aut caſu aliquo, ſed ſenectute deſipientium. nam, ut aetatis uitium corrigi iam non poteſt: ſic populum diuturna peccandi conſuetudine ita corruptum, ut prope ad inſaniam peruenerit, nulla ratio ad ſanitatem traduxerit. NEC *perſuadendo,*} quia prope deſiperet ſenectute. NEC *cogendo*} quia uim neque parenti, neque patriae afferri oporteret. DIFFIDERET,} quis autem, quod praeſtari a ſe poſſe diffidat, id conetur? Salluſtius in eodem loco, ex Platonis uerbis, εἰ μὴ μάτην μὲν κινδυνεύσειν ᾤετο, πλέον δὲ οὐδὲν ποιήσειν, hanc ſententiam ita refert: Fruſtra niti, neque aliud, ſe fatigando, niſi odium, quaerere, extremae dementiae eſt. MEA *ratio fuit alia,*} uerbum, Ratio, multis rebus eleganter communicat Latina lingua, hec ſemper eodem ſenſu. ep. 5. lib. III. Animaduerti, & didici ex litteris tuis, te omnibus in rebus habuiſſe rationem, ut mihi conſuleres, reſtitueresq. & praeparares quodam modo omnia, quo mea ratio facilior, ac ſolutior eſſe poſſet. Et ibidem, infra: Tua ratio poſtea eſt commutata. Et ep. 3. eiuſdem libri;

bri: Mea ratio in tota amicitia noſtra conſtans,& grauis reperietur. Quibus in locis atque alijs, quae breuitatis cauſſa praetermitto, licet intelligere, quae res huic ſubiecta uerbo ſit: nec difficilis imitatio eſt: ſed, uerbo uerbum explanare ſi quis uelit, fruſtra fortaſſe conabitur. Eſt enim ratio nonnumquam id, quod ad nos pertinet,& quaſi ſtatus quidam rerũ noſtrarum: interdum autem actio potius uidetur eſſe: ut cũ dixit, Quo mea ratio facilior, ac ſolutior eſſe poſſet. Et illud, Tua ratio poſtea eſt cõmutata. Et, Mea ratio, in tota amicitia noſtra cõſtans,& grauis reperietur. Cogi *fas eſſe non arbitraretur.*} hoc pendet non a proximo, Cũ, ſed ab eo, Quod, ubi cauſſam explicare Cicero incipit, cur Plato remp. non attigerit: hoc modo: Atque hãc quidem ille cauſſam ſibi ait nõ attingendae reip. fuiſſe, quod populum Athenienſem, cũ perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe non arbitraretur. Neqve *integra re*} integra Platoni res fuit ad conſulendum; quia nũquam attigit remp. quod mihi non contigit; qui cum remp. antea tractaſſem, propterea implicatus tenebar; quod rationes quaedam, ut a publicis rebus abſtinerem, & ad noſtra me ſtudia litterarum referrem, quaedã contra, ut in uetere uitae curſu, publicisq. actionibus pergerem, hortari uiderentur. Laetatvs *tamen ſum*,} in hac moleſtia, quam ex mutatione ſententiae meae capiebam, laetabar tamen, quod in defendenda Caeſaris, Pompeijq. cauſſa, non modo rationibus meis, otioq. ac ſaluti conſulerem, ſed etiam ea defenderem, quae probari poſſent a bonis uiris. Oſtendit ita ſe cum Caeſare, ac Pompeio ſentire uelle, ne quid tamen, quod obſit reip. committat. id infra confirmat, cum ait: Facile patior ea me de rep. ſentire, ac dicere, quae maxime cum mihi, tum reip. rationibus putem conducere. Caesaris *liberalitas*:} de qua ante: Hic multum ualuit cum uetus amicitia, quam tu non ignoras mihi, & Quincto fratri cum Caeſare fuiſſe, tum humanitas eius, ac liberalitas, breui tempore & litteris, & officijs perſpecta nobis, & cognita. Commemorat eam libenter Cicero, quia beneuolentiam liberalitas maximopere conciliat. infra quoque: Eius omni & gratia, quae ſumma eſt, & opibus, quas intelligis eſſe maximas, ſic fruor, ut meis. Tantisq. *uictorijs*,} quantas ipſe exponit quinque primis libris de bel. Gal. ſuperatis Heluetijs, & Germanis, ut in lib. I. Neruijs, ut in lib. 2. de quibus, deq. omni Gallia pacata cum Caeſar ad ſenatum litteras miſiſſet, decreta ei quindecim dierum ſupplicatio eſt; quod ante id tempus acciderat nemini: Venetis, maritimam Galliae partem contra Britanniam incolentibus, lib. 3. rurſus Germanis deuictis, Sicambris perterritis, cum Rhenum primus Romanorum cum exercitu tranſiſſet, Britanniae poſt ſecunda proelia obſidibus imperatis; quibus rebus Romae cognitis, decreta ei uiginti dierum ſupplicatio: ut ex ipſius lib. IV. conſtat: in Britanniam copijs iterum traductis, re bene geſta, tributo impoſito, obſidibus acceptis, mox in Gallia Eburonibus, Aduaticis, Neruijsq. pugna uictis, ut lib. V. quae geſta ſunt Domitio & Appio coſ. quo anno ſcripta eſt epiſtola, &, ut uidetur, in extremo. itaque uel, quae commemoraui omnia, uel pleraque certe ſignificat Cicero, cum ait, Tantisq. uictoriis. Ornandvs} reip. cauſſa. Meae *ſalutis auctoribus*} quorum uirtute, atque opera ſum in patriam reſtitutus. in libro de claris oratoribus: Lentulus ille, noſtrarum iniuriarum ultor, auctor ſalutis. Discesserim} uobis exceptis, nemo eſt, cui perinde ac Caeſari debeam; ſecundum uos, nullius in me maiora, quam Caeſaris, merita eſſe confiteor. Similiter locutus eſt ep. 12. lib. VI. Omnes Caeſaris familiares ſatis opportune habeo implicatos conſuetudine, & beneuolentia, ſic, ut, cum ab illo diſceſſerint, me proximum habeant. Devinctvm} proxime: Commemoranda quaedam,& diuina Caeſaris in me, fratremq. meũ liberalitas. Et ad fratrem ep. I. lib. III. Ille mihi, ſecundum te,& liberos noſtros, ita eſt, ut ſit paene par. Gavdeam.} debitori ſolere odio eſſe creditorem, cognoſcitur ex Ariſtot. Ethicorum lib. IX. Καθάπερ οὖν ἐπὶ τῶν δανείων, οἱ μὲν ὀφείλοντες βούλονται μὴ εἶναι οἷς ὀφείλουσι, οἱ δὲ δανείσαντες καὶ ἐπιμέλονται τῆς τῶν ὀφειλόντων σωτηρίας· οὕτω καὶ τοὺς εὐεργετήσαντας βούλεσθαι εἶναι τοὺς παθόντας, ὡς κομιουμένους τὰς χάριτας. Non igitur qui beneficiũ accepit, ſed qui dedit, gaudere ſolitus eſt. parit enim uirtutis exercitatio laetitiam: & amamus eum, in quo liberalitatem, ideſt uirtutem, exercemus. is autem, cui tributum beneficium eſt, non aeque amat eum, qui tribuit, nec ſe deuinctum eius officijs cum gaudio confitetur. nemo eſt enim, quẽ ſuae tenuitatis commemorato delectet. Cicero tamen erga bene de ſe meritos ita delectatur officio ſuo, non modo ut fateatur id, quod debet, ſed etiam ut debere ſe gaudeat. quod ipſi Lentulo, cuius opera ſalutem recuperauerat, fore gratiſsimum intelligit. nam ſi talem Caeſari animum praeſtat: quid faciet ei, cui ſe plus, quam Caeſari, debere, iam dixit? Facilia *ſunt*} nam, quae me cauſſae ad ornandum Caeſarem adduxerunt, iiſdem, ut cum Vatinio, & Craſſo in gratiam redirem, adductus ſum. De appio} cum quo per Pompeium, cuius filio nuſperat Appij filia, in gratiam rediit: ut eſt in ep. ad M. Brutum, apud Quinctilianum. De vatinio} quem, ſcire uis, cur defenderim, & laudarim. Geſſerat cum eo graues inimicitias Cicero, tum reip. cauſſa, quia leges contra ſenatus uoluntatem, contraq. morem maiorum tulerat in tribunatu; tum etiam, quia teſtimonium dixerat in Sextium, quem Cicero de ui accuſatum defendit. Per *Pompeium*,} quo conſule comitia habente, ſuperiore proximo anno praetor Vatinius creatus eſt, M. Catone reiecto: qui cum ante Vatinium populi ſuffragijs praetor fieret, conſul Pompeius, auſpicia mentitus, comitia diſſoluit. quod ei, augur cum eſſet, iure, ſacerdotij licebat. Plutarchus in Pompeio, Dio lib. 39. Praetor *eſt factus*;} corruptis ſuffragiis, anno proximo, conſulibus ex interregno creatis Pompeio, & Craſſo. Plutarchus. Catonis} uiri optimi, qui cum Vatinio, nequiſsimo homine, praeturam anno proximo ſuperiore petens, repulſam tulerat: hoc autem anno praetor erat. ep. 2. lib. III. ad fratrem; Aſconius in commentario orationis pro Scauro. Defenderem,} accuſatus eſt Vatinius, ut ait Pedianus in commentarij prooemio orationis pro Scauro, Appio & Domitio coſ. id eſt, quo anno ſcripſit Cicero hanc epiſtolam: accuſatus autem a C. Licinio Caluo de ambitu, quia praetoria comitia corrupiſſet. nam & centurijs nummos ab eo contra leges datos, ait Plutarchus in

I Pompeio:

Pompeio : & Quinctilianus locum recitat lib. VI. ex oratione Calui contra Vatinium de ambitu reum. Egregie, inquit, in Vatinium Caluus: Factum ambitum ſcitis omnes : & haec uos ſcire, omnes ſciunt. Idemq. lib. VI. ponit illud ex oratione Calui in Vatinium : Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem. Aquila quoque Romanus haec recitat ex Calui oratione in Vatinium: Non ergo pecuniarum magis repetundarum, quam maieſtatis; neque maieſtatis magis, quam Plautiae legis; neque Plautiae legis magis, quam ambitus; neque ambitus magis, quam omnium legum omnia iudicia perierunt. Legimus etiam in Seneca, declamationum lib. VI. Caluus, qui diu cum Cicerone iniquiſsimam litem de eloquentiae principatu habuit, uſque eo concitatus auctor fuit, ut in media oratione eius exclamaret Vatinius reus: Rogo uos, iudices, num, ſi iſte diſertus eſt, ego damnandus ſum? Accedit Cornelij Taciti teſtimonium in dialogo de oratoribus. Verſantur, inquit, in manibus hominum ſtudioſorum accuſationes Calui in Vatinium, ac praecipue ſecunda ex his oratio. Et infra ibidem: Nono decimo aetatis anno L. Craſſus C. Carbonem, uno & uiceſimo Caeſar Dolabellam, altero & uiceſimo Aſinius Pollio Catonem, non multo aetate antecedens Caluus Vatinium, ijs orationibus inſecuti ſunt, quas hodieq. cum admiratione legimus. Ipſe Vatinius ita ſcripſit ad Ciceronem lib. V. Si tuam conſuetudinem in patrocinijs tuendis ſeruas, P. Vatinius cliens ad te uenit, qui pro ſe cauſſam dicier uult. non puto, repudiabis in honore, quem in periculo recepiſti. Et ad Q. Fr. ep. ult. lib. 2. Poſt meridiem, inquit, Vatinium aderam defenſurus. MIRA *contentio*} nec mirum: tribunatum enim ſuum ex Caeſaris libidine Vatinius geſſerat: in quo, praeter alia, legem tulerat, inuito ſenatu, de Gallia citeriore ab eo ſimul cum Illyrio per quinquenium obtinenda. Suetonius, Plutarchus, omnes hiſtorici. LAVDARIM,} dixi iam laudari ſolitos eſſe reos ab ampliſsimis uiris; quod eorum laudatio quaſi quaedam apud iudices commendatio uideretur. NE. TIBI *ego idem reponam,*} ne ego quoque abs te quaeram, cum ueneris, cur non nullos in iudicio laudaris, de quibus tamen haud optime ſentias: poſſum idem quaerere a te abſente: cum ex Hiſpania citeriore quibuſdam laudationem miſeris. Cauſſam igitur defendendi Vatinij, Caeſaris contentionem poſuit. &, quia ſubijcere Lentulus poterat: an etiam, ut eundem laudares, Caeſar contendit? excuſat laudationem ſuam ipſius Lentuli exemplo, cum alia ratione uix poſſet: ſiquidem neceſſaria, contendente Caeſare, defenſio uideri poterat, laudatio autem, uoluntaria. Scimus autem, hoc eſſe poſitum in oratoris artificio, ut, cum rationes & argumenta non ſuppetant, ad exempla confugiat. VLTIMIS *terris*} Hiſpaniae duae fuerunt, citerior, & ulterior: quam utramque anno ſuperiore & ſenatus, & lege a tribuno pl. Trebonio perlata, populus Pompeio dederat. hic de citeriore accipiendum; cui praefuiſſe cum imperio Lentulum, ſupra demonſtratum eſt ijs uerbis, Cum tu Hiſpaniam citeriorem cum imperio obtineres. Et quamquam ulterior Hiſpania potius, quam citerior, ultima terrarum eſſet ad Oceanum uſque pertinens: ad commune tamen Hiſpaniae nomen Cicero ſpectauit, cum eſſet ea tota prouincia ad occidentem, ſicuti ad orientem Syria, terminus imperij Romani. De Cilicia tamen, quae citra Syriam eſt, dixit Cicero ep. 7. lib. XV. A te ipſo miſsi in ultimas gentes. Non quod ultimae gentes, ſed quod inter ultimas imperij Romani. Salluſtius autem in Coniuratione Catilinae: Pompeius in extremis terris bellum gerebat, id eſt, extremis imperij, in finibus imperij, ad imperii fines. Et Nepos in Attici uita: Antonius ex ultimis terris, quid ageret, quid curae ſibi haberet, certiorem faciebat Atticum. MISERIS.} per litteras etiam ab ijs, qui aberant, rei laudabantur. Aſconius in commentario pro Scauro: & Planco Burſae laudationem a Pompeio, cum eſſet proconſul ad urbem, ad iudices miſſam, legimus in Dione lib. XL. PERTIMVERIS } apparet, laudatos a Lentulo, qui ab optimatibus diſsiderent. SED *tamen*} omiſſa laudatione, redit ad cauſſas defenſionis. quod enim P. Clodium quidam optimates, Ciceronis inimicum, ipſo praeſente amplexarentur, in manibus haberent, fouerent, oſcularentur, ut ei ſtomachum facerent: propterea, ut eorum conſuetudinem imitaretur, & quaſi par pari referret, ipſe quoque, hominem optimatibus inuiſum, Vatinium defendit. PAR *pro pari referto,*} ſic ſtat uerſus: Par pari, trocheum admiſcebat, qui locum non habet in ſenarijs. Graeci dicunt, ἀντιποιεῖν. QVIDAM *nobiles homines,*} de quibus ante: Certorum hominum ſermones referebantur ad me; qui, cum illa ſentirent in rep. quae ego agebam, ſemperq. ſenſiſſent, me tamen non ſatisfacere Pompeio, Caeſaremq. inimiciſsimum mihi futurum, gaudere ſe aiebant. Et aliquanto poſt: Quidam homines in capite meo ſolum elaborauerunt, reliquum corpus imperfectum, ac rude reliquerunt. SEVERE *ſeducerent,*} quaſi de grauibus, ſerijsq. rebus cum eo deliberaturi. adhibetur enim ad ſeria ſeueritas. unde praeceptum illud lib. I. Off. Videat in primis, quibus de rebus loquatur: ſi ſerijs, ſeueritatem adhibeat; ſi iocoſis, leporem. SVVM *Publium,*} Clodium, cum quo in gratiam redierant. quae maxime res ab optimatum cauſſa Ciceronem abalienauit, & cum Caeſare, totaq. Caeſaris factione coniunxit, ut etiam duos maxime omnium infenſos, atque inimicos optimatibus, Gabinium rogatu Pompeij, Vatinium Caeſare contendente defenderit, & laudarit. hoc ipſemet explanat in oratione de prouincijs: Leuiſsime feram, ſi forte ijs minus probaro, qui meum cũ inimico ſuo reditum in gratiam uituperabunt; cum ipſi & cum meo, & cum ſuo inimico in gratiam redierint. LEVITER *repungere.*} excuſatio triplex, quod leuiter eos offendat, quod laceſsitus, quod in re ſimili, ideſt in altero Publio. SAEPE *facio*} quod in iudicio dixi, ſaepe facio, ut eorum animos leuiter repungam. DIIS, *hominibusq. approbantibus.*} ſine ulla cuiuſquam reprehenſione. ſic ep. 4. lib. 2. ad Q. Fr. Vatinium, a quo palam oppugnabatur Sextius, arbitratu noſtro concidimus, dijs hominibusq. plaudentibus. Contra ep. 2. lib. III. ad eundem: Probe premitur Gabinius: niſi noſter Pompeius, dijs hominibusq. inuitis, negotium inuertit. HABES *de Vatinio :*} cur Vatinium defenderim, cognouiſti. Habes, inquit; quia, quae audimus, accipimus animo.

infra;

infra: Accepiſti, quibus rebus adductus, quamq. rem, cauſſamq. defenderim. DE.CRASSO,} de quo quaeſijſſe Lentulus non uidetur. nam in prima epiſtolae parte Caeſar, Appius, Vatinius, ex Lentuli litteris, nominantur, Craſsi nulla mentio. ſed Ciceroni propoſitum in primis hoc eſt, ut excuſet ea, quae ſibi aliquam inurere notam inconſtantiae poſsint. quare, cur & cum Craſſo poſt reconciliationem conten derit, &, poſt contentionem, rurſus in gratiam redierit, cauſſas diligenter exponit. MAGNA *iam gratia*} uetus inter eos fuerat ſimultas, uel exorta Cicerone conſule, cum Craſſus Catilinae conſiliorum particeps eſſe putaretur, ut hiſtoriae declarant; uel, ut ego arbitror, multo ante, cum Cicero ab adoleſcentia ſua, ut in hac epiſtola iam dixit, Pompei fautor extitiſſet, Craſſumq. ſaepe, ut ep.12.lib.1. ad Att. ſcripſit, in Pompeiana laude perſtrinxiſſet: in ſuaſione quidem legis Maniliae, laudem ſeruilis belli, Craſsi uirtute confecti, magna ex parte ad Pompeium transfert. Primus dies eos in gratiam reduxit, cum Craſſus in ſenatu, praeſente Pompeio, a Mithridatico bello proxime reuerſo, de rebus a Cicerone conſule in urbe geſtis ornatiſsime locutus eſt. cuius orationis illuſtrem ſententiam cum Cicero ad Atticum ſcripſiſſet, ſubiunxit, Hic dies me ualde Craſſo adiunxit. Rurſus odium intet eos emerſit, quo anno lege Clodia Cicero pulſus eſt, Craſſo Clodium adiuuante, ut in Plutarcho legimus. Iterum autem reconciliati, reſtituto in patriam Cicerone, intercedente Publio Craſsi filio, Ciceronis amantiſsimo, ut idem Plutarchus. Tertiae tum diſſenſionis, tum etiam reconciliationis cauſſa hic exponitur. COMMVNIS *concordiae cauſſa,*} quod priuatas inimicitias reip. donandas putaret; ne quando priuatis odiis publica impediretur utilitas. CONTRIVERAM;} depreſſeram, conſumpſeram. contrita enim uim non habent. ſic in Tuſc. 5. Cum uirtutem ad caelum extulerint, reliqua ex collatione facile eſt conterere, atque conſumere. DEFENSIONEM *Gabinij,*} in ſenatu, cum in abſentem Gabinium acerbiſsime inuectus eſt Cicero. oratio de prouincijs, & in Piſonem. DISPVTANTEM,} cum eo in ſenatu. nam, in iudicio, dixiſſet potius, agentem. LAESISSET;} contumelia uerborum. ſatis enim conſtat, non eorum modo animos laedi, contra quos aliquid fit, ſed eorum etiam, contra quos dicitur. in quibuſdam tamen antiquis libris, Laceſſiſſet. EXARSI,} ut ignis ex arida materia, ſic nos iniuſte laeſi exardemus iracundia. bilis enim quae commota iracundiam gignit, aſsimulatur igni, atque etiam, ut philoſophis placet, accipitur ab igne, ut animus ſpirabilis ab aere, humor ab aqua, uiſcerum ſoliditas a terra. quod lib.2. de Nat. de. Cicero tradidit. Vſurpatur autem tribus modis hoc uerbum: exarſi iracundia, uel dolore: exarſit iracundia, uel dolor: exarſi, ſimpliciter. primi generis exemplum hic habemus, & in Verrem, Exarſit iracundia, ac ſtomacho. in ep.ad Brutum, In cauſſa Bruti exarſit incredibili dolore. Alterum genus cognoſcitur ex epiſtola 3.lib.2.ad Q. Fr. Clodiani noſtros conſputare coeperunt, exarſit dolor. Simpliciter autem, ep. 21.lib.2.ad Att. Similis uulgi, ſermonibus honeſtorum, fremitu Italiae, uereor ne exarſerint. Et in prooemio lib.III. de Orat. Cum homini & uehementi, & diſerto quaſi quaſdam uerborum faces admouiſſet, non tulit ille, & grauiter exarſit. EFFVDISSE} cum in gratiam rediuimus, nihil putaui reliquum eſſe odij. RESIDVVM *tamen inſciente me fuiſſet,*} tota haec de ueteris odij erupione ſententia duas partes habet, unam ex uno membro, cum incluſum illud odium omne repente apparuit; alteram ex duobus, Quod ego effudiſſe me omne arbitrabar, reſiduum tamen inſciente me fuiſſet. utraque igitur pars a ſe ipſa regatur, neceſſe eſt. quod cum ita ſit; quaero, unde pendeat hoc, Reſiduum tamen inſciente me fuiſſet. non enim ad uerbum, Quod, accuſandi caſu enunciatum, referri uidetur poſſe. quare aut ſubaudiendum alterum, Quod: ut ita dicat: Quod ego effudiſſe me omne arbitrabar, quod tamen inſciente me reſiduum fuiſſet: aut ſoloeciſmi ſpcies quaedam uidebitur: cuius generis alia quoque in Cicerone, Pediano etiam teſte, animaduertentur. FVISSET: placet: etſi uarie ſcriptum eſſe uideam in aliquot antiquis libris, Fugiſſet, Effugiſſet, Fudiſſet. IIDEM *illi,*} ueteres in plurali quoque dicebant, Idem: ſed melior conſuetudo, ut Iidem diceretur, obtinuit, quod analogiae lib.2. Caeſarem probaſſe Cariſius oſten dit. SAEPE.NVTV, *ſignificationeq.appello,*} de his enim ſaepe iam locutus, neminem umquam nominauit. MAXIMVM *fructum*} pro laetitia potius, quam utilitate, Fructum hic accipio, ut etiam ep. 5.lib.x. Ex tuis litteris cepi fructum duplicem, mihiq. in comparatione difficilem ad iudicandum, amorem ne erga me tuum, an animum in remp.pluris aeſtimandum putarem. Et in extrema epiſtola: Ad tuam ſummam liberalitatem, qua te ſcio libentiſsime ſolere frui, pertinere; pro laetari. EX *libertate mea,*} propter haec omnia: quod, ſedente Cn. Pompeio, dixerim me Bibuli fortunam, quam Vatinius afflictam putarat, omnium triumphis, uictorijsq.anteferre: quod, eodem teſte, alio loco, eoſdem eſſe, qui Bibulum exire domo prohibuiſſent, & qui me coegiſſent: quod in Vatinium ſumma libertate, animoq. maximo, de ui, de auſpiciis, de donatione regnorum, omnia dixerim: quod ſenatui quoque auctor fuerim, ut de agro Campano idibus Maij referetur: poſtremo, quod cum Craſſo magna libertate contenderim. FORIS} uulgo, apud omnes homines: ut ep.7.lib.2.ad Q. Fr. Senatus frequens diuinus fuit in ſupplicatione Gabinio deneganda. foris ualde plauditur. Et ad eundem, ep.2.lib.III. Nihil hominum ſermone foris clarius. FRVCTVM *tuliſſet;*} bonam de me hominum opinionem auxiſſet. QVI.IN *eadem cauſſa eſſent,*} communis erat cauſſa Craſsi, Caeſaris, Pompeij, qui ad ipſorum potentiam omnia referebant. INIQVI} cur enim, cum ex libertate mea maximum fructum cepiſſent, inimiciſsimos mihi fore principes uiros laetabantur? HONESTISSIMOS} in primis honoratos. ep.15.lib.2. Caeſarem honeſtum eſſe cupio. PERFERRENTVR;} dixit ſupra: Sermones ad me referebantur. ITA *contendiſſet, ut nihil umquam magis,*} ſupra, eadem ſententia aliter expreſſa: Caeſaris, ut illum defenderem, mira contentio eſt conſecuta. Eodem modo accipitur, Pugnare, ep.32.lib.7. MAXIMA *moleſtia*} quid mirum? cum, praeter initam inter eos in cauſſa populari ſocietatem, Craſsi filij quaeſtor Marcus,

Publius legatus, Caeſare imperatore in Gallia mererent. TEMPORVM *meorum,*} earum calamitatum, quas olim pertuli, quia nimium in rep. libere ſenſiſſem, quod ne iterum accideret, prouidendum fuit. Hoc nomine caſus aduerſos interdum appellat, ut in extrema epiſtola: Scripſi uerſibus tres libros de temporibus meis. Et in ſuaſione Maniliae legis: Omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putaui. NATVRAE:} quae me ab omni contentione reuocabat. PAENE *a meis laribus* } non re uera a meis laribus, cum domi meae non cenauerit, ſed paene a meis laribus, cum & apud me cenauerit, & in hortis generi mei. Lares pro aedibus ponuntur, quia praeeſſe putabantur aedibus: & ijſdem ſunt omnium aedium lares. penates autem ſingularum aedium proprij. ideo ſeparatim eos Plautus nominauit in Merc. Ego mihi alios penates deos perſequar, alium larem. CONDIXISSET,} in diem certum denunciaſſet. ſic enim Feſtus interpretatur. APVD *me*} apud me, apud Pompeium, apud ſe, ualet in aedibus meis, in aedibus Pompeij, in aedibus ſuis. hic igitur non omnino proprie dictum eſt, Apud me, quia cenauerat Craſſus non in Ciceronis aedibus, ſed in hortis Craſsipedis. uerum hortos Craſsipedis quaſi ſuas aedes putat: ideo dixit etiam, Paene a meis laribus. COMMENDATIONE} laude. IN *ſenatu,*} hac de re ſic ad Craſſum, epiſt. 8. lib. v. Et cum conſulibus, & cum multis conſularibus tanta contentione decertaui, quanta numquam antea ulla in cauſſa: ueteriq. noſtrae neceſsitudini iamdiu debitum, ſed multa uarietate temporum interruptum officium cumulate reddidi. MEA *fides*} poſt reconciliationem. REM, *cauſſamq.*} Res, ut ſupra demonſtraui, totum negotium ſignificat; Cauſſa negotij pars eſt, quae ad aliquem proprie pertinet. res igitur eſt hic, id quod Pompeio, & Caeſari placebat: quos offendere, temporibus admonitus, Cicero nolebat: cauſſa uero, Vatinius, & Craſſus, quorum alterum in iudicio, alterum in ſenatu, rogatu Caeſaris, & Pompeij, defenderat. IN. REP. *capeſſenda*} dixi iam, Remp. capeſſere, idem eſſe, quod, adminiſtrare. PRO *mea parte*} quod ad me attinet. dixit enim epiſtolae initio: Oſtendam, qui ſit meus ſenſus, & ſtatus. MIHI *integra omnia, ac libera fuiſſent.*} ſi mihi pro meo ſenſu, ac iudicio rep. capeſſere licuiſſet: id quod non licuit; cum me fratris mei fides, Pompeij, Caeſarisq. beneficia, optimatum iniuriae commouerint. Paullo poſt: Si eſſent omnia mihi ſolutiſsima, tamen in rep. non alius eſſem, atque nunc ſum: cum uero in hunc ſenſum & alliciar beneficijs hominum, & compellar iniurijs; facile patior ea me de rep. ſentire, ac dicere, quae maxime cum mihi, tum etiam reip. rationibus putem conducere. Ideo autem plane integrum Ciceroni non erat, ut id ageret, quod maxime probaret; (probauerat autem ſemper, ac defenderat optimatum cauſſam, quam Caeſar, & cum eo coniuncti Pompeius, & Craſſus, populari uia potentiam quaerentes, oppugnabant) quia cum Pompeium non ſolum beneficio, ſed amore etiam, ac perpetuo quodam iudicio diligeret; Caeſaris autem in ſe, fratremq. ſuum mirificam liberalitatem eſſet expertus; praeterea reconciliatos cum inimico ſuo, familiariq. coniunctos amicitia, principes optimatum uideret; diſcedere a priſtina ſententia cogebatur. CONTRA *tantas opes,*} quod erat periculoſum. NEQVE *delendum,*} quod ipſa reſp. nolle uideretur; dixit enim ſupra: Vehementer res ipſa publica me mouet; quae mihi uidebatur contentionem, praeſertim maximis rebus a Caeſare geſtis, cum illis uiris nolle fieri, &, ne fieret, uehementer recuſare. CONVERSIS *rebus,*} reſpexit ad illud Platonis, Quales in rep. principes eſſent, tales reliquos ſolere eſſe ciues. TEMPORIBVS *aſſentiendum,*} ep. 9. lib. IV. Tempori cedere, ideſt neceſsitati parere, ſemper ſapientis eſt habitum. Dixit idem alijs uerbis in oratione pro Plancio: Stare, inquit, omnes debemus tamquam in orbe aliquo reip. qui quoniam uerſetur, eam deligere partem debemus, ad quam nos illius utilitas, ſalusq. conuerterit. PRAESTANTIBVS *uiris*} ijs, qui optime adminiſtrandae reip. ſcientia praeſtiterunt. VT. IN *nauigando*} nihil iucundius, atque etiam nihil utilius, quam in legendo ſimilia conferre. quo in genere qui uerſantur, his fere neque deeſt umquam, quod ſcribant, & ea, quae ſcribunt, augere, & exornare facile poſſunt. Vſus eſt Cicero in oratione pro Plancio eadem ſententia, ſumpto a nauigantibus exemplo. An, inquit, cum uideam nauem ſecundis uentis curſum tenentem ſuum, ſi non ea cum petat portum, quem ego aliquando probaui, ſed alium non minus tutum, atque tranquillum, cum tempeſtate pugnem periculoſe potius, quam illi, ſalute praeſertim propoſita, obtemperem, & paream? neque enim inconſtantis puto, ſententiam, tamquam aliquod nauigium, atque curſum, ex reip. tempeſtate moderari. Cuius loci extremam partem ijsdem uerbis iteratam uideo in oratione pro Balbo. Aſſentior, inquit, non omnibus; neque eſſe inconſtantis puto, ſententiam aliquam, tamquam aliquod nauigium, atque curſum, ex reip. tempeſtate moderari. Et ad Att. ep. 6. lib. XVI. Nemo doctus umquam mutationem conſilij, inconſtantiam dixit eſſe. PORTVM *tenere*} pro, obtinere. ep. I. Teneri enim res aliter non poteſt. MVTATA *uelificatione,*} obliquo curſu, non directo, qui erat inſtitutus. TAMEN *peruenire:*} non tam cito, ſed aliquando tamen peruenire. CVM *dignitate otium;*} ep. 7. Neque ſalutis noſtrae rationem nobis habendam eſſe ſine dignitate, neque dignitatis ſine ſalute. Et in principio lib. I. de Oratore: Perbeati fuiſſe illi uideri ſolent, qui in optima rep. cum & honoribus, & rerum geſtarum gloria florerent, eum uitae curſum tenere potuerunt, ut uel in negotio ſine periculo, uel in otio cum dignitate eſſe poſſent. NON *idem ſemper dicere,*} more nauigantum, qui non eundem ſemper curſum tenent, ſed eundem tamen portum, licet mutata uelificatione, ſemper ſpectant. NON *idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus.*} ſalutem reip. quae ſententiam a nobis eandem perpetuo non poſtulat. Pro Plancio: Ego uero haec didici, haec uidi, haec ſcripta legi; haec de ſapientiſsimis, & clariſsimis uiris & in hac rep. & in alijs ciuitatibus monumenta nobis litterae prodiderunt; non ſemper eaſdem ſententias ab eiſdem, ſed quaſcumque reip. ſtatus, inclinatio temporum, ratio concordiae poſtularet, eſſe defendendas. SOLVTISSIMA;} ſoluta, & libera Ciceronis uoluntas non

erat;

erat; cum & alliceretur Pompeij, Caeſariſq. beneficijs, & compelleretur optimatum quorundam iniurijs. Facile *patior*} ita loquebantur, cum aliquid ſe nec admodum libenter, nec moleſte tamen facere ſignificabant. ep. 7. lib. v. Si quando non mutuo reſpondetur officijs meis; plus apud me officij reſidere, facillime patior. Cvm *mihi*,} coniuncta cum praeſidijs ijs, quae ſemper habuerat, potentium beneuolentia. paullo poſt. Reip: *rationibus*} publicae cauſſae, omnium libertati. ſupra: Laetatus ſum, quod mihi liceret in eadem cauſſa & mihi utilia & cuiuis bono recta defendere. Sic locutus in prooemio Rhetoricorum: Is mihi uir & ſuis, & publicis rationibus utiliſsimus ciuis fore uidetur. Apertivs *haec ago*,} ita me ſentire profiteor. Legatvs *eſt Caeſaris*,} in Gallia. miſſus a Caeſare cum legione in Neruios, Eburonum, Aduaticorum, Neruiorum obſidionem fortiter ſuſtinuit. Caeſar lib. v. Ita *illuſtri gratia*} quaecumque a me in illum profecta ſunt, ita perſpicue, ſibi accidiſſe gratiſsima, demonſtrauit, ut ego eum, uel minimis meis officijs, mihi obſtrictum putarem. Gratia: apud populum. ualere enim in ſenatu auctoritate, apud populum gratia, proprie dicitur. Et Caeſar, qui ſemper ad principatum ſpectauerit, mire popularis ab adoleſcentia fuit, multaq. per populum, quae a ſenatu impetrare nequiuiſſet, conſecutus eſt. Opibvs,} Opum nomine, quantum ualemus, continetur. ep. 6. lib. vi. Consilia *frangere*,} non diſsimile, Cogitationes debilitare, ep. 6. Potentivm *beneuolentiam*} eadem ſententia ep. 8. lib. iii. ad fr. Praeſidium firmiſsimum petebamus ex optimi, & potentiſsimi uiri beneuolentia ad omnem ſtatum noſtrae dignitatis. Hoc nimirum illud eſt, quod ſaepe dixit, ſpectandum eſſe cum dignitate otium, habendam non dignitatis modo rationem, ſed etiam ſalutis. Essem *uſus eisdem*.} indicat, eo ſe facilius in eam mentem eſſe deductum, quod probari a Lentulo conſilium ſuum exiſtimarit. quaſi, Lentulo aliter ſentiente, aliter ipſe quoque ſenſurus fuerit. huc illud ſpectat ep. 8. Ego quidem, ut debeo, & ut tute mihi praecepiſti, me ad eius rationes adiungo, quem tu in meis rationibus tibi eſſe adiungendum putaſti: Temperantiam, *& moderationem*} notum eſt ex Ariſtotele, & alijs, Temperantiae nomine, perfectam uirtutem, qua indomitae, atque exſultantes animo libidines cohibentur, indicari. uerbum igitur, Moderationem, ſententia non requirit. Sed a more philoſophorum longe diſtat oratoria loquendi conſuetudo. Saepe copiam quaerit Cicero non ut augeat, immutet ue ſententiam, ſed ut explanet magis. neque uero neſciebat, moderationem a temperantia non differre, cum ipſe & lib. 2. de Fin. & Tuſc. 3. Temperantiam definierit, atque explicauerit moderationis nomine: & lib. 1. Off. ubi quattuor uirtutes nominat, moderationem pro temperantia uſurpauerit: ſed, ut dixi, aperiendae, atque explanandae rei gratia, non neceſſariam ubertatem interdum amat. eodem modo ep. 27. lib. xii. Eſt ita temperatis, moderatiſq. moribus, ut ſumma ſeueritas cum humanitate iungatur. Amicissimvm,} itaque non dubito, quin ea uoluiſſes, quae meis conducere rationibus exiſtimaſſes. Svffvsvm,} tranſlato uerbo latere interdum in animo maleuolentiam ſignificat, ut aqua latet ſubter cutem fuſa. Sic lib. 2. de Orat. Aetherem calore ſuffuſum dixit. Magnvm, *& excelſum*} quae uirtus plane uiro digna. Graeci μεγαλοψυχίαν, Cicero lib. 1. de Off. Magnanimitatem uocat. Magni autem excelſiq. animi eſt, neminem odiſſe, res eas paruipēdere, quibus alij ad maleuolentiam, ac nocendi cupiditatem facile commouentur. Eidem tribuit animi magnitudinem ep. 5. & 7. & in libro de claris oratoribus. Apertvm, *& ſimplicem*.} quod bonitatis eſt. ideo, quid ſentires, qui tuus in me, ceteroſq. animus eſſet, nullo negotio perſpexi. Tales,} inuidos. nam ep. 7. In te, inquit, homine omnium nobiliſſimo, ſimilia inuidorum uitia perſpexi. Notatur etiam perfidia optimatum quorundam, Ciceroni in ſalute, Lentulo in dignitate cognita. ep. 5. 6. 7. Moverunt,} ut quibuſdam in ſententijs paullum me immutarem, meamq. uoluntatem ad ſummorum hominum, de meq. optime meritorum, dignitatem aggregarem. Salvs *mea*} ut in patriam redirem. Etiam *dignitas*} modeſte petit, ut eundem ſe praebeat Lentulum in eius tuenda, atque augenda dignitate, quem in recuperanda ſalute praeſtiterat. Socivm, *comitemq.*} non dixit, adiutorem, ut arrogantiam uitaret; & ſimul, quod in ſocietatis nomine quaedam ineſſe uidetur beneuolentiae ſignificatio. Socius autem, proprie, agentem adiuuat: comes euntem ſequitur. Orationes} triennio ſcriptae, Marcellino, & Philippo cos. ut pro L. Calpurnio Beſtia, pro P. Sextio, in Vatinium, de prouincijs conſularibus, de haruſpicum reſponſis: Pompeio, & Craſſo, in Piſonem: Domitio, & Appio, pro Scauro, pro Vatinio, pro M. Coelio, atque etiam pro A. Gabinio, quem rogatu Pompeij hoc anno defendit, ut ex Dione lib. xxxix. & ex epiſtolis ad Atticum, ad Q. fratrem intelligitur. nominant & orationem de rege Alexandrino rhetores Latini, Aquila, & Fortunatianus: quam opinor habitam eſſe Marcellino, & Philippo cos. quo anno ſcimus actum eſſe in ſenatu magnis contentionibus de reſtituendo Ptolemaeo, Aegypti rege. Menocrito} Lentuli liberto. uſitatius nomen eſt, Menocratis, quam, Menocriti: ſed libri ueteres in Menocrito conſentiunt. Vt *pertimeſcas*.} iocatur; quaſi multarum orationum lectio moleſtiam Lentulo allatura ſit. Referoq. *ad manſuetiores muſas*,} hoc plane anno poema ad Caeſarem uidetur ſcripſiſſe, de quo ep. 8. & 9. lib. iii. ad fratrem: fatebor tamen ingenue, quod mihi non mediocrem dubitandi cauſſam attulit. certe enim, cum dicat Cicero, Referoq. me ad manſuetiores muſas, uidetur de poemate aliquo, a ſe ſcripto, uelle ſubiungere: nec tamen id facit: nam infert ſtatim, Scripſi igitur Ariſtotelico more tres libros in diſputatione, ac dialogo de oratore. Muſis autem cum oratoria ratione quae communio eſt? quare uereor interdum, ne hoc totum, quod, incluſum parentheſi, a ceteris diſtinguitur, transferendum ſit aliquo modo ad illud infra poſitum, Scripſi etiam uerſibus tres libros de temporibus meis. Niſi ſi manſuetiores muſas uocauit ea ſtudia, quae domi culta, ad lenitatem, atque humanitatem animos traducunt; cum orationes in foro habitae contentionem habeant. confirmare uidetur hanc opinionem locus ep. 12. lib. xvi.

Tu muſis

Tu muſis noſtris,para,ut operas reddas. Et alibi Muſas pro litteris poſuit,ut ad Att. ep.5.lib.2. Cum omnibus muſis rationem habere cogito. A PRIMA *adoleſcentia*} adoleſcentulus Arati poema conuertit,quod hodie,temporis iniuria,mutilũ habemus. Puer etiam tetrametro uerſu librum compoſuit,quẽ,ut ait Plutarchus,inſcripſit,Pontius Glaucus. DELECTARVNT} nõ ad proximum, quo ſe ad muſas referre ſolitus eſt, ſed ad longinquum adoleſcentiae tempus uerbum, Delectarunt, accommodauit: ut ſit,ita me delectant,ut olim adoleſcentulum delectarunt. Simile illud in Bruto,de cõmentarijs Caeſaris: Nudi ſunt, recti, & uenuſti,omni ornatu orationis,tamquã ueſte detracta. Quod eſt: omni detracto,tamquã ueſte,orationis ornatu. SCRIPSI *igitur Ariſtotelico more, quemadmodum quidem uolui, tres libros in diſputatione, ac dialogo de Oratore.*} Quid ſit, Ariſtotelico more, mecum ipſe quaero,utrũ, quia dialogos & Ariſtoteles compoſuerit, qua de re Plutarchi teſtimonium exſtat in conſolatione ad Apollonium,& Baſilij in epiſtola ad Diodorum, Themiſtij praeterea, & Philoponi: an uero, quia more quodam, non uulgari, ſed exquiſito, qualis Ariſtotelis mos fuit,artis oratoriae praecepta tradiderit. in quam equidem ſententiam facile, & libenter inclino, commotus maxime ſequentibus uerbis,Quemadmodum quidem uolui: quibus minuere Cicero uoluit arrogantiam, quaſi nimium ſe extuliſset, profeſſus Ariſtotelico more ſe ſcripſiſſe de oratore: maioremq. etiam praeſetulit modeſtiae ſpeciem, cum ſubiunxit: Quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Arbitror, inquit: quod fidentis non uidetur: abeſt enim affirmatio. Lentulo tuo: adoleſcenti, non uiro. nam facultatis in eo plus requiritur, qui uiris placere uelit. Non inutiles: & hic opinionem uitat arrogantiae. nam ſi, Vtiles, dixiſſet; promiſsio maior erat. Haec omnia modeſtiam declarant. et illud, Quemadmodũ quidem uolui; ualet hoc: an ſim aſſecutus, ignoro; uolui quidem certe. Praeterea, doctrinam hic potius, & acumen Ariſtotelis, quam ſcribendi genus, indicari, ob eam cauſſam arbitror, quod in ſcribendi genere Platonem, & Xenophontem, quorum dialogis Ariſtotelis dialogos nemo conferre auſus eſt, aut ſolos, aut cum ipſo ſaltem Ariſtotele nominaſſet. Sin ad doctrinam ſimul, & ſcribendi genus reſpexiſſe Ciceronem aliquis dicat: non prius hoc mihi perſuaſerit, quam,ſcriptum eſſe ab Ariſtotele de oratore dialogum, oſtenderit. unum autem eius dialogum de animo, Eudemum inſcriptum, praeterea nullum, quod equidem legerim, ueteres nominant. Baſilius quidem dialogorum Ariſtotelis nomina non ponit: ſed eũ ait, & Theophraſtum, cum dialogos componere eſſent aggreſsi, deterritos uenuſtate Platonis ad aliam ſe ſcribendi rationem contuliſſe. ABHORRENT *enim a communibus praeceptis*,} Quaenam erant communia praecepta? ea ſcilicet, quae lib.1.de orat. exponuntur ex perſona Craſsi. Non negabo, inquit, me iſta omnium communia, & contrita praecepta didiciſſe: primum,oratoris officium eſſe,dicere ad perſuadendum accommodate: deinde,eſſe omnem orationem aut de infinitae rei quaeſtione,aut de re certis in perſonis,ac temporibus locata. &c. Haec igitur Cicero in ijs libris non eſſe ad bene dicendum ualde neceſſaria confirmat: & praeſtantiora quaedam docet,partibus ita diſtributis inter Antonium, & Craſſum, ut ille lib.2. de materia oratoris, hic lib.III. de ornandi ratione diſſereret. His autem libris nihil poſſe fieri elegantius, aut etiam utilius, conuenit inter homines eruditos, atque ipſe Cicero, de ijs quid ſentiret,oſtendit in ep.19.lib.XIII. ad Att. Sunt,inquit, libri tres de oratore, mihi uehementer probati. OMNEM *antiquorum*} Ariſtotelis,& Iſocratis: quod ſequentibus uerbis declaratur. quamquam antiquorum etiam omnium oratoria ratio in uno Ariſtotele continebatur. ſcripſit enim librum, in quo expoſuit dicendi artes omnium ſuperiorum,ut lib.2.de Inuent. & lib.2.de orat.legimus. Oppoſuit autem, Antiquorum rationem oratoriam, Communibus praeceptis: quod erant Romae,qui uulgo rhetoricam artem docerent, & dicendi praecepta traderent. id Sullanis temporibus primus profeſſus eſt L. Plotius Gallus, ut ad Titinium ſcripſit Cicero: cuius haec Suetonius uerba recitat in libro de claris rhetoribus. Memoria teneo, pueris nobis Latinae docere coepiſſe L.Plotium quendam: ad quem cum fieret concurſus, quod ſtudioſiſsimus quiſque apud eum exerceretur; dolebam idem mihi non licere. continebar autem doctiſsimorum hominum auctoritate; qui exiſtimabãt, Graecis exercitationibus ali melius ingenia poſſe. ARISTOTELICAM,} non opinor hos tantum, quos nunc habemus, ſed alios quoque ſignificari Ariſtotelis libros de ratione dicendi. ex his quidem, qui exſtant,dubitari non poteſt, quin multa Cicero tranſtulerit in ſuos oratorios libros, praeſertim in tertium: quod accurate legentibus patebit. De alijs uero eiuſdem Ariſtotelis rhetoricis libris, haec ſcripſit Cicero lib.2.de Orat. Inter hunc Ariſtotelem, cuius & illum legi librum,in quo expoſuit dicendi artes omnium ſuperiorum, & illos, in quibus ſua quaedam de eadem arte dixit, & hos germanos huius artis magiſtros,hoc mihi uiſum eſt intereſſe. Quis porro neget, ex eo maxime libro, quo ſuperiorum omnium artes complectebatur Ariſtoteles, multa Ciceronem in ſuos oratorios retuliſſe, cum ex eodem libro multa ſumpſerit adoleſcens, ut eos, de Inuentione quos inſcripſit, minime cum oratorijs comparandos, ueterum doctrina locupletaret? quod ipſe lib.2.eius artis, in prooemio,docet his uerbis: Nobis omnium, quicumque fuerant ab ultimo principio huius praeceptionis uſque ad hoc tempus, expoſitis copijs, quaecumque placeret, eligendi poteſtas fuit. ac ueteres quidem ſcriptores artis, uſque ab principe illo,atque inuentore Tiſia repetitos,unũ in locum conduxit Ariſtoteles,& nominatim cuiuſque praecepta,magna conquiſita cura, perſpicue ſcripſit, atque enodata diligenter expoſuit; ac tantum inuentoribus ipſis ſuauitate, & breuitate dicendi praeſtitit, ut nemo illorum praecepta ex ipſorum libris cognoſcat, ſed omnes,qui, quod illi praecipiant, uelint intelligere,ad hunc, quaſi ad quendam multo commodiorem explicatorem,reuertantur. Haec Cicero. deinde, facta mentione eorum, qui Ariſtotelem, aut Iſocratem ſecuti, praecepta dicendi reliquerunt, Nos, inquit, nobis omnes,quoad facultas tulit, propoſuimus,& ex noſtro quoque nonnihil in commune contulimus. Sumpſit igitur Cicero ab Ariſtotele multa, neque ex ijs modo libris, quibus nunc utimur,ſed ex ijs etiam,qui malo quodam periere litterarum fato. Praeterea gloriatur, ita ſe ſcripſiſſe oratorios, ut a communibus praece

ptis

ptis abhorrerent, omnemq. antiquorum Ariſtotelicam, & Iſocraticam rationem oratoriam complecterentur. Laertius quattuor corpora rhetoricorum librorum Ariſtotelis nominat, Gryllum, unicum librum, in quo, ut lib. 2. Quinctilianus ait, quaedam ſubtilitatis ſuae argumenta, quaerendi gratia, excogitauit; alterũ, duos rhetoricae artis libros; tertium, unicum librum, quem inſcripſit Ars; quartum, libros duos, eadem inſcriptione. quo numero tres, qui hodie ſunt in manibus, excluſos uidemus. At Cicero, & Quinctilianus, ut ſupra demonſtrauimus, illos agnoſcunt. ISOCRATICAM } De Iſocratis arte diſcrepant ueterum ſententiae. Plutarchus certum ambigere ſe oſtendit, cum illa mandauit litteris in eius uita: *Εἰσὶ δὲ οἱ καὶ τέχνας αὐτὸν λέγουσι συγγεγραφέναι· οἱ δὲ, οὐ μεθόδῳ, ἀλλ᾽ ἀσκήσει χρήσασθαι.* Hermogenis interpres Iſocrati eam tribuit, Ἰσοκράτης, inquiens, *φησὶν ἐν τῇ τέχνῃ, ὡς ἐν τῇ διηγήσει λεκτέον τότε πρᾶγμα, καὶ τὰ πρὸ τοῦ πράγματος, καὶ τὰ μετὰ τὸ πρᾶγμα, καὶ τὰς διανοίας, αἷς ἕκαστος τῶν ἀγωνιζομένων χρώμενος, τόδε τι πέπραχε.* Cum eo ſenſit Quinctilianus lib. III. nam, cum de Ariſtotele, & Iſocrate loqueretur, Ars, inquit, eſt utriuſque, ſed pluribus eam libris Ariſtoteles complexus eſt. Idem tamen prorſus ambigit lib. I. cum ait: Haec opinio originem ab Iſocrate (ſi tamen re uera ars, quae circumfertur, eius eſt) duxit. Cicero noſter eam plane repudiat lib. 2. de Inuent. Fuit, inquit, eodem tempore, quo Ariſtoteles, magnus, & nobilis rhetor Iſocrates: cuius ipſius quam conſtet eſſe artem, non inuenimus: diſcipulorum autem, atque eorum, qui protinus ab hac ſunt diſciplina profecti, multa de arte praecepta reperimus. Hanc ergo dubitationem e ſcriptoris nomine ortam exiſtimo, quia fuit alter Iſocrates, Iſocratis magni diſcipulus; a quo ſcriptam artem rhetoricam ſuſpicari licet; cum praeſertim diſcipulorum Iſocratis multa ſe reperire dicendi praecepta Cicero dicat. Ac me quidem in hanc ſuſpicionem illa etiam ratio ducit, quod Iſocratis eiuſdem iunioris eſſe orationem illam ad Demonicum, quae Iſocrati magno tribuitur, Harpocration teſtis eſt. Atque haec omnia illuc refero, ne quis putet Ciceronem, quia dixerit Iſocraticam rationem ſe eſſe complexum tribus oratorijs libris, Iſocratis ipſius artem legiſſe, quam negauit ullam reperiri lib. 2. de Inuent. itaque, Iſocraticam, interpretor, ab Iſocratis diſcipulis traditam, ex inſtitutis tamen, & opinionibus magiſtri. quae enim ille uoce docuit domi ſuae, poſtea ſcriptis eadem diſcipuli eius perſecuti ſunt. his autem cum ijs, qui ab Ariſtotelis diſciplina profecti ſunt, controuerſiae nonnihil fuit: quod Quinctilianus lib. III. ſignificat: ait enim: His ſucceſſere multi, ſed clariſſimus Gorgiae auditor Iſocrates. hinc uelut diuerſae ſecari coeperunt uiae. nam & Iſocratis praeſtantiſſimi diſcipuli fuerunt in omni ſtudiorum genere: eoq. iam ſeniore, Ariſtoteles praecipere artem oratoriam coepit. RATIONEM *oratoriam* } quae de arte dicendi Ariſtoteles, & Iſocrates praeceperunt. in hoc enim libri Ciceronis oratorij a communibus praeceptis abhorrent. Eodem ſpectat illud, quod ſcripſit ep. 1. lib. 2. ad Att. Meus liber totum Iſocratis *μυροθήκιον*, atque omnes eius diſcipulorũ arculas, ac nonnihil etiam Ariſtotelica pigmenta conſumpſit. TRES *libros de temporibus meis;* } de exſulio, atque etiam reditu: in his enim Lentulum, optime de ſe meritum, nominauit. ſcripſit etiam uerſibus tres libros de conſulatu ſuo, ſed antequam iret in exſulium: quod ep. 3. lib. 2. ad Att. & de Diuin. lib. 1. oſtendit. hic autem Cicero commemorat, quae poſt diſceſſum Lentuli, ideſt poſt exſulium ſuum, ſcripſerat. Ep. 6. lib. 2. Nouitate meorum temporum. ET. ERVNT } ſperat futurum, ut a poſteris etiam legantur. Sed eos aut hominum incuria, aut uetuſtas ipſa perdidit. SED, *quia uerebar,* } *ἔλλειψις*, figura aliquid detrahens. nam hic ſententia deſiderat, Non miſi: ut ſit: Ideo non miſi eos libros ad te, quia uerebar eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. TOTAM *ad te defero.* } ad arbitrium tuum confero: ut ſe ipſe interpretatur ſequentibus uerbis. CONSEQVI } praeſtare. omnes meorum ſtudiorum fructus ad te defero: ut ijs arbitratu utaris tuo. VT. ME *nolim admoneri, rogari uero ſine magno dolore uix poſſim.* } rogari enim ſe, qui amant, non patiuntur. ideo dixit ep. 10. lib. III. Iniuriam mihi fieri putabam, cum rogabar. Ep. 13. lib. IX. Peto a te, uel, ſi pateris, oro, ut homines miſeros conſerues incolumes. Ep. 18. lib. XIII. Ego admirabar magis, te, quaſi rogatus, aut certe admonitus liberaliter Attico reſpondiſſes, ultro ad eum ſcripſiſſes. Ep. 4. lib. XV. Admonendum te potius, quam rogandum, puto. Et ad Att. ep. 34. lib. XII. Vehementer te rogo, magis quam a me uis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore ſuſcipias. IN. CILICIAM } partem Lentuli prouinciae. uide ep. 7. Qui Ciliciam, Cyprumq. teneas. ADIVNCTO *iſto fundo* } de Ciliciensi fundo Q. Ciceronis nullam alibi mentionem inuenio. Emptus quidem non uidetur, quantum ex uerbo, Adiuncto, licet intelligere. teſtamento fortaſſe legatus. EXERCITATIONIBVS } oratorijs. declamando enim uel in ſcholis rhetorum, publice profitentium, uel domeſtica diſciplina adoleſcentes exercebantur. Graecis autem exercitationibus ali melius ingenia poſſe, ſcripſit Cicero in epiſtola ad Titinium, cuius exemplo ſupra uſi ſumus. NEQVE *cariorem, neque iucundiorem* } coniunget eadem in ep. 2. lib. 2. Cui carus aeque ſis, & periucundus, ac fuiſti patri. POSTERITAS *omnis intelligat,* } tempori ſeruiens pollicetur, quod non praeſtitit. nullum enim librum Lentulo inſcripſit, qui quidem exſtet, aut ab ijs nominetur, qui ſaepe ſcripta Ciceronis appellant. APPIVS *in ſermonibus antea dictitabat, poſtea dixit etiam in ſenatu palam, ſeſe, ſi licitum eſſet legem curiatam ferre, ſortiturum eſſe cum collega prouinciam; ſi curiata lex non eſſet, ſe paraturum cum collega, tibiq. ſucceſſurum: legem curiatam conſuli ferri opus eſſe, neceſſe non eſſe: quoniam ex S.C. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introiſſet.* } Curiata lex a populo per curias congregato nomen accepit. curias autem, in quas Romulus populum diſtribuit, ut in ſua quiſque curia ſacra publica faceret, ferias obſeruaret, triginta fuiſſe, omneſq. in Palatio, ſatis, ut opinor, notum eſt. ex his curijs cum populus, ut aliquid iuberet, aut iudicaret, in unum locum coibat, curiata comitia uocabantur. coiuiſſe autem populum in Comitium, qui locus in foro fuit, docet Varro. Lex igitur curiata comitijs curiatis ferebatur;

quibus

quibus autem de rebus, & a quo magiſtratu ferretur, non eſt alienum oſtendere. De adoptione ferebatur, & de imperio militari. Si de adoptione, ferri poterat uel a tribuno pl. uel a conſule. de tribuno pl. locus indicat in ep. 17. lib. I. ad Att. Haec ſunt in rep. niſi illud etiam ad remp. putes pertinere, Herennium quendam tribunum pl. ſaepe iam de P. Clodio ad plebem traducendo agere coepiſſe. huic frequenter interceditur. De Conſule quis dubitet? cum Suetonius inter acta Caeſaris conſulis hoc memoret: P. Clodium, fruſtra iam a patribus ad plebem tranſire conantem, eodem die, horaq. nona traduxit. Et ep. 12. lib. 2. ad Att. Quid Caeſar? negat ſe quidquam de illius adoptione tuliſſe. Adoptionem autem illam curiata lege factam eſſe, declarat oratio pro domo: in qua ſunt haec: Negant augeres fas eſſe agi cum populo, cum de caelo ſeruatum ſit. quo die de te lex curiata lata eſſe dicatur, audes negare, de caelo eſſe ſeruatum? Et paullò poſt: Si, quod in ceteris legibus trinundinum eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt trium eſſe horarum: nihil reprehendo. Et infra: Credo enim, quamquam in illa adoptione factum eſt nihil, tamen te eſſe interrogatum, auctor ne eſſes, ut in te P. Fonteius uitae, necisq. poteſtatem haberet, ut in filio. quaero, ſi aut negaſſes, aut tacuiſſes, ſi tamen id triginta curiae iuſsiſſent, num id iuſſum eſſet ratum? certe non. Confirmat Gellius lib. v. cap. 19. Arrogantur, inquit, ij, qui, cum ſui iuris ſint, in alienam ſe poteſtatem tradunt: eiusq. rei ipſi auctores fiunt. Sed arrogationes non temere, neque inexplorate committuntur, nam comitia arbitris etiam pontificibus praebentur, quae curiata uocantur. De imperio militari, quod extra urbem gereretur, latam opinor eſſe curiatam legem uel ab eo ipſo, qui accepturus eſſet imperium, ſi modo magiſtratus eſſet, uel a conſule. latam ab ipſo magiſtratu, qui uſurus eſſet imperio, auctor eſt Liuius lib. IX. Papirio, inquit, dictatori, legem curiatam de imperio ferenti, triſte omen diem diffidit. A magiſtratu, qui non eſſet uſurus imperio, exemplo Ciceronis & Bibuli, (ut omittam alia quam plurima) demonſtratur. nam & Cicero in Ciliciam, & eodem tempore Bibulus in Syriam, uterque aliquot annis poſt conſulatum profecti ſunt. latam autem de utriuſque imperio curiatam legem, ex eo liquet, quod uterque bellum geſsit, utrique ſupplicationes ob rem bene geſtam decretae: Cicero etiam de triumpho cogitauit. itaque dubitandum non eſt, quin conſules eius anni, Sulpicius, & Marcellus, alter, amboue, curiatam legem de eorum imperio tulerint. alioqui prouinciam quidem eo genere imperij, quod lex Cornelia dabat, adminiſtrare potuiſſent; quo ſe Appius, curiata lex ferri ſi non poſſet, contentum fore dictitabat. militarem autem rem, quae triumphi ſpem, & occaſionem afferebat, nullo pacto ijs attingere licuiſſet. curiatis enim comitijs rem militarem contineri lib. v. prodidit Liuius: conſuli, ſi legem curiatam non haberet, attingere rem militarem non licuiſſe, Cicero in orat. 2. in Rullum: & ibidem: Conſulibus, legem curiatam ferenribus, ſaepe interceſſum eſt. Curiata igitur lege, in foro lata a conſule, non a tribuno pl. (nam tribunis pl. nihil cum curijs) triginta lictoribus ueteres triginta curias repraeſentantibus, populus prouinciarum rectoribus imperium dabat, Cornelia ſenatus: ſed Cornelia iuris dicendi poteſtatem, nihil pro uiatico, curiata uero exercitus habendi, belliq. gerendi ius, cum ſtipendio militum, & pro conſulis uiatico, dabat. Et Cornelia, a L. Sulla dictatore lata, hoc ſanxerat, ut, qui prouincias ex. S. C. accepiſſent, imperium haberent, quoad in urbem introiſſent: (ſtuduit enim Sulla optimatum potentiae, plebem, quae aduerſus eum pro Mario ſteterat, afflixit) curiata uero, quoties quiſque in prouinciam iturus eſſet, de eius imperio ferebatur. Obſtabat interdum, quod Appius timuiſſe uidetur, interceſsio tribunicia. itaque in agraria 2. Conſulibus legem curiatam ferentibus ſaepe interceſſum eſt. S I. L I C I T V M *eſſet* } ſibi. non enim, quod ipſe conſul poſſet, id ut anni ſequentis conſul ferret, exſpectare debuit. S O R T I T V R V M *eſſe* } conſules uel ſortiebantur prouincias, uel comparabant inter ſe. C V M *collega,* } L. Domitio Ahenobarbo. S I. C V R I A T A *lex non eſſet,* } ferri non poſſet, intercedente aliquo tribuno pl. S E. P A R A T V R V M *cum collega,* } Parare, hic eſt paciſci, conſtituere mos. enim fuit, ut S.C. de prouincijs conſularibus ita fieret, ut eas conſules aut ſortirentur, aut compararent inter ſe: quod Liuij teſtimonio probatur. & quod apud Liuium, comparare inter ſe, idem apud Ciceronem, parare cum collega. quamquam &, parare inter ſe, a ueteribus dictum eſſe, Feſti uerba, licet praeciſa & mutila, uidentur oſtendere. nam quod in Salluſtij Iugurtha legendum eruditi homines opinantur: Silanus, & Metellus, conſules declarati, prouincias inter ſe parauerant: non, ut antea, partiuerant: equidem ijs libenter aſſentirer, niſi me quae ſequuntur uerba prorſus ab hac ſententia remouerent. nam, Si ſalluſtius dixiſſet, Prouincias inter ſe parauerant: ſortitionem excluſiſſet: parare enim, ſiue comparare, ſortitioni opponitur. at ſubiungit: Metelloq. Numidia euenerat. Quo, ſortitionem eſſe factam, ſatis oſtenditur. lego igitur, Partiuerant, cum duobus antiquiſsimis libris, uno Fuluij Vrſini, eruditiſsimi, & humaniſsimi uiri, ante ſexcentos annos deſcripto, altero Vaticanae Bibliothecae, eiuſdem fere uetuſtatis. Partiuerant autem, ſortitionem non excludit. utroque enim modo fit prouinciarum partitio, ſiue ſortiantur conſules, ſiue comparent inter ſe: cum ex duabus alter alteram accipiat. P R O V I N C I A M *haberet,* } non Ciliciam nominatim: quod ſi eſſet, quorſum de ſortitione, aut comparatione loqueretur? ſed prouinciam ideo habebat, quia ſenatus decreuerat, ut ex duabus conſularibus prouincijs unam Appius, alteram Domitius, uel ſortientes, uel inter ſe comparantes, obtinerent. I M P E R I V M } ſine armis: quibus uti non poterat, niſi qui curiata lege imperium accepiſſet. de triumpho igitur, cum haec Appius diceret, minime laborare uidebatur. quod confirmant illa uerba ep. 16. lib. IV. ad Att. Appius ſine lege ſuo ſumptu in Ciliciam cogitat. Et ep. 2. lib. III. ad Q. Fr. Appius ſine lege curiata confirmat ſe Lentulo noſtro ſucceſſurum. Imperium tamen curiata quoque lege Appius accepit: quo uſus, re militari proſpere geſta, ſupplicationes adeptus eſt, ut ep. ult. lib. III. uidetur etiam triumphaturus fuiſſe, niſi a Dolabella reus factus eſſet, ut ep. 20. lib. III. & ep. 6. lib. IIX. Ad imperium quod attinet, uide ep. I. lib. I. Cenſet enim etiam ex iis, qui cum imperio

perio

perio ſunt. QVOAD *in urbem introiſſet.*} ergo Cornelia lege datum imperium adminiſtratione prouinciae non finitur, ſed tamdiu manet, donec in urbem proconſul introeat: quod de curiata quoque lege conſtat. urbem uero ingredientibus imperium deponere neceſſe erat, niſi ſi triumphaturi eſſent. tunc enim lex ferebatur ab aliquo tribuno pl. ut cum imperio triumphantes introirent. POSSE. TE *non decedere,*} nam quia ſine curiata lege in prouinciam ire nemo ſolitus eſſet; cum omnes militari delectarentur imperio: propterea, quod fieri non ſoleret, id etiam non licere, quidam arbitrabantur. RELINQVI *poſſe,*} ut reliquit Cicero Coelium quaeſtorem, Bibulus Veientonem. ep. 15. lib. 2. ep. 3. lib. VII. ad Att. NE. ID *quidem ualde dubium eſt*} ne de iure quidem dubitari ualde poteſt, quin Appio, uel ſi tibi ſine curiata lege ſuccedat, prouinciam debeas concedere. Argumento ſunt haec uerba: falli eos, qui legem curiatam rectoribus prouinciarum omnino neceſsariam putarent; cum ſine ea ius dicere, & prouinciae praeeſſe poſſent, imperio lege Cornelia dato, quoad in urbem introiſſent. Cum haec ſcripſiſſem; diſputationes ad me ſuas aduerſus Nicolaum Gruchium miſit Carolus Sigonius: in quibus de curiata lege, dupliciq. prouinciarnm imperio, probari idem utrique noſtrum, animaduerti. ſane ſum laetatus, ut animo, & uoluntate, itidem nos opinione, & iudicio congruere. LIBERALITATEM,} conſuetudinem in tribuendis officiis: cui paullo poſt cupiditas opponitur, ex quo magis probatur mihi, ut eſt in antiquo libro Maffeorum, quam, ut in aliis, Libertatem. eodem ſenſu liberalitas uſurpatur in ep. 9. lib. V. & ep. 3. lib. X. SOLERE *frui,*} ſolere ex ea uoluptatem capere. TVAE *cupiditatis*} multi enim diuturni imperii cupiditate flagrabant. ILLIVS *cupiditatem,*} ex eo manifeſtam, quod tibi etiam ſine lege curiata cogitat ſuccedere. REFVTARE} reiicere, prouincia denegata. DE *publicanis:*} contra quos decretum ex uoluntate prouincialium Lentulus fecerat. ſaepe enim inter publicanos, qui prouinciarum uectigalia conducebant, & ſocios, ex uectigalium ſolutione exoriebantur controuerſiae: quas Cicero ſedatas a ſe eſse gloriatur in ep. 13. lib. 2. FELICITATE *quidem, uellem, conſequi potuiſſes,*} uellem, ita felix eſſe potuiſſes, nihil ut omnino contra eius ordinis, quem ſemper ornaſti, aut rem, aut uoluntatem ageres. Quidam ueteres libri, Felicitatem: alii, Facilitate autem quod uellem conſequi potuiſſes. Sed facilitas eſt uoluntatis: quam ſi Cicero requirit in Lentulo, hominem carpit amiciſsimum, optimeq. de ſe meritum. INIMICI} qui etiam quaeſtorem eius, P. Rutilium Rufum, quod cum praetore ſuo contra eos conſenſiſſet, damnauerunt. Pedianus, epitome Liuiana lib. LXX. huius odii publicanorum in Q. Scaeuolam mentio fit in oratione pro Plancio, his uerbis: Equitum ego Romanorum etiam in homines nobiliſsimos maledicta, publicanorum in Q. Scaeuolam, uirum omnibus ingenio, iuſtitia, integritate praeſtantem, aſpere, ferociter, & libere dicta commemorem? ILLI *ipſi Q. Scaeuolae*} auguri, P. F. Laelii Sapientis genero, Craſsi oratoris ſocero. Fuit alter Q. Scaeuola, Q. F. Pont. max. multis annis iunior. TIBI *ſum auctor,*} te hortor. VIDETVR *eſſe prudentiae tuae.*} pertinere uidetur ad prudentiam tuam, quae poteſt difficillima quaeque ſuperare, ut eum ordinem tibi aut reconcilies, aut mitiges.

---

# Argumentum ep. ult.

*VNam hanc ſubeſſe cauſſam uideo, cur hanc epiſtolam ſcripſerit, ut certiorem faceret Valerium de gratiis Lentulo, Ciliciae proconſuli, a ſe per litteras eius nomine diligenter actis. nam cetera iocationes merae ſunt, familiarem conſuetudinem, & mutuam beneuolentiam indicantes. Actio igitur gratiarum, & ioca ipſa, quibus tota condita eſt epiſtola, ad morale genus pertinent. nam & iocoſa dicta ſubiecit moribus Ariſtoteles Rhetoricorum lib.* I. *& Cicero in tradenda officiorum doctrina facetias quoque perſecutus eſt.*

## *M. Cicero S. D. L. Valerio iuriſconſulto:* 10.

*CVR enim tibi hoc non gratificer, neſcio, praeſertim cum his temporibus, audacia pro ſapientia liceat uti. Lentulo noſtro egi per litteras tuo nomine gratias diligenter. ſed tu uelim deſinas iam noſtris litteris uti, & nos aliquando reuiſas, & ibi malis eſſe, ubi aliquo numero ſis, quam iſtic, ubi ſolus ſapere uideare. quamquam, qui iſtinc nunc ueniunt, partim te ſuperbum eſſe dicunt, quod nihil reſpondeas; partim contumelioſum, quod male reſpondeas. Sed iam cupio tecum coram iocari, quare fac, ut quam primum uenias: neque in Apuliam tuam accedas: ut poſſimus, ſaluum ueniſſe, gaudere. nam, illo ſi ueneris, tamquam Vlyſſes cognoſces tuorum neminem. Vale.*

# EXPLANATIO

VALERIO } hic eſt, de quo in ep.I.lib.III.& XI.lib.VII. Valerij nomen boni ominis apud Romanos habebatur: itaque Feſtus ſic: Ominis boni gratia, in delectu, cenſu ue primi nominantur, Valerius, Saluius, Statorius. CVR *enim tibi hoc non gratificer,* } cum inſcripſiſſet, Valerio iuriſconſulto, ſubiunxit iocans: nam, iuriſconſultum cur te non appellem, neſcio, etiam ſi iuriſconſultus ualde non ſis. Et ſane Valerius hic non uidetur ius ciuile, quantum opus eſſet, cognouiſſe: cum de eo ſic ad Appium ſcripſerit: Valerium iuriſconſultum ualde tibi commendo, ſed ita etiam, ſi non eſt iurisconſultus. Verum ita familiariter eum Cicero diligebat, ut ei, quod omnino falſum non erat, id per iocum obijceret. Inſcripſi, inquit, hanc epiſtolam, Iuriſconſulto, gratiae potius cauſſa, quam ueritatis, praeſertim cum hodie non qui ſapientes, ſed, qui audaces ſint, iuriſconſulti nominentur. Hic, ut omnis, quantum quidem praeſtare nobis liceat, erroris tollatur occaſio, quaſi quoddam πάρεργον addatur, quod tamen alienum non putamus, quae noſtra ſit de epiſtolae integritate ſententia. ſunt enim, qui huius epiſtolae deſiderari principium exiſtiment: quod eis, credo, inſolens, atque ineptum uideatur, prima epiſtolae uerba ab inſcriptione pendere. cuius tamen generis exemplum hoc animaduertimus.ep.20.lib.III. ad Att. M. CICERO S. D. Q. CAECILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO: Quod quidem ita eſſe, & auunculum tuum functum eſſe officio, uehementiſsime probo. Conſtat enim, itidem hic epiſtolae principium inſcriptionem ſpectare. AVDACIA *pro ſapientia* } audacia, licet, fortitudinem imitetur, in malam tamen partem accipitur. Animus enim, ut lib. I. Off. ſcripſit Cicero, paratus ad periculum, ſi ſuae cupiditate, non utilitate communi impellatur, audaciae potius nomen habeat, quam fortitudinis. Sapientia uero diuiditur in duo genera, unum naturae, idq. ſimplex, alterum artis, quod in alia rurſus ei ſubiecta genera diuiditur. Naturalem ſapientiam uoco, quam expertes doctrinae multi, nullis litterarum praeceptis imbuti, naturae tamen munere conſequuntur: quales ſunt, qui ſuas actiones directa quadam iudicij regula metiuntur, nihil temere, nihil indecore committunt, a prauis recta, a turpibus honeſta diſtinguunt. hanc ſapientiam tribuit Cicero ep.I.lib.VII. M. Mario, ſi ludos Romae, cum per ualetudinem poſſet, ſpectare noluit: Lentulo ep.V. ſi omnem amplitudinem, ac dignitatem ſuam in uirtute, atque in rebus geſtis ſuis, atque in ſua grauitate poſitam exiſtimabit: alijs alibi, quod labi, & errare per imprudentiam non conſueuerint. Vlyſſem quoque, quod, uarijs iactus caſibus, multis, quae alijs exitio fuerant, periculis terra, mariq. defunctus, ad patrios lares reuerſus incolumis, ab iniuria procorum uxorem, domumq. ſuam, ſeq. ipſum ſingulari conſilio uindicauerit, hoc excelluiſſe ſapientiae genere Homerus prodidit. Alterum ſapientiae genus, quod ab arte proficiſcitur, uel omnium artium, uel multarum, uel unius tantum abſoluta cognitio eſt. ſi omnium, ita definitur, humanarum, diuinarumq. rerum cauſſarumq. quibus haec res continentur, ſcientia, quam uni deo perfectam contigiſſe, nequaquam in homine poſſe reperiri, uere credimus. Deus autem non eam ab arte extrinſecus accepit, (nec enim ulla re umquam indiguit) ſed a ſe ipſo, aeque aeternam, aeque infinitam, ut aeternus ipſe, & infinitus eſt. Quod ſi non omnium, ſed multarum rerum, quae uel ad uſum, uel ad ornamentũ humanae uitae pertineant, notitia eſt; qualis in Thalete, Anaxagora, Pythagora, Democrito, Socrate, Ariſtotele, Platone, & alijs uel Graecis uel Aegyptijs fuiſſe traditur: philoſophia dicitur; quia perfectam illam ſapientiam, quantum homini licet, imitatur. eadem tamen & ſapientiae nomen interdum ſibi uindicat: quia, quo nihil putatur inter homines praeſtantius, id eo uocabulo, quo nullum inter humanas res nobilius reperitur, decorari aequum eſt. Inde Thales, inde Bias, inde Socrates, alijq. quos celebrauit antiquitas. Ad hunc numerum aggregare poſſumus, ex Romanis Catonem illum Cenſorium, qui cum & litteris eſſet inſtructus, quamquam non omnino cum ſuperioribus illis conferendus; cumq. multarum rerum uſum haberet; ſapientis nomen inuenit. Nec uideo, cur ab hac laude M. Varronem, Ciceronemq. noſtrum, qui rerum laudabilium uaria cognitione praeſtiterunt, hac laude patiamur excludi. Multis etiam unius modo artis eximia quaedam, & ſingularis intelligentia, opinionem, ac famam ſapientiae peperit. quod Athenaeus de muſicis lib. XIV. tradidit, Plato de poetis, cum Anacreontem ſapientem appellat in Phaedro, & genitam a poetis ſapientiam, ait in Lyſide: de iuriſconſultis Cicero in libro de Amicitia, L. Acilij exemplo, qui, quod eſſet prudens in iure ciuili, ſapiens nominatus eſt: de ciuitatum rectoribus in ſuperiore epiſtola ad Lentulum: Tota, inquit, ſapientium ciuium, qualem me & eſſe, & numerari uolo, & ſententia, & uoluntas mutata eſſe debet. Tranſeo ad humiliores artes. Marmorarijs, & ſtatuarijs non ſapientiae laudem tribuit Ariſtoteles lib. V. Ethicorum? non agricolis Plato in dialogo de ſcientia? non fabris Homerus, in eo, σοφὸς ἤραρε τέκτων; Neque ſolum ex una arte, praeclare cognita, multi, ſed ex una etiam, quae mentis optime ſpeciem praeſeferret, actione C. Laelius, ille Africani minoris amicitia clarus, ſapiens & habitus eſt, & perpetuo uocatus, quod legis Liciniae de agri modo, ne ſeditionem inter ciues excitaret, patrocinium depoſuerit. Cum igitur ſapientiae nomen tam late pateat; merito, a quorum ſtudijs maxima ad omnes manat utilitas, iuris prudentibus communicatum uidetur. eſt enim iuris ciuilis prudentia genus quoddam ſapientiae: ex quo ciuitates, quae ſua iura, & quaſi iuſtitiae normam ab antiquis legibus petunt, quae plurimae ſunt, conſilio ſapientis adminiſtrari dicuntur. quam doctrinam Scala meus, humanitate, & uirtnte excellens, lumen, & ornamentum Patauini fori, quinque libris, qui ab omnibus iuriſconſultis eximia cum eius laude leguntur, uniuerſam comprehendit. Sed, quia ſaepe accidit, ut, qui ea, quam profitentur, iuris ciuilis co-

lis cognitione indigeant, ijdem audacia, ut id, quod ignorant, ſcire uideantur, in primis abundent: propterea, inductam eſſe conſuetudinem, ut in agendis cauſsis audacia pro ſapientia liceat uti, per iocum quidem, ſed uere tamen Cicero dixit. LENTVLO } Ciliciam adminiſtranti. Erat igitur hic Valerius in Cilicia, & fuit etiam Appio proconſule, cui commendatur ep. I. lib. III. VBI *aliquo numero ſis,* } ubi alij quoque iuris prudentiam tenent. iſtic enim ſolus uideris iuriſconſultus. Sed hic etiam Cicero iocatur: ſignificat. n. Valerium de induſtria ſe in Ciliciã contuliſſe, ut ſolus ibi ſapere uideretur, cũ iuriſconſultus ibi ſolus eſſet. PARTIM *te ſuperbũ eſſe dicunt, quod nihil reſpondeas; partim contumelioſum, quod male reſpondeas.* } iocus eſt in his uerbis & abſtruſus, & elegans. uult enim innuere, ideo nihil eũ quandoq. reſpõdere, nõ quod ſuperbus ſit, ſed quod eum nemo conſulat, cum homines bonum iurisconſultum non putent: ideo autem male reſpondere, non quod contumelioſus, ſed quod imperitus, & indoctus. Proprium uero iurisconſultorum fuit, hodieq. eſt, de iure conſulentibus reſpondere. Similis iocus eſt in Trebatium ep. 16. lib. VII. Qui iſtinc ueniunt, ſuperbiam tuam accuſant, quod negent te percunctantibus reſpondere. VT *poſſimus, ſaluum ueniſſe, gaudere.* } quod in Apulia tua nemo poterit: cum nec propinquum ibi, nec amicum habeas. Pergit in feſtiuitate, & Valerij notat ignobilitatem; cui qui gratularetur in patriam redeunti, nemo eſſet. Quod ſi Romam, inquit, uenies: erit, qui, te ſaluum ueniſſe, gaudeat: habes enim hic, qui te norint, & diligant: in Apuliam uero tuam ſi acceſſeris; quis erit, qui gaudeat? Hanc ſententiam, illata figura παρὰ προσδοκίαν, confirmat ſequentibus uerbis: Tamquam Vlyſſes, cognoſces tuorum neminem. Quod etſi diſcrepat ab Vlyſsis fabula; qui ſuos quidem ipſe domeſticos omnes, Ithacam reuerſus, cognouit, ſed ab ijs cognitus non eſt: tamen Cicero, nactus iocandi locum, lepide ſermonem conuertit ab Vlyſſe ad ipſius Valerij humilitatem, ac ſolitudinem. Quod ideo oſtendendum putaui, ne quis Ciceronem in Vlyſsis fabula memoriae uitio labputet: cum in eo ipſo iocus appareat, quod, cum, inducta Vlyſsis mentione, dicturus uideretur, cognoiſceris a tuorum nemine, traduxit ſententiam, ut dixi, ad id, quo Valerij notabatur ignobilitas. Veram ſententiam, ut Homerum omittam, Varro in Seſquiuylſſe, apud Nonium, retulit, his uerbis:

Aduerſi uenti conciderunt: quod ſi pergunt diutius
Mare uoluere; uereor, ne me quoque, cum domum iam ab Ilio
Ceſsim reuertero, praeter canem cognoſcat nemo.

Poſsit etiam hoc aliquis referre ad illud tempus, cum Vlyſſes, dormiens a Phaeacibus in litore Ithacenſi expoſitus, mox experrectus, patriam non agnouit. unde Homerus ἐν τῷ ν: „ ὁ δ' ἔγρετο δῖος ὀδυσσεὺς,

Εὕδων ἐν γαίῃ πατρώῃ: οὐ δέ μιν ἔγνω
Ἤδη δὴν ἀπεών: περὶ γὰρ θεὸς ἠέρα χεῦεν
Παλλὰς ἀθηναίη. Et infra ſic ipſe Mineruam interrogat:
Τὶς γῆ, τὶς δῆμος, τίνες ἀνέρες ἐγγεγάασιν; Sed omnino prior interpretatio magis placet: ut in lepore pergat; &, quemadmodum primis epiſtolae uerbis audaciam, medijs inſcientiam, ſic poſtremis ioco liberiore, ideſt a ſuperiori non diſsimili, ignobilitatem irrideat familiariſsimi ſui: de quo in ep. I. lib. III. Eſt ex meis domeſticis, atque intimis familiaribus. Tribuit autem hoc iuris familiaritas, ut iocari liberum putemus. alioqui iure Cicero inurbanus, & amarior, quam deceat, uideri poſsit. Nec uero cum ipſo tantum, ſed cum alijs etiam iocari de illo ſolitus eſt: ut in eadem epiſtola: L. Valerium iuriſconſultum ualde tibi commendo, ſed ita etiam, ſi non eſt iuriſconſultus. melius enim ei cauere uolo, quam ipſe alijs ſolet.

---

IN . EPISTOLARVM

# M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . SECVNDVM

AD . CVRIONEM . ET . ALIOS

## PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

---

## Argumentum ep.I. lib.II.

DISTRIBVITVR *hoc argumentum in quattuor partes, morales omnes. in ſingulis enim tum officij, tum amoris quaedam elucet ſignificatio, negotij prorſus abeſt mentio. quae ſit autem cuiuſque partis ſententia, uideamus. In prima, accuſante Ciceronem Curione, quia raro admodum litteras mitteret, ita ſe purgat, ut culpam, a ſe remotam, in eum transferat: officiumq. ſuum, ſi non contemni a Curione ſenſerit, in eo genere pollicetur. In ſecunda, Abeſſe tamdiu Curionem dolet, quod eius conſuetudine careat; laetatur, quod abſens maximam laudem conſequatur. In tertia, Cum in excitando, & acuendo plurimum ualeat, ſi laudes eum, quem cohortere; aditum ſibi aperit ad cohortandum, laudatione praepoſita. & quoniam naturae bona ſummas res gerentibus adiumento maxime ſunt, laudandi materiam capit ab animi ingenijq. praeſtantia: quae cum omnibus cognita ſit, exſpectationem concitatam non tueri turpiſsimum eſt: excuſantur enim, quibus deſunt inſtrumenta naturae: at, quibus abunde adſunt, uitio datur, niſi uoluntatem cum natura coniungant, & aliquid magna laude dignum aut gerant, aut conentur ſaltem. Nec mirum, laudari eum a natura, cum & in libro de claris*

*Orato-*

*Oratoribus ita ſcriptum Cicero reliquerit: Curio, a magiſtris parum inſtitutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum. In quarta, Cum & ipſe Curioni, & ei Curio plurimum debeat, modeſte petit, ut imitetur ſuam conſuetudinem in praeſtanda meritorum memoria, ſeq. iam iam ſeneſcentem complectatur, ac foueat officijs ſuis. Scripta uidetur, Caluino & Meſſalla coſ.*

## *M. Cicero S. D. Curioni.* I.

*Q*VAMQVAM *me nomine negligentiae ſuſpectum tibi eſſe doleo: tamen non tam mihi moleſtum fuit, accuſari abs te officium meum, quam iucundum, requiri; praeſertim cum, in quo accuſabar, culpa uacarem; in quo autem deſiderare te ſignificabas meas litteras, praeteferres perſpectum mihi quidem, ſed tamen dulcem, & optatum amorem tuum. equidem neminem praetermiſi, quem quidem ad te peruenturum putarem, cui litteras non dederim. etenim quis eſt tam in ſcribendo impiger, quam ego? a te uero bis, ter ue ad ſummum, & eas perbreues accepi. quare, ſi iniquus es in me iudex; condemnabo eodem ego te crimine. ſin me id facere noles; te mihi aequum praebere debebis. Sed de litteris hactenus. non enim uereor, ne non ſcribendo te expleam; praeſertim ſi in eo genere ſtudium meum non aſpernabere. Ego, te abfuiſſe tam diu a nobis, & doleo, quod carui fructu iucundiſſimae conſuetudinis; & laetor, quod abſens omnia cum maxima dignitate es conſecutus, quodq. in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna reſpondet. Breue eſt, quod me tibi praecipere meus incredibilis in te amor cogit. Tanta eſt exſpectatio uel animi, uel ingenij tui; ut ego te obſecrare, obteſtariq. non dubitem, ſic ad nos confirmatus reuertare, ut, quam exſpectationem tui concitaſti, hanc ſuſtinere, ac tueri poſſis. Et quoniam meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla umquam delebit obliuio: te rogo, ut memineris, quantaecumque tibi acceſſiones fient & fortunae, & dignitatis, eas te non potuiſſe conſequi, niſi meis puer olim fideliſſimis, atque amantiſſimis conſilijs paruiſſes. quare hoc animo in nos eſſe debebis, ut aetas noſtra, iam ingraueſcens, in amore, atque in adoleſcentia conquieſcat tua. Vale.*

## EXPLANATIO

CVRIONI} cognomen fuit Scriboniae gentis, plebeiae, ortum a quodam Scribonio, Curione maximo, ut ex Liuio cognoſcitur. Hic autem Curio, & pater, & auus locum inter oratores nulla, aut exigua litterarum ope, domeſtica tantum bene, & accurate loquendi conſuetudine, ſunt adepti. Cicero in Bruto, & Plinius lib. VII. cap. 41. Erat in Aſia quaeſtor, ut opinor: quod cum ex ep. 5. non obſcure cognoſcitur, tum ex eo, quia tribunatum pl. poſtea geſsit. Romam reuerſus populo munus exhibuit admirandum, ut mortui patris memoriam honoraret. Plinius lib. XXXVI. cap. 15. Tribunus pl. L. Paullo, C. Marcello coſ. ab optimatibus ad Caeſaris partes tranſijt, amplius M D talentis a Caeſare corruptus. Orto ciuili bello Siciliae praepoſitus, pulſo M. Catone, mox in Africam profectus, contra Iubam Mauritaniae regem, & Pompeianarum partium ducem, P. Atium Varum, pugnans, interemptus eſt. Caeſar lib. II. bel. ci. & alij. Eius filium, ſecutum Antonij partes contra Octauianum, poſt Octauiani uictoriam ad Actium promontorium eſſe interfectum, Dio tradidit lib. II. Huius autem, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolae, ingenium, ac mores optime Velleius expreſsit lib. II. cuius uerba libuit ſubſcribere: Bello ciuili, & tot, quae deinde per continuos XX. annos conſecuta ſunt, malis non alius maiorem flagrantioremq., quam C. Curio trib. pl. ſubiecit facem, uir nobilis, eloquens, audax, ſuae, alienaeq. & fortunae, & pudicitiae prodigus, homo ingenioſiſsime nequam, & facundus malo publico. huius animo, uoluptatibus, uel libidinibus, neque opes ullae, neque cupiditates ſufficere poſſent. hic primo pro Pompeij partibus, ideſt, ut tunc habebatur, pro rep. mox ſimulatione contra Pompeium, & Caeſarem, ſed animo pro Caeſare ſtetit. id gratis, an accepto centies H-S, fecerit ut, accepimus, in medio relinquemus. ad ultimum ſaluberrimas adoleſcentis condiciones pacis, quas & Caeſar iuſtiſsimo animo poſtulabat, & Pompeius aequo recipiebat, diſcuſsit, ac rupit, unice cauente Cicerone concordiae publicae. QVAMQVAM} hic, & alibi iungitur indicandi modo, interdum ſubiunctiuo, ut uocant grammatici. pro Plancio: Quamquam non me iam magnopere conturbet. Infra, ibidem: Quamquam, qua nolui, ianua ſim ingreſſus in cauſſam. Haec non nullis fortaſſe leuiora uidebuntur: mihi nulla pars omnino Latinae linguae uidetur contemnenda. NOMINE *negligentiae*} negligentiae cauſſa, ut ep. 12. lib. XII. Haec a te peto non ſolum reip. quae tibi ſemper cariſsima fuit, ſed etiam amicitiae noſtrae nomine. & ep. 3. lib. XIV. Eo nomine ſum Dyrrhachij hoc tempore, ut quam celerrime, quid agatur, audiam. Et in libro de Amicitia: Ab amicitia Q. Pompeij meo nomine ſe remouerat Scipio.

SVSPE-

Svspectvm *eſſe*} non enim aperte negligentiam nominauerat Curio : ſed, cum quereretur de infre-
quentia litterarum, cauſſam uidelicet indicabat eſſe negligentiam. Doleo:} qui negligentiae nomi
ne ſuſpectus eſt, eius nimirum amor in dubium uocatur. iure igitur Cicero dolet. Accvsari *abs*
*te officium meum*,} nemo accuſat officium; nemo enim negat, officium laude dignum eſſe: ſed accuſatur
is, qui officio deſit: quod hic Cicero ſignificat. Aut, officium accuſari dixit, hoc ſenſu: Accuſas hoc ip-
ſum, quod raro admodum, ut tibi quidem uideor, ad te ſcribam, quod officij quidem nomine non caret,
ſed ita exiguum, ac leue eſt, ut accuſandum, tanquam amicitia noſtra minime dignum, exiſtimes.
Ivcvndvm, *requiri;*} in quo ueretur, ne Curionis animum offenderit, in eo ipſo beneuolentiam eius
aucupatur. qui enim amari cupit, facile, ut ametur, conſequitur. cupit autem Cicero, quia ſubiungit:
Ideo iucundum eſt requiri abs te officium meum, quia praeteſers perſpectum mihi quidem, ſed tamen
dulcem, & optatum amorem tuum. Anthiteta poſuit, Iucundum, & Moleſtum. ut lib. I. de Orat. in ex-
tremo: Neque enim tam mihi moleſtus fuit, quod ius noſtrum ciuile peruellit, quam iucundus, quod ſe
id neſcire confeſſus eſt. Cvlpa *uacarem;*} cum neminem praetermiſerim, cui litteras ad te non de-
derim. Perspectvm} tempore exſulij mei. nam haec ad eundem ſcripſit ep. 6. Tua in me uel no-
ta omnibus, uel ipſa nouitate meorum temporum clariſsima exſtiterunt. Dvlcem, *& optatum*}
tua, inquit, querella, hoc attulit iucunditatis, quod recognoui amorem in me tuum: quo nihil dulcius, ni-
hil optatius. Non diſsimilem ſententiam uſurpauit ep. 19. lib. x. quam, ut augeatur Latine ſcribentibus co
pia, ſubſcribemus. Vidi, inquit, quaſi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari. dices, Quid antea? ſem-
per quidem, ſed numquam illuſtrius. Tam *in ſcribendo impiger,*} non dixit diligens, ſed impiger;
magis ut excuſet ſe, quam ut laudet. Impigritas etiam lib. III. de rep. dixit. Plerique ueteres libri habent,
Tam ſcribendo. Vtro modo legatur, parui refert. Particulam tamen, In, delendam non putaui, cum eam
uiderem in antiquo libro, quem mihi nobiliſsimus iuuenis, eruditione, ingenio, humanitate excellens,
Io. Vincentius Pinellus dono dedit: cum quo & Alberti Ferri, egregij adoleſcentis, & alter meus liber con
ſentit. Ad. svmmvm,} omnino. utroque modo dicitur, Summum, & Ad ſummum. hic antiqui li-
bri, quibus nunc utor, omnes habent Ad ſummum. Condemnabo} & iuſte quidem: tu autem
iniuſte me accuſas. Te. mihi *aequum praebere*} non accuſare me, cum omnino culpa uacem.
ep. 2. lib. v. A te peto, ut tu quoque aequum te iudicem dolori meo praebeas. De *litteris hactenus.*} di-
xi iam nihil eſſe in Latina lingua contemnendum; ſi modo ea proprie, recteq. uti cogitamus. quare ſub-
iungam, quae nonnullis fortaſſe leuia uideantur: ſed, quo turpius in minimis labimur, eo diligentior eſſe
debet animaduerſio. Hactenus, & Adhuc, aeque continuationem ſignificant; ſed hoc differunt, quod,
Hactenus, de re ſemper uſurpatur; Adhuc, de tempore. non enim recte dixeris, Hactenus ita ſenſi; ſed,
Adhuc ita ſenſi. contraq. proprie non dicitur, de litteris adhuc; ſed, de litteris hactenus. Etiam illud ob-
ſeruauimus, non eandem utroque continuationem ſignificari. nam Hactenus, abſolutae rei continuatio-
nem ſemper indicat; Adhuc, interdum etiam non abſolutae: ut ep. 20. lib. 2. ad Att. Clodius adhuc mi-
hi denunciat periculum. Exemplorum refertus eſt Cicero. Non. enim *uereor, ne non ſcribendo*
*te expleam;*} Non dubito, inquit, quin ſcribendo te expleam. nam &, Non uereor, exploratam, mi-
nimeq. dubiam opinionem ſignificat: & ſequentes duae negationes, Ne non, uim habent affirmandi. ſic
ep. 6. Non quo uerear, ne tua uirtus opinioni hominum non reſpondeat. Et ep. 6. Non ſum ueritus, ne
ſuſtinere tua beneficia non poſſem. Et in Verrem: Non uereor, ne hoc officium meum P. Seruilio iudici
non probem. Hoc autem uerbo multis modis ueteres utebantur. dicebant enim, uereor ut, uereor ne, ue-
reor ut ne, non uereor ut, non uereor ne, non uereor ne non. quae ſigillatim examinemus. Vereor ut, &
uereor ne, contrarium ſignificant. prius illud timorem in ea re indicat, quae ſi accidat, doleamus. exem-
pla ſubſcribemus utriusque modi. ep. 19. lib. XII. Non dubitabam, quin meas litteras libenter lecturus
eſſes: uerebar, ut redderentur. Fore ſuſpicabatur, ut non redderentur, ſed reddi cupiebat. item ep. 14.
lib. XIV. Sin homo amens diripiendam urbem daturus eſt; uereor, ut Dolabella ipſe ſatis uobis prodeſſe
poſsit. Cupiebat ſuas mulieres tuto Romae eſſe per Dolabellam: ſed incertus timebat, utrum eas, nec
ne, Dolabella, ſeruare poſſet. & Tuſc. 2. Veremur, ut hoc natura patiatur? Huc pertinet locus ille pro
Marcello: Vereor, ut hoc, quod dicturus ſum, perinde intelligi auditu poſsit, atque ego ipſe cogitans ſen
tio: Quod enim ita, ut ipſe ſentit, intelligi uellet, id ne non perinde intelligatur, timet. Hoc in uulga-
tis libris aliter legitur, mendoſe, ut opinor, & ut iam, explicata ſententia, uideor probaſſe. tollit autem
dubitationem omnem Pediani teſtimonium, ita plane legentis, ut nos recitauimus, in explanatione ora-
tionis, quae inſcribitur Diuinatio: cui ſubſcribit antiquus liber optimi Cardinalis, Caroli Borromei.
Terentius quoque in Andria: Haud uereor, ſi in te ſolo ſit ſitum: ſed, uim ut queas ferre. Quo loco Do-
natus, Hic, inquit, Vereor, ſubauditur. ut, pro ne non, poſuit: ut ſit: uereor, ne non queas uim patris
ferre. Contra, Vereor, ne deſideres officium meum, ep. 6. lib. VI. uerebatur enim id, quod eſſe nollet.
Et ep. 16. lib. IX. Amaui amorem tuum, qui te ad ſcribendum incitauit, uerentem ne Silius ſuo nuncio ali-
quid mihi ſollicitudinis attuliſſet. & ep. 17. lib. XV. Caeſarem putabant moleſte laturum, uerentem ne ha-
ſta refrixiſſet. et pro Milone: Vereor, ne turpe ſit, pro fortiſsimo uiro dicere incipientem, timere. Qui-
bus in locis timetur id, quod ſi accidat, moleſtia conſequatur. Vereor ut ne, ualet, uereor ne, nam ut ne,
pro ne, ſepe uſurpatur. Pergamus ad ea quae reſtant. Non uereor, ut: affirmat. nam ſi, Vereor ut, dubita-
tionem habet: ſequitur, ut, Non uereor ut, dubitatione careat. exemplum addo, quo res fiat illuſtrior.
Non uereor, ut, quod cogitas, poſsis perficere: nihil differt ab hoc: Non dubito, quin poſsis perficere,
quod cogitas. quale illud Ciceronis Phil. v. Ne uerendum quidem eſt, ut tenere ſe poſsit. ideſt: Ne du-

bitandum

bitandum quidem eſt, quin ſe tenere poſsit: credendum eſt, eum tenere ſe poſſe. Non uereor, ne, dubitationem tollit: ut ſi dicam: Non uereor, ne filius meus male uiuat: hoc dicam: non puto fore, ut male uiuat filius meus. & Cicero, cum ſcripſit ad eundem Curionem, ep. 7. Non uereor, ne quid timide, ne quid ſtulte facias: hoc dixit: nihil timide, nihil ſtulte facies. & ad Lucceium, ep. 12. lib. v. Non uereor, ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam uidear: id eſt: certe non uideor tibi aſſentari. Non uereor, ne non, affirmat omnino, ut probatur hoc ipſo loco, Non uereor, ne non ſcribendo te expleam. pro, non dubito, quin ſcribendo te expleam. Verbum explere, plus eſt, quam, ſatisfacere: cum ſaepe ſatiſfiat multis, licet non expleantur. IN. EO *genere*} notanda Ciceronis conſuetudo in ſignificanda re, proxime nominata. nam, cum dixerit, Scribendo, intulit, In eo genere. Sic ep. 4. cum dixiſſet, nihil poſſe grauiter ſcribi, niſi de rep. ſubiunxit, Atque in hoc genere haec mea cauſſa eſt, ut neque ea, quae nunc ſentio, uelim ſcribere. Ep. 6. Habemus, inquit, ſtudium iuuentutis, & gratioſorum in ſuffragijs propter ipſius excellentem in eo genere uel gratiam, uel diligentiam. ep. 17. Quod ſcribis ad me de drachmis CCCIↃↃↃ; nihil eſt, quod in iſto genere cuiquam poſsim commodare. & 7. lib. III. ad Att. Ego ſaepius ad te, & plura ſcriberem, niſi mihi dolor meus cũ omnes partes mentis, tum maxime huius generis facultatem ademiſſet. STVDIVM *meum*} plus eſt, quam, diligentiam. nam ſtudium cum animo iungitur; diligentia interdum opera tantum eſt. ABFVISSE} erat Curio in Aſia. ep. 6. TAMDIV} multis menſibus: nam poſt annum e prouincia decedebant. IVCVNDISSIMAE} proprie dicimus enim, Adoleſcens ſenibus iucundus: non contra. CONSVETVDINIS *tuae;*} Tuae, abeſt a ſex antiquis libris: in uno tamen eſt; in alio, pro Tuae, Noſtrae. quod quiſque approbat, id ſequatur. ES *conſecutus*,} nihil in prouincia conſequi Curio potuit a ſenatu, aut a populo Romano. nam ſi quaeſtor in Aſia fuit; quod equidem arbitror, quia ſequenti anno tribunatum pl. petijt: non intelligo, quid ei ſenatus, populusue Romanus abſenti tribuere potuerit: niſi ſi, uel ut aliquid extra ordinem poſſet agere, quod profuturum prouinciae uideretur; uel, ut acta confirmarentur, Curio petierat. Aut, Es conſecutus, in ipſa prouincia: cum te iſtic omnes diligant, atque laudent: quod confirmatur ijs uerbis ep. 5. Gratulor, quod excelſo, & illuſtri loco ſita ſit laus tua, in plurimorum & ſociorum, & ciuium conſpectu: quae ad nos nec obſcuro, nec uario ſermone, ſed & clariſsima, & una omnium uoce perfertur. MEIS *optatis fortuna reſpondet*.} ea, quae optabam, ad exitum fortuna perducit. Nec tamen ideo fortunam Cicero nominat, ut eripiat eam laudem Curioni, quae a uirtute proficiſcitur: (nam, quae fortuna largitur, optabilia potius, quam laudabilia ſunt) ſed quia in rebus humanis plurimum fortuna ualet. recte igitur dixit, In omnibus tuis rebus meis optatis fortuna reſpondet: quia nemini omnia poſſunt, aduerſante fortuna, e ſententia ſuccedere. BREVE *eſt*,} ob ea, quae proxime dixit. breuitate autem promiſſa, amorisq. ſui mentione ſubiecta, id aſſequitur, ut ea, quae praecepit, Curio libenter legat. COGIT.} amouet a ſe culpam temeritatis, quod ei praecipere audeat, cuius adiuncta uirtuti fortuna ſit. Neceſſe, inquit, non erat: ſed amor coegit, nec mediocris amor, qui cogere non poteſt, ſed incredibilis. TANTA *eſt exſpectatio*} fere in omnibus epiſtolis exſpectationem proponit; quia uehemens, ac turbulentum extimeſcit Curionis ingenium. unde illud ep. 13. lib. 2. Quid ait? Caeſarem nunc defendit Curio? quis hoc putaret, praeter me? nam, ita uiuam, putaui. Hortatur igitur, ac laudat eum, a quo timet, id quod euenit, ne reip. cauſſam deſerat. VEL ANIMI, *uel ingenij tui;*} quem cohortamur, eum laudare debemus. in excitando enim & in acuendo plurimum ualet, ſi laudes eum, quem cohortere. quod ad Trebonium Cicero ſcripſit ep. ult. lib. XV. Optime autem in laudatione coniunguntur animus, & ingenium: ne ſine ingenio temere multa committantur, ſine animo timide. Vtrumque etiam, cum de eodem Curione loqueretur, Cicero coniunxit in Phil. 2. Patri, inquit, perſuaſi, ut aes alienum filij diſſolueret, redimeret adoleſcentem, ſumma ſpe & animi, & ingenij praeditum. Eiuſdem ingenium laudat his uerbis in libro de claris orat. A magiſtris parum inſtitutus, naturam habuit admirabilem ad dicẽdum. Velleius etiam audacem, & ingenioſiſsime nequam, maloq. publico facundum uocat. OBSECRARE, *obteſtariq.*} obſecrare, maiorem habet uim, quam, rogare, aut orare. itaque ſecundo loco ponitur; ut in oratione poſt red. ad Quir. Pro mea uos ſalute non rogauit ſolum, uerum etiam obſecrauit. Et in Verrem: Cum multis lacrumis orare, atque obſecrare. Eſt autem, obſecrare, quaſi, ob ſacra rogare: obteſtari, ut ait Donatus, precari, cum mentione earum rerum, per quas petimus. ut in Verrem: Deos, deasq. omnes imploro, atque obteſtor. Et hic, Te obteſtari, eſt, per te ipſum precari. Cum, obſecro, iunctum, modo ſequitur, ut hic, modo antecedit, ut ad Atticum: Idq. ut facias, te obteſtor, atque obſecro. NON *dubitem*,} quia futurum ſpero. CONFIRMATVS} tranſlatio a ponderibus: quae non facile ſuſtinent imbecilli. Confirmatus autem, animo firmo, & ad ſuſtinendam exſpectationem bene parato. epiſtola ſequenti. CONCITASTI,} commouiſti. ſed uis maior eſt in uerbo, Concitaſti. Latine autem utrumque dicitur. TVERI} conſeruare. proprie enim, Tueri, eſt, defendere: et, qui defendit, conſeruat. TVORVM *erga me*} parem gratiam repoſcit in memoria meritorum. Quoniam, inquit, merita tua numquam obliuiſcar; itidem debes, quae tibi olim puero praeceperim, quibus te rationibus ad laudem incitauerim, in omni uel fortunae, uel dignitatis acceſsione recordari. DELEBIT} obliuio memoriam delet, et, obliuione memoriam delemus, Latine dicimus. ad animum tranſtulit Terentius in Eun. Deleo dehinc omnes ex animo mulieres. PVER *olim*} quis credat, qua nos aetate pueros appellamus, ea in aetate Curioni praecepta Ciceronem dediſſe? ego puerum hic uocari arbitror, poſt ſumptam uirilem togam, quae, praetexta depoſita, ſumebatur abſoluto aetatis anno XVI. quo anno, a magiſtris diſcedentes, in forum una cum parentibus prodibant: a parentibus autem ad claros uiros, uel ut ius ciuile, aut eloquentiae uias cognoſcerent

uel

uel etiam, ut, eorum ſermonibus, & conſuetudine prudentiores fierent, deducebantur. Teſtimonio ſunt ipſius uerba Ciceronis in libro de Amicitia. Ego, inquit, a patre ita eram deductus ad Scaeuolam, ut, quoad poſſem, & mihi liceret, a ſenis latere numquam diſcederem. itaque multa ab eo prudenter diſputata, multa breuiter, & commode dicta, memoriae mandabam: fieriq. ſtudebam, eius prudentia, doctior. quo mortuo, me ad pontificem Scaeuolam contuli: quem unum noſtrae ciuitatis & ingenio, & iuſtitia praeſtantiſſimum audeo dicere. Ac, ne nouum, & inuſitatum uideatur, ut, annum ingreſsi XVII. pueri nominentur, recitabo locum eiuſdem ex epiſtola Cornificij, lib. XII. Puer egregius praeſidium ſibi primum, & nobis, deinde ſummae reip. comparauit. De Octauiano loquitur: qui, cum exercitum pro rep. priuato conſilio comparauit, annum undeuiceſimum agebat. ut in Taciti hiſtoria lib. XIII. notauimus. Non diſtinxit ſcilicet nomen pueri, & adoleſcentis. nam in alia ad eundem epiſtola adoleſcentem uocat: Perſcriberem Caeſaris Octauiani conatum; de quo multitudini fictum ab Antonio crimen uidetur, ut in pecuniam adoleſcentis impetum faceret. Et Phil. IV. Laudo, laudo uos, Quirites, cum gratiſsimis animis proſequimini nomen clariſsimi adoleſcentis, uel pueri potius. AETAS. NOSTRA, *iam ingraueſcens*,} ſcripſit hanc epiſtolam annos natus LIV. id ex eo conſtat, quod in ep. 6. Milonem in petitione conſulatus commendat Curioni Romam reuertenti. Milo autem conſulatum petijt, quod Appianus, Dio, alij docent, Caluino, & Meſſalla cos. annis LIV poſt eos conſules, quibus Cicero natus eſt, Serranum, & Caepionem: quorum conſulatum, & eum, quem Caluinus & Meſſalla geſſerunt, hoc annorum numero comprehendimus. Anno autem petitionis potius, quam prenſationis, epiſtolam eſſe ſcriptam, declarant ea uerba initio epiſtolae: Cum has ad te quamprimum perferri litteras magnopere uellemus. Ingraueſcit aetas, cum, deficientibus iam corporis uiribus, tardius mouentur membra. hac uſus eſt tranſlatione in libro etiam de Senectute: Quibus facillime rationibus ingraueſcentem aetatem ferre poſsimus. Et de Amicitia: Mutari mores hominum ſaepe dicebat, alias aduerſis rebus, alias aetate ingraueſcente. Graues aetate, dixit Liuius lib. 2. & X. Grauior natu, Terentius in Heaut. Grauior aeuo, Virgil. lib. 2. Aen. Grauis annis, Horatius I. Serm. Sat. I. ADOLESCENTIA} non modo ſumpta uirili toga, quam ſumi ſolitam eſſe ineunte anno aetatis XVII. proxime oſtendimus, ſed etiam poſt annum XXX. adoleſcentes uocabantur: et, qui adoleſcentes, ijdem iuuenes. nam, quem hic adoleſcentem Cicero ſignificat, eundem nominat iuuenem ep. 12. lib. 2. ad Att. cum ea tamen epiſtola ſeptem annis ante hanc ſcripta ſit. nam in ea Clodij, tribunatum petentis, qui petijt Caeſare, & Bibulo cos. mentio fit: hae uero ad Curionem omnes, praeter ultimam, gratulationis officio fungentem, Caluino, & Meſſalla cos. ſcriptae ſunt. quo certe anno uidetur Curio maior annis XXX. fuiſſe, cum biennio poſt tribunus pl. fuerit, Sulpicio, & Marcello cos. ut patet ex ep. 7. De eodem Curione, quadriennio poſt, dixit Caeſar lib. 2. bel. ci. Multum ad hanc rem probandam adiuuat adoleſcentia, magnitudo animi. In oratione etiam pro Murena uocatur adoleſcens Ser. Sulpicius, cum minor annis XXX. certe non eſſet. habita enim a Cicerone conſule oratio illa: Sulpicius autem poſt annos XI. conſulatum geſsit. Et lib. 2. de Orat. cum dixiſſet de L. Craſſo, Non multa eum, quae quidem exſtarent, & ea ipſa adoleſcentem, ſcripta reliquiſſe: poſtea in lib. de Claris Orat. eius orationem, quam habuit pro Seruilia lege annos natus XXXIV. extare ſignificat. Quid, quod Salluſtius in Coniuratione Catilinae adoleſcentulum appellat C. Caeſarem, quo anno pontificatum maximum eſt adeptus? qui cum pontifex creatus ſit poſt aedilitatem, aedilitas autem a quaeſtura biennio diſtet, & quaeſturam Caeſar geſſerit anno aetatis XXXIII; quod Suetonius declarat; pontificatum conſequi non potuit ante annum XXXVI. Quodq. magis mirum, Phil. 2. adoleſcentes Cicero uocat Brutum, & Caſsium, quo anno praeturam gerebant, ideſt anno aetatis quadrageſimo. eundemq. Brutum eodem anno adoleſcentem appellat Cornelius Nepos in Attici uita. Liuius etiam lib. IX. de Alexandro Magno, qui anno aetatis trigeſimotertio diem obijt, haec inquit; Adoleſcens in incremento rerum, nondum alteram fortunam expertus, deceſsit. CONQVIESCAT} ut me, curarum publicarum oneribus, quae iam ingraueſcens aetas ferre uix poſſet, amore, ac ſtudio leues.

## Argumentum ep. 2.

*DE Curionis patris interitu ſignificat, ac ſe illi parentis loco futurum pollicetur. Verum, cui credibile uideatur, ad Curionem in Aſiam de patris eius obitu tantulam epiſtolam eſſe conſcriptam? mihi quidem non fit uериſimile. itaque libenter & hanc, & eam, quae ſequitur, epiſtolam coniunxerim, argumento etiam poſtulante. nam, ea munera declarari a Rupa liberto, ideſt oſtendi, & promitti populo, Curio filius exoptabat, quae ipſe poſtea, in urbem reuerſus, patri mortuo daret. in quo tamen ueterum librorum conſenſu deterreor, qui a ſententia mea plane omnes diſcrepant. Eodem anno.*

*Cicero*

## *Cicero S. D. Curioni.* 2.

*GRAVI teſte priuatus ſum amoris ſummi erga te mei, patre tuo, clariſſimo uiro: qui, cum ſuis laudibus, tum uero te filio, ſuperaſſet omnium fortunam, ſi ei contigiſſet, ut te ante uideret, quam a uita diſcederet. ſed ſpero noſtram amicitiam non egere teſtibus. tibi patrimonium dij fortunent. me certe habebis, cui carus aeque ſis, & periucundus, ac fuiſti patri. Vale.*

## EXPLANATIO

GRAVI *teſte*} Curionem enim adoleſcentem in gratiam irati patris Cicero ſua auctoritate reduxerat: qua de re ſcriptum eſt in Phil.2. CLARISSIMO *uiro*:} conſulari & triumphali. poſt conſulatum in Macedoniam profectus, Dardanis, & Maeſijs deuictis, primus Romanorum ducum ad Danubium uſque peruenit. Hoc Rufus: Epitome uero Liuiana, C. Curio proconſul Dardanos in Thracia domuit. Ammianus Marcellinus lib. XIX. & Frontinus lib. IV. ſeueriſsimum fuiſſe ducem oſtendunt: Ammianus his uerbis: Sagittariorum primoribus manus incidit, reliquos ſupplicio capitali multauit, ad aemulationem Curionis, acerrimi illius ducis, qui Dardanorum ferociam, in modum Lernaeae ſerpentis aliquoties renaſcentem, hoc genere poenarum exſtinxit. Frontinus autem haec de Curione: Bello Dardanico, circa Dyrrhachium, cum ex quinque legionibus una, ſeditione facta, militiam detrectaſſet, ſecuturamq. ſe temeritatem ducis in expeditionem aſperam, & inſidioſam negaſſet, quattuor legiones eduxit armatas, & conſiſtere ordinibus, detectis armis, uelut in acie, iuſsit: poſt haec, ſeditioſam legionem inermem procedere, diſcinctam in conſpectu armati exercitus, ſtramenta coegit ſecare: poſtero autem die, ſimiliter foſſam diſcinctos milites facere. nulliſq. precibus legionis ab eo impetrari potuit, ne ſigna eius ſubmitteret, nomenq. aboleret, milites autem in ſupplementum ceterarum legionum diſtribueret. Cicero nominat eum inter Pontifices in oratione de haruſpicum reſponſis: in lib. de claris orat. non contemnendum ait oratorem fuiſſe, conſuetudine tantum domeſtica bene, & emendate loquendi, nulla ſcientia litterarum, infirma etiam memoria. Lib. III. Off. reprehendit eum, quod in genere deliberatiuo ſolam ſpectaret utilitatem, ut in cauſſa tranſpadanorum, quam eſſe aequam fatebatur, ſemper autem addebat, uincat utilitas. lib. I. de Inuent. recitat haec uerba ex eius oratione pro Fuluio: Nemo poteſt uno adſpectu, neque praeteriens, in amorem incidere. Valerius Max. lib. IX. cap. I. frugalitatem in eo laudat, nequitiam in filio reprehendit. TE *uideret*,} reuerſum ex Aſia. A. VITA *diſcederet*.} ſic locutus eſt Tuſc. I. in libro autem de Sen. Ex uita diſcedere: pro Rabirio perduellionis reo, De uita decedere: Phil. 9. E uita excedere: in Bruto, Vita excedere, &, Vita cedere, in prooemio eiuſdem lib. FOTVNENT.} ep. 8. lib. XI. Eum honorem tibi deos fortunare uolo. ideſt, ne quid aduerſi contingat. CARVS, *& periucundus*} Carus filio pater, recte dicimus; iucundus, non item. iucundus, & carus patri filius, uſitatum. delectat enim, & hilaritate quadam, ac iucunditate afficit maiorem aetatem minor: contra, minor ex maiore ſic afficitur, ut reuerentiam quandam aduerſus eam adhibeat, cum amore coniunctam, non ut iucunditate perfruatur. Epiſtola ſequenti: Cognoſces mihi te neque cariorem, neque iucundiorem eſſe quemquam. Et ep. 10. lib. III. Cum, quam ſis Cn. Pompeio carus, quamq. iucundus, intelligam; quo tandem animo in te eſſe debeo? Nonnullis, Iucundus, non Periucundus, placet, fortaſſe quod ad conſuetudinem Latini ſermonis aptius uideatur, Aeque carus, & iucundus, quam Aeque carus, & periucundus. ut enim, Ita periucundus, eodem modo, Aeque periucundus, reſpuere uidetur Latina lingua. me tamen haec ratio non ita mouet, ut, contra ueterum omnium librorum, quos quidem uidere mihi licuerit, conſenſum, mutationem eſſe faciendam, exiſtimem.

---

## Argumentum ep. 3.

*EXcuſat libertum Rupam, quia munera populo non promiſerit: quod ei Curio mandauerat. totum conſilium de dandis muneribus improbat, & quia nihil expediant male affectae reip. & quia diuitias potius, quam uirtutem, oſtendant. Summam, ait, exſpectationem de eius uirtute, ingenioq. concitatam: quam ſi ſuſtinuerit, id fore praeſtantius omnibus muneribus. Concludit ſignificatione beneuolentiae ſuae. Tota moralis eſt epiſtola: diſſuadet enim a muneribus dandis. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Curioni. 3.*

*RVPAE ſtudium non defuit declarandorum munerum tuo nomine: ſed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum, quidquam, te abſente, fieri, quod tibi, cum ueniſſes, non eſſet integrum. meam quidem ſententiam aut ſcribam ad te poſtea pluribus; aut, ne ad eam meditere, imparatum te offendam; coramq. contra iſtam rationem, meam dicam: ut aut te in meam ſententiam adducam, aut certe teſtatum apud animum tuum relinquam, quid ſenſerim: ut, ſi quando, quod nolim, diſplicere tibi tuum conſilium coeperit, poſſis meum recordari. Breui tamen ſic habeto, in eum ſtatum temporum tuum reditum incidere, ut ijs bonis, quae tibi natura, ſtudio, fortuna data ſunt, facilius omnia, quae ſunt in rep. ampliſſima, conſequi poſſis, quam muneribus; quorum neque facultatem quiſquam admiratur; (eſt enim copiarum, non uirtutis) neque quiſquam eſt, quin ſatietate iam defeſſus ſit. Sed aliter, atque oſtenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem ſententiae meae. quare omnem hanc diſputationem in aduentum tuum differo. Summa ſcito in exſpectatione te eſſe, eaq. a te exſpectari, quae a ſumma uirtute, ſummoq. ingenio exſpectanda ſunt. ad quae ſi es, ut debes, paratus; quod ita eſſe confido: plurimis, maximisq. muneribus & nos amicos, & ciues tuos uniuerſos, & remp. afficies. illud profecto cognoſces, mihi te neque cariorem, neque iucundiorem eſſe quemquam. Vale.*

# EXPLANATIO

RVPAE } liberti retinebant ea nomina, quae ſerui habuerant, aſſumpto praeterea patroni praenomine, & nomine: unde M. Tullius Tiro, M. Tullius Laurea, Ciceronis liberti, T. Caecilius Euthychides, Attici libertus, ep. 14. lib. IV. ad Att. DECLARANDORVM O} ſtendendorum, promittendorum: ut ep. 8. lib. IX. Munus flagitare, quamuis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus. MVNERVM } munera populo dabant, gratiam eius aucupantes, cum uel gladiatorum certamina praeberent, uel nummos diuiderent, uel epulum darent, aut aliquid eiuſmodi. Curio in funebri patris munere, praeter cetera, ludos dedit, & in ijs pantheras: ut ſcripſit Coelius ep. 6. & 7. lib. IIX. dedit etiam admirandam illam, quae amphitheatri formam faceret, ligneam machinam, de qua Plinius lib. XXXVI. cap. 15. ſed plerumque gladiatores dabantur, munusq. gladiatorium dicebatur. ep. 6. Magnificentiam munerum, dixit de ludis ſcenicis, & munere gladiatorio Milonis. in oratione pro Sextio Scipionis munus, de gladiatoribus dixit: & addidit, eo ſpectaculi genere multitudinem maxime delectari. Αγῶνα μονομαχίας, quod eſt, ſingulare certamen, Graeci uocant. interpres Dionis imperite uertit, ludos gladiatorios: cum omnino a ludis gladiatores differre conſtet. NON *eſſet integrum.* } ut, ſi conſilium noſtrum probares, mutare ſententiam poſſes. Verebatur Cicero, ne, muneribus dandis, aeris alieni plurimum Curio contraheret, eoq. coactus, omiſſa reip. cauſſa, cum improbis ciuibus, maximeq. cum Caeſare, ſocietatem, bonis exitioſam, coiret. quod ita contigit, ut ſupra oſtendimus. ISTAM *rationem,* } qua tu adductus, danda haec populo munera exiſtimas. MEAM } qua mihi non probantur huiuſmodi munera. Et ſane lib. 2. Off. pecuniarum effuſiones ad multitudinem deleniendam, nec ijs, quorum cauſſa fiunt, nec ijs, a quibus fiunt, honorificas, multis uerbis oſtendit. Duo ſunt, inquit, genera largorum: quorum alteri prodigi, alteri liberales; prodigi, qui epulis, & uiſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum uenationumq. apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam ſunt relicturi omnino: liberales autem, qui ſuis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt, aut aes alienum ſuſcipiunt amicorum cauſſa, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur uel in re quaerenda, uel augenda. itaque miror, quid in mentem uenerit Theophraſto in eo libro, quem de diuitijs ſcripſit: in quo multa praeclare, illud abſurde: eſt enim multus in laudanda magnificentia, & apparatione popularium munerum: taliumq. ſumptuum facultatem, fructum diuitiarum putat. mihi autem ille fructus liberalitatis, cuius exempla pauca poſui, multo & maior uidetur, & certior, & quae ſequuntur. DISPLICERE } putat Cicero futurum, ut aliquando Curionem paeniteat eorum ſumptuum, quos in his muneribus fecerit. nec aliter cecidit. nam, cum, praeſtituta die, creditoribus ſuis Curio ſatisfacere non poſſet, interKalationem, ideſt prorogationem temporis, a Pontificibus petiit: quam cum non obtinuiſſet, addixit ſe, ſuamq. ſententiam Caeſari, deſerto reip. patrocinio. ep. 9. lib. IIX. IN EVM *ſtatum temporum* } cum reſp. defenſoribus egeret, paucis iam omnia tenentibus. ſcripta enim eſt epiſtola Caluino, & Meſſalla coſ. cum adhuc Caeſaris potentiam Pompeius adiuuaret, nec optimatum uires ad reſiſtendum ſufficerent. NATVRA, *ſtudio, fortuna* } pro rebus extraneis fortunam, ideſt pro genere ſpeciem uſurpauit: (ſi modo inter Curionis bona nobilitatem generis comprehendit: quod omnino ueriſimile uidetur) quemadmodum & Cornelius Nepos in Attici uita, Fortunae munus ait fuiſſe, quod in ea potiſsimum urbe natus eſſet, in qua domicilium orbis terrarum eſſet imperii. uere Fortunae bona ſunt, quae tum ab ea dari, tum etiam eripi facile poſſunt, ut diuitiae, quae ſaepe bello, incendio, alioue caſu amittuntur: nobilitas autem generis, & patriae ſplendor, cum ſemel data ſunt, perpetuo retinentur: itaque malim eas in extraneis rebus numerare, quam, ut Cicero, & Nepos, fortunae tribuere. FACVLTATEM } cum dantur ampliſsima. COPIARVM, } nemo enim copias admiratur, quas facillime ſordidi homines, atque improbi conſequuntur, quibusq. Africanos, & Laelios multi uenalicij, mercatoresq. ſuperarunt: quod egregie Cicero ſcripſit in Oratore. Fortaſſe hanc ſententiam Cicero ſumpſit ab Iſocrate, cuius in primis

lectione

lectione delectatus eſt. ait enim in oratione, qua Euagoram laudauit, mortuorum memoriam non ſumptibus, uerum oratione laudantium, immortalem fieri. Αἱ μὲν δαπάναι τῶν μὰν τοιούτων οὐδὲν ἐξεργάζονται, οὐδὲ πλούτου σημεῖον εἰσίν. SATIETATE } cum ſaepe huiuſmodi munera populo darentur. SVMMA *uirtute, ſummoque ingenio* } uirtutem tribuit adoleſcenti Curioni, cuius animum, & ingenium laudauit in proxima epiſtola. Vel ea dicit a Curione exſpectare, quae ab ijs, qui uirtute, ingenioq. excellunt, exſpectanda ſunt. PARATVS;} uoluntate, ac ſtudio. in proxima epiſtola, Sic ad nos confirmatus reuertare. QVOD *ita eſſe confido:* } cum aliquem admonemus, hoc ſubiungere artificijs eſt: ne dubitare uideamur, & in admonitione noſtra totum conſtituere. MVNERIBVS } tacite ſignificat, non debere Curionem in jis muneribus, quae populo dare cogitabat, ſpem ſuae dignitatis collocare, ſed in remp. ſua ſtudia conferre, quo ſibi ciuitatis uniuerſae beneuolentiam comparabit.

---

# Argumentum ep. 4.

*Epiſtolarum genera tria ponit; unum, negotiale; alterum, iocoſum; tertium, ſeuerum: quorum nullo ſibi nunc uti non licere demonſtrat, ut oſtendat ſe, cum nullum ſcribendi ſuppetat argumentum, facere coactum, quod fecit etiam in ſuperioribus litteris, ut eum hortetur ad amplectendam remp. in magnis difficultatibus conſtitutam: cuius officij cauſſam confert in beneuolentiam ſuam. Nihil habet epiſtola, quod morale non ſit. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Curioni.* 4.

EPISTOLARVM *genera multa eſſe non ignoras, ſed unum illud certiſſimum, cuius cauſſa inuenta res ipſa eſt, ut certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum intereſſet. huius generis litteras a me profecto non exſpectas: tuarum enim rerum domeſticarum habes & ſcriptores, & nuncios; in meis autem rebus nihil eſt ſane noui. reliqua ſunt epiſtolarum genera duo, quae me magnopere delectant; unum familiare, & iocoſum; alterum ſeuerum, & graue. utro me minus deceat uti, non intelligo. Iocer ne tecum per litteras? ciuem mehercule non puto eſſe, qui temporibus his ridere poſſit. An grauius aliquid ſcribam? quid eſt, quod poſſit grauiter a Cicerone ſcribi ad Curionem, niſi de rep? atque in hoc genere haec mea cauſſa eſt, ut neque ea, quae nō ſentio, uelim ſcribere. Quamobrem, quoniā mihi nullum ſcribendi argumentum relictum eſt, utar ea clauſula, qua ſoleo; teq. ad ſtudium ſummae laudis cohortabor. eſt enim tibi grauis aduerſaria conſtituta, & parata, incredibilis quaedam exſpectatio: quam tu una re facillime uinces, ſi hoc ſtatueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eae laudes comparantur, in ijs eſſe laborandum. In hanc ſententiam ſcriberem plura, niſi te tua ſponte ſatis incitatum eſſe confiderem; & hoc, quidquid attigi, non feci inflammandi tui cauſſa, ſed teſtificandi amoris mei. Vale.*

## EXPLANATIO

INVENTA. RES } ut cum abſentibus tamquam praeſentibus colloqueremur. Pertinet huc uerſus ille trochaicus catalecticus, a Turpilio comico de litterarum uiciſsitudine prolatus, quem recitat beatus Hieronymus in ep. 42. Sola res eſt, quae homines abſentes praeſentes facit. CERTIORES *faceremus* } monendus hic eſt lector, Latinum non eſſe, id eſt ſcriptoribus optimis uſitatum, Certiorem reddere: quod quibuſdam placuit. TVARVM *enim rerum domeſticarum* } ſatis erat, Tuarum rerum: nec ſatis conſtat, utrum a Cicerone, an ab alijs poſtea ſcriptum ſit, Domeſticarum. Sed hoc leue eſt. MAGNOPERE *delectant;* } quae tamen mihi temporum ratio eripit. TEMPORIBVS *his* } ad exitium reip. ſpectantibus. nec fefellit coniectura Ciceronem. A. CICERONE *ad Curionem,* } inter quos mutuus amor, & ſumma familiaritas eſt, nulla maioris momenti negotia. Emphaſis eſt in nominibus, ut ep. 4. lib. XV. Cui negari a Catone fas eſſe non puto. IN. HOC *genere* } in hoc de rep. argumento. eleganter Cicero uſurpat, In hoc genere, pro, In hoc, ut ep. 1. Si in eo genere ſtudium meum non aſpernabere. Et ep. 6. Propter excellentem ipſius in eo genere uel gratiam, uel diligentiam. HAEC *mea cauſſa eſt,* } hic ſtatus meus eſt. QVAE *non ſentio,* } ita lego, cum antiquis libris omnibus, etiam illo Mediceo, omnium uetuſtiſsimo, non, ut eſt in recentioribus, Quae nunc ſentio. Nolo, inquit, de rep. ſcribere ea, quae non probo. VELIM *ſcribere.* } non audet, quae de rep. ſentit, litteris mandare, ne Caeſarem, & Pompeium, principes ciues, ſibi amicos, offendat, ſi in alienas manus litterae inciderint.

ep. ſequenti: Haec negotia quo modo ſe habeant, ne epiſtola quidem narrare audeo. E A *clauſula,*} quod epiſtolam claudit, ac terminat, Clauſula uocatur. Et omnino rerum omnium finis, clauſula eſt. itaque lib. IV. ad Att. ep. 3. Clauſula difficilis in tradenda prouincia. A D. S T V D I V M *ſummae laudis*} ad tuendam remp. ex quo manat ſumma laus. G R A V I S *aduerſaria*} ſic.n.nobis, ut cũ acerrimo inimico, cũ exſpectatione pugnandũ eſt: ijs aũt, qui nulla in exſpectatione ſunt, licet eſſe otiſis. I N C R E D I B I L I S *quaedam exſpectatio:*} mediocris, n. exſpectatio mediocrẽ induſtriam, uirtutemq. poſtulat, ſed incredibilẽ ſine ſumma uirtute nemo uincet. ſic in prima epiſtola: Tanta eſt exſpectatio uel animi, uel ingenij tui. In ſecunda uero: Summa ſcito in exſpectatione te eſſe. In quincta: Mirabilis eſt exſpectatio reditus tui. Quibus locis omnibus ad excitandum, commouendumq. Curionem, quaſi quaedam faces adhibentur. V I N C E S,} apte, & proprie, quia dixerat, Grauis aduerſaria. Q V A R V M *laudum gloriam adamaris,*} implicata quibusdam uidetur haec ſententia: quae patebit, hoc ordine demonſtrata. Si ſtatueris, in ijs artibus eſſe elaborandum, quibus eae laudes comparantur, quarum gloriam adamaueris; facillime uinces grauem aduerſariam exſpectationem. Q V I B V S *artibus*} quae ſunt hae artes? quae, niſi morales uirtutes, iuſtitia, fortitudo, temperantia? quibus & nobis ipſis, & patriae conſulimus. I N. H A N C *ſententiam ſcriberem plura,*} Sic locutus lib. I. de Orat. Neque haec in eam ſententiam diſputo, ut homines adoleſcentes a dicendi labore deterream. T V A *ſponte ſatis incitatum*} uel ita ſentit Cicero, uel apte ſimulat, ne ſit grauis admonitio adoleſcenti, cuius animi magnitudinem, quae interdum cohortationes reſpuit, optime nouerat. ideo quaſi ſe excuſans in ep. I. quod eum admonendum putauerit, breuiter ſe uelle praecipere, & idipſum, incredibili amore coactum, prudenter poſuit. Et in tertia, cum dixit: Quod ita eſſe confido. Eodemq. ſpectat illud in quincta: Non quo uerear, ne tua uirtus opinioni hominum non reſpondeat. Incitatum autem dixit, in optimarum actionum curſu, ut ad propoſitam egregijs ciuibus laudem perueniat. Contra, Languet iuuentus, dixit in oratione in Piſonem, quae nihil de laude laboraret, ad nullam recte agendi excitaretur induſtriam. I N F L A M M A N D I} tranſlatum eſt uerbum, ſed ita uſu tritum, ut tranſierit in naturam proprij: itaque ſolum uſurpatur, ut in ep. 7. lib. I. Omnem gloriam, ad quam a pueritia inflammatus fuiſti, omni cura, atque induſtria conſequare. T E S T I F I C A N D I} teſtimonio declarandi, ut exempla demonſtrant. eandem ſententiam aliter expreſsit ep. 3. lib. X. Haec, amore magis impulſus, ſcribenda ad te putaui, quam quo te arbitrarer monitis, & praeceptis meis egere.

---

# Argumentum ep. 5.

*REmp. domeſticis malis laborare ſignificat: Curioni gratulatur, quod abſit; uel quia ciuiles miſerias non uideat; uel quod ibi ſit, ubi magnam ex recte factis laudem conſequatur. Poſtremo hortatur eum ad ſuſcipiendam remp. eius maxime patrocinio indigentem. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Curioni.* 5.

H A E C *negotia quo modo ſe habeant, ne epiſtola quidem narrare audeo tibi. etſi, ubicumque es, ut ſcripſi ad te antea, in eadem es naui: tamen, quod abes, gratulor; uel quia non uides ea, quae nos; uel quod excelſo, et illuſtri loco ſita ſit laus tua, in plurimorum & ſociorum, & ciuium conſpectu: quae ad nos nec obſcuro, nec uario ſermone, ſed & clariſſima, & una omnium uoce perfertur. Vnum illud neſcio, gratuler ne tibi, an timeam, quod mirabilis eſt exſpectatio reditus tui: non quo uerear ne tua uirtus opinioni hominum non reſpondeat: ſed mehercule, ne, cum ueneris, non habeas iam, quod cures: ita ſunt omnia debilitata, iam prope & exſtincta. Sed haec ipſa, neſcio recte ne ſint litteris commiſſa. quare cetera cognoſces ex alijs. Tu tamen, ſiue habes aliquam ſpem de rep. ſiue deſperas, ea para, meditare, cogita, quae eſſe in eo ciue, ac uiro debent, qui ſit remp. afflictam, & oppreſſam miſeris temporibus, ac perditis moribus in ueterem libertatem, ac dignitatem uindicaturus. Vale.*

## E X P L A N A T I O

H A E C *negotia quo modo ſe habeant,*} quo in ſtatu reſp. ſit, qui ſit rerum urbanarum, & reip. ſtatus. N E *epiſtola quidem*} tantum abeſt, ut per nuncios audeam ſignificare, qui ſaepe produnt eorum fidei commiſſa. T I B I.} hoc alij cum ſequentibus coniungunt: ego ſuperioribus applicare malui. Vnus Sigonij liber habet: Narrare tibi audeo, quod mihi non diſplicet. V T *ſcripſi ad te antea,*} quae litterae non exſtant. I N *eadem es naui:*} omnibus, eodem nauigio uectis, idem periculum impendet, ergo, In eadem naui, In eodem periculo, idq. frequens Latini ſermonis uſus obtinuit. Liuius lib. XLIV. Imperatores, inquit, monendi ſunt, primum a prudentibus, & proprie rei militaris peritis, & uſu doctis;

deinde

deinde ab ijs, qui hoſtem, qui temporum opportunitatem uident, qui in eodem uelut nauigio participes ſunt periculi. Tale illud in epiſtola ad Cornificium lib. XII. Vna nauis eſt iam bonorum omnium: quam, quidem, nos damus operam, ut rectam teneamus, utinam proſpero curſu: ſed, quicumque uenti erunt, ars noſtra certe non aberit. VEL *quod excelſo, & illuſtri loco*} ipſe ſuorum uerborum interpres eſt — cum ſubiungit: In plurimorum & ſociorum, & ciuium conſpectu. ET *ſociorum, & ciuium*} imperium Romanum in ciues, & ſocios diuiditur. ſociorum plura genera, Latini, Italici, prouinciales. quorum Latini iure, & condicione Italis reliquis praeſtabant, Itali uero prouincialibus. Porro ſocij non omnes foederati. aut enim ſponſione, aut pactione, aut foedere ſocij fiebant. Foederati autem uel ſuis, uel Romanis legibus uiuebant. foedere enim triplici exterae gentes amicitiam cum populo Romano iungebant, aequiſsimo, aequo, iniquo: aequiſsimo, qui numquam hoſtes populi Romani amicitiam eius, neque datis, neque acceptis legibus, petierant: aequo, qui, bello geſto, nondum uicti, legibus non acceptis, pacem fecerant: iniquo, quibus bello uictis leges, impoſito tributo, dabantur. quae cum ex Liuio, tum ex alijs cognoſcuntur. Ciues quoque diſtinguuntur, uel familijs, cum alij patricij, alij plebeij ſint; uel ordine, cum alij ſenatores, alij equites, alij de plebe; uel iure, cum alij ingenui, alij libertini. NEC *obſcuro, nec uario*} intulit antitheta, Et clariſsima, & una. RESPONDEAT;} ſatisfaciat, ea ſit, quam homines futuram putant. ep.I. Meis optatis fortuna reſpondet. DEBILITATA *iam prope, & exſtincta*} in epiſtola ad Lucceium lib. V. eandem ſententiam ſic enunciauit: Circumſpice omnia membra reip. nullum profecto reperies, quod non fractum, debilitatum ue ſit. SIVE *deſperas*,} ut omnino boni ciuis officio ſatisfacias, rep. etiam deſperata. MEDITARE, *cogita*,} nemo eſt uerborum copia, & ornamentis Latinae linguae, Cicerone florentior. Meditamur quieti, cogitamus maiore quodam mentis motu. CIVE, *ac uiro*} indiget enim reſp. non optimis tantum ciuibus, ſed fortibus etiam uiris. ideo utrumque Cicero ſaepe coniunxit, ut ad Att. ep.15. lib. IV. O uirum, o ciuem Memmium. Et in oratione pro Plancio: Quid dicam? C. Virgilio, tali ciui, ac uiro, beneuolentiam in me, humanitatem, fidem defuiſſe? MISERIS *temporibus, ac perditis moribus*} tempora, & mores ſimul nominat, ut publicam calamitatem ſimul cum cauſſa ſignificet. cur enim miſera tempora? quia mores perditi. Sic ep. 12. lib. III. Non horum temporum, non horum hominum, atque morum negotium. Et lib. 2. de Diuin. Quod munus afferre reip. maius, meliusue poſſumus, quam ſi docemus, atque erudimus iuuentutem? his praeſertim moribus, atque temporibus; quibus ita prolapſa eſt &c. Et in Catilinam: O tempora, o mores. LIBERTATEM, *ac dignitatem*} quas amiſimus. ep. 8. lib. I. Quae propoſita fuerant nobis, cum & honoribus ampliſsimis, & laboribus maximis perfuncti eſſemus, dignitas in ſententijs dicendis, libertas in rep. capeſſenda, ea ſublata tota. VINDICATVRVS.} reſtituturus. Inepte quidam litigant, Vindico, an Vendico, dicamus: ego ſemper, Vindico, ex antiquis monumentis, & analogia dicendum puto: uindex enim, non, uendex; uindiciae, non, uendiciae reperitur.

---

## Argumentum ep.6.

*ARtificioſa commendatio, a ſummo erga Milonem ſtudio deprompta. Partes multae ſunt, omnes ad impetrandum accommodatae. Rei magnitudinem oſtendit: in Curionem officia modeſte commemorat: Curionis in ſe amplificat, & in referenda gratia parem uoluntatem pollicetur. Atque haec quaſi prooemij loco ſunt. Narratio autem, quaecumque ad impetrandum ualent, omnia comprehendit. ſumma petentis cupiditas oſtenditur in eo, Ego omnia mea ſtudia. Cupiditas autem honeſtae rei, quia ſubiungitur, Non officij ſolum fructum, ſed etiam pietatis laudem. Et, quoniam aliena minus, quam noſtra, nobis curae ſunt, occurrit huic ſuſpicioni, cum inquit: Neque uero cuiquam ſalutem, ac fortunas ſuas. Petimus interdum, quae fieri uix poſſunt. at Cicero, cum dixerit iam, Peto id, quod maxime cupio, quod cupere debeo, quod mihi tanti eſt, ut in eo omnia mea poſita eſſe decreuerim, ſubiungit, Poſſe te intelligo id, quod tantopere cupio. Auget etiam commendationem, cum de conſenſu, ſtudioq. bonorum adiungimus. ideo dixit illa: Habemus haec omnia, bonorum ſtudium, & quae ſequuntur.*

*quuntur. Poſtremo loco neque nos immemores, neque eum, cui petimus, aut ingratum fore promittimus, adiuncta eius laude, ut non ſolum uelle amicorum cauſſa, ſed etiam poſſe uideatur: quod utrumque attigit Cicero. nam de ſe ipſo cum dixiſſet, Si me memorem, ſi gratum, deinde poſuit, De ipſo T. Annio. Quod ſi res non amico tantum, ſed nobis etiam dignitatem, aut commodum afferat; plus omnino habet ponderis commendatio. dixit igitur: Mihi uero tantum decoris, tantum dignitatis adiunxeris. Concluſio optima, id nobis fore gratiſſimum, & id eum, a quo petimus, praeſtare poſſe. Quae qui omnia diligenter attendet, profecto artem ſibi aliquam ad commendandum componet: quando haec, ſi non omnia, pleraque certe, mutatione leuiſſima, ad uarios uſus transferri facile poſſunt. Eodem anno.*

## *Cicero S. D: Curioni 6.*

*NONDVM erat auditum, te ad Italiam aduentare, cum Sex. Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te litteris miſi: ſed tamen, cum appropinquare tuus aduentus putaretur, et te iam ex Aſia Romam uerſus profectum eſſe conſtaret; magnitudo rei fecit, ut non uereremur, ne nimis cito mitteremus, cum has ad te quamprimum perferri litteras magnopere uellemus. Ego, ſi mea in te eſſent officia ſolum, Curio, tanta, quanta magis a te ipſo praedicari, quam a me ponderari ſolent; uerecundius a te, ſi qua magna res mihi petenda eſſet, contenderem. GRAVE eſt enim homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo ſe bene meritum putet: ne id, quod petat, exigere magis, quam rogare, et in mercedis potius, quam beneficij loco numerare uideatur. ſed, quia tua in me uel nota omnibus, uel ipſa nouitate meorum temporum clariſſima, & maxima exſtiterunt; ESTQVE animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum uelle debere: non dubitaui id a te per litteras petere, quod mihi omnium eſſet maximum, maximeq. neceſſarium. neque enim ſum ueritus, ne ſuſtinere tua in me uel innumerabilia beneficia non poſſem; cum praeſertim conſiderem, nullam eſſe gratiam tantam, quam non uel capere animus meus in accipiendo, uel in remunerando, cumulandoq. illuſtrare poſſit. Ego omnia mea ſtudia, omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis conſulatu fixi, & locaui: ſtatuique, in eo me non officij ſolum fructum, ſed etiam pietatis laudem debere quaerere. Neque uero cuiquam ſalutem, ac fortunas ſuas tantae curae fuiſſe umquam puto, quantae mihi ſit honos eius: in quo omnia mea poſita eſſe decreui. Huic te unum tanto adiumento eſſe, ſi uolueris, poſſe intelligo, ut nihil ſit praeterea nobis requirendum. habemus haec omnia; bonorum ſtudium, conciliatum ex tribunatu, propter noſtram, ut ſpero te intelligere, cauſſam; uulgi, ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatemq. naturae; iuuentutis, & gratioſorum in ſuffragijs, propter ipſius excellentem in eo genere uel gratiam, uel diligentiam; noſtram ſuffragationem ſi minus potentem, at probatam tamen, et iuſtam, & debitam, & propterea fortaſſe etiam gratioſam. dux nobis, & auctor opus eſt, & eorum uentorum, quos propoſui, moderator quidam, & quaſi gubernator. qui ſi ex omnibus unus optandus eſſet; quem tecum conferre poſſemus, non haberemus. Quamobrem, ſi me memorem, ſi gratum, ſi bonum uirum uel ex hoc ipſo, quod tam uehementer de Milone laborem, exiſtimare potes; ſi dignum denique tuis beneficijs iudicas: hoc a te peto, ut ſubuenias huic meae ſollicitudini, ut huic meae laudi, uel, ut uerius dicam, prope ſaluti tuum ſtudium dices. De ipſo T. Annio tantum tibi polliceor, te maioris animi, grauitatis, conſtantiae, beneuolentiae erga te, ſi complecti hominem uolueris, habiturum eſſe neminem. mihi uero tantum decoris, tantum dignitatis adiunxeris, ut eundem te facile agnoſcam fuiſſe in laude mea, qui fueris in ſalute. Ego, ni te uidere ſcirem, cum haec ad te ſcriberem, quantum officij ſuſtinerem, quantopere mihi eſſet in hac petitione Milonis omni non modo contentione, ſed etiam dimicatione elaborandum; plura ſcriberem. nunc tibi omnem rem, atque cauſſam, meq. totum commendo, atque trado. unum hoc ſic habeto; ſi a te hanc rem impetraro, me paene plus tibi, quam ipſi Miloni, debiturum. non enim mihi tam mea ſalus cara fuit, in qua praecipue ſum ab illo adiutus; quam pietas erit in referenda gratia iucunda. eam autem unius tui ſtudio me aſſequi poſſe confido. Vale.*

## EXPLANATIO

NONDVM *erat auditum,*} primis epiſtolae uerbis & rei magnitudo, & ſtudium petentis declaratur. ADVENTARE,} aduentat is, qui quotidianis itineribus accedit, & appropinquat. VILLIVM,} Romanae gentis plebeiae nomen. ep. 7. lib. IIX. EX ASIA} in qua fuerat cum poteſtate:

quod

quod epiſtola proxima demonſtrauit. MAGIS *a te ipſo praedicari*,} modeſtia beneuolentiam aucupatur; cum & ſua in Curionem officia minuit, & Curionis auget. CONTENDEREM.} Contendere, eſt, ſtudioſe petere: quaſi neruos animi, ingenijq. contendamus. PVDENTI,} modeſto, quem ab omni turpitudine remouet pudor. NOTA *omnibus*,} quia multa, & maxima. IPSA *nouitate meorum temporum*,} in exſulij calamitate. magni enim refert, quo quidque tempore agatur: cum poſsit eandem actionem ratio temporis uel obſcurare, uel illuſtrare. ESTQ. *animi ingenui*,} liberalitas quaedam, & quaſi nobilitas animi oſtenditur in eo, cum obligari nos, atque obſtringi maioribus meritis non recuſamus. recuſat autem, qui referri a ſe gratiam poſſe non confidit. MAXIMEQ. *neceſſarium*.} multa enim maxima ſunt, nec tamen neceſſaria, aut, ſi neceſſaria, non tamen maxime neceſſaria. Huic loco reſpondet illud, In quo omnia mea poſita eſſe decreui. Et illud, Huic meae laudi, uel, ut uerius dicam, prope ſaluti tuum ſtudium dices. NEQVE *enim ſum ueritos*,} ne uideatur negationibus implicata ſententia, ſciendum eſt, Non ſum ueritus, ne non poſſem, idem eſſe, quod, Non ſum ueritus, ut poſſem: quod ualet, ſperaui futurum, ut poſſem, ſperaui me poſſe. nam, ne non, cum gemina negatio ſit, affirmat, & accipitur pro, ut. quod ſi dixiſſet Cicero, Veritus ſum, ut poſſem, hoc ſignificaret; timui ne non poſſem; non plane credidi futurum, ut poſſem. cum uero dixerit, Non ſum ueritus ne non poſſem; quo modo item locutus eſt ep. I. et, ne non, pro ut accipiatur: nimirum hoc ſignificat; non timui, ne non poſſem; credidi futurum, ut poſſem. nam, cum timemus, ne, contra quam uolumus, accidat; tunc locum habet, Vereor ut: itaque ep. 14. lib. XIV. Vereor, inquit, ut Dolabella ipſe ſatis uobis prodeſſe poſsit: cum hoc dicat: cuperem, ut Dolabella prodeſſe uobis poſſet: id tamen nequaquam ſpero. Cum uero, quod nolumus accidere, id ne accidat, timemus; tunc dicimus, Vereor ne: ut, uereor ne pecces: quod eſt: peccare te nollem; fore tamen ſuſpicor, ut pecces. uide ep. I. CAPERE} non ita anguſto animo ſum, ut uel ampliſſimam gratiam capere non poſsim. capitur autem animo gratia, cum nullam eius partem effluere, ac perire patimur, ſed totam complectimur, ut aliquando, quantum accepimus, tantundem referamus. REMVNERANDO, *cumulandoq.*} hoc intulit, quia non, quicumque animus gratiam capit, idem remunerat. meus autem, inquit, animus is eſt, qui non modo capere quamuis gratiam, ſed remunerare etiam, atque adeo maiore gratia cumulare poſsit. ILLVSTRARE} obſcura ſaepe beneficia ſunt, quia nulla conſequitur remuneratio. patent, & illuſtrantur ea, quae grato animo compenſantur, praeſertim ſi, quod acceptum eſt, pleniore etiam menſura reddatur. quod, Cumulare gratiam, Cicero dixit. IN. MILONIS *conſulatu*} quem petijt omiſſa praetura. aedilis enim fuit L. Domitio, Ap. Claudio cos. quod ex ultima ep. lib. III. ad Q. Fr. intelligitur. conſulatum autem petijt anno ſequenti, ideſt Caluino & Meſſalla cos. quod Pedianus in argumento orationis pro eo demonſtrat. nemo autem, patefacta iam ſatis rerum Romanarum notitia, neſcit aedilitati praeturam ſuccedere, & quidem biennio interpoſito: quod ad Furnium Cicero ſcripſit ep. 25. lib. X. Hoc anno Clodium Milo, cum Lanuuium iret, in itinere obuium, commiſſa ab utriusque ſeruis rixa, interfecit: quo facto non modo conſulatum, quem cum Hypſaeo, & Scipione, Pompeij ſocero, petebat, ſed patriam quoque, iudicio damnatus, amiſit. FIXI,} non poſui, ſed fixi: quod ſtudij haud paullo plus indicat. eodem modo Philip. VII. Niſi talis conſul eſſet, ut omnes uigilias, curas, cogitationes in reip. ſalute configeret. Et Philipp. XIV. Qui omnes ſuas curas in reip. Salute defigunt. ET *locaui*:} plus eſt, quam, poſui. non enim diceret, fixi, & poſui, ſed poſui, & fixi: ut in oratione pro Flacco, Spem reliquorum in ueſtris ſententijs, in hoc uno iudicio poſitam, atque defixam. Recte igitur, Fixi, & locaui: ut priore uerbo uim quandam ſuae uoluntatis, poſteriore conſilium oſtenderet. NON *officij ſolum fructum*,} non id ſolum quaerere me decet, ut officio ſatisfaciam, et, quod debeo, praeſtem: non hoc, inquit, uno delector, in quo officij fructus eſt: ſed pietatis laudem expeto: quia tanta eſt Milonis erga me meritorum magnitudo, ut, non tamquam in amicum, ſed tamquam in parentem pius eſſe debeam. Pietatem quoque nominat in extrema epiſtola. ſic in epiſtola ad Caeſarem lib. X. ad Att. Aliquid impertias temporis huic cogitationi; ut tuo beneficio bonus uir, gratus, pius denique eſſe in maximi beneficij memoria poſsim. Et ep. I. lib. I. Ego omni officio, ac potius pietate erga te. Quo loco, Pietas ubi proprium domicilium habeat, & ad quos pertineat, ſatis ſuperq. demonſtratum eſt. SALVTEM, *ac fortunas ſuas*}. Fortunae pro re familiari uſurpantur: ut ep. 7. lib. IV. Impetum praedonum in tuas fortunas fieri nolo. coniunguntur cum ſalute: quia nec omnino ſalus in fortunis poſita eſt; & cum ſalute fortunae deſiderantur, quod utrumque tamen nemini tantae umquam curae fuiſſe Cicero exiſtimat, quantae ſibi ſit Milonis honor. In quo eſt animaduertendum, magnum eſſe pondus in hac ſententia, non ſolum, quia, quod ad ipſum non pertinet, (agitur enim de Milonis conſulatu) pluris facit, quam quisquam fecerit ſalutem, ac fortunas ſuas; ſed etiam, quod honor ſaluti, ac fortunis anteponatur; cum tamen plerique, etſi de honore multum, plus tamen aliquanto de ſalute, fortunisq. ſuis laborare ſoleant. comparat igitur primum, atque etiam praefert aliena proprijs, deinde honorem ſaluti, atque fortunis. OMNIA *mea*} honores, fortunas, ſalutem. TE. VNVM} ideo tam diligenter a te peto. TRIBVNATV,} quem geſsit Lentulo Spinthere, & Metello Nepote cos. PROPTER *noſtram cauſſam*;} quia cauſſam meam ſuſcepit, meq. ab exſulio reuocandum praeter ceteros curauit. VT *ſpero te intelligere*,} bonis enim gratiſsimum fuiſſe reditum meum non ignoras. MVNERVM,} quae populo dederat in aedilitate curuli, de quibus ſic ep. ult. lib. III. ad Q. F. Ludos apparat magnificentiſsimos. ſic inquam, ut nemo ſumptuoſiores: ſtulte: bis, terque, non poſtulatus; uel quia munus magnificum dederat; uel quia facultates non erant; uel quia magiſter; uel quia potuerat magiſtrum ſe, non aedilem, putare. Et in oratione pro ipſo: Plebem, & infimam multitudinem, quae, P. Clodio duce, fortunis ue-

ſtris

ſtris imminebat, eam, quo tutior eſſet ueſtra uita, ſe feciſſe commemorat, ut non modo uirtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimonijs deleniret. Et Pedianus in argumento eius orationis, hoc modo: Cum Milo quamprimum comitia confici uellet, conficeretq. cum bonorum ſtudijs, quod obſiſtebat Clodio, tum etiam populi, propter effuſas largitiones, impenſas quoque ludorum ſcenicorum, ac gladiatorij muneris maximas, in quas tria patrimonia effudiſſe Cicero ſignificat. IN *ſuffragijs ſtudia,*} auſus ſum delere, Studia, ut gloſſema, cum proxime dixerit, Studium; a quo reguntur haec inferiora, Vulgi, ac multitudinis, iuuentutis, & gratioſorum in ſuffragijs. IN *eo genere*} in ſuffragijs. ſaepe ita loquitur Cicero, cum nominatam proxime rem intelligit. ut ep. I. & 4. GRATIAM,} qui enim gratia ualet, reliquos etiam, qui gratioſi ſunt, ſui ſtudioſos habet: cum intelligant officijs officia compenſari poſſe. DILIGENTIAM;} excellit diligentia, cum prenſandum eſt, & concilianda populi uoluntas. SI *minus potentem*} ſatis erat Cicero gratioſus in ſuffragijs; ſed, modeſtiae cauſſa, diſsimulat. PROBATAM} quod erga uirum optimum. IVSTAM,} quia Miloni conſulatus quaſi recte factorum praemium debetur. DEBITAM,} eius in me meritis. DVX} quem ſequantur ij, quos proxime nominaui. AVCTOR} quo auctore, Miloni conſulatum deferant. OPVS . EST,} coniungitur & cum nominandi, & cum auferendi etiam caſu: nec deſunt exempla. EORVM *uentorum,*} uentis comparat bonos, plebem, gratioſos in ſuffragijs, quos iam nominauit. nam, etſi Miloni fauent, duce tamen, & rectore ita indigent, cum ſecundi ſint, reguntur tamen arte quadam ab eo, qui nauem gubernat. QVI *ſi ex omnibus unus optandus eſſet;*} a quo petimus, is quantum poſsit in eo, quod pitemus, oſtendere debemus. id iam Cicero praeſtitit ijs uerbis: Huic te unum tanto adiumento eſſe. Nec eo contentus, iterat. quod ualet etiam ad conciliandam beneuolentiam: eſt enim cum laude Curionis. Idem fecit Aſinius in prooemio orationis, quam nominat Quinctilianus lib. IX. cap. ult. Si, Caeſar, ex omnibus mortalibus, qui ſint ac fuerint, poſſet huic cauſſae diſceptator legi; non quiſquam te potius optandus nobis fuit. QVAMOBREM, *ſi me memorem,*} Hactenus expoſuit, quid cupiat, & quam ualde cupiat, & quid ſperandum ſit, & quid Curio poſsit: nunc ad petitionem ingreditur: & primum de ſe ipſo, quo magis Curio moueatur, tum de ipſo Milone omnia pollicetur: cum euenire poſſet, ut Curioni pariter utriuſque gratia, & auctoritas utilis eſſe, poſſet. SI . GRATVM,} memores animo, grati re ipſa ſumus: nec ſatis eſt, acceptum beneficium memoria conſeruare, niſi & ſtudium remunerandi, & ipſa accedat remuneratio. SI *bonum uirum*} libenter in memores, & gratos homines beneficia conferuntur; libentius, ſi ijdem boni uiri ſint. VEL *ex hoc ipſo,*} magnum enim bonitatis argumentum, cupiditas gratiae referendae. ad Att. ep. 4. lib. IIX. Nihil cognoui ingratius: in quo uitio nihil mali non ineſt. SI *dignum denique*} ne colligam ſingula, quibus hoc a te beneficium impetrare debeo; ita mihi hoc tribue ſi dignum, cui tribuas, exiſtimas. MEAE *laudi,*} laudabor enim, ut pius, erga eum, cuius praecipue ſtudio ſalutem recuperaui. Paullo ante, Statuiq. in eo me non officij ſolum fructum, ſed etiam pietatis laudem debere quaerere. PROPE *ſaluti*} quia, licet uere non agatur mea ſalus in Milonis honore, ego tamen ita laboro, ut in eo propemodum ſalutem meam poſitam eſſe decreuerim. DICES.} ut ea, quae dijs immortalibus conſecrantur: quae deinde non licet amouere. conſtantiam igitur, & perpetuitatem ſimul cum ſtudio erga Milonem a Curione petit. ep. ad Caeſarem, apud Nonium: Balbum quanti faciam, quamq. ei me totum dicauerim, ex ipſo ſcies. T. ANNIO} ex Papia gente Milo fuit, ut ait Pedianus: Sed ab T. Annio, auo ſuo materno, adoptatus, praenomen, & nomen inde ſumpſit. MAIORIS *animi,*} animi magnitudine Milonem excelluiſſe, dixit etiam in oratione pro Sextio, & in aliis. Pedianus autem, Saepe, inquit, Milo, & Clodius inter ſe cum ſuis factionibus depugnauerant: & erat uterque audacia par: ſed Milo pro melioribus partibus ſtabat. GRAVITATIS,} quoniam, ubi quid defendendum ſuſcepit, non facile ſententiam mutat. CONSTANTIAE,} conſtantia non eſt idem, quod grauitas: illa enim ad animi ſententiam, haec ad actionem refertur: ut ſit grauis, qui ſemper idem ſentit, ac uult; conſtans, qui ſemper idem facit. BENEVOLENTIAE} ne plura numeret, uno beneuolentiae nomine omnia complectitur: quaſi dicat: Ita te Milo diliget, ut ab eo exſpectare omnia poſsis. COMPLECTI *hominem*} tua in eum ſtudia conferte. ſic ep. 8. Da te homini. complectetur, mihi crede. MIHI *uero*} dixit antea, Neminem umquam de tua ſalute, tuiſq. fortunis tam ualde laboraſſe, quam ipſum de Milonis honore: nunc etiam ſuam agi rem ſignificat: at, quam rem? eam, quae praeſtantibus uiris non minimae curae ſolet eſſe, decus, & dignitatem. quae poteſt enim eſſe maior laus, quam praeſtare bene meritis pietatem, ac beneuolentiam? IN *laude mea,*} quam ex pietatis opinione conſequar. IN . SALVTE.} cum tibi quoque, reſtitutus ab exſulio, acceptam referam ſalutem meam. EGO . NI *te uidere ſcirem,*} eſt hic tamquam epilogus epiſtolae, quo ſuperiora paene omnia breui oratione colliguntur. QVANTVM *officij ſuſtinerem,*} quantum Miloni deberem. Suſtinet enim officij plurimum, in quem beneficia magna collata ſunt. CONTENTIONE,} extra uitae periculum, cum ciuiliter contenditur. DIMICATIONE} uitae periculo, cum armis res agitur. OMNEM *rem, atque cauſſam,*} latius patet Res, quam Cauſſa: quod oſtendimus ep. I. lib. I. Omnem rem, dixit, ideſt, uniuerſam Milonis petitionem: cauſſam, hoc ipſum, in quo Milo contendit omnes neruos, ut conſulatum adipiſcatur. ep. 7. De ſacerdotio tuo, quantam curam adhibuerim, quamq. difficili in re, atque cauſſa. ep. I. lib. I. MEQ. *totum*} me ipſum in Milonis cauſſa tibi commendo: nam in eius conſulatu mea omnia poſita eſſe decreui. ATQ. *trado,*} auget commendationem. nam, tradere, eſt alicuius poteſtati committere, ut agat in re tradita quidquid uelit. ep. 5. lib. VII. Totum denique hominem tibi trado. Et ep. I. lib. XVI. Ei te totum trade. Et ad Q. Fr. ep. 3. lib. 2. Domum ad eum ſtatim uenimus, eiq. nos totos tradidimus. PRAECIPVE}

praecipue

praecipue Ciceronem adiuuerunt P. Lentulus conſul, Pompeius Magnus priuatus, Milo, & P. Sextius tribuni pl. quos omnes nominat in duabus poſt reditum orationibus, & alibi, PIETAS} non ſolum officium, ſed pietas etiam. quo nomine, quantum Miloni debeat, oſtendit, ut ep. I. lib. I. Ego omni officio, uel potius pietate erga te. ASSEQVI} aſſequar ſtudio tuo, ut pius in Milonem ſim.

---

# Argumentum ep. 7.

*CVm eſſet Cicero proconſul in Cilicia, ex M. Coelij, aliorumq. litteris, tribunum pl. deſignatum eſſe Curionem, cognouit, eiq. hac epiſtola, tribunatum pl. iam ingreſſo, gratulatus eſt. poſt gratulationem ſequitur cohortatio, tum reip. tum etiam amicitiae debita: timebat enim Cicero, quod euenit, ne Curio, mutata ſententia, ab optimatibus deficeret. proponit igitur ei temporum uim, rerum uarietatem, incertos exitus, flexibiles hominum uoluntates: ſuadet, ne cuius conſilium ſequatur, ſe ipſum audiat, ſibi obtemperet. Poſtremo rogat, ne quid ſibi temporis prorogari in prouinciae administratione patiatur. Ser. Sulpicio, M. Marcello cos.*

## *Cicero procos. S. D. Curioni trib. pl.* 7.

*SERA gratulacio reprehendi non ſolet, praeſertim ſi nulla negligentia praetermiſſa eſt. longe enim abſum: audio ſero. ſed & tibi gratulor: &, ut ſempiternae laudi tibi ſit iſte tribunatus, exopto: teq. hortor, ut omnia gubernes, & moderere prudentia tua: ne te auferant aliorum conſilia. nemo eſt qui ſapientius tibi ſuadere poſſit teipſo. numquam labere, ſi te audies. non ſcribo hoc temere. cui ſcribam, uideo. noui animum, noui conſilium tuum: non uereor, ne quid timide, ne quid ſtulte facias, ſi ea defendes, quae ipſe recta eſſe ſenties. Quod in id reip. tēpus non incideris, ſed ueneris; (iudicio enim tuo, non caſu, in ipſum diſcrimen rerū contuliſti tribunatum tuum) profecto uides, quanta uis in rep. temporum ſit, quanta uarietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum uoluntates: quid inſidiarum, quid uanitatis in uita, non dubito, quin cogites. ſed amabo te cura, & cogita, nihil noui, ſed illud idem, quod initio ſcripſi. tecum loquere; te adhibe in conſilium; te audi; tibi obtempera. alteri, qui melius dare conſilium poſſit, quam tu, non facile inueniri poteſt: tibi uero ipſi certe nemo melius dabit. Dij immortales, cur ego non adſum uel ſpectator laudum tuarū, uel particeps, uel ſocius, uel miniſter conſiliorum? tametſi hoc minime tibi deeſt; ſed tamen efficeret magnitudo, & uis amoris mei, conſilio te ut poſſem iuuare. Scribam ad te plura alias. paucis enim diebus eram miſſurus domeſticos tabellarios: ut, quoniam ſane feliciter, & ex mea ſententia remp. geſſimus, unis litteris totius aeſtatis res geſtas ad ſenatum perſcriberem. De ſacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quamq. difficili in re, atque cauſſa, cognoſces ex ijs litteris, quas Thraſoni, liberto tuo, dedi. Te, mi Curio, pro tua incredibili in me beneuolentia, meaq. item in te ſingulari, rogo, atque oro, ne patiare mihi quidquam ad hāc prouincialem moleſtiam temporis prorogari. praeſens tecum egi, cum te tribunum pl. iſto anno fore non putarem: itemq. petiui ſaepius per litteras, ſed tum quaſi a ſenatore nobiliſſimo, & adoleſcente gratioſiſſimo, nūc a tribuno pl. & a Curione tribuno; non ut decernatur aliquid noui, quod ſolet eſſe difficilius; ſed ut ne quid noui decernatur; & ut S. C. & leges defendas; eaq. mihi condicio maneat, qua profectus ſum. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

VT *ſempiternae laudi*} quibus gratulamur, ijsdem proximo loco bene precari ſolemus: ut ep. 8. lib. XV. Eumq. honorem tibi deos fortunare uolo. item ep. XI. eiuſdem libri: Tibi uelim ij ſint exitus, quos mereris: quos fore confido. NE. TE *auferant aliorum conſilia.*} quod accidit. LABERE,} errabis. lib. I. de Fin. Epicurus, in quibus ſequitur Democritum, non fere labitur. Interdum coniungitur. nam, Labi per errorem, dixit epiſtola ultima lib. III. ad Q. Fr. Labi imprudentia, in oratione pro Rabirio. ANIMVM,} nihil igitur timide facies. CONSILIVM} non laberis imprudentia. Sequentibus uerbis explicantur ſuperiora: Non uereor, ne quid timide, ne quid ſtulte facias. NON *uereor, ne quid timide, ne quid ſtulte facias,*} dicit: nihil te timide, nihil ſtulte facturum confido. Sic locutus ep. 12. lib. V. & ep. I. lib. XI. & Matius ep. 28. lib. XI. IN. ID *reip. tempus*} tale tempus, quale cernis. IVDICIO *tuo,*} poterat enim Curio tribunatum differre ad alia tempora, cum urbanae res meliore loco, ac tranquilliore ſtatu uiderentur. PROFECTO} iudicaſti enim tibi hoc tempore

gerendum eſſe tribunatum, ut opem ferres afflictae reip. ex quo ſequitur, ut optime intelligas, ac uideas, quanta uis in rep. temporum ſit, quanta uarietas rerum, &c. QVANTA *uis in rep. temporum*} commemorat uitia ciuitatis, ſed ex perſona Curionis; ne uideatur ignarum, & rudem admonere: quo ſi omnes offenduntur, multo magis, qui magiſtratum gerit. ideo dixit, Profecto uides. Sunt autem propoſitiones duae, una, cum iudicio, non caſu, in ipſum rerum diſcrimen contuleris tribunatum tuum; profecto uides, quibus uitijs reſp. laboret. Altera, cum uideas, quam corrupta reſp. ſit; profecto cogitas, quid agendum tibi ſit. haec tota commemoratio uidetur eſſe cum aliqua laude Curionis. laudatur enim & uoluntas erga remp. & prudentia; uoluntas in eo, quod ſua ſponte, ſuoq. iudicio, non caſu aut temeritate contulerit tribunatum ſuum in aduerſa reip. tempora; prudentia, quia uideat, quanta uis in rep. temporum ſit, quam incerti rerum exitus, & quae ſequuntur. captat igitur beneuolentiam Curionis hac laude: & ſibi ſatisfacit, quod in laude latet admonitio. Vis autem temporum ſaepe tantum ualet, ut hominum uoluntates, & conſilia ſuperet, leges, & inſtituta peruertat, & omnino prudentem ciuem adducat, ut, tamquam peritus gubernator, obſequatur tempeſtati, ita mutato curſu, ut eodem tamen ſemper ſpectet. nec enim in adminiſtratione reip. perpetua quaedam actio, ad ſummam legitimi iuris normam directa, ſapientibus probatur: ſed aſſentiendum ſaepe temporibus; quidq. publica poſtulet utilitas, animaduertendum. quod Curioni Cicero proponit. QVANTA *uarietas rerum*,} quo magis excitanda tibi eſt prudentia tua. nam eaedem, aut ſimiles res minore negotio, quam uariae, geruntur. INCERTI *exitus*,} nihil igitur noui cogitandum, exitu rerum incerto. Timet Curionis multiplex ingenium; ne quid in rep. noui moliretur, ſpe alicuius boni propoſita: quod & facere ſolebant tribuni pl. & fecit ipſe Curio: cuius turbulentus in primis, ac ſeditioſus tribunatus fuit. FLEXIBILES *hominum uoluntates*,} quae ſi flectuntur, tua flecti non debet, ſed eadem eſſe erga remp. in iſto magiſtratu, qualis adhuc fuit. QVID *inſidiarum*,} multae inſidiae ſunt bonis, dictum a uetere poeta, cuius teſtimonium recitatur in orationibus pro Sextio, pro Plancio. has tu uitabis, ſi conſilium capies a te ipſo. Paullo ante: Numquam labere, ſi te audies. Infra: Tecum loquere: te adhibe in conſilium: te audi: tibi obtempera. QVID *uanitatis*} quid inconſtantiae. nam lib. 2. de Nat. de. uanitati opponitur. conſtantia, hoc exemplo: Nulla in caelo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec uanitas; contraq. omnis ordo, ueritas, ratio, conſtantia. Ductum ex communi rerum natura. ut enim, ubi ſoliditas, ibi grauitas; & ubi grauitas, ibi conſtantia: ſic, ubi uanitas, ibidem & leuitas, & inconſtantia. Quid igitur uanitatis in uita, cum optime noueris; cognitum tibi uitium facile uitabis; nec te deprauati aliorum mores a tua conſuetudine deducent.
NIHIL. NOVI,} rerum nouitates in rep. periculoſae. itaque Platoni placuit, mutatis etiam muſicorum cantibus, mutari ſimul ciuitatum ſtatus. Nouitates autem, quibus reſp. ab optimo ſtatu ad peſſimum traducta libertatem amiſit, omnes fere tribunorum pl. legibus, aut interceſsionibus, exortae.
TE AVDI; *tibi obtempora.*} ſequuntur haec ad ea, quae proxime antecedunt. Loquere, inquit, tecum, & te audi: te adhibe in conſilium, & tibi obtempera. quadripartita ſententia eſt: ſed duae poſteriores partes prioribus annectuntur. Hortamur autem, quos ualere conſilio arbitramur, ut ſe ipſos audiant, ſecum loquantur: quos uero contra opinionem falli, & aliorum egere conſilio credimus, ijs, ut amicos audiant, cum ijs loquantur, ſuadere conſueuimus. propterea oratione 10. in Antonium hortatur Cicero Calenum, Antonio potius, quam M. Bruto fauentem, his uerbis: Collige te: audi uiros bonos: loquere cum ſapientiſsimo homine genero tuo ſaepius, quam ipſe tecum. TIBI *uero ipſi*} ne uideatur aſſentando falſa dicere, quod neminem, praeter ſe ipſum, a Curione uelit in conſilium adhiberi; ſubiungit haec: Ideo te hortor, nemini ut aures praebeas, te unum audias; non quod omnino omnium conſilia negligam, teq. cunctis unum, praeſertim adoleſcentem, anteponam; ſed quia, ut alteri melius, quam tu, poſsit aliquis conſilium dare; qui tamen non facile inueniri poteſt; tibi certe ipſi nemo melius dabit.
Ita, & aſſentandi ſuſpicionem Cicero uitat; &, quod ei propoſitum eſt, ut Curio ſe ipſum dumtaxat in conſilium abhibeat, id hac ratione probat, quia conſiliarius in rep. gerenda ipſe ſibi optimus, ac ſapientiſſimus futurus ſit: quandoquidem neque quiſquam ab ullo magis, quam a ſe ipſo, diligitur; nec alteri magis, quam ipſe ſibi, notus eſt. DII *immortales*,} inuocatione deorum, uerbis fides additur. quaſi hoc dicatur: teſtes mihi ſint dij immortales, quam adeſſe cupiam ſpectator laudum tuarum. lib. 2. de Fin. Quos, dij immortales, ille cruciatus perferebat. Et Terentius in Eun. Dij immortales, homo homini quid praeſtat? SPECTATOR *laudum*} optimus poſt laudationem laudandi locus: ne monuiſſe uideatur, quia Curionis prudentiae, aut conſtantiae diffidat. VEL *particeps, uel ſocius, uel miniſter*} particeps, quod utereris conſilijs meis: ſocius, quod, ſi conſilijs meis non egeres, me tamen in tuis ſocium haberes: miniſter, quod opera, ſtudioq. meo exſequerer conſilia tua. HOC} quod poſterius poſui, ut adſim uel particeps, uel ſocius, uel miniſter conſiliorum tuorum. MINIME *tibi deeſt*;} cum in te ipſo, quae ad tuas laudes pertinent, omnia ſint: uel: quod amici, quorum opera, aut etiam, ſi uelis, conſilio uti poſsis, tibi non deſint. SED *tamen*} grata correctio, ex amoris commemoratione ſumpta. MAGNITVDO, *& uis*} auget poſteriore uerbo: uel quia uis ex magnitudine proficiſcitur; uel quia non in omni magnitudine uis ineſt. uis aũt amoris efficit interdũ, ut maiora praeſtemus, quã exſpectantur. VT *poſſem*} quod fortaſſe non poſſem, ſi te tam ualde non amarẽ. me ipſum, inquit, uincerem, amore adiuuante. REMP. *geſſimus*,} in Amano monte. ut ep. 10. Capto etiam Pindeniſſo, ut ep. 4. lib. xv. & ad Att. ep. 20. lib. v. TOTIVS *aeſtatis*} Pindeniſſum tamen non aeſtate, ſed Saturnalibus, ideſt 14. Kal. Ian. in ſuam poteſtatem redegit: quod Attico ſcripſit ep. 20. lib. v. uerum res æſtate geſtas appellat, quod aeſtiua uocarentur, quaecumque aeſtate coepta eſſent, licet ante hiemem non perfecta. ſic ep. 9. lib. III. aeſtiua confecta, non niſi Pindeniſſo capto,

ſo capto, ſignificat: cum tamen deditio Pindeniſsi Decembri menſe facta ſit. AD *ſenatum*} eae litterae non exſtant. nam quae leguntur lib. xv. res geſtas non exponunt. ad ſenatum autem ſcripſiſſe uidetur Ianuarij menſis initio, ad nouos conſules: quod ex ep. 20. lib. v. ad Att. licet intelligere. quod cum ita ſit; potuit hanc epiſtolam ſcribere menſe Decembri. nam, cum Pindeniſſum XIV. Kal. Ian. captum oſtenderim; & hic rem feliciter eſſe geſtam, ſcribatur: neceſſe eſt, Curionem iam tribunatum pl. inijſſe: nam tribunis pl. primus magiſtratus dies fuit, non Kalendae Ian. ut alijs magiſtratibus, ſed quarto idus Dec. ut Liuius, Dionyſiusq. docuerunt. DE *ſacerdotio tuo*} de pontificatu, quem petijt, & obtinuit, patre mortuo, ut in eius locum ſurrogaretur. de patre mentio fit in oratione de haruſpicum reſp. de filio apud Dionem lib. XL. QVANTAM *curam adhibuerim,*} litteris ad amicos Romam ſcriptis. ex quo ſuſpicor, Curionem petijſſe pontificatum multis menſibus poſt reditum in urbem. redijt enim Caluino, & Meſſalla coſ. ut ep. 6. demonſtratum eſt. ſequenti anno conſulatum tertium Pompeius geſsit: poſt eum Ser. Sulpicius, & M. Marcellus: quo anno in prouinciam Cicero profectus eſt: & ex prouincia Romam ſcripſit de ſacerdotio Curionis. ſuſpicor autem, nondum Curionem fuiſſe Pontificem, cum has litteras Cicero miſit: quod haec omnino uerba ſignificant. RE, *atque cauſſa,*} dixi iam, quid inter rem & cauſſam interſit. res eſt totum negotium; cauſſa negotij pars, de qua maxime laboratur. Res, hic eſt, ſurrogatio pontificis cauſſa, ut Curio ipſe ſurrogetur. THRASONI,} ſeruile nomen, quod in liberto remanſit. LIBERTO *tuo,*} ergo uocabatur C. Scribonius Thraſo. nam liberti patronorum praenomine, & nomine utebantur. NE *patiare*} poterat enim tribunus pl. intercedere, ſi quis annuam prouinciarum adminiſtrationem prorogare uellet. MOLESTIAM} quam ſignificat in omnibus fere epiſtolis. lib. XI. 12. & in 8. lib. III. NON *putarem:*} & ſane comitijs tribunicijs non uidetur Curio petijſſe: ſed, deſignatis omnibus tribunis pl. cum Seruius, tribunus deſignatus, condemnatus eſſet, eius locum Curio, ſubita uoluntate commotus, petijt, & obtinuit. de quo Coelius ep. 4. lib. IIX. hoc modo: Illud te non arbitror miratum, Seruium tribunum pl. deſignatum, condemnatum: cuius locum C. Curio petijt. huius autem uoluntatis initium, & cauſſa eſt, quod eum non mediocriter Caeſar, qui ſolet infimorum hominum amicitias ſibi, qualibet impenſa, adiungere, contempſit. A. CVRIONE *tribuno;*} pondus eſt in nomine Curionis: quaſi poteſtatem tribuniciam augeret animi, ingenijq; praeſtantia. tale illud ep. 18. Et quaeſtor eſt, & quaeſtor tuus. Et ep. 2. lib. v. ad Att. Cum Hortenſius ueniret, & infirmus, & tam longe Hortenſius. Et ep. 2. lib. I. ad fratrem: Remp. funditus amiſimus, adeo, ut Cato adoleſcens, nullius conſilij, ſed tamen ciuis Romanus, & Cato, uix uiuus effugeret. S. C. *& leges*} quibus errat annua prouincia. Et ad M. Marcellum conſulem, his uerbis, ep. 7. lib. XV. Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & S. C. & lege finiſti. Legem Curiatam ſignificat, quam ferebat conſul, ut is, qui profecturus erat in prouinciam, annuum imperium haberet a populo. alioqui rem militarem attingere non licebat: quod ſatis demonſtrat oratio 2. in Rullum. Sed hic leges, non legem, Cicero appellat: quod non una lege curiata conſularium prouinciarum adminiſtratio eſſet annua, ſed, ut opinor, etiam Cornelia, & Sempronia: quae nominatur ep. 7. & 9. lib. I. & ep. 6. & 10. lib. III. & in oratione pro domo. DEFENDAS;} intercedas, ſi quis prouinciarum tempus prorogare uoluerit. ep. 21. lib. v. ad Att. Ne quid mihi prorogetur, quod ne interceſſor quidem ſuſtinere poſsit, horreo. Et ep. 2. lib. VI. ad Att. Magna in ſpe ſum, mihi nihil temporis prorogatum iri. habebam acta urbana uſque ad nonas Mart. ex quibus intelligebam, Curionis noſtri conſtantia omnia potius actum iri, qnam de prouinciis. CONDICIO} ne plus anno prouinciae praeeſſem. ETIAM *atque etiam*} uſurpatur & ſolum, ut ſaepe apud Ciceronem, & adiunctum, ut hic. ubique auget.

---

# Argumentum ep. 8.

*ACceptis Coelij litteris, quae lib.* IIX. *primae leguntur, & cum litteris commentario rerum urbanarum, in quem omnia, ſine delectu operarius neſcio qui, a Coelio conductus, retulerat, ineptam Cicero ſedulitatem reprehendit in colligendis leuiſsimis rebus. Tum de ſermonibus cum Pompeio habitis, quod Coelius quaeſierat, cum Pompeij laude reſpondet; atque, ut ei ſe det, hortatur. Addit de ſuo in prouinciam itinere. Clauſula commendatio eſt rerum ſuarum; in quibus hoc praecipue laborat, ne ſibi annuum prouinciae tempus prorogetur, ſed ea condicio maneat, qua profectus eſt.*

## *Cicero procos. S. D. M. Coelio Rufo.* 8:

*QVID ? tu me hoc tibi mandaſſe exiſtimas, ut mihi gladiatorum compoſitiones, ut uadimonia dilata, & Chreſti compilationem mitteres, & ea, quae nobis, cum Romae ſumus, narrare nemo audeat? uide, quantum tibi meo iudicio tribuam: (nec mehercule iniuria: πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognoui) ne illa quidem curo mihi ſcribas, quae maximis in rebus reip. geruntur quotidie; niſi quid ad me ipſum pertinebit. ſcribent alij: multi nunciabunt: perferet multa etiam ipſe rumor. quare ego nec praeterita, nec praeſentia abs te, ſed, ut ex ab homine longe in poſterum proſpiciente, futura exſpecto: ut tuis litteris cum formam reip. uiderim, quale aedificium futurum ſit, ſcire poſſim. neque tamen adhuc habeo, quod te accuſem. neque enim fuit quod tu plus prouidere poſſes, qnam quiuis noſtrum, in primisq. ego; qui cum Pompeio cumplures dies nullis in alijs niſi de rep. ſermonibus uerſatus ſum; quae nec poſſunt ſcribi, nec ſunt ſcribenda. tantum habeto, ciuem egregium eſſe Pompeium, & ad omnia, quae prouidenda ſunt in rep. & animo, & conſilio paratum. quare da te homini: complectetur, mihi crede. iam ijdem, illi & boni, & mali ciues uidentur, qui nobis uideri ſolent. Ego, cum Athenis decem ipſos dies fuiſſem, multumq. mecum Gallus noſter Caninius, proficiſcebar inde pridie nonas Quinct. cum hoc ad te litterarum dedi. Tibi cum omnia mea commendatiſſima eſſe cupio, tum nihil magis, quam ne tempus nobis prouinciae prorogetur. in eo mihi ſunt omnia. quid, quand o, & quo modo, & per quos agendum ſit, tu optime conſtitues. Vale.*

# EXPLANATIO

COMPOSITIONES,} quis cum aliquo pugnaſset. inde Par gladiatorum dicebatur, cum duo comparabantur, & componebantur ad certamen. recitat Lucilij uerſus Cicero in libro de optimo genere oratorum, quos ſubſcribam. A me, inquit, gladiatorum par nobiliſsimum inducitur. Aeſchines, tamquam Aeſerninus, ut ait Lucilius,

Non ſpurcus homo, ſed doctus, & acer;
Cum Pacidiano hic componitur, optimu' longe
Poſt homines natos. Et Virg. ecl. I.
-Sic paruis componere magna ſolebam.

Et Quinctilianus lib. 2. cap. 17. Gladiatores ſub eodem magiſtro eruditi inter ſe componuntur. VADIMONIA *dilata,*} differre uadimonium, eſt prorogare diem, de quo inter litigantes conuenerat, ut in iudicio adeſſent. nam uadari, eſt diem iudicio ex compacto conſtituere. CHRESTI *compilationem*} res a Chreſto compilatas, furto ſublatas. Chreſtus, cognomen eſt; cuius gentis, ignoratur: niſi ſi Maniliae: nam Manilij Chreſti librum de hymnis deorum nominat Fulgentius in libro de priſco ſermone. Πολιτικώτερον} peritiorem adminiſtrandae reip. RVMOR.} incerta fama, ſine capite, ſine auctore, rumore nuncio: ubi quid eiuſmodi eſt, ut non exſtet auctor, qui audierit. Sic enim ipſe definiuit in oratione pro Plancio, & ep. 10. lib. XII. LONGE *in poſterum proſpiciente,*} quod ſine ſummo ingenio, ac diuturno rerum uſu conſequitur nemo. EX. TVIS *litteris cum formam reip. uiderim,*} tranſlatio ab architectis, qui futurum aedificium ex forma oſtendunt. Formam, & ſtatum, inquit, reip. ſcribi a te uelim: deinde, quid ex ea forma, eoq. ſtatu futurum proſpicias, indicari. Duo enim Cicero poſtulat, formam primum reip. deinde Coelij coniecturam, ex ipſa forma captam, de futuro reip. ſtatu. non enim ipſe uult ex forma reip. a Coelio miſſa coniecturam de futuro aedificio facere: cum dixerit, Abs te, ut ab homine longe in poſterum proſpiciente, futura exſpecto. alioqui, miſſa tantum forma, nihil de futuris rebus Coelius ſignificaret: contra quam Cicero poſtulat. Forma pluribus modis accipitur. Aut enim eſt aedificij, ut hic, & ep. 2. lib. 2. ad Q. Fr. De forma Minuciana: aut cuiuſque hominis & cuiuſque rei; quae ſine interitu ſubiectae rei amoueri non poteſt: aut eſt ipſa formoſitas & pulchritudo, unde formoſa mulier, & per ſimilitudinem formoſus annus apud Virgilium: aut aquae ductus, ut in antiquis inſcriptionibus, Purgato fonte reſtituta forma: &, Aquas Curtiam & Caeruleam noua forma reducendas. Et Sidonius Apollinaris lib. 1. ep. 5. Codex Theodoſianus tit. de aquae ductu: Caſsiodorus Variarum lib. III. 72. lib. IV. 85. lib. IIX. 128. IN. PRIMISQ. *ego;*} qui cum Pompeio de rep. locutus, futura magis, quam tu, aut certe non minus quam tu, prouidere potui. Quiuis noſtrum, inquit, in primisq. ego, qui cum Pompeio complures dies nullis in aliis niſi de rep. ſermonibus uerſatus ſum, aeque ac tu futura prouidere potui. COMPLVRES *dies*} triduum. nam ep. 7. lib. V. ad Att. Cum triduum, inquit, cum Pompeio, & apud Pompeium fuiſſem, proficiſcebar Brundiſium ad XIV. Kal. Iun. VERSATVS *ſum;*} Tarenti; ut in ep. 6. lib. V. ad eundem: Quod ſi quaerat aliquis; quid agebat eo tempore Pompeius Tarenti: crediderim, eo ſe contuliſſe ualetudinis cauſſa poſt grauem illum morbum, quo eum prope urbem Neapolim laboraſſe, Plutarchus, & Cicero Tuſc. I. demonſtrat. aegrotauit enim poſt tertium conſulatum: eoq. tempore Cicero in prouinciam iuit. QVAE *nec poſſunt ſcribi, nec ſunt ſcribenda.*} ſcripſerat enim Coelius ep. lib. IIX. Si Pompeium offendiſti; qui tibi uiſus ſit, & quam orationem habuerit tecum, fac mihi perſcribas. Quae, dixit, cum ea ſignificaret, quae in illis de rep. ſermonibus egerat cum Pompeio. ANIMO, *& conſilio paratum.*} cum neque timeat quidquam, nec ad cauendum egeat conſilio. Eodem

modo

modo illum laudat ep.7.lib.v.ad Att. Ciuem illum egregium relinquebam, & ad haec, quae timentur, propulſanda paratiſsimum. DA. TE *homini*: } accommoda te ad illius uoluntatem. ſic enim Donatus illud Terentij in Adel. explanat, Da te mihi hodie. Nepos in Attici uita: Qui aduerſarijs eius ſe dabant. IAM } non ut antea. nam proximo ſuperiore anno Pompeius tertium conſul operam dederat, ut decem tribuni pl. legem ferrent, qua liceret abſenti Caeſari, & prouinciam, exercitumq. retinenti, conſulatum petere. ep.6.lib.VI.& ad Att. ep.1.lib.VII.ep.3.lib. IIX. NOBIS } mihi, & tibi. nam ante profectionem Ciceronis in prouinciam recte Coelius de rep. ſenſit: poſtea, uel Curionis amore, uel Ap. Claudij odio, ab optimatibus ad Caeſarem deſciuit: quod ipſe in ultima ep.lib.IIX.confeſſus eſt, idq. confirmant in libro de claris orat. haec uerba Ciceronis: Cum aedilis curulis factus eſſet, neſcio quo modo diſceſſu meo diſceſsit a ſe ſe, ceciditq. poſtea, cum eos imitari coepit, quos ipſe peruerterat. IPSOS } neque plures, neque pauciores, plane decem: ep.21.lib.III.ad Att. Tringinta dies erant ipſi: cum dabam has litteras, per quos nullas a uobis acceperam. Et in Bruto: Cato mortuus eſt annis LXXXIII. ipſis ante me conſulem. GALLVS *Caninius*, } quem reum defenderat, Pompeij rogatu, iterum conſulis. ep. 1.lib.VII. uide quae Valerius lib.IV. cap.2. de hoc, ut arbitror, Caninio ſcripſit. Alij, contra ueteres omnes libros, etiam illum Mediceum, quem plurimi faciunt, legunt, C.Caninius, & ep.1.lib. VII. offenſi fortaſſe Caninij cognomine ante nomen gentis poſito: cum tamen huius generis exempla non deſint. dixit enim Cice. ad Att. ep.12.lib.IIX.& ep.47.lib.XIII.& ep.15.lib.IIX. Gallo Fabio, Balbi Cornelij: & ep.4.lib.2.ad fr. Macer Licinius. Et in Laelio, Papum Aemilium. Et Liuius lib.XLV. Paullus Aemilius cos. cum tamen Gallus, Papus, Paullus, cognomina fuerint, non praenomina. ut omittam, quod ep.8.lib.VI. ueteres libri habent, T. Furfano Poſtumio, non, T. Furfanio Poſtumo. nec deſunt huius generis alia. PROROGETVR. } quod metuebat, emergente iam inter Caeſarem, & Pompeium diſcordia. orta enim de ſucceſsione Galliarum controuerſia, reliquarum prouinciarum impedita ſucceſsio eſt. ep.5.lib.8. IN . EO *mihi ſunt omnia*. } ſic loquebantur ijs de rebus, quas maxime ſua intereſſe arbitrabantur.

---

# Argumentum ep. 9.

*GRatulatur de parta aedilitate, Hirro deiecto: in quem facete iocatur. ſuam in Coelium beneuolentiam, eius in ſe merita demonſtrat. Moralis epiſtola. Eodem anno.*

## *Cicero procos. S. D: M. Coelio Rufo, aedili cur. des. 9.*

PRIMVM *tibi, ut debeo, gratulor, laetorq. tũ praeſenti, tum ẽt ſperata tua dignitate, ſerius, non negligentia mea, ſed ignorantia rerum omnium. in his enim ſum locis, quo & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardiſſime omnia perferuntur. & cum gratulor, tum uero, quibus uerbis tibi gratias agam, non reperio, quod ita factus ſis, ut dederis nobis, quemadmodum ſcripſeras ad me, quem ſemper ridere poſſemus. itaque cum primum audiui, ego ille ipſe factus ſum, (ſcis quem dicam) egiq. omnes illos adoleſcentes, quos ille iactitat. difficile eſt loqui. Te autem contemplans abſentem, & quaſi tecum coram loquerer, Non aedepol quantam egeris rem, neque quantum facinus feceris: quod quia praeter opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud: Incredibile hoc factu obijcitur. repente uero inceſſi omnibus laetitijs. in quo cum obiurgarer, quod nimio gaudio paene deſiperem; ita me defendebam: Ego uoluptatem animi nimiam. quid quaeris? dum illum rideo, paene ſum factus ille. Sed haec pluribus, multaq. alia & de te, & ad te, cum primum ero aliquid nactus otij. Te uero, mi Rufe, diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meae, ultorem non modo inimicorum, ſed etiam inuidorum meorum: ut eos partim ſcelerum ſuornm, partim etiam ineptiarum paeniteret. Vale.*

## EXPLANATIO

AEDILI . CVR . DES. } deſignatum ſumma bonorum uoluntate, ait Cicero in Bruto; cum ad eam diem optime animatus erga remp. fuiſſet. PRIMVM } primum gratulatur, deinde gratias agit. ſed hic, Primum, poſuit; nec intulit, Deinde: ſententiã tamen abſoluit in eo: Et cum gratulor; tũ uero, quib. uerbis tibi gratias agam, non reperio. Eodẽ modo ep.23.lib.VII.cũ dixiſſet, Primũ ipſas ego menſas numquam tanti approbaſſem: Deinde, praetermiſit; nec tamen imperfectam ſententiam reliquit. de quo ſuo loco. Et ep.XI. lib. IIX. ad Att. & 18. lib. XII. ad eundem: & in Lucullo: Primum intereſt. Et apud Terentium: Primum iam de amore hoc comperit. Quam conſuetudinem, Graece dictam ἀναντα-πόδοτον, qui ignorant, Plurimum, pro, Primum, hic reponunt: contra ueteres libros, eos quidem, quorũ ego ope in hoc explanandi, & corrigendi munere nunc utor. nec ab his diſcrepat Mediceus: cuius aucto-

ritatem

ritatem in re bona ab ijs eſſe neglectam, qui eiuſdem libri mendas etiam interdum, cuiuſdam conſtantiae cauſſa, ſibi deſcribendas putauerunt, ualde miror. CVM *praeſenti, tum etiam ſperata tua dignitate,*} tum aedilitate, tum etiam reliquis honoribus, qui aedilitatem conſequuntur. praetura enim biennio poſt aedilitatem dabatur, conſulatus biennio poſt praeturam. Vbi ſunt, qui pro honore dignitatem negant uſurpari? non & hic Cicero de aedilitate gratulatur, & aedilitas honor eſt? neutrum negabitur. At alibi, recta exiſtimatio, honoribus parta praeclare geſtis, dignitas eſt. quis negat? quaſi hoc ipſo non excellat Latina lingua, quod & uarijs eandem rem uerbis, & eodem ſaepe uerbo uaria ſignificet. quod ſi dignitas, ut falſo quidam ſentiunt, ea ſemper eſſet, quae uel magiſtratus, uel res cum laude adminiſtratas conſequitur: cur hic Cicero de dignitate potius, quam de honore ipſo, unde manat dignitas, gratularetur? cui probabitur, Ciceronem, cognita Coelij aedilitate, non honorem ipſum, ſed eam, quam honor parit, dignitatem gratulari? cum praeſertim nondum Coelius magiſtratum iniuiſſet, ſed adhuc deſignatus eſſet; ut gratulatio, quod ad honorem attinet, ſatis opportuna, dignitati autem, cum nihil dum in magiſtratu Coelius geſsiſſet, immatura uideretur. Tritum, inquiunt, uſu non eſt, ut in honoris locum dignitas ſuccedat. Concedo; nec tamen, quo eam in loco Cicero conſtituit, ego eam inde audebo extrudere: nec mihi, ſi quid rarum eſt, propterea rectum non eſſe, quiſquam perſuaſerit. alioqui nimis imminuetur uſus Latinae linguae, in qua multa non modo rara, ſed etiam ſingularia cognouimus. quin etiam librum Cariſius appellat de ſingularibus apud Ciceronem. quamquam, ſi hoc ideo non placet, quod ſingulare uideatur: ſcrupulum eximamus, allato eiuſdem ſatis propinquo exemplo, niſi fallor, in eadem ſententia. nam, cum C. Coelius, ei ſe obtigiſſe quaeſtorem, ſignificaſſet; reſcripſit his uerbis: Tuae litterae, de tua praeſertim dignitate, & de noſtra coniunctione, maximi ſunt apud me ponderis. Dignitatem Coelij uocat honorem illum, quem ſortis beneficio conſecutus erat; cum ita contigiſſet, ut in Cilicia, conſulari prouincia, quaeſturae tempus traduceret. Et Philippicarum lib. XIII. Neminem Pompeianum, qui uiuat, tenere lege Hirtia dignitates. Quare numquam me, auctore Cicerone, dignitatem uſurpaſſe pro honore paenitebit. niſi ſi Latinae linguae proprietatem in ipſo etiam Cicerone requirimus, quem uere unum, aut unum certe praeter ceteros, abſolutum artificem in eloquentia, omniſq. uerborum copiae, omnis parentem elegantiae poſſumus appellare. IGNORANTIA} cur hoc uerbum reijciam, cum & ſit in ueteribus nouem libris, & in Cicerone alibi reperiatur? dixit enim pro Flacco: Vbi adoleſcentes nihil poſſent diſcere, niſi ignorantiam litterarum. Lucretius etiam lib. I.

Ignorantia cauſſarum conferre deorum
Cogit ad imperium res.

Ignoratione, legitur in quibuſdam impreſsis: recte, quod ad ſententiam: ſed aliter antiqui libri. LONGINQVITATEM,} longinquitas & de locis dicitur, ut hic, & de tempore, ut lib. 2. de Fin. Qui autem uoluptate uitam effici beatam putabit, qui ſibi is conueniet, ſi negabit uoluptatem creſcere longinquitate? Et Tuſc. V. Sin forte, longinquitate producti, dolores uehementius eum torquent, quam ut cauſſa ſit, cur ferantur: quid eſt tandem, dij boni, quod laboremus? Additur interdum, Temporis, ut in ep. Sulpicij lib. IV. Nullus dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. Et Caeſar lib. I. de bel. ci. Tamen res eius moram, temporiſq. longinquitatem timebat. CVM *gratulor, tum uero*} ſolebant ueteres interdum, ob recte facta, poſt gratulationem gratias agere: ut ep. 14. lib. IX. Dolabellae tuo & gratulor, & gratias ago. Interdum contra, gratijs actis, gratulationem ſubiungere. ep. 16. lib. XVI. Tuis, & illius litteris perlectis, exſilui gaudio: & tibi & ago gratias, & gratulor. FACTVS *ſis,*} aedilis. nam ep. 3. lib. IIX. Coelius ita ſcripſerat: De Hirro ut, quem optas, quamprimum nuncium accipias, tua mediusfidius magis, quam mea cauſſa cupio. nam mea, ſi fio, forſitan cum locupletiore referam: ſed hoc uſque eo ſuaue eſt, ut ſi acciderit, riſus nobis tota uita deeſſe non poſsit. AVDIVI,} te aedilem deſignatum, Hirrum deiectum. ILLE *ipſe*} Hirrus. FACTVS *ſum,*} ſuſcepi perſonam Hirri: quia, quae tu mihi de illo ſcripſiſti, omnia cogitaui. EGI} repraeſentaui, cogitatione ipſa mihi ante oculos poſui. IACTITAT.} iactare ſolitus eſt; quod fecit, aedilitatem petens: cum diceret, ſe gratioſorum in ſuffragijs adoleſcentum opera aedilem futurum. ep. 6. Iuuentutem oſtendit in ſuffragijs plurimum poſſe. proprie enim adoleſcentum gratia eſt, uirorum auctoritas. DIFFICILE *eſt loqui,*} quae de illo cogitaui, exponere non facile poſſum. TE, AVTEM *contemplans abſentem:*} hoc totum uſque ad illud, Quod quia, uidetur a uetere poeta ſumptum. ideo, Contemplans, non eſt, quo referatur: deeſt enim uerbum poetae: cum Cicero locum non expleuerit, ut interdum ſolet. PRAETER *opinionem,*} ut is, cui ſtuderent adoleſcentes illi, repulſam tamen tuliſſet. REFEREBAM *me ad illud:*} eiuſdem poetae. OBIICITVR.} mihi ſe offert, atque in mentem uenit. REPENTE *uero*} & hoc eiuſdem poetae eſt, quem opinor eſſe Caecilium Trabeam comicum; de quo lib. 2. de Fin. INCESSI} commotus ſum, exſilui. laetitia enim non ſolum geſtimus, ſed etiam incedimus. OMNIBVS *laetitijs;*} eundem locum Cicero ſignificat lib. 2. de Fin. cum ait: Ille Caecilianus, qui ſeſe omnibus laetitijs laetum eſſe narrat. DESIPEREM.} adimit enim uoluptas mentem non minus, quam moleſtia: quod his uerbis egregie, ut omnia, Plato demonſtrat lib. III. de rep. Ἡ ἡδονὴ οὐχ ἧττον, ἢ λύπη, ἔκφρονα ποιεῖ. EGO *uoluptatem animi nimiam,*} egregie reſtituit hunc locum Victorius ex Tuſc. IV. & lib. 2. de Fin. nam in ueteribus libris mendoſe legitur, Homini, uel, Hominum, uel Omnium. uerba ſunt comici poetae Trabeae, Tuſc. IV. Vt ille, qui uoluptatem animi nimiam ſummum errorem eſſe arbitratur. QVID *quaeris?*} ubi ſatis uerborum effluxit, nec tamen omnino uidemur, quod uolumus explicaſſe, ad hanc interrogationem confugimus. Quid quaeris? & ad exitum ſtatim ſententia perducitur. ILLE.} ſtultus, ut ille. INIMICORVM,} Clodianorum.

rum. id oſtendit ipſe Coelius ep. 13. lib. IIX. A te peto, ut meas iniurias proinde deleas, ut me exiſtimas & dolere, & ulciſci tuas ſolere. Maxime autem ex uoluntate Ciceronis, Pompeio tertium conſule, poſt interfectum Clodium, geſsit Coelius tribunatum pl. teſtem habeo Ciceronem ipſum, cuius haec ſunt uerba in Bruto: M. Coelius, quam diu auctoritati meae paruit, talis tribunus pl. fuit, ut nemo contra ciuium perditorum popularem, turbulentamq. dementiam a ſenatu, & a bonorum cauſſa ſteterit conſtantius. Et Aſconius in argumento orationis pro Milone. INVIDORVM} Hirrus praecipue deſcribitur, qui competitor Ciceronis fuerat in auguratu. ep. 3. & 6. lib. IIX. Et ad Att. ep. 19. lib. V. PARTIM *ſcelerum ſuorum, partim etiam ineptiarum*} Sceleratus in uexando Cicerone, & in omni uita Clodius: ineptus Hirrus, qui cum Cicerone conſulari, nondum aedilicius de auguratu certare auſus ſit.

---

# Argumentum ep. 10.

*QVeri uidetur de tabellarijs, litteris non perferentibus: re uera Coelium negligentiae leuiter accuſat: deinde res a ſe in Amano monte geſtas, & Pindeniſsi oppugnationem exponit: rogat, ne quid ſibi temporis ad prouinciale munus prorogetur. de rep. tum praeſentia, tum futura etiam exſpectare ſe dicit. Eodem anno.*

## *Cicero imp. S. D. Coelio Rufo, aedili cur. des.* 10.

*TV uide quam ad me litterae non perferantur. non enim adduci poſſum, ut abs te, poſtea quam aedilis factus es, nullas putem datas; praeſertim cum eſſet tanta res, tantae gratulationis: de te, quia, quod ſperabam; de Hillo, (balbus enim ſum) quod non putaram. atqui ſic habeto, nullam me epiſtolam accepiſſe tuam poſt comitia iſta praeclara, quae me letitia extulerunt. ex quo uereor, ne idem eueniat in meas litteras. equidem numquam domum miſi unam epiſtolam, quin eſſet ad te altera: nec mihi eſt te iucundius quidquam, nec carius. Sed balbi non ſumus: ad rem redeamus. Vt optaſti, ita eſt. uelles enim, ais, tantum modo ut haberem negotij, quod eſſet ad laureolã ſatis. Parthos times, quia diffidis copijs noſtris. ergo ita accidit. nam, Parthico bello nunciato, locorum quibuſdam anguſtijs & natura montium fretus ad Amanum exercitum adduxi, ſatis probe ornatum auxilijs, & quadam auctoritate apud eos, qui me non norant, nominis noſtri. multum eſt enim in his locis: Hiccine eſt ille, qui urbem? quem ſenatus? noſti cetera. Cum ueniſſem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis eſt, diuiſus aquarum diuortijs; Caſſius noſter, quod mihi magnae uoluptati fuit, feliciter ab Antiochia hoſtem reiecerat. Bibulus prouinciam acceperat. interea cum meis copijs omnibus uexaui Amanienſes, hoſtes ſempiternos. multi occiſi, capti: reliqui diſſipati. caſtella munita, improuiſo aduentu capta, & incenſa. ita uictoria iuſta imperator appellatus apud Iſſum; quo in loco ſaepe, ut ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit, Darium ab Alexandro eſſe ſuperatum; abduxi exercitum ad infeſtiſſimam Ciliciae partem. ibi quinctum & uigeſimum iam diem aggeribus, uineis, turribus oppugnabam opidum munitiſſimum Pindeniſſum, tantis opibus, tantoq. negotio, ut mihi ad ſummam gloriam nihil deſit, niſi nomen opidi: quod ſi, ut ſpero, cepero; tum uero litteras publice mittam. Haec ad te in praeſenti ſcripſi, ut ſperes te aſſequi id, quod optaſti. Sed, ut redeam ad Parthos; haec aeſtas habuit hunc exitum ſatis felicem; ea, quae ſequitur, magno eſt in timore. quare, mi Rufe, uigila, primum nt mihi ſuccedatur: ſin id erit, ut ſcribis, & ut ego arbitror, ſpiſſius; illud, quod facile eſt, ne quid mihi temporis prorogetur. De rep. ex tuis litteris, ut antea tibi ſcripſi, cum praeſentia, tum etiam futura magis exſpecto. quare, ut ad me omnia quamdiligentiſſime perſcribas, te uehementer rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

TV. VIDE, *quam ad me*} non pauci ueteres, Quam timide ad me: inepte prorſus. quem enim hic timiditas locum habet? mendi originem puto fuiſſe, Tu uide: quod proxime anteceſsit: ut primo factum ſit, Timide, deinde, perturbato ordine, & prima corruptione alteram generante, Tu uide, quam timide ad me. Ego, licet, Quam ad me, non improbem; cum praeſertim ita ſit in Mediceo libro, & in altero, quem uir excellentis doctrinae, poeta ſummus, Petrus Angelius Bargaeus, mihi commodauit; magis tamen aliquanto probarem, Quare ad me: ut ſit: Tibi uidendum eſt, quid cauſſae ſit, cur ad me litterae non perferantur. Cum haec ſcripſiſſem, Albertus Ferrus, ſororis Philippi Tertij, oratoris eximij, uiri integerrimi, filius, familiaris meus, optimaeq. indolis adoleſcens, ueterem librum, ex auunculi bibliotheca ſumptum, ad me attulit, in quo, minime dubijs litteris ita ſcriptum uidi: Tu uide, quamobrem ad me, quod noſtram opinionem confirmat. TANTA *res,*} non ſolum quia tu aedilis factus ſis,

ſed etiam,quia repulſam Hirrus tulerit. TANTAE *gratulationis:* } cum res eſſet tanta gratulatione digna, ideoq. litteris omnino ſignificanda,ut poſſem tibi gratulari. Alij legunt, Gratulationes; qua ſententia,nõ uideo. ego praeter ſententiã, teſtes auctoresq. habeo opinionis meae tres antiquos libros,unum Sigonij,duos meos. DE . TE. *quia,quod ſperabam; de Hillo, (balbus enim ſum) quod non putarã.* } in ep.4. lib.IIX.Coelius, de Hirro competitore ſuo loquẽs, ita ſcripſerat: Spero te celeriter auditurum & de nobis,quod ſperaſti, & de illo, quod uix ſperare auſus es. Quibus uerbis Cicero reſpondens, eadem paene repetit. & quia ſcripſerat Coelius, De illo; facete, & ſalſo adſpirationem Cicero addidit, ut Hirri nomen, more balborum, qui, r, litteram exprimere non poſſunt, enunciaret. itaque ſubiunxit, Balbus enim ſum. in ſequentibus autem, cum, r, litteram expedite proferat, Balbi, inquit, non ſumus. Hic tamen faciam, quod ſuſceptum a me munus poſtulat, ut hunc locum ex ingenio mutatum ſignificem. nam ueteres libri, omnes in mendo conſentiunt, cum, Nihilo, pro, Hillo, habeant. Sed non dubito, quin haec recte intelligentibns coniectura, e Coelij loco ducta, cui manifeſte Cicero reſpondet, etiam atque etiam probetur. Res, inquit, magnae gratulationis erat, quia de te, id, quod ſperabam, acciderat, de Hirro autem, quod non putaueram, ideſt, ut tam turpiter aedilitatis repulſam ferret. Atque hoc eiuſdem Coelij locus alius in ep. 9. lib. IIX. ſignificat: inquit enim, Sic tu, inquis, Hirrum tractaſti? immo, ſi ſcias, quam facile, quam ue contentionis quidem minimae fuerit; pudeat te, auſum illum umquam eſſe incedere tamquam tuum competitorem. COMITIA *iſta* } aedilicia. LAETITIA *extulerunt.* } cum ea mihi non tuis, ſed aliorum litteris cognita eſſent. IVCVNDIVS } dixi iam, Iucundus, & Carus coniungi. ep. 2. & 3. Cicero, Iucundus, deducit a iuuando. quod ſi ita eſt; Iocundus a quibuſdam perperam ſcribitur. AIS, } in ep. 5. lib. IIX. in qua ſcripſit haec: Si, quantum gloriae, triumphoq. opus eſſet, aſſequeremur; nihil tam eſſet optandum. AD . LAVREOLAM } ut triumphum aſſequi poſſemus. Lauro enim triumphantes coronabantur. quaſi per iocum, Laureolam, potius, quam lauream, dixit: ut optata res oſtenderetur. Sic ep. 20. lib. v. ad Att. Bibulus in eodem Amano Laureolam coepit in muſtaceo quaerere. PARTHOS *times,* } copijs ſuperiores. ep. 5. lib. IIX. Parthorum gens nota ſatis eſt: origo, & nominis cauſſa fortaſſe obſcura: itaque Iuſtini uerba ex lib. XLI. recitabo. Parthi, penes quos, uelut diuiſione orbis cum Romanis facta, nunc orientis imperium eſt, Scytharum exſules fuerunt. nam Scythico ſermone Parti exſules dicuntur. &c. Idem infra: Mithridates imperium Parthorum a monte Caucaſo uſque ad flumen Euphratem protulit: nec minor Arſace proauo,glorioſa ſenectute deceſsit. AVXILIIS } ſociorum populorum, ideſt Galatarum, Piſidarum, Lyciorum, quos nominat ep. 5. lib. VI. ad Att. nam Deiotarum cum omnibus ſuis copijs ad eum uenientem, certiorem Cicero fecit, non uideri eſſe cauſſam, cur abeſſet a regno. quod ad Catonem ep. 4. lib. XV. ſcripſit. HICCINE *eſt ille,* } ſimile illud ep. 26. lib. IX. In eo igitur conuiuio Cicero ille? Quem adſpectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua? Et Pacuuius Duloreſte, apud Nonium: Hiccine is eſt, quem famae gratia ante omnes nobilitat uiros? QVI *urbem?* } ſeruauit ab inſidijs Catilinae, ipſo egredi ex urbe iuſſo. quod factum gloriatur in orat. 2. contra eum, & in ea in Piſonem: Ego, L. Catilinam, caedem ſenatus, interitum urbis non obſcure, ſed palam molientem, egredi ex urbe iuſsi. QVEM *ſenatus?* } decreto laudauit honorificentiſsimo, ſupplicatione decreta ob res ab eo geſtas: quem honorem antea togatus nemo conſecutus erat. ep. 4. lib. XV. orat. in Piſonem, alibi. NOSTI *cetera.* } quae in nos, ob res in conſulatu praeclare geſtas, conferri ſolent. COMMVNIS *eſt,* } cum eius pars ad Syriam, Bibuli prouinciam, altera ad Ciliciam, cui Cicero praeerat, pertineret. Strabo, & alij. DIVISVS *aquarum diuortijs;* } ut ad Syriam ab una parte, ad Ciliciam ab altera pertinere, defluentibus aquis diſtributus. cum enim aquae diuiduntur, diuortium earum fit. Sic ep. 20. ad Att. lib. v. Ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia aquarum diuortio diuidit. Et lib. I. de Orat. Vt ex Apennino fluminum, ſic ex communi ſapientium iugo ſunt doctrinarum facta diuortia. Curtius autem lib. v. Tigris, & Euphrates ex Armeniae montibus profluunt, & magno deinde aquarum diuortio iter, quod coepere, percurrunt. Et Liuius lib. XXXIIX. Prope ipſis iugis, ad aquarum diuortia caſtra poſuiſſe. ideſt, ad eum locum, unde aquae pluuiae, duas in partes diuiſae, incipiunt defluere. Flaccus etiam Siculus in libro de limitibus, Diuergia aquarum dixit, eadem ſignificatione: quod in diuerſas partes uergant, & uertantur aquae: unde Diuergium, & Diuortium. CASSIVS *noſter,* } C. Caſsius, qui poſtea Caeſarem occidit. is M. Craſsi quaeſtor in Syria fuerat: quo interfecto reliquias copiarum Antiochiam reduxit. HOSTEM *reiecerat.* } ep. 20. lib. v. ad Att. Rumore aduentus noſtri & Caſsio, qui Antiochia tenebatur, animus acceſsit, & Parthis timor iniectus eſt. itaque eos cedentes ab opido Caſsius inſecutus rem bene geſsit. qua in fuga, magna auctoritate Oſaces, dux Parthorum, uulnus accepit, eoq. interijt paucis poſt diebus. De hac uictoria loquitur etiam ep. 14. lib. XV. pleniſsime autem Dio lib. XL. & Iuſtinus lib. XLII. PROVINCIAM *acceperat.* } a uictore Caſsio, qui, poſt obitum Craſsi, cum nondum in Syriam proconſul Bibulus ueniſſet, prouinciam a Parthorum impetu defenderat. Phil. II. VEXAVI *Amanienſes,* } uide ep. 4. lib. XV. & ad Att. ep. 20. lib. v. CASTELLA *munita,* } Caſtellum a Caſtro, ut Raſtellum a Raſtro, deducitur. VICTORIA *iuſta* } certum hoſtium numerum eſſe oportuit, quo caeſo imperatoris nomen conſequerentur: ſed, ea conſuetudine paullatim deprauata, multi, paucis hoſtium caeſis, imperatores tamen appellabantur. quod etiam Philip. 14. docet his uerbis: Si quis Hiſpanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidiſſet, non eum hac conſuetudine, quae increbuit, imperatorem appellaret ſenatus. Et Dio lib. XXXVII. C. Antonius caeſo Catilina, eius uictoriae cauſſa imperator eſt appellatus: quamquam caeſorum in acie numerus legitimo numero minor eſſet. Iuſta igitur dixit, quia multi non iuſta uictoria, quidam etiam nulla

ſupplicationis

ſupplicationis honorem adepti erant: quod ex eadem Philippica cognoſcitur. Victoriam tamen eius non ſatis iuſtam Coelius ſignificat ep. 11. lib. IIX. cum ait: Hirrus, cum de hoſtibus ageretur, & poſſet rem impedire, ſi, ut numeraretur, poſtularet, tacuit. ISSVM;} quae Alexandri arae uocabantur. ep. 4. lib. XV. & ad Att. ep. 20. lib. V. & Strabo lib. XIV. Curtius autem ſic lib. III. Tribus aris in ripa Pyrami amnis Ioui, Herculi, Mineruae ſacratis, Syriam petit. Mela quoque lib. 2. Tum mons Amanus, & ab eo ſtatim Cilices, at in receſſu intimo locus eſt, magni aliquando diſcriminis, fuſorum ab Alexandro Perſarum, fugientisq. Darij ſpectator, ac teſtis, nunc ne minima quidem, tunc ingenti urbe celebris Iſſos. Ammianus lib. XXVI. Sinum Iſsicum uocat. Superatus, ait, in Sinu Iſsico qui eſt in Cilicia, ubi Darium Alexander fudit. CLITARCHVS} hiſtoricus, Alexandri comes in Perſica expeditione, ut ait Plinius lib. VI. cap. 31. Dionis filius, teſte Plinio lib. X. cap. 49. nominatur a Curtio lib. IX. bis, a Cicerone lib. 1. de Legibus, haud magna cum laude, ab Athenaeo lib. IV. Eius probatum eſſe ingenium, fidem uituperatam, oſtendit Quinctilianus lib. X. cap. 1. NARRAVIT,} argute: pro, legiſti apud Clitarchum. ſic in Bruto: Niſi in eo magiſtratu cenauiſſet apud praeconem Granium, idq. nobis narrauiſſet Lucilius, tribunum pl. neſciremus fuiſſe. INFESTISSIMAM} latrocinijs. uide ep. 4. lib. XV. & 20. lib. V. ad Att. VINEIS,} inſtrumentum bellicum fuit, quo tecti milites audacius ad moenia ſubibant. PINDENISSVM,} incognitum Romae nomen opidi: quod ex ep. 20. lib. V. ad Att. perſpicitur. OPIBVS,} Alij legunt, Operibus: ſed Opera Cicero ſupra nominauit. Opum autem nomine, ſumma uis, & ſumma contentio ſignificatur. unde Virgilius: Magna pugnatur opum ui. Alibi diuitiarum copia, alibi totum id, quo ualemus, Opum nomine demonſtratur. NEGOTIO,} labore. NOMEN *opidi*:} ignobile, & obſcurum. ep. 20. lib. V. ad Att. Qui, malum, ſunt iſti Pindeniſſae, inquies? nomen audiui numquam. quid ego faciam? non potui Ciliciam, Aetoliam, Macedoniam reddere. CEPERO;} cepit die LVII. poſtquam oppugnare coeperat. ep. 4. lib. XV. & XX. lib. V. ad Att. TVM *uero*} nam, Amano direpto, ac uaſtato, litteras tamen ad ſenatum non miſit. de quo ſic ep. 9. lib. III. Recte factum a me puto, quod non ſtatim ut imperator appellatus ſim, ſed alijs rebus additis, aeſtiuisq. confectis, litteras miſerim. IN PRAESENTI} hoc tempore. Liuius lib. XXXIV. Daret talenta centum argenti in praeſenti. In praeſentia, etiam dicebant. QVOD *optaſti*.} ut negotij tantum haberem, quod eſſet ad triumphum ſatis. ep. 5. lib. IIX. VT SCRIBIS,} ep. 5. lib. IIX. Multum, ac diu ludetur, ut plus biennium in his tricis moretur. SPISSIVS;} ſerius: ut in Bruto: Spiſſe, atque uix ad Antonium, Craſſumq. peruenimus. Et lib. 2. de Orat. Principia tarda ſunt, et exitus tamen ſpiſsi, & producti eſſe debent. Et, quoniam ſpiſsis liquida opponuntur; factum eſt, ut Liquido pro facile ueteres uſurpauerint. ep. 10. lib. X. Lectis tuis litteris, liquidius de toto ſenſu tuo iudicaui. & ep. 27. lib. XI. Alia ſunt, quae liquido negare ſoleam, ut de iſto ipſo ſuffragio. PRAESENTIA,} nec praeſentia tamen, nec praeterita, ſed futura ſe dixit a Coelio exſpectare. ep. 8.

---

# Argumentum ep. 11.

*ITa ſollicitus eſt, quidnam de ſucceßione prouinciarum Romae decernatur, ut omnino ſibi deeſſe uerba confirmet. miro enim urbis deſiderio tenetur. Pantheras ludorum cauſſa promittit. De ſtatu reip. diligentißimas a Coelio litteras poſtulat. L. Paullo, C. Marcello coſ.*

## *Cicero imp. S. D. Coelio aedili cur.* 11.

PVTARES *ne umquam accidere poſſe, ut mihi uerba deeſſent, neque ſolum iſta ueſtra oratoria, ſed haec etiam leuia noſtratia? deſunt autem propter hanc cauſſam, quod mirifice ſum ſollicitus, quidnam de prouincijs decernatur. Mirum me deſiderium tenet urbis, incredibile meorum, atque in primis tui, ſatietas autem prouinciae, uel quia uidemur eam famam conſecuti, ut non tam acceſſio quaerenda, quam fortuna metuenda ſit; uel quia totum negotium non eſt dignum uiribus noſtris, qui maiora in rep. onera ſuſtenere & poſſimus, & ſoleamus; uel quia belli magni timor impendet: quod uidemur effugere, ſi ad conſtitutam diem decedemus. De pantheris, per eos, qui uenari ſolent, agitur mandato meo diligenter: ſed mira paucitas eſt: & eas, quae ſunt, ualde aiunt queri, quod nihil cuiquam inſidiarum in mea prouincia, niſi ſibi fiat. itaque conſtituiſſe dicuntur in Cariam ex noſtra prouincia decedere. ſed tamen ſedulo fit, & in primis a Patiſcho. quidquid erit, tibi erit: ſed, quid plane eſſet, neſciebamus. mihi mehercule magnae curae eſt aedilitas tua. ipſa dies me admonebat: ſcripſi enim haec ipſis Megalenſibus. Tu uelim ad me de omni reip. ſtatu quam diligentiſſime perſcribas: ea enim certiſſima putabo, quae ex te cognouero. Vale.*

# EXPLANATIO

AEDILI CVR.} ſuperiores epiſtolas inſcripſit, AEDILI CVR. DES. nunc aedilitatem Coelius inierat. nam epiſtola Megalenſibus eſt ſcripta: quo die ludos ante templum Magnae matris deum aediles curules dabant. PVTARES *ne umquam accidere poſſe, ut mihi uerba deeſſent, &c.*} ſimiliter ep. 63. lib. XIII. Non putaui fieri poſſe, ut mihi uerba deeſſent; ſed tamen in M. Laenio commendando deſunt. VESTRA *oratoria,*} iocatur: quia Coelius quoque locum inter oratores obtinebat. ep. 8: Noui ego uos magnos patronos. NOSTRATIA?} quibus uulgo utimur. DE PROVINCIIS} timebat, ne quid de prorogando prouinciarum tempore ſenatus decerneret. FAMAM} ob iuſtitiam, & abſtinentiam. FORTVNA} quae poteſt aliquo caſu de fama detrahere. Fortunam nominat, quia de ſua culpa non timet. METVENDA} ep. 17. lib. V. ad Att. Hanc gloriam iuſtitiae, & abſtinentiae fore illuſtriorem ſpero, ſi cito deceſſerimus. BELLI} Parthici. dixit enim in proxima epiſtola: Sed, ut redeam ad Parthos, haec aeſtas habuit hunc exitum ſatis felicem: ea, quae ſequitur, magno eſt in timore. ep. 21. lib. V. ad Att. & I. lib. VI. ad eundem. AD *conſtitutam diem*} pridie Kal. Sext. quo die in prouinciam uenit. ep. 6. lib. III. & ad Att. ep. 15. lib. V. nam duos menſes, Iunium, & Quinctilem ſperabat fore, ut Bibulus ſuſtineret. quod ad Att. ſcripſit ep. lib. VI. DE *pantheris,*} quas Coelius petierat, ut ludis ſuis, ideſt Romanis, daret. ep. 2. 4. 6. 7. 9. lib. IIX. quaedam animalia, tam mares, quam feminae, muliebri tantum genere ſignificantur, ut panthera, merula: non enim dicimus, pantherus, merulus: quaedam uirili, ut coruus, turdus: non enim dicitur, corua, turda. Varro lib. IIX. lin. Lat. INSIDIARVM} per iocum ſublata a ſe latrocinia ſignificat. IN. CARIAM} hoc totum inter Ciceronis ridicula Plutarchus memorat. PATISCHO.} uenatore. ep. 6. lib. IIX. fortaſſe is eſt, de quo ep. 15. lib. XII. & Hirtius de bello Alex. QVIDQVID *erit, tibi erit:*} hoc genus ornamenti, ſimiliter deſinens, Latini, ὁμοιοτέλευτον Graeci uocant. quo de genere ſcripſit egregie Demetrius. neque ego colligendis Graecorum exemplis operam conſumam: Latinis, & uno maxime Cicerone contenti ſimus. ep. 18. Si quid offenderit; ſibi totum, nihil tibi offenderit. Philip. I. Huc ſi quid acceſſerit, non tam mihi, quam uobis, reiq. publ. acceſſerit. MEHERCVLE} in oratore, Pomeridianas, inquit, quadrigas, quam Poſtmeridianas, libentius dixerim; & Mehercule, quam Mehercules. bis tamen in Verrem, Mehercules, dixit, & in Catilinam, & pro Plancio, pro Amerino autem, & in Bruto, Hercules. AEDILITAS. TVA.} cuius cauſſa pantheras petijſti. IPSA *dies me admonebat:*} adſpectu, uel cogitatione rei praeſentis, in memoriam ſaepe, aut uoluntatem, opinionemue deducimur abſentis. ep. 19. lib. VII. Vt primum Velia nauigare coepi, inſtitui Topica Ariſtotelica conſcribere, ab ipſa urbe commonitus, amantiſsima tui. ep. 8. lib. I. ad Att. Signa noſtra uelim imponas, quae tibi palaeſtrae gymnaſijq. uidebuntur eſſe. etenim ibi ſedens haec ſcribebam: ut me locus ipſe admoneret. De Orat. lib. I. Cur non imitamur Socratem illum, qui eſt in Phaedro Platonis? nam me haec tua platanus admonuit. Ibidem lib. III. His de rebus Sol me ille admonuit, ut breuior eſſem: qui ipſe iam praecipitans me quoque haec paene praecipitem euoluere coegit. In ep. ad C. Caeſarem, apud Nonium: Quae monumenti ratio ſit, nomine ipſo admoneor. ad memoriam magis ſpectare debet poſteritatis, quam ad praeſentis temporis gloriam. Varro lib. I. Rei ruſt. Annus octogeſimus admonet me, ut ſarcinas colligam, antequam proficiſcar e uita. IPSIS. MEGALENSIBVS.} & Megalenſes, & Romani ludi ad aediles cur. pertinebant: ut in Dione legimus lib. XXXIX. dies igitur Megalenſium, qui dabantur Aprili menſe, Ciceronem admonebat ludorum Romanorum, quos Coelius Septembri menſe daturus erat. Atque hinc licet conijcere, cum utrique ludi ab aedilibus curarentur, maiore tamen ſumptu, atque apparatu Romanos dari ſolitos: de quorum ſpectaculo Coelium, pantheras petentem, non de Megalenſibus, uideo laboraſſe. Ludos Megaleſia per ſex dies, a pridie Non. Apr. ad V. Id. fuiſſe, faſti dierum antiqui demonſtrant. nam, etſi deam perlatam eſſe pridie Id. Apr. in aedem Victoriae Palatinae, eumq. diem feſtum fuiſſe, cum lectiſternio, & ludis, qui Megaleſia uocati ſunt, Liuius dicat: poſtea tamen eos ludos in pridie Non. reiectos eſſe, crediderim, accedente praeſertim Spartiani teſtimonio; qui cũ IIX. Id. Apr. ipſis Megalenſibus interemptum Caracallam narret, ſatis indicat, Megalenſium primum diem Pridie Id. Apr. non fuiſſe. niſi ſi quis mendoſum eſſe Liuij locum, & pro pridie Id. legendum, Pridie Non. arbitretur: ne, diſsidentibus antiquis, opinione dubia fluctuemus. Dicta Megaleſia a Graecis, ut auctor eſt Varro: quod ex libris Sibyllinis accerſita ab Attalo rege Pergami prope murum Megaleſion, ubi templum eius deae: unde aduecta Romam. Quo tempore, & quam ob cauſſam ſint accerſita, uel quia patet ex Liuio, uel quod breuitatem ſequimur, omittemus. Vnum addendum uidetur: labi turpiter eos, qui ludos Megalenſes & Romanos eoſdem eſſe crediderunt: cum Romani a rege Priſco, Megalenſes in rep. poſt multos annos inſtituti ſint: & Romani menſe Septembri, Megalenſes Aprili darentur: Romani in honorem Iouis, Iunonis, Mineruae, Megalenſes Matris magnae Deum: Romani primum Circenſes, deinde etiam Scenici fuerint, Megalenſes tantum Scenici.

---

Argum-

## Argumentum ep. 12.

*SOllicitudinem ſuam demonſtrat ob res urbanas. Litteras a Coelio petit de omni ſtatu reip. addit de Diogenis, & Philonis itinere. hortatur, ne prouinciales honores urbanis magiſtratibus praeferat. ſuam indicat ad urbem redeundi cupiditatem. Eodem anno.*

### *Cicero imp. S. D. Coelio aedili cur.* 12.

SOLLICITVS *equidem eram de rebus urbanis: ita tumultuoſae conciones, ita moleſtae quinquatrus afferebantur: nam citeriora nondum audiebamus. ſed tamen nihil me magis ſollicitabat, quam in his moleſtijs non me, ſi qua ridenda eſſent, ridere tecum. ſunt enim multa: ſed ea non audeo ſcribere. illud moleſte fero, nihil me adhuc his de rebus habere tuarum litterarum. quare, etſi, cum tu haec leges, ego iam annuum munus confecero; tamen obuiae mihi uelim ſint litterae tuae, quae me erudiant de omni rep. ne hoſpes plane ueniam. hoc melius, quam tu, facere nemo poteſt. Diogenes tuus, homo modeſtus, a me cum Philone Peſſinunte diſceſſit. iter habebant ad Iatoregem: quamquam omnia nec benigna, nec copioſa cognorant. Vrbem, mi Rufe, cole, & in iſta luce uiue. omnis enim peregrinatio, quod ego ab adoleſcentia iudicaui, obſcura, & ſordida eſt ijs, quorum induſtria Romae poteſt illuſtris eſſe. quod cum probe ſcirem, utinam in ſententia permanſiſſem. cum una mehercule ambulatiuncula, atque uno ſermone noſtro, omnes fructus prouinciae non confero. ſpero me integritatis laudem conſecutum. non erat minor ex contemnenda, quam ex conſeruata prouincia. ſpes triumphi, inquis? ſatis glorioſe triumpharem, ſi non eſſem tam diu quidem in deſiderio rerum mihi cariſſimarum. ſed, ut ſpero, propediem te uidebo. tu mihi obuiam mitte epiſtolas te dignas. Vale.*

## EXPLANATIO

CONCIONES,} tribunorum pl. maximeq. Curionis, qui ualebat in primis eloquentia, & Caeſaris cauſſam acerrime tuebatur. eius enim conciones contra conſulum actiones de prouincijs, ideſt de ſucceſsione Galliarum, quis dubitet ſignificari ep. I. lib. VI. ad Att. in eo loco? Magna in ſpe ſum, mihi nihil temporis prorogatum iri. habebam acta urbana uſque ad nonas Mart. ex quibus intelligebam, Curionis noſtri conſtantia omnia potius actum iri, quam de prouincijs. Varro, Contio, non, Concio, ſcribendum ſignificat, quaſi Coactio. Feſtus Concio, quaſi Conuocatio, a Ciendo. ueterum librorum ſcriptura Varronis opinionem probat. Mediceus quoque ſemper, Contio. QVINQVATRVS} dictum fortaſſe nominandi potius, quam, ut alij putarunt, generandi caſu. mallem tamen, Quinquatribus: ut intelligatur dies, quo geſtae ſunt res, non quo allatae: cum inferat, Citeriora nondum audiebamus. nam in uetere libro Hieronymi Ferrarij legitur, Quinquat. ut etiam pro Gladiatoribus Gladiat. antiquis in libris quandoque ſcriptũ uidimus. Quinquatrus autem quinque dies feſti fuerunt, Mineruae dicati. Ouid. lib. III. Faſt.

> Vna dies media eſt, & fiunt ſacra Mineruae;
>
> Nomina quae a iunctis quinque diebus habent.

Varro Quinquatrum diem ait appellatum, quod erat poſt diem quinctum idus Mart. ideſt XIV. Kal. Apr. & quamquam ex Ouidio conſtet, quinquatrus fuiſſe quinque dies: tamen, cum Cicero quinquatrus nominat non ſemper eos omnes dies, ſed interdum primum dumtaxat eorum ſignificat, ut ep. 25. lib. XII. Quinquatribus, frequenti ſenatu cauſſam tuam egi non inuita Minerua. etenim eo ipſo die ſenatus decreuit, ut Minerua noſtra, cuſtos urbis, quam turbo deiecerat, reſtitueretur. Et ad Att. ep. 9. lib. IX. Venit ad me Matius quinquatribus. & alibi. RIDERE *tecum.*} ob dementias quorundam, quas ex amicorum litteris cognouerat. ANNVVM *munus*} annuã prouinciae adminiſtrationem: cuius cum primus dies fuerit, pridie Kal. Sext. poſtremus III. Kal. eſſe debuit. ep. 5. & ad Att. ep. 15. 19. lib. IX. & ep. 2. lib. VI. DIOGENES *tuus, cum Philone*} Diogenes Graecus, amicus Coelij, non libertus: Philo autem libertus. ep. 7. lib. IIX. PESSINVNTE} Peſsinus opidum Phrygiae, clarum templo Matris magnae deum, cuius ad urbem Romam tranſlata ſtatua eſt. ad Ciceronis prouinciam pertinuit; qui duas in maiore Phrygia *διοικήσεις* habuit, unam ultra Maeandrum flumen, alteram citra, Ciceroni extra ordinem attributam. qua de re alio loco plenius olim diximus. ITER *habebant ad Iatoregem:*} non ſatis mihi poſſe uideor pro eius merito laudare Iacobum Taurellum, Fanenſem, uirum optimum, exquiſitae doctrinae, praeſtantis ingenij: qui, deleta macula, quae iam inueterauerat in peruulgatis omnibus libris, huic loco ſuam, ut ego quidem arbitror, integritatem reſtituit. cum enim in nullo uetere libro reperiatur, Ad Deiotarum regem, ut eſt in impreſsis ad hanc diem omnibus; in plerisque autem, Ad Iatoregem; quae in Mediceo quoque ſcriptura eſt: acute Taurellus uidit, mutatione minima legi poſſe, Ad Adiatorigem: quem Comanorum regem hoc tempore fuiſſe, Strabo docet lib. XI. AB *adoleſcentia iudicaui*,} iudicaui eo tempore, cum

e quaeſtura Ciliciensi Romam reuertit. nam in Campania uiro nobili obuiam factus, cum eum rogaſſet, quid de ipſo ciuitas, ob res in Sicilia geſtas, exiſtimaret; reſpondit ille, ubi nam fuiſti? ex quo intellexit, quod hic Coelio ſcribit, obſcuram eſſe peregrinationem omnem, nec ab urbe diſcedendum. Hoc Plutarchus. Adoleſcentiam igitur uocat quaeſturae tempus. qua de re in ep. 1. h. l. OBSCVRA, *& ſordida* } quia dixerat, in iſta luce uiue. tribus enim uerbis metaphoram perficit, Luce, Obſcura, Illuſtris. quod genus attente conſiderandum ijs, qui eloquentiae ſe ſtudio dediderunt. Addidit autem, Sordidam, ut hoc dicat: uel obſcurum eſt, nec cernitur, quod in prouincia geritur; uel, ſi cernitur, prae urbanis actionibus ſordidum uidetur. INTEGRITATIS } abſtinentiae: quia ne teruncio quidem prouinciae ſumptui fuit: quod ipſe, non ſine quadam inani gloria, uere tamen ad Atticum ſcripſit ep. 16. 17. 20. 21. lib. v. & hic ep. 1. 3. 4. 5. lib. xv. CONTEMNENDA, } ſi hoc prouinciale munus recuſaſſem. qui enim prouinciam contemnit, quam multi ſpe rapinarum appetebant; is laudem conſequitur integritatis. Hoc modo locutus eſt Philip. ultima: Supplicatione decernenda, hoſtes eos, de quibus decernitis, iudicetis neceſſe eſt. pro, ſi decreueritis. SPES *triumphi, inquis?* } niſi in prouinciam iuiſſes; quae tibi, inquies, triumphi ſpes eſſet? reſpondet: ego mihi praeclarum in conſpectu, & conſuetudine meorum, quibus moleſtiſsime tam diu careo, triumphum ducerem. IN *deſiderio;* } ad Att. ep. 18. lib. v. Dici non poteſt, quam inuitus a uobis abſim, &c. TE. DIGNAS. } ſcriptas diligentiſsime de omni ſtatu reip. ne, cum uenero, rudis plane ſim.

---

# Argumentum ep. 13.

*DE litterarum infrequentia quaſi molli brachio Coelium reprehendit: eundem excuſat, culpa in tabellarios translata: laudat etiam ob earum, quas proxime accepit, prudentiam, & humanitatem. Amicitiam cum Ap. Claudio, & amicitiae cauſſas commemorat. Quod Caeſarem Curio, qui cum optimatibus antea ſentire uidebatur, coepit defendere, exitum agnoſcit coniecturae ſuae. Decedere e prouincia, expleto anno, ſibi ait eſſe conſtitutum; miroq. ſe teneri deſiderio urbis, ſuorum, Coelij potiſsimum; quem aedilem uidere cupiebat. Negotialis fere tota eſt epiſtola: morale principium, & quod concludit. nam, quae narrat de Appii erga ſe, ſuaq. in illum beneuolentia, propter occaſionem inducta ſunt Appij a Dolabella accuſati: de quo uide ep. 9. lib. IIX. cui Cicero reſpondet: Eodem anno.*

## *Cicero imp. S. D. Coelio aedili cur.* 13.

RARAS *tuas quidem, (fortaſſe enim non perferuntur) ſed ſuaues accipio litteras. uel quas proxime acceperam, quam prudentes, quam multi & officij, & conſilij. etſi omnia ſic conſtitueram mihi agenda, ut tu admonebas: tamen confirmantur noſtra conſilia, cum ſentimus prudentibus, fideliterq. ſuadentibus, idem uideri. Ego Appium, ut ſaepe tecum locutus ſum, ualde diligo; meq. ab eo diligi ſtatim coeptum eſſe ut ſimultatē depoſuimus, ſenſi. nam & honorificus in me conſul fuit, & ſuauis amicus, & ſtudioſus ſtudiorum etiam meorum. Mea uero officia ei non defuiſſe, tute es teſtis: quoniam* κωμικὸς μάρτυς, *ut opinor, accidit Phania. & mehercule etiam pluris eum feci, quod te amari ab eo ſenſi. iam me Pompeij totum eſſe ſcis. Brutū a me amari intelligis. quid eſt cauſſae, cur mihi non ſit in optatis, complecti hominem florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus amicis? collegam meum praeſertim, & in ipſa collegij laude, & ſcientia ſtudioſum mei? Haec eo pluribus ſcripſi; quod mihi ſignificabant tuae litterae ſubdubitare, qua eſſem erga illum uoluntate. credo te audiſſe aliquid. falſum eſt, mihi crede, ſi quid audiſti. genus inſtitutorum, & rationum mearum diſſimilitudinem nonnullam habet cum illius adminiſtratione prouinciae. ex eo quidam ſuſpicati fortaſſe ſunt, animorum contentione, non opinionum diſſenſione, me ab eo diſcrepare. nihil autem feci umquam, neque dixi, quod contra illius exiſtimationem eſſe uellem. poſt hoc negotium autem, & temeritatem noſtri Dolabellae, deprecatorem me pro illius periculo praebeo. Erat in eadē epiſtola ueternus ciuitatis. gaudebam ſane, & congelaſſe noſtrum amicū laetabar otio. Extrema pagella pupugit me tuo chirographo: quid ais? Caeſarem nunc defendit Curio? quis hoc putaret praeter me? nam, ita uiuam, putaui. dij immortales, quam ego riſum noſtrum deſidero. Mihi erat in animo, quoniam iuriſdictionem confeceram; ciuitates locupletaram; publicanis etiam ſuperioris luſtri reliqua ſine ſociorum ulla querella conſeruaram; priuatis, ſummis, infimis fue-*

*ram iucundus, proficiſci in Ciliciam nonis Maij, &, cum primum aeſtiua attigiſſem, militaremq. rem collocaſſem, decedere ex* S. C. *cupio te aedilem uidere: miroq. deſiderio me urbs afficit, et omnes mei, tuq. in primis. Vale.*

## EXPLANATIO

FORTASSE *enim non perferuntur,* } obtinuiſſe conſuetudinem, ut Fortaſſe, potius quam Fortaſsis, diceretur; quia ſcilicet Fortaſsis abſurdum auribus uidebatur; auctor eſt Cariſius. cuius teſtimonio permotus, legendum arbitror, Fortaſſe, non Fortaſsis, in ep. 3. lib. I. ad Q. Fr. cum praeſertim in meo quoque uetere libro ſcriptum uideam, Fortaſſe. VEL. QVAS *proxime acceperam,* } Vel, hic non diſtinguit, ut alibi; ſed praecipuum quiddam notat; ut ep. 24. lib. VII. Amoris tui, quoquo me uerti, ueſtigia: uel proxime de Tigelio. Et Terentius in Hec. Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi. ET *officij, & conſilij.* } officij, quia retulerat ad Ciceronem de Tullia Dolabellae collocanda: conſilij, quia ſcripſerat Coelius his uerbis: Vnum illud monere te poſſum; ſi res tibi non diſplicebit, tamen hoc tempore nihil de tua uoluntate oſtendas; & exſpectes, quemadmodum exeat ex hac cauſſa: ne qua inuidioſum tibi ſit, ſi emanarit. ep. 9. lib. IIX. PRVDENTIBVS, } eadem ſententia ep. II. lib. VI. Quae facimus, inquit, ea prudentiſsimo cuique maxime probata eſſe uolumus. VALDE *diligo; meq. ab eo diligi ſenſi.* } eadem ſententia in epiſtolae fragmento ad Panſam, apud Nonium: De Antiocho feciſti humaniter: quem quidem ego ſemper dilexi, meq. ab eo diligi ſenſi. SIMVLTATEM } ſuſceptam ex eo, quod frater eius P. Clodius capitali odio a Cicerone diſsideret. DEPOSVIMVS, } auctore Pompeio, cuius filio Appij filia nupſerat. id ex Quinctiliani lectione cognouimus, qui recitat haec uerba Ciceronis ex libro epiſtolarum incerto ad M. Brutum: Ego cum in gratiam redierim cum Ap. Claudio, & redierim per Cn. Pompeium. CONSVL } conſulatum geſsit cum L. Domitio Ahenobarbo. STVDIORVM } optime ſe animatum oſtendit erga ſtudia mea. QVONIAM } coniungit hic potius, quam cauſſam exponit: quo item officio, Nam, interdum fungitur. Κωμικὸς μάρτυς *accidit Phania.* } libertus Appii Phania, praeter ceteros, mea in Appium officia cognouit, ut comicus teſtis ea, quibus in comoedia lites, diſcordiaeq. tolluntur. Accidit autem, quia caſu quodam in comoediis fieri uidetur, ut aliquis, praeter exſpectationem, adueniens, inuolutam rerum notitiam explicet, patefactaq. ueritate ſedet omnes turbas. De hoc liberto ep. I. lib. VI. IAM } praeterea, ut alibi ſaepiſsime. POMPEII } qui Appii filiae ſocer fuit. ep. 4. & 10. lib. III. HONORIBVS, } conſulatum geſſerat, Ciliciae praefuerat, augur erat. LIBERIS, } tres filias habuit, ut in ep. 4. 8. 10. lib. III. licet conijcere. mares, ut puto, non genuit, ſed adoptauit C. Clodij, fratris ſui, filios duos, qui ambo Appij Claudij, maior, & minor, appellabantur. minor nominatur in ep. 7. lib. IIX. quo loco uide quae diximus. PROPINQVIS, } cognatos ſignificari, manifeſtum eſt; cum ſequatur, Affinibus; ut in oratione pro Plancio: Cum illo maximis uinculis & propinquitatis, & affinitatis coniunctus. Et Caeſar lib. 2. Bel. Gall. Propinquitatibus, affinitatibusq. coniuncti. Quibus ex locis, differre Affinitatem a Propinquitate, conſtat. Rurſus affinitatem uideo propinquitatis nomine interdum appellari, ut in oratione pro Quinctio: Si pietate propinquitas colitur; qui affinem prodit, impius ſit, neceſſe eſt. Et alibi. AFFINIBVS, } qui nuptiarum iure coniunguntur. Significat tres Appij generos, Cornelium Lentulum, M. Iunium Brutum, Cn. Pompeij filium, de quibus ep. 4. 8. 10. lib. III. COLLEGAM } in auguratu. ep. 4. 10. lib. III. COLLEGII *laude,* } cum ſcripſit Appius de iure augurali: quos libros ad Ciceronem miſit. itaque hic ſubiungit, Studioſum mei. uide ep. 9. & XI. lib. 3. QVOD *mihi ſignificabant* } contemnendum non putaui meorum omnium librorum conſenſum; & quod antea pro, Mihi, Nonnihil legebatur, commenticium duxi; cum praeſertim Mediceus quoque liber, non ille quidem hoc in loco plane ſit emendatus, ſed ita prope tamen ad ueritatem accedat, ut emendari uel minimo negotio poſsit. habet enim, Quod nihil ſignificabant: in quo mei omnes planiſsime: Quod mihi ſignificabant. Miror autem eos, qui Florentiae hos epiſtolarum libros nuper ediderunt, non modo Medicei libri, cui ſe tantum tribuere profitentur, auctoritatem neglexiſſe, (nam in illo, ut dixi, eſt, Quod nihil ſignificabant) uerum etiam, contra ueteres omnes libros, imprimi uoluiſſe, Non nihil, nulla in Scholijs mentione facta. certe enim aliqua ratione probari oportuit, quod ab antiquis libris, uel ſaltem, (omitto alios, quos ipſi contemnunt) quod a Mediceo diſcreparet: cum praeſertim, ſi uerbum, Subdubitare, perpenderent, intelligere potuerint, Non nihil, otioſum eſſe, minimeq. neceſſarium: nam adiuncta uerbo particula, Sub, non nihil oſtendit. SVBDVBITARE, } uide ep. 9. lib. IIX. INSTITVTORVM, } in adminiſtranda prouincia, cui anno proximo praefuerat Appius. DISSIMILITVDINEM } hac de re ſic ad Appium ipſum ſcribit ep. 8. lib. III. Si quem mea inſtituta in prouincia non delectant; & quadam diſsimilitudine inſtitutorum meorum, ac tuorum laedi ſe putat; cum uterque noſtrum recte fecerit, ſed non idem uterque ſecutus ſit: hunc ego amicum habere non curo. liberalitas tua, ut hominis nobiliſsimi, latius in prouincia patuit: noſtra ſi anguſtior, & ſi de tua prolixa, beneficaq. natura limauit aliquid poſterior annus, propter quandam triſtitiam temporum; non debent mirari homines, cum & natura ſemper ad largiendum ex alieno fuerim reſtrictior, & temporibus, quibus alij mouentur, iiſdem ego mouear, me eſſe acerbum ſibi, ut ſim dulcis mihi. Ad Atticum autem ep. I. lib. VI. Nihil a me fit cum ulla Appij contumelia. tantummodo diſsimilitudo meae rationis offendit hominem. quid enim poteſt eſſe tam diſsimile, quam, illo imperante,

exhauſtam

exhauſtam eſſe ſumptibus,& iacturis prouinciam,nobis obtinentibus eam, nummum nullum eſſe erogatũ: nec priuatim,nec publice.quid dicam de illius praefectis,comitibus,legatis? quid etiam de rapinis, de libidinibus, de contumelijs? &c. POST *hoc negotium*} an hoc dicit? excepta prouinciae adminiſtratione,in qua non ſequor illius inſtituta, excepta etiam, de qua ad me ſcripſiſti, accuſatione Dolabellae, in qua nullam animi mei alterutram in partem ſignificationem fieri uolo, ceteris in rebus pro Appij periculo deprecabar. Haec mihi non placet interpretatio. nam cum dicat, Deprecatorem me pro illius periculo praebeo, non de futuro, ſed de praeſenti loquitur Appij periculo. quod cum ita ſit; alia requiritur explanatio, haec ſcilicet: Antea nihil umquam feci,nihil dixi contra Appij exiſtimationem:poſtquam autem eo temeritatis progreſſus eſt Dolabella noſter,ut ei negotiũ faceſſat,deprecatorẽ me pro illius periculo praebeo.non enim tã impiũ,aut ſceleratũ Ciceronẽ fuiſſe credibile eſt,ut deeſſe Appio in tãto periculo uoluerit,cũ ad ipſum Appiũ ep.10.lib.III.ita ſcripſerit: Conteſtans omnes deos,promitto,atque cõfirmo, me pro tua dignitate(malo enim dicere, quam pro ſalute)in hac prouincia,cui tu praefuiſti,rogando,deprecatoris;laborando,propinqui;auctoritate,cari hominis,ut ſpero,apud ciuitates; grauitate, imperatoris ſuſcepturũ officia, atque partes. omnia uolo a me & poſtules, & exſpectes. uincam meis officijs cogitationes tuas. NOSTRI } nondum generi, ſed amici: cuius ſalutem duobus capitis periculis Cicero defenderat: quod ſcripſit ad Appium ep.10.lib.III.& XI.lib.VI. VETERNVS *ciuitatis.*} ſcripſerat Coelius hoc modo: Niſi ego cum aquarijs, & tabernarijs pugnarem, ueternus ciuitatem occupaſſet. GAVDEBAM} quieto reip. ſtatu; de quo timueram, creato tribuno pl. Curione, cuius ingenium noueram. CONGELASSE} Coelij uerba ſunt ep.9. lib. IIX. Curioni noſtro tribunatus conglaciat. NOSTRVM *amicum*} Curionem; qui ne nimium caleret, extimueram. EXTREMA *pagella*} unica igitur pagina totam Coelij epiſtolam, quae libro octauo nona legitur, cõprehendebat. ex quo patet, longiores, aut breuiores paginas fuiſſe. nam illa Coelij epiſtola ſatis longa eſt:breuis autem, quam ſcripſit Cicero lib. XI. hoc initio, Exſpectanti mihi. quae tamen una pagina non continebatur: cum in extrema ſcripſerit Cicero: Altera iam pagella procedit. PVPVGIT *me*} commouit me. ſic ad Att.ep.16. lib.2. Ita me pupugit, ut mihi ſomnum ademerit. CHIROGRAPHO?} cum in reliqua epiſtola amanuenſis opera uſus eſſet. PRAETER *me.*} qui de Curione, & ob leuitatem,& ob aes alienum hoc facile putaui. RISVM *noſtrum*} ridebat Cicero cum familiaribus hominum ſtultitias. ep. 12. IVRISDICTIONEM} forum egerat Laodiceae ex idibus Febr. ad Kal. Mai. omnium dioeceſium, praeter Ciliciae. poſtquam in Ciliciam profectus eſt. infra,& 2.& 4. lib. VI. ad Att. LOCVPLETARAM;} qua ratione ciuitates locupletauerit, oſtendit his uerbis ep.2. lib.VI. ad Att. Mira erant in ciuitatibus ipſorum furta Graecorum, quae magiſtratus ſui fecerant. quaeſiui ipſe de ijs, qui annis decem proximis magiſtratum geſſerant. aperte fatebantur. itaque ſine ulla ignominia ſuis humeris pecunias populis retulerunt. SVPERIORIS *luſtri*} prouinciales homines uectigalia publicanis debebant ſuperioris etiam luſtri: quae ut libenter ſoluerent, Ciceronis opera, & auctoritate factum eſt. qua de re ſic in eadem ad Att. epiſtola: Populi, nullo gemitu, publicanis, quibus hoc ipſo luſtro nihil ſoluerant, etiam ſuperioris luſtri reddiderunt. itaque publicanis in oculis ſumus. uectigalia uero quincto quoque anno, quod luſtrum uocabatur, perſolui ſolita, demonſtrant Varro, & Feſtus. Mirum, quam hic libri antiqui omnes, nullo prorſus excepto, in mendo conſentiant: habent enim pro, Confeceram, Conferam: pro, Locupletaram, Locupletarin: pro, Superioris, Superioribus: pro, Conſeruaram, Conſeruata in. SINE *ulla querella*} Nullo gemitu, ſcripſit ad Att. PRIVATIS, *ſummis, infimis*} ne quis putet hominum tria genera ſignificari, nam priuati ſunt infimi, & ſummi. medios omiſit Cicero,quia ſummis, & infimis includuntur. non omiſit autẽ in prima Philippica, in qua dixit: Cum a ſummis, medijs, infimis, cum denique ab uniuerſis hoc idem fit. Et in XIII. Omnes te dij, homines, ſummi, medij, infimi, oderunt. IN *Ciliciam*} ut ibi reliquam iuriſdictionem abſolueret. MILITAREMQ. *rem collocaſſem,*} erat enim praeſidium relinquendum, ſi quid Parthi conarentur. Mediceus liber, & mei quattuor, Militaremq. collocarem. corrupte. duo mei, Militaremq. rem collocaſſem: ſincere. unus, Militaremq. cum collocaſſem: minus mendoſe, nec tamen recte. EX S.C.} decreuerat enim ſenatus,ut, anno confecto, decederet.ep.5.lib.VI. ad Att. Eſſe officium meum putaui exercitum habere quamproxime hoſtem, quoad mihi praeeſſe prouinciae per S.C. liceret. Nec dubito, quin ſenatus id decreuerit, M. Marcello conſule referente; ad quem haec ſcripſit ep.7.lib.XV. Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & S.C. & lege finiſti. TE *aedilem uidere:*} ut praeſens honore tuo fruar. MIRO *deſiderio me urbs afficit,*} Mirum me deſiderium tenet urbis,ep.XI. Si non eſſem tam diu in deſiderio rerum mihi cariſsimarum, ep.12.

---

# Argumentum ep.14.

*COmmendat Fabium a quinquo rebus, probitate, doctrina, ingenio, modeſtia, amicitia ſua. De rebus Romanis litteras exſpectat. Eodem anno.*

## *Cicero imp. S. D. Coelio aedili cur.* 14.

MARCO *Fabio, uiro optimo, & homine doctiſſimo, familiariſſime utor; mirificeq. eum diligo, cum propter ſummum eius ingenium, ſumamq. doctrinam, tum propter ſingularem modeſtiam. eius negotium ſic uelim ſuſcipias, ut ſi eſſet res mea. noui ego uos magnos patronos. hominem occidat, oportet, qui ueſtra opera uti uelit. ſed in hoc homine nullam accipio excuſationem. omnia relinques, ſi me amabis, cum tua opera Fabius uti uolet. Ego res Romanas uehementer exſpecto, & deſidero: in primiſque, quid agas, ſcire cupio: nam iamdiu propter hiemis magnitudinem nihil noui ad nos afferebatur. Vale.*

## EXPLANATIO

VIRO *optimo, & homine doctiſſimo,*} coniungit bonitatem, & doctinam: quia nec imperita bonitas, nec improba doctrina laudatur. VOS *magnos patronos.*} iocatur cum laude Coelij, ut ep. XI. cum dixit, Iſta ueſtra oratoria. VESTRA *opera*} Solent enim magni patroni graues tantum cauſſas recipere. RES *Romanas*} ἔμφασις eſt in uerbo, Romanas. ſic ad Att. ep. 17. lib. IV. Ad quid laboramus res Romanas? Et ep. 8. lib. VI. Velim diſpicias res Romanas. Et alio loco: Iam exclames neceſſe eſt, res Romanas diutius ſtare non poſſe.

---

# Argumentum ep. 15.

*SI quis Coelij tres epiſtolas legerit, quibus Cicero reſpondet, undecimam, tertiamdecimam, decimam ſeptimam libri octaui; is magnopere noſtram interpretationem non deſiderabit. Epiſtolae capita ſunt haec, de ſupplicationibus ſuis, de filiae, & Dolabellae nuptijs, de ſua ſollicitudine ob ciuiles diſcordias, de rationibus, quibus adductus C. Coelium, quaeſtorem ſuum, prouinciae praepoſuerit; de Ser. Ocella in adulterijs deprehenſo, de rebus ab aedili Coelio geſtis, de ſuo ad urbem reditu. Tota negotialis epiſtola: reſpondet enim ad ea, quae Coelij litterae ſignificauerant. nam rationes de quaeſtore prouinciae praepoſito, quis non uidet ad negotiale genus pertinere?*

## *Cicero imp. S. D. Coelio aedili cur.* 15.

NON *potuit accuratius agi, neque prudentius, quam actum eſt a te cum Curione de ſupplicatione. & mehercule confecta res eſt ex mea ſententia, cum celeritate, tum quod is, qui erat iratus, competitor tuus, & idem meus, aſſenſus eſt ei, qui ornauit res noſtras diuinis laudibus. quare ſcito me ſperare ea, quae ſequuntur: ad quae tu te para. Dolabellam a te gaudeo primum laudari, deinde etiam amari. nam ea, quae ſperas Tulliae meae prudentia temperari poſſe, ſcio cui tuae epiſtolae reſpondeant. quid, ſi meam legas; quam ego tum ex tuis litteris miſi ad Appium? ſed quid agas? ſic uiuitur. quod actum eſt, dij approbent. ſpero fore iucundum generum nobis. multum in eo tua nos humanitas adiuuabit. Reſp. me ualde ſollicitat. faueo Curioni: Caeſarem honeſtum eſſe cupio: pro Pompeio emori poſſum. ſed tamen ipſa rep. nihil mihi eſt carius: in qua tu non ualde te iactas: diſtrictus enim mihi uideris eſſe, quod et bonus ciuis, et bonus amicus es. Ego, de prouincia decedens, quaeſtorem Coelium praepoſui prouinciae. puerum, inquies? at quaeſtorem, at nobilem adoleſcentem, at omnium fere exemplo. neque erat ſuperiore honore uſus, quem praeficerem. Pontinius multo ante diſceſſerat. a Q. fratre impetrari non poterat; quem tamen ſi reliquiſſem; dicerent iniqui, non me plane poſt annum, ut ſenatus uoluiſſet, ex prouincia deceſſiſſe, quoniam alterum me reliquiſſem. fortaſſe & illud adderēt, ſenatum eos uoluiſſe prouincijs praeeſſe, qui antea nō praefuiſſent: fratrem meum triennium Aſiae praefuiſſe. denique nunc ſollicitus non ſum: ſi fratrem reliquiſſem, omnia timerem. poſtremo, non tam mea ſponte, quam potentiſſimorum duorum exemplo; qui omnes Caſſios, Antoniosq. complexi ſunt. hominem adoleſcentem non tam allicere uolui, quam alienare nolui. hoc tu meum conſilium laudes neceſſe eſt: mutari enim non poteſt. De Ocella parum plane ad me ſcripſeras; & in actis non erat. Tuae res geſtae ita notae ſunt, ut trans montem Taurum etiam de Matrinio ſit auditum. Ego, niſi quid me Eteſiae morabuntur, celeriter, ut ſpero, uos uidebo. Vale.*

EXPLA-

# EXPLANATIO

PRVDENTIVS,} quia ſcripſerat Coelius ep. xi. lib. iix. Deſcendimus ad pactionem. quod optimum in re difficili Curionis, & Coelij conſilium fuit. De *ſupplicatione.*} mihi confecta, quinque dierum, ut opinor. nam ordinaria, quae conſularibus decernebatur, longior non fuit. quod ex Liuii loco docemur. is enim lib. xlv. de ſupplicatione Paullo Aemilio ob Macedonicam uictoriam decreta, ſic inquit: Supplicatio pro concione populi indicta eſt ex ante diem v. Id. Oct. cum eo die in quinque dies. Extra ordinem Pompeio duplicata eſt, confecto Mithridatico bello, ut eſſet decem dierum, quae quinque fuerat. quamquam in oratione de prouincijs modo decem, modo duodecim legitur. ego tamen decem probo: ut conſularis duplicetur ſupplicatio: quam quinque dierum fuiſſe, exemplo Paulli, proxime recitato, cognoſcitur. nam C. Mario ſupplicationem decretam plurium dierum, quam Paullo, ideſt ſex fortaſſe, aut ſeptem, pauciorum, quam C. Pompeio, cui duplicata eſt ſupplicatio conſularis, quod ante contigerat nemini, declarat eadem oratio, & apte quadrat, ut, quemadmodum Pompeio quinque dies amplius, quam ceteris, item Caeſari quinque amplius, quam Pompeio, extra ordinem tribuantur, ut eſſent quindecim omnino: quod, praeter eandem orationem, oſtendit ipſe Caeſar lib. 2. bel. Gal. poſteaq. alijs rebus geſtis, eandem quinque dierum acceſsionem eſſe factam, decretaq. ſibi uiginti dierum ſupplicationem, idem ſcripſit lib. iv. ibidem. Supplicatio autem dicebatur cum populus uniuerſus ad omnia deorum templa, caeſis uictimis, de uictoria parta gratulabatur. quibus diebus nihil agere cum populo licebat: ut ep. 5. lib. 2. ad fratrem Cicero docet his uerbis: Conſul eſt egregius Lentulus: dies comitiales exemit omnes: nam etiam Latinae inſtaurantur: nec tamen ſupplicationes deerant. ſic legibus pernicioſiſsimis obſiſtitur. De gratulatione autem in ſupplicationibus ad omnium deorum aras facta, cum alibi, tum ep. 18. lib. xi. & ep. 5. lib. xv. & Philip. ult. ſic: Gratae uero noſtrae dijs immortalibus gratulationes erant, gratae uictimae, cum interfecta ſit ciuium multitudo. Et in eadem, in extremo: Praetor urbanus ſupplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria conſtituat. Atque hic honor adeptis uictoriam ciuibus, ſimul cum imperatoris nomine, a ſenatu decernebatur. ut ex eadem Philip. & Coelij epiſtola xi. lib. iix. & alijs praeterea locis plane cognoſcitur, A principio, uno tantum die ſupplicatum exiſtimo; poſtea numerum ambitione auctum. ante Camilli uictoriam de Veijs nemini quattuor dierum ſupplicatio decreta: ut ait Liuius lib. v. aliquot poſt annis Papirio, & Caruilio coſ. quia Samnites uiciſſent, item quattridui ſupplicatione publicum gaudium celebratum eſſe, idem lib. x. narrat. Senatus augendi, aut minuendi dierum numeri poteſtatem habuit: uideo enim, multis poſt annis Neroni, & Salinatori, in maiore, quam Camilli, aut Papirij, Caruilijq. uictoria, nempe ob Haſdrubalem, Hannibalis fratrem, cum exercitu caeſum, trium dumtaxat dierum ſupplicationem decretam. quod ab eodem lib. xxvii. proditum obſeruaui. Is,} Hirrus. IRATVS,} quia ſuperatus a Cicerone in petitione auguratus. EI,} M. Catoni. DIVINIS *laudibus.*} non decreuerat Cato ſupplicationem, locutus tamen erat honorifice de rebus ab eo geſtis. uide epiſtolam ipſius Catonis, & eam, qua Cicero reſpondet, lib. xv. QVAE *ſequuntur:*} triumphum ſignificat: qui plerisque poſt ſupplicationem dabatur. DOLABELLAM} de cuius affinitate gratulatus erat Coelius ep. 12. lib. iix. EA,} uitia quaedam Dolabellae, quibus illum ſibi antea parum utilem fuiſſe, & emendatum iri pudore Tulliae, ſcripſerat Coelius. CVI *tuae epiſtolae reſpondeant.*} cum qua congruant epiſtola tua. congruunt enim cum ea, qua reum a Dolabella factum eſſe Appium ſignificaueras. hoc igitur uideris dicere, moderatiorem in poſterum fore. Reſpondere, ualet, hic, conſentire, conuenire. ſimilitudinem enim ſignificat. Ep. 5. Non quo uerear, ne tua uirtus opinioni hominum non reſpondeat. De Vniuerſitate: Dextra dextris reſpondent. Lib. iii. de Fin. Quid poſterius priori non conuenit? quid ſequitur, quod non reſpondeat ſuperiori: In Oratore: Forenſibus noſtris rebus etiam domeſticae litterae reſpondebunt. Virgilius Aen. lib. i. Dictis reſpondent cetera matris. Quae ſignificatio cum & his, & alijs exemplis notiſsima ſit, fugit eos tamen, qui legendum putant, Reſpondeam: errore puerili: quo enim referetur, Ea? quod ad, Reſpondeant, ſpectare, niſi qui prorſus in litteris caeci ſint, omnes uident. eſt autem ordo. Scio, cui tuae epiſtolae reſpondeant ea, quae ſcribis Tulliae meae prudentia temperari poſſe. ut dandi caſu, Tuae epiſtolae, dictum ſit, non nominandi, ut acceperunt ij, qui elegantiſsimum loquendi genus non agnouerunt: unde temeritas, mutandiq. libido nata eſt. EX TVIS *litteris*} in quibus Dolabellae ſermonem perſcripſerat, de Tulliae nuptijs, & Ciceronis affinitate gloriantis. de quo ſic ep. 10. lib. iii. Cuius ſermo puerilis erat iam antea ad me a M. Coelio, familiari noſtro, perſcriptus. Hae Coelij litterae non exſtant. MISSI *ad Appium*?} ſignificat epiſtolam 10. lib. iii. SIC *uiuitur.*} ſi uitae conſuetudo poſtulat. QVOD *actum eſt, dij approbent.*} ep. 12. lib. iii. Ego uero uelim mihi, Tulliolaeq. meae, ſicut tu amiciſsime, & ſuauiſsime optas, proſpere euenire ea, quae, me inſciente, facta ſunt a meis. TVA *humanitas*} quae tua eſt humanitas, bonum, & iucundum generum mihi praeſtabis. RESP.} perturbata contentionibus ciuium: cum ex Gallia reuocari Caeſarem optimates cuperent, contra quam lege Trebonia conceſſum fuerat; tribuni uero pl. maximeq. Curio nihil contra Caeſaris exiſtimationem decerni pateretur. ep. 11. & 12. lib. iix. FAVEO *Curioni:*} quem a puero dilexerat. ep. 1. CAESAREM} cuius in Gallia legatus fuerat Q. Cicero: & ſummam erga ſe, fratremq. ſuum liberalitatem extollit. Cicero ep. 9. lib. i. HONESTVM *eſſe*} ne honor eius imminuatur. imminuitur autem, ſi, ante datum, lege, tempus, ex prouincia reuocatur.

catur. Emori *poſſum*.} cuius in primis opera ſum ab exſulio reſtitutus. ſic ep. 2. ad Att. lib. vii. Pro Pompeio libenter emori poſſum, facio pluris omnium hominum neminem. Non *ualde te iactas*:} nondum Coelius ad Caeſaris cauſſam propendebat. Bonvs *ciuis*,} faues enim optimatibus, & ſenatui; quia Caeſarianos homines diligis, maximeq. C. Curionem, & M. Antonium. Scripſerat enim Coelius epiſt. 14. lib. iix. Mearum rerum quid conſilij capiam, non reperio. nam mihi cum hominibus his & gratia, & neceſsitudo eſt. tum, cauſſam illam, non homines, odi. Coelivm} C. Coelium, ad quem ſcribit epiſtolam ultimam huius libri. Praepos vi} ut, praeter quaeſtoriam poteſtatem, auctoritate, atque imperio proconſulis uteretur. quo modo enim ſine imperio, ſi res ferret, bellum gerere potuiſſet? ideo P. Sextius proconſul uocatur ep. 6. lib. v. qui tamen quaeſtor in prouinciam profectus erat. Nec aduerſatur illud ep. 7. lib. vii. ad Att. Senatum bonum putas, per quem ſine imperio prouinciae ſunt? Nam, ſignificat eos, quos ſenatus, populusq. cum imperio mittere conſueſſet. praeerant enim quaeſtores, aut legati, a decedentibus proconſulibus relicti. Pvervm,} ſic ep. 6. lib. vi. ad Att. Prouinciae praefecimus Coelium. puerum, inquies, & fortaſſe fatuum, & non grauem, & non continentem. aſſentior. fieri non potuit aliter: nam, praeter fratrem, nemo erat, quem ſine contumelia quaeſtori nobili praeſertim, anteferrem. Nobilem} non ſua, ſed maiorum uirtute. adhuc enim erat adoleſcens. nobiles autem non patricij tantum, ſed plebeij etiam homines appellabantur. honoribus enim qui aliqua uirtute excelleret, Romae nemo excludebatur. Omnivm *fere exemplo*.} plerique enim, de prouincia decedentes, praeponere quaeſtorem ſolebant. ep. 18. Legebatur olim in uulgatis omnibus libris, Exemplum: nos ex antiquis, & more Latini ſermonis, & ex ipſa quoque ſententia, primi repoſuimus, Exemplo. Pontinivs} qui legatus fuerat Ciceronis, & Coelium honore ſuperabat, non quod legatus, ſed quod praeturam geſſerat, atque etiam de Allobrogibus triumphauerat. praeturam Cicero, Salluſtius, Epitome Liuiana, triumphum Dio nominat. A. Q. fratre} legato, qui & ipſe praetorius erat, Aſiamq. per triennium rexerat. Quattuor legatos habuit Cicero in prouincia, fratrem, Cn. Pontinium, M. Anneium, L. Tulleium: quos nominat ep. 4. lib. xv. Vt *ſenatus uoluiſſet*,} factus S. C. de quo ep. 7. & 13. huius libri, & vii. lib. xv. & ad Att. ep. 6. lib. vi. Videbam ſermones, Hui fratrem reliquit? num eſt hoc, non plus annum obtinere prouinciam? quid, quod ſenatus eos uoluit praeeſſe prouincijs, qui non praefuiſſent? at hic triennium. Qvoniam *alterum me reliquiſſem*.} Nonius: Fratrum proprietatem Nigidius acutiſsime dixit: Frater eſt, inquit, dictus, quaſi fere alter. Senatvm *eos uoluiſſe prouinciae praeeſſe*,} ſenatus hoc decreuerat eo S. C. quod Coelius ad Ciceronem miſit cum ep. 7. lib. iix. Dvorvm} Pompeij, & Caeſaris: de quibus epiſt. 6. lib. vi. ad Att. Pompeius, eo robore uir, ijs radicibus, Q. Caſsium ſine ſorte delegit, Caeſar Antonium: ego ſorte datum offenderem? aut etiam inquirerem in eum, quem reliquiſſem? hoc melius, & huius rei plura exempla. Omnes *Caſſios, Antoniosq. complexi ſunt*.} eius enim honoris cauſſa, quem Pompeius in Q. Caſſium, Caeſar in M. Antonium contulit, ab uniuerſa gente Caſsia gratiam inierunt. Hominem *adoleſcentem*} pro, adoleſcentem, ut lib. 1. de Orat. Neque haec in eam diſputo ſententiam, ut homines adoleſcentes a dicendi ſtudio deterream. Alienare *nolui*.} eſſet enim ignominia, ſi quem ei anteferrem. ep. 18. De Ocella} de Ser. Ocella, triduo bis in adulterijs deprehenſo. Ocellas, ab oculorum paruitate nominatos, Plinius ſignificat lib. xi. cap. 37. Parvm *plane*} quia Coelius, ubi deprehenſus eſſet Ocella, ſignificare noluerat. uide ep. 10. lib. iix. In actis} quibus urbanae res ſingulorum dierum ſcribebantur. Tacitus lib. iii. Matrem Antoniam, non apud auctores rerum, non diurna actorum ſcriptura reperio, ullo inſigni officio functam. Trans *montem Taurum*} ubi erat Cicero, cum de Matrinio cognouit. De *Matrinio*} Matrinium, ſcribam aedilicium, nominat in oratione pro Cluentio. uidetur Coelius aedilis curulis aliquid aduerſus eum, uel etiam pro eo, reip. aut amicitiae cauſſa feciſſe. Sit avditvm.} non igitur Coelius id ſcripſerat. Etesiae} uenti a Septemtrione ad Occidentem, inde in Orientem flantes, ut lib. 2. Met. docet Ariſtoteles: itaque curſum Ciceronis impediebant, in Italiam ex Graecia nauigantis. Flare incipiunt vi. id. Iul. diebus octo ante caniculae ortum, ut ait Columella, nec deſinunt niſi poſt dies xl. auctore Plinio. Gignuntur, ut eodem libro docet Ariſtoteles, humorem diſſoluente Sole in Septemtrionis regione collectum. ep. 25. lib. xii. & ep. xi. lib. xv. & ad Att. lib. vi. ep. 7. & 8. Celeriter,} iam enim de prouincia deceſſerat: quod paullo ante dixit.

## Argumentum ep. 16.

*Tribus annis epiſtolae Ciceronis ad Coelium datae ſunt: prima, ſecunda, tertia, M. Marcello, Ser. Sulpicio cos. quarta, quincta, ſexta, ſeptima, octaua, L. Paullo, C. Marcello cos. nona, L. Lentulo, C. Marcello cos. Haec ultima reſpondet ijs litteris, quibus eum Coelius obſecrauerat, ne ſe cum Pompeio coniungeret, ſed in opidum aliquod bello uacuum recede-*

*ret, donec armis ciuilis contentio dijudicaretur. earum litterarum initium eſt, Exanimatus ſum tuis litteris, lib. IIX. Magnum, inquit Cicero, dolorem ex litteris tuis accepiſſem, niſi diuturna mihi rerum deſperatio paene omnem iam doloris ſenſum ademiſſet. Nec uero conſilium meum hoc fuit, ut pro Pompeio contra Caeſarem pugnarem, ſed ut in aliquas fortaſſe ſolitudines diſcederem. nihil enim ciuilibus armis odioſius. Caeſaris ira non me mouet, cum eadem omnibus calamitas impendere uideatur. Filius meus, cuius cauſſa uis me mihi carum eſſe, ac de mea calamitate laborare, ſi erit aliqua reſp. ſuſtentabitur memoria nominis mei; ſi nulla, cum reliquis ciuibus concidet. De genero meo Dolabella, noli dubitare, quin eam, quam debeo, curam ſuſtineam. Hiſpanienſis belli exitum non exſpecto: quorſum enim? aut mihi, incolumi ciuitate, locus erit: aut, perdita, quod reliquum eſt uitae, in ſolitudine traducere deliberatum eſt. Verum haec fortaſſe meliorem exitum habebunt. Tu tamen, ubicumque ero, me, liberosq. meos, ut noſtra poſtulat amicitia, diliges, ac tuebere. Negotialis eſt epiſtola, quia de itione ad Pompeium diſſerit, quod Coelius diſſuaſerat. C. Marcello, L. Lentulo cos.*

## *Cicero imp. S. D. Coelio aedili cur.* 16.

*MAGNO dolore me affeciſſent tuae litterae, niſi iam & ratio ipſa depuliſſet omnes moleſtias, & diuturna deſperatione rerum obduruiſſet animus ad dolorem nouum. ſed tamen, quare acciderit, ut ex meis ſuperioribus litteris id ſuſpicarere, quod ſcribis, neſcio. quid enim fuit in illis, praeter querellam temporum, quae non animum meum magis ſollicitum haberent, quam tuum? nam non eam cognoui aciem ingenij tui; quod ipſe uideam, te id ut non putem uidere. illud miror, adduci potuiſſe te, qui me penitus noſſe deberes, ut me exiſtimares aut tam improuidum, qui ab excitata fortuna ad inclinatam, & prope iacentem deſciſcerem; aut tam inconſtantem, ut collectam gratiam florentiſſimi hominis effunderem, a meq. ipſe deficerem, &, quod initio, ſemperq. fugi, ciuili bello intereſſem. Quod eſt igitur meum triſte conſilium? ut diſcederem fortaſſe in aliquas ſolitudines. noſti enim non modo ſtomachi mei, cuius tu ſimilem quondam habebas, ſed etiam oculorum in hominum inſolētium indignitate faſtidium. Accedit etiam moleſta haec pompa lictorum meorum, nomenq. imperij, quo appellor. eo ſi onere carerem, quamuis paruis Italiae latebris contentus eſſem. ſed incurrit haec noſtra laurus non ſolum in oculos, ſed iam etiam in uoculas maleuolorum. quod cum ita eſſet; nihil tamen umquam de profectione, niſi uobis approbātibus, cogitaui. ſed mea praediola tibi nota ſunt: in his mihi neceſſe eſt eſſe, ne amicis moleſtus ſim. Quod autem in maritimis facillime ſum, moueo non nullis ſuſpicionem, uelle me nauigare. quod tamen fortaſſe non nollem, ſi poſſem ad otium. nam, ad bellum quidem, qui conuenit? praeſertim contra eum, cui ſpero me ſatisfeciſſe; ab eo, cui tamen ſatisfieri nullo modo poteſt. Deinde ſententiam meam tu facillime perſpicere potuiſti iam ab illo tempore, cum in Cumanum mihi obuiamueniſti: non enim te celaui. ſed non ne tum prouidiſti, quam abhorrerem ab urbe relinquenda? quod cum audiſſem; non ne tibi affirmaui, quiduis me potius perpeſſurum, quam ex Italia ad bellum ciuile exiturum? quid ergo accidit, cur conſilium mutarem? non ne omnia potius, ut in ſententia permanerem? credas hoc mihi uelim, quod puto te exiſtimare, ex his miſerijs nihil aliud me quaerere, niſi ut homines aliquando intelligant, me nihil maluiſſe, quam pacem; ea deſperata, nihil tam fugiſſe, quam arma ciuilia. huius me conſtantiae puto fore ut numquam paeniteat. etenim memini in hoc genere gloriari ſolitum eſſe familiarem noſtrum Q. Hortenſium, quod numquam bello ciuili interfuiſſet. hoc noſtra laus erit illuſtrior, quod illi tribuebatur ignauiae; de nobis id exiſtimari poſſe non arbitror. Nec me iſta terrent, quae mihi a te ad timorem fidiſſime, atque amantiſſime proponuntur. nulla eſt enim acerbitas, quae non omnibus, hac orbis terrarum perturbatione, impendere uideatur: quam quidem ego a rep. meis priuatis, & domeſticis incommodis libentiſſime uel iſtis ipſis, quae tu me mones ut caueam, redemiſſem. Filio meo, quem tibi carum eſſe gaudeo, ſi erit ulla reſp. ſatis amplum patrimonium relinquam, memoriam nominis mei; ſin autem nulla erit, nihil accidet ei ſeparatim a reliquis ciuibus. Nam, quod rogas, ut reſpiciam generum meum, adoleſcentem optimum, mihiq. cariſſimum: an dubitas, cum ſcias quanti cum illum, tum uero Tulliam meam faciam, quin ea me cura uehementiſſime ſollicitet? & eo magis, quod in communibus miſerijs hac tantum oblectabar ſpecula, Dolabellam meum, uel potius noſtrum, fore ab*

ij; mo-

*ijs moleſtijs, quas liberalitate ſua contraxerat, liberum. uelim quaeras, quos ille dies ſuſtinuerit, in urbe dum fuit, quam acerbos ſibi, quam mihi ipſi ſocero non honeſtos. Itaque neque ego hunc Hiſpanienſem caſum exſpecto; de quo mihi exploratum eſt, ita eſſe, ut tu ſcribis: nec quidquam aſtute cogito. ſi quando erit ciuitas: erit profecto nobis locus: ſin autem non erit; in eaſdem ſolitudines tu ipſe, ut arbitror, uenies, in quibus nos conſediſſe audies. Sed ego fortaſſe uaticinor; & haec omnia meliores habebunt exitus. recordor enim deſperationes eorum, qui ſenes erant adoleſcente me. eos ego fortaſſe nunc imitor, & utor aetatis uitio. uelim, ita ſit: ſed tamen, togam praetextam texi Oppio, puto te audiſſe. nam Curtius noſter dibaphum cogitat: ſed eum infector moratur. Haec adſperſi, ut ſcires, me tamen in ſtomacho ſolere ridere. De Dolabella, quod ſcripſi, ſuadeo uideas, tamquam ſi res tua agatur. Extremum illud erit: nos nihil turbulenter, nihil temere faciemus. te tamen oramus, quibuſcumque erimus in terris, ut nos, liberosq. noſtros ita tueare, ut amicitia noſtra, & tua fides poſtulabit. Vale.*

## EXPLANATIO

MAGNO *dolore* } quia tota Coelij epiſtola ſcripta eſt miſerabiliter, praeſertim in eo loco: Si tibi tu, ſi filius unicus, ſi domus, ſi ſpes tuae reliquae tibi curae ſunt; ſi aliquid apud te nos, ſi uir optimus gener tuus ualet; &c. Et ad Att. ep. 7. lib. x. M. Coelij epiſtolam, ſcriptam miſerabiliter, quae hoc obſeruaret, ut exſpectarem, ne fortunas meas, ne unicum filium, ne meos omnes tam temere proderem, non ſine magno fletu legerunt pueri noſtri. RATIO *ipſa* } quae nihil dolendum oſtendit, quod abſit a culpa. DESPERATIONE *rerum* } cum iampridem de rep. deſperauerim. OBDVRVISSET } ſic, ut nouum dolorem non ſentiat. ep. 5. lib. IV. Qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet? ep. 2. lib. IX. Conſuetudo diuturna callum iam obduxit ſtomacho. Ad Att. ep. 18. lib. 2. De Statio manumiſſo, angor equidem, ſed iam prorſus occallui. Ad eundem ep. 2. lib. XIII. Sed iam ad iſta obduruimus, & humanitatem omnem exſuimus. EX MEIS *ſuperioribus litteris* } hae litterae non exſtant. QVERELLAM *temporum*, } accuſabam tempora: nihil tamen me triſte cogitare, quod tu ſcribis, oſtendebam. SOLLICITVM *haberent*, } ſollicitarent: ut ep. 3. lib. VII. Sollicitum te habebat cogitatio tum officij, tum etiam periculi mei. Eodem modo ep. ad Att. ult. lib. IX. & 1. lib. XVI. Mare infeſtum habere, pro infeſtare. quo modo etiam locutus eſt lib. III. de rep. apud Nonium. & Varro in libris Rerum humanarum: Multa, inquit, loca, infeſta habuerunt ſingulari latrocinio. Sollicitabant autem Ciceronem tempora, quia belli ciuilis, ideſt publicae calamitatis initia uidebat. AB EXCITATA *fortuna ad inclinatam*, } excitata Caeſaris, inclinatam Pompeij: cum Caeſar Italiam, eiecto Pompeio, teneret. tranſlata ſunt, Excitata, Inclinatam, iacentem. COLLECTAM *gratiam effunderem*: } alia tranſlatio, nec obſcura ſententia. FLORENTISSIMI *hominis* } Caeſaris, cuius ita proſpera fortuna erat, ut nihil ei deeſſe uideretur. A . MEQ. *ipſe deficerem*, } qui ſemper id egi, ne ciuili bello intereſſem. INITIO } belli ciuilis. MEVM *triſte conſilium?* } quod oſtenderat in litteris ad Coelium. VT . DISCEDEREM *fortaſſe* } non ut irem ad Pompeium; quod tu ſuſpicatus es; ſed ut diſcederem fortaſſe in aliquas ſolitudines; non modo ut abeſſem a bello, ſed etiam, ne quoſdam homines uiderem, quorum indignitatem faſtidiunt oculi mei. Notat quorundam Caeſarianorum inſolentiam, qui, Caeſare urbis potito, nimis arroganter ſe iactarent, bonosq. uiros, ideſt optimates, quorum in numero Cicero erat, contemnerent. QVONDAM } ſignificat illud tempus, quo Coelius contra ciues improbos pro rep. ſenſerat. nam, ut Cicero ſcripſit in Bruto, talis tribunus pl. fuerat, ut nemo contra ciuium perditorum popularem, turbulentamq. dementiam a ſenatu, & a bonorum ſtatu ſteterit conſtantius. OCVLORVM } nec ſtomachus, inquit, meus, nec oculi quosdam homines ferre poſſunt. itaque ſolitudinem fortaſſe cogitaui. INDIGNITATE } quod ab ijs, contra quam deceat, multa fiant. ſcripſerat Coelius: Si nonnullorum hominum inſolentiam, & iactationem ferre non potes; eligas, cenſeo, aliquod opidum uacuum a bello. ep. 2. lib. IX. Putarent me iccirco diſcedere, quod quoſdam homines oculi ferre non poſſent. POMPA *lictorum* } lictores habebant, quicunque erant cum imperio. Cicero autem e prouincia reuerſus, nondum in urbem introierat, ſpe triumphi: quod urbem ingredientibus deponendum erat imperium, niſi ſi triumphantes introirent: quo die tantum lex imperium in urbe dabat. habebat igitur ſecum lictores, eosq. cum faſcibus laureatis; & imperator uocabatur. quo fiebat, ut in ſolitudinem, & in latebras abdere ſe non poſſet. Pompam uocat, quia lictores cum laureatis faſcibus proconſuli praeibant. ONERE } quidam libri, Honore. placet, Onere: ut ad illud reſpondeat, Moleſta haec pompa; & cum ſtomacho dictum ſit: quod, qui ſpecie ſit honor, ei uere tali tempore ſit onus. IN . VOCVLAS } qui praeferri uident laureatos faſces, aliquid in nos contumelioſe dicunt: quaſi ſtulte cogitemus de triumpho, pulſo iam Italia Pompeio, quem ſecuti ſumus. DE *profectione*, } ad Pompeium, in Graeciam. iam enim mare tranſierat. VOBIS } te, & meis. MEA *praediola* } propinqua mari: de quibus uide ep. 14. & 28. lib. XIV. NECESSE *eſt* } non quia nauigationem cogitem, ſed ne amicis moleſtus hoſpitio ſim. ſic ep. 23. lib. VII. Libentius emerim diuerſorium Terracinae; ne ſemper hoſpiti moleſtus ſim. IN *maritimis* } in uillis, & opidis, ad mare ſitis. IN *maritimis facillime ſum*, } pro, libenter ſum: ut ep. 33. lib. XII. Ego hic uel ſine Sica (Tironi enim melius eſt) facillime poſſem eſſe, ut in malis. Et lib. 2. Off. Diſerti igitur hominis, & facile laborantis, quodq. in patrijs eſt moribus, multorum cauſſas & non grauate, & gratuito defendentis, beneficia & patrocinia late patent. NAVIGARE. } ad Pompeium. QVI *con-*

*uenit?*} mihi, qui ſemper pacis auctor fui. ep. 23. lib. VII. Martis ſignum quo mihi, pacis auctori? CONTRA *eum,*} Caeſarem. SATISFECISSE;} quod adhuc me cum Pompeio non coniunxerim, nec intereſſe bello uoluerim. NVLLO *modo*} licet ad Pompeium nauigem, non tamen ei plane ſatisfaciam: quia ſerius ad eum, quam uoluerat, iuerim. Reſpondet ad eam Coelij ſententiam: Denique illud cogita: quod offenſae fuerit, in iſta cunctatione te prius ſubijſſe. nunc te contra uictorem facere, quem dubijs rebus laedere noluiſti, & ad eos fugatos accedere, quos reſiſtentes ſequi nolueris, ſummae ſtultitiae eſt. MIHI *obuiam ueniſti:*} ad urbem ex prouinciam reuertenti. SED. NONNE *tum prouidiſti,*} emendaui (ſic enim arbitror) locum ex coniectura, adiuuante ueterum librorum uarietate: quorum habet unus meus, & alter, qui Leonici fuit, Sed ſermonem tuum prouidiſti: alius, Sed nomen tuum prouidiſti: Sigonij unus, Sermonem tuum prouidiſti: alter eiuſdem, Si nomen tuum prouidiſti: cum quo uideo conſentire ueterem item librum, quem praeſtans ingenio, & doctrina uir, mihiq. cariſsimus Pax Scala, ſumptum ab optimo, & in primis erudito Ottonello Diſcalcio, proximis diebus ad me attulit. Fuluij Vrſini, doctiſsimi uiri, unus, Sermonem tam pium audiſti. Mediceus & ipſe, ut arbitror, mendoſe, Sermonem Tampij uidiſti. cum quo uidetur conſenſiſſe liber Petri Pagani, in quo nunc, deraſa charta, legitur, Sermonem tam pium uidiſti. AB. VRBE *relinquenda?*} quod Pompeij conſilium Cicero numquam probauit. teſtes ad Atticum epiſtolae. OMNIA *potius,*} rebus omnibus a Pompeio, & ab ijs, qui, Pompeio duce freti, bellum ciuile cupierunt, peſsime geſtis. NIHIL *tam fugiſſe,*} quod oſtendit, ſero admodum ad Pompeium profectus, de quo ſic ad Marcellum ep. 7. lib. IV. Neque tu interfuiſti rebus gerendis; & ego id ſemper egi, ne intereſſem. Et ad Caecinam ep. 6. lib. VI. Suſceptum bellum eſt, quieſcente me; depulſum ex Italia, manente me, quoad potui. Q. HORTENSIVM,} Ciceronis aemulum in eloquentia. BELLO *ciuili*} Sullanis temporibus geſto. NON *arbitror.*} ob ea, quae fortiter in conſulatu geſsimus. ep. 2. lib. V. ſuam in conſulatu fortitudinem nominat. NEC *me iſta terrent,*} ſcripſerat Coelius: Si exiſtimas eandem rationem fore Caeſari in dimittendis aduerſarijs, & condicionibus ferendis, erras. nihil, niſi atrox, & ſaeuum, cogitat, atque etiam loquitur. MONES *ut caueam,*} Coelij uerba ſunt: Cogita, ne te, tuosq. omnes funditus euertas; ne te ſciens, prudensq. eo demittas, unde exitum uides nullum eſſe. REDEMISSEM.} a rep. in me ipſum tranſtuliſſem. redimit enim, qui aliquid in ſe recipit: & publicani, uectigalia ſuo periculo conducentes, redimere dicebantur. MEMORIAM *nominis mei;*} egregia ſententia, egregieq. dicta: Memoria nominis mei, ſi erit ulla reſp. ſatis amplum filio meo patrimonium futura eſt. In oratione pro domo: Liberis noſtris ſatis amplum patrimonium nominis noſtri, ac noſtrae memoriae relinquemus. Et lib. 2. de off. Optima hereditas a patribus traditur liberis, omniq. patrimonio praeſtantior, gloria uirtutis, rerumq. geſtarum. Sic & Iſocrates ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα, περὶ τῆς βασιλείαν: Περὶ πλείονος ποιοῦ, δόξαν καλὴν, ἢ πλοῦτον μέγαν τοῖς παισὶ καταλιπεῖν. ὁ μὲν γὰρ θνητὸς, ἡ δὲ ἀθάνατος. GENERVM *meum,*} P. Cornelium Dolabellam. ADOLESCENTEM *optimum,*} Coelius uirum optimum appellat ep. 12. lib. IIX. HAC. TANTVM} nonnulli ueteres libri, Tamen: quod ideo magis placet, quia uerbum, Oblectabar, quod in communibus miſerijs locum habere non uidetur, excuſat. SPECVLA,} unde nata? e communibus miſerijs, ideſt, e ciuili bello: quod aeris alieni moleſtia Dolabellam meum liberabit. quae mihi, in tantis malis, unica oblectatio eſt. Speculam uero potius, quam ſpem, uocat, non quia reuera exigua ſpes eſſet: (plane enim uidebat, cum iam Caeſar urbe Roma, uniuerſaq. Italia potitus eſſet, fore neminem, qui Dolabellam, Caeſaris amiciſsimum, de creditis pecunijs auderet appellare: itaque, quod ad Dolabellam attinet, ſpes illa ſumma erat) ſed quia, ſi cum publica calamitate conferretur, minimum quiddam eſſe uideretur. Sic Philip. X. Erat ei ſpecula in C. Antonio. Et Plautus in Perſa: Ecquid eſt mihi in te ſpeculae? Aduertit Priſcianus lib. III. In es producta deſinentia, feminina tertiae declinationis uel quinctae, abiecta, s, aſſumere cula, & facere deminutiua, & ſeruare e productam, ut dies, diecula, res, recula: & reliqua ſimilia, exceptis duobus, Merces, unde Mercedula, non Mercula; & Apes, unde Apicula, non Apecula. AB IIS *moleſtijs,*} ab aere alieno: cuius cauſſa, ut creari tribunus pl. poſſet, plebeius poſtea factus eſt, legemq. de tabulis nouis promulgauit. de quo queritur Cicero in ep. 23. lib. XI. ad Att. his uerbis: O dij, generum ne noſtrum potiſsimum, ut hoc, uel tabulas nouas? Dio etiam hoc aperte narrat lib. 42. LIBERALITATE. SVA} immoderatos generi ſumptus honeſto nomine Liberalitatem appellat. Miror hic nonnullis placere, Libertate, referentibus ad Appij accuſationē. quaſi uero Dolabella de Appio, eiusq. amicis, propinquis, affinib. ualde laboraret: aut illa propter Appiū Cicero ſubiungere debuerit: Velim quaeras, quos ille dies. &c. quis neſcit, uiros nobiles ab adoleſcentibus gloriae cupidis accuſari ſolitos eſſe, nec ideo tamen eorum inimicitias timori fuiſſe? QVAM *acerbos ſibi,*} cum ſatisfacere creditoribus non poſſet. HISPANIENSEM *caſum*} Hiſpanienſis belli exitum. Coelij uerba: Quod ſi totum tibi perſuadere non poſſum; ſaltem, dum, quid de Hiſpanijs agamus, ſcitur, exſpecta. quas tibi nuncio aduentu Caeſaris fore noſtras. ITA *eſſe, ut tu ſcribis:*} uenturas eſſe in Caeſaris poteſtatem. ASTVTE} aſtute agerem, ſi exitum Hiſpanienſis belli exſpectarem, ut ex eo uel manendi, uel diſcedendi conſilium caperem; manendi, ſi Caeſar uinceret; diſcedendi, ſi duriore fortuna idem uteretur. IN *eaſdem ſolitudines*} ſimulare Ciceronem ne putemus, quod, cum hic ſe ſolitudines cogitare oſtendat, ad Pompeium tamen paullo poſt nauigauerit. diu enim quid ageret, incertus conſilij fuit; cum ad Pompeij ſocietatem officium, ac pudor impelleret; ad manſionem autem non modo preces amicorum, ſed proprin quorum etiam lacrumae hortarentur. ad Att. lib. X. Melitam, opinor, capeſſemus, dum quod in Hiſpania: quod quidem propemodum uideor ex Caeſaris litteris, ipſius uoluntate, facere poſſe; qui negat, neque

honeſtius,

honeſtius, neque tutius mihi quidquam eſſe, quam ab omni contentione abeſſe. Dices, ubi ergo ille tuus animus, quem proximis litteris? adeſt, & idem eſt, ſed utinam meo ſolum capite decernerem. lacrumae meorum me interdum molliunt, precantium, ut de Hiſpaniis exſpectemus. VATICINOR;} non, diuino, ſed, alucinor, & inſanio: ut in oratione pro Sextio: Eos, qui dicerent, dignitati eſſe ſeruiendum, reip. conſulendum, ſubeunda pro patria pericula, uulnera excipienda, mortem appetendam, uaticinari, atque inſanire dicebat. DESPERATIONES} contendentibus de ſingulari potentia Sulla, & Mario: quo tempore ſenes boni uiri numquam fore ſperabant, ut ſalutem, ac dignitatem afflicta reſp. recuperaret. AETATIS *uitio.*} friget enim, ac deficit in ſenectute ſanguis, & cum ſanguine animus. itaque non facile ad melioris fortunae ſpem erigitur. quod tamen euenit contra, Sulla mortuo. SED *tamen,*} poteſt omnino fieri, ut aetatis utar uitio, ut illi, qui deſperem, cum deſperandum fortaſſe non ſit: uerumtamen, peſſimo in ſtatu remp. eſſe, ex eo cognoſcitur, quod magiſtratus Oppio paratur, Caeſaris amico, qui, rep. ſalua, contẽptus iaceret. TOGAM *praetextam*} Quinq. hominum genera praetextis togis utebantur, pueri, ad ineuntem aetatis annum XVII. magiſtratus omnes, uel urbani, uel qui erant in colonijs, & municipijs; magiſtri ludorum compitaliciorum; ſenatores, cum deorum feſtos celebrabant dies; ſacerdotes, quorum e numero augures erant. Triumphantes quoque praetexta uſos eſſe, uidetur indicare Valerius Max. lib. 7.cap.1.cum ait: Conſulatus decus, imperatoriam poteſtatem, ſpecioſiſsimi triumphi praetextam largita eſt. Sed hoc praetextae genus ab illo ſuperiore, quod in quinque hominum genera diſtribuimus, aliquo diſtinctum fuiſſe ornamenti genere, omnino crediderim. Cicero, Liuius, Pedianus, Macrobius. alij. CVRTIVS} fortaſſe eſt Poſtumus Curtius: de quo in ep.2.lib.IX. Currens ad illum Poſtumus Curtius uenit, nihil niſi claſſes loquens, & exercitus: eripiebat Hiſpanias. &c. Quibus ex uerbis, amicum Caeſaris fuiſſe, conſtat. DIBAPHVM} purpuram bis tinctam, praeſtantiorem ea, quae ſemel tingebatur: ut oſtendit lib.IX.cap.39. Plinius. Auguratum arbitror ſignificari. nam ep.9.lib.2.ad Att. Vatinij, ait, ſtrumam Sacerdotij διβάφῳ ueſtiant. loquitur enim de auguratu Q. Metelli Celeris, paullo ante mortui, cuius in locum Vatinius ſurrogari cupiebat: quod ex oratione in ipſum facile cognoſcitur. INFECTOR *moratur.*} uide, inquit, qui ſtatus reip. ſit: audet Curtius dibaphum cogitare: ſed, quod cogitat, non facile conſequetur: uel quia Caeſar differt: uel quod is eſt, qui nullo modo auguratum populi comitijs obtinere poſsit. ut, Infector, uel de Caeſare dicatur, uel de ipſo populo, cuius ſuffragijs hoc tempore auguratus dabatur lege, quam tulerat T. Atius Labienus, tribunus pl. qua de re pluribus uerbis in libro noſtro de Legibus. TAMEN *in ſtomacho*} quamquam ſim iratus. eſt enim in ſtomacho ſedes iracundiae. hinc, Stomachum facere, pro, iracundiam commouere, ep.9.lib.1.& Stomachoſae litterae, iracundae, ep.XI.lib.III. Stomachabatur autem, quod toga praetexta Oppio texeretur, quod Curtius dibaphũ cogitaret: quae, ſi quieta reſp. eſſet, ſperare nõ auderent. Ridere in ſtomacho, leporem quendã habet e contrariorum ſocietate: ut ep.9.lib.XI. Sed in moleſtia gaudeo. Quo loco plura. RIDERE.} iocari. nam in eo iocus eſt, Eum infector moratur. luſiſſe enim uidetur, Dibaphum infector. VIDEAS,} curam ſuſcipias, ut eius incommodis, ſi fieri poteſt, medeare. QVIBVSCVMQVE *erimus in terris,*} haec uerba cogitare omnino de diſceſſu Ciceronem ſignificant: etſi poſſunt etiam ad ſolitudinem referri. TVA *fides*} quae cum amicitiae noſtrae, tum conſuetudini quoque tuae debetur.

---

# Argumentum ep.17.

*Saluſtius Bibulo proconſuli quaeſtor erat in Syria. eius binis litteris Cicero reſpondet, prioribus multa, eodem ordine, quo ſcripſerat Salluſtius. poſterioribus cauſſas exponit, cur eum Bibulo commendare non debeat: ſe tamen eius uoluntati morem geſsiſſe ſignificat. L. Paullo, & C. Marcello cos.*

## *Cicero imp. S. D. Caninio Salluſtio procos. 17.*

LITTERAS *a te mihi ſtator tuus reddidit Tarſi ad* XVI. *Kal. Sext. his ego ordine, ut uideris uelle, reſpondebo. De ſucceſſore meo nihil audiui: nec quemquam fore arbitror. quin ad diem decedam, nulla cauſſa eſt, praeſertim ſublato metu Parthico. commoraturum me nuſquam ſane arbitror: Rhodum, Ciceronum cauſſa puerorum, acceſſurum puto: neque id tamen certum eſt. ad urbem uelim quamprimum uenire: ſed tamen iter meum reip. & rerum urbanarum ratio gubernabit. Succeſſor tuus non poteſt ita maturare ullo modo, ut tu me in Aſia poſſis conuenire. De rationibus referendis, non erat incommodum te nullã referre: quam tibi ſcribis a Bibulo fieri poteſtatem: ſed id uix mihi uideris per legem Iuliam facere poſſe: quam Bibulus certa quadam ratione non ſeruat; tibi magnopere ſeruandam cenſeo. Quod ſcribis, Apamea praeſidium deduci non oportuiſſe: uidebam idem ceteros exiſtimare: moleſteq. ferebam, de ea re minus commodos ſermones*

*nes*

*nes maleuolorum fuiſſe. Parthi tranſierint, nec ne, praeter te, uideo dubitare neminem: itaque omnia praeſidia, quae magna, & firma parraueram, commotus hominum non dubio ſermone, dimiſi. Rationes mei quaeſtoris nec uerum fuit me tibi mittere; nec tamen erant confectae. eas nos Apameae deponere cogitabamus. De praeda mea, praeter quaeſtores urbanos, id eſt populum R. teruncium nec attigit, nec tacturus eſt quiſquam. Laodiceae me praedes accepturum arbitror omnis pecuniae publicae; ut & mihi, et populo cautum ſit ſine uecturae periculo. Quod ſcribis ad me de drachmis* CCCIƆƆƆ: *nihil eſt, quod in iſto genere cuiquam poſſim commodare: omnis enim pecunia ita tractatur, ut praeda a praefectis; quae autem mihi attributa eſt, a quaeſtore curetur. Quod quaeris, quid exiſtimem de legionibus, quae decretae ſunt in Syriam; antea dubitabam, uenturae ne eſſent; nunc mihi non eſt dubium, quin, ſi antea auditum erit otium eſſe in Syria, uenturae non ſint. Marium quidem ſucceſſorem tarde uideo eſſe uenturum; propterea quod ſenatus ita decreuit, ut cum legionibus iret. Vni epiſtolae reſpondi: uenio ad alteram. Petis a me, ut Bibulo te quamdiligentiſſime commendem. in quo mihi uoluntas non deeſt; ſed locus uidetur eſſe tecum expoſtulandi. ſolus enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo ſunt, certiorem me numquam feciſti, quam ualde Bibuli uoluntas a me ſine cauſſa abhorreret. permulti enim ad me detulerunt; cum magnus Antiochiae metus eſſet, & magna ſpes in me, atque in exercitu meo, ſolitum dicere, quiduis ſe perpeti malle, quam uideri eguiſſe auxilio meo. quod ego officio quaeſtorio te adductum reticere de praetore tuo non moleſte ferebam: quamquam, quemadmodum tractarere, audiebam. ille autem, cum ad Thermum de Partico bello ſcriberet, ad me litteram numquam miſit, ad quem intelligebat eius belli periculum pertinere. tantum de auguratu filij ſui ſcripſit ad me. in quo ego miſericordia commotus, & quod ſemper amiciſſimus Bibulo fui, dedi operam, ut ei quam humaniſſime ſcriberem. ille, ſi omnibus eſt maleuolus, quod numquam exiſtimaui: minus offendor in me. ſin a me eſt alienior: nihil tibi litterae meae proderunt. Nam, ad ſenatum quas Bibulus litteras miſit, in ijs, quod mihi cum illo erat commune, ſibi ſoli attribuit. ſe ait curaſſe, ut cum quaeſtu populi pecunia permutaretur. quod autem meum erat proprium, ut alarijs tranſpadanis uti negarem, id etiam populo ſe remiſiſſe ſcribit. quod uero illius erat ſolius, id mecum communicat. Equitibus auxiliarijs, inquit, cum amplius frumenti poſtularemus. Illud uero puſilli animi, et ipſa maleuolentia ieiuni, atque inanis, quod Ariobarzanem, quem ſenatus per me regem appellauit, mihiq. commendauit, iſte in litteris non regem, ſed regis Ariobarzanis filium appellat. hoc animo qui ſunt, deteriores fiunt rogati: ſed tibi morem geſſi: litteras ad eum ſcripſi: quas cum acceperis, facies quod uoles. Vale.*

# EXPLANATIO

CANINIO *Salluſtio*} moneo lectorem; in omnibus antiquis libris, quos quidem aut habeam nunc, aut umquam habuerim, Caninio, legi: quod ſi mendo uacat, legendum fortaſſe, Caninio Salluſtiano, ideſt e Salluſtiis in Caninios adoptato. certe, Caninio Salluſtio, iunctis duarum familiarum nominibus, emendatum eſſe non poteſt. Mediceus liber, Caninio Salluſti. in eiuſdem tamen libri indice, Salluſtium, omiſſo Caninij nomine. Sunt, qui ex ingenio legant, C. Salluſtio. PROCOS.} ſecutus ſum meos ueteres libros: quibus in omnibus eſt, Procos. non Proquaeſ. etſi nouum omnino uidetur, cum proconſul adhuc in prouincia ſit, alterum eodem nomine appellari. nondum enim Bibulus de prouincia deceſſerat. fieri tamen poteſt, ut Caninius hic a Bibulo, breui diſceſſuro, prouinciae praeponeretur, poteſtate in eum tranſlata. & fortaſſe cognomen ei fuit Veientoni. nam Bibulus decedens prouinciae Veientonem praefecit. ep. 3. lib. VII. Eodem modo Proconſul appellatur P. Sextius ep. 6. lib. V. qui tamen quaeſtor cum Antonio proconſule in Macedoniam profectus erat. quo item in loco mendum cum irrepſiſſet in recentiores libros; & Proquaeſtori, legeretur; nos e ſeptem antiquis, Proconſuli, repoſuimus. LITTERAS} binas: nam infra nominat eius alteram epiſtolam. STATOR *tuus*} indicat hic locus, quaeſtores, item ut proconſules, ſtatoribus uſos eſſe. lictoribus autem, & uiatoribus carebant, ut ex Varrone docet Gellius: itaque nec uocationem, nec prehenſionem habebant. TARSI} urbs Ciliciae fuit, quo ſe Cicero contulerat non. Iun. ep. 4. lib. VI. ad Att. NEC *quemquam fore arbitror.*} non fefellit eum coniectura. nemo enim ſucceſsit, impedimento prouincijs omnibus obiecto, quia S. C. de prouincijs interceſſum a tribunis pl. ne ſucceſſor Caeſari mitteretur. uide ep. 5. lib. IIX. AD. DIEM} uenerat in prouinciam pridie Kal. Sext. ut ſcripſit ep. 6. lib. III. eodem igitur die decedendum erat, anno confecto III. Kal. Sext. De quo ſic ep. 2. lib. VI. ad Atticum: Annuae mihi operae ad III. Kal. Sext. emerentur. Et ibidem, 3. Mihi ad III. Kal. Sext. de prouincia decedendum. CICERONVM *cauſſa puerorum*,} ep. 7. lib. VI. ad Att. Rhodum uolo puerorum cauſſa, inde quamprimum Athenas. REIP.} cuius turbulentum eſſe ſtatum ſi cognouero, ſubſiſtam in itinere. SVCCESSOR *tuus*} Marius, quem nominat infra. IN. ASIA} in ea parte Aſiae, quae ad Ciceronis prouinciam pertinebat: tres enim ei Aſiae dioeceſes attributae erant. ep. 63. lib. XIII. DE *rationibus referendis*,} lex Iulia, quam C. Iulius Caeſar conſul tulerat, prouinciarum rationes referri iubebat. eam legem, quia contra auſpicia lata eſſet, Bibulus, Caeſaris inimicus, ſeruare nolebat: quem Salluſtius decreuerat imitari. ep. 20. lib. V. & orat. in Piſonem? A. BIBVLO} Syriae proconſule. Praefuerunt Syriae, ut a primo incipiam, conſularis Pompeius Magnus, mox, ab eo decedente praepoſitus, quaeſtor M. Aemilius Scaurus; praetorij, L. Marcius Philippus, Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus; conſulares A. Gabinius, M. Licinius Craſſus,

ſus, M. Calpurnius Bibulus, quaeſtor Caeſaris, Sex. Iulius Caeſar, Decidius Saxa. Haec ex Appiano, Dione, alijs. CERTA *quadam ratione* } propter inimicitias, & contentiones in conſulatu: cum Bibulus, Caeſare legem ferente, impediendi cauſſa de caelo ſeruaret; Caeſar autem, contemptis auſpicijs, nihilo ſecius legem perferret. Suetonius, Plutarchus, alij. APAMEA } probo coniecturam eorum, qui Epiphanea, legunt: quae erat urbs periculo Partici belli multo propinquior, quam Apamea. De Apamea Strabo lib. XVI. & ait eſſe conditam a Seleuco Nicatore, Apameamq. ab eius uxoris nomine nuncupatam. eandem Phrygiarum urbium maximam, & commune Graecorum, Italorumq. hoſpitium fuiſſe, cōditamq. non a Seleuco, ſed ab eius filio Antiocho, a ſe ipſo diſſentiens ait lib. XII. DEDVCI } a me. NON *oportuiſſe*: } ob irruptiones Parthorum. CETEROS } malim, Certos, ut eſt in duobus antiquis libris: ne ſit communis omnium, ſed quorundam tantum opinio de praeſidio non deducendo. alioqui paucis uerſibus pugnantia loqueretur: cum ſubiungat: Omnia praeſidia, commotus hominum non dubio ſermone, dimiſi. MINVS *commodos* } cum aliqua contumelia, parum gratos. Litterae commode, dixit in epiſtola ad fratrem lib. III. TRANSIERINT, } Euphratem, domum redeuntes. confirmatur infra, ijs uerbis, Commotus hominum non dubio ſermone dimiſi. Euphrates autem imperij Romani ad orientem terminus fuit. OMNIA *praeſidia*, } non Apameae tantum, ſed locis pluribus collocata. MAGNA, *& firma* } Magna, militum numero; Firma, uſu belli, & fortitudine. MEI *quaeſtoris* } non C. Coelij, ſed Meſcinij. quod ex epiſtola 20. lib. V. & 26. lib. XIII. cognoſcitur. APAMEAE } de Apamea iam ſtatuerat, nondum fortaſſe de Laodicea. quod ideo dico, quia lex Iulia rationes deponi non apud unam, ſed apud duas ciuitates iubebat, & earum exemplum ad urbem deferri. itaque depoſuit eas Cicero Laodiceae, & Apameae. ep. 20. lib. V. DE *praeda mea*, } de tota praeda, me imperatore facta. QVAESTORES *urbanos*, } ad quos, Romam reuerſus, praedam in bello factam deferre cogitabat. hoc modo coniungendum: Praeter quaeſtores urbanos, ne teruncium quidem tacturus eſt quiſquam. POPVLVM R. } cuius pecunia curabatur a quaeſtoribus urbanis. TERVNCIVM } argenteum nummum, a tribus uncijs appellatum: reſpondebat aereo quadranti: ut eſſet quarta pars libellae: quae erat argenteus nummus, ita nominatus, quia ualore aſsi aereo librali reſponderet. imminuto poſtea aſsis pondere, libellae tamen uetus nomen manſit, habita ratione libralis aſsis, qui principio Romae percuſſus eſt. LAODICEAE } hanc urbem numero inter Aſiaticas tres διοικήσεις, Ciceronis imperio attributas; cum in eorum imperio ſoleret eſſe, qui Aſiae praeerant. uide ep. 67. lib. XIII. PRAEDES } ut, quantum hic pecuniae depono, tantum mihi Romae ex permutatione numeretur. ET MIHI, *& populo* } eius enim pecuniae pars ad ipſum, reliqua ad populum R. pertinebat. DRACHMIS } Drachmarum octo genera fuere, Attica, Euboica, Babylonica, Corinthiaca, Aegyptia, Aeginetica, Hebraica, Syriaca. Sed Atticam duplicem inuenio, priorem uſque ad Solonē obſeruatam, poſteriorem a Solone inductam, minore quidem pondere, ſed eodem, ut arbitror, numero in mina. Solonis enim drachmae leuiores antiquis erant quarta parte ipſarum antiquarū: ut nonaginta ſex Solonis drachmae non plus ponderis haberent, quam ſeptuaginta duae ſuperiores. quod ex Plutarcho uidemur poſſe conijcere. ait enim, centum drachmarum a Solone minam eſſe factam, cum antea ſeptuaginta trium fuiſſet. quibus uerbis non id, opinor, ſignificat, pauciores in mina drachmas ante Solonem fuiſſe; (nam mihi non ſit ueriſimile, uariatum eſſe in Attica mina drachmarum numerum: licet Fannius, & Priſcianus, inter ſe quoque diſsidentes, ille ſeptuaginta quinque, hic octuaginta drachmarum minam conſtituant) ſed illud, centum drachmas, a Solone percuſſas, non plus habuiſſe ponderis, quam ſeptuaginta quinque ſuperiorum temporū. quod idem erat, ſi dixiſſet, e drachmarum ſeptuaginta quinque ueterum pondere nouas centum a Solone factas. In quo illud operaepretium eſt animaduerti; cum dicimus in mina drachmas centum fuiſſe, drachmas quidem centum numero ſignificari, ſed pondere tantum nonaginta ſex; cum in eo pondere centum ferirentur, quattuor centeſimas lucrante officina. ita ſeptuaginta duae pondere, numero erunt ſeptuaginta quinque; & quadraginta octo, quinquaginta: & uigintiquatuor, uiginti quinque: cum drachmam unam in uiginti quinque officina lucretur: quae ſunt duae in quinquaginta, & tres in ſeptuaginta quinque, & quattuor in centum: quas modo centeſimas quattuor appellaui. De hoc poſteriore drachmarum genere, a Solone inducto, loquitur Linius lib. XXXIV. cum ait, in tetradrachmo denarios fere tres ineſſe. ex quo fit, ut, cum in mina ſint tetradrachma uiginti quinque numero, pondere autem uiginti quattuor, ideſt drachmae centum numero, pondere autem nonaginta ſex, in eadem mina ſint denarij ter uiginti quinque numero, pondere autem uiginti quattuor, ideſt ſeptuaginta quinque numero, pondere ſeptuaginta duo. Nec uero, quia Liuius addidit, Fere, propterea quiſquam dubitet. nam, cum monetae pondus paullum non numquam & apud Graecos, & apud Romanos imminui non ignoraret, ideo, ueritus, ne quando tetradrachmum, & denarij tres officinarum fraude minas aequarentur, de incerta re ſibi plane affirmandum iure non putauit. Cum igitur & denarius, & antiqua drachma aeque ſuperent Soloninam drachmam quarta urtiusque parte, tertia uero Soloninae; patet, eiusdem eſſe ponderis denarium, & antiquam drachmam; & ex eo ſequi, ut ſeptem antiquae drachmae in uncia Romana feriantur, aeque ac denarij: in uncia uero Attica denarij octo, aeque ac drachmae. Sed, quoniam Solon cum drachmae pondus minuit, id maxime ſecutus eſt, ut debitores onere leuarentur aeris alieni; propterea drachmae pondus in moneta dumtaxat imminutum, in medicinis autem uidetur idem remanſiſſe, ut a denarij pondere nihil differret. ideo ſcripſit Plinius lib. XXI. cap. ult. Drachma Attica denarij argentei habet pondus. fere enim Attica obſeruatione medici utuntur. Quod ſi ita eſt: mirari non ſatis poſſum, cur & Varro apud Plinium, & Feſtus, & Pollux de priore drachma, quaſi adhuc in

moneta

moneta etiam, non in medicina tantum, obſeruaretur, ita loquantur, tamquam Solonina obſoleuiſſet. aeſtimant enim talentum ſex millibus denarium. qua aeſtimatione denarium drachmae reſpondere perſpicuum eſt. quod refellit Liuij locus, ſupra recitatus. Huius explicandae quaeſtionis non equidem rationem ullam inuenio: neque me uel Budaei doctrina, uel Agricolae diligentia, uel omnino cuiuſquam libri iuuant. non enim affirmare auſim, quod interdum cogitaui, L. Sullam, captis Athenis, leges, & inſtituta, ſimulq. drachmam a Solone inductam, immutaſſe: cum id neque Plutarchi, nec omnino cuiusquam antiqui ſcriptoris teſtimonio comprobetur. quare ſcrupulum ſaltem, qui me angit, occultandum non putaui; ut haberent alij quo ingenium intenderent; cum ipſe, quantum res poſtulat, praeſtare non poſſem. De mina uero, ſiue illa antiqua, ſiue poſteriore, a Solone inducta, hoc amplius dixerim, neutram librae Romanae aequalem pondere fuiſſe. antiqua enim grauior, poſterior leuior, quam libra, fuit. probemus utrumque. In Solonis mina denarios tantum fuiſſe ſeptuaginta duos, cum de tetradrachmo ageremus, oſtendimus. at in libra Romana denarios octuaginta quattuor Plinius, & Celſus ponunt. ſunt igitur in libra Romana duodecim denarij plures, quam in mina Solonina. quod idem eſt, ac ſi dicas: libra ſuperat pondere minam Soloninam ſeptima ſui parte; ſexta Soloninae: In drachma uero antiqua ſi tantundem eſt ponderis, quantum in denario; quod iam probatum eſt: ſequitur, ut, quemadmodum drachmae ſunt in mina nonaginta ſex, item denarij totidem in libra ſint. quod falſum eſt. fuere enim tantum octuaginta quattuor. ita fit, ut libra pondere ſuperetur a mina antiqua ſeptima ſui parte, octaua uero minae. Veriſimile autem eſt, libram Romanam, quemadmodum ab Attica utraque mina differt, ſic Euboicae reſpondere: quia maior Africanus, cum Antiocho regi tributi leges imponeret, talenta Euboica praeſcribit; quaſi nihil, aut certe parum Euboica mina differret a libra Romana. Concludimus igitur ſic. Octo drachmae antiquae Atticae aequales pondere ſunt octo denarijs: octo Soloninae, ſex denarijs: octo Euboicae ſeptem denarijs. Nunc, ut nihil omittatur, quod ad drachmarum cognitionem pertineat, omnes omnium gentium aeſtimabimus, appoſita moneta Romana, primum uetere, deinde recentiore.

Drachma Attica, ante Solonem, eiuſdem fuit cum denario ponderis, & ualuit aſſes ſedecim, ideſt denarium unum. loquor enim de denario poſteriore, ad ſedecim aſſes aucto, bello Punico ſecundo. aſſes uero ſedecim, baiocci Romani ſunt duodecim, & ſex ſeptimae alterius baiocci.

Drachma Solonis aſſes duodecim: baiocci nouem, & fragmenta, eadem proportione. Euboica, Romanae unciae octaua pars, aſſes quattuordecim: baiocci undecim, & fragmenta.

Babylonica, aſſes ſedecim cum triente: baiocci tredecim, & fragmenta.
Corinthiaca, aſſes ſedecim cum beſſe: baiocci tredecim, & fragmenta.
Aegyptia, aſſes decem, & octo, cum beſſe: baiocci quindecim.
Aeginetica, & Hebraica ciuilis, aſſes uiginti: baiocci ſedecim, & fragmenta.
Hebraica ſacra, aſſes quadraginta: baiocci triginta duo, & fragmenta.
Syriaca, aſſes quadraginta octo: baiocci triginta octo, & fragmenta.

CCCIↃↃↃ:} centum millibus: quae ſunt quadraginta millia ſeſtertiorum: ſi modo drachmae Atticae ſunt, non Syriacae: quod interdum dubitaui: cum hic Salluſtius e Syria ſcripſerit, in qua Bibuli quaeſtor fuit. haec porro ſumma duodecim ſcutatorum millia noſtratis pecuniae conficiet. Harum notarum, numerum indicantium, quae fuerit olim origo, etſi ante multos annos expoſui in Commentario epiſtolarum ad Atticum: tamen hic me locus admonet, ne ſilentio praetermittam. Numerorum notas primum quincto loco ueteres uariarunt, deinde decimo, mox quinquageſimo, tum centeſimo, eodem in reliquis ordine conſeruato, mutato numeri ſigno, quoties numerus a quinario ad duplum, & a duplo rurſus ad quinarium perueniſſet.

Prima nota fuit, I, unus, usque ad quattuor iterata.
Secunda nota, V, quinque, in quinario primum numero uariata.
Tertia, X, decem, in duplo quinario, ut iam dixi, mutationem recipiens.
Quarta, L, quinquaginta, aucto poſt tertiam notam, ideſt poſt, X, in quincuplum numero.
Quincta, C, centum, duplicato quinquagenario.
Sexta, IↃ, quingenta, & hic, quincupli ratione ſeruata.
Septima, CIↃ, mille, habita dupli ratione.
Octaua mutatio fuit, cum ad quinque millia perueniſſent. nam, ne toties CIↃ iterarent, his notis uſi ſunt, IↃↃ.
Nona mutatio, a quincuplo in duplum, recepit has notas CCIↃↃ, decem millia.
Decima, a duplo in quincuplum, IↃↃↃ, quinquaginta millia.
Vndecima, & ultima, a quincuplo in duplum, CCCIↃↃↃ, centum millia.

Nec ultra notarum mutatio progreſſa eſt. non enim ueteres, ut ait Plinius, ultra centum millia numerabant. quod ſi ducenta, uel trecenta, aut quadringenta millia ſignificari oporteret; has notas, CCCIↃↃↃ, bis, ter, quater, &, ſi opus eſſet, ſaepius iterabant. cuius exempla moris & in libris, & in antiquis lapidibus exſtant. Sunt igitur notae omnino undecim uariae, deinceps a nobis demonſtratae, tamen iterandae.

I, unus:
V, quinque:
X, decem:
L, quinquaginta:
C, centum:

I Ↄ, quingenta

C I Ↄ, mille:

I Ↄ Ↄ, quinque millia:

C C I Ↄ Ↄ, decem millia:

I Ↄ Ↄ Ↄ, quinquaginta millia:

C C C I Ↄ Ↄ Ↄ, centum millia.

Quam cognitionem legentibus non iniucundam fore, ſum arbitratus.

Hoc etiam adiungam, a prima nota, I, ceteras omnes fluxiſſe. nam, V, duae primae notae ſunt, infima parte coniunctae. item, X, eſt quinarij numeri nota duplicata, cum duae, V, in acuto angulo coniungantur. at, L, quid eſt, niſi prima illa nota, I, recta, & altera proſtrata, ſimul iunctae? quod ſi addideris in ſumma parte aliam primam notam, item proſtratam; fiet ⊏, centum. non enim priſcis temporibus, pro centum, ſcribebant, C, quod ad aetatem noſtram permanſit, ſed, ⊏: quae erant tres primae notae conſociatae, una recta, duae proſtratae, cum recta coniunctae, una in ſuperiore parte, altera in inferiore. Quingenta uero fecerunt, addita ad tres notas, quas proxime nominaui, quarta recta, cum duabus proſtratis coniuncta, hoc modo, □ qua figura duplicata, fecerunt mille, hoc modo, □□: unde poſtea, librariorum arbitrio, uariae notae, quae, mille ſignificarent, factae ſunt, quarum nonnullas oſtendemus. nam ex □□, fieri coeptum eſt ∞, & ∞ & C I Ↄ, & ↀ, unde M deriuatum, quo pro mille hodie quoque utimur: cum olim nota fuerit, non littera. PRAEDA} uniuerſa praeda, ex Amano monte direpto, ac uaſtato. nam, Pindeniſſo capto, omnem praedam, equis exceptis, Cicero militibus conceſſerat. quod ipſe ſcribit ep. 20. lib. v. ad Atticum. OMNIS. ENIM *pecunia ita curatur, ut praeda a praefectis; quae autem mihi attributa eſt, a quaeſtore curetur.*} Praeda uocatur id, quod ex hoſtibus partum, nondum neque diuiſum eſt, neque urbanis quaeſtoribus traditum, ut ij mox in aerarium inferrent. poſt diuiſionem, praeda non dicitur. ideo praedam Cicero uocat eam pecuniae partem, quae, uenditis mancipijs, bello captis, exacta, ad populum R. pertinebat: partem autem ſibi attributam, non iam praedam, ſed pecuniam appellat. Mancipia uero tantum nominaui, quia reliqua omnis praeda, equis exceptis, militibus conceſſa. qua de re ſic ep. 20. ad Att. lib. v. Militibus, equis exceptis, reliquam praedam conceſsimus. mancipia ueniebant Saturnalibus tertijs. cum haec ſcribebam in tribunali, res erat ad H-S. CXX. Quod ad praefectos, praedae cuſtodes, attinet: ne lector communi uocabulo decipiatur, dicendum eſt, quot genera praefectorum in Ciceronis prouincia fuerint, & qui nam hic ſignificentur. Genera igitur fuere quattuor, unum eorum, qui equeſtribus turmis praeerant: alterum, qui euocatis: tertium, qui, quibus in ciuitatibus proconſul aſsidue commorari non poſſet, in ijs ipſi ius dicerent, & in extremo anno ad generales conuentus, a proconſule inductos, proficiſcerentur, ut, ſi quid in ciuitatibus perperam iudicaſſent, querellas omnium proconſul audire, & reſcindere praefectorum ſententias poſſet. Quartum genus fuit praefecti fabrum, uel praefectus potius: nam unum dumtaxat habuiſſe Cicero uidetur. De ſingulis, quantum res patietur, breuiter agemus, ut antiquitatis notitia, minimo ſtudioſorum labore, minima moleſtia, propagetur. Cum ſingulis legionibus, uetere Romuli inſtituto, terceni erant equites: qui dicebantur ala: quod ijs pedites, dextra ſiniſtraq. tamquam alis, tegerentur. Gellius lib. XVI. cap. 4. & Seruius in eo uerſu Aen. lib. IV. Dum trepidant alae. item Liuius lib. XL. Diuidebantur in decem turmas: turmae ſingulae in tres decurias. ſingulis decurijs praeerant, qui decuriones uocabantur: ſed horum unus, reliquis duobus honoratior, non ſuae tantum decuriae, ſed turmae etiam praeerant: itaque praefectus, non decurio, dicebatur: reliqui autem duo, decuriones. Erant igitur in decem turmis decem praefecti, praeterea uiginti decuriones. omnibus autem decem turmis, ideſt alae, unus praeerat, nec tamen is erat ſummus equitum dux in exercitu, nam principem locum obtinebat is, qui non uni alae, ideſt decem turmis, ſed utrique alae, uel etiam pluribus, cum eſſent plures in exercitu legiones, praeeſſent. quod probabitur exemplis. De praefecto turmae, ſic in oratione pro Marcello: Nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Praefectum uero alae nouimus lib. 2. Off. in eo loco: Cum te Pompeius alae alteri praefeciſſet. Porro, cum Plutarchus dicat, in exercitu Pompeij praefectum equitum Pharſalico proelio Labienum fuiſſe; quis eum putet, qui legatus Caeſaris Gallico bello per tot annos fuerat, reſq. geſſerat non mediocri laude dignas, in caſtris Pompeij, ad quem, relicto Caeſare, tranſijt, unius tantum legionis equitibus praefuiſſe? equidem nihil dubito, quin praefectura ſignificetur omnium plane equitum, qui cum Pompeio militarent, idemq. ſentio de Caeſarianorum equitum praefecto C. Voluſeno: de quo ſcripſit haec Caeſar lib. III. Conati ſunt praefectum equitum C. Voluſenum interficere; ut cum munere aliquo perfugiſſe ad Pompeium uiderentur. Nominat idem Caeſar eodem libro Q. Varum praefectum equitum C. Domitij Caluini, ideſt duarum legionum, de quibus paullo ante mentionem fecit. De his igitur & alae utriusque, (nam duas legiones Cicero habuit in prouincia) & turmarum quoque praefectis loquitur Cicero in hac epiſtola. nam praefectis fabrum, aut iuris dicundi, ac ne euocatorum quidem, praedae conſeruandae curam commiſſam eſſe, non eſt ut credatur. de ijsdem equitum praefectis in ep. 8. lib. III. & ep. 20. lib. v. & ad Att. ep. 17. lib. v. mentionem Cicero facit: quo in utroque loco cum tribunis mil. eos nominat: itemq. lib. III. in Verrem, Quaeſtores, inquit, legatos, praefectos ſuos, tribunos multi miſſos fecerunt, & de prouincia decedere iuſſerunt, quod eorum culpa ſe minus commode audire arbitrarentur. Et in oratione pro Cluentio: Quae in Stalenum dicta ſunt ab ijs, qui M. Aemilio legati, & praefecti, & tribuni mil. fuerunt. Eoſdem coniunxit Caeſar lib. I. bell. ci. Tribunos mil. & praefectos circummittit. De praefecto autem euocatorum ep. 6. lib. III. De ijs, qui iusdicerent, ad Att.

ep. 4. 7. II. 21. lib. v. & ad eundem ep. 1. 2. 3. lib. VI. quibus Cicero amicorum rogatu, aut iudicio ſuo praefecturas detulit iuris dicundi in ciuitatibus, ijs reiectis, qui negotiarentur, ne iuſtitiam lucri cupiditas perturbaret. Praefectus fabrum Ciceronis unus tantum appellatur Q. Lepta ep. 7. lib. III. nec plures uno fuiſſe crediderim: quamquam, ut dixi, duas legiones Cicero habuerit: quod ipſe ad Atticum ſcripſit ep. 15. lib. v. & Plutarchus in eius uita confirmat. nam, ſi, quot legiones in exercitu, totidem praefecti fabrum fuiſſent: haud ualde eſſet honeſtatus a Caeſare, familiariſsimus eius, Cornelius Balbus, cui praetor, & conſul praefecturam fabrum detulit: ut eſt in oratione pro ipſo habita. nam, quod ait Caeſar in epiſtola ad Oppium, & Balbum, lib. IX. ad Att. Duo praefecti fabrum Pompeij in meam poteſtatem uenerunt: Q. Vibullium Rufum, Corfinij captum, & Cn. Magium, in itinere deprehenſum, ſignificat: quorum utrumque in binis legionibus praefectum fabrum arbitror fuiſſe: ut duorum conſulum exercitus, qui a Pompeio regebantur, duos omnino praefectos fabrum habuerit. duas enim legiones, dixi iam, conſularem exercitum fuiſſe. ſic igitur in conſulari Ciceronis exercitu, ideſt in duabus legionibus, praefectus fabrum unus fuit Q. Lepta. quod eo magis arbitror, quia unus etiam praefectus fabrum Ap. Claudij nominatur, ep. 8. lib. III. Hos praefectos omnes, exceptis iusdicentibus, opinor in proconſulis cohorte praetoria fuiſſe, eosq. in prouinciam ab urbe deductos: quos autem in tertio genere poſuimus, ideſt ij, qui ius dicebant, non fuiſſe de cohorti praetoria, ſed longe a proconſule, diuerſis ciuitatibus iuriſdictionem habuiſſe. in hoc numero locum Scapio petijt a Cicerone M. Brutus, ut in ep. 21. lib. v. ad Att. & in prima lib. VI. ad eundem. Mihi *attributa eſt,*} quae manubiae uocabantur: ex quibus publica monumenta plurimi fecerunt, Q. Catulus e Cimbricis manubijs porticum in palatio, quam P. Clodius, Ciceronis aedibus adiunctam, euertit, L. Metellus Dalmaticus aedem Caſtoris: alij alia. A Qvaestore} utrum L. Meſcinio Rufo, ad quem ſunt epiſtolae tres ultimae lib. v. quiq. nominatur ep. 26. lib. XIII. & VI. lib. XVI. an C. Coelio Caldo, ad quem ſcribit epiſtolam ultimam huius libri, & quem ep. XV. nominat. Meſcinium omnino ſignificari puto, qui rationes prouinciae cum M. Mindio fratre, & cum ſcriba Ciceronis adminiſtrauit. nam C. Coelius, ſero admodum in prouinciam uenit, ut ex ep. ult. cognoſcitur. De *legionibus,*} Feſtus ait, C. Marium legionem primum conſcripſiſſe ſex millium, & ducentorum hominum, cum antea quattuor millium fuiſſet, unde etiam quadrata appellabatur. ſed Feſtum refellere uidetur Liuius lib. XXIX. cum ait, Legiones ita ſuppletas eſſe, ut ſingulae ſena millia, & ducentos pedites, trecenos haberent equites. & alibi ſaepe. Quod ſi ita eſt; non primus C. Marius legionem conſcripſit ſex millium, & ducentorum hominum. Verum Feſti opinionem Polybius probat lib. VI. & fortaſſe Liuius non de ordinaria legione, ſed de aucto extra ordinē, cogēte bello, militum legionariorū numero locutus eſt. nam, & ſociorum numerum in caſtris Romanis, quos altero tāto plures, quā Romanos, in caſtris ex formula foederis eſſe debuiſſe, Liuius lib. III & IIX. Velleius lib. 2. oſtendunt, non eundē ſemper fuiſſe, ſed pro conſulum arbitrio, ex eodē Liuio conſtat lib. XXI. XLI. XLIII. primus igitur ordinariū in legione ſex milliū & ducentorum militum numerum C. Marius fecit, cum antea ordinarius eſſet numerus quattuor millia, ut ait Feſtus, uel, ut Polybius, quattuor millia ducenti: (nam ueteres non omnino ſubtiliter numerū ſemper definire ſoliti ſunt) interdum autem, ne numerum legionum, quae binae ſingulis conſulibus dabantur, augerent, milites addebant legionibus, ſed extra ordinem. In syriam:} quae Syriae contra Parthos praeſidio eſſet. Otivm *eſſe in Syria,*} ſublato metu Parthico. Otium pro pace uſurpauit & lib. I. de Of. Nobis remp. gubernantibus, non togae arma ceſſere? neque enim in rep. periculum fuit grauius umquam, nec maius otium. Marivm *ſucceſſorem*} Salluſtij: nam Bibulo, quemadmodum Ciceroni, ſucceſſor nemo fuit, ob diſcordias inter Caeſarem, & Pompeium exortas. quod Cicero futurum diuinans, dixit ſupra: De ſucceſſore meo, nihil audiui: nec quemquam fore arbitror. Et Coelius ep. 5. lib. IIX. Succeſsionem futuram propter Galliarum controuerſiam non uideo. Et paullo poſt: De Gallijs conſtituetur: erit, qui intercedat: deinde alius exſiſtet, qui, niſi libere liceat de omnibus prouincijs decernere ſenatui, reliquas impediat. Cum igitur omnium prouinciarum ſucceſsio impedita ſit: malim credere, Salluſtij potius, quam Bibuli, ſucceſſorem hic ſignificari. Victo Pompeio, Syriae praefuit, iuſſu Caeſaris, ut ait Dio lib. XLVII. Sex. Iulius, Caeſaris quaeſtor, ac propinquus: mox Decidius Saxa, ab Antonio praepoſitus, ut idem Dio ſcripſit lib. XLIIX. ante Bibulum autem Syriae praefuerat Craſſus, qui perijt in Parthis; ante Craſſum Gabinius; ante Gabinium Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, ex praetura; ante Marcellinum L. Marcius Philippus, item praetorius; ante Philippum M. Aemilius Scaurus, quaeſtor Pompeij Magni, ab eo decedente praepoſitus; ante Scaurum Pompeius ipſe, qui Mithridatem deuicit. Sine *cauſſa*} immo grauem ob cauſſam: cum Cicero Marcellino, & Philippo cos. auctor ſenatui fuiſſet, ut Caeſari ob res in Gallia proſpere geſtas quindecim dierum ſupplicatio decerneretur, item ut ſtipendium, ac decem legati decernerentur. quae bilem omnibus Caeſaris inimicis maximam commouerunt, praecipue Bibulo, qui conſul cum Caeſare collega acerrime de rep. contenderat. Laeſerat igitur Bibulum Cicero in ornando Caeſare, de ipſius tamen exiſtimatione nihil detraxerat. propterea ait, Sine cauſſa. Antiochiae} ex qua Parthos C. Caſsius, quaeſtor M. Craſsi, iam reiecerat. ep. 10. & lib. XV. ep. 14. Metvs} cum aduentare Parthi dicerentur. Officio *quaeſtorio*} quaeſtoris enim, & praetoris coniunctio liberorum neceſsitudini proxima fuit. Ep. 10. lib. XIII. Et in Diuinatione. Praetore} praetor uocatur Bibulus, qui proconſul uidetur appellandus fuiſſe: iuit enim poſt conſulatum in Syriam. ſic ep. 21. lib. v. ad Att. Quod praetori dare conſueſſent. Quo loco, Praerori, dictum eſt, pro omnibus, qui praeeſſe Ciliciae, ſiue poſt praeturam, ſiue poſt conſulatum, conſueuiſſent. Item lib. I. de Orat. Cum ego, inquit, Scaeuola, praetor Rhodum uenissem. qui proconſul Aſiam ibat: ut ex Epitome Liuiana lib. LXX. cognoſcitur. Manſit autem

ſit autem hoc nomen in omnibus, qui prouincias regerent, habita ratione illorum temporum, cum ſoli praetores in prouinciā ibant: quorum loco iuere poſtea propter bella conſules, & proconſules. Contra, qui ex praetura in prouinciam iuerant, & proconſules interdum uocati, ut oſtendimus ep.I.lib.I.& praetores, ut ep.55.lib.XIII.& Oppius Allienum, Siciliam poſt praeturam adminiſtrantem, praetorem uocat in libro de bello Africo. Aſconius quoque magiſtratum omnem, cui pareret exercitus, praetorem a ueteribus ait appellatum: unde cohors praetoria, tabernaculum praetorium, & in caſtris porta praetoria.ep. I.lib.I. THERMVM} Q. Minucium Thermum, Aſiae propraetorem, ad quem ſcribit epiſtolam ſequentem. & lib.XIII.ep.53.54.55.56.57. RETICERE} cum tamen de Parthico bello ſcriberet. Ep. 5.lib.VI.ad Att. LITTERAM} ne litteram quidem ſcripſit, non modo epiſtolam. ſic in oratione pro Archia: Quoties ego hunc uidi, cum litteram ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum uerſuum de ijs ipſis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? Et de Oratore lib. 2. De conformandis hominum moribus litterra in eorum libris inueniretur. Et in Piſonem: Nullam ad ſenatum litteram mittere auſus. Hac de re ſic ep.5.lib.VI.ad Att. Bibulus moleſtus mihi non erat; de omnibus rebus ſcribebat ad me potius. PERICVLVM *pertinere.*} quia Cilicia Syriam attingit. ep.10. DE *auguratu*} ut eius filius in locum alterius filii auguris, quem Alexandrini equites occiderant, ſurrogaretur. MISERICORDIA} Bibulo duobus filijs orbato. de quibus Valerius Max. lib.IV.cap.4. his uerbis: M. Bibulus, cum in Syria moraretur prouincia, duos egregiae indolis filios ſuos a Gabinianis militibus Aegypti occiſos cognouit. quorum interfectores ad eum uinctos regina Cleopatra miſit; & grauiſsimae cladis ultionem arbitrio ſuo exigeret. at ille, oblato beneficio, quo nullum maius tribui lugenti potuerat, dolorem moderationi cedere coegit; carnificesq. ſanguinis ſui intactos e ueſtigio ad Cleopatram reduci iuſsit, dicendo, poteſtatem huius uindictae non ſuam, ſed ſenatus eſſe debere. Et Caeſar lib.3.bel.ci. Erant praeterea equitum duo millia, qui inueterauerant compluribus Alexandriae bellis, Ptolemaeum patrem in regnum reduxerant, Bibuli duos filios interfecerant. Id etiam ſignificatur ep.5.lib.VI.ad Att. Cum Bibulus in tanto maerore ſuo maximam curam belli ſuſtineret. BIBVLO} adoleſcenti, qui de tribus Bibuli filijs ſuperfuerat unus. DEDI *operam,*} ipſius cauſſa non debui, tamen operam dedi, miſericordia coactus, & quod eius filium ſemper dilexi. POPVLI *pecunia*} quam ex ipſius prouincia Syria, & ex mea Cilicia collectam, Romam ad quaeſtores urbanos deferendam ſimul curauimus. PERMVTARETVR.} permutari pecunia dicitur, cum alicubi numeratur, quae alibi ſoluatur, eius periculo, qui permutandam ſuſcepit. ALARIIS} erant in exercitu duo genera equitum, legionarii, & auxiliares. alerij dicebantur auxiliares, quod ijs, tamquam alis, pedites tegerentur. Cincius apud Gellium: Alae dictae exercitus, equitum ordines; quod circum legiones dextra ſiniſtraq. tamquam alae in auium corporibus, locabantur. Et Seruius in illud Virg. lib.IV. Aen. Dum trepidant alae: ſubiunxit haec. Alae, equites, ob hoc alae dicti, quia pedites tegunt alarū uice. In alis aūt auxiliares potius equites, quā legionarios, locari ſolitos, tū in hoc loco, (ſequitur.n. Auxiliariis: qui iā dicti ſunt alarij) tū in aliis obſeruauimus. Caeſar bel. Gal.lib.I. Oēs alarios in conſpectu hoſtium pro caſtris minoribus conſtituit: quo minus multitudine militum legionariorum pro hoſtium numero ualebat, ut ad ſpeciem alarijs uteretur. Liuius quoque lib.XXXI. Dextera ala (in alas diuiſum ſocialem exercitum habebat) in prima acie locata eſt: in ſubſidijs duae Romanae legiones. Et lib.XXXV. Siniſtra ſociorum equitum ala, & extraordinarij prima in acie pugnabant. Subiungit: Equites legionum extra aciem in locum patentem tribunos mil. educere conſul iuſsit: inde, cum ſignum dediſſet, impetum ex aduerſo facerent. Et infra: C. Liuium Salinatorem, qui praeerat alarijs equitibus, quam concitatiſsimos equos immittere iubet, & legionarios equites in ſubſidijs eſſe. Et lib. XL. Alarij equites, poſtquam Romanorum equitum tam memorabile facinus uidere, & ipſi, uirtute eorum accenſi, in perturbatos iam hoſtes equos immittunt. Hos ipſos alarios Cicero ſignificat, cum ſubiungit: Equitibus auxiliarijs. & Salluſtius in Iugurtha: Conſtitutos in utroque latere tamquam alas equites auxiliarios demonſtrat. Caeſar lib.I. bel.ci. Crebras ſtationes diſponunt equitum, & cohortium alariarum; legionariasq. interijciunt cohortes. Liuius lib.X. Sp. Nautius dux alaribus cohortibus erat. TRANSPADANIS} trans Padum lectis, ut contra Parthos mitterentur. AVXILIARIIS,} qui a populis amicitia coniunctis auxilio uenerant, ut Romanas prouincias a Parthis defenderent. IEIVNI,} humilis animi, & infirmi, ut qui debilitantur inedia. contra, Erectum, excelſumq. animum dicimus. ARIOBARZANEM,} Cappadociae regem. ep.2.lib.XV.& oratione pro lege Manilia. Hunc poſtea C. Caſsius, interfecto iam Caeſare, auxilia ſibi, & M. Bruto negantem, occidit. Dio lib. XLVII. PER. ME} me conſule referente. ARIOBARZANIS} quem a Mithridate Cappadocia pulſum Sulla reſtituit. Appianus in Mithridatico, Plutarchus in Sulla. Hunc per inſidias interfectum, Cicero ſignificat ep.2.lib.XV.

## Argumentum ep.18.

*Laetitiam ſuam exponit, quod ei grata eſſe intelligat officia ſua: laudat eius in adminiſtranda prouincia clementiam, & integritatem: ſuadet, ut decedens praeficiat prouinciae quaeſtorem potius, quam legatos. L. Paullo, C. Marcello coſ.*

## *M.Cicero imp. S: D: Q. Thermo propraet.* 18.

*OFFICIVM meum erga Rhodonem, ceteraq. mea ſtudia, quae tibi, ac tuis praeſtiti, tibi, homini gratiſſimo, grata eſſe, uehementer gaudeo; mihiq. ſcito in dies maiori curae eſſe dignitatem tuam: quae quidem a te ipſo integritate, & clementia tua ſic amplificata eſt, ut nihil addi poſſe uideatur. ſed mihi magis magisq. quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum conſilium, quod initio Ariſtoni noſtro, ut ad me uenit, oſtendi; graues te ſuſcepturum inimicitias, ſi adoleſcens potens, & nobilis, a te ignominia affectus eſſet. & hercle ſine dubio erit ignominia. habes enim neminem honoris gradu ſuperiorem. ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipſo uincit uiros optimos, hominesq. innocentiſſimos legatos tuos, quod & quaeſtor eſt, & quaeſtor tuus. nocere tibi iratum neminem poſſe perſpicio: ſed tamen tres fratres, ſummo loco natos, promptos, non indiſertos, te nolo habere iratos, praeſertim iure: quos uideo deinceps tribunos pl. per triennium fore. tempora autem reip. qualia futura ſint, quis ſcit? mihi quidem turbulenta uidentur fore. cur ego te uelim incidere in terrores tribunicios? praeſertim cum ſine cuiuſquam reprehenſione legatis quaeſtorem poſſis anteferre: qui ſi dignum ſe maioribus ſuis praebuerit, ut ſpero, & opto; tua laus ex aliqua parte fuerit: ſin quid offenderit; ſibi totum, nihil tibi offenderit. Quae mihi ueniebant in mentem, quae ad te pertinere arbitrabar; quod in Ciliciam proficiſcebar, exiſtimaui me ad te oportere ſcribere. tu quod egeris, id uelim dij approbent: ſed, ſi me audies, uitabis inimicitias, & poſteritatis otio conſules. Vale.*

# EXPLANATIO

Q. THERMO} Q. Minucio Thermo, qui poſt praeturam Aſiam adminiſtrabat. uide ep. 53. 54. 55. 56. 57. lib. XIII. & ad Att. ep. 13. 20. lib. V. PROPRAETORI.} potuit & praetor appellari. nam ep. 13. lib. V. ad Att. Graeci, inquit, quaſi Epheſio praetori, ſe alacres obtulerunt. Et omnino, qui prouincijs praeeſſent, ſiue conſulatu, ſiue praetura functi, praetores interdum uocabantur: ut epiſtola proxima, proconſul Bibulus cum eſſet, praetor dictus eſt. HOMINI *gratiſſimo,*} ne uideatur noua re gaudere, laudat eum ab ante acta uita: quaſi dicat: etſi nihil a tua conſuetudine alienum exſpectaui, tamen, grata tibi eſſe ſtudia mea, uehementer gaudeo. INTEGRITATE, *& clementia*} cum ex ijs, qui prouincias regerent, paucisſimi auaritiae, & crudelitatis crimine uacarent. NIHIL *addi poſſe*} correctio proximae ſententiae; quia dixit: Mihi ſcito in dies maiori curae eſſe dignitatem tuam. non indiget, inquit, aliena opera dignitas tua: tamen ea mihi curae eſt. Hac prudentiae laude Cicero excellit, ut in ſcribendo, quaſi ſcopulum, uitet arrogantiam. quod indicare operaepraetium exiſtimo. ne, dum uerborum elegantiam ſequimur, peccemus in ſententijs. laude enim in Thermum collata, excuſauit non modo ſuperiora, uerum etiam ea, quae infra ſequuntur. DE *rationibus tuis*} de eo, quod ad te pertinet. ep. 9. lib. I. Quae rationibus reip. putem conducere. Et ep. 2. lib. V. Meae rationes ita tulerunt. Et ep. 2. lib. III. Proſpicias, & conſulas rationibus meis. GRAVES *ſuſcepturum*} animaduertenda tranſlatio; unde ductum, Inimicitias deponere. ADOLESCENS} quaeſtor. IGNOMINIA} ſi prouinciae non praeponatur, cum decedes. nam quaeſtor legatos honoris gradu ſuperabat. quod confirmatur ep. 15. in eo loco: Neque erat ſuperiore honore uſus, quem praeficerem. SVPERIOREM.} honore enim legati a quaeſtore ſuperantur. itaque Phil. X. poſt quaeſtores nominantur in ſententia Ciceronis. Senatui placere, inquit, Q. Hortenſium proconſulem cum quaeſtoribus, proue quaeſtoribus, & legatis ſuis prouinciam Macedoniam obtinere, quoad ei ex S. C. ſucceſſnm ſit. Quod ſi legati praetores antea fuerint, plus uidetur eis proconſul tribuere debere, quam quaeſtoribus. uide ep. 15. ET. QVAESTOR *tuus,*} amplificat ſententiam iteratio uerbi, ut ep. 7. A tribuno pl. & a Curione tribuno. PROMPTOS,} in agendo. NON *indiſertos,*} in dicendo. TERRORES} poterat enim audax tribunus pl. lege lata quem uellet eijcere: quod ipſe Cicero ſenſerat, pulſus a Clodio tribuno pl. PRAEBVERIT,} in adminiſtranda prouincia, cum tu deceſſeris. ep. 18. lib. V. Te colligas, uirumq. praebeas. & ep. 4. lib. IIX. ad Att. Superbum ſe praebuit in fortuna noſtra. & ad eundem ep. 16. lib. XV. Praebeo me credulum. EX ALIQVA *parte*} quandoquidem tu eum prouinciae praefeceris. OFFENDERIT;} peccauerit. ut ep. 2. lib. IX. Quis eſt, qui in tantis tenebris nihil offendat? & ad Lentulum ep. 7. lib. I. Si cecidiſſet, ut uolumus, & optamus, omnes te & ſapienter, & fortiter; ſin aliquid eſſet offenſum, eoſdem illos, & cupide, & temere feciſſe, dicturos. Vide quae diximus ep. 14. lib. V. SIBI *totum,*} tu enim alienam culpam praeſtare non debes. NIHIL *tibi offenderit.*} leporis, ac uenuſtatis aliquid eſt iterato uerbo Offenderit: quale illud ep. XI. Quidquid erit, tibi erit. Et ep. 6. lib. VI. Quidquid ualebo uel auctoritate, uel gratia, ualebo tibi. QVAE *mihi ueniebant in mentem,*} hic quidem cum nominandi caſu: ut etiam in Terentij Phorm. Mihi ueniebat in mentem eius incommodum. Cum generandi autē caſu, ep. 3. lib. VII. Solet in mentem uenire illius temporis. Et lib. V. de Fin. Venit mihi Platonis in mentem. Alibi, nullo caſu adiuncto, cum appendice alterius uerbi, tribus modis. Pro Roſcio Amerino: Tibi in mentem ueniat, facito, quemadmodum uitam huiuſce depinxeris. In Diuin. In mentem tibi non uenit, quid negotij ſit, cauſſam publicam ſuſtinere? Plautus in Mil. Cum uenit in mentem, mores ut mihi mutandi ſient. Animaduertimus, & dandi caſum quandoque omiſſum, ut apud Terentium in Eun. Illud de Rhodio dictum

cum

cum in mentem uenit. et Virgilius Aeneid. lib.IV. Cum uenit in mentem, quorum conſederis aruis? Et Plautus loco proxime recitato. IN. CILICIAM} erat igitur in Aſia; cuius tres dioeceſes prouinciae ſuae attributas eſſe, ſcribit ep.67.lib.XIII.erat autem Laodiceae, ubi manſit ad Idus Maij: quod ſignificat ep.ult.lib.V.ad Att.& 2.lib.VI. ad eundem. ergo ſcripta eſt epiſtola non quibus conſulibus Cicero iuit in prouinciam, Sulpicio, & Marcello, ſed quibus deceſsit Paullo, & Marcello. DII *approbent:*} fortunent. quod enim dij approbant, proſpere ſuccedit. POSTERITATIS *otio*} poſteri temporis otio. Poſteritas enim non ſolum poſteros, uerum etiam poſterum tempus oſtendit: ut or.I.in Catilinam: Si mea uoce perterritus ire in exſulium animum induxeris; uideo, quanta tempeſtas inuidiae nobis, ſi minus in praeſens tempus, recenti memoria ſcelerum tuorum, at in poſteritatem impendeat. Et infra ibidem: An inuideam poſteritatis times? Caeſar etiam lib.I.bel.ci.Habeat rationem poſteritatis, & periculi ſui. CONSVLES.} proſpicies, & conſules, dixit ep.2. lib. III.

# Argumentum ep. ult.

*Oſtendit, aptiorem ſibi quaeſtorem obtingere non potuiſſe: & hortatur, ut maturet in prouinciam uenire, antequam ipſe decedat: pollicetur autem quaecumque ad eum ornandum conferre poterit. Paullo, & Marcello cos.*

*M. Tullius M.F. Cicero imp. S.D. C.Coelio L.F.C.N. Caldo queſt.* 19.

CVM *optatiſſimum nuncium accepiſſem, te mihi quaeſtorem obtigiſſe; eo iucundiorem mihi eam ſortem ſperabam fore, quo diutius in prouincia mecum fuiſſes. magni enim uidebatur intereſſe, ad eam neceſſitudinem, quam nobis ſors tribuiſſet, conſuetudinem quoque accedere. poſtea, cum mihi nihil neque a te ipſo, neque ab ullo alio de aduentu tuo ſcriberetur; uerebar, ne id ita caderet, quod etiam nunc uereor, ne ante, quam tu in prouinciam ueniſſes, ego de prouincia decederem. accepi autem a te miſſas litteras in Cilicia, cum eſſem in caſtris, ad* X. *Kal. Quinct. ſcriptas humaniſſime; quibus facile & officium, & ingenium tuũ perſpici poſſit: ſed neque unde, neque quo die datae eſſent, aut quo tẽpore te exſpectarẽ, ſignificabant: nec is, qui attulerat, a te acceperat: ut ex eo ſcirem, quo ex loco, aut quo tempore eſſent datae. quae cum eſſent incerta; exiſtimaui tamen eſſe faciundum, ut ad te ſtatores meos, & lictores cum litteris mitterem: quas ſi ſatis opportuno tempore accepiſti, gratiſſimum mihi feceris, ſi ad me in Ciliciam quamprimum ueneris. Nam, quod ad me Curius, conſobrinus tuus, mihi, ut ſcis, maxime neceſſarius, quod item* C. *Virgilius, propinquus tuus, familiariſſimus noſter, de te accuratiſſime ſcripſit; ualet id quidem apud me multum, ſicuti debet hominum amiciſſimorum diligens commendatio; ſed tuae litterae, de tua praeſertim dignitate, & de noſtra coniunctione, maximi ſunt apud me ponderis. mihi quaeſtor optatior obtingere nemo potuit. quamobrem quaecumque a me ornamenta in te proficiſcentur: ut omnes intelligant, a me habitam eſſe rationem tuae, maiorumq. tuorum dignitatis. ſed id iam facilius conſequar, ſi ad me in Ciliciam ueneris. quod ego & mea, & reip. & maxime tua intereſſe arbitror. Vale.*

## EXPLANATIO

CALDO} cognomen Coeliorum in antiquo nummo humaniſsimi & eruditiſsimi hominis Fuluij Vrſini. Duos quaeſtores habuit Cicero in Cilicienſi prouincia, L. Meſcinium Rufum, de quo in ep. 19.20.21. lib. V. ep. 26. lib. XIII. ep. 6. lib. VI. & Cn. Voluſium, de quo ep. XI. lib. V. ad Att. in extremo autem anno, diſcedente Voluſio, (ſic enim eſt credendum) ſucceſsit Coelius Caldus, quem prouinciae decedens Cicero praepoſuit. ep. 15. & lib. 6. ad Att. ep. 6. TE. MIHI *quaeſtorem obtigiſſe*;} in pleraſque prouincias cum proconſulibus, aut propraetoribus ſinguli iuris dicundi gratia quaeſtores ibant, in nonnullas bini, ut in Siciliam Lilybetanus, & Syracuſanus: quod ſcriptum eſt apud Aſconium. duos & Cicero habuit in Cilicienſi prouincia, Cn. Voluſium, de quo ep. XI. lib. V. ad Att. & Q. Meſcinium, de quo ep. 26. lib. XIII. ep. 6. lib. XVI. & ad Att. ep. 4. 7. lib. VI. nec tamen alijs, qui eandem prouinciam rexerant, duos quaeſtores fuiſſe arbitror: ſed Ciceroni, ut tres διοικήσεις Aſiaticae extra ordinem, ſic honoris cauſſa duo quaeſtores dati. quorum alter in quattuor ueteribus dioeceſibus, Cilicia, Pamphylia, Lycaonia, Phrygiae maioris parte ultra Maeandrum, quae ab ordinario Ciliciae proconſule, uel propraetore ſimul omnes regebantur, alter in tribus nouis, ademptis Aſiae prouinciae, Laodicea, Cibyra, Apamea ius diceret. Voluſium ſuſpicor ante finem annui imperij, auocatum fortaſſe negotijs, diſceſsiſſe, & in eius locum ſorte Coelium ueniſſe, extremo, ut opinor, menſe adminiſtrationis annuae. nam ep. 5. ad Att. lib.VI. Annuum tempus, inquit, prope iam emeritum habebamus: dies enim XXXIII. erant reliqui. Et infra:

Et infra : Mihi deceſsionis dies λεληθότως obrepebat : qui cum aduenerit ; ἄλλο πρόβλημα, quem praefi-ciam , niſi Coelius quaeſtor uenerit : de quo adhuc nihil certi habebamus . Eum Cicero decedens prouin-ciae praepoſuit . ep. 15. & ad Att. ep. 6. lib. VI. EAM . SORTEM} proconſules, & propraetores aut ſortiebantur prouincias , aut comparabant inter ſe : quod ep. 9. lib. I. oſtendimus : quaeſtores autem non comparatione, quod equidem ſciam , ſed ſortitione ibant in prouincias . lib. III. ad Q. Fr. Quae-ſtorem habes non tuo iudicio delectum , ſed eum , quem ſors dedit . Et pro Murena : Quaeſtura utriusque propemodum pari momento ſortis fuit . Interdum tamen petentibus proconſulibus dabatur , ut , quem uellent , quaeſtorem ſine ſorte delectum in prouincias ducerent . quod Caeſar , Pompeiusq. impetrarunt . ep. 6. ad Att. lib. VI. Pompeius Q. Caſsium ſine ſorte delegit, Caeſar Antonium : ego ſorte datum offen-derem ? Nec tamen id ſine S. C. aut ſine lege factum. de S. C. Liuius lib. XXX. Laelium , cuius ante legati, eo anno quaeſtoris extra ſortem ex S. C. opera utebatur , cum Italico equitatu ab ſiniſtro cornu oppoſuit . De lege Cic. or. 2. in Antonium : Quaeſtor es factus : deinde continuo ſine S. C. ſine ſorte , ſine lege ad Caeſarem cucurriſti . AD *eam neceſſitudinem, quam nobis ſors tribuiſſet ,*} maximam ſcilicet , ac libero-rum neceſsitudini proximam . quod enim ſorte eueniebat; id euenire deorum uoluntate ueteres arbitraban-tur. propterea ſors diuina uocatur . Phil. 3. Qui ſunt , inquit , quos ſors diuina delectet ? Et poſt : Duarum credo prouinciarum ſortes minus diuinas fuiſſe . Et in Diuinatione : Accuſaui eum , cui quaeſtor fueram , quicum me ſors conſuetudoq. maiorum, qui cum me deorum, hominumq. iudicium coniunxerat . Quod ad neceſsitudinem attinet , Mos maiorum , inquit ep. 10. lib. XIII. hanc quaeſturae coniunctionem libe-rorum neceſsitudini proximam uoluit eſſe . & ep. 26. eiusdem libri : L. Meſcinius mihi quaeſtor fuit : ſed hanc cauſſam , quam ego , ut a maioribus accepi , ſemper grauem duxi , fecit uirtute ſua iuſtiorem . Et in Diuinatione , & oratione pro Plancio . Neceſsitudo autem , & Neceſsitas idem ſunt, & duobus modis ac-cipiuntur , uel pro coniunctione ſanguinis , aut amoris , & officij. ut pro Sulla : Si noſtram neceſsitatem, familiaritatemq. uiolaſſet . Et in oratione C.Caeſaris , qua legem Plautiam ſuaſit : Equidem mihi uideor pro noſtra neceſsitate non labore , non opera , non induſtria defuiſſe . Vel pro eo , quod neceſſe eſt : ut ſaepe apud Ciceronem , Salluſtium , & alios . uide Gellium lib. XIII. cap. 3. POSTEA , *cum*} ſic olim emendaui contra ueteres libros , ſecutus uidelicet conſuetudinem Latinae linguae : quod alij , ut ui-deo , poſtea probarunt . moneo tamen lectorem, in omnibus antiquis libris, & quos ante multos annos ui-di , & quibus nunc utor , plane ſcriptum eſſe , Poſtea quam , mendi origine , ut opinor, inde ducta , quod ueteres, quom , pro cum , ſcribere ſoliti ſunt . libro etiam XI. ep. 12. ad Att. idem mendum ſuſtuli . item lib. 2. de leg. quis non uidet ita legendum , Poſtea , cum ſumptuoſa fieri funera coepiſſent : non , Poſtea , quam . NIHIL *neque a te ipſo ,*} idem ſcripſit ad Att. ep. 4. lib. VI. IN . CILICIA,} quo ſe iturum nonis Maij , dixit ep. 13. IN . CASTRIS ,} ut rem militarem ante deceſsionem ſuam col-locaret . ep. 13. OFFICIVM ,} erga me : quia ſcripſiſti humaniſsime . INGENIVM} quia ſcripſiſti elegantiſsime . OPPORTVNO} ut ante , quam decedam , in prouinciam uenire poſsis . C. VIRGILIVS ,} qui Siciliam propraetor adminiſtrauerat , ut in oratione pro Plancio . Mirum eſt, quam hic omnes in mendo conſentiant ueteres libri , cum habeant, Conſul Virgilius : qui numquam con-ſul fuit . ex littera, C. quam librarij pro , Conſul, interpretati ſunt , uitium fluxit . DE . TVA *praeſer-tim dignitate,*} Dignitatem hic pro honore potius , quam pro exiſtimatione, quae res geſtas conſequitur , Cicero uſurpat , ut ep. 9. CONIVNCTIONE,} quaeſtor enim ei , cui quaeſtor obtigit , artiſsimo neceſsitudinis uinculo coniungitur . ep. 10. lib. XIII. QVAECVMQVE} alibi ponitur pro , Omnia quae , ſubſequentibus duobus uerbis : ut , Quaecumque facis , mihi grata ſunt : hic pro Omnia , ſimplici-ter , unico ſubiuncto uerbo : quidquid garriat inepta grammaticorum turba . ubi enim eorum auctoritate, qui Latini ſermonis uſu, & ſcientia floruerunt , probari aliquid poſſe uideo ; quisquilias contemno . Sic ad Att. ep. 21. lib. III. Te oro , ut , ſi quid erit , quod perſpicias , quamcumque in partem , quam planiſsime ad me ſcribas . Et ad eundem lib. XII. Et in Catilinam orat. 2. Quae ſanari poterunt , quacumque ratio-ne ſanabo . De Oratore : Permultos excellentes in quocumque genere uidebis . Et Virg. lib. III. Aen. IN . TE . PROFICISCENTVR :} ad Appium ep. 1. lib. III. Intelligo omnia , quae a me profe-cta ſunt in te, tibi accidiſſe gratiſsima . MAXIME *tua*} quia cogitabat eum decedens prouinciae prae-ponere . ep. 15. & ad Att. ep. 4. lib. VI. cum de quaeſtore Meſcinio bene non exiſtimaret , ut ibidem oſten dit , & ep. 3 eiusdem libri .

IN · EPISTOLARVM

# M · TVLLII · CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . TERTIVM

AD . APPIVM

# PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

---

## Argumentum ep. I. lib. III.

*TOtus hic ad Appium, P. Clodij fratrem, ſcriptus liber eſt: primae ſex epiſtolae Ser. Sulpicio, M. Marcello cos ſeptima L. Paullo, C. Marcello. octaua ante ſeptimam collocari debuit, cum ſcripta ſit Octobri menſe, ante deuictos Amanienſes: quod in extremo ſignificatur: ex quo patet, ſcriptam eſſe Sulpicio, & Marcello cos. quinque reliquae ſcriptae ſunt conſulatum gerentibus Paullo, & Marcello. Primam epiſtolam Phaniae, Appij liberto, dedit: eoq. breuitatem excuſat, quod a liberto prudentiſsimo, ac diligentiſsimo, poſſet Appius omnem reip. ſtatum optime cognoſcere. Suam in Appium beneuolentiam declarat: eumq. tacite hortatur, ut Clodiam gentem, ſibi adhuc, propter contentiones P. Clodij, non amicam, ſecum in gratiam reducat. Laudat alterum eius libertum Cilicem, ut Phaniam tamen pluris facere uideatur. Valerium iuriſconſultum, non ſine ioco, commendat.*

## *M. Cicero S. D. Appio Pulchro imp.* I.

*S*I IPSA *reſp. tibi narrare poſſet, quomodo ſeſe haberet; non facilius ex ea cognoſcere poſſes, quam ex liberto tuo Phania: ita eſt homo non modo prudens, uerum etiam, quod uidi, curioſus. quapropter ille tibi omnia explanabit. id enim mihi & ad breuitatem eſt aptius, & ad reliquas res prouidentius. De mea autem beneuolentia erga te etſi potes ex eodem Phania cognoſcere, tamen uidentur etiam aliquae meae partes. Sic enim tibi perſuade, cariſſimum te mihi eſſe cum propter multas ſuauitates ingenij, officij, humanitatis tuae; tum quod ex litteris tuis, et ex multorum ſermonibus intelligo, omnia, quae a me profecta ſunt in te, tibi accidiſſe gratiſſima. quod cum ita ſit; perficiam profecto, ut longi temporis uſuram, qua caruimus, intermiſſa noſtra conſuetudine, & gratia, crebritate, & magnitudine officiorum meorum ſarciam. idq. me, quoniam tu ita uis, puto non inuita Minerua eſſe facturum: quam quidem ego ſi forte de tuis ſumpſero, non ſolum Pallada, ſed etiam Appiada nominabo. Cilix, libertus tuus, antea mihi minus fuit notus; ſed, ut mihi reddidit a te litteras, plenas & amoris, & officij, mirifice ipſe ſuo ſermone ſubſecutus eſt humanitatem litterarum tuarum. iucunda mihi eius oratio fuit, cum de animo tuo, cum de ſermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret. qu id quaeris? biduo factus eſt mihi familiaris, ita tamen, ut Phaniam ualde ſim deſideraturus. quem cum Romam remittes, quod, ut putabamus, celeriter eras facturus; omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari a me uoles, mandata des uelim. L. Valerium iuriſconſultum ualde tibi commendo, ſed ita etiam, ſi non eſt iuriſconſultus. melius enim ei cauere uolo, quam ipſe alijs ſolet. ualde hominem diligo. eſt ex meis domeſticis, atque intimis familiaribus. omnino tibi agit gratias: ſed idem ſcribit, meas litteras maximum apud te pondus habituras. id eum ne fallat, te etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

APPIO } eius Ap. Clodij filio, qui cum P. Seruilio Iſaurico conſul fuerat, anno urbis DCLXXIV. Obijt poſt pugnam Pharſalicam, ut auctor eſt Valerius lib. I. cap. 6. Repudiatum ab hac gente Lucij praenomen, ob turpem duorum gentilium uitam, Suetonius oſtendit. PVLCHRO } gentis Claudiae fuere Pulchri, Nerones, Marcelli; patricij Pulchri, & Nerones, plebeij Marcelli. quod Aſconius, alijq. tradiderunt. Nobilitatam hanc gentem duobus de triginta conſularibus, dictaturis quinque, cenſuris ſeptem, triumphis ſex, duabus ouationibus, in Tiberij uita Suetonius dixit. IMP. } ex qua pugna ſit hoc nomen adeptus, non apparet: rem tamen ab eo bene geſtam, non modo haec inſcriptio, quae imperatorem nominat, ſed ultima etiam epiſtola declarat: nam in ea ſuum ſtudium Cicero in ſupplicatione ob res proſpere geſtas Appio decernenda commemorat. Sperauit etiam triumphum: quem ei P. Dolabellae ademit accuſatio, ut epiſtolae duae demonſtrant, una Ciceronis, decima huius libri, altera Coelij, nona lib. IIX. QVOD *uidi,* } & aperta ſententia eſt, & ita legitur in ſeptem antiquis libris. alijs placuit, Quod iuuet: quod quale ſit, eruditi iudicabunt. RELIQVAS *res* } quas ab illo de ſtatu reip. audies. PROVIDENTIVS. } prouidentia periculum uitat. Prouidentius igitur dixit, pro, maioris cautionis. poſſunt enim in alienas manus litterae peruenire. VIDENTVR *aliquae meae partes.* } ut aliquid ego quoque tibi ſignificem. INGENII, } quod amorem conciliat, ut enim corpori ualetudo integra, color optimus, apta membrorum compoſitio, ſic animo ſpecies quaedam, & pulchritudo ingenium eſt, omnis autem pulchritudo amorem conciliat. OFFICII, *humanitatis* } latius patet humanitas, quam officium. GRATISSIMA. } ex quo intellexi, te bona fide mecum in gratiam redijſſe. CARVIMVS, } ob inimicitias P. Clodij, Appij fratris, qui anno proximo perierat, a Milone, Ciceronis amiciſsimo, interfectus. QVONIAM *tu ita uis,* } tibi placet officijs coli amicitiam noſtram: quod ſi tibi non placeret, facerem inuita Minerua. qui ſi efficies, ut idem tuis quoque propinquis placeat; (tacite Appium hortatur, ut reliquos Clodios, ob ueteres cum P. Clodio inimicitias infenſos, ſibi reconciliet) eandemq. Mineruam, quam abs te non inuitam habeo, ab ipſo accipiam: ego plane hoc non Mineruae magis, quam tibi, referam acceptum, & iure eam non tam Pallada, ut uocatur, quam Appiada, de tuo nomine, nuncupabo. Iocum autem Cicero quaeſiuit in nominibus ſimiliter deſinentibus. In Mediceo libro, Graecis litteris maiuſculis, πΑλλΑΔΑ, ſcriptum eſt. NON *inuita Minerua* } feliciter, ſucceſſu proſpero. abijt in adagium, Inuita, uel non inuita Minerua aliquid facere. ep. 25. lib. XII. Cauſſam tuam egi non inuita Minerua. Offic. lib. I. Nihil decet inuita, ut aiunt, Minerua. Et Horatius in Arte poetica: Tu nihil inuita dices, faciesue Minerua. CILIX, } quod ſeruis nomen fuerat, idem liberti retinebant, licet praenomen etiam, & gentilicium nomen eius, a quo liberabantur, aſſumerent. Cilix autem hic uocabatur, quia ſaepe a patria ſerui appellabantur, ut Aegypta in ep. 13. lib. XVI. PHANIAM } ad te proficiſcentem, cuius frui conſuetudine, licet Cilicem habeam, ualde cuperem. ep. 13. lib. 2. IVRISCONSVLTVM } eundem antea Lentulo, Ciliciae proconſuli,

conſuli, commodarat ep.ult.lib.I.eſt autem is, de quo ep.XI.lib.VII. SI. NON *eſt*} non eſt iocus a ueritate ſeiunctus.ep.ult.lib.I. ALIIS} quorum cauſſas recipit, nec optime defendit. AGIT *gratias:*} quod humaniter eum tractes.

# Argumentum ep. 2.

*Ciliciam prouinciam ſortitus, rogat Appium, ut eam ſibi quam maxime aptam, explicatamq tradat; quo ſit ei, cum ſucceſſerit, facilior, & commodior adminiſtratio.*

## *Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp.* 2.

*CVM & contra uoluntatem meam, & praeter opinionem accidiſſet, ut mihi cum imperio in prouinciam proficiſci neceſſe eſſet: in multis, & uarijs moleſtijs, cogitationibusq. meis haec una conſolatio occurrebat, quod neque tibi amicior, quam ego ſum, quiſquam poſſet ſuccedere; neque ego ab ullo prouinciam accipere, qui mallet eam mihi quam maxime aptam, explicatamq. tradere. quod ſi tu quoque eandem de mea uoluntate erga te ſpem habes: ea te profecto numquam fallet. A te maximopere pro noſtra ſumma coniunctione, tuaq. ſingulari humanitate etiam atque etiam peto, & quaeſo, ut, quibuſcumque rebus potes, (potes autem plurimis) proſpicias, & conſulas rationibus meis. uides ex S. C. prouinciam eſſe habendam. ſi eam, quoad eius facere potueris, quam expeditiſſimam mihi tradideris: facilior erit mihi quaſi decurſus mei temporis. quid in eo genere efficere poſſis, tui conſilij eſt. ego te, quod tibi ueniet in mentem mea intereſſe, ualde rogo. Pluribus uerbis ad te ſcriberem, ſi aut tua humanitas longiorem orationem exſpectaret; aut id fieri noſtra amicitia pateretur; aut res uerba deſideraret, ac non pro ſe ipſa loqueretur. hoc uelim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis a te prouiſum eſſe intellexero, magnam te ex eo, et perpetuam uoluptatem eſſe capturum. Vale.*

## EXPLANATIO

CONTRA *uoluntatem meam,*} depoſuit enim prouinciam conſul: qua de re in ep.2. lib. V. in ea uero ad Catonem lib.XV. Si quiſquam, inquit, fuit umquam remotus & natura, & magis etiam, ut mihi quidem ſentire uideor, ratione, atque doctrina, ab inani laude, & ſermonibus uulgi; ego profecto is ſum. teſtis eſt conſulatus meus: in quo, ſicut in reliqua uita, fateor ea me ſtudioſe ſecutum, ex quibus uera gloria naſci poſſet: ipſam quidem gloriam per ſe numquam putaui expetendam. itaque & prouinciam ornatam, & ſpem non dubiam neglexi. CVM *imperio*} duabus legibus dato, Cornelia a ſenatu, Curiata a populo. MOLESTIIS,} confirmat illud, Contra uoluntatem meam. QVAM *ego ſum,*} artificium petentis. uoluntatis enim optimae ſignificatio parem elicit uoluntatem. PRO *noſtra ſumma coniunctione,*} iure, Summa, dixit: quia coniungebantur & collegio, cum eſſet uterque augur, & beneuolentia, poſt gratiam reconciliatam. itaque dixit ep.ſequenti, Succeſſori coniunctiſsimo, & amiciſsimo. Et ep.4. Collegij coniunctio non mediocrem uinculum mihi quidem attuliſſe uidetur ad uoluntates noſtras copulandas. POTES *autem plurimis,*} habet ornamentum iteratio uerbi: ut ep.5.lib.VI. Quotieſcumque filium tuum uideo, (uideo autem fere quotidie) polliceor ei ſtudium meum. uide illud, Si qui ſunt, qui uelint, qui pauci ſunt, ep.I.lib.I. EX. S. C.} decreuerat enim ſenatus, ut duas prouincias conſulares, Syriam, & Ciliciam Bibulus, & Cicero ſortirentur. Ciceroni Cilicia obtigerat. huius S. C. mentio fit ep.7.& 13.lib.2.& 7.lib.XV. hic autem lex non nominatur, quia lata nondum erat: ſed lata paullo poſt. nominatur autem ep.7.lib.XV. QVOAD *eius facere potueris,*} quantum in te erit. nota locutio. QVASI *decurſus*} lenitur interdum tranſlatio praepoſito uerbo, Quaſi, aut eiuſmodi alio: quod Ciceronis, Demetrij, & alij aliorum libri oſtendunt. IN. EO *genere*} uide illud, in eo genere, ep.I.lib.2. TVI *conſilij eſt.*} tu conſiderabis. Appij prudentiam, & ſimul modeſtiam ſuam, qui nihil petat nominatim, oſtendit. PLVRIBVS *uerbis*} clauſula in primis efficax ad impetrandum. nam & ea nominat, quae mouere Appium debeant; & id ipſum tamen diſsimulat, ne diffidere uideatur aut Appij uoluntati, aut prudentiae. RES} cum is, qui prouinciam ſucceſſori tradit, operam omnino dare debeat, uel honoris ſui, uel reip. cauſſa, ut eam quam maxime aptam, explicatamq. tradat. PRO SE} cur ego pro ipſa re plura dicam; cum ſatis ipſa pro ſe loquatur? patet enim, quid te in tradenda mihi, tui amantiſsimo, prouincia facere oporteat. VOLVPTATEM *eſſe capturum.*} cum officij me tui memorem, gratumq. cognoſces.

# Argumentum ep. 3.

*Significat ſe Brundiſium ueniſſe; cum Fabio, Appij legato, locutum eſſe: antequam ab urbe diſcederet, nihil a ſenatu decretum, Sulpicio conſule repugnante, ut ſuis, Bibuliq. legionibus in Italia ſupplementum ſcriberetur. Petit idem, quod in proxima epiſtola, ut Appius in tradenda prouincia commodet ſibi quam maxime poteſt, praecipue, ne numerum militum imminuat.*

## *Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp.* 3.

*AD XI Kal. Iun. Brundiſium cum ueniſſem, Q. Fabius, legatus tuus, mihi praeſto fuit, eaq. me ex tuis mandatis monuit, quae non modo mihi, ad quem pertinebant, ſed uniuerſo ſenatui uenerant in mentem, praeſidio firmiori opus eſſe ad iſtam prouinciam: cenſebant enim omnes fere, ut in Italia ſupplementum meis, & Bibuli legionibus ſcriberetur. id cum Sulpicius conſul paſſurum ſe negaret; multa nos quidem queſti ſumus; ſed tantus conſenſus ſenatus fuit, ut mature proficiſceremur, parendum ut fuerit: itaq. fecimus. Nunc, quod a te petij litteris ijs, quas Romae tabellarijs tuis dedi, uelim tibi curae ſit, quae ſucceſſori coniunctiſſimo, & amiciſſimo commodare poteſt is, qui prouinciam tradit, ut ea, pro noſtra conſtantiſſima uoluntate, cura, ac diligentia tua complectare: ut omnes intelligant, nec me beneuolentiori cuiquam ſuccedere, nec te amiciori potuiſſe prouinciam tradere. Ex ijs litteris, quarum exemplum ad me miſiſti, quas in ſenatu recitari uoluiſti, ſic intellexeram, permultos a te milites eſſe dimiſſos: ſed mihi Fabius idem demonſtrauit, id te cogitaſſe facere, ſed, cum ipſe a te diſcederet, integrum militum numerum fuiſſe. id ſi ita eſt; pergratum mihi feceris, ſi iſtas exiguas copias, quas habuiſti, quamminimum imminueris. qua de re S. C. quae facta ſunt, ad te miſſa eſſe arbitror. equidem pro eo quanti te facio, quidquid feceris, approbabo: ſed te quoque confido ea eſſe facturum, quae mihi intelliges maxime eſſe accommodata. Ego C. Pontinium, legatum meum, Brundiſii exſpectabam: eumq. ante Kal. Iun. Brundiſium uenturum arbitror. qui cum uenerit; quae primum nauigandi nobis facultas data erit, ea utemur. Vale.*

# EXPLANATIO

BRVNDISIVM } ubi duodecim amplius dies, & ualetudinis incommodo, & Pontinij, legati ſui, exſpectatione commoratus eſt. ep.8.lib.v.ad Att. PRAESIDIO } ob metum Parthici belli. SVPPLEMENTVM } ut ad binas legiones, quas & Cicero, & Bibulus habuit, copiae adderentur. BIBVLI } cui Syria obtigerat, poſt Craſſum a Parthis interfectum. LEGIONIBVS } Plutarchus, cum Cicerone in Ciliciam iuiſſe narrat duodecim millia peditum, duo millia, & ſexcentos equites. quamquam in equitum numero ſuſpicor eſſe mendum. non enim cum duabus legionibus tantus uidetur equitatus eſſe potuiſſe. niſi ſi ſexcenti Romani, reliqui omnes auxiliarij, extra ordinem, metu ſcilicet Parthici equitatus: qui poſt Craſsi necem, imminere Romanis prouincijs uidebatur. SVLPICIVS *conſul* } Ser. Sulpicius Rufus, ex tribu Lemonia, iuris ciuilis cognitione excellens; cuius praeclaram habemus epiſtolam, qua Ciceronem conſolatus eſt, lib.IV. PASSVRVM *ſe negaret*; } ne exhauriretur militibus Italia, ſi forte delectum nouarum copiarum tempora reip. poſtularent. MVLTA *queſti ſumus*; } ego, & Bibulus. notandum loquendi genus. ſic alibi, Multa peccas. &, Multa deos uenerati, dixit Caecina ep.7.lib.VI. TABELLARIIS } Tabellarij dicti a tabellis codicillorum, quod eas ultro citroq. ferrent ante chartae & membranarum uſum: ut librarij a libris arborum, in quibus epiſtolae ſcribebantur. beatus Hieronymus ep. 42. ad Niceam. CONIVNCTISSIMO, } non refertur ad beneuolentiam. quorſum enim proxime ſubiunxiſſet, Et amicisſimo? ſed ad adiunctionem auguratus; quae alterum alteri non leuiter commendabat. Sed, quia fieri poterat, ut, qui ſimul augures eſſent, inter eos tamen amor non eſſet; ideo intulit, & amicisſimo: ut ſe non ſolum collegii iure, uerum etiam beneuolentia coniunctum Appio ſignificaret. nominat eandem collegii coniunctionem ep. ſequenti. PRO *noſtra conſtantiſſima uoluntate*, } ſic quinque libri ueteres: duo, & Mediceus, Pro noſtra conſociatisſima. ut uoluntas utriuſque, poſt reditum in gratiam conſociatisſima dicatur. Sin, Conſtantisſima, retinemus: utriuſque parem in conſtantia uoluntatem, quae poſt reditum in gratiam officiis mutuis declarata fuerat, ſignificari credamus. quam ſententiam confirmat illud ep.13.lib.2. Ego Appium ualde diligo: meq. ab eo diligi ſtatim coeptum eſſe, ut ſimultatẽ depoſuimus, ſenſi. nam & honorificus in me conſul fuit, & ſuauis amicus, & ſtudioſus ſtudiorum etiam meorum. mea uero officia ei non defuiſſe, tute es teſtis. Conſtantiam ſuam infra quoque, ep.9. Cicero nominat. Quod quiſque magis probat, id ſequatur. INTEGRVM } ab eſſe tamen tres cohor-

tes comperit. mendax igitus Fabius; uerae autem Appii ad ſenatum litterae de militibus dimiſsis. ep. 6. S.C.} de non imminuendis copiis. C. PONTINIVM, *legatum*} praetorium, ac triumphalem. hunc Πομπτῖνον, & Πομπῖνον Graeci libri nominãt: ex Latinis alii Pomptinum, alij Pomitinũ, nonnulli, quos ſecutus ſum, Pontinium: ut inter Romanas gentes, quae in ius deſinebant, agnoſcatur. Ciceronis, Ciliciae proconſulis, quaeſtores fuere L. Meſcinius, Cn. Voluſius, C. Coelius; legati, Q. Cicero, eius frater, C. Pontinius, M. Anneius, L. Tullius, tribunus mil. Q. Fufidius; praefectus euocatorum, Antonius; praefectus fabrum, Q. Lepta; ſcriba, M. Tullius; accenſus, Pauſanias; interpres, M. Marcilius. de quaeſtore Meſcinio, ep. 19. & 20. lib. 5. ep. 26. lib. XIII. ep. 6. lib. XVI. De Voluſio, ep. XI. lib. V. ad Att. De Coelio, qui paucis diebus ante, quam Cicero decederet, in prouinciam uenit, ep. 19. lib. 2. & ad Att. ep. 5. lib. VI. De legatis, ep. 4. lib. XV. De tribuno mil. ep. 12. lib. XIII. De praefecto euocatorum ep. 6. h. lib. De praefecto fabrum, ep. 7. h. lib. De ſcriba, ep. 20. lib. V. De accenſo, ep. 7. h. lib. De interprete, ep. 54. lib. XIII.

---

# Argumentum ep. 4.

*Exſpectari a ſe ſcribit L. Clodium cum Appij mandatis. ſuum ſtudium, atque officium in omnibus rebus pollicetur. cauſſas, quibus ad eum diligendum adducatur, commemorat. Negotiale principium, reliqua fere moralia.*

## *Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp.* 4.

PRIDIE *non. Iun. cum eſſem Brundiſii, litteras tuas accepi; quibus erat ſcriptum, te L. Clodio mandaſſe, quae illum mecum loqui uelles. eum ſane exſpectabam, ut ea, quae a te afferret, quamprimum cognoſcerem. Meum ſtudium erga te, & officium tametſi multis iam rebus ſpero tibi eſſe cognitum, tamen in ijs maxime declarabo, quibus plurimum ſignificare potuero, tuam mihi exiſtimationem, & dignitatem cariſſimam eſſe. Mihi & Q. Fabius Virgilianus, & C. Flaccus L. F. & diligentiſſime M. Octauius Cn. F. demonſtrauit, me a te plurimi fieri: quod egomet multis argumentis iam antea iudicaram, maximeq. illo libro augurali, quem, ad me amantiſſime ſcriptum, ſuauiſſimum miſiſti. mea in te omnia ſumma neceſſitudinis officia conſtabunt. nam cum te ipſum, ex quo tempore tu me diligere coepiſti, quotidie pluris feci: tum acceſſerunt etiam coniunctiones neceſſariorum tuorum. duos enim duarum aetatum plurimi facio, Cn. Pompeium, filiae tuae ſocerum, & M. Brutum, generum tuum. collegijq. coniunctio, praeſertim tam honorifice a te approbata, non mediocre uinculum mihi quidem attuliſſe uidetur ad uoluntates noſtras copulandas. Sed, ſi Clodium conuenero; ex illius ſermone ad te ſcribam plura; & ipſe operam dabo, ut te quamprimum uideam. Quod ſcribis, manendi tibi cauſſam eam fuiſſe, ut me conuenires: id mihi, ne mentiar, gratum eſt. Vale.*

## EXPLANATIO

CLODIO} praefecto fabrum. ep. 8. MEVM *ſtudium erga te, & officium,*} ſtudio uoluntas, officio res ipſa declaratur. Q. FABIVS} Fabiam gentem a Fabio, Herculis filio, dictam, ait Plutarchus. id probare uidetur Feſtus: apud quem ſcripta ſunt haec: Fouii, qui nunc Fabii dicuntur, dicti, quod princeps gentis eius ex ea natus ſit, cum qua Hercules in fouea concubuit. Deinde ſubiungit: Alii putant eũ primũ oſtendiſſe, quemadmodũ urſi, & lupi foueis caperentur. VIRGILIANVS,} a Virgilijs in Fabios adoptionis iure trãſierat. FLACCVS} Valeriorũ cognomen. M. OCTAVIVS. CN. F.} qui hoc anno aedilitatẽ curulẽ cum M. Coelio petiit. ep. 2. lib. IIX. LIBRO *augurali,*} de augurum diſciplina ſcripto: de quo fit mentio ep. 9. & XI. & apud Feſtum. AMANTISSIME} amore enim adductus uidebatur, ut eum librum ad Ciceronem ſcripſerit. MISISTI.} unum Appius miſerat, reliquos miſſurum ſe pollicitus erat. ideo ep. 9. Velim, quod reliquum eſt promiſsi, ac muneris tui, mihi perſoluas. Et ep. XI. cum ſcripſiſſet Appius, confeciſſe iam ſe reliquos libros, ac miſſurum; reſpondit Cicero: Augurales libros ad commune utriuſque noſtrum otium ſerua. SVMMA *neceſſitudinis officia*} quae ſumma eſſe poſſunt noſtrae coniunctionis officia. Placeret, Summae neceſsitudinis. CONSTABVNT.} non obſcura erunt, ſed patebunt. ep. ſequenti. & 34. lib. X. EX. QVO *tempore*} depoſitas ab Appio, & Cicerone inimicitias iam ante P. Clodij necem, atque adeo ante Appij conſulatum, indicat ep. 10. & lib. 2. ep. 13. & oratio pro Milone. DVARVM *aetatum*} ſeneſcente iam Pompeio, Bruto iuuene. utrumque cum laude nominat ep. XI. FILIAE *tuae ſocerum,*} duo Pompeii filii fuere, Cnaeus, & Sextus. Appii generum puto Cnaeum fuiſſe. nam Sexti coniugem Libonis filiam apud Dionem inuenio. GENERVM *tuum.*} poſtea Porciam, Catonis Vticenſis, auunculi ſui, filiam, duxit uxorẽ, Appij filia dimiſſa: quod ex epiſtolis ad Atticum intelligitur. COLLEGII} cum augur uterque eſſet. ep. 13. lib. 2. HONORIFICE *a*

*te approbata,*} ſcripto ad me augurali libro. ep.9. & xi. NON *mediocre uinculum*} apud maiores enim nō modo amicitiam uiolari fas non erat, ſed ne cooptari quidem ſacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio eſſet inimicus. ep.10. NE *mentiar,*} licet nihil te, mea cauſſa, contra commodum tuum uelim facere.

## Argumentum ep. 5.

*AGit Appio gratias, quod operam dederit, ut ſibi quam maxime expeditam prouinciam traderet: deinde rationem exponit itineris ſui; quo certius de congreſſu ſtatuere Appius poſsit.*

### *Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp.* 5.

TRALLES *ueni ad* V I. *Kal. Sext. ibi mihi praeſto fuit L. Lucilius cum litteris, mandatisq. tuis: quo quidem homine neminem potuiſti nec mihi amiciorem, nec, ut arbitror, ad ea cognoſcenda, quae ſcire uolebam, aptiorem, prudentioremue mittere. ego autem & tuas litteras legi libenter, & audiui Lucilium diligenter. Nunc, quoniam & tu ita ſentis; (ſcribis enim, quae de noſtris officijs ego ad te ſcripſerim, etſi ea iucunda fuerunt, tamen, quoniam ex alto repetita ſint, non neceſſaria te putaſſe) & re uera, confirmata amicitia, & perſpecta fide, commemoratio officiorum ſuperuacanea eſt: eam partem orationis praetermittam. tibi tamen agam, ut debeo, gratias. animaduerti enim, & didici ex tuis litteris, te omnibus in rebus habuiſſe rationem, ut mihi conſuleres, reſtitueresque, & praeparares quodam modo omnia, quo mea ratio facilior, & ſolutior eſſe poſſet. hoc tuū officium cum mihi gratiſſimum eſſe dicam; ſequitur illud, ut te exiſtimare uelim mihi magnae curae fore, atque eſſe iam, primum ut ipſe tu, tuiq. omnes, deinde etiam ut reliqui ſcire poſſint, me tibi eſſe amiciſſimum. quod quibus adhuc non ſatis eſt perſpectum, ij mihi nolle magis hoc animo nos eſſe, quam non intelligere uidentur. ſed profecto intelligent. neque enim obſcuris perſonis, nec paruis in cauſſis res agetur. ſed hoc fieri melius, quam dici, aut ſcribi, uolo. Quod itinerum meorum ratio te non nullam in dubitationem uidetur adducere, uiſurus ne me ſis in prouincia; ea res ſic habet. Brundiſij cum loquerer cum Phania, liberto tuo, ueni in eum ſermonem, ut dicerem me libenter ad eam partem prouinciae primum eſſe uenturum, quo te maxime uelle arbitrarer. tunc mihi ille dixit, quod claſſe tu uelles decedere, per fore accommodatum tibi, ſi ad Sidam, maritimam partem prouinciae, nauibus acceſſiſſem. dixi me eſſe facturum: itaq. feciſſem, niſi mihi L. Clodius noſter Corcyrae dixiſſet, minime id eſſe faciendum: te Laodiceae fore ad meum aduentum. erat id mihi multo breuius, multoq. commodius, cum praeſertim te ita malle arbitrarer. tua ratio poſtea eſt commutata. nunc, quid fieri poſſit, tu facillime ſtatues. ego tibi meum conſilium exponam. Pridie Kal. Sext. puto me Laodiceae fore; ubi perpaucos dies, dum pecunia accipitur, quae mihi ex publica permutatione debetur, commorabor; deinde iter faciam ad exercitum: ut circiter idus Sext. putem me ad Iconium fore. ſed, ſi quid nunc me fallit in ſcribendo; (procul enim aberam ab re ipſa, & locis) ſimul ac progredi coepero, quam celerrimis potero, & quam creberrimis litteris faciam, ut tibi nota ſit omnis ratio dierum, atque itinerum meorum. oneris tibi imponere nec audeo quidquam, nec debeo: ſed, quod tuo commodo fieri poſſit, utriuſque noſtrum magni intereſt, prius ut te conueniam, quam decedas. quam facultatem ſi quis caſus eripuerit; mea tamen in te omnia officia conſtabunt non ſecus, ac ſi te uidiſſem. Tibi de noſtris rebus nihil ſum ante mandaturus per litteras, quam deſperaro, coram me tecum agere poſſe. Quod te a Scaeuola petiſſe dicis, ut, dum tu abeſſes, ante aduentum meum prouinciae praeeſſet: eum ego Epheſi uidi; fuitq. mecum familiariter triduum illud, quod ego Epheſi commoratus ſum; nec ex eo quidquam audiui, quod ſibi a te mandatum diceret. ſane uellem potuiſſe obſequi uoluntati tuae: non enim arbitror uoluiſſe. Vale.*

## EXPLANATIO

TRALLES} urbem Lydiae. NEMINEM *potuiſti*} captat beneuolentiam ab Appij prudentia. EX. ALTO *repetita*} hae Ciceronis litterae non exſtant. CONFIRMATA} mutuis officijs. FIDE,} fidem nominat, quia redierant in gratiam. ep. 8. Si quis eſt, qui neminem bona fide in gratiam putet redire poſſe; non noſtram is perfidiam coarguit, ſed indicat ſuam. VT. MIHI *conſuleres,*} ut mihi expeditam prouinciam traderes. MEA *ratio*} meum prouinciale munus, totum negotium, quod ad prouinciam pertinet. SOLVTIOR} ſine impedimento. ſic ep. 9. lib. I. Si mihi eſſent omnia ſolutiſsima: pro, ſi meam uoluntatem nulla res impediret. Quod autem hic dixit, Mea ratio facilior, ac ſolutior, ep. 2. Facilior erit quaſi decurſus mei temporis. SEQVITVR *illud,*} nam apud bonos uiros gratia gratiam parit. QVIBVS *adhuc*} poſt reconciliationem reſident nonnumquam ueteris odij reliquiae, praeſertim ſi grauiores iniuriae anteceſſerint, quales a P. Clodio, Appij fratre, Cicero tulerat. ideo ſuſpicari poterant homines, non eſſe Appio Ciceronem amiciſsimum. ep. 8.

NEQVE

Neqve . enim *obſcuris perſonis*,} cum Cicero, & Appius conſulares, auguraleſq. eſſent. clarus igitur uterque. tranſlatio a fabulis, in quibus ueterum heroum, aut regum, ideſt non obſcuras, ſed illuſtres perſonas hiſtriones ſuſtinebant. In . cavssis} in negotijs. dixi, Cauſſam id ſaepe appellari a Cicerone, quod proprie ad aliquem pertinet. unde illud ep. I. lib. I. In cauſſa haec ſunt. Tvnc *mihi ille dixit, quod claſſe tu uelles decedere*,} ſic locutus ep. 28. lib. vii. Memini, quod mihi deſipere uidebare. Aut diſtingue ſic: Tunc mihi ille dixit: quod claſſe tu uelles decedere, perfore accommodatum tibi, &c. ut ſit, Quod, pro quia. Ad . sidam,} praeponit Ad, cum ſit loci nomen proprium, ut ep. 3. lib. iix. Ad Capuam, ad Luceriam. Sed hunc locum ex epiſtola ſequenti, in qua Sida nominatur, aliquis fortaſſe mutauit. nam libri ueteres, etiam Mediceus, habent, Ad illam. quod ferri poteſt. Laodiceae} uide, quae diximus ep. 17. lib. 2. Ad . mevm *aduentum*.} usque ad meum aduentum. Tva *ratio*} ratio non eſt uoluntas, non negotium, non conſuetudo, non conſilium: quid igitur? unico uerbo non ſatis uidetur explicari poſſe: hic quidem, Tua ratio poſtea eſt commutata, ualet, mutaſti quod te facturum oſtenderas: non eadem fuit ſententia tua. Tale illud ep. 8. Mea ratio in tota amicitia noſtra conſtans, & grauis reperietur. Vide, quae diximus in eo loco, Mea ratio fuit alia, ep. 9. lib. I. Pridie *Kal. Sext. puto*} non errauit. nam eo die Laodiceam peruenit. ep. ſeq. & ad Atticum ep. 16. lib. v. Mihi *debetur*,} uel in prouinciae commoda, uel in annuum ipſius uictum, uel in ſtipendia militum eroganda. Ad . exercitvm:} quem Appius reliquerat, cuius mentio fit ep. 2. Sic ad Att. ep. 15. lib. v. Iter Laodicea faciebam ad iii. non. Sext. in caſtra in Lycaoniam. Quamquam, ſi Plutarcho credimus, duas legiones Cicero ipſe in Ciliciam tranſiecit. Ad *Iconium*} in Lycaonia, ubi erat exercitus. ep. ſequenti, & 4. lib. xv. ad Att. & 15. lib. v. Fallit} de itineris ratione. Ab . re *ipſa*,} ab ipſo negotio: quo fortaſſe diutius impediar, quam ut poſsim circiter idus Sext. ad Iconium eſſe. Oneris *ſibi imponere nec audeo quidquam, &c.*} non potuit neque uerecundius petere, neque uehementius. Qvod *tuo commodo fieri poſsit*,} de hoc loquendi more ſatis diximus ep. I. lib. I. Magni *intereſt*,} ut colloquerentur de utriusque inſtitutis in regenda prouincia, in quibus, quod & hae ad ipſum Appium, & ad Atticum epiſtolae declarant, non idem uterque ſenſit. Si . qvis *caſus*} retinet modeſtiam ſuam: quod enim de Appij uoluntate ſuſpicatur, id in caſum confert. Constabvnt} ſic locutus epiſtola proxima. Scaevola} Muciae gentis cognomen, hic uel Appij legatus, uel quaeſtor in prouincia fuerat. Vellem *potuiſſe obſequi*} ſic antiqui omnes libri, non Potuiſſet: quod eſt in impreſsis. nihil igitur mutandum, cum alibi quoque ſic locutus Cicero ſit. ut ep. I. lib. vii. Vellem a principio te audiſſe amiciſsime monentem. & ep. xi. lib. iix. Vellem tecum fuiſſe.

---

# Argumentum ep. 6.

*Oſtendit congreſſum a ſe expetitum, ab Appio uitatum: ſe tamen ei fore amiciſsimum: quaedam addit de ſuo itinere, ut Appius conſtituat, quo loco eum conuenire poſsit.*

## *Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp.* 6.

*Cvm meum factum cum tuo comparo; etſi non magis mihi faueo in noſtra amicitia tuenda, quam tibi; tamen multo magis meo facto delector, quam tuo. Ego enim Brundiſij quaeſiui ex Phania, cuius mihi uidebar & fidelitatem erga te perſpexiſſe, & noſſe locum, quem apud te is teneret, quam in partem prouinciae maxime putaret te uelle ut in ſuccedendo primum uenirem. cum ille mihi reſpondiſſet, nihil me tibi gratius facere poſſe, quam ſi ad Sidam nauigaſſem: etſi minus dignitatis habebat ille aduentus, et ad multas res mihi minus erat aptus; tamen me ita dixi eſſe facturum. Idem ego, cum L. Clodium Corcyrae conueniſſem, hominem ita tibi coniunctum, ut mihi, cum illo cum loquerer, tecum loqui niderer: dixi ei me ita facturum eſſe, ut in eam partem, quam Phania rogaſſet, primum uenirem. tunc mihi ille cum gratias egiſſet, magnopere a me petiuit, ut Laodiceam protinus irem: te in prima prouincia uelle eſſe, ut quamprimum decederes: quin, niſi ego ſucceſſor eſſem, quem tu cuperes uidere, te antea, quam tibi ſucceſſum eſſet, deceſſurum fuiſſe. quod quidem erat conſentaneum cum ijs litteris, quas ego Romae acceperam; ex quibus perſpexiſſe mihi uidebar, quam feſtinares decedere. Reſpondi Clodio, me ita eſſe facturum, ac multo quidem libentius, quam ſi illud eſſet faciendum, quod promiſeram Phaniae. itaque & conſilium mutaui; & ad te ſtatim mea manu ſcriptas litteras miſi; quas quidem, ex tuis intellexi, ſatis mature ad te eſſe perlatas. Hoc ego meo facto ualde delector. nihil enim potuit fieri amantius. conſidera nunc uiciſſim tuum. Non modo ibi non fuiſti, ubi me quamprimum uidere poſſes; ſed eo diſceſſiſti, quo ego te ne perſequi quidem poſſem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia conſtituti eſſent: ut tuum factum illis, qui, quo animo inter nos ſimus, ignorant, alieni hominis, ut leuiſſime dicam, & fugientis congreſſum, meum uero coniunctiſſimi, & amiciſſimi, eſſe uideatur. Ac mihi tamen ante, quam in prouinciam uenirem, redditae ſunt a te litterae: quibus etſi te Tar-*

*ſum*

*ſum proficiſci demonſtrabas, tamen mihi non dubiam ſpem mei conueniendi afferebas: cum interea, credo equidem maleuoli homines, (late enim patet hoc uitium, & eſt in multis) ſed tamen probabilem materiem nacti ſermonis, ignari meae conſtantiae conabantur alienare a te uoluntatem meam; qui te forum Tarſi agere, ſtatuere multa, decernere, iudicare dicerent: cum poſſes iam ſuſpicari, tibi eſſe ſucceſſum: quae ab ijs quidem fieri ſolerent, qui breui tempore ſibi ſuccedi putarent. Horum ego ſermone non mouebar: quin etiam, (credas mihi uelim) ſi quid tu ageres, leuari me putabam moleſtia: & ex annua prouincia, quae mihi longa uideretur, prope iam undecim menſium prouinciam factam eſſe gaudebam, ſi abſenti mihi unius menſis labor detractus eſſet. Illud, uere dicam, me mouet, in tanta militum paucitate abeſſe tres cohortes, quae ſint pleniſſimae; nec me ſcire ubi ſint. Moleſtiſſime autem fero, quod, te ubi uiſurus ſim, neſcio; eoq. ad te tardius ſcripſi, quod quotidie teipſum exſpectabam: cum interea ne litteras quidem ullas accepi, quae me docerent, quid ageres, aut ubi te uiſurus eſſem. itaque uirum fortem, mihiq. in primis probatum, Antonium, praefectum euocatorum, miſi ad te, cui, ſi tibi uideretur, cohortes traderes: ut, dum tempus anni eſſet idoneum, aliquid negotij gerere poſſem, in quo, tuo conſilio ut me ſperarem eſſe uſurum, & amicitia noſtra, & litterae tuae fecerant: quod ego ne nunc quidem deſpero. ſed plane, quando, aut ubi te uiſurus ſim, niſi ad me ſcripſeris, ne ſuſpicari quidem poſſum. Ego, ut, me tibi amiciſſimum eſſe, & aequi & iniqui intelligant, curabo. de tuo in me animo iniquis ſecus exiſtimandi uideris non nihil loci dediſſe. id ſi correxeris, mihi ualde gratum erit. & ut habere rationem poſſis, quo loco me, ſalua lege Cornelia, conuenias: ego in prouinciam ueni pridie Kal. Sext. iter in Ciliciam facio per Cappadociam. caſtra moui ab Iconio pridie Kal. Sept. nunc tu & ex diebus, & ex ratione itineris, ſi putabis me eſſe conueniendum, conſtitues, quo loco id commodiſſime fieri poſſit, & quo die. Vale.*

## EXPLANATIO

NON *magis mihi faueo*} non minus a te, quam a me ipſo, praeſtari amicitiae noſtrae ea, quae debentur, officia cupio. MEO *facto*} quod a me factum eſt, ut te conuenirem antequam decederes. QVAESIVI *ex Phania,*} ep. 5. NOSSE *locum,*} honeſtiorem ſcilicet, quam reliqui liberti. IN . PRIMA *prouincia*} dixi iam, primam urbem prouinciae Laodiceam fuiſſe. ep. proxima. VBI *me quamprimum uidere poſſes;*} ut Laodiceae, ideſt in prima prouincia: quod L. Clodius dixerat. mos enim fuit, ut ij, qui decedebant, ſucceſſorem exſpectarent in prima prouincia. Ad Att. ep. 26. lib. XII. EO *diſceſſiſti,*} in ultimam prouinciam: de quo ſic ep. 16. lib. V. ad Att. Appius, ut audiuit nos uenire, in ultimam prouinciam ſe coniecit, Tarſum usque, ibiq. forum agit. & ibidem ep. ſequenti. AD *decedendum*} lex Cornelia, L. Sullae dictatoris, concedebat rectoribus prouinciarum, ut per triginta dies poſt ſucceſſoris aduentum in prouincia morari poſſent. ALIENI} non amici, nulla neceſsitudine coniuncti. TARSVM} in Ciliciam, in ultimam prouinciam: quod dixit ep. 16. lib. V. ad Att. ET . EST *in multis,*} abeſt hoc a meo uetere libro: & ſane gloſſema eſſe potuit antecedentium uerborum. FORVM *agere,*} ius dicere. ep. 8. & ad Att. ep. 16. lib. V. & Feſtus. SVCCEDI} pro, ſucceſſum iri. unus antiquus liber, Succedere. ABSENTI *mihi*} cum tu, abſente me, Tarſi forum ageres. Non dicit, Abſenti, a prouincia, cum in eam iam ueniſſet, quod ſupra, infraq. oſtendit: ſed abſenti ab eo loco, ubi forum Appius agebat. DETRACTVS} tua iurisdictione Tarſenſi. PAVCITATE} exſiles legiones uocat ep. 15. lib. V. ad Att. ABESSE *tres cohortes,*} facta ſeditione. quinque nominat ep. 4. lib. XV. Cum, inquit, ante aduentum meum ſeditione quadam exercitus eſſet diſſipatus; quinque cohortes ſine legato, ſine tribuno mil. denique etiam ſine centurione ullo apud Philomelum conſediſſent; reliquus exercitus eſſet in Lycaonia: M. Anneio legato imperaui, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum ducerent. Cohortem ex pluribus manipulis conſtare, ait Varro lib. IV. in ea fuiſſe homines quingentos, Valerio Max. Plutarcho, Caeſare, Appiano, teſtibus probatur. nam Valerius duas Camertum legiones a C. Mario ciuitate donatas, Plutarchus mille Camertes ait. Iam Caeſar lib. III. bel. ci. cum dixiſſet: Cohortes CX. expleuerat: ſubiunxit: Haec erant millia LX. Idem pugna Pharſalica quartam aciem ex ſex cohortibus conſtituit: quod Plutarchus in Caeſare confirmat: at eos fuiſſe tria millia, & idem Plutarchus in Pompeio, & Appianus quoque plane narrat. Poſtea, re militari commutata, ſexcentos in cohorte uideo fuiſſe: nam Cincius apud Gellium legionem ex centurijs ſexaginta, cohortibus decem conſtituit. NE . LITTERAS *quidem ullas*} cum te quotidie exſpectarem; tantum tamen abeſt, ut ipſe ueneris, ut ne litteras quidem ullas a te acceperim. Hic non uideo, cur mutari quidquam neceſſe ſit. EVOCATORVM,} milites erant emeriti, ſubito ex agris in militiam euocati: quos Cicero ex S. C. in prouincia contraxerat: ut ep. 4. lib. XV. Craſtinum euocatum in prima acie contra Pompeianos procurrentem nominat Caeſar lib. III. bel. ci. Euocatos etiam Antonius habuit in Mutinenſi certamine, ep. 30. lib. X. & Octauianus, Dio lib. XLV. COHORTES} quas ſecum Appius habebat. nam exercitus uniuerſus erat in Lycaonia, unde abeſſe dixit tres cohortes ep. 15. ALIQVID *negotij gerere*} contra ſempiternos hoſtes Amanienſes. ep. 10. lib. 2. & 4. lib. XV. & ad Att. ep. 19. lib. V. LITTERAE *tuae*} in quibus, cupere ſe cum Cicerone congredi, ſcripſerat Appius. SECVS} male, ſecus ac uellem. ſic, Aliter, uſurpabant, ut lib. 2. de rep. apud Gellium, Cum ad uillam ueniſſet, & omnia aliter offendiſſet. LOCI} occaſionis. CORREXERIS,} aliquo in me officio. SALVA *lege*} quae ultra dies triginta, poſt ſucceſſoris aduentum, non permittebat in prouincia permanere. PRIDIE *Kal. Sext.*} ſic ep. 2.

ep. 2. 4. lib. xv. & ad Att. ep. 16. lib. v. IN CILICIAM } a Laodicea in Ciliciam. ep. 4. lib. xv. PER *Cappadociam.* } nam & alia erat, eaq. breuior, in Ciliciam uia; quam cur omiſerit, exponit. ep. 4. lib. xv.

# Argumentum ep. 7.

*QVerellam Appij refellit: contraq. ipſe queritur, & extollit uirtutem contra inanem arrogantiam nobilitatis: ſe tamen ei fore amiciſsimum confirmat.*

## *Cicero imp. S. D. Ap. Pulchro imp.* 7.

PLVRIBVS *uerbis ad te ſcribam, cum plus otij nactus ero. haec ſcripſi ſubito, cum Bruti pueri Laodiceae me conueniſſent, & ſe Romam properare dixiſſent. itaque nullas ijs, praeterquam ad te, & ad Brutum, dedi litteras. Legati Appiani mihi uolumen a te plenum querellae iniquiſſimae reddiderunt, quod eorum aedificationem litteris meis impediſſem. eadem epiſtola petebas, ut eos quam primum, ne in hiemem inciderēt, ad facultatem aedificandi liberarem: et ſimul peracute querebare, quod eos tributa exigere uetarē prius, quam ego, re cognita, permiſiſſem: genus enim quoddam fuiſſe impediendi, cum ego conoſcere non poſſem, niſi cum ad hiemem me ex Cilicia recepiſſem. ad omnia accipe, & cognoſce aequitatem expoſtulationis tuae. Primum, cū ad me aditum eſſet ab ijs, qui dicerent a ſe intolerabilia tributa exigi: quid habuit iniquitatis, me ſcribere, ne facerent ante quam ego rem, cauſſamq. cognoſcerem? Non poteram, credo, ante hiemem. ſic enim ſcribis. Quaſi uero ad cognoſcendum ego ad illos, non illi ad me uenire debuerint. tam longe inquis? quid? cum dabas ijs litteras, per quas mecum agebas, ne eos impedirē, quo minus ante hiemem aedificarent; non eos ad me uenturos arbitrabare? tametſi id quidem fecerunt ridicule. quas enim litteras afferebant, ut opus aeſtate facere poſſent; eas mihi poſt brumam reddiderunt. Sed ſcito & multo plures eſſe, qui de tributis recuſent, quam qui exigi uelint; & me tamen, quod te uelle exiſtimem, eſſe facturum. De Appianis hactenus. A Pauſania, Lentuli liberto, accenſo meo, audiui, cum diceret, te ſecum eſſe queſtum, quod tibi obuiam non prodijſſem. Scilicet contempſi te: nec poteſt fieri me quidquam ſuperbius. Cum puer tuus ad me ſecunda fere uigilia ueniſſet; isq. te ante lucem Iconium mihi uenturum nunciaſſet: incertumque, utra uia, cum eſſent duae; altera Varronem, tuum familiariſſimum, altera Q. Leptam, praefectum fabrum meum, tibi obuiam miſi: mandaui utrique eorum, ut ante ad me excurrerent, ut tibi obuiam prodire poſſem, currens Lepta uenit; mihiq. nunciauit, te iam caſtra praetergreſſum eſſe. confeſtim Iconium ueni. cetera iam tibi nota ſunt. An ego tibi obuiam non prodirem? primum Appio Claudio? deinde imperatori? deinde more maiorum? deinde, quod caput eſt, amico? praeſertim cum in iſto genere multo etiam ambitioſius facere ſoleam, quam honos meus, & dignitas poſtulet. Sed haec hactenus. Illud idem Pauſania dicebat te dixiſſe: (quid ni?) Appius Lentulo, Lentulus Appio proceſſit obuiam: Cicero Appio noluit? Quaeſo, etiam ne tu has ineptias, homo, mea ſententia, ſumma prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum uſu, addo urbanitatem, quae eſt uirtus, ut Stoici rectiſſime putant, ullam Appietatem, aut Lentulitatem, ualere apud me plus, quam ornamenta uirtutis, exiſtimas? cum ea conſecutus nondum eram, quae ſunt hominum opinionibus ampliſſima; tamen iſta ueſtra nomina numquam ſum admiratus; uiros eos, qui ea uobis reliquiſſent, magnos arbitrabar. poſtea uero quam ita & accepi, & geſſi maxima imperia, ut mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putarem; ſuperiorem quidem numquam, ſed parem uobis me ſperaui eſſe factum. nec mehercule aliter uidi exiſtimare uel Cn. Pompeium, quem omnibus, qui umquam fuerunt, uel P. Lentulum, quem mihi ipſi antepono. tu ſi aliter exiſtimas; nihil errabis, ſi paullo diligentius, (ut, quid ſit εὐγένεια, quid ſit nobilitas, intelligas) Athenodorus, Sandonis filius, quid de his rebus dicat, attenderis. Sed, ut ad rem redeam, me tibi non amicum modo, uerum etiam amiciſſimum exiſtimes uelim. profecto omnibus meis officijs efficiam, ut ita eſſe uere poſſis iudicare. tu autem ſi id agis, ut minus mea cauſſa, dum ego abſum, debere uidearis, quam ego tua laborarim; libero te iſta cura.*

πάρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι,
οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς.

*ſin autem natura es φιλαίτιος; illud non perficies, quo minus tua cauſſa uelim: hoc aſſequere, ut, quam in partem accipias, minus laborem. Haec ad te ſcripſi liberius, fretus conſcientia officij mei, beneuolentiaeque, quam, a me certo iudicio ſuſceptam, quoad tu uoles, conſeruabo. Vale.*

## EXPLANATIO

CICERO. IMP. } ſic eſt inſcribendum, non, procos. Scripſit enim, ut ipſe ait, hanc epiſtolam Laodiceae: quo ſe contulit aeſtiuis confectis, ideſt Amanienſibus uictis, qua uictoria imperator appellatus eſt, & Pindeniſſo capto. fuit autem Laodiceae a III. id. Febr. uſque ad non. Maij: quod ep. II. lib. VI. ad Att. oſtendit. LEGATI *Appiani* } quos monumentum exſtruere ad Appij laudem cupientes Cicero impe-

to impedierat. ep.9. Appianos populos in conuentu Synadenſi Plinius lib.IX. cap.29.nominat. Alij ſunt
autem legati, de quibus ep.8. illos enim queritur Appius prohibitos eſſe ire Romam ad ſe laudandum, ho-
rum autem aedificationem impeditam. VOLVMEN} litteras Volumen appellat, non quod inuolutae
clauderentur, (plicabantur enim epiſtolae, inuoluebantur autem libri) ſed quod earum longitudo ſpeciem
uoluminis efficeret. itaque ſubiecit, (ut unas litteras hic uolumen appellari conſtet) Eadem epiſtola pete-
bas. ſic ep.30.lib.XII. Non te epiſtolis, ſed uoluminibus laceſſerem. pro, ita longis, ut uoluminum inſtar
eſſent. Alibi uero epiſtolarum uolumina nominat, quia deſcriptae multae, circa lignum eſſent inuolutae.
ad Att.ep.9.lib.IX. Euolui uolumen epiſtolarum tuarum. Ad Tironem, ep.17.lib.XVI. Tuas epiſtolas uis
referri in uolumina. Et Tuſculanas quaeſtiones uolumina appellat: Plinius quoque ſuos nat. hiſt. libros,
uolumina: Ouidius quindecim libros Metamorphoſeos, ter quinque uolumina. Vmbilicos ligna illa, quae
uoluminibus abſolutis adderentur, ideo dicta, quod umbilici noſtri formam imitarentur, Porphyrio ſcri-
ptum reliquit. inde natum, ad umbilicum ducere, pro abſoluere: quod Horatius de ſuis iambis dixit: per-
uenire ad umbilicum, Martialis. Huiuſmodi autem umbilicos non modo ligneos, uerum etiam oſſeos,
corneos ue ornamenti gratia interdum fuiſſe, idem Porphyrio auctor eſt: pingi etiam ſolitos, Martialis.
Extremae partes, quod, extra uolumen eminentes, cornuum ſimilitudinem praeſeferrent, cornua uocaban-
tur: quibus ornamentum aliquod addi ſolitum, oſtendit Ouidius, cum librum ſuum elegia prima Triſtium
ſic alloquitur: Candida nec, nigra, cornua, fronte, geras. Nec geras candida cornua, quae fortunae ſunt
indicia laetioris, cum ſit atrata frons, qualem in calamitate noſtra decet eſſe. Eſt enim frons libri, exterior
uoluminis pars: frontes uero cum appellantur, exterior, & interior: itaque dixit idem proximo ſuperiore
uerſu, Nec fragili geminae poliantur pumice frontes. Et Catullus: Cui dono lepidum nouum libellú,
Arida modo pumice expolitum? Martialis quoque pumicatam libri frontem dixit lib.I. AEDIFICA-
TIONEM} templum, opinor, Appio erigere uolebant, ut optime de rep. merito. PERACVTE}
excogitaſti enim, quod a me cogitatum non eſt. TRIBVTA} quibus Appio monumentum exſtrue-
rent. RECEPISSEM.} in Aſiam. nam, cum in prouinciam ueniſſet, a Laodicea in Ciliciam profe-
ctus eſt. ibi pugnauit cum Amanienſibus, Pindeniſſumq. cepit. mox, aeſtiuis iam confectis, Laodiceam in
Aſiam redijt; unde rurſus ad abſoluendam iuriſdictionem Tarſum in Ciliciam iuit. AEQVITATEM}
ironia. TRIBVTA} quae ciuitates imponebant, ut collecta pecunia aedificaret. NON *poteram*,}
rem, cauſſamq. cognoſcere. AD. ME} in Ciliciam: ut ibi de toto negotio cognoſcerem. LIBER-
TO,} accenſi munus libertis deferri ſolitum, indicat epiſtola 16. ad Att. lib.IV. in qua Antiochus Gabi-
nius quidam, A. Gabinij libertus, & accenſus nominatur. & ep.I.lib.I.ad Q. fratrem. ACCENSO *meo*,}
apparitorum multa genera, inter quos accenſi quoque erant, dicti, quod ſaepius ad neceſſarias res acciren-
tur, ut ait Varro. AVDIVI, *cum diceret*,} ſic lib.2.de Orat. Saepe ex ſocio meo audiui, cum is diceret, ſo
cerum ſuum Laelium ſemper fere cum Scipione ſolitum ruſticari. VIGILIA} nox in tres uigilias, & in
quaternas horas uigiliae diuidebantur. FABRVM} qui exercitum ſequebantur, ut adminiſtrarent quae
ad bellum neceſſaria uiderentur. Fabrum autem, non, Fabrorum, probaſſe Cicero uidetur. de quo ſic in
Oratore: Iam, ut cenſoriae tabulae loquuntur, fabrum, & procum, audeo dicere, non fabrorum, & pro-
corum. AP. *Claudio*?} patriciae gentis, conſulari, augurali, opibus, ingenio, propinquis, affinibus
florentiſſimo: ut omittam antiquorum nobilitatem, de qua diximus ep.I. IMPERATORI?} appella-
to, & a militibus & ab ſenatu: qui etiam ei ob uictoriam ſupplicationes decreuerat. epiſtola ultima. AM-
BITIOSIVS} ſtudioſius: cum nullum officij genus ſoleam praetermittere. QVID NI?} Cicero-
nis, non Appij uerba: ideo parentheſi includenda. Cur non crederem, inquit, id a te dictum? cum te tuae
gentis antiqua nobilitas, ſuperbum faciat. APPIVS *Lentulo*,} Appius ſuccedens Lentulo decedenti.
PRVDENTIA,} naturalem ſignificat. nam ſeparatim deinde rerum uſum nominat. VRBANI-
TATEM,} urbanitas, & dicacitas non idem ſunt. itaque Demoſthenem, ait Quinctilianus, urbanum
fuiſſe, non dicacem. urbanitatem autem eſſe illam, in qua nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum,
nihil peregrinum, neque ſenſu, neque uerbis, neque ore, geſtuue poſſit deprehendi: ut non tam ſit in ſingu
lis dictis, quam in toto colore dicendi: qualis apud Graecos ἀττικισμός, ille redolens Athenarum propriū
ſaporem. Cicero autem in oratione pro Coelio: Maledictio nihil habet propoſiti praeter contumeliam:
quae ſi petulantius iactatur, conuicium; ſi facetius, urbanitas nominatur. VIRTVS,} habet enim ſimi-
litudinem quandam urbanitatis. APPIETATEM,} productione nominis fit ſonitus auribus ingra-
tus: & ſimul ipſa res, nomini ſubiecta, deformatur. Appius autem nouum Ciceronis nomen, prae ſuo, Len
tuliq. contempſerat. quam ſuperbiam irridet Cicero, Claudiae familiae inſitam, ut ex omni patet hiſtoria,
& his maxime Taciti uerbis lib.I. Tiberium Neronem, maturum annis, ſpectatum bello, ſed uetere, atque
inſita Claudiae familiae ſuperbia. ORNAMENTA *uirtutis*,} ipſam uirtutem, a qua nullum abeſt
ornamentum: uel, ornamēta, illa, quae a uirtute proficiſcuntur: cum Appietas, & Lentulitas nomina
quidem ſpecioſa ſint, uirtutis tamen ornamenta non habent. HOMINVM *opinionibus*} nam re uera
non ſunt ampliſſima, ſi uirtute careant. uulgus autem ipſam tantum honorum ſpeciem admiratur. VO-
BIS *reliquiſſent*,} qui ea nomina ſua uirtute nobilitarunt: quorum uos nomina retinetis, uirtutem non
imitamini. Oſtendit Appium non a ſe ipſo, ſed a maioribus nobilem eſſe. MAXIMA *imperia*,} prae-
turam, & conſulatum: quae uocantur imperia, unde illud lib.IX.ad Att. Conſules non rogantur a praeto-
ribus, quod maius imperium rogari a minore non ſit ius. Praeſtant autem poteſtate ceteris omnibus ma-
giſtratibus: ideo maxima imperia uocantur. nam cenſura, licet inter maiores magiſtratus, imperio tamē
carebat. AD *honorem*,} ſummus enim honor conſulatus: de quo ſic Liuius lib.2. Libertatis originem

inde

inde magis, quia annuum imperium conſulare factum eſt, quam quod diminutum quidquam ſit ex regia poteſtate, numeres. omnia iura, omnia inſignia primi conſules tenuere. id modo cautum eſt, ne, ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror uideretur. A D *gloriam* } patefacta enim, & oppreſſa Catilinae coniuratione, tantum adeptus eſt gloriae, nihil ut expetere amplius poſſet. S V P E R I O R E M *numquam*, } quod Appio re ipſa detraxit, uerbis reſtituit. nam, cum dixit, Viros eos, qui ea uobis reliquiſſent, magnos arbitrabar; nimirum ijs uiris non eſſe Appium ſimilem oſtendit: rurſus, cum ſe non eſſe Appio ſuperiorem fatetur, nec ſibi tamen quidquam ad honorem, aut gloriam deeſſe, ornat Appium ampliſsima laude, qui ſit ei par, qui ſibi nihil nec ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putet. V E L C N. *Pompeium*, } Appij ſententiam Pompeij ſententia, ac iudicio debilitat: ut in forenſibus cauſsis, ubi teſtibus res agitur, opponuntur ignobilioribus clari uiri, egentibus locupletes. O M N I B V S, *qui umquam fuerunt*, } ſolus enim ad eam diem ter Pompeius triumphauerat, ex tribus orbis terrarum partibus uictoria comparata. P. L E N T V L V M, } hunc nominat, cuius beneficio in patriam redierat, ne uideatur eum proprie nominaſſe, cum dixit Lentulitatem. poteſt enim nomen illud in omnes Lentulos, qui nobilitatem a maioribus accepiſſent, non in hunc, qui ſua uirtute clarus erat, cuiq. Cicero plurimum debebat, cum quadam contumelia conferri. Q V E M *mihi ipſi antepono*. } praeclarum artificium. nam, ſi & me uobis parem ſperaui eſſe factum; & Lentulum mihi ipſi antepono: ſequitur, ut eundem uobis quoque anteponam. quid igitur laborem, ſi tu me, quaſi nouum hominem, contemnis, te autem, tamquam nobilem, magnifacis; cum dixeris, Cicero Appio noluit. nam eos uiros, quos & mihi, & tibi antepono, aliter exiſtimare uideo. S I. A L I T E R *exiſtimas*; } ſi diſſentis a Pompeio, & Lentulo; & ideo me contemnis, quia nouus homo ſum. N I H I L *errabis*, } non eſt hoc ſine quodam Appij contemptu: ita enim effertur, quaſi rudiorem peritior doceat, & quaſi, nobilitas quid ſit, Appius ignorare uideatur. (V T, Q V I D *ſit εὐγένεια, quid ſit nobilitas, intelligas*) } ut intelligas, utrum idem ſint, an inter ſe differant εὐγένεια, & nobilitas. Quaſi dicat: falleris, cum uel te putas, quia ſis εὐγενὴς, hoc eſt claro genere natus, ideo nobilem eſſe; uel me, quia non ſim εὐγενὴς, propterea nobilem eſſe non poſſe. poteſt enim εὐγένεια eſſe, ubi non ſit nobilitas; & nobilitas, ubi non ſit εὐγένεια. nobilitas enim a maioribus non accipitur, ſed uirtute, magniſq. in remp. meritis comparatur. Haec fuit Athenodori ſententia: quam homo nouus Cicero libenter probat. Ariſtoteles autem in Politicis libris nobilitatem in maiorum claritate, & in opibus ponit. S A N D O N I S *filius*, } patris nomen adiunxit, ut eum diſtingueret ab altero Athenodoro, eius aequali. nam, ut ait Strabo lib. IV. Athenodori duo fuere: quorum alter, qui Cordilio uocatus eſt, cum M. Catone uixit, & apud eum obijt; alter uero, Sandonis filius, quem & Cananitam a quodam uico appellant, Caeſaris Auguſti praeceptor fuit. De hoc ipſo Athenodoro Suidas mentionem facit: & idem Sandonem philoſophum nominat, huius, opinor, Athenodori patrem. Q V I D *de his rebus* } quid de praeſtantia, quid de nobilitate ſcripſerit. A M I C I S S I M V M } epiſtolae clauſula non caret arte. lenit enim amoris commemoratio animum Appij, iratum fortaſſe ob ſuperiora. ita Cicero non ſolum cauſſa, ſed etiam humanitate uincit. L A B O R A R I M: } cum alijs in rebus, de quibus ep. 9. tum in ſupplicatione tibi decernenda, de qua ep. ultima. I S T A *cura*. } hoc te mouere non debuit. alios habeo cupidos honoris mei, maxime uero Cn. Pompeium: quem ſignificat, cum ait, Μητίετα Ζεύς. recitat autē Agamemnonis uerba apud Homerum, contra Achillem, lib. II. I. Apud me alij quoque, qui me honorabunt, maxime uero conſiliarius Iupiter: ut, quemadmodum Agamemnon ſuum Iouem appellauit Neſtorem, ſic de Pompeio Cicero intelligat, a quo ſe amari uehementer putabat. aut nihil proprie de Pompeio, ſed uniuerſe de amicis omnibus dixit, licet extrema Homeri uerba ad unum ſpectent. fortaſſe etiam non ſcripſit Cicero illud, Μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς, ſed aliquis addit, ut uerſum abſolueret, ignarus Ciceroniani moris. quid enim notos poetarum uerſus a primo ad ultimum nominaret? exemplo illud eſt, (ut omittam alia) ep. 18. lib. VII. Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα. N A T V R A } naturae uitia nonnihil excuſantur. ſimul igitur & accuſat, & excuſat Appium. N O N *perficies*, } ſi tua mihi officia defuerint, non mea quidem culpa, ſed quod φιλαίτιος natura ſis, & calumnijs in amicos delecteris: ego tamen retinebo conſtantiam meam; officia, quae ſoleo, in te conferam: quae ſi tibi minus grata fuerint, non laborabo. C O N S C I E N T I A *officij mei*, } ueritas enim, & innocentia, ſuis freta uiribus, animos addit: delicta uero ſequitur metus, & humilitas. B E N E V O L E N T I A E } ſimulare enim, aut diſsimulare, aut omnino quidquam celare, beneuolentia non patitur. quod etiam indicat illud ep. 14. lib. I. ad Att. Nihil mihi nunc ſcito tam deeſſe, quam hominem eum, qui cum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, una communicem; qui me amet; qui ſapiat; qui cum loquar; nihil fingam, nihil diſsimulem, nihil obtegam. C E R T O *iudicio ſuſceptam*, } eo ſuſceptam animo, ut perpetuo conſeruarem. Hoc dicit, ne uideatur ficte in gratiam rediſſe: quod ſuſpicari Appius uidebatur, cum in malam partem acciperet ea, quae minime contra eius exiſtimationem a ſe fieri Cicero uoluerat. Q V O A D *tu uoles*, } ita ſuam humanitatem declarat, ne pluris tamen, quam eius dignitas ferat, Appij amicitiam aeſtimare uideatur. tale illud ep. 2. lib. V. Maneo in uoluntate, &, quoad uoles tu, permanebo.

---

## Argumentum ep. 8.

REfellit ea, quae Appius obiecerat; probatq. ſi quid fecerit, quod Appius inique factum, ſuiq. deformandi conſilio, interpretaretur; ipſumq. Appium aut imprudentem ſignificat, qui ſermonibus non proborum hominum crediderit; aut nimis aſtutum, qui ea, quae ipſi in mentem ueniant, alijs attribuat. Agit gratias, quod ſcripſerit diligenter de rebus urbanis, ſeq. omnia Ciceronis mandata curaturum promiſerit: in quibus id praecipue rogat, ne ſibi prouincia prorogetur. addit de ſuis rebus, de itinere Amanum uerſus: item de Parthis, falſum fuiſſe. de rebus Appij, de ſuis, de tota rep. creberrimas litteras poſcit.

### Cicero procos. S. D. Ap. Pulchro imp. 8.

ETSI, quantum ex litteris tuis intelligere po... , uidebam te hanc epiſtolam, cum ad urbem eſſes, eſſe lecturum, refrigerato iam leuiſſimo ſermone hominum prouincialium: tamen, cum tu tam multis uerbis ad me de improborum oratione ſcripſiſſes, faciendum mihi putaui, ut tuis litteris breui reſponderem. Sed prima duo capita epiſtolae tuae tacita mihi quodam modo relinquenda ſunt: nihil enim habent, quod definitum ſit, aut certum; niſi me uultu, taciturnitate ſignificaſſe, tibi non eſſe amicum; idq. pro tribunali, cum aliquid ageretur, & non nullis in conuiuijs intelligi potuiſſe. Hoc totum nihil eſſe, poſſum intelligere: ſed cum ſit nihil, nec quid dicatur quidem intelligo. illud quidem ſcio, meos multos & illuſtres, & ex ſuperiore, & ex aequo loco ſermones habitos cum tua ſumma laude, & cum magna ſignificatione noſtrae familiaritatis, ad te uere potuiſſe deferri. Nam, quod ad legatos attinet, quid a me fieri potuit aut elegantius, aut iuſtius, quam ut ſumptus egentiſſimarum ciuitatum minuerem ſine ulla imminutione dignitatis tuae, praeſertim ipſis ciuitatibus poſtulantibus? nam mihi totum genus legationum tuo nomine proficiſcentium notum non erat. Apameae cum eſſem, multarum ciuitatum principes ad me detulerunt, ſumptus decerni legatis nimis magnos, cum ſoluendo ciuitates non eſſent. hic ego multa ſimul cogitaui. Primum, te, hominem non ſolum ſapientem, uerum etiam, ut nunc loquimur, urbanum, non arbitrabar genere iſto legationum delectari. idq. me arbitror Synnadis pro tribunali multis uerbis diſputauiſſe: primum, Appium Clodium ſenatui, populoq. R. non Myndenſium teſtimonio, (in ea enim ciuitate mentio facta eſt) ſed ſua ſponte eſſe laudatum: deinde, me iſta uidiſſe accidere multis, ut eorum cauſſa legationes Romam uenirent; ſed his legationibus non meminiſſe ullum tempus laudandi, aut locum dari: ſtudia mihi eorum placere, quod in te bene merito grati eſſent; conſilium totum uideri minime neceſſarium: ſi autem uellent declarare in eo officium ſuū; laudaturum me, ſi quis ſuo ſumptu functus eſſet officio; conceſſurum, ſi legitimo; non permiſſurum, ſi infinito. Quid enim reprehendi poteſt? niſi quod addis, uiſum eſſe quibuſdam edictum meum quaſi conſulto ad iſtas legationes impediendas eſſe accommodatum. Iam non tā mihi uidentur iniuriam facere ij, qui haec diſputant, quā ſi cuius aures ad hanc diſputationem patent. Romae cōpoſui edictum. nihil addidi, niſi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me ueniſſent, ut de tuo edicto totidem uerbis transferrem in meum. diligentiſſime ſcriptum caput eſt, quod pertinet ad minuendos ſumptus ciuitatum: quo in capite ſunt quaedam noua, ſalutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector. Hoc uero, ex quo ſuſpicio nata eſt, me exquiſiuiſſe aliquid, in quo te offenderem, tranſlaticium eſt. neque enim eram tam deſipiens, ut priuatae rei cauſſa legari putarē, qui & tibi nō priuato, & pro re non priuata ſua, ſed publica, non in priuato, ſed in publico orbis terrae conſilio, ideſt, in ſenatu ut gratias agerent, mittebantur. Neque, cum edixi, ne quis iniuſſu meo proficiſceretur, excluſi eos, qui me in caſtra, & qui trans Taurum perſequi non poſſent. nam id eſt maxime in tuis litteris irridendum. quid enim erat, quod me perſequerentur in caſtra, Taurum ue tranſirent; cum ego Laodicea uſque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum dioeceſium, quae cis Taurum ſunt, omniumq. earum ciuitatum mgaiſtratus legationesq. conuenirent? Niſi forte poſtea coeperunt legare, quam ego Taurum tranſgreſſus ſum. quod certe non ita eſt. cum enim Laodiceae, cum Apameae, cum Synnadis, cum Philomeli, cum Iconij eſſem; quibus in opidis omnibus commoratus ſum: omnes iam iſtius generis legationes erant conſtitutae. Atque hoc tamen te ſcire uolo, me de iſto ſumptu legationum aut minuendo, aut remittendo decreuiſſe nihil, niſi quod principes ciuitatum a me poſtulaſſent, ne in uenditionem tributorum, & illam acerbiſſimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum, atque oſtiorum, inducerentur ſumptus minime neceſſarij. Ego autem, cum hoc ſuſcepiſſem, non ſolum iuſtitia, ſed etiam miſericordia adductus, ut leuarem miſerijs perditas ciuitates, & perditas maxime per magiſtratus ſuos; non potui in illo ſumptu non neceſſario negligens eſſe. Tu, cum iſtiuſmodi ſermones ad te delati de me ſunt, non debuiſti credere. ſin autem eo

genere

*genere delectaris, ut, quae tibi in mentem ueniant, alijs attribuas: genus ſermonis inducis in amicitiam minime liberale. Ego, ſi in prouincia de tua fama detrahere umquam cogitaſſem, non ad generum tuum Lentulum, neque ad libertum tuum Brundiſii, neque ad praefectum fabrum Corcyrae, quem in locum me uenire uelles, retuliſſem. Quare potes, doctiſſimis hominibus auctoribus, quorum ſunt de amicitia gerenda praeclariſſime ſcripti libri, genus hoc totum orationis tollere: Diſputabant; ego contra diſſerebam: Dicebant: ego negabam. an mihi de te nihil eſſe dictum umquam putas? ne hoc quidem, quod, cum me Laodiceam uenire uoluiſſes, Taurum ipſe tranſiſti? quod ijsdem diebus meus cōuentus erat Apameae, Synnadis, Philomeli, tuus Tarſi? non dicam plura; ne, in quo te obiurgem, id ipſum uidear imitari. illud dicam, ut ſentio: ſi iſta, quae alios loqui dicis, ipſe ſentis; tua ſumma culpa eſt: ſin alij tecum haec loquuntur; tua tamen, quod audis, culpa non nulla eſt. mea ratio in tota amicitia noſtra conſtans, & grauis reperietur. Quod ſi quis me aſtutiorem fingit; quid poteſt eſſe callidius, quam, cum te abſentem ſemper defenderim, cū praeſertim mihi uſu uenturum non arbitrarer, ut ego quoque abſens a te defendendus eſſem, nunc committere, ut tu iure optimo me abſentem deſerere poſſes? Vnum genus excipio ſermonis, in quo perſaepe aliquid dicitur, quod te putem nolle dici; ſi aut legatorum tuorum cuipiam, aut praefectorum, aut tribunorum mil. male dicitur: quod tamen ipſum non mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut grauius diceretur, aut in plures, quam mecum Corcyrae Clodius eſt locutus, cum in eo genere maxime quereretur te aliorum improbitate minus felicem fuiſſe. hos ego ſermones, quod & multi ſunt, & tuam exiſtimationem, ut ego ſentio, non offendunt, laceſſiui numquam, ſed non ualde repreſſi. ſi quis eſt, qui neminem bona fide in gratiam putet redire poſſe; non noſtram is perfidiam coarguit, ſed indicat ſuam; ſimulq. non de me is peius, quam de te, exiſtimat. ſin autem quem mea inſtituta in prouincia non delectant; & quadam diſſimilitudine inſtitutorum meorum, ac tuorum laedi ſe putat; cum uterque noſtrum recte fecerit, ſed non idem uterque ſecutus ſit: hunc ego amicum habere non curo. liberalitas tua, ut hominis nobiliſſimi, latius in prouincia patuit; noſtra ſi anguſtior, & ſi de tua prolixa, beneficaq. natura limauit aliquid poſterior annus, propter quandam triſtitiam temporum; non debent mirari homines, cum & natura ſemper ad largiendum ex alieno fuerim reſtrictior, & temporibus, quibus alij mouentur, ijsdem ego mouear, me eſſe acerbum ſibi, ut ſim dulcis mihi. De rebus urbanis quod me certiorem feciſti, cum per ſe mihi gratum fuit, tum quod ſignificaſti tibi omnia mea mandata curae fore. in quibus unum illud te praecipue rogo, ut cures, ne quid mihi ad hoc negotij aut oneris accedat, aut temporis: Hortenſiumq. noſtrum collegam, & familiarem, roges, ut, ſi umquam mea cauſſa quidquam aut ſenſit, aut fecit, de hac quoque ſententia bima decedat; qua mihi nihil poteſt eſſe inimicius. De noſtris rebus quod ſcire uis; Tarſo nonis Oct. Amanum uerſus profecti ſumus. haec ſcripſi poſtridie eius diei, cum caſtra haberem in agro Mopſueſtiae. ſi quid egero, ſcribam ad te: neque domū umquam ad meos litteras mittam, quin adiungam eas, quas tibi reddi uelim. De Parthis quod quaeris, fuiſſe nullos puto. Arabes qui fuerunt, admiſto Parthico ornatu, dicuntur omnes reuertiſſe. hoſtem eſſe in Syria negant ullum. Tu uelim ad me quamſaepiſſime & de tuis rebus ſcribas, & de meis, & de omni reip. ſtatu: de quo ſum ſollicitus eo magis, quod ex tuis litteris cognoui, Pompeium noſtrum in Hiſpaniam iturum. Vale.*

# EXPLANATIO

CVM. AD *urbem eſſes,*} antea, Iſſes: nos, Eſſes. Eſſe autem ad urbem dicebantur, qui cum poteſtate prouinciali aut nuper e prouincia reuertiſſent. aut nondum in prouinciam profecti eſſent. ſic enim ſcripſit Aſconius. eoq. modo Cicero, Salluſtius, & alij eiuſdem aetatis locuti. ſolebant autem, qui ob res in prouincia geſtas triumphum peterent, extra urbem exſpectare, donec, lege lata, triumphantes urbem introire poſſent. & de triumpho Appium cogitaſſe, ex ep. 10. cognoſcitur, ne triumpharet, accuſatione Dolabellae factum eſt. ep. 6. lib. IIX. REFRIGERATO} imminuto. ſic in Verrem, Refrigerata accuſatio. manifeſta tranſlatio: cum actionem ſuis frigoris impediat. ſic ad Dolabellam, ep. 10. lib. IX. Vnum uereor, ne haſta Caeſaris refrixerit. Contra, Calere dicitur id, quod ſine intermiſsione fit. ep. 1. lib. IIX. Rumores caluerunt. ad Att. ep. 16. lib. IV. Iudicia calent. HOMINVM *prouincialium*:} quibus de meo in te animo falſa narrantibus credidiſti. Phryges, & Lycaones nominat ep. 10. BREVI *reſponderem.*} breuis reſponſio non fuit: ſed breuis fortaſſe prae Appij querella: dixit enim, Cum tu tam multis uerbis ad me improborum oratione ſcripſiſſes. DEFINITVM, *aut certum;*} nam neque rem nominauerat Appius, ex qua non eſſe ſibi amicum Ciceronem conijceret: neque certa ſigna poſuerat, cum ex uultu, & taciturnitate de Ciceronis animo coniecturam faceret. PRO *tribunali,*} in tribunali: ut Pro roſtris, pro aede: ſic enim Feſtus interpretatur. POSSVM *intelligere*:} quia conſcius mihi ſum animi erga te mei. ex quo ſequitur, ut, quid a te dicatur, non intelligam. EX. SVPERIORE, *& ex aequo loco*} & pro tribunali, & priuatis in locis. AD *legatos*} queſtus erat Appius, quod legatos ciuitatum Romam ire, ut Appium in ſenatu laudaret, prohibuiſſet. ELEGANTIVS,} commodius: quia ita ſumptus ciuitatum minui, ne tuam tamen dignitatem imminuerem. IVSTIVS,} quid enim iuſtius, quam leuare ſumptibus egentiſsimas ciuitates, praeſertim cum ipſae poſtulent? TOTVM *genus legationum*} hanc unam ob cauſſam legatos Romam ire, ut te laudarent, neſciebam. TVO *nomine*} tui laudandi cauſſa. PRINCIPES} primarij ciues. CVM *ſoluendo non eſſent.*} cum ea tributa ſoluere non poſſent. ad Att. ep. 10. lib. XIII. Magius ſoluendo non erat. Off. lib. 2. In pecunijs creditis occultat ſuum gaudium, ne uideatur non fuiſſe ſoluendo. SAPIENTEM,} ſapientis autem eſt, inania contemnere. VT. NVNC *loquimur,*} non, quod, urbanus, nouum eſſet uerbum,

cum eo Plautus quoque non ſemel uſus eſſet; ſed quod noua ſignificatio. quod enim peregrini homines ab urbanis morum elegantia, & lepore uincebantur; inde coeptum Ciceronis aetate, urbanus homo dici, pro eo, cuius in factis, aut dictis nihil odioſum, nihil inconditum, nihil turpe notaretur. epiſtola etiam proxima urbanitatem in Appio laudauit. IN . EA *enim ciuitate*} ex his uerbis, proxime legendum, Synnadenſium, non Myndenſium, conijcio: cum dixerit iam, Idq. me arbitror Synnadis pro tribunali multis uerbis diſputauiſſe. CONSILIVM *totum* ut Romam uenirent tui laudandi cauſſa.. SVO *ſumptu*} non ciuitatum. dixit enim; Vt ſumptus egentiſsimarum ciuitatum minuerem. LEGITIMO} quantum lex Cornelia concedebat. ep. 10. QVID *enim reprehendi poteſt?* } ex his, quae Synnadis pro tribunali diſputaui. QVASI *conſulto*,} quia de induſtria uiſus eſt edicere, ne quis iniuſſu ſuo Romam proficiſceretur; ut impedimentum profecturis Romam legationibus obijceret. SI . CVIVS *aures*,} quaerit enim cauſſas diſcordiarum. EDICTVM.} ex quo in prouincia ius dicerem. TRANSLATICIVM *eſt*.} uſitatum, quod ad omnes conſuetudine transfertur. ſic Coelius epiſt. 5. Noſti haec tranſlaticia. Ad Att. ep. 23. lib. III. Alterum caput eſt tranſlaticium de impunitate. In Verrem: In re tam uſitata, ſatis eſt oſtendere, omnes antea ius ita dixiſſe, & hoc uetus edictum, tranſlaticiumq. eſſe. Suetonius in Nerone: Raptum inter maximos imbres tranſlaticio funere extulit. Et Plinius lib. x. cap. 50. Hoc primum antiquis cenarum interdictis exceptum inuenio, iam lege C. Fannij conſulis, ne quid uolucrum poneretur, praeter unam gallinam, quae non eſſet altilis: quod deinde caput tranſlatum, per omnes leges ambulauit. Haec igitur eſt ſententia Ciceronis. Quod edixi, ne legati Romam iniuſſu meo proficiſcerentur; ex quo ſuſpicatus es, me exquiſiuiſſe aliquid, in quo te offenderem: noui nihil feci, aut a me exquiſitum, ut minuerem dignitatem tuam: tranſlaticium id fuit, uſitatum antea, cum enim nec priuatae rei cauſſa, nec ut homini priuato, nec ut in priuato loco, ſed ut in ſenatu gratias tibi agerent, mitti legatos intelligerem: cur in eo me de tua priuata contumelia cogitaſſe putas? quod ſi tua priuata res, non publica, ageretur; querendi fortaſſe de me ſi non ueram, ſpecioſam tamen cauſſam haberes. nunc, ſi priuatae rei cauſſa legari crediſſem, plane deſipiens fuiſſem. PVBLICO *orbis terrae conſilio*,} oratione 4. in Antonium: Senatum, ideſt orbis terrae conſilium, delere geſtit. Et in eundem 7. Turpe eſt, ſummo conſilio orbis terrae, praeſertim in re tam perſpicua, conſilium intelligi defuiſſe. EXCLVSI *eos*,} priuaui eos proficiſcendi poteſtate, qui me in caſtra ad Iconium, & qui trans Taurum perſequi non poſſent. nam ſi nec iniuſſu Ciceronis Romam ire, nec unum perſequi trans Taurum poterant, ut eundi facultatem impetrarent: uidebantur excludi, ideſt prorſus omni eundi Romam poteſtate priuari. Hoc ſuſpicatus erat Appius: Cicero refellit. IN . CASTRA,} ad Iconium. ep 5. 6. & ep. 4. lib. xv. TRANS *Taurum*} Iconium enim cis Taurum fuit. COMMORATVS} biduum Laodiceae, quattriduum Apameae, triduum Synnadis, totidem Philomeli. ſic enim ſcripſit ad Catonem ep. 4. lib. xv. aliter tamen ad Att. ep. 16. & 20. lib. v. Commoratus autem, quia ius in ijs opidis dixit. qua iuriſdictione nihil aequabilius, nihil lenius, nihil grauius eſſe potuiſſe, ſcripſit ad Att. ep. 20. lib. v. VENDITIONEM *tributorum*,} cum enim exigi celeriter tributa non poſſunt, uenduntur alicui, qui, quanti emit, tantum ſtatim de ſuo numerat, deinde exigit acerbiſsime, accepta cogendi poteſtate. CAPITVM, *atque oſtiorum*,} cum per ſingula capita, atque oſtia exiguuntur tributa per eos, quibus uendita ſunt. Feſtus: Tributorum collationem cum ſit alia in capite, alia ex cenſu, dicitur etiam quoddam temerarium, ut poſt urbem a Gallis captam collatum eſt, quia proximis quindecim annis cenſus alius non erat. PER *magiſtratus ſuos*;} hoc adiunxit, ne perditas ab Appio ciuitates uideatur dicere. perditas tamen per Appium maxime, ſignificat in epiſtolis ad Att. atque haec ipſa tributa ita memorat ep. 16. lib. v. Audiemus nihil aliud, niſi imperata ἐπικεφάλαια ſoluere non poſſe: omnes poſſeſsiones omnium uenditas: ciuitatum gemitus, monſtra quaedam non hominis, ſed ferae neſcio cuius immanis. In epiſtola uero 2. lib. VI. expilatas a ſuis etiam magiſtratibus ciuitates, easq. pecunias ſuo iuſſu redditas eſſe narrat. NON *neceſſario*} nec enim ulla neceſsitate cogebantur eas legationes Romam mittere. ISTIVS MODI *ſermones*}. quod ais uiſum eſſe quibuſdam, edictum meum quaſi conſulto ad iſtas legationes impediendas eſſe accommodatum; & illud, me exquiſiuiſſe aliquid, in quo te offenderem. NON *debuiſti credere*.} aut enim, ſi credidit, imprudens; aut, ſi finxit ipſe, non amicus. MINIME *liberale*.} indignum homine liberaliter educato. GENERVM *tuum Lentulum*,} tres igitur Appius generos habuit. nam de duobus, Cn. Pompeij filio, & M. Bruto, mentionem fecit ep. 4. Retulit autem ad eum Romae. Sed mihi ſuſpectus locus eſt. cur enim ad hunc potius retulit, qui nusquam praeterea nominatur, quam ad reliquos generos? auget ſuſpicionem diſſenſio ueterum librorum: nam Lentuli mentionem plerique non habent. LIBERTVM *tuum*} Phaniam ep. 5. PRAEFECTVM} L. Clodium. ep. 5. 6. AVCTORIBVS,} monent enim, ne inter amicos tale quidquam dicatur, quale tu ad me ſcripſiſti, hoc inquam: Diſputabant; ego contra diſſerebam. DISPVTABANT;} contra te Cicero. CONTRA *diſſerebam*:} cum ego te contra illos defenderem. DICEBANT;} ideo legationes a te impeditas, quia meae laudi inimicus eſſes. VOLVISSES,} id enim ei dixerat L. Clodius. ep. 5. & 6. TAVRVM *ipſe tranſiſti*?} quod hominis alieni, & fugientis congreſſum fuiſſe, ſcripſit ep. 6. ad Atticum autem ep. 16. lib. v. Appius, ut audiuit nos uenire, in ultimam prouinciam ſe coniecit, Tarſum uſque, ibiq. forum agit. Et in ſequenti ad eundem: Appius noſter, cum me aduentare uideret, profectus eſt Tarſum Laodicea: ibi forum agit; cum ego ſim in prouincia. quam eius iniuriam non inſector. CONVENTVS} iuris dicendi cauſſa. NON . DICAM . PLVRA;} quae mihi de te dicta ſunt. OBIVRGEM,} quod maleuolorum ſermonibus aures dediſti. CVLPA *eſt*:} qui genus

ſermonis

ſermonis inducis in amicitiam noſtram minime liberale. QVOD *audis*,} cum iſtiusmodi ſermonibus non debueris credere. MEA *ratio*} Eodem modo ep. 5. Tua ratio poſtea eſt commutata. Et ep. 9. lib. 1. Mea ratio fuit alia. Mea, inquit, ratio conſtans, & grauis reperietur: pro, nihil inconſtanter, aut leuiter commiſi: perpetuam quandam in tota amicitia noſtra conſtantiam, & grauitatem ſeruaui: cum tua ratio neque conſtans fuerit, id quod ex uitato congreſſu poſſum ſuſpicari; neque grauis, cum credideris Phrygum, & Lycaonum maleuolis de me ſermonibus. ep. 10. in extremo. ASTVTIOREM} quaſi conſulto ad legationes impediendas meum edictum accommodauerim. quae aſtutia uidetur. CALLIDIVS,} cum ironia. potius enim ſtultitia, quam calliditas eſt. NON *arbitrarer*,} non enim fore putabam, ut in prouinciam irem. ep. 2. IVRE *optimo*} nam, ſi ego te in prouincia laederem, tu me abſentem iure optimo deſereres. QVOD. TE *putem nolle dici*;} recte: nec aliter eſt in antiquis libris. nam illa inferiora ſubiungit Cicero ad Appium conſolandum: Hos ego ſermones. &c. Quis autem non laboraſſe Appium credat, ſi ſuae cohorti malediceretur? debet enim, qui prouinciae praeeſt, non ipſe tantum uacare culpa, ſed ſuos quoque praeſtare. quod Cicero fratrem ſuum, Aſiae proconſulem, diligenter monet in illa praeclara de officio proconſulis epiſtola. MALE. DICITVR:} male dicere alicui, eſt, de fama ſermonibus detrahere. IN. PLVRES,} non enim tibi, ſed tuis male dicitur. CLODIVS} L. Clodius, praefectus fabrum. ep. 5. ALIORVM *improbitate*} uſitata ratio criminis deriuandi. nam & in Verr. lib. 2. Aiunt eum, inquit, queri ſolere non numquam, ſe miſerum, quod non ſuis, ſed ſuorum comitum peccatis, & criminibus prematur. MVLTI *ſunt*,} ut reprimere non potuerim, etiam ſi uellem. NON *offendunt*,} nec enim tu aliorum facta praeſtare debes. LACESSIVI *numquam*,} non excitaui, non commoui. REPRESSI.} ſic Coelius ep. 1. lib. IIX. Eos ſermones repreſsit. Et ep. 9. eiuſdem libri: Retudit ſermones. NEMINEM *bona fide in gratiam redire*} ſermonum haec erat cauſſa improbis hominibus. DISSIMILITVDINE} uide ep. 13. lib. 2. & ad Att. ep. 1. lib. VI. LAEDI *ſe putat*;} notat homines prouinciales, qui non eoſdem e Ciceronis inſtitutis fructus caperent, quos ex Appij adminiſtratione capere conſueuerant. Huc ſpectat id, quod ſequitur: Liberalitas tua latius in prouincia patuit. Et illud paullo poſt: Non debent mirari homines, me eſſe acerbum ſibi, ut ſim dulcis mihi. Alij legendum arbitrantur: Laedi te putat: diſcedentes primum ab antiquis libris, deinde etiam, ut mihi uideor oſtendiſſe, a mente Ciceronis. LIBERALITAS *tua*,} cum uideatur eum laudare, carpit, quaſi ex alieno liberalem. VT *hominis nobiliſſimi*,} excuſat qua ratione poteſt Appij inſtituta. nobilitas enim ad liberalitatem hortatur. Sed de nobilitate quid ipſe ſentiat, ſuperiore docuit epiſtola. LIMAVIT *aliquid*} detriuit aliquid, detraxit, imminuit, ut lima ſolet. Hic moneo lectorem, cui fucum fieri non patior, in omnibus, quos ego adhuc uiderim, antiquis libris, pro Limauit, eſſe, Limabit, uno dumtaxat excepto, in quo eſt, Limitauit. quo equidem tot librorum conſenſu ualde moueor: nec puto, ſi quid obſcurum nobis eſt, aut etiam corruptum uidetur, propterea ſtatim repudiandum. Limitare autem de alicuius prolixa natura, fortaſſe eſt, quod aliquis prolixe, & liberaliter facere conſueuerit, id quaſi intra limites reducere, quos largiendo tranſire non liceat. PROPTER *quandam triſtitiam temporum*;} callide; ne uideatur ſua ſponte ab Appio diſſentire. Temporum, inquit, ratio liberalitatem reſpuit, in qua fortaſſe ſe, ſi ſoluta mea uoluntas eſſet, imitarer. AD *largiendum ex alieno*} acerbe in Appium. quaſi eius liberalitas ex alieno fuerit, ideoq. late patuerit in prouincia. QVIBVS *alij mouentur*,} ſapientis enim eſt, parere temporibus. ep. 9. lib. IV. ACERBVM *ſibi*,} quia largitiones Appii non imitor. VT. SIM *dulcis mihi*.} ut meae laudi conſulam. aperta tranſlatio, contrarijs expreſſa, ut in Laelio, Scitum eſt illud Catonis, multo melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces uidentur. AVT *oneris*} fortaſſe ne quid ei mandaretur, ſi Parthi in Syriam irrumperent: quod poſt M. Craſsi necem timebatur. AVT *temporis*:} ſuſpicabatur fore, quod accidit, ut ſucceſſor ei non mitteretur, propter Gallias impedita prouinciarum omnium ſucceſsione. qua de re ep. 10. lib. IIX. & 10. lib. 2. HORTENSIVM} Q. Hortenſium oratorem. NOSTRVM *collegam*,} collegam Appij & Ciceronis in auguratu: quod legitur in prooemio libri de claris orat. & Phil. 2. FAMILIAREM,} Appio quidem ita ſtuduit, ut eum, a Dolabella accuſatum, defenderet. in Bruto. SENTENTIA *bima*} ut prouinciae per biennium ab ijsdem obtinerentur. AMANVM} quo in monte quae geſſerit, ſcripſit ad Coelium ep. 10. lib. 2. ſed copioſius ad Catonem ep. 4. lib. XV. MOPSVESTIAE.} opidum Ciliciae, cuius in gymnaſio Syriae rex Seleucus, Grypi filius, ob tyrannidem iniquiſsimam, a populo crematus eſt. Appianus in Syriaco. PARTHICO *ornatu*,} quo plus terroris inferrent. finitimi Syrijs Arabes ſunt. ideo facilis irruptio eſt. ep. 8. lib. IIX. POMPEIVM *noſtrum*.} quo abſente infirma reſp. uidetur. ad Att. ep. XI. lib V. Pompeius mihi quoque uidebatur in Hiſpaniam iturus. id ego minime probabam: qui quidem Theophani facile perſuaſi, nihil eſſe melius, quam nusquam illum diſcedere. Reuerſus tamen e prouincia, ut contentiones inter Caeſarem, & Pompeium ſedarentur, cenſuit, ut in Hiſpaniam iret: de quo ſic ep. 6. lib. VI. Eundum in Hiſpaniam cenſui quod ſi feciſſet, ciuile bellum nullum omnino fuiſſet. HISPANIAM} quam per legatos abſens adminiſtrabat, acceptam lege Trebonia in quinquennium.

---

Argum-

# Argumentum ep. 9.

*APpij litteris, humaniſsime ſcriptis, humaniſsime & ipſe reſpondet: gratulatur de triumphi ſpe: hortatur ad abſolutionem librorum auguralium: petit, ut ſupplicationem ſibi decernendum curet.*

## *Cicero imp. S: D: Ap. Pulchro 9.*

*VIx tandem legi litteras dignas Appio Clodio, plenas humanitatis, officij, diligentiae. adſpectus uidelicet urbis tibi tuam priſtinam urbanitatem reddidit. nam, quas ex itinere, ante quam ex Aſia egreſſus es, ad me litteras miſiſti, unas te le[illegible] prohibitis proficiſci, alteras de Appianorum aedificatione impedita, legi perinuitus. itaque conſcientia meae conſtantis erga te uoluntatis reſcripſi tibi ſubiratus. ijs uero litteris lectis, quas Philotimo, liberto meo, dediſti, cognoui, intellexiq. in prouincia multos fuiſſe, qui nos, quo animo inter nos ſumus, eſſe nollent; ad urbem uero ut acceſſeris, uel potius ut primum tuos uideris, cognoſſe te ex ijs, qua in te abſentem fide, qua in omnibus officijs tuendis erga te obſeruantia, & conſtantia fuiſſem. itaque quanti illud me aeſtimare putas, quod eſt in tuis litteris ſcriptum? ſi quid inciderit, quod ad meam dignitatem pertineat, etſi uix fieri poſſit, tamen te parem mihi gratiam relaturum. tu uero facile facies:*

*NIHIL eſt enim, quod ſtudio, & beneuolentia, uel amore potius effici non poſſit. Ego, etſi & ipſe ita iudicabam, & fiebam crebro a meis per litteras certior; tamen maximam laetitiam cepi ex tuis litteris de ſpe minime dubia, & plane explorata triumphi tui: neque uero ob eam cauſſam, quo ipſe facilius conſequerer, (nam id quidem ἐπιχούρειον eſt) ſed mehercule, quod tua dignitas, atque amplitudo mihi eſt ipſa cara per ſe. quare, quoniam plures tu habes, quam ceteri, quos ſcias in hanc prouinciam proficiſci, quod te adeunt fere omnes, ſi quid uelis: gratiſsimum mihi feceris, ſi ad me, ſimul atque adeptus eris, quod & tu confidis, & ego opto, litteras miſeris. longi ſubſellij, ut noſter Pompeius appellat, iudicatio, & mora ſi quem tibi item unum, alterum ue diẽ abſtulerit; (quid enim poteſt amplius?) [illegible]a tamen dignitas ſuum locum obtinebit. ſed, ſi me diligis, ſi a me diligi uis, ad me litteras, ut quamprimum laetitia afficiar, mittito. Et uelim, reliquum quod eſt promiſſi, ac muneris tui, mihi perſoluas. cum ipſam cognitionem iuris auguralis conſequi cupio: tum mehercule tuis incredibiliter ſtudijs erga me, muneribusq. delector. quod autem a me tale quiddam deſideras: ſane mihi conſiderandum eſt, quonam te remunerer potiſſimum genere. nam profecto non eſt meum, qui in ſcribendo, ut ſoles admirari, tantum induſtriae ponam, committere, ut ſcribendo negligens fuiſſe uidear; praeſertim cum id non modo negligentis, ſed etiam ingrati animi crimen futurum ſit. uerum haec uidebimus. Illud, quod polliceris, uelim pro tua fide, diligentiaque, & pro noſtra non inſtituta, ſed iam inueterata amicitia cures, enitare, ut ſupplicatio nobis quamhonorificentiſſime, quamprimumq. decernatur. Omnino ſerius miſi litteras, quam uellem. in quo cum difficultas nauigandi fuit odioſa: tum in ipſum diſceſſum ſenatus incidiſſe credo meas litteras. ſed id feci adductus auctoritate, & conſilio tuo: idq. a me recte factum puto, quod non ſtatim, ut imperator appellatus ſim, ſed, alijs rebus additis, aeſtiuisq. confectis, litteras miſerim. Haec igitur tibi erunt curae, quemadmodum oſtendis: meq. totum, & mea, & meos commendatos habebis. Vale.*

## EXPLANATIO

VIx *tandem*} quantopere eas Appij litteras exſpectaret, hoc principio ſignificat. ſero enim nimis uidetur fieri, quod uehementer cupimus. DIGNAS. AP. *Clodio*,} quaſi aliae Appij litterae non tam ipſius uoluntate, qui natura ad humanitatem inclinaret, ſed ob ſermones improborum ſcriptae ſint. VRBANITATEM} humanitatem illam, quae in urbanis hominibus agnoſcitur. ep. 7. Homo, mea ſententia, ſumma prudentia, multa doctrina, plurimo rerum uſu: addo urbanitatem, quae eſt uirtus, ut Stoici putant. Et ep. 8. Te hominem non ſolum ſapientem, uerum etiam, ut nunc loquimur, urbanum. EX. ASIA} ex ea parte Aſiae, quae ad prouinciam Ciliciam non pertinuit. PROFICISCI,} Romã, ut te laudarent. APPIANORVM} de quibus ep. 7. RESCRIPSI *tibi ſubiratus*.} iracundiae confeſsio ſatisfactio quaedã eſt, praeſertim cum adiunxerit, Conſciẽtia meae conſtantis erga te uoluntatis. LIBERTO *meo*,} libertum ſuum uocat, quod eius uxoris libertus eſſet. id quod oſtendit ep. 4. & 5. lib. 2. ad Att. aut duo Philotimi fuerunt, unus Ciceronis, alter Terentiae libertus. COGNOVI,} culpam in alios confert, quo leuius peccaſſe Appius uideatur. nam omnino peccatum aliquod in eo fuit, quod audierit, & crediderit. ep. proxima; Sin alij tecum haec loquuntur; tua tamen, quod audis, culpa non nulla eſt. ACCESSERIS, non enim introierat, quia triumphum ſperabat. FIDE,} poſt gratiam reconciliatam. OFFICIIS *tuendis erga te obſeruantia*,} Tueri, non eſt defendere, ſed colere: ut ep. 68. lib. XIII. Tuebor omni obſeruantia patrem tuum. CONSTANTIA} confirmat illud, quod dixit: Mea ratio in tota amicitia noſtra conſtans, & grauis reperietur. Omnino ſignificat, ſe, poſt reconciliatam gratiam, amici officio numquam defuiſſe: itaque fidem, & conſtantiam ſuam hic nominauit. PAREM *gratiam*} operam Appio

ſuum

ſuam Cicero nararat in ſpplicatione impetranda. ep. 13. Cum de tuis rebus geſtis agebatur, inſeruiebam honori tuo. STVDIO, *& beneuolentia,* } addidit beneuolentiae nomen; quia multi ſtudent, nec tamen diligunt. VEL *amore potius* } maior eſt in amore uis, quam in beneuolentia: ſicuti plus eſt amare, quam diligere. ep. 14. lib. IX. Quis erat, qui putaret ad eum amorem quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantum acceſsit, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexiſſe. Et ep. 47. lib. 13. Vt ſcires, eum non a me diligi ſolum, uerum etiam amari, ob eam rem tibi haec ſcribo. Et ep. 1. ad M. Brutum: Clodius tribunus pl. des. ualde me diligit, uel, ut ἐμφατικώτερον, ualde me amat. Et ad eundem ex incerto libro apud Nonium: Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus ſum, diliges. SPE } ex tuis rebus geſtis, & quia iam adeptus erat ſupplicationem: quae triumphi praerogatiua quaedam ſolebat eſſe, ut ait Cato ep. 5. lib. XV. FACILIVS *conſequerer,* } exemplo tuo: cum ego quoque Ciliciae praeſim; nec mihi, ſucceſſori tuo, negari poſſe uideatur, quod tibi conceſſum ſit. Ἐπικούρειον } eſſet hoc eius hominis, qui Epicuri ſententiam ſequeretur, id eſt, qui ad ſe ipſum omnia referret, & in ſua utilitate cuncta poneret. ep. 12. lib. VII. DIGNITAS, *atque amplitudo* } amplitudinem, & dignitatem coniunxit etiam ep. 5. lib. I. LONGI *ſubſellij,* } ſenatum ſignificat, a quo tarde omnia explicarentur. IVDICATIO, } in iudicandis rebus, de quibus cõſulitur. petebatur enim a ſenatu triumphus: deinde facto S. C. lex ad populum ferebatur, ut ei, qui triumphaturus eſſet, eo tantum die, quo triumpharet, imperium in urbe eſſet. alioqui urbem introire cum imperio nemini licebat. itaque de Põtinij triumpho legem a Ser. Galba praetorem latam eſſe, legimus in Dione lib. XXXIX. ITEM *unum, alterum ue diem* } cõſuetudinem ſenatus in protrahendo rerum exitu ſignificat. RELIQVVM *promiſſi,* } ſcripſerat ad Ciceronem Appius librum unum de iure augurali, reliquos promiſerat. ep. 4. & 11. & Feſtus in uerbo Sollistimum. TALE *quiddam* } ob hanc fortaſſe cauſſam, ut Appium remuneraretur, ſcripſit Cicero librum de augurijs, quem Cariſius nominat. CONSIDERANDVM *eſt,* } ſi gratus eſſe uolo. QVONAM *genere.* } quo muneris genere: id eſt, quid ad te ſcribam, ut te remunerer. VIDEAR; } ſi, accepto a te munere, nihil remittam. VT *ſupplicatio* } pro rebus in Amano monte geſtis: ex qua uictoria imperator appellatus eſt. quamquam Pindeniſſum etiam poſtea cepit. ep. 10. lib. 2. & 4. lib. XV. DIFFICVLTAS *nauigandi* } miſit enim litteras ad ſenatum menſe Ianuario. quod ad Att. ep. 20. lib. V. ſatis oſtendit. IN IPSVM *diſceſſum ſenatus* } diſcedebat ſenatus Aprili menſe, cuius fere dies omnes uel ludis dabantur, uel feſti erant, uel comitiales, quibus haberi ſenatum non licebat. id quod ex antiquis dierum faſtis, quos a nobis explanatos edidimus, licet intelligere. erant autem inter ludos, qui dabantur Aprili menſe, Megalenſes, quos aediles curabant. Romani uero ab ijſdem aedilibus Septembri mente dabantur: quorum item cauſſa ſenatum diſceſsiſſe, ex ijs uerbis conijcio, quae ſunt lib. 1. de Orat. Dici memini, ludorum Romanorum diebus L. Craſſum, quaſi colligendi ſui cauſſa, ſe in Tuſculanum contuliſſe. ueniſſe eodem Q. Mucius dicebatur, & M. Antonius. INCIDISSE *meas litteras.* } ex quibus referri ad ſenatum de ſupplicatione mea, ideo fortaſſe non potuit, qnia frequens ſenatus non affuerit: infrequenti enim ſenatu fieri S. C. non potuerat: quod oſtendimus ep. 9. lib. 1. in eo loco: Mihi eſt ſenatus aſſenſus, ut de agro Campano, frequenti ſenatu, idibus Maij referetur. IMPERATOR *appellatus* } deuictis Amanienſibus. ep. 10. lib. 2. & 4. lib. XV. ALIIS *rebus additis,* } capto Pindeniſſo die quinquageſimo ſeptimo, poſtquam oppugnari coeptum erat. ep. 4. lib. XV. AESTIVISQ. *confectis* } cum in hiberna milites dimittuntur; nec iam bellum geri per anni tempus licet.

## Argumentum ep. 10.

*APpium Dolabella, reuerſum e Cilicia, de maieſtate, & de ambitu accuſauerat, eodemq. tempore Tulliam, Ciceronis filiam, uxorem duxerat, M. Coelio, Ciceronis, & Dolabellae amiciſſimo, eas nuptias conciliante; de quibus lib. IIX. ep. 6. 13. Id factum a ſuis, inſciente ſe, conatur Cicero probare, & in hanc ſententiam multa colligit: Praeterea, ſuſpicante Appio, impeditas a Cicerone legationes, quae Romam ad ſuam laudem ire decreuiſſent, multis uerbis hanc ei ſuſpicionem ſtudet adimere. Mittit etiam commentarium de rebus a ſe perfectis, atque inſtitutis in prouincia, quae ad Appij abſolutionem pertinerent. Auguratur in extremo, cenſuram ei delatum iri: quod euenit.*

## *Cicero imp. S. D. Ap. Pulchro.* 10.

*CVM eſt ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium faceſſerent; etſi grauiter primo nuncio commotus ſum, quod nihil tam praeter opinionem meam accidere potuit; tamen, ut me collegi, cetera mihi facillima uidebantur; quod & in te ipſo maximam ſpem, & in tuis magnam habebam; multaq. mihi ueniebant in mentem, quamobrem iſtum laborem tibi etiam honori putarem fore: illud plane moleſte tuli, quod certiſsimum, & iuſtiſſimum triumphum hoc inuidorum conſilio eſſe tibi ereptum uidebam. quod tu ſi tanti facies, quanti ego ſemper iudicaui faciundum eſſe: facies ſapienter, & ages uictor ex inimicorum dolore triumphum iuſtiſsimum. ego enim plane uideo fore neruis, opibus, ſapientiaq. tua, uehementer ut inimicos tuos paeniteat intemperantiae ſuae. De me tibi ſic, conteſtans omnes deos, promitto, atque confirmo: me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro ſalute) in hac prouincia, cui tu praefuiſti, rogando, deprecatoris; laborando, propinqui; auctoritate, cari hominis, ut ſpero, apud ciuitates; grauitate, imperatoris ſuscepturum officia, atque partes. omnia uolo a me & poſtules, & exſpectes. uincam meis officijs cogitationes tuas. Q. Seruilius perbreues a te mihi litteras reddidit: quae mihi tamen nimis longae uiſae ſunt. iniuriam enim mihi fieri putabam, cum rogabar. nollem accidiſſet tempus, in quo perſpicere poſſes, quanti ego te, quanti Pompeium, quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi, quanti Brutum facerem: quamquam in conſuetudine quotidiana perſpexiſſes, ſicuti perſpicies: ſed quoniam accidit; ſi quid a me praetermiſſum fuerit, commiſſum facinus, & admiſſum dedecus confitebor. Pontinius, qui a te tractatus eſt praeſtanti, ac ſingulari fide, cuius tui beneficij ſum ego teſtis, praeſtat tibi memoriam, beneuolentiamque, quam debet: qui cum, maximis rebus ſuis coactus, a me inuitiſſimo deceſſiſſet; tamen, ut uidit tua intereſſe, conſcendens iam nauem Epheſo Laodiceam reuertit. talia cum te ſtudia uideam habiturum eſſe innumerabilia: plane dubitare non poſſum, quin tibi amplitudini iſta ſollicitudo futura ſit. ſi uero efficis, ut cenſores creentur; & ſi ita geſſeris cenſuram, ut & debes, & potes: non tibi ſolum, ſed tuis omnibus uideo in perpetuum ſummo te praeſidio futurum. Illud pugna, & enitere, ne quid nobis temporis prorogetur: ut, cum hic tibi ſatisfecerimus, iſtic quoque noſtram in te beneuolentiam nauare poſſimus. Quae de hominum, atque ordinum omnium erga te ſtudijs ſcribis ad me, minime mihi miranda, & maxime iucunda acciderunt: eademq. ad me perſcripta ſunt a familiaribus meis. itaque capio magnam uoluptatem, cum tibi, cuius mihi amicitia non ſolum ampla, ſed etiam iucunda eſt, ea tribui, quae debeantur; tum uero etiamnum remanere in ciuitate noſtra ſtudia prope omnium conſenſu erga fortes, & induſtrios uiros: quae mihi ipſi una ſemper tributa merces eſt laborum, & uigilarum mearum. Illud uero mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuiſſe in eo adoleſcente, cuius ego ſalutem duobus capitis iudicijs ſumma contentione defendi, ut, tuis inimicitijs ſuſcipiendis, obliuiſceretur patroni omnium fortunarum, ac rationum ſuarum; praeſertim cum tu omnibus uel ornamentis, uel praeſidijs redundares, illi (ut leuiſſime dicam) multa deeſſent: cuius ſermo ſtultus & puerilis erat iam antea ad me a M. Coelio, familiari noſtro, perſcriptus; de quo item ſermone multa ſcripta ſunt abs te. ego autem citius cum eo, qui tuas inimicitias ſuſcepiſſet, ueterem coniunctionem diremiſſem, quam nouam conciliaſſem. neque enim de meo erga te ſtudio dubitare debes: neque id eſt obſcurum cuiquam in prouincia, nec Romae fuit. ſed tamen ſignificatur in tuis litteris ſuſpicio quaedam, & dubitatio tua: de qua alienum tempus eſt mihi tecum expoſtulandi, purgandi autem mei neceſſarium. Vbi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quo minus Romam ad laudem tuam mitteretur? aut in quo potui, ſi te palam odiſſem, minus quod tibi obeſſet, facere? ſi clam, magis aperte inimicus eſſe? Quod ſi eſſem ea perfidia, qua ſunt ij, qui in nos haec conferunt: tamen ea ſtultitia certe non fuiſſem, ut aut in obſcuro odio apertas inimicitias, aut, in quo tibi nihil nocerem, ſummam oſtenderem uoluntatem nocendi. Ad me adire quoſdam memini, qui dicerent, nimis magnos ſumptus legatis decerni. quibus ego nō tam imperaui, quam cenſui, ſumptus legatis quammaxime ad legem Corneliam decernendos. atque, in eo ipſo me nō perſeueraſſe, teſtes ſunt rationes ciuitatum: in quibus, quantum quaeque uoluit legatis tuis datum, induxit. Te autem quibus mendacijs homines leuiſsimi onerarunt? non modo ſublatos ſumptus, ſed etiam a procuratoribus eorum, qui iam profecti eſſent, repetitos, & oblatos; eamq. cauſſam multis omnino non eundi fuiſſe. Quererer tecum, atque expoſtularem, niſi, ut ſupra ſcripſi, purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accuſare te, mallem, idq. putarem eſſe rectius. itaque nihil de te, quod credideris; de me, quamobrem non debueris credere, pauca dicam. nam, ſi me uirum bonum, ſi dignum ijs ſtudijs, eaq. doctrina, cui me a pueritia dedi, ſi ſatis magni animi, non minimi conſilij in maximis rebus perſpectum habes: nihil in me non modo perfidioſum, & inſidioſum, et fallax in amicitia, ſed ne humile quidem, aut ieiunum debes agnoſcere. ſin autem me aſtutum, & occultum lubet fingere: quid eſt, quod minus cadere in eiuſmodi naturum poſſit, quam aut florentiſſimi hominis aſpernari beneuolentiam; aut eius exiſtimationem oppugnare in prouincia, cuius laudem domi defenderis; aut in ea re animum oſtendere inimicum, in qua nihil obſis; aut id eligere ad perfidiam, quod ad indicandū odiū apertiſſimum ſit, ad nocendum leuiſſimum? Quid erat autem, cur ego in te tam implacabilis eſſem, cum te ex fratre meo ne tunc quidem, cum tibi prope neceſſe eſſet eas agere partes, inimicum mihi fuiſſe cognouiſſem? cum uero reditum noſtrum in gratiam uterq. expetiſſet: quid in conſulatu tuo fruſtra mecum egiſti, quod me aut facere, aut ſentire uoluiſſes? quid mihi mandaſti, cum te Puteolis proſequerer, in quo non exſpectationem tuam diligentia mea uicerim? Quod ſi id eſt maxime aſtuti, omnia ad ſuam utilitatem referre: quid mihi tandem erat utilius, quid commodis meis aptius, quam hominis nobiliſſimi, atque honoratiſſimi coniunctio, cuius*

opes,

*opes, ingenium, liberi, affines, propinqui mihi magno uel ornamento, uel praeſidio eſſe poſſent? quae tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non aſtutia quadam, ſed aliqua potius ſapientia ſecutus ſum. Quid illa uincula, quibus quidem libentiſſime adſtringor, quãta ſunt? ſtudiorum ſimilitudo, ſuauitas conſuetudinis, delectatio uitae, atque uictus, ſermonis ſocietas, litterae interiores. Atque haec domeſtica. Quid illa tandem popularia? reditus illuſtris in gratiam; in quo ne per imprudentiam quidem errari poteſt ſine ſuſpicione perfidiae; ampliſſimi ſacerdotij collegium, in quo non modo amicitiam uiolari apud maiores noſtros fas non erat, ſed ne cooptari quidem ſacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio eſſet inimicus. Quae ut omittam tam multa, atque tanta; quis umquam tanti quemquam fecit, aut facere potuit, aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium, ſocerum filiae tuae? etenim, ſi merita ualent: patriam, liberos, ſalutem, dignitatem, memetipſum mihi per illum reſtitutum puto. ſi conſuetudinis iucunditas: quae fuit umquam amicitia conſularium in noſtra ciuitate coniunctior? ſi ulla amoris, atque officij ſigna: quid mihi ille non commiſit? quid non mecum communicauit? quid de ſe in ſenatu, cum ipſe abeſſet, per quemquam agi maluit? quibus ille me rebus non ornatiſſimum uoluit ampliſsime? qua denique ille facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone, aduerſantem interdum actionibus ſuis? quo ſtudio prouidit, ne qua me illius temporis inuidia attingeret; cum me conſilio, cum auctoritate, cum armis denique texit ſuis? quibus quidem temporibus haec in eo grauitas, haec animi altitudo fuit, non modo ut Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis feciſti, ſed ne ſummorum quidem hominum maleuolis de me ſermonibus crederet. Huius igitur filius cum ſit gener tuus; cumque, praeter hanc coniunctionem affinitatis, quam ſis Cn. Pompeio carus, quamq. iucundus, intelligam: quo tandem animo in te eſſe debeo? cum praeſertim eas ad me is litteras miſerit, quibus, etiam ſi tibi, cui ſum amiciſſimus, hoſtis eſſem, placarer tamen, totumq. me ad eius uiri, ita de me meriti, uoluntatem, nutumq. conuerterem. Sed haec hactenus: pluribus enim etiam fortaſſe uerbis, quam neceſſe fuit, ſcripta ſunt. Nunc ea, quae a me perfecta, quaeq. inſtituta ſunt, cognoſce. atque haec agimus, & agemus magis pro dignitate, quam pro periculo tuo. te enim, ut ſpero, propediẽ cenſorem audiemus: cuius magiſtratus officia, quae ſunt maximi animi, ſummiq. conſilij, tibi diligentius, & accuratius, quam haec, quae nos de te agimus, cogitanda eſſe cenſeo. Vale.* *

# EXPLANATIO

DE *temeritate eorum,*} Dolabellam ſignificat, qui Appium accuſauerat. TIBI *negotium faceſſerent;*} te accuſarent. Negotium & pro re ſimpliciter capitur, ut alibi, & pro re moleſta ac difficili, ut cum additur uerbum Faceſſere. quid autem accuſatione moleſtius, ac durius? In Verrem: Cum audiſſent ei negotium faceſsitum. Pro Cluentio: Si cui forte negotium faceſſetur. Faceſſere periculum, in eadem ſententia dixit in Diuinatione: Exhibere negotium, lib. III. Off. VT. ME *collegi,*} cum ad rationem me quieto animo reuocare coepi. Sic ep. 9. lib. I. Collegi ipſe me, & cum ipſa quaſi rep. ſum collocutus. CETERA} quod ad periculum accuſationis attinet. IN *tuis*} praeſertim in Pompeio, eius filiae ſocero, & in Bruto genero: quos pro Appii abſolutione laboraſſe, patet ex epiſtola ſequenti. ETIAM *honori*} in aduerſis enim uirtus elucet, &, ut aurum igne, ſic innocentia ſententijs iudicum probatur. EREPTVM} recitemus Coelij uerba ex ep. 9. lib. IIX. quae locum interpretantur: Non dubito, quin perlatum ad te ſit, Appium a Dolabella rerum factum: ſanequam non ea, qua exiſtimaueram, inuidia: neque enim ſtulte Appius, qui, ſimul atque Dolabella acceſsit ad tribunal, introierat in urbem, triumphiq. poſtulationem abiecerat. quo facto retudit ſermones; paratiorq. uiſus eſt, quam ſperauerat, accuſator. EGO *ſemper iudicaui*} nam, ſi triumphum exoptaſſet, conſul non depoſuiſſet. qua de re ep. 2. lib. V. copioſe autem ep. 4. lib. XV. quin ipſa uerba recitabo: cur enim meo labori parcam, ut alios labore leuem? Si quiſquam fuit umquam remotus & natura, & magis etiam, ut mihi quidem ſentire uideor, ratione, atque, ab inani laude, e ſermonibus uulgi; ego profecto is ſum. teſtis eſt conſulatus meus: in quo, ſicut in reliqua uita, fateor ea me ſtudioſe ſecutum, ex quibus uera gloria naſci poſſet. ipſam quidem gloriam per ſe numquam putaui expetendam. itaque & prouinciam ornatam, & ſpem non dubiam triumphi neglexi. VICTOR} abſolutus. TRIVMPHVM,} tantum enim honorem, tantam laetitiam, abſolutus, ex inimicorum dolore capies, quantum, ſi triumphans urbem introires. NERVIS,} propter uirtutem tuam. tranſlatio eſt a corpore ad animum. OPIBVS,} dixi iam, quantumcumque eſt, quo ualemus, Opum nomine totum ſignificari. CONTESTANS *omnes deos,*} teſtes uocans omnes deos. PROMITTO,} ad Coelium etiam ep. 12. lib. 2. ita ſcripſit: Poſt hoc negotium, & temeritatem noſtri Dolabellae, deprecatorem me pro illius periculo praebeo. MALO *enim dicere,*} ominis cauſſa, dignitatem potius, quam ſalutem, nominat; ne periclitari Appius de ſalute uideatur. GRAVITATE, *imperatoris*} ponderis enim plus habebunt officia mea, ob acceptam mihi ex imperatoris nomine dignitatem. SVSCEPTVRVM *officia,*} ne quis ex prouincia Romam iret, ut aduerſus Appium teſtimonium diceret. hinc illud epiſtola ſequenti: De mercenarijs teſtibus, a ſuis ciuitatibus notandis, niſi iam aliquid factum eſt per Flaccum, fiet a me, cum per Aſiam decedam. OMNIA *uolo a me & poſtules, & exſpectes. uincam meis officijs cogitationes tuas.*} non diſsimilis illa ſententia ep. 6. lib. I. A me omnia ſumma in te ſtudia, officiaq. exſpecta. non fallam opinionem tuam. Et hic infra: Quid mihi mandaſti, in quo non exſpectationem tuam diligentia mea uicerim? INIVRIAM *mihi fieri putabam, cum rogabar.*} tale illud ep. 9. lib. I. Tuae res mihi tantae curae ſunt, ut me nolim admoneri; rogari uero ſine magno dolore uix poſsim. Ideo dixit ep. 13. lib. IX. Peto a te, uel, ſi pateris,

oro. Rogauerat autem Appium Cicero, ut praeſtaret ſibi quidquid poſſet pro ſalute ſua. & Coelius ep. 9. lib. IIX. Appius in te maximam ſpem habet. POMPEIVM,} ſocerum filiae tuae. VNVM *ex omnibus*} pluris facio, quam omnes. BRVTVM} M. Brutum, Appij generum. ep. 4. FACINVS,} quod non liceat. DEDECVS} quod non deceat. grauius autem Facinus, quam Dedecus. PONTINIVS,} C. Pontinius, Ciceronis legatus, praetorius, qui de Allobrogibus triumphauerat, Appio ipſo conſule adiuuante. ep. 16. lib. IV. ad Att. Erit cum Pontinio Appius conſul. TRACTATVS *eſt*} quia conſul Appius, ut proximé dixi, adiutor ei fuit in obtinendo triumpho. FIDE,} cum debitam amicitiae fidem praeſtitiſti. A. ME. INVITISSIMO} ſic malo, quam, Inuitiſsime. nam, Pontinium non libenter diſceſsiſſe, uerba illa ſatis oſtendunt, Maximis rebus ſuis coactus. nunc ſignificationem ſuae uoluntatis, & amoris in Pontinium Cicero dat, cum inquit, A me inuitiſsimo. LAODICEAM} ut in prouincia operam daret, ne teſtes in Appium Romam irent. ex quo patet, accuſatũ Appium de rebus in prouincia geſtis, quibus maieſtatem populi Romani laeſiſſe uideretur. AMPLITVDINI *iſta ſollicitudo futura*} idem alijs uerbis paullo ante, Iſtum laborem tibi etiam honori putarem fore. SI. VERO *efficis, ut cenſores creentur;*} quod ſi accidat; fore non dubitat, ut cenſor ipſe Appius creetur. itaque ſubiungit, Et ſi ita geſſeris cenſuram. creatus autem eſt cum L. Piſone, in quem exſtat Ciceronis oratio. ep. 13. lib. IIX. de Diuinatione lib. I. Dio lib. XL. oratio contra Salluſtium. ET POTES:} cum tibi neque animus, neque conſilium deſit. PROROGETVR:} ne quid ad hoc annuum prouinciae munus temporis addatur. HIC *tibi ſatisfecerimus*,} paullo ante dixit, Promitto, atque confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro ſalute) in hac prouincia, cui tu praefuiſti, rogando deprecatoris, laborando propinqui ſuſcepturum officia, atque partes. NAVARE} praeſtare, tribuere. HOMINVM *atque ordinum*} epiſtola quoque 9. lib. I. coniunxit homines, & ordines: Cum me comitijs centuriatis, cunctis ordinibus, hominibusq. incumbentibus, omnibus denique ſuis uiribus reſp. recuperaſſet. Ordines autem in ciuitate tres fuere, ſenatus, equites, plebs. MINIME *miranda, & maxime iucunda*} nec miror, & gaudeo, dixit ep. I. lib. X. AMPLA,} ut mihi plurimis in rebus uſui eſſe poſsit. IVCVNDA} ob multas ſuauitates. addidit enim, Iucunda; ne uideatur eum diligere dumtaxat humanitatis cauſſa. VNA} una in primis. habet enim non tam definiendi, quam augendi uim. ADOLESCENTE,} Dolabella. DVOBVS *capitis iudicijs*} ep. XI. lib VI. ſcribit ſe Dolabellae periculis non defuiſſe. Capitis autem iudicium fuit, quo libertas, aut ciuitas amittebatur. OBLIVISCERETVR} amicitiae, quae mihi tecum intercedit, rationem non haberet. VEL *ornamentis, uel praeſidijs*} ijs rebus, quae uel ornamento, uel praeſidio eſſe poſſunt: quas memorat ep. 13. lib. 2. Quid inquit, eſt cauſſae, cur mihi non ſit in optatis, complecti hominem florentem aetate, opibus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis? VT *leuiſſime dicam*,} non dicam, omnia, ſed, multa deeſſent. SERMO *ſtultus*,} dictitabat fortaſſe, probari a Cicerone accuſationem illam, hoc argumento, quod ſibi tunc filiam ſuam collocaſſet. COELIO} hae Coelij litterae, quas hic Cicero ſignificat, non exſtant. nam in ijs, quas habemus, nulla ſermonis huius Dolabellae mentio fit. de iungendo autem inter eum, & Tulliam, Ciceronis filiam, matrimonio, loquitur Coelius in duabus epiſtolis, 9. 12. lib. IIX. CONIVNCTIONEM} amicitiam, quae antea fuerat. ep. XI. lib. VI. NOVAM} nuptijs filiae conciliatam. NEQVE *id eſt obſcurum*} multos enim, & illuſtres, & ex ſuperiore, & ex aequo loco, ſermones habitos eſſe cum ſumma Appij laude, dixit ep. 8. ALIENVM *tempus eſt*} ne ſatis grauem ex accuſatione curam ſuſtinenti hoc etiam addam moleſtiae. NECESSARIVM.} quia ſignificatur in tuis litteris ſuſpicio quaedam, & dubitatio. LEGATIONI} hac de re uide ep. 8. SI. CLAM, *magis aperte inimicus eſſe?*} ſi quis eſt, qui ſe ueteribus ita libris addixerit, ut locum coniecturae nullum relinquat; legat hic, Sic iam magis aperte inimicus eſſem. nam ita diſerte ac plane in antiquioribus libris, etiam in illo Mediceo, ſcriptum eſt. ſin perquirenda ueritas eſt, & licet a mendoſis incorrupta diſtinguere: dubitandum, opinor, non erit, quin hic pro, Sic iam, reponatur, Si clam; pro Eſſem, Eſſe. quod olim a ſingulari uiro, Petro Daneſio, Pariſienſi, Epiſcopo Vaurenſi. quem ab adoleſcentia mea dilexi uehementer, & colui, acute animaduerſum, ita probaui, ut imprimi uoluerim. neque haec poſtea coniectura hominibus eruditis, cum & ipſi has epiſtolas emendarent, diſplicuit. QVA *ſunt ij*,} ep. 8. Si quis eſt, qui neminem bona fide in gratiam putet redire poſſe; non noſtram is perſidiam coarguit, ſed indicat ſuam. IN. OBSCVRO *odio*} ſi clam te odiſſem. quod proxime dicit. IN. QVO *tibi nihil nocerem*,} iterat illud, In quo potui, ſi te palam odiſſem, minus quod tibi obeſſet, facere?

AD. ME *adire quoſdam memini, nimirum ex Epicteto, qui dicerent*,} quis non uidet, abundare illud, Nimirum ex Epicteto? quod uitium nec olim in noſtris libris haerere paſſus ſum; & nunc eo magis in ſententia confirmor, quod a ueteribus octo libris noſtram opinionem uideo comprobari. Praeterea, non ex Epicteto, ſed ex multis ciuitatibus ad Ciceronem adiere, ut immoderatis ſumptibus leuarentur. quod ep. 8. demonſtratur his uerbis: Apameae cum eſſem, multarum ciuitatum principes ad me detulerunt, ſumptus legatis decerni nimis magnos. NON. TAM *imperaui, quam cenſui*,} non tam hoc imperij, quam iudicij fuit. non hoc pro imperio feci, ſed quod ita faciendum cenſui. AD. LEGEM *Corneliam*} ſumptum uidetur lex Cornelia definijſſe, cum ad eorum laudem, qui prouincijs praefuiſſent, legationes Romam mitterentur. huc illud ſpectat, quod ſcriptum eſt ep. 8. Laudaturum me, ſi quis ſuo ſumptu functus eſſet officio; conceſſurum, ſi legitimo; non permiſſurum, ſi infinito. RATIONES *ciuitatum*:} tabulae publicae, in quas accepti, expenſiq. ratio refertur. INDVXIT.} uſurpari ſolitum eſt hoc uerbum in expenſis perſcribendis. eodem modo locutus oratione 2. in Rullum: Vt agros, inquit, a uobis

met ipſis emptos, quanti uelletis populo Romano induceritis. Et in Verrem lib. I. Tutores, pecuniam praetori ſi pupillae nomine dediſſent, grandem praeſertim, quemadmodum in rationem inducere poſſent, non uidebant. NON. MODO *ſublatos*} uetitos, edicto meo. QVERERER} quod leuiſsimis hominibus aures praebueris. ep. 8. Tua, quod audis, culpa nonnulla eſt. HOC. TVO *tempore*,} cum ſis reus, nec addere laboranti moleſtiam debeam. ep. 9. lib. I. Scripſi tres libros de temporibus meis. ep. 6. lib. 2. Nouitate meorum temporum. Ad Att. ep. 12. lib. XI. Eum tibi commendare hoc meo tempore non audeo. Non uidetur hoc loco, quod ad refellendas Grammaticorum inanes nugas pertinet, omittendum. Clamant, ac paene iureiurando confirmaut, in ijs rebus, quae ad ſecundam perſonam referuntur, ſemper Iſte, non Hic, uſurpari ſolitum in Latina lingua. qui ſi diligenter, quam late pateat uſus Latini ſermonis, attendiſſent: non dubito, quin aliter ſentirent. de Appij accuſatione dixit hic Cicero, Hoc tuo tempore, non iſto. & ad Furnium, ep. 25. lib. X. Haec ambitioſa feſtinatio. cum tamen de Furnij feſtinatione loqueretur. Coelius etiam ep. 8. lib. IIX. Haec exiguitas copiarum: de prouinciali Ciceronis exercitu. Huius generis exempla, quae uitandae ſatietatis cauſſa praetermitto, Cicero multa ſuppeditat: qui mihi uel unus pluris eſt, quam omnes Grammatici. NIHIL *de te*,} non contra te, ſed pro me diſputabo. NIHIL *in me*} multis argumentis oſtendit, cur Appius maleuolorum ſermonibus non debuerit credere. argumenta autem ducit primum a perſona ſua, cum ait, Nihil in me: deinde a perſona Appij, cum ſubiungit, Florentiſsimi hominis: tum a tempore, in eo, Eius exiſtimationem oppugnare in prouincia, cuius laudem domi defenderis: ab ipſa re, cum inquit, In ea re animum oſtendere inimicum, in qua nihil obſis: ab ingrati animi culpa, cum inquit, Quid erat autem: a conſtantia ſua, Quid in conſulatu tuo fruſtra mecum egiſti: ab utili, Quid mihi tandem erat utilius? a ſtudijs, a conſuetudine, a litteris, Quid illa uincula: ab hominum opinione, Quid illa tandem popularia? poſtremo a Cn. Pompeij perſona, Quis umquam tanti, &c. PERFIDIOSVM *& inſidioſum*,} a quibus uitijs longe uir bonus abeſt, & is, qui ſe ſtudijs optimis, liberaliq. doctrinae dediderit. HVMILE} refertur ad illud, Si ſatis magni animi. IEIVNVM} ad illud, Non minimi conſilij. cuius enim conſilij eſt, ieiunum quiddam ad laedendum deligere, & oſtendere uoluntatem nocendi, in quo nocere nihil poſsit? AGNOSCERE.} Agnoſcere, & hic, & alibi non numquam uerum fateri, eſt. ep. 4. lib. IV. Illam partem excuſationis nec agnoſco, nec probo. SIN *aſtutum, & occultum lubet fingere*:} ep. 8. Quod ſi quis me aſtutiorem fingit. QVID *eſt, quod minus cadere in eiusmodi naturam poſſit*,} ep. 8. Quid poteſt eſſe callidius &c. FLORENTISSIMI *hominis*} ep. 13. lib. 2. Quid eſt cauſſae, cur mihi non ſit in optatis, complecti hominem florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis? EIVS *exiſtimationem oppugnare in prouincia*,} idem ep. 8. CVIVS *laudem*} praeſertim in ſupplicatione, de qua in ep. ult. IN. QVA *nihil obſis*;} dixit idem paullo ante. Et ſimiliter in Verrem: Vt coniecturam faceretis, qualem in his rebus in me L. Metellum fuiſſe putaretis, in quibus rebus obeſſe mihi poſſet, cum in hac re tam aperta cupiditate fuerit, in qua nihil obfuit. NE. TVNC. QVIDEM} ne tempore quidem exſulij mei, cum actum eſt de me reſtituendo. PROPE *neceſſe eſſet*} quia frater tuus, P. Clodius, me oppugnaret. EAS *agere partes*,} oppugnare ſalutem meam. COGNOVISSEM?} reuerſus in patriam ab exſulio. EXPETISSET.} nam, qui in gratiam inuiti redeunt, rurſus amicitiam facile diſcindunt. Vtitur Cicero hoc uerbo ad tollendam occulti odij ſuſpicionem. TE *Puteolis proſequerer*,} in prouinciam proficiſcentem: quod in more fuit. ep. 6. lib. XIII. Cum te proſequerer paludatum. IN. QVO *non exſpectationem tuam diligentia mea uicerim?*} ſupra, Vincam officijs meis cogitationes tuas. AFFINES,} maxime Pompeius, & M. Brutus. ep. 4. ASTVTIA} quod utilitatem meam ſpectauerim. SAPIENTIA} eſt enim ſapientis, eius amicitiam expetere, in quo illa ſint, quae proxime nominauit. ATQVE *haec domeſtica.*} Haec, quae commemoraui, priuata ſunt, & inter nos: exponam nunc, quae publice nota ſunt, ac populo patent. Atque, non copulat, ut alibi: ſed concludit. ep. 1. lib. VI. Atque haec eo pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus, tamen ipſa uirtus ſe ſuſtentare poſſe uideatur. Interdum & concludit, & uiam ſimul aperit ad aliam ſententiam, aut ad aliam argumenti partem: ut Phil. I. Atque haec communiter cum collega: illa porro propria Dolabellae. Simile illud ep. 2. lib. XII. Sed haec tolerabilia: ilud non ferendum. Et Phil. 2. Sed haec uetera, illud uero recens, Caeſarem meo conſilio interfectum. QVID. ILLA *tandem popularia?*} notanda tranſeundi ratio, colligata ſententia unico uerborum ambitu, & inducto nouorum argumentorum initio: ut Tuſc. I. Vetera iam iſta, & religione omnium conſecrata: quid in hac rep. tot, tantosq. uiros, ob remp. interfectos, cogitaſſe arbitramur? Et in Verr. lib. III. Priuatim hoc modo: quid publice? REDITVS *illuſtris in gratiam*;} cum enim clari in ciuitate uiri in gratiam redeunt, non poteſt eſſe obſcura illa reconciliatio, praeſertim ex grauiſsimis inimicitiis. accedit illud, quod, cum in gratiam per Pompeium redijſſent, auctoritate, & opibus eximium, illuſtris eo quoque nomine reditus in gratiam fuit. redijſſe autem in gratiam auctore Pompeio, ex epiſtola Ciceronis ad M. Brutum, cuius teſtimonio utitur Quinctilianus, intellexi. NE. PER *imprudentiam quidem errari poteſt ſine ſuſpicione perfidiae*;} confirmat hoc, quod ſcripſit Coelius ep. 9. lib. IIX. de Appio a Dolabella accuſato: Cum quo ſimultates ſi tibi non fuiſſent, liberius tibi de tota re eſſet. nunc, ſi ad illam ſummam ueritatem legitimum ius exegeris: cauendum tibi erit, ne parum ſimpliciter, & candide poſuiſſe inimicitias uidearis. Et in oratione pro Gabinio: Ego cum omnes amicitias tuendas ſemper putaui ſumma religione, & fide, tum eas maxime, quae eſſent ex inimicitijs reuocatae in gratiam: propterea quod integris amicitijs officium praetermiſſum, imprudentiae, uel, ut grauius interpretemur, negligentiae excuſatione defenditur: poſt reditum in gratiam ſi quid eſt commiſ-

ſum, id non neglectum, ſed uiolatum putatur, nec imprudentiae, ſed perfidiae aſsignari ſolet. AMPLISSIMI *ſacerdotij*} auguratus. fuit enim uterque augur. ep.4. & lib. 2. ep. 13. Ampliſsimum autem uocat ſacerdotium, non quia ceteris praeſtaret; nam ea quidem dignitas pontificatus maximi fuit; ſed quod eſſet inter ampliſsima. Pontificatum autem maximum uere ſacerdotium ampliſsimum uocat Ph. 13. Augures autem inter ſacerdotes fuiſſe, indicat Plinius lib. IIX. cap. 28. his uerbis: Artem auguria fecere apud Romanos: & ſacerdotum collegium uel maxime ſollemne eſt. RESTITVTVM} cum me ab exſulio reuocauit. CVM . IPSE *abeſſet,*} diu abſuit Pompeius, bellorum cauſſa. geſsit enim Hiſpanienſe, Piraticum, Mithridaticum; cum Cicero aut magiſtratus gereret, aut certe ſenator eſſet. CONTENTIONEM *meam*} ſummum ſtudium. ep. 9. lib. 1. Caeſaris, ut illum defenderem, mira contentio eſt conſecuta. ep. 6. lib. 2. Quantopere mihi eſſet, omni non modo contentione, ſed etiam dimicatione elaborandum. PRO *Milone,*} reo ob necem P. Clodij. ADVERSANTEM *actionibus ſuis?*} Cicero enim pro Milonis, amiciſsimi ſui, ſalute contendebat: Pompeius conſul id, quod e rep. eſſet, diligenter curabat: itaque, cum iudicium de Milone fieret, forum armatis militibus ſaepſit: quod queritur Cicero in oratione pro Milone. INVIDIA} quia ſuſpicio fuit, conſilio Ciceronis Clodium a Milone interfectum: idq. Plancus, & Q. Pompeius tribuni pl. ſeditioſis concionibus perſuadere populo conati ſunt. ARMIS *denique texit ſuis?*} exercitum eo tempore Pompeius in urbe habuit, ne quid reſp. ei commiſſa, detrimenti caperet. quam rem, ut nouam, & iniuſtam, accuſat Caeſar his uerbis lib. III. de bell. ci. Non nullos ambitus Pompeia lege damnatos, illis temporibus, quibus in urbe praeſidia legionum Pompeius habuerat, in integrum reſtituit. Quod autem ait, Texit, explanatur hic locus epiſtola Balbi lib. IX. ad Att. in qua ſunt haec: Mihi placet, te ad eum ſcribere, & ab eo praeſidium petere, ut petiſti a Pompeio temporibus Milonianis. Praeſidium autem illud Cicero petijt metu plebis ob Clodij necem concitatae. PHRYGII, *aut Lycaoni,*} Phrygia, & Lycaonia ad prouinciam Ciliciam pertinuiſſe, uel hic locus oſtendit. FILIVS} Cnaeus. nam Sextum Libonis filiae uirum fuiſſe puto: ut diximus ep. 4. EAS . AD . ME *litteras miſerit,*} filium a Pompeio, non modo litteras, ad Ciceronem Appij cauſſa miſſum iri, creditum eſt. ep. 9. lib. IIX. ITA *de me meriti,*} cum mihi patriam, liberos, ſalutem, dignitatem, memet & ipſum mihi per illum reſtitutum putem. QVAE *a me perfecta, quaeq. inſtituta ſunt, cognoſce.*} alij, Profecta. mihi placet, Perfecta: nec tamen placet ſine auctoritate ueterum librorum. & recte coniunguntur; Quae perfecta iam, quaeq. inſtituta ſunt. Cognoſce, dixit, quia cum litteris commentarium mittebat de rebus a ſe pro Appio actis, & agendis. partem quidem ipſius epiſtolae deſiderari nullam puto. quamquam alij contra ſentiant. MAGIS . PRO *dignitate, quam pro periculo*} ſic in principio huius epiſtolae: Me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro ſalute.) AVDIEMVS:} audijt. cenſor enim creatus eſt Appius, ut paullo ante oſtendimus, cum L. Piſone. MAGISTRATVS} non proprie: ſi iuriſdictio, aut imperium magiſtratum facit. nam neque ius dicebant cenſores, nec imperium habebant. MAXIMI *animi,*} cum cenſor ſummos uiros, etiam conſulares, e ſenatu interdum eijceret. SVMMI *conſilij,*} ualeat conſilio cenſor, opus eſt, cum de uniuerſa ciuitate iudicet, omniumq. plane ciuium notandorum poteſtatem habeat. COGITANDA *eſſe cenſeo.*} opinor hic adiuncta fuiſſe, quae a ſe perfecta, & inſtituta dixit.

---

# Argumentum ep. II.

*GRatulatur Appio, quod abſolutus eſſet de maieſtate: eundemq. fore exitum iudicij de ambitu confirmat. Cn. Pompeium, & M. Brutum effert laudibus, quod egregiam Appio fidem, ac beneuolentiam praeſtitiſſent. ſuam operam pollicetur ad eos notandos, qui teſtimonium in Appium pretio dixerant. Subiungit de ſtatu reip. de auguralibus Appij libris, de ſuis litteris cum aliqua beneuolentiae ſignificatione. Poſtremo adhortatur, ut in cenſura gentilem ſuum imitetur App. Claudium Caecum. Miſta eſt epiſtola; moralis, ubi gratulatur & hortatur; negotialis, ubi de teſtibus, de auguralibus libris, de Tullio, de litteris agit.*

*Cicero imp. S. D. Ap. Pulchro, ut ſpero, cenſori.* II.

*CVM eſſem in caſtris ad fluuium Pyramum, redditae mihi ſunt uno tempore a te epiſtolae duae, quas ad me Q. Seruilius Tarſo miſerat. earum in altera dies erat adſcripta nonarum Aprilium; in altera, quae*

*quae mihi recentior uidebatur, dies non erat. reſpondebo igitur ſuperiori prius: in qua ſcribis ad me de abſolutione maieſtatis. de qua etſi permultum ante certior factus eram litteris, muncijs, fama denique ipſa: (nihil enim fuit clarius: non quo quiſquam aliter putaſſet: ſed nihil de inſignibus ad laudem uiris obſcure nunciari ſolet) tamen eadem illa laetiora fecerunt mihi tuae litterae: non ſolum, quia planius loquebantur, & uberius, quam uulgi ſermo: ſed etiam, quia magis tibi uidebar gratulari, cum de te ex te ipſo audiebam. Complexus igitur ſum cogitatione te abſentem, epiſtolam uero oſculatus, etiam ipſe mihi gratulatus ſum. quae enim a cuncto populo, a ſenatu, a iudicibus ingenio, induſtriae, uirtuti tribuuntur: quia mihi ipſe aſſentor fortaſſe, cum ea eſſe in me fingo; mihi quoque ipſi tribui puto: nec tam glorioſum exitum tui iudicij exſtitiſſe, ſed tam prauam inimicorum tuorum mentem fuiſſe mirabar. De ambitu uero quid intereſt, inquies, an de maieſtate? ad rem nihil: alterum enim non attigiſti, alteram auxiſti. uerumtamen eſt maieſtas, ut Sulla uoluit, ne in quemuis impune declamare liceret. ambitus uero ita apertam uim habet, ut aut accuſetur improbe, aut defendatur. qui enim facta, aut non facta largitio ignorari poteſt? tuorum autem honorum curſus cui ſuſpectus umquam fuit? me miſerum, qui non affuerim. quos ego riſus excitaſſem. Sed de maieſtatis iudicio duo mihi illa ex tuis litteris iucundiſſima fuerunt: unum, quod te ab ipſa rep. defenſum ſcribis; quae quidem etiam in ſumma bonorum, & fortium ciuium copia tueri tales uiros deberet; nunc uero eo magis, quod tanta paenuria eſt in omni uel honoris, uel aetatis gradu, ut tam orba ciuitas tales tutores complecti debeat: alterum, quod Pompeij & Bruti fidem, beneuolentiamq. mirifice laudas. Laetor uirtute, & officio cum tuorum neceſſariorum, meorum amiciſſimorum, tum maxime alterius omnium ſaeculorum, & gentium principis, alterius iampridem iuuentutis, celeriter, ut ſpero, ciuitatis. De mercenarijs teſtibus a ſuis ciuitatibus notandis, niſi iam aliquid factum eſt per Flaccum, fiet a me, cum per Aſiam decedam. Nunc ad alteram epiſtolam uenio. Quod ad me quaſi formam communium temporum, & totius reip. miſiſti expreſſam: prudentia litterarum tuarum ualde eſt mihi grata: uideo enim & pericula leuiora, quam timebam, & maiora praeſidia; ſiquidem, ut ſcribis, omnes uires ciuitatis ſe ad Pompeij ductum applicauerunt. tuumq. ſimul promptum animum, et alacrem perſpexi ad defendendam remp. mirificamq. cepi uoluptatem ex hac tua diligentia; quod in ſummis tuis occupationibus mihi tamen reip. ſtatum per te notum eſſe uoluiſti. Nam augurales libros ad commune utriuſque noſtrum otium ſerua. ego enim a te cum tua promiſſa per litteras flagitabam, ad urbem te otioſiſſimum eſſe arbitrabar. nunc tamen, ut ipſe polliceris, pro auguralibus libris orationes tuas confectas omnes exſpectabo. Tullius, cui mandata ad me dederas, non conuenerat me: nec erat iam quiſquam mecum tuorum, praeter omnes meos, qui ſunt omnes tui. Stomachoſiores meas litteras quas dicas eſſe, non intelligo. bis ad te ſcripſi, me purgans diligenter, te leuiter accuſans in eo, quod de me cito credidiſſes. quod genus querellae mihi quidem uidebatur eſſe amici; ſin tibi diſplicet, non utar eo poſthac. ſed, ſi, ut ſcribis, eae litterae non fuerunt diſertae: ſcito meas non fuiſſe. ut enim Ariſtarchus Homeri uerſum negat, quem non probat: ſic tu, (libet enim mihi iocari) quod diſertum non erit, ne putaris meum. Vale, & in cenſura, ſi iam es cenſor, ut ſpero, de proauo multum cogitato tuo.*

## EXPLANATIO

PYRAMVM, } Ciliciae fluuium. MAIESTATIS. } quo eum crimine Dolabella reum fecerat. PERMVLTVM *ante* } reſpuunt hoc aures meae, cum Latini ſermonis conſuetudo, Permulto ante, requirere uideatur. quamquam, Valla quid ſcripſerit, non me fugit. ſed in antiquis fero omnia, (quamquam, mendoſa non eſſe, quis praeſtat?) non omnia tamen imitor. INSIGNIBVS *ad laudem uiris* } Inſignia ad maximam laudem, dixit etiam in Oratore. COMPLEXVS } prae gaudio ex tua abſolutione ſuſcepto. DE AMBITV *uero quid intereſt, inquies, an de maieſtate?* } hactenus Appio, iudicio maieſtatis abſoluto, gratulatus eſt Cicero: deinceps bene ominatur de ambitus iudicio, quod ſupererat. aeque enim in utroque crimine expertem culpae eſſe Appium oſtendit: ipſumq. inducit hoc modo interrogantem. Putas idem eſſe, de ambitu, & de maieſtate abſolui, an aliquid intereſſe? id eſt: qui exitus fuit iudicij de maieſtate, eundem ne fore putas eius iudicij, quod de ambitu fiet? Reſpondet Cicero. Ad id, quod agitur, ad cauſſam tuam nihil intereſt. nam, etſi diuerſa ſint crimina; nec neceſſe ſit, qui de maieſtate abſoluatur, eundem abſolui de ambitu: tamen, cum tu maieſtatem auxeris, ambitum non attigeris, quis eundem iudicij exitum non exſpectet? Abſoluta hac parte, quae tum ad gratulationem facti iudicij, tum ad amouendam futuri moleſtiam pertinet, conuertit Cicero orationem contra Dolabellam; ut Appium duplici afficiat gaudio, primum ex ijs, quae de ipſo iam dixit, deinde ex ijs, quae in eius accuſatorem dicturus eſt. Verumtamen, inquit, ex duobus criminibus, quae tibi obijcit accuſator, alterum in ipſum potius conferendum uidetur; cum ſit maieſtas, ut Sulla ſua lege ſanxit, ne in quemuis impune declamare liceat; ille uero te prorſus innocentem, ut oſtendit iudicij exitus, accuſauit: itaque lege Cornelia puniendus: ab altero autem cum te longiſsime abeſſe omnes iudicent; (honorum enim tuorum curſus cui ſuſpectus umquã fuit?) ſequitur, ut improbe te Dolabella, maleuolentia impulſus, accuſet. DECLAMARE } palam maledicere, ac de fama detrahere. quod ſi maieſtatis crimen eſt: multo magis, cum homo innocens accuſatur. AMBITVS } ambitum eſſe, cum honores pecunia quaeruntur, ignorat nemo. ITA *apertam uim habet,* } hoc loco Vim accipio pro natura: ut ſit quaſi ambitus definitio. ſic locutus lib. I. Off. Duplex eſt uis animorum, atque natura. et in Orat. Eloquentiae uim, & naturã explicemus. IMPROBE, } Improbus eſt, uel qui ambitum accuſat, uel qui defendit. cum enim largitio facta, aut non facta ignorari nõ poſsit; nemo uir bonus eius delicti nomine quemquam accuſabit, quo eum uacare ſatis liqueat. rurſus nocens

cens reus improbe defendet, quod multorum teſtimonio probetur. improbus igitur Dolabella, qui te de ambitu accuſet, cuius honorum curſus nemini ſuſpectus umquam fuit. Hoc totum pro Appio contra Dolabellam, generum ſuum, tempori ſeruiens Cicero collegit: quod factum excuſat in epiſtola ad Coelium lib.2. his uerbis: Quid, ſi meam legas, quam ego tum ex tuis litteris miſi ad Appium? quid agas? ſic uiuitur. RISVS} patefacta, atque exagitata accuſatoris tui leuitate, ac ſtultitia. BONORVM, *& fortium*} nam neque timida probitas, neque improba fortitudo utilis reip. VEL *aetatis*} non modo honoris, uerum etiam aetatis. ORBA} ut orbati parentibus pupilli ſuos tutores caros habent, incolumesq. eſſe cupiunt. POMPEII, *& Bruti*} unam ex duabus Appij filijs uxorem duxerat Cn. Pompeij filius, alteram M. Brutus. ep.4. Brutus uero & laudauit reum Appium, & defendit. illud ex Diomede, hoc ex libro de claris Orat. conſtat. FIDEM,} affinitati debitam. VIRTVTE, *& officio*} uirtute, quod potuerint; officio, quod uoluerint, ac laborauerint. OMNIVM *ſaeculorum, & gentium principis,*} eundem ornauit laude ſingulari, ep.7. Quem omnibus, qui umquam fuerunt, antepono. IVVENTVTIS,} uere. nam probitate, doctrina, animi magnitudine, ſtudio in remp. neminem cum M. Bruto conferendum fuiſſe, quis negabit? MERCENARIIS} qui mercede conducti ex Aſia Romam iuerant, ut in Appium teſtimonium dicerent. PER *Flaccum,*} cum loquatur de ijs, qui ex prouincia, cui praefuerat Appius, contra eum Romam profecti erant: non poſſum ſuſpicari, Flaccum propraetorem eſſe. nam eandem prouinciam Cicero poſt Appium rexit. aliquis fortaſſe de Ciceronis cohorte fuit, in Aſiam ab eo miſſus, ut mercenarios teſtes a ſuis ciuitatibus notandos curaret. PER *Aſiam*} nunc enim erat in Cilicia. QVASI *formam*} tranſlata uerba, ne aſperitatem habeant alieno loco, molliuntur praepoſitis aduerbijs, Quaſi, Tamquam, Veluti, & ſimilibus. Forma eſt, ad cuius exemplar aliquid fit, ut aedificium. ſed forma transfertur ad multas res, & uſurpatur ita ſaepe, ut iam in proprij fere uerbi naturam tranſierit: itaque nihil interdum, molliendi cauſſa, Cicero praeponit, ut ep.8.lib.2 Abs te future exſpecto: ut ex tuis litteris cum formam reip. uiderim, quale aedificium futurum ſit, ſcire poſsim. COMMVNIVM} quae ad omnes aeque pertinent. QVAM *timebam,*} hoc anno, ideſt L. Paullo, M. Marcello cos. diſsidere coepit a Caeſare Pompeius, ſero timens, quem ipſe cum antea ſemper, tum biennio ante conſul tertium auxerat. ep.6.lib.VI. MAIORA *praeſidia;*} poteſt hoc quoque ad illud referri, Quam timebam. SE. AD *Pompeij ductum applicauerunt.*} ut Pompeius, tamquam dux, omnia regeret. REMP.} quae putabatur eſſe in partibus Pompeij. NAM} alibi, Nam, cauſſam rei antecedentis demonſtrat, hic ad aliam ſententiam tranſiicit: ut ep.9.lib.1. Nam, de Appio quod ſcribis. & ep.16.lib.2. Nam, quod rogas, ut reſpiciam generum meum. Et ep.32.lib.7. Nam, de iudicijs quod quereris, multo laboro minus. AVGVRALES *libros*} quos Appius de iure augurali ad Ciceronem ſcripſerat. ep.4. & 9. ad Att. autem lib.X. ep.7. Auguria, inquit, me incitant ex quadam ſpe non dubia, non haec collegij noſtri ab Appio, ſed illa Platonis de tyrannis. Feſtus in uerbo Solliſtimũ. TVA *promiſſa*} reliquos augurales libros, primo antea miſſo, quos Cicero ep.9. petierat his uerbis: Velim, reliquum quod eſt promiſsi, ac muneris tui, mihi perſoluas. AD. VRBEM} eorum more, qui ex prouincia cum imperio reuerſi ad urbem exſpectant, ut eis triumphus decernatur. ep.8. Videbam te hanc epiſtolam, cum ad urbem eſſes, eſſe lecturum. OTIOSISSIMVM} non, ut poſtea cognouit, accuſationis cura impeditum. ex quo diutius ad urbem otioſe permanere Appio non licuit; ſed, abiecta triumphi poſtulatione, urbem ingreſſus eſt. ep.9.lib.IIX. ORATIONES *tuas*} uel quas habuit pro ſe ipſo in maieſtatis iudicio, quo erat abſolutus: uel quibus antea uarias cauſſas defenderat. nam eum in Bruto nominat Cicero inter oratores, ac laudat his uerbis: Ap. Claudius, collega, & familiaris meus, & ſatis ſtudioſus, & ualde, cum doctus, tum exercitatus orator, & cum auguralis, tum omnis publici iuris, antiquitatisq. noſtrae bene peritus. TVLLIVS,} non uidetur hic eſſe L. Tullius legatus, de quo ep.3.lib.XV. & ad Att. ep.4.11.21.lib.V. ſed potius ex familiaribus Appii, quod Ciceronis uerba demonſtrant. fuere igitur quinque Tullij, praeter Ciceronum noſtrum. hic, familiaris Appij, & L. Tullius legatus, & M. Tullius ſcriba, de quo ep.20.lib.V. & L. Tullius Montanus, de quo ep.50. ad Att. lib.XII. BIS *ad te ſcripſi,*} duas epiſtolas ſignificat, 8. & 10. in quibus leuiter Appium accuſat, quod improborum ſermonibus crediderit. nam de uitato congreſſu queritur ep.6. de Appianorum uero aedificatione impedita purgat ſe ep.7. QVOD *genus querellae*} non enim te, quod improbus ipſe eſſes, ſed quod improbis crediſſes, accuſaui. DISERTAE;} ornate loquentes. ARISTARCHVS} grammaticus Alexandrinus Ariſtophanis diſcipulus, ut in Cariſio, & Suida legimus. is Homeri uerſus iudicauit, ut ueros ab adulterinis ſecerneret. ep.10.lib.IX. PROAVO} Ap. Claudio Caeco, qui cenſor aquam Claudiam in urbem perduxit, anno urbis CDXLI. ſed is antiquior, quam proauus. parum enim ſubtiliter Cicero temporum rationem examinat. Quid, quod idem in huius App. Caeci mentione non ſolum ab hiſtoria diſcrepat, cum appellet hic proauum, qui longiore diſtat interuallo, ſed ipſe etiam ſibi non conſtat: nam, quem in hac epiſtola proauum, in oratione de haruſpicum reſponſis abauum Clodij uocat. Ne id quidem ſentis, inquit, conniuentes illos oculos abaui tui magis optandos fuiſſe, quam hos flagrantes ſororis? Fuit autem Ap. Caecus P. Clodij non proauus, aut abauus, ſed tritauus: quod ex faſtis maxime Capitolinis licet colligere. ſimilis ἀνιστορησία Ciceronis in oratione pro domo cognoſcitur. C. Atinius, inquit, bona Q. Metelli, aui tui, Q. Metelle, conſecrauit. Metellum Macedonicum, (hunc enim ſignificari, ex Plinio lib.VII.cap.44. & epitome Liuiana lib.LIX. cognouimus) auum appellat Q. Metelli Nepotis, qui tum conſul erat: cum proauus eius, non auus, fuerit. nam Macedonicj filius Balearicus genuit Nepotem, patrem huius Nepotis, quem Cicero appellat: quod Pedianus in commentario Cornelianae, & faſti etiam Capitolini declarant.

ARGV-

## Argumentum ep. 12.

*Gratulatur Appio de abſolutione ambitus: excuſat filiae nuptias, quam accuſator Appij Dolabella uxorem duxerat: ſeq. ait ea cauſſa diligentiorem ad beneuolentiam declarandam eſſe factum.*

### *Cicero imp. S. D. Ap. Pulchro.* 12.

GRATVLABOR *tibi prius; (ita enim rerum ordo poſtulat) deinde ad me conuertar. Ego uero uehementer gratulor de iudicio ambitus; neque id, quod nemini dubium fuit, abſolutum te eſſe; ſed illud, quod, quo melior ciuis, quo uir clarior, quo fortior amicus es, quoq. plura uirtutis, induſtriae ornamenta in te ſunt, eo mirandum eſt magis, nullam ne in tabellae quidem latebra fuiſſe abſconditam maleuolentiam, quae te impugnare auderet. non horum temporum, non horum hominum, atque morum negotium. nihil iam ſum pridem admiratus magis. De me autem ſuſcipe paulliſper meas partes, & eum te eſſe finge, qui ego ſum. ſi facile inueneris, quod dicas; noli ignoſcere haeſitationi meae. Ego uero uelim mihi, Tulliaeq. meae, ſicut tu amiciſſime, & ſuauiſſime optas, proſpere euenire ea, quae me inſciente facta ſunt a meis: ſed ita cecidiſſe, ut agerentur eo tempore, ſpero omnino cum aliqua felicitate, & opto; uerumtamen plus me in hac ſpe tua ſapientia, & humanitas conſolatur, quam opportunitas temporis. itaque, quemadmodum expediam exitum huius inſtitutae orationis, non reperio. neque enim triſtius dicere quidquam debeo ea de re, quam tu ipſe ominibus optimis proſequeris. neque non me tamen mordet aliquid: in quo unum non uereor, ne tu parum perſpicias, ea, quae geſta ſunt, ab alijs eſſe geſta, quibus ego ita mandaram, ut, cum tam longe abfuturus eſſem, ad me ne referrent, agerent quod probaſſent. In hoc autem mihi illud occurrit: quid tu igitur, ſi affuiſſes? rem probaſſem: de tempore, nihil te inuito, nihil ſine conſilio egiſſem tuo. Vides ſudare me, iam dudum laborantem, quo modo ea tuear, quae mihi tuenda ſunt, & te non offendam. leua me igitur hoc onere: numquam enim mihi uideor tractaſſe cauſſam difficiliorem. ſed tamen ſic habeto: niſi iam tunc omnia negotia cum ſumma tua dignitate diligentiſſime confeciſſem: tametſi nihil uidebatur ad meum erga te priſtinum ſtudium addi poſſe; tamen, hac mihi affinitate renunciata, non maiore equidem ſtudio, ſed acrius, apertius, ſignificantius dignitatem tuam defendiſſem. decedenti mihi, & iam imperio annuo terminato, ante diem III. non. Sext. cum ad Sidam naui accederem, & mecum Q. Seruilius eſſet, litterae a meis ſunt redditae. dixi ſtatim Seruilio, (etenim uidebatur eſſe commotus) ut omnia a me maiora exſpectaret. quid multa? beneuolentior tibi, quam fui, nihilo ſum factus, diligentior quidem ad declarandam beneuolentiam multo. nam ut uetus noſtra ſimultas antea ſtimulabat me, ut cauerem, ne cui ſuſpicionem ficte reconciliatae gratiae darem: ſic affinitas nouam curam mihi affert cauendi, ne quid de ſummo meo erga te amore detractum eſse uideatur. Vale.*

## EXPLANATIO

VIRTVTIS, *induſtriae*} multis rebus ornat uirtus, & induſtria: ſed multis uirtute praeditis non numquam defuit induſtria; qua excellunt ij, qui & prompte res aggrediuntur, & diligenter perficiunt. NE IN *tabellae quidem latebra*} in tabellis, quibus iudices abſoluebant, aut condemnabant reos, latere poterat maleuolentia. quis enim ſciret, a quo damnatus eſſet? quae tamen in tabellis occulte impugnare Appiũ maleuolentia potuit, nulla fuit: quoniam ſententijs omnibus abſolutus eſt. NON. HORVM *temporum, non horum hominum, atque morum*} tempora ſunt inimica uirtuti, hominum uoluntas ad flagitium propenſa, mores conſuetudine corrupti. quis igitur exitũ iudicij tui tam glorioſum exſtitiſſe non miretur? DE. ME *autem*} Quod autem ad filiam meam, accuſatori tuo collocatam, pertinet: ſuſcipe meam perſonam, ut putes te eſſe, qui ego ſum. tum intelliges, mihi ignoſcendum eſſe, nunc haeſitanti. quia nec tu facile inueneris, quod dicas. haeſito autem, quia neque poſſum dicere probari a me nouam affinitatem, quae cum accuſatore tuo contracta ſit; nec improbare debeo, ne malis ominibus proſequar eam rem, quam tu quoque mihi proſpere cupis euenire. EVM. TE *eſſe finge, qui ego ſum.*} ep. 23. lib. VII. Fac quaeſo, qui ego ſum, eſſe te. SI. FACILE *inueneris,*} tibi accidet, quod nunc mihi, ut non inuenias, quod dicas. ita intelliges, ignoſcendum nunc eſſe haeſitationi meae. quod ſi inueneris, quod dicas: ne ignoſce. HAESITATIONI *meae.*} quia non poſſum explicare, utrum mallem, factas, an infectas cum Dolabella nuptias. ſi factas, laedi uidetur amicitia noſtra, cum accuſatoris tui affinitatem probem: ſi uero infectas, non ominabor optime de filiae coniugio. quod cum ita ſit; aequum eſt, a te ignoſci haeſitationi meae. ſin aliter ſentis: finge te eſſe, qui ego ſum: tu quoque haeſitabis. SED. ITA *cecidiſſe,*} ſed quod ita ceciderit, ut agerentur eo tempore, cum tu reus eſſes; omnino felicitatem aliquam & ſpero, & opto; uerumtamen cum hac ſpe coniunctus dolor eſt, quod acta ſint eo tempore, quo ego minime uoluiſſem: quem mihi dolorem minuit ſapientia, & humanitas tua: ſapientia, quod, cum perſpicies, hanc rem, me inſciente, a meis eſſe factam, prorſus omni me

culpa

culpa liberandum intelliges : humanitas , quod nihil te durius de me ſuſpicari tua natura patietur. OPORTVNITAS *temporis.*} non enim oportuno tempore facta res eſt . itaque , ut rem ipſam probem , tempus tamen probare non poſſum. EA.DE.RE,} de nuptijs. NEQVE *non me tamen mordet aliquid:*} quiddam tamen eſt, quod moleſte feram, hoc uidelicet , quod , quo tempore Dolabella tuam ſalutem oppugnabat, eo ſit a meis ei filia mea in matrimonio collocata. IN.QVO *unum non uereor,*} in quo unum certo ſcio, non te parum perſpicere &c. AB.ALIIS} a M.Coelio.ep.9.lib.IIX. tres antiqui libri, Ab illis: quinque Ab alijs. TAM *longe*} in prouincia. AD.ME.NE *referrent ,*} falſum: nam retulit ad eum Coelius. ep.9.lib.IIX. REM *probaſſem :*} probari a ſe rem oſtendit, ne male ominetur. proxime: Neque enim triſtius dicere quidquam debeo, ea de re, quam tu ipſe ominibus optimis proſequeris. DE.TEMPORE,} utrum affinitas cum Dolabella , quo tempore Appium accuſabat, iungenda , an poſt exitum iudicij reiicienda; ne quid Appio eius coniugij fama, propter auctoritatem, & gratiam Ciceronis, apud iudices noceret . LABORANTEM,} cum non facile reperiat , quod dicat in ea re , quam neque improbare uult, ne filiae nuptias omine parum laeto proſequatur, neque improbare audet , ne Appium offendat. ideo, ſe haeſitare iam dixit, & inſtitutae orationis exitũ non reperire. IAM.TVNC} cum ex amicorum litteris de Dolabellae, & filiae matrimonio cognoui. OMNIA *negotia*} quae pro Appij abſolutione in maieſtatis iudicio facere poterat . nam, quod ad ambitum pertinet, nullum Ciceronis prouinciale negotium ei prodeſſe poterat: cum ambitus largitio ſit in urbe facta obtinendi honoris gratia . STVDIO,} ad animum pertinet, ac uoluntatem : ad operam autem id, quod ſubiunxit, Acrius , apertius . quod paullo poſt declarat his uerbis, Beneuolentior tibi, quam fui, nihilo ſum factus, diligentior quidem ad declarandam beneuolentiam multo . ANNVO} annuum erat prouinciarum imperium . de qua re in ep.7. lib.I. DECEDENTI} primus deceſsionis dies fuit, III. Kal. Sext. ut apparet ex ep.6.& ad Att.ep. 15. lib. V. ep.3.lib.VI. ANTE *diem* III. *non.*} perinde eſt, ac ſi dixiſſet, III. non. id ex lib.XVI. ep.5. ad Tironem intelligi facile poteſt. Ante diem III. non. ueteres dicebant, ideſt, die tertio ante nonas . nam, cum dicitur, III. non. cõciſa locutio eſt: quae integra eſſet, ſi diceres, III. die ante nonas . qua non utebantur antiqui, ſed eius loco, Ante diem III. nonas. SIDAM} maritimam partem prouinciae uocat ep. 5. SERVILIVS} amicus Appij ; qui fortaſſe iuerat in prouinciam, tum ut Appium Ciceroni praeſens commendaret; tum etiam ut hominum prouincialium odia in Appium leniret; ne Romam, dicturi aduerſus eum teſtimonia , proficiſcerentur . quibus enim rapinis prouinciam Appius exhauſtam reliquerit , qui gemitus conſecuti, ſcribit ad Att. Cicero ep.15.& 16.lib.V.& ep.I.lib.VI. BENEVOLENTIOR, *quam fui, nihilo ſum factus, diligentior quidem ad declarandam beneuolentiam multo.*} ſimilis locus ep.60. lib. 13. Cuius calamitas etiam officioſiorem me facit in illum: nam beneuolentior quam ſemper fui, eſſe non poſſum. VETVS} quae ante annos aliquot eſſe coeperat, quo tempore inter Ciceronem, & P. Clodium, Appii fratrem, exortae inimicitiae ſunt , M.Piſone, M.Meſſalla cos. ad Atticum ep.14.lib.I. SIMVLTAS} ſimultas occultum , & mediocre poſt beneuolentiam odium eſt. STIMVLABAT} non ſimultas , quae tunc nulla erat, ſed eius memoria . FICTE *reconciliatae gratiae*} ideo ſcripſerat Coelius ad eum ep. 9.lib.IIX. Cauendum tibi erit, ne parum ſimpliciter , & candide poſuiſſe inimicitias uidearis. AFFINITAS} Dolabellae, Appij accuſatoris.

---

# Argumentum ep. ult.

*AGit Appio gratias, quod ſupplicationem ſibi decernendam ſtudioſe curauerit . gratulationem autem diuidit in quattuor partes; in officia ſua, quibus meritum ſe eſſe oſtendit , ut Appius in re ſimili parem operam , beneuolentiamq. nauaret; in Appij benignitatem , qui acceptam gratiam quaſi cum fenore reddiderit; in eiuſdem laudem , quod ea ſtudia , quae a talibus uiris proficiſcantur , uirtuti tantum tribui ſolita ſint , ideoq. rebus omnibus anteponenda uideantur; in remunerandi uoluntatem , ſiue poſsit in publicis rebus , ſiue in priuatis gratum animum oſtendere . Abſoluto gratulationis officio , pauca ſubiungit de dolore ſuo ex inimicitijs Appij, & Dolabellae : ſe tamen eos reconciliandi curam ſuſcepiſſe , nihilq. de ſuo priſtino in Appium ſtudio, ob nouam Dolabellae affinitatem , detractum eſſe confirmat . Poſtremo loco , epiſtolae breuitatem cum Appij laude excuſat .*

## *Cicero imp. S. D. Ap. Pulchro.* 13.

QVASI *diuinarem, tali in officio fore mihi aliquando exſpectandum ſtudium tuum; ſic, cum de tuis rebus geſtis agebatur, inſeruiebam honori tuo. dicam tamen uere: plus, quam acceperas, reddidiſti. quis enim ad me non perſcripſit, te non ſolum auctoritate orationis, ſententia tua, quibus ego a tali uiro contentus eram, ſed etiam opera, conſilio, domum ueniendo, conueniendis meis, nullum onus officij cuiquam reliquum feciſſe? haec mihi ampliora multo ſunt, quam illa ipſa, propter quae haec laborantur.* INSIGNIA *enim uirtutis multi etiam ſine uirtute aſſecuti ſunt: talium uirorum tanta ſtudia aſſequi ſola uirtus poteſt. itaque mihi propono fructum amicitiae noſtrae ipſam amicitiam, qua nihil eſt uberius, praeſertim in ijs ſtudijs, quibus uterque noſtrum deuinctus eſt. nam tibi me profiteor & in rep. ſocium, de qua idem ſentimus; & in quotidiana uita coniunctum cum ijs artibus ſtudijsque, quae colimus. uelim ita fortuna tuliſſet, ut, quanti ego omnes tuos facio, tanti tu meos facere poſſes: quod tamen ipſum, neſcio qua permotus animi diuinatione, non deſpero. ſed hoc nihil ad te: noſtrum eſt onus. illud uelim ſic habeas, quod intelliges; hac re nouata, additum potius aliquid ad meum erga te ſtudium, cui nihil uidebatur addi poſſe, quam quidquam eſſe detractum. Cum haec ſcribebam, cenſorem iam te eſſe ſperabam: eo breuior eſt haec epiſtola, &, ut aduerſus magiſtrum morum, modeſtior. Vale.*

## EXPLANATIO

QVASI. DIVINAREM,} in ipſo litterarum exordio a ſuis in Appium officijs beneuolentiam captat: quod mire ualet ad id, quod petimus, impetrandum. Incipit autem, Quaſi diuinarem; quia, cum Appio ſupplicationem curauit, reuera de prouincia non cogitabat: itaque dixit ep. 2. Cum & contra uoluntatem meam, & praeter opinionem accidiſſet, ut mihi cum imperio in prouinciam proficiſci neceſſe eſſet. Ita & auget officium ſuum erga Appium, & ſe ipſum ambitione liberat. TALI *in officio*} in ſupplicatione. DE. TVIS *rebus geſtis*} pro quibus ſupplicationem petebas. INSERVIEBAM} hoc uerbo ſumma diligentia declaratur, quam domino ſerui debent, &, niſi ſint improbi, praeſtant. PLVS, *quam acceperas, reddidiſti.*} probitatis eſt, acceptum beneficium non diſsimulare: liberalitatis, etiam augere uerbis: idq. genus omnino quoddam eſt gratiae referendae, quo hic utitur Cicero. Eſt autem praeclara inter eos conſuetudo, qui mutuis officijs amicitias ita colunt, non ut paria paribus, ſed ut maiora, quam acceperunt, reddere conentur. ita, quos fructns amor parit, ijsdem alitur, atque augetur, nec umquam aut ſine amore fructus, aut ſine fructibus amor eſt. In Bruto: Illud Heſio dium laudatur a doctis, quod eadem menſura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, ſi poſsis. Et lib. I. Off. Si ea, quae acceperis utenda, maiore menſura, ſi modo poſsis, iubet reddere Heſiodus: quidnam beneficio prouocati facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt? Ad Att. ep. 12. lib. XV. QVIS *enim ad me non perſcripſit,*} tribus modis hanc explicare ſententiam potuit, uel affirmantibus uerbis, hoc modo, Omnes ad me perſcripſerunt: uel geminata negatione, ſic, Nemo ad me non perſcripſit: uel interrogando: quod fecit: quia modus hic efficatior eſt, quam reliqui duo, & ad ſignificandum ualet plurimum. AVCTORITATE *orationis,*} quae ceteros commouere potuit. cuius enim uita probatur, cuius in priuatis, publicisq. cognita uirtus eſt, eius exemplo facile ducuntur omnes. SENTENTIA} qua Ciceroni ſupplicationem decreuit. DOMVM *ueniendo,*} ad magiſtratus, ut eos de ſupplicatione Ciceronis rogaret. ep. 9. lib. I. Noſtrum ſtudium exſtabit in conueniendis magiſtratibus. NVLLVM *onus officij cuiquam reliquum feciſſe?*} nihil cuiquam faciendum reliquiſſe, plane omnia feciſſe mea cauſſa. HAEC. MIHI *ampliora multo ſunt,*} Appij amorem ſupplicationi, atque adeo rebus omnibus, quae proficiſci ab amore poſsint, anteponit. non enim amor ob utilitatem, ſed utilitas ob amorē aeſtimanda. QVAM *illa ipſa,*} ſimilem ſententiam uſurpauit in re diſsimili, lib. I. de Leg. Sunt haec maiora, quam illa ipſa, quorum haec cauſſa praeparantur. LABORANTVR.} cum labore fiunt. Vſus eſt eodem uerbo neſcio quo libro, ex quo Lactantius lib. VII. cap. II. haec recitat. Nihil eſt, quod ſit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur. Elaborari, dixit ep. 16. lib. IX. INSIGNIA *uirtutis,*} honores. SOLA *uirtus*} teſtimonium uirtutis mihi das, cum haec mea cauſſa facis. quam ego laudem pluris, quam illa ipſa, in quibus operam, ac ſtudium ponis, debeo aeſtimare. MIHI *propono fructum amicitiae noſtrae ipſam amicitiam,*} alij fructum ſibi proponunt amicitiae, honores, commoda, aliquid omnino: ego, praeter ipſam amicitiam, nihil ſpecto: in ea mihi ſtatuo omnes fructus. quanti enim apud me eſſe debet, quod tu me diligas, cum talium uirorum tanta ſtudia aſſequi ſola uirtus poſsit? Simile illud in Laelio: Amicitiam, non ſpe mercedis adducti, ſed quod eius omnis fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus. QVA. NIHIL *eſt uberius,*} cur ego alios mihi fructus amicitiae noſtrae proponam, cum neque fructum ullum cum ipſa amicitia conferendum, neque tamen ea quidquam uberius, aut fructuoſius exiſtimem? STVDIIS,} litterarum. magna eſſe poteſt in omnibus rebus, maxima uero in communibus ſtudijs ubertas amicitiae noſtrae. Tacite oſtendit Cicero, quanti fecerit eum librum, quem de iure augurali Appius ad eum ſcripſerat: idq. ſibi curae eſſe, ut ſimili eum munere remuneretur. ep. 4. & 9. DEVINCTVS *eſt.*} eadem metaphora uſus eſt ep. 10. Quid uincula,

quibus quidem libentiſsime adſtringor, quanta ſunt? ſtudiorum ſimilitudo.&c. CVM. IIS *artibus*,} gratiam init ab Appio promiſſa ſtudiorum coniunctione: quod & eius doctrinam magni facere, & ad eius honorem ac laudem uelle ſua ſtudia conferre uideatur. OMNES *tuos*} callide hoc iniecit. non enim id ſolum indicat, quam inique ferat Appium a Dolabella reum factum; ſed etiam, cum ipſe, grauiter laeſus, tamen in gratiam cum omnibus Appij propinquis, ideſt cum omnibus Clodijs, redierit, idq. ipſius Appij cauſſa fecerit, uiciſsim eum debere tanti Ciceronis amicitiam facere, ut eius generum Dolabellam odiſſe deſinat. NON *deſpero*.} petere aperte non audet, ut Dolabellae reconcilietur: ſed modeſte petit, & Appij humanitati confidere uidetur, cum ait, Non deſpero. NIHIL *ad te*:} habet rationem Appij dignitatis, quia pluris facere adoleſcens Dolabella Appii amicitiam, uiri in primis honorati, quam contra Appius Dolabellae, debebat: accedebat aequitas: utrum enim decet, eum, qui iniuriam intulit, an eum, qui accepit, de reconciliatione laboraro? NOSTRVM *eſt onus*.} ego efficiam, ut reconciliationis initia a genero meo proficiſcantur. INTELLIGES;} re ipſa perſpicies. HAC.RE *nouata*,} quod mihi Dolabellam affinitate deuinxerim. ADDITVM *potius aliquid*} in proxima epiſtola nihil ad ſtudium, ac beneuolentiam, ſed ad uoluntatem quidem beneuolentiae declarandae multum eſſe additum dixit. ADVERSVS *magiſtrum morum*,} coram magiſtro morum. quaſi epiſtola cenſorem alloquatur. modeſte enim agere in conſpectu cenſorum oportebat. itaque notatum legimus, qui paullo liberius ijs praeſentibus hiaſſet. Magiſtri morum cenſores uocabantur, quia regendis moribus quincto quoque anno crearentur. de quibus Cicero lib.III.de leg. Mores populi regunto. Poteſtatem cenſoriam Trebellius Pollio in Valerianni uita oſtendit his uerbis: Suſcipe cenſuram, quam tibi detulit Romana reſp. quam ſolus mereris, iudicaturus de moribus noſtris. Tu aeſtimabis, qui manere iu curia debeant. tu equeſtrem ordinem in antiquum ſtatum rediges: tu cenſibus modum pones: tu uectigalia firmabis: diuides ſtatum: res publicas recenſebis. Tibi legum ſcribendarum auctoritas dabitur. . Tibi de ordinibus militum iudicandum eſt: tu arma reſpicies: tu de noſtro palatio, tu de iudicibus, tu de praefectis eminentiſsimis iudicabis: excepto denique praefecto urbis Romae, exceptis conſulibus ordinarijs, & ſacrorum rege, ac maxima uirgine Veſtalium, ſi tamen incorrupta permanebit, de omnibus ſententias feres.

IN . EPISTOLARVM

# M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . QVARTVM

AD . SVLPICIVM . ET . ALIOS

PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

## Argumentum ep. I. lib. IV.

SATIS *patebit huius epiſtolae argumentum, ſi lector ſciat ſcriptam eſſe, cum Caeſar, pulſo ex Italia Pompeio, bellum contra legatos eius in Hiſpaniam pararet, L. Lentulo, C. Marcello cos. ante menſem Maium, quod ſequenti cognoſcitur epiſtola. Reſpondet Sulpicio congreſſum petenti: in quo ſuam uoluntatem cum eius uoluntate conſentire demonſtrat, ſed eam eſſe rationem temporum, ut remedium exſtinctae reip. nullum afferre poſſint. Negotiale argumentum: moralia quaedam interiecta, ut de Sulpicij laude, de utriuſque in patriam ſtudio, de dolore ex amiſſa reip. ſalute.*

### *M. Cicero S. D. Ser. Sulpicio.* I.

C. TREBATIVS, *familiaris meus, ad me ſcripſit, te ex ſe quaeſiſſe quibus in locis eſſem; moleſteq. ferre, quod me, propter ualetudinem tuam, cũ ad urbem acceſſiſſem, non uidiſſes; & hoc tempore uelle te mecum, ſi propius acceſſiſſem, de officio utriuſque noſtrum communicare. Vtinam, Serui, ſaluis rebus (ſic enim eſt dicendum) colloqui potuiſſemus inter nos: profecto aliquid opis occidenti reip. tuliſſemus. cognoram enim iam abſens, te haec mala multo ante prouidentem, defenſorem pacis & in conſulatu tuo, & poſt conſulatum fuiſſe. ego autem cum conſilium tuum probarem, & idem ipſe ſentirem, nihil proficiebam. ſero enim ueneram: ſolus eram: rudis eſſe uidebar in cauſſa: incideram in hominum pugnandi cupi-*

*dorum inſanias. nunc, quoniam nihil iam uidemur poſſe opitulari reip. ſi quid eſt, in quo nobiſmet ipſis conſulere poſſimus, non ut aliquid ex priſtino ſtatu noſtro retineamus, ſed ut quam honeſtiſſime lugeamus; nemo eſt omnium, quicum potius mihi, quam tecum, communicandum putem. nec enim clariſſimorum uirorum, quorum ſimiles eſſe debemus, exempla, neque doctiſſimorum, quos ſemper coluiſti, praecepta te fugiunt. Atque ipſe antea ad te ſcripſiſſem, te fruſtra in ſenatum, ſiue potius in conuentum ſenatorum eſſe uenturum, ni ueritus eſſem, ne eius animum offenderem, qui a me, ut te imitarer, petebat. cui quidem ego, cum me rogaret ut adeſſem in ſenatu, eadem omnia, quae a te de pace, & de Hiſpanijs dicta ſunt, oſtendi me eſſe dicturum. Rem uides, quo modo ſe habeat; orbem terrarum, imperijs diſtributis, ardere bello; urbem ſine legibus, ſine iudicijs, ſine iure, ſine fide, relictam direptioni, & incendijs. itaque mihi uenire in mentem nihil poteſt, non modo quod ſperem, ſed uix iam quod audeam optare. ſin autem tibi, homini prudentiſſimo, uidetur utile eſſe, nos colloqui: quamquam longius etiam cogitabam ab urbe diſcedere, cuius iam etiam nomen inuitus audio; tamen propius accedam. Trebatioq. mandaui, ut, ſi quid tu eum uelles ad me mittere, ne recuſaret: idq. ut facias, uelim: aut, ſi quem tuorum fidelium uoles, ad me mittas; ne aut tibi exire ex urbe neceſſe ſit, aut mihi accedere. ego tibi tantum tribuo, quantum mihi fortaſſe arrogo: ut exploratum habeam, quidquid nos communi ſententia ſtatuerimus, id omnes homines probaturos. Vale.*

# EXPLANATIO

C. TREBATIVS,} iuriſconſultus, ad quem miſit Topicorum libros. fuit in Gallia cum Caeſare ante bellum ciuile, commendatus a Cicerone diligenter. ep. 5. lib. VII. FAMILIARIS *meus*,} & quidem cum eo ſaepe familiariter iocatur in ep. lib. VII. ACCESSISSEM,} reuerſus e Cilicia. nam, triumphi ſpe, urbem ingreſſus non eſt. dicebant ueteres, Ad urbem accedere, & Ad urbem eſſe, de ijs, qui extra pomerium, triumphandi ſpe, morabantur. PROPIVS} urbem. DE. OFFICIO *utriusque noſtrum*,} quid nos, exorto ciuili bello, deceat agere. Licebat autem per Caeſarem, neutram partem ſequi, & uel in urbe, uel, ubi quiſque uellet, longe ab armis tutam ac quietam uitam ducere. id Pompeius non concedebat, qui diſcedens ab urbe dixerat, hoſtium ſe loco habiturum, qui ſuis in praeſidijs non fuiſſet. tueri autem remp. Pompeius uidebatur, quia conſules, omnesq. fere magiſtratus ſecum haberet: ſed Caeſaris caſtra firmiora: itaque bonos ac ſapientes ciues, quo in numero & fuit, & habitus eſt Sulpicius, iure ſollicitabat officij deliberatio. SALVIS. REBVS,} ſalua, incolumi, ſtante rep. eodem modo locutus eſt, cum de re priuata loqueretur, ep. 30. lib. VII. SIC. ENIM *eſt dicendum*,} nunc enim perditae res ſunt, afflicta rep. OCCIDENTI} eadem tranſlatione, Reuiuiſcentis reip. dixit ep. 4. ABSENS,} cum eſſet in prouincia. DEFENSOREM *pacis*} nam, cum M. Marcellus conſul, & prouincias Gallias ante legitimum tempus, & priuilegium Caeſari, quod ei populus conceſſerat, ut abſens cōſulatum petere poſſet, eripere conaretur; Sulpicius collega reſtitit; quod iniquum putaret ea reſcindi, quae populus iuſſerat; eamq. fore ciuilis belli cauſſam intelligeret. Suetonius. IN. CONSVLATV} conſule Sulpicio in prouinciam Cicero profectus eſt. ep. 3. lib. III. POST *conſulatum*} cum C. Marcellus, M. Marcelli frater patruelis, conſul eadem in Caeſarem tentauit: ut ſcripſit Suetonius. is enim conſulatum ex Marci fratris auctoritate geſſit: ut legitur in ep. 9. cui ſucceſſit L. Lentulus, & ipſe Caeſaris cauſſae acerrimus aduerſarius. VENERAM:} ex prouincia. uenit autem pridie non. Ian. L. Lentulo, C. Marcello coſ. abfuit igitur toto anno, quo C. Marcellus, Marci frater, cum L. Paullo conſul fuit. SOLVS *eram*:} cum dixerit, ſuam, & Sulpicij ſententiam de rep. eandem fuiſſe; ſolus non fuit. quare, Solus, accipio, ideſt cum pauciſſimis RVDIS} quattuor cauſſas colligit, cur pacem ſuadens nihil profecerit: primum, quod ſero uenerit, ita iam aucta diſcordia, ut ſedari uix poſſet: deinde, quod optimae ſententiae ſocios non habuerit: tum, quia parum auctoritate ualuerit, quod in publica cauſſa, cum ſero ueniſſet, rudis eſſe uideretur: poſtremo, quod in homines pugnandi cupidos inciderit. ſignificat autem maxime L. Lentulum conſulem, Domitium Ahenobarbum, Scipionem Pompeij ſocerum: quos etiam tacite carpit ep. 14. & lib. VI. ep. 21. lib. IX. ep. 6. lib. XVI. ep. 10. & ad Att. ep. XI. lib. IIX. NIHIL} cum iam occiderit reſp. quod proxime dixit. QVAM HONESTISSIME} ut in his miſerijs, quam licet honeſte uitam traducamus. NEC *enim*} cauſſam affert, cur nemo ſit, quicum ſibi potius, quam cum Sulpicio, communicandum putet. Noſti, inquit, egregie, quid clariſſimi uiri fecerint, quid doctiſſimi faciendum praeceperint. itaque, quid nobis quoque faciendum ſit, optime iudicabis. CLARISSIMORVM} Clariſſimos, & doctiſſimos, quia tum a rebus, tum a libris petitur prudentia. QVOS *ſemper coluiſti*,} quorum libros diligentiſſime legiſti. ſic enim interpretor. aut, ſi quis hoc ad homines ipſos potius, quibus ob doctrinae praeſtantiam Sulpicius honorem ſemper habuerit, referre malit; ualde non contenderim: modo illud, Praecepta, ſic accipiatur, non quae e ſermonibus uiuentium, ſed quae ex doctiſſimorum libris accepta ſint. TE FRVSTRA *in ſenatum*,} aperire incipit ſententiam ſuam, quam paullo poſt clarius etiam oſtendit, cum ait, urbem eſſe ſine legibus, iudicijs, iure, fide. ut in ea bonis, ac ſapientibus ciuibus, quales Cicero, & Sulpicius habiti ſunt, uix iam honeſtum eſſe domicilium uideretur. CONVENTVM *ſenatorum*} nam ſenatus appellari non debet, in quo nec ſenatores multi, nec eorum libera, metuq. ſoluta uoluntas eſt. non enim decerni quidquam poteſt, quod ei diſpliceat, cuius arma dominantur. erat urbs hoc tempore, ac tota iam Italia in Caeſaris poteſtate, Pompeio in Graeciam,

cum

cum utroque conſule, ac maiore parte magiſtratuum profecto. EIVS} Caeſaris. VT. TE *imitarer,*} ut irem in ſenatum. id enim Caeſar cupiebat: ne, abſente Pompeio, ſimul abeſſe reſp. uideretur. locutus autem erat Sulpicius in ſenatu de pace, & de Hiſpanijs: quod proxime ſubiungitur: contra quam Caeſar nolebat. itaque hoc, Vt te imitarer, interpretor, ut iret quidem Cicero in ſenatum, non tamen ut eadem, quae Sulpicius, de pace, & de Hiſpanijs diceret. Quae cum Cicero ſe dicturum oſtendiſſet, ego uero, inquit Caeſar, iſta dici nolo. ep. 17. lib. IX. ad Att. Iuiſſe autem Sulpicium hoc tempore in ſenatum, oſtendit ep. 3. lib. X. ad Att. in qua ſunt haec: Facile patior, quod ſcribit, ſecum Tullum, & Seruium queſtos eſſe, quia non idem quoque ſibi, quod mihi, remiſiſſet. homines ridiculos; qui, cũ filios miſiſſent ad Cn. Pompeium circumſidendum, ipſi in ſenatum uenire dubitarent. CVM. ME *rogaret*} Formijs: quod ex ep. 17. & 18. lib. IX. ad Att. intelligitur. DE PACE,} ut ageretur de concordia Caeſaris, & Pompeij. DE. HISPANIIS} ſenatui non placere, Caeſarem in Hiſpanias contra Pompeij legatos proficiſci. OSTENDI *me eſſe dicturum.*} ep. I. lib. X. ad Atticum: Quid eſſem de pace dicturus, dixi; ipſe ualde repudiauit. DICTA *ſunt,*} in ſenatu, antequam Caeſar iret in Hiſpanias. REM. VIDES, *quo modo ſe habeat;*} perditum reip. ſtatum demonſtrat, ut confirmet quod dixit, nihil iam eſſe, licet colloquantur, in quo reip. opitulari poſsint. Notandus Latini ſermonis uſus. REM uides, quomodo ſe habeat: pro, uides, quo modo ſe res habeat: ut apud Coelium, ep. 8. lib. IIX. Noſti Marcellum, quam tardus. & ad Att. ep. 21. lib. XIV. Noſti uirum, quam tectus. Sic Terentius in Ad. Illum, ut uiuat, optant. & Plautus in Aul. Tu me, & ego te, qualis ſim, ſcio. & Caeſar lib. I. bel. Gal. Rem frumentariam, ut ſatis commode ſupportari poſſet, timebant. ORBEM *terrarum,*} Orbem terrae, ep. 7. lib. V. Orbem ſimpliciter, lib. 2. de rep. apud Lactantium: quod poetis uſitatius. IMPERIIS *diſtributis,*} cum Italiam, & Gallias Caeſar, Hiſpanias, Graeciam, & reliquas populi Romani prouincias Pompeius teneat. ARDERE *bello;*} apta tranſlatio: quia nec incendio quidquam citius conſumit, nec igni quidquam bello ſimilius: aeque enim proſternit, ac delet, quaecumque inuaſerit. ad Att. ep. 5. lib. VI. Cum arderet Syria bello. In Oratore: Ex omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio. SINE *legibus,*} quarum uocem quis in armorum ſtrepitu exaudiat? IVDICIIS,} bello intermiſsis, fuga magiſtratuum. nec uero iudicijs locus eſſe poteſt, cum ſublatae leges ſint. IVRE,} non modo iudicia, ſed omnino ius uniuerſum iacet. legum enim, & iudiciorum exitium ſequitur iuris euerſio. FIDE,} pertinet, opinor, hoc ad creditas pecunias: quarum in ſolutione, niſi iudicia fiant, debitores fidem non praeſtant. pro lege Manilia, Scimus, inquit, Romae ſolutione impedita, fidem concidiſſe. & Caeſar lib. III. de bel. ci. Cum fides tota Italia eſſet anguſtior, neque creditae pecuniae ſoluerentur. RELICTAM *direptioni, & incendijs.*} Pompeij, & conſulum fuga. nam cum Caeſar primum Piſaurum, Fanum, Anconam, deinde Iguuium, Auximum occupaſſet, tantus repetente, his uerbis auditis, in urbe terror inuaſit, ut, cum Lentulus conſul ad aperiendum aerarium ueniſſet, ad pecuniam Pompeio ex S. C. proferendam, protinus, aperto ſanctiore aerario, profugeret. Caeſar enim aduentare, iam iamq. adeſſe eius equites falſo nunciabantur. hunc Marcellus collega, & plerique magiſtratus conſecuti ſunt. Cn. Pompeius, pridie eius diei ex urbe profectus, iter ad legiones habebat, &c. Hoc ipſe Caeſar ſcripſit lib. I. bell. ci. Dio lib. XLI. & Cicero ipſe ad Tironem, ep. XI. lib. XVI. Patriam ipſam uel diripiendam, uel inflammandam reliquimus. & ep. 2. lib. IIX. ad Att. Non expulſi, ſed euocati e patria; quam non ſeruandam ad reditum noſtrorum, ſed diripiendam, inflammandamq. reliquimus. AVDEAM} eo redacta res eſt, ut nec optare quidquam audeam: cum tamen optare multa, uel ſine ſpe, ſoleamus. unde illud lib. I. de Orat. Inſperanti mihi, ſed ualde optanti, cecidit, ut in iſtum ſermonem delaberemur. SIN} ſaepius, antecedente Si uſurpatur: interdum tamen ſimpliciter, ut lib. I. de Orat. Plerique ad honores adipiſcendos, & ad remp. gerendam nudi ueniunt, atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati: ſin aliquis excellit unus e multis, effert ſe. HOMINI *prudentiſſimo,*} eidem in epiſtola ſequenti ſummam tribuit ſapientiam, in tertia prope ſingularem. COLLOQVI:} de officio utriusque noſtrum. quod Trebatius ſcripſerat. LONGIVS} Formijs enim, aut prope, fuit initio belli ciuilis. ep. 10. lib. XVI. Italiae regiones deſcriptae ſunt, quam quisque partem tueretur. nos Capuam ſumpſimus. Et ep. XI. Ego adhuc orae maritimae praeſum a Formijs. Et ad Att. ep. XI. lib. VII. INVITVS} quia relicta ſit direptioni, & incendijs, & quia non leges in ea, non iudicia, non ius, non fides ulla ſit. ep. 30. lib. VII. Cupio aliquo peruenire, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. SI. QVID} ſi quam ob rem. EXIRE *ex urbe*} ut colloquamur. FORTASSE *arrogo:*} fortaſſe enim mihi aſſentor, cum mihi tantundem, quantum tibi, tribuo. Arrogare dicimur nobis ea, quae noſtra non ſunt. STATVERIMVS,} ut nobiſmetipſis conſulamus: quoniam nihil iam uidemur opitulari poſſe reip.

---

# Argumentum ep. 2.

*Relicta urbe a Pompeio, occupata iam a Caeſare Italia, quaeſierat a Cicerone per litteras Sulpicius, quid agendum cenſeret in tanta rerum omnium*

*omnium perturbatione. Modeſte Cicero reſpondet cum Sulpicij laude; explicatq. ſententiam ſuam, hoc modo: ſi recta quaerantur, ſatis patere, quid agendum ſit; ſi utilia, non item. nam, cum rectum uideretur, pro communi libertate contra Caeſarem arma capere; tamen id quam expediret, obſcurum erat: cum Caeſaris cauſſa firmior, Pompeij eſſet honeſtior. Concludit, eſſe longius ab urbe diſcedendum, in qua manere uel turpe ſit, ſi probentur ea, quae fiunt; uel, ſi non probentur, periculoſum: ac ſibi captum iam conſilium eſſe de itione ad Pompeium oſtendit. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Sulpicio.* 2.

*AD III. Kal. Maias, cum eſſem in Cumano, accepi tuas litteras: quibus lectis, cognoui non ſatis prudenter feciſſe Philotimum; qui, cum abs te mandata haberet, ut ſcribis, de omnibus rebus ipſe ad me non ueniſſet, litteras tuas miſiſſet: quas intellexi breuiores fuiſſe, quod eum perlaturum putaſſes. ſed tamen, poſtquam litteras tuas legi, Poſtumia tua me conuenit, & Seruius noſter. his placuit, ut tu in Cumanum uenires: quod etiam mecum, ut ad te ſcriberem, egerunt. Quod meum conſilium exquiris: id eſt tale, ut capere facilius ipſe poſſim, quam alteri dare. quid enim eſt, quod audeam ſuadere tibi, homini ſumma auctoritate, ſummaq. prudentia? ſi, quid rectiſſimum ſit, quaerimus: perſpicuum eſt. ſi, quid maxime expediat: obſcurum. ſin ij ſumus, qui profecto eſſe debemus, ut nihil arbitremur expedire, niſi quod rectum, honeſtumq. ſit: non poteſt eſſe dubium, quid faciendum nobis ſit. Quod exiſtimas meam cauſſam coniunctam eſſe cum tua: certe ſimilis in utroque noſtrum, cum optime ſentiremus, error fuit. nam omnia utriuſque conſilia ad concordiam ſpectauerunt. qua cum ipſi Caeſari nihil eſſet utilius; gratiam quoque nos inire ab eo, defendenda pace, arbitrabamur. quantum nos fefellerit, & quem in locum res deducta ſit, uides: neque ſolum ea perſpicis, quae geruntur, quaeq. iam geſta ſunt, ſed etiam qui curſus rerum, qui exitus futurus ſit. Ergo aut probare oportet ea, quae fiunt; aut intereſſe, etiam ſi non probes. quorum altera mihi turpis, altera etiam periculoſa ratio uidetur. Reſtat, ut diſcedendum putem: in quo reliqua uidetur eſſe deliberatio, quod conſilium in diſceſſu, quae loca ſequamur. omnino cum miſerior res numquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior. nihil enim conſtitui poteſt, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. Tu, ſi uidebitur, ita cenſeo facias: ut, ſi habes iam ſtatutum, quid tibi agendum putes, in quo non ſit coniunctum conſilium tuum cum meo, ſuperſedeas hoc labore itineris; ſin autem eſt, quod mecum communicare uelis, ego te exſpectabo. tu, quod tuo commodo fiat, quamprimum uelim uenias; ſicut intellexi & Seruio, & Poſtumiae placere. Vale.*

## EXPLANATIO

PHILOTIMVM;} libertum Terentiae Ciceronis. ep. 3. lib. IIX. ep. 18. lib. XIV. & ad Att. ep. 5. lib. VI. POSTVMIA} uxor Sulpicij, de qua Suetonius in Iulio ſic: Pronum, & ſumptuoſum in libidines fuiſſe conſtans opinio eſt, plurimaſq. & illuſtres feminas corrupiſſe, in quibus Poſtumiam Scr. Sulpicij, Lolliam A. Gabinij, Tertullam M. Craſsi, Cn. Pompeij Muciam. Hoc nomen cum originem inde duxerit, quod, qui poſt humatem parentum naſcerentur, Poſtumij dicebantur, tamen in antiquis nummis, & lapidibus Capitolinis ſine aſpirandi nota ſcriptum eſt. SERVIVS} Sulpicij filius, patris praenomine; quo appellabantur filij primo loco nati. Hic Sulpicij filius ad obſidendum Brundiſij Cn. Pompeium iuerat. ep. ultima lib. IX. ad Att. & 3. & 12. lib. X. ad eundem. IN. CVMANVM} quo poſſet cum Cicerone colloqui. ep. 8. lib. X. ad Att. Seruium, inquit, exſpecto: rogor enim ab eius uxore, & filio. MEVM *conſilium*} quid tibi agendum ſit. AVCTORITATE,} ob honores magna cum laude adminiſtratos. geſſerat autem Sulpicius biennio ante cum M. Marcello conſulatum. QVID *rectiſſimum ſit*,} eadem ſententia ep. 19. lib. V. ijſdem fere uerbis: Quid rectum ſit, apparet; quid exſpediat, obſcurum eſt. NON. POTEST *eſſe dubium*,} in ep. 19. lib. V. dixit, Dubitare non poſſumus. oſtendit eundum ad Pompeium, etiam ſi non expedire uideatur. MEAM *cauſſam*} ut idem ab utroque capi conſilium oporteat. nam, Coniuncta mea cauſſa cum tua eſt, ualet, eodem in ſtatu ſumus, eadem ratio eſt, pertinet idem ad utrumque noſtrum. Contrarium eſt illud ep. 9. lib. I. Mea ratio fuit alia. NIHIL *eſſet utilius*:} ut quidem ipſe Cicero putabat, cui, quod honeſtum, id unum utile uidebatur. Caeſar autem nihil melius, quam regnare exiſtimabat: itaque uerſus illos Euripidis de Phoeniſsis in ore habere ſolitus eſt,

Ειπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν. τ᾽ ἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρεών.

quos Cicero ita uertit lib. III. Off.

Nam, ſi uiolandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: alijs rebus pietatem colas.

DEFEN-

DEFENDENDA *pace,*} genus loquendi, pro, ſi pacem defenderemus: ut in prooemio lib. I. Off. Orationem Latinam, legendis noſtris, efficies pleniorem: pro, ſi noſtra leges. NOS *feſellerit,*} non Caeſar, ſed id, quod arbitramur. dicimus enim ſimpliciter interdum, Non me fallit. Fefellit autem in eo Ciceronem opinio, quod Caeſar, cum ei nihil eſſet utilius concordia, rem tamen ad arma deducere maluerat. GERVNTVR,} a Caeſare in Hiſpania contra Pompeij legatos. pulſo enim Italia Pompeio, ad urbem Caeſar excurrit, inde in Hiſpaniam. Quo autem tempore cum Sulpicio collocutus eſt Cicero, bellum in Hiſpania gerebatur. id cognoſcitur ex ep. XI. 12. lib. X. ad Att. GESTA *ſunt,*} cum Pompeius eiectus Italia ſit, Caeſar urbe, & Italia ſit potius. CVRSVS *rerum,*} ut enim adhuc, ita deinceps armis agentur omnia. QVI *exitus*} perſpicis exitum fore uel Caeſaris, uel Pompeij tyrannidem. ep. XI. lib. IIX. ad Att. Vterque regnare uult. & alibi ſaepe. ERGO} cum uideas, quem in locum res deducta ſit; ſequitur, ut, in urbe ſi manſerimus, uel probare ea, quae fient, quod turpe eſt, uel ſaltem intereſſe cogamur, etiam ſi non probemus: quod periculoſum erit. QVORVM *altera*} ſic in decem antiquis libris: in duobus, Quarum. antiquitatem magis redolet, Quorum: & uereor, ne quis ob uerbum, Altera, ſcribendum putauerit, Quarum. RESTAT,} cum uideas, probare, turpe eſſe; intereſſe, etiam ſi non probes, periculoſum; reſtat, ut diſcedendum putemus. QVOD *conſilium*} de diſceſſu dubitandum non eſt: reſtat deliberatio, quid conſilij diſcedentes capiamus, maxime quidem, quo nos conferre debeamus. NVMQVAM} quia ſalutis publicae ſpes nulla ſupereſt. NON. SIT *coniunctum*} ſatis plane ſignificat, ſi uelit Sulpicius ad Pompeium tranſire, colloquendum eſſe: alioqui non oportere: ſibi enim captum iam eſſe conſilium. id cognoſcitur ex ep. 10. lib. X. ad Att. Seruium, inquit, exſpecto, nec ab eo quidquam ὑγιές. Cum in eadem paullo ante ſcripſerit, ſe de Hiſpania cogitare. EXSPECTABO.} & hoc uerbo captum ſibi de diſceſſu conſilium oſtendit. QVOD *tuo commodo fiat,*} de hoc loquendi genere dictum eſt ep. I. lib. I. SERVIO, *& Poſtumiae*} ep. 8. lib. X. ad Att. Hic ego Seruium exſpecto: rogor enim ab eius uxore, & filio.

## Argumentum ep. 3.

*SVlpicium, Achaiae, poſt uictum in Pharſalia Pompeium, a Caeſare praepoſitum, conſolatur in dolore, quem ex reip. calamitate capiebat. Quid autem ad conſolandum ualet? primum illud, cum oſtendimus, communem fortunam eſſe, nec decere eum, qui praecipuis non affligatur incommodis, praecipuo dolore angi. Alterum eſt, cum in alienis malis noſtra bona recordamur; ideſt, cum ea, quae, uitandi communis exitij gratia, recte, ac ſapienter acta, dicta, cogitata ſint a nobis, animo, ac mente contemplamur. nam ad leuandas miſerias magnam habet uim bene actae uitae conſcientia. Tertio loco. ſi minuit ſollicitudinem ipſa per ſe conſcientia; quanto magis, cum ad eam accedit hominum opinio, qui nihil a nobis non ſancte, nihil imprudenter, aut indecore actum exiſtiment? atque haec ratio, a generali quodam iudicio ducta, tum eſt firmior, ſi ad clarorum uirorum exempla confugimus: ideo Caeſarem quoque ipſum idem, quod ceteros omnes, de Sulpicio iudicare dixit. Quid, cum illud adiungimus, in eo ipſo, quod, quaſi malum ſit, grauiter dolemus, aliquid ineſſe, cur dolendum omnino non ſit? facit hoc Cicero, cum ait: Quod autem a tuis abes. Lenitur etiam ſtudio litterarum, praeſertim philoſophiae, doloris acerbitas. quod in Sulpicij cura Cicero non neglexit. quamquam hanc partem conſiderate attingit: nec monendum aperte talem uirum putat, quod eſſet arrogantiae: ſed cum ait, Mihi ita perſuaſi te quoque in iiſdem uerſari rebus: plane indicat, quid eum facere, tam aduerſis temporibus, oporteat. Nec uero leuis eſt ex eorum, quos diligimus, probitate, ac uirtute conſolatio. ergo*

*hic laudatur Seruius adoleſcens, ut afflictum patris animum grata filij mentio recrearet. Haec, & ſimilia in ceteris epiſtolis obſeruanda: quae ſi colligantur, adhibito ordine, ſine quo praeceptorum copia propemodum inanis eſt; artem inuentionis, alioqui difficillimam, in promptu habebimus. Scripta eſt poſt bellum Africanum. apparet enim, Caeſarem in urbe commorari, Pompeianarum partium metu liberatum. quod certe non ante bellum in Africa geſtum conſecutus eſt. perpetuo enim uictoriae curſu Pompeium, Aegyptios, Pharnacem ſuperauit: inde Romam profectus, paullo poſt in Africam contra Scipionem, & M. Catonem contendit: quibus deuictis, ad urbem redijt, cum tertium conſul eſſet; ibiq. tam diu permanſit, donec in Hiſpaniam, ubi magnas copias a Pompeij liberis contractas eſſe audiebat, eundem neceſſario iudicauit. Videtur autem Sulpicius in Achaia permanſiſſe usque ad exitum Hiſpanienſis belli. quod ex eo ſuſpicor, quia, quo tempore ad Ciceronem litteras conſolatorias miſit, quae infra leguntur, eodem Caeſar ex Hiſpania lenire Ciceronis dolorem, ex interitu filiae ſuſceptum, per litteras conatus eſt. ep. 20. lib. 13.*

## *Cicero S. D. Sulpicio.* 3.

VEHEMENTER *te eſſe ſollicitum, & in communibus miſerijs praecipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. quod quamquam minime miror, & meum quodam modo agnoſco: doleo tamen, te, ſapientia praeditum prope ſingulari, non tuis bonis delectari potius, quam alienis malis laborare. Me quidem, etſi nemini concedo, qui maiorem ex pernicie, & peſte reip. moleſtiam traxerit; tamen multa iam conſolantur, maximeq. conſcientia conſiliorum meorum. multo enim ante, tamquam ex aliqua ſpecula, proſpexi tempeſtatem futuram; neque id ſolum mea ſponte, ſed multo etiam magis monente, & denunciante te. etſi enim abfui magnam partem conſulatus tui: tamen & abſens cognoſcebam, quae eſſet tua in hoc peſtifero bello cauendo, & praedicendo ſententia: & ipſe affui primis temporibus tui conſulatus, cum accuratiſſime monuiſti ſenatum, collectis omnibus bellis ciuilibus, ut & illa timerent, quae meminiſſent; & ſcirent, cum ſuperiores, nullo tali exemplo antea in rep. cognito, tam crudeles fuiſſent, quicumque poſtea remp. oppreſſiſſet armis, multo intolerabiliorem futurum.* NAM, *quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant, & aliquid, atque adeo multa addunt, & afferunt de ſuo. Quare meminiſſe debes, eos, qui auctoritatem, & conſilium tuum non ſunt ſecuti, ſua ſtultitia occidiſſe, cum tua prudentia ſalui eſſe potuiſſent. Dices: Quid me iſta res conſolatur in tantis tenebris, & quaſi parietinis reip? Eſt omnino uix conſolabilis dolor: tanta eſt omnium rerum amiſſio, & deſperatio recuperandi. ſed tamen & Caeſar ipſe ita de te iudicat, & omnes ciues ſic exiſtimant, quaſi lumen aliquod, exſtinctis ceteris, elucere ſanctitatem, & prudentiam, & dignitatem tuam. Haec tibi ad leuandas moleſtias magna eſſe debent. Quod autem a tuis abes, id eo leuius ferendum eſt, quod eodem tempore a multis, ac magnis moleſtijs abes: quas ad te omnes perſcriberem, niſi uererer, ne ea cognoſceres abſens, quae quia non uides, mihi uideris meliore eſſe condicione, quam nos, qui uidemus. Hactenus exiſtimo noſtram conſolationem recte adhibitam eſſe, quod certior ab homine amiciſſimo fieres ijs de rebus, quibus leuari poſſent moleſtiae tuae. reliqua ſunt in te ipſo, neque mihi ignota, nec minima ſolatia, & ut quidem ego ſentio, multo maxima: quae ego ipſe experiens quotidie ſic probo, ut ea mihi ſalutem afferre uideantur. te autē ab initio aetatis, memoria teneo, ſumme omnium doctrinarum ſtudioſum fuiſſe, omniaque, quae a ſapientiſſimis ad bene uiuendum tradita eſſent, ſummo ſtudio, curaq. didiciſſe: quae quidem, uel optimis rebus, & uſui, & delectationi eſſe poſſent: his uero temporibus habemus aliud nihil, in quo acquieſcamus. nihil faciam inſolenter: nec te, tali uel ſcientia, uel natura praeditum, hortabor, ut ad eas te referas artes, quibus a primis temporibus aetatis ſtudium tuum dediſti. tantum dicam, quod te ſpero approbaturum; me, poſteaquā illi arti, cui ſtudueram, nihil eſſe loci neque in curia, neque in foro uiderim, omnem meam curam, atque operā ad philoſophiam cōtuliſſe. tuae ſcientiae excellenti, ac ſingulari, non multo plus, quam noſtrae, relictum eſt loci. Quare non equidem te moneo; ſed mihi ita perſuaſi, te quoque in ijſdem uerſari rebus, quae etiam ſi minus prodeſſent, animum tamen a ſollicitudine abducerent. Seruius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primisq. in hac, in qua ego me ſcripſi acquieſcere, ita uerſatur, ut excellat; a me uero ſic diligitur, ut tibi uni concedam, praeter ea nemini: mihiq. ab eo gratia refertur: in quo ille exiſtimat, quod facile appareat, cum me colat, et obſeruet, tibi quoque in eo ſe facere gratiſſimum. Vale.*

EXPLA-

# EXPLANATIO

SOLLICITVM,} ob remp. ſeruitute oppreſſam. iam enim Caeſar, iterum deuictis Pompeij partibus, unus omnia tenebat. PRAECIPVO} cum enim commune ſit exitium, cur tu praecipue doleas? Iterum Plancium admonuit epiſtola ultima: Non debes aut propriam fortunam, & praecipuam poſtulare, aut communem recuſare. QVODAM} ita loquimur, cum ſingulare quiddam notamus, ut ep. 4. lib. 2. Eſt enim tibi grauis aduerſaria conſtituta, & parata, incredibilis quaedam exſpectatio. Et in oratione de prouincijs: Quod magni cuiusdam hominis, & perſapientis uidetur. Et lib. 2. de Orat. Craſsi reſponſum excellentis cuiusdam ingenij, & ſingularis. MINIME *miror*,} cum plane perierit reſp. MEVM} dolorem. QVODAM *modo*} ſi dixiſſet, Meum agnoſco, ſuum quoque praecipuum eſſe in communibus miſerijs dolorem ſignificaſſet. ita nullum ſibi locum ad leuandam Sulpicij ſollicitudinem relinqueret. dixit igitur, Quodam modo, ut indicet, ſibi quoque acerbiſsimam fuiſſe perniciem reip. nec tamen in communibus miſerijs praecipuo quodam dolore angi. AGNOSCO:} me quoque dolere confiteor. ep. ſeq. Illam excuſationis tuae partem nec agnoſco, nec probo. PROPE *ſingulari*,} cur addit, Prope? ne uiro graui, uerborum quaſi lenocinia reſpuenti, nimium aſſentari uideatur. Sic Acad. 4. Omitto per ipſum Ariſtotelem, meo iudicio in philoſophia prope ſingularem. Valet autem, Singularis, interdum minus, quam incredibilis, interdum plus: minus, ut ep. 54. lib. XIII. In longa apparitione ſingularem, & prope incredibilem patris Marcilij fidem cognoui. Plus, ut lib. I. de Orat. Antonij incredibilis quaedam, & prope ſingularis, & diuina uis ingenij. TVIS *bonis*} tua uirtute, & memoria recte factorum. ALIENIS *malis*} quibus afflicta reſp. concidit. Notat perditos hominum mores, in primisq. pernicioſam publicae libertati ambitionem Caeſaris, & Pompeij. LABORARE.} Malis laborare, apte coniunguntur. ME. QVIDEM,} conſolamur & ratione, & exemplo. ratione uſus eſt in proxima ſuperiore ſententia: exemplum hic affert de ſe ipſo. NEMINI *concedo, qui maiorem &c.*} nemo eſt, cui moleſtiae plus attulerit interitus reip. ſimile illud ep. 3. lib. X. Nunc me, amantiſsimum tui, nemini concedentem, qui tibi uetuſtate neceſsitudinis potior poſsit eſſe, ſi audies; omnem tibi reliquae uitae dignitatem ex optimo reip. ſtatu acquires. & eodem libro, ep. 29. Nec ijs concedo, ut te ſaluum malint, quam ego. PERNICIE, *& peſte*} augent ſuperlata nomina: quod etiam rhetores docent. maior autem eſt in peſte, quam in pernicie, ſignificatio. CONSILIORVM} quia de rep. ſemper optime ſenſi. quod tibi quoque, optimo, ac ſapientiſsimo uiro, ſolatio eſſe debet. MVLTO *enim ante*,} quattuordecim annis ante cum eſſet conſul. Id clariſsime oſtendit ep. 4. ad Att. lib. X. Praeclara, inquit, conſcientia ſuſtentor, cum cogito me de rep. aut meruiſſe optime, cum potuerim, aut certe numquam, niſi diuinem, cogitaſſe, eaq. ipſa tempeſtate euerſam eſſe remp. quam ego quattuor decem annis ante proſpexerim. TEMPESTATEM} procellam, quae remp. afflixit. ABFVI} cum eſſet in Cilicia proconſul: quo iuit Sulpicio conſule, ut patet ex ep. 3. lib. III. & ad Att. lib. V. MAGNAM. PARTEM} menſes circiter octo. nam uidetur ineunte Maio, aut extremo Aprili menſe Roma diſceſsiſſe. ep. 2. lib. V. ad Att. MONVISTI *ſenatum*,} conſolationem affert anteactae uitae commemoratio. ideo narrationem hanc induxit, ut, quemadmodum ſe leuare dixit grauitate doloris ob conſcientiam conſiliorum ſuorum, itidem Sulpicius e ſuis in remp. officijs conſolationem capiat. OMNIBVS *bellis ciuilibus*,} tribus, quae commemorat his uerbis Phil. 8. Contendit Sulla cum Sulpicio de iure legum, quas per uim latas Sulla dicebat: Cinna cum Octauio de nouorum ciuium ſuffragijs: rurſus cum Mario, & Carbone Sulla; ne dominarentur indigni. SVPERIORES,} ſic locutus in Verrem, & in Acad. CONSILIVM *tuum*} ne Caeſari ante conceſſum lege Trebonia tempus ſuccederetur, & ut abſenti conſulatum petere liceret. in quo diſſentiebat a M. Marcello collega. epitome Liuiana CIIX. Contentiones inter conſules de ſucceſſore C. Caeſari mittendo, agente in ſenatu M. Marcello conſule, ut Caeſar ad petitionem conſulatus ueniret, &c. Suetonius, Plutarchus, Dio, alij. OCCIDISSE,} conſulares, Pompeium Magnum, L. Lentulum, Bibulum, Domitium Ahenobarbum, Scipionem Pompeij ſocerum; praetorium, M. Catonem; alios praeterea, qui bellum paci, odio Caeſaris, praetulerant. IN. TANTIS *tenebris*,} non dicit, conſcientiam optimorum conſiliorum nihil prodeſſe, ſed pro malis reip. parum. nam, eſſe aliquem conſcientiae fructum, paullo ante oſtendit in ſe ipſo. PARIETINIS} libri ueteres quinque, Perpetuis: duo, Perditiuis: unus diſerte, Parricidijs: Mediceus, Partetinis: ex quo, Parietinis, legendum, alij ante nos recte cenſuerunt. Sunt autem Parietinae, parietum ruinae. Cicero ad remp. tranſtulit, &, Quaſi, praepoſuit, ueritus ne paullo durior tranſlatio uideretur. quod praecipit Craſſus lib. III. de Orat. Mollienda, inquit, tranſlatio eſt praepoſito ſaepe uerbo. VIX *conſolabilis*} recte addidit, Vix: ut conſolabilem tamen eſſe oſtendat: quod ei propoſitum eſt: cum hanc unam ob cauſſam ad Sulpicium ſcribat, ut eum a maerore abducat. IPSE} cuius in poteſtate ſunt omnia. LVMEN} tribus uerbis metaphoram abſoluit, Lumen, Exſtinctis, Elucere. & hac fortaſſe tranſlatione uſus eſt, cum illud proxime dictum, In tantis tenebris, recordaretur. EXSTINCTIS *ceteris*,} luminibus reip. Phil. V. Pompeio patre, quod imperij populi Romani lumen fuit, exſtincto. SANCTITATEM,} Sanctitatem definijt lib. I. de Nat. de. Scientia colendorum deorum. hic accipitur pro ſumma probitate, ut in Phil. I. Quod in iuuentute habemus illuſtrius exemplum ueteris ſanctitatis? PRVDENTIAM,} non enim ſatis eſt, optima uelle, quod ſanctitatis eſt; ſed, optima

etiam uidere, in praeſtanti ciue requiritur. Haec} primum optimorum conſiliorum recordatio, deinde iudicium Caeſaris, omniumq. ciuium. Magna *eſſe debent*.} dixit iam, debere eum ſuis bonis delectari potius, quam alienis malis laborare. A. tvis} uxore, & filio. A, mvltis, *ac magnis moleſtijs*} ſaepe Cicero conſolatur abſentes miſeria ciuitatis, quam afflictam, & deformatam ciuis bonus libenter nemo uidet. unde illud ad Sextium, ep. 17. lib. v. Illud utinam ne uere ſcriberem, ea te rep. cauere, in qua neminem prudentem hominem res ulla delectet. Et ad Torquatum, ep. i. lib. vi. Oculi augent dolorem. Vererer,} uererer, inquit, quia graues, atque acerbae audienti etiam eſſent, non modo uidenti. Meliore} non igitur dolendum eſt, quod a tuis abſis. Certior *fieres*,} quia ſcire haec ipſe per te non poſſes. ſignificat autem duas maxime res, de quibus certiorem Sulpicium fecit, iudicium Caeſaris, omniumq. ciuium, & miſerrimum ſtatum ciuitatis. Reliqva} non dubito, quin ſtudia philoſophiae ſignificet: cum inferat, Quae ego ipſe experiens quotidie ſic probo, ut ea mihi ſalutem afferre uideantur. Euerſa enim rep. philoſophiae ſtudia longo interuallo intermiſſa reuocauit: quod ipſe confirmat in prooemio Tuſc. i. & lib. iii. Off. & alibi. Salvtem} eandem ſententiam retulit ep. 12. lib. vi. Vnum, inquit, eſt perfugium, doctrina, ac litterae, quibus ſemper uſi ſumus: quae ſecundis rebus delectationem modo habere uidebantur, nunc uero etiam ſalutem. ep. 2. lib. ix. Stet, inquit, nobis illud, una uiuere in ſtudijs noſtris; a quibus antea delectationem modo petebamus, nunc uero etiam ſalutem. ep. 28. lib. xiii. Studia illa noſtra, quibus antea delectabamur, nunc etiam uiuimus. Omnivm *doctrinarum*} ergo & philoſophiae: quod paullo poſt confirmat, cum ait: Ad eas te referas artes, quibus a primis temporibus aetatis ſtudium dediſti. Ad. bene *uiuendum*} bene uiuendi praecepta philoſophorum libris continentur. Optimis *rebus*,} florente rep. In. qvo *acquieſcamus*.} in ep. 3. lib. ix. Nulla nunc in re alia acquieſcimus. Vel. scientia, *uel natura*} non modo enim a litteris, ſed a natura etiam ipſa prudentiam accipimus. Quid te, inquit, & ſcientia, & natura prudentem, hortor, ut ad eas te referas artes, quibus &c. Illi *arti*,} eloquentiae. Neqve *in curia, neque in foro*} neque in ſenatu, neque in iudicijs. ep. 6. Nihil in foro agere libebat: adſpicere curiam non poteram. Idem queritur in prooemio lib. iii. Off. Exſtincto ſenatu, deletisq. iudicijs, quid eſt, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere poſsimus? Tvae *ſcientiae*} iuris ciuilis. Scientias quoque, numero multitudinis, Cicero dixit in libro de Sen. quod ſingulare tamen exemplum adhuc inueni. Excellenti, *ac ſingulari*;} uicit enim hac laude Sulpicius ſuperiores omnes. quod ei tribuit Cicero in libro de claris Orat. cum eum dicat ad ius ciuile non modo dialecticam, uerum etiam litterarum ſcientiam, loquendiq. elegantiam adiunxiſſe. Non *multo plus*,} plus omnino, ſed non multo: quia, ſublata cauſſarum actione, pauci de iure conſuluntur. quorſum enim? cum iudices, non quid leges iubeat, ſed quid is nolit, cuius libido pro legibus eſt, in ſententijs ferendis ſpectare cogantur? Non *equidem te moneo*;} tali uel ſcientia, uel natura praeditum. facerem enim inſolenter. Mihi ita *perſuaſi*,} prorſus ita credo, te quoque in ijsdem philoſophiae ſtudijs uerſari. Rebvs,} pro, artibus. dixit enim, Vt ad eas te referas artes. Si minvs *prodeſſent*,} cum tamen uehementer proſint, quippe quae ſalutem afferre uideantur. paullo ante. Animvm *a ſollicitudine abducerent*.} quaſi enim aberramus a moleſtijs, dum litteras tractamus. ep. 37. lib. xii. ad Att. Ego hic, ſcribendo dies totos, nihil equidem leuor, ſed tamen aberro. Et ibidem proxime: Siue hanc aberrationem a dolore delegerim. & ep. 44. ibidem: ego hic duo magna σωντάγματα abſolui: nullo enim alio modo a miſeria quaſi aberrare poſſum. Tibi *uni concedam, praeterea nemini*:} ſic in extrema oratione pro Marcello: Vt uix C. Marcello, optimo, & amantiſsimo fratri, praeterea quidem cederem nemini. Gratia *refertur*:} quod amantem redamat, atque obſeruat.

---

# Argumentum ep. 4.

*Excuſanti Sulpicio, quod ſaepius uno exemplo litteras miſiſſet, culpamq. conferenti tum in eorum, qui eas acciperent, negligentiam, aut improbitatem, tum in orationis inopiam, qua ipſe laboraret, reſpondet Cicero, primam ſibi excuſationis partem probari, alteram omnino falſam uideri: ſe enim ipſum non admodum eſſe uerborum inopem, qui tamen ſibi & ſubtilitate, & elegantia ſcribendi Sulpicium anteponat. Cauſſas probat, quibus Achaiae adminiſtrationem Sulpicius recuſandam non putauerat. Narrat ſenatus officium, ſuppliciter de reditu M. Marcelli Caeſarem rogantis: quo impetrato, gratias a ſe Caeſari actas eſſe demonſtrat. De ſuo philoſophiae ſtudio, eiusq. fructu, de Seruij filij probitate, ac doctrina quaedam addit.*

*addit. Concludit, eum eſſe ſtatum reip. ut ea, quae Romae fiant, audire ſit optabilius, quam uidere. Negotialis eſt epiſtola, tum alias ob cauſſas, tum quia reditum Marcello Caeſaris liberalitate conceſſum ſignificat. Caeſare* III. *M. Aemilio Lepido cos. deuictis in Africa Pompeij partibus.*

## *Cicero S. D. Sulpicio.* 4.

*ACCIPIO excuſationem tuam, qua uſus es, cur ſaepius ad me litteras uno exemplo dediſſes; ſed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia, aut improbitate eorum, qui epiſtolas accipiant, fieri ſcribis, ne ad nos perferantur. illam partem excuſationis, qua te ſcribis, orationis paupertate, (ſic enim appellas) ijſdem uerbis epiſtolas ſaepius mittere, nec agnoſco, nec probo: & ego ipſe, quem tu per iocum (ſic enim accipio) diuitias orationis habere dicis, me non eßе uerborum admodum inopem agnoſco.* εἰρωνεύεσθαι *enim non neceſſe eſt. ſed tamen idem, nec hoc* εἰρωνευόμενος, *facile cedo tuorum ſcriptorum ſubtilitati, & elegantiae. Conſilium tuum, quo te uſum ſcribis hoc Achaicum negotium non recuſauiſſe, cum ſemper probauiſſem, tū multo magis probaui, lectis tuis proximis litteris. omnes enim cauſſae, quas commemoras, iuſtitiſſimae ſunt, tuaq. & auctoritate, & prudentia digniſſimae. Quod aliter cecidiſſe rem exiſtimas, atque opinatus ſis: id tibi nullo modo aſſentior. ſed, quia tanta perturbatio, & confuſio eſt rerum, ita perculſa, & proſtrata foediſſimo bello iacent omnia, ut is cuique locus, ubi ipſe ſit, miſerrimus eſſe uideatur: propterea & tui te conſilij paenitet, & nos, qui domi ſumus, tibi beati uidemur. at contra nobis non tu quidem uacuus moleſtijs, ſed prae nobis beatus. atque hoc ipſo melior eſt tua, quam noſtra condicio; quod tu, quid doleas, ſcribere audes; nos ne id quidem tuto poſſumus; nec id uictoris uitio, quo nihil moderatius, ſed ipſius uictoriae, quae ciuilibus bellis ſemper eſt inſolens. Vno te uicimus, quod de Marcelli, collegae tui, ſalute paullo ante, quam tu, cognouimus; etiam mehercule, quod, quemadmodum ea res ageretur, uidimus. nam ſic fac exiſtimes, poſt has miſerias, id eſt poſtquam armis diſceptari coeptum eſt de iure publico: nihil eſſe actum aliud cum dignitate. nam & ipſe Caeſar, accuſata acerbitate Marcelli, (ſic enim appellabat) laudataq. honorificentiſſime & aequitate tua, & prudentia, repente praeter ſpem dixit, ſe ſenatui roganti de Marcello, ne hominis quidem cauſſa, negaturum. fecerat autem hoc ſenatus, ut, cum a L. Piſone mentio eſſet facta de Marcello, & cum C. Marcellus ſe ad Caeſaris pedes abieciſſet, cunctus conſurgeret, & ad Caeſarem ſupplex accederet. noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies uiſus eſt, ut ſpeciem aliquam uiderer uidere quaſi reuiuiſcentis reip. itaque, cum omnes ante me rogati gratias Caeſari egiſſent, praeter Volcatium; (is enim, ſi eo loco eſſet, negauit ſe facturum fuiſſe) ego rogatus mutaui meum conſilium. nam ſtatueram, non mehercule inertia, ſed deſiderio priſtinae dignitatis, in perpetuum tacere. fregit hoc meum conſilium & Caeſaris magnitudo animi, & ſenatus officium. itaque pluribus uerbis egi Caeſari gratias: meque, metuo, ne etiam in ceteris rebus honeſto otio priuarim: quod erat unum ſolatium in malis. ſed tamen, quoniam effugi eius offenſionem, qui fortaſſe arbitraretur, me hanc remp. non putare, ſi perpetuo tacerem, modice hoc faciam, aut etiam intra modum; ut & illius uoluntati, & meis ſtudijs ſeruiam. nam, etſi a prima aetate me omnis ars, & doctrina liberalis, & maxime philoſophia delectauit: tamen hoc ſtudium quotidie ingraueſcit, credo & aetatis maturitate ad prudentiam, & his temporum uitijs, ut nulla res alia leuare animum moleſtijs poſſit. a quo ſtudio te abduci negotijs, intelligo ex tuis litteris: ſed tamen aliquid iam noctes te adiuuabunt. Seruius tuus, uel potius noſter, ſumma me obſeruātia colit: cuius ego cum omni probitate, ſummaq. uirtute, tum ſtudijs, doctrinaq. delector. is mecum ſaepe de tua manſione, aut deceſſione, communicat. adhuc in hac ſum ſententia, nihil ut faciamus, niſi quod maxime Caeſar uelle uideatur. res ſunt eiuſmodi, ut, ſi Romae ſis, nihil te praeter tuos delectare poſſit. de reliquis nihil melius ipſo eſt. ceteri, & cetera eiuſmodi, ut, ſi alterutrum neceſſe ſit, audire ea malis, quam uidere. Hoc noſtrum conſilium nobis minime iucundum eſt, qui te uidere cupimus: ſed conſulimus tibi. Vale.*

## EXPLANATIO

VNO EXEMPLO} ut, ſi qua periret, aliqua tamen perferretur epiſtola. NEC AGNOSCO,} ueram eſſe non confiteor. agnoſcimus enim, quae antea nouimus: ignota uero agnoſcere non poſſumus. non agnoſcit igitur Cicero cauſſam excuſationis, quam Sulpicius in orationis paupertatem referebat: quia uerborum inopem eum non cognouerat. ep. 20. lib. v. Id ego agnoui meo iuſſu eſſe factum. et ep. 3. lib xi. Neque agnoſcimus quidquam eorum. et in Laelio: Quod mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis amice. Εἰρωνεύεσθαι} diſſimulare. quod Socrati uſitatum in diſputando fuit, cum ijs, quos refellere uolebat, plus tribuere uideretur. Εἰρωνευόμενος,} ſimulans. Eſt enim ironia modo diſſimulatio, ut proxime; modo ſimulatio, ut hic. diſſimulamus enim uera; cum occultamus ea, quae ſunt; ſimulamus falſa, cum ea fingimus eſſe, quae non ſunt. Late igitur patet ironia: & eſt omnino, ut ait Aquila, cum aliud uerbis ſignificamus, aliud re ſentimus. Addit Beda: grauitate pronunciationis adiuuandam. alioqui confiteri uidebitur, quod negare contendit. SVBTILITATI, & *elegantiae.*} ſubtilitas in ſententijs, elegantia in uerbis. ſubtilitas autem a dialectica maxime ſumitur,

quam Sulpicius egregie cognouit : eoq. maxime adiumento & Scaeuolae , & ceteris omnibus iuriſconſultis antecelluit . hoc enim ei teſtimonium tribuitur in lib.de claris Orat. quo in libro ſubtilitas etiam eius, & elegantia nominatur his uerbis : Adiunxit & litterarum ſcientiam , & loquendi elegantiam ; quae e ſcriptis eius, quorum ſimilia nulla ſunt , facillime perſpici poteſt ; cumq. dicendi cauſſa , duobus peritiſsimis operã dediſſet,L.Lucilio Balbo, C. Aquillio Gallo ; Galli , hominis acuti , & exercitati , promptam in agendo , & in reſpondendo celeritatem ſubtilitate , diligentiaq. ſuperauit . Quinctilianus etiam , Sulpicium ex tribus orationibus inſignem famam conſecutum eſſe , lib.x. ſcriptum reliquit . Alibi Subtilitas non idem ualet , ſed uenuſtas potius quaedam eſt orationis , & naturalis quaſi color , nullo adhibito artis pigmento : qualis apud nos eſt Caeſaris ſermo , apud Graecos Lyſiae : itaque lib. III. de Orat. ſubtilitatem quidem illi Cicero tribuit , acumen autem Hyperidi . Et in Bruto illud : Lyſias egregie ſubtilis ſcriptor, atque elegans : ſic accipio , non ut acutum ſcriptorem Lyſiam dici putem , ſed ut purum , ut uenuſtum , ut politum , ut plane Atticum. Attica enim ſubtilitas ipſa per ſe laudatur , ijs carens ornamentis, quae ab arte ſumuntur . qua laude Catonem cenſorium afficit Cicero in eodem libro infra . Qui in Graecis , inquit , antiquitate delectantur , eaq. ſubtilitate , quam Atticam appellant , hanc in Catonem non nouerunt quidem . Hyperidae uolunt eſſe , & Lyſiae. laudo : ſed cur nolunt Catonis ? Atticum igitur dicendi genus , illud , in quo Lyſias excelluit , ( nam plura genera , ut ait Cicero , fuerunt ) non ornatum,copioſum, illuſtre,ut Demoſthenis, & Aeſchinis, non acutum,ut Hyperidis, ſed exſile, ieiunum, ſiccum, politum tamen, & uenuſtum fuit: idq. tum indicant eae,quae exſtant, illius orationes : tum ipſe Cicero, ſi Lyſiae orationes non haberemus , clariſsime tamen oſtenderet.nam in eodem libro, aliquanto poſt, Atticum, ait , ſe Caluus noſter dici oratorem uolebat . inde , erat iſta exſilitas , quam ille de induſtria conſequebatur . Et paullo poſt : Si quis ieiunitatem , & ſiccitatem , & inopiam , dummodo ſit polita , dum urbana , dum elegans,in Attico genere ponit : hoc recte dumtaxat:ſed quia ſunt in Atticis alia meliora , uideat ne ignoret & gradus, & diſsimilitudines,& uim , & uarietatem Atticorum . Et infra : Si acutum , prudens , & idem ſincerum, & ſolidum , & exſiccatum genus orationis probant ; nec ullo grauiore ornatu oratorio utuntur ; & hoc primum eſſe Atticorum uolunt : recte laudant : eſt enim in arte tanta , tamq. uaria , etiam huic minutae ſubtilitati locus . Nam, quod non ita multo poſt dicitur , Lyſia pictius eſſe nihil poſſe : id affertur ex Attici perſona , nimium in Graecos ambitioſi , & a Ciceronis diſſentientis, qui Catonem Lyſiae comparauerat . Cicero autem ipſe de Lyſia quid ſentiat , declarat in Oratore hic uerbis : Dicat igitur Attice uenuſtiſsimus ille ſcriptor, ac politiſsimus Lyſias, ( qui enim id poſsit negare?) dum intelligamus hoc eſſe Atticum in Lyſia , non quod tenuis ſit , atque inornatus , ſed quod nihil habeat inſolens , aut ineptum . Et, paucis interiectis , Qui Lyſiam , inquit , ſequuntur , cauſsidicum quendam ſequuntur , non illum quidem amplum , atque grandem , ſubtilem , & elegantem tamen . Eandem ſubtilitatem, quae ab acumine diſtat, notauit in Lyſia Quinctilianus lib.x.Lyſias , inquit , ſubtilis , atque elegans , & quo nihil , ſi oratori ſatis ſit docere , quaeras perfectius . nihil enim eſt inane , nihil accerſitum : puro tamen fonti, quam magno flumini , propior . Et lib.XII. Quid Periclem ? ſimilem ne credimus Lyſiacae gracilitati ? Item lib.IX. Neque illud in Lyſia dicendi textum tenue,atque rarum laetioribus numeris corrumpendum erat. Hinc Agere cauſſas ſubtiliter , pro, ſimplici quodam , & puro , & ad docendm , non ad promouendum , aut delectandum , apto dicendi genere in cauſsis uti , dixit Cicero ep.21.lib.IX. Priuatas , inquit , cauſſas,& eas tenues , agimus ſubtilius . Et in Oratore : Tenues, acuti, omnia docentes,& dilucidiora, non ampliora facientes , ſubtili quadam & preſſa oratione limari . Et infra : Orationis ſubtilitas imitabilis illa quidem uidetur eſſe exiſtimanti , ſed nihil eſt experienti minus . Et pro Balbo : A quo haec , quae ego nunc percurro , ſubtiliſsime ſunt omnia perpolita . Et ep.21.ad Att.lib.2. De rep. quid ego tibi ſubtiliter ? tota perijt . Et in ep.ad M. Brutum : Meſſallam habes : quibus igitur litteris tam accurate ſcriptis aſſequi poſſum , ſubtilius ut explicem , quae gerantur , quaeq. ſint in rep. quam tibi is exponet , qui & optime omnia nouit , & elegantiſsime expedire , & deferre ad te poteſt ? Elegantiam autem differre ab ornatu, oſtendit Cicero in epiſtola ad Cornelium Nepotem : Quis , ait , ſententijs aut acutior , aut crebrior ? quis uerbis aut ornatior , aut elegantior ? ACHAICVM *negotium* } Achaiae adminiſtrandae curam , a Caeſare mandatam , quamquam opinor ei maiorem Graeciae partem eſſe commiſſam , licet Achaiae nomine prouincia uocaretur . nam in ep.1.& 4.lib.VI.& ep.18.21.22.lib.XIII uideo Suplicium Athenis praeeſſe : quae non Achaiae urbs , ſed inter Achaiam & Macedoniam fuit . in ſexta uero eiuſdem libri epiſtola , Brutum , ait , Galliae, Sulpicium Graeciae praefecit . uide infra , ep.12. OMNES *cauſſae* , } quarum una fuit, ut minus miſer eſſet , cum ea non uideret , quae in oppreſſa patria contra leges , moremq. maiorum fierent . nam oculi dolorem augent , nec auertere a miſeriis cogitationem ſinunt . AVCTORITATE, *& prudentia* } decet enim , qui auctoritate , & prudentia ualeat , eum nihil committere , quod in aliquam reprehenſionem poſsit incurrere . ALITER *cecidiſſe rem* } putaſti te , cum ab urbe abeſſes,a moleſtijs etiam abfuturum. id , ut ſcribis, te fefellit . ep.7.lib.1. Si cecidiſſet , ut uolumus, & optamus . PERCVLSA, *& proſtrata iacent* } dixi iam , ſuperlatis augeri uim ſententiae . ſequitur autem , ut perculſa proſternantur , proſtrata iaceant . FOEDISSIMO } ex ijs, quae ſequuntur . bello enim omnia deformantur . alibi quoque epithetum idem cum bello iunxit . IS . CVIQVE *locus,* } uide eandem ſententiam in ep.1.lib.VI. TVI *conſilij* } quod Achaicum negotium non recuſaueris . NE . ID *quidem* } non modo libere ſentire , ac dicere , ſed ne ſcribere quidem tuto poſſumus . ſumus enim hic in eorum poteſtate , qui diligenter,quaecumque agimus , obſeruant : quiq. uel minima re ſi offendantur , parata nobis grauiſsima iniuria eſt . MODERATIVS , } ſane in uictoria ſe moderatiſsimũ Caeſar praebuit : de quo Suetonius haec : Moderatio-

nem ,

nem, clementiamq. tum in adminiſtratione, tum in uictoria belli ciuilis admirabilem exhibuit: nec ulli perijſſe, niſi in proelio, reperientur, exceptis dumtaxat Afranio, & Fauſto, & L. Caeſare iuuene. denique, extremo tempore, etiam quibus nondum ignouerat, cunctis in Italiam redire permiſit, magiſtratusq. & imperia capere. Confirmat ipſe Cicero ſaepe in his epiſtolis, in hac quidem in extremo: De reliquis, nihil melius ipſo eſt. in ſexta liberalem Caeſarem appellat: in ſeptima, non paſſurum ait, ut iniuria fieret. in decimatertia: Obtinemus ipſius Caeſaris ſummam erga nos humanitatem; ſed ea plus non poteſt, quam uis & mutatio omnium rerum, atque temporum. INSOLENS.} uictores enim inſolentes facit. ep. 9. Miſerius nihil, quam ipſa uictoria: quae, etiam ſi ad meliorem uenit, tamen eos ipſos ferociores, impotentioresq. reddit. VNO. TE *uicimus*,} cum in reliquis tua melior, quam noſtra condicio ſit. MARCELLI,} M. Claudij Marcelli, qui, Pompeio in Pharſalia deuicto, cuius partes ſecutus erat, exſulabat. COLLEGAE} in conſulatu. SALVTE} reſtitutione, a Caeſare impetrata. ARMIS *diſceptari*} iudiciale uerbum ad arma tranſtulit, cum diſceptari legibus, non armis, de iure ſoleat. ep. 14. Videbam, quanto periculo de iure publico diſceptaretur armis. Ep. 1. lib. 6. Docebam, pilis, & gladijs, non conſilijs, neque auctoritatibus noſtris, de iure publico diſceptari. Quid autem proprie ſit Diſceptare, locus indicat in Partitionibus: Aut auſcultator eſt modo, qui audit, aut diſceptator, id eſt rei, ſententiaeq. moderator. Et in oratione pro Deiotaro: Hanc, C. Caeſar, cauſſam ſi in foro dicerem, eodem audiente, & diſceptante te, quantam mihi alacritatem populi Romani concurſus afferret. Id ad praetorem proprie attinebat: nam lib. III. de leg. ita ſcriptum animaduerti: Iuris diſceptator, qui priuata iudicet, iudicariue iubeat, praetor eſto. Et pro Caecina: Perſaepe diſceptatore domeſtico dijudicatur. ſic lib. XIII. ep. 26. ad Sulpicium: Perſcripſimus iis, ut omnibus in rebus, quae in aliquam controuerſiam uocarentur, te arbitro, &, quod commodo tuo fieri poſſet, te diſceptatore uterentur. itidem dixit: Videbam, quanto periculo de iure publico diſceptaretur. ACERBITATE *Marcelli*,} ſignificatur id, quod Suetonius expoſuit his uerbis: M. Marcellus conſul, edicto praefatus, de ſumma ſe rep. acturum, retulit ad ſenatum, ut Caeſari ſuccederetur ante tempus, & ne abſentis ratio haberetur. nec prouincias ei, & priuilegium eripere contentus, retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatinia Nouum comum deduxiſſet, ciuitas adimeretur; quod per ambitionem, & ultra praeſcriptum data eſſet. Commemorauit igitur Caeſar offenſiones Marcelli, quo ſcilicet maius faceret beneficium ſuum: deinde ſe reditum eius in patriam ſenatus precibus largiri dixit in oratione pro ipſo: Intellectum eſt enim, cum M. Marcellum ſenatui, populo q. Romano & reip. conceſsiſti, commemoratis praeſertim etiam offenſionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatemq. reip. tuis uel doloribus, uel ſuſpicionibus anteferre. AEQVITATE *tua*,} cum Marcello collegae tuo reſtitiſti, de quo idem Suetonius: Summa ope reſtitit, partim per interceſſores tribunos, partim per Ser. Sulpicium, alterum conſulem. Id ſignificatur etiam in ep. 3. in eo loco: Cognoſcebam, quae tua eſſet in hoc peſtifero bello cauendo, & praedicendo ſententia. SENATVI *roganti*} non modo preces, uerum etiam lacrumas ſenatus, ut Marcelli reditum impetraret, nominat in extrema oratione, qua Caeſari, ob Marcellum reſtitutum, & ſuo, & ſenatus nomine gratias egito. NE. HOMINIS *quidem cauſſa, negaturum*.} Alij legunt, Ne ominis quidem: quibus aſſentiri nullo modo poſſum. dixit enim Caeſar; ſe non eſſe roganti ſenatui, ne ipſius quidem Marcelli cauſſa, a quo grauiter eſſet offenſus, negaturum. quamquam, aiebat, in me fuerit acerbior: tamen, ne hac quidem cauſſa, ſenatui deprecanti eius reditum negabo. non tanti apud me erit Marcelli ipſius iniuria, quanti ſenatus uniuerſi conſenſus, & deprecatio. Ad hunc locum pertinet illud ex ep. 6. lib. VI. Marcellum, cui maxime ſuccenſebat, cum ſumma illius dignitate reſtituit. L. PISONE} patriciae gentis Calpurniae: nam Calpurnij Bibuli plebeij: is Caeſaris ſocer erat. exſtat in eum Ciceronis oratio. C. MARCELLVS} Marci frater germanus, qui cum L. Lentulo conſul fuit, biennio poſt Marcium conſulem: nam patruelis fuit alter Caius, qui conſulatum geſsit cum L. Paullo, anno poſt Marcum conſulem proxime ſequenti: ut ep. 9. h. l & ep. 9. lib. XV. & apud Suetonium in Iulio. de germano fratre infra, ep. 7. 9. 11. & in oratione pro Marcello, in extremo. ABIECISSET,} nulla ſuae dignitatis habita ratione: quo magis Caeſarem moueret. dolor enim ſummus in uerbo, Abieciſſet, oſtenditur. SVPPLEX} ſenatus amorem, ac deſiderium abſentis Marcelli Seneca in Conſolatione ad Albinam declarat his uerbis: Illi redditum impetrauit ſenatus publicis precibus, tam ſollicitus, ac maeſtus, ut omnes iſto die Bruti habere animũ uiderentur, & non pro Marcello, ſed pro ſe deprecari, ne exſules eſſent, ſi ſine illo fuiſſent. ACCEDERET.} Accedere ad ſe ſupplicem ſenatum, Caeſar paſſus eſt: eundem accidere ſupplicem ad pedes ſuos, paſſus certe numquam eſſet. alia enim C. Marcelli, fratris reditum deprecantis, alia ſenatus ratio fuit: quem ſupplicare quidem pro M. Marcello decuit, abijcere ſe ad Caeſaris pedes, oblitum ſuae dignitatis, haud quaquam decuit: nec Caeſar ipſe, qui omnia quidem ſuae poteſtatis eſſe, ſpeciem tamen adhuc aliquam reip. manere uellet, indignitatem illam tuliſſet. Quare nihil mutandum. NOLI *querere*:} cum res eiuſmodi eſt, ut eam ne longa quidem oratione pro uoluntate noſtra ſatis exprimere uideamur poſſe; confugimus ad hoc loquendi genus, & ad illud, Quid quaeris? & ſimilia quaedam. ROGATI} ſententiam. Hic mirari licet, cur in re minime dubia ſententiae rogarentur. conſenſit enim ſenatus uniuerſus in Marcelli ſalute deprecanda. quod illud, proxime dictum, oſtendit: Fecerat hoc ſenatus, ut cunctus conſurgeret, & ad Caeſarem ſupplex accederet. Quod cum ita ſit: cur ſententiae, quaſi parum certa ſenatorum uoluntas eſſet, rogabantur? ſcripſit enim Varro, teſte Gellio, lib. IV. Epiſtolicarum quaeſtionum, S.C. duobus modis fieri ſolitum, aut per diſceſsionem, ſi conſentiretur, aut, ſi res dubia eſſet, per ſingulorum ſententias exquiſitas. Ego Caeſarem opinor, licet ſenatus uoluntatem perſpexiſſet, uoluiſſe tamen ſententias rogari, quo certius, quid quiſ-

que

que ſentiret, intelligere poſſet, fortaſſe etiam, ut in dicenda ſententia ſinguli ſibi gratias agerent de Marcello reip. reſtituto. VOLCATIVM;} L. Volcatium Tullum, qui cum M. Aemilio Lepido conſul fuerat, triennio ante Ciceronem. SI EO *loco eſſet*,} an hoc dicit? ſi ea, qua Marcellus, dignitate eſſet, negauit ſe in patriam rediturum: cum ep. 18. lib. XIV. ſimiliter dixerit: Videte, quid aliae faciant iſto loco feminae. Hoc mihi non probatur, non enim, quod ad dignitatem attinet, ſibi Marcellum Volcatius antepoſuiſſet, quippe qui conſul ante eum fuerat annis XIV. An, Si eo loco eſſet, ſi eſſet in ſenatu? ut ſe Caeſari, dum in ſenatu eſſet, gratias acturum negauerit. Ineptum hoc uidetur. ubi enim magis, quam in ſenatu, ea de re, quae in ſenatu agebatur, agi Caeſari gratias decuit? Puto igitur hoc dici: negauit ſe in patriam fuiſſe rediturum, ſi Marcellus fuiſſet; id eſt, ſi eadem, quae Marcellus conſul, contra Caeſarem feciſſet; & ſi cum Pompeio poſtea aduerſus eundem Caeſarem pugnaſſet, nec ſe, poſt uictum Pompeium, uictori credidiſſet: quae cum Marcellus feciſſet, inconſtantiae uidebatur eſſe, nec ſatis honorificum, beneficio eiuſdem Caeſaris, quem uehementer oppugnauerat, in patriam redire. Atque ad hanc ſententiam pertinet illud Plauti in Bacch.

Verum, ut ego opinor, ſi ego in iſtoc ſiem loco,
Dem potius aurum, quam illum corrumpi ſinnam.

Et Catonis illud apud Rufinianũ: Si uos in eo loco eſſetis, q̃d aliud faceretis? MAGNITVDO *animi*,} quia ſalutẽ inimico ſuo largitus eſſet. EGI *Caeſari gratias*:} luculenta exſtat oratio: cuius in extremo ſunt haec: Sic tibi gratias ago, ut, omnib. me rebus a te nõ conſeruato ſolũ, ſed ẽt ornato, tamẽ ad tua innumerabilia in me unũ merita, quod fieri iam poſſe non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus acceſſerit. METVO,} metuo, ne, cum in ſenatu loqui coeperim, idem poſthac ſaepe cogar facere, ut Caeſaris uoluntati ſeruiam. Idem in oratione: Meae priſtinae uitae conſuetudinem mihi, C. Caeſar, interclusam aperuiſti. HONESTO *otio*} litterato. dixit enim ep. 3. ſe, poſteaquam nihil eſſe loci eloquentiae, neque in foro, neque in curia uiderit, omnem ſuam curam, atque operam ad philoſophiam contuliſſe. & hic paullo poſt ſubiungit, Vt meis ſtudijs ſeruiam. INTRA *modum*;} Modice, eſt cum modo: Intra modum, minus. ut enim Supra, & Infra, ſic Vltra, & Citra, atque interdum etiam Vltra, & Intra opponuntur: quod Gellius lib. XII. cap. 13. oſtendit, modeſte refutata Apollinaris ſententia, qui, Intra, negabat pro Citra poſſe accipi. Epiſtola ult. lib. IX. Epulamur una non modo non contra legem, ſed etiam intra legem. STVDIIS} quod eſſe unicum ſolatium in malis proxime dixit. INGRAVESCIT,} augetur. a ponderibus tranſlatio. AETATIS *maturitate*} ſexagenarius iam erat Cicero, cum hanc epiſtolam ſcripſit. eſt enim hic annus urbis DCCVI, quo Caeſar III. cum M. Lepido conſul fuit: Cicero autem natus eſt anno DCXLVI, L. Caſsio Longino, C. Mario cos. HIS *temporum uitijs, ut nulla res alia &c.*} ep. 3. His uero temporibus habemus aliud nihil, in quo acquieſcamus. & ep. 3. lib. IX. Nulla nunc in re alia acquieſcimus. Et ſane plura breui tempore, euerſa, quam multis annis, ſtante rep. ſcripſit: quod ipſe fatetur in prooemio lib. III. Off. ALIQVID *iam noctes te adiuuabunt*.} eadem ſententia, non ijsdem uerbis ep. 25. lib. VII. Aliquantum iam etiam noctis aſſumo. VIRTVTE,} uirtus hic neque probitatem, neque doctrinam ſignificat: cum probitatis antecedat mentio, doctrinae ſubſequatur. eſt igitur praeſtantia quaedam in omnibus rebus; quae licet cum probitate non idem ſit, ab ea tamen, & ab animi magnitudine, prudentiaq. oritur: qui enim uirtutis nomen in eum cadere poſsit, qui uel probitate careat, uel humili, atque imbecillo animo ſit, uel denique parentem, altricemq. uirtutum omnium prudentiam deſideret? Eodem modo Virtutẽ uſurpauit ep. 5. lib. VI. & ep. 27. lib. XIII. DOCTRINAQ.} dabat in primis operam philoſophiae. ep. 3. COMMVNICAT.} Seruio patre per litteras mandante, cui moleſtum iam eſſet Achaicum negotium. ideo ſupra dixit, Tui te conſilij paenitet. IPSO} quo nihil eſſe moderatius, iam dixit ep. 17. lib. IX. NOSTRVM *conſilium*} qui ſuademus tibi, ne decedas. CONSVLIMVS *tibi*.} non quid uoluntas noſtra ferat, ſed quid e re tua ſit, in conſilio dando ſpectamus.

---

# Argumentum ep. 5.

*ESt haec Sulpicij epiſtola ſi non perfectae, certe admodum diligentis, & elaboratae conſolationis exemplum. Nam, cum officium conſolandi minime deceat eos, qui prorſus dolore uacant; ſiquidem, qui uere amat, doloris expers in amici caſu eſſe non poteſt: ut hanc ſuſpicionem tolleret, a moleſtia ſua Sulpicius exordiendum putauit. Rurſus, quia conſolatio nihil omnino aliud eſt, quam aegroti animi remedium, a ratione, prudentiaq. ſumptum; quo ſi caret is, quem conſolamur, ratione ſimul, ac prudentia careat neceſſe eſt: propterea culpam Sulpicius temeritatis a ſe uoluit auertere, retulitq.*

*tulitq. ſuae conſolationis cauſſam non ad ullam Ciceronis inſcitiam, aut imprudentiam, ſed ad dolorem, quo impeditus minus ea perſpiceret, quae patere ſibi poſſent, paullo moderatius dolenti. Haec quaſi prooemij loco praeponuntur. Sequitur narratio, in qua maxime colliguntur exempla calamitatum, ne quis dolori nouo relinqui uideatur locus. Prima conſolandi ratio ducitur a condicione temporum; quae ſunt eiuſmodi, ut optanda minime uita uideatur: altera ab exitio florentiſsimarum urbium, quae perpetuo manſurae uidebantur: tertia ab interitu uirorum clariſsimorum; qui cum & multi, & uno tempore perierint, una muliercula amiſſa dolendum multo leuius eſt. Accedit imperij deminutio, prouinciarum deuaſtatio: quae ipſa quoque non mediocrē in priuatae rei iactura conſolationem afferunt. Quid moriendi neceſsitas? non ne ad leuandam ſollicitudinem plurimum ualet? Quid uita, iucunde feliciterq. traducta? Quid mortis opportunitas, appropinquantibus malis? Haec omnia commemorat Sulpicius in Tulliae morte: mox ad ipſum Ciceronem orationem conuertit. Non debet, inquit, is, a quo multi conſilium petere ſoliti ſunt, committere, ut eguiſſe conſilio, & ea, quae alijs praeceperit, ignoraſſe uideatur: nec uero clarum ſapientia ciuem exſpectare decet beneficium temporis, quo dolor exſtinguitur, ſed a ratione, ac ſapientia contra quaelibet fortunae tela praeſidium petere. Adduntur preces. Si hoc a te ratio ipſa non impetrat, certe non negabis patriae roganti, non amicis, & familiaribus, non filiae mortuae, quae cariſsimum ſibi patrem maerore angi non uult: Incommodum proponitur. Vide, ne tuo luctu offendantur ij, qui rerum potiuntur, interpretantes doloris tibi cauſſam eſſe dominationem ſuam. Poſtremo, ne tuam gloriam contemnas, quae ex multis collecta uirtutibus, addita fortitudinis, & conſtantiae fama cumulabitur. Scripta eſt Caeſare conſule* IV. *ſine collega, deuictis iam in Hiſpania Pompeij liberis: quod ex duabus ad Att. epiſtolis,* 19. & 21. *lib.* 12. *licet conijcere: quod illa fere poſtrema huius epiſtolae uerba declarant: Noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam reip. tempora, & aliorum uictoriam lugere. Id confirmatur epiſtola* 21. *lib.* XII. *ad Att. cuius initium eſt: A Caeſare litteras accepi conſolatorias, datas Hiſpali. Nam Hiſpalim Caeſar iuit poſt interfectum Cn. Pompeium, Magni filium, ut in libro de bello Hiſpanienſi ſcriptum eſt.*

## *Sulpicius S. D. Ciceroni.* 5.

POSTEAQVAM *mihi renunciatum eſt de obitu Tulliae filiae tuae; ſane quam pro eo, ac debui, grauiter, moleſteq. tuli, communemq. eam calamitatem exiſtimaui: qui ſi iſtic affuiſſem, neque tibi defuiſſem, coramq. meum dolorem tibi declaraſſem. etſi genus hoc cōſolationis miſerum, atque acerbū eſt; propterea quia, per quos id fieri debet, propinquos, ac familiares, ipſi pari moleſtia afficiūtur, neque ſine lacrumis multis id conari queunt; ut magis ipſi uideantur aliorum conſolatione indigere, quam alijs poſse ſuum officium praeſtare: tamen, quae in praeſentia mihi in mentē uenerunt, decreui breui ad te perſcribere: non, quod ea te fugere exiſtimem; ſed,*

quod

*quod forſitan dolore impeditus, minus ea perſpicias. Quid eſt, quod tantopere te commoueat tuus dolor inteſtinus? cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiſcum egerit; ea nobis erepta eſſe, quae hominibus non minus, quam liberi, cara eſſe debent, patriam, honeſtatem, dignitatem, honores omnes. hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atque omnia minoris aeſtimare? An illius uicem, credo, doles? Quoties in eam cogitationem neceſſe eſt & tu ueneris, & nos ſaepe incidimus, hiſce temporibus non peſſime cum ijs eſſe actum, quibus ſine dolore licitum eſt mortem cum uita commutare. Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad uiuendum magnopere inuitare poſſet? quae res? quae ſpes? quod animi ſolatium? ut, cum aliquo adoleſcente primario coniuncta, aetatem ageret? licitum eſt tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuuentute generum deligere, cuius fidei liberos tuos te tuto committere putares. An ut ea liberos ex ſeſe pareret, quos cum florentes uideret, laetaretur? qui rem a parente traditam per ſe tenere poſſent, honores ordinatim petituri eſſent in rep. in amicorum negotijs liberalitate ſua uterentur? quid horum fuit, quod non prius, quam datum, ademptum ſit? At uero malum eſt liberos amittere: malum, niſi hoc peius ſit, haec ſufferre, & perpeti. Quae res mihi non mediocrem conſolationem attulit, uolo tibi commemorare; ſi forte eadem res tibi minuere dolorem poſſit. Ex Aſia rediens, cum ab Aegina Megaram uerſus nauigarem, coepi regiones circumcirca proſpicere. poſt me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeeus, ſiniſtra Corinthus: quae opida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata, & diruta ante oculos iacent. coepi egomet mecum ſic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interijt, aut occiſus eſt, quorum uita breuior eſſe debet; cum uno loco tot opidum cadauera proiecta iaceant. uis ne tu te, Serui, cohibere, & meminiſſe, hominem te eſſe natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter ſum confirmatus. hoc idem, ſi tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas. Modo, uno tempore tot uiri clariſſimi interierunt: de imperio praeterea tanta deminutio facta eſt: omnes prouinciae conquaſſatae ſunt: in unius mulierculae animula ſi iactura facta ſit, tantopere commoueris? quae ſi hoc tempore non ſuum diem obijſſet, paucis poſt annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hiſce rebus animum, ac cogitationem tuam auoca: atque ea potius reminiſcere, quae digna tua perſona ſunt: illam, quam diu ei opus fuerat, uixiſſe: una cum rep. fuiſſe: te, patrem ſuum, praetorem, conſulem, augurem uidiſſe: adoleſcentibus primarijs nuptam fuiſſe: omnibus bonis prope perfunctam eſſe: cum reſp. occcideret, uita exceſſiſſe. quid eſt, quod tu, aut illa cum fortuna hoc nomine queri poſſitis? Denique noli te obliuiſci Ciceronem eſſe, & eum, qui alijs conſueueris praecipere, & dare conſilium; neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur ſe tenere medicinae ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt: ſed potius, quae alijs tute praecipere ſoles, ea tute tibi ſubijce, atque apud animum propone.*

NVLLVS *dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. hoc te exſpectare tempus, tibi turpe eſt, ac non ei rei ſapientia tua te occurrere. quod ſi quis etiam inferis ſenſus eſt, qui illius amor in te fuit, pietasq. in omnes ſuos, hoc certe illa te facere non uult. da hoc illi mortuae: da ceteris amicis, & familiaribus, qui tuo dolore maerent: da patriae; ut, ſi qua in re opus ſit, opera, & conſilio tuo uti poſſit. Denique, quoniam in eam fortunam deuenimus, ut etiam huic rei nobis ſeruiendum ſit; noli committere, ut quiſquam te putet non tam filiam, quam reip. tempora, & aliorum uictoriam lugere. Plura me ad te de hac re ſcribere pudet, ne uidear prudentiae tuae diffidere. quare, ſi hoc unum propoſuero, finem faciam ſcribendi. Vidimus aliquoties ſecundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamq. ex ea re te laudem adipiſci. fac aliquando intelligamus aduerſam quoque te aeque ferre poſſe; neque id maius, quam debeat, tibi onus uideri; ne ex omnibus uirtutibus haec una tibi uideatur deeſſe. Quod ad me attinet, cum te tranquilliore eſſe animo cognouero, de his rebus, qnae hic geruntur, quemadmodumq. ſe prouincia habeat, certiorem faciam. Vale.*

## EXPLANATIO

TVLLIAE} quam exſtinctam morbo, quem ex partu contraxerat, ut ait Plutarchus, pater ita grauiter doluit, ut nec ab amicorum conſilijs, nec a philoſophiae praeceptis quidquam ſolatij capere poſſet. PROPTEREA *quia*, } Ciceroni, Terentio, Plauto uſitatius eſt, Propterea quod. ſic, Ideo quod, Ideo quia, ueteres dicebant. PARI *moleſtia* } ſimili potius, quam pari. nam, ſi par eſſet, afflictus afflictum conſolari non poſſet. & infra, maiorem eſſe Ciceronis dolorem, quam ſuum, in eo ſignificat: Non quod ea te fugere exiſtimem: ſed, quod forſitan dolore impeditus, minus ea perſpicias. CONARI} conamur ea, quae minime licet perficere. unde illud Ciceronis, opinor, in Oratore: Nos conamur, Demoſthenes perficit. IN. PRAESENTIA} In praeſenti, ep. 9. lib. 2. alibi tamen, In praeſentia. BREVI} modo rei, modo temporis breuitatem demonſtrat: hic rei, & ep. 9. lib. I. Tantum dicam breui: & ep. 3. lib. 2. Breui tamen ſic habeto. Temporis autem breuitas indicatur ep. 6. lib. VI. Vt ſpero, breui gratulabimur. Et lib. v. in Verrem: Breui poſtea eſt mortuus. Et in epiſtola Pompeij lib. IIX. ad Att. Cum ille maiores breui copias habiturus ſit. Plautus in Rudente: Poſſe eum breui fieri diuitem. NON, *quod ea te fugere exiſtimem; ſed, quod forſitan, dolore impeditus, minus ea perſpicias.* } hoc addit, ne ſibi prudentiae laudem, Ciceroni ademptam, tribuere uideatur. ſic Cic. ep. 5. lib. VI. Quia fieri poteſt, ut tu ea perturbatiore animo cogites; puto eſſe meum, quid ſentiam, exponere. EREPTA} cum enim ea, quae antea bonis ac fortibus uiris reſp. deferebat, ad unius poteſtatem tranſlata cuncta ſint, erepta nobis uidentur eſſe: quandoquidem non iam amplius a noſtra uirtute, & induſtria exſpectantur. HONESTATEM,} Honeſtas definiri poteſt, honeſti, & recti ſpecies quaedam, collecta ex ijs rebus, quae laudem habent ſingulae. DIGNITATEM,} exiſtimationem, ortam ex honoribus, praeclare adminiſtratis.

adminiſtratis. Qvi . non} Qui, pro Quo modo, ut alibi quoque, hic uſurpari conſtat. In *illis rebus*} in amiſsione patriae, honeſtatis, dignitatis, honorum omnium. Callere} quaſi callo ex conſuetudine facto ſic obduruiſſe, ut nouum dolorem iam non ſentiat. Proprie Plautus in Pſeud. Plagis coſtae callent. Ad animum hic Cicero trāſtulit, ad ſtomachum autem ep. 2. lib. ix. Diuturna conſuetudo callum iam obduxit ſtomacho meo. Dicimus, &, Occalleo, ſimpliciter, ut ad Att. ep. 18. lib. 2. Angor equidem, ſed iam prorſus occallui. Minoris} quam illa, quae ſunt erepta. An . illivs *uicem, credo, doles?*} an doles id, quod illi contigit? uerbum enim, uicem, hoc uidetur ſignificare, ubi cum uerbo, doleo, coniungitur. ad Att. ep. 6. lib. iv. Illius uicem minime dolemus. Alibi aliter accipitur, ut ep. 9. lib. i. Noſtram uicem ultus eſt ipſe ſeſe. pro, ultus eſt ipſe iniurias nobis illatas: quod ipſi facere debuimus. Credo,} ironia: quaſi credendum minime ſit, ob ea, quae ſequuntur. nec abeſt indignationis quaedam uis, cum haec duo coniunguntur, An credo, quod enim per interrogationem pronunciatur, in eo ſimplex ironia non eſt. ſic Lucretius:

An, credo, in tenebris uita, ac maerore iacebat?

Legi etiam poſſet ſimplici ironia: At illius uicem, credo, doles. Et . tv . veneris, *& nos ſaepe incidimus*,} apparet modeſtia Sulpicij, qui Ciceroni plus, quam ipſe ſibi, tribuat. nam in, Veneris, ratio; in Incideris, caſus eſt. neceſſe, inquit, eſt, pro tua prudentia, in eam cogitationem ſaepe ueneris, in quam nos quoque ſaepe incidimus. hoc non pendet ab eo, Neceſſe eſt, ſed per ſe conſiſtit, interpoſitum, ut ſe quoque incidere in eam cogitationem Sulpicius oſtenderet. Quod quia parum eſt animaduerſum, propterea legendum alij putarunt, Vt, pro, Et; contra ueteres omnes libros, quos quidem ego inſpexerim: multis autem, amicorum ſtudio & benignitate, nunc utor. Non *peſſime cum ijs eſſe actum*,} peſsime ijs non eueniſſe. In Laelio: Cum Scipione, quis neget, actum eſſe praeclare? Mortem *cum uita commutare*.} notandum loquendi genus, Ciceroni, quod ſciam, non uſitatum. Sine *dolore*} exſtinctos naturali morte ſignificat: cum dolore enim moriuntur, quibus uita per uim eripitur. Cvm *aliquo adoleſcente primario coniuncta*,} diuortium cum Tullia fecerat Dolabella antequam pareret. quod cum ex hoc loco, tum ex ep. 18. lib. vi. in qua ſunt haec: Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus: ſed, cum ea, quemadmodum ſpero, ſatis firma ſit, teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam penſionem. Scripſit tamen ad Dolabellam ep. xi. lib. ix. de filiae morte cum amoris in eum ſignificatione non uulgari, ob eam cauſſam, opinor, quod temporis cauſſa, Caeſare dominante, apud quem gratioſus erat Dolabella, ſimulandum fuit. Notanda Pediani indiligentia, qui Tulliolam ſcripſit apud uirum ſuum P. Lentulum ex partu deceſsiſſe: cum neque Lentulus inter Ciceronis generos quiſquam fuerit; & illa, ut Sulpicij uerba oſtendunt, & ut ipſo teſte Cicerone probauimus, poſt diuortium perierit. Pareret,} pepererat: ſed infans obijt: de quo ſic Cicero ad Att. ep. 16. lib. x. Tullia mea peperit puerum ἑπταμηνιαῖον. quod εὐτόκησεν, gaudebam; quod quidem eſt natum, perimbecillum eſt. Alij legunt, Pararet. decem octo libri habent, Parerent: unus omnino, Pararet. mihi, Pareret, eſſe rectius, & librorum conſentientium auctoritas, & ſententia ipſa perſuaſit. Optandum, inquit, uidetur, ut filios pareret, quos aliquando cum florentes cerneret, laetaretur. Per . se} ſuo ſtudio, ſuaq. induſtria. Ordinatim} honorum hic erat ordo, quaeſtura, tribunatus pl. aedilitas, praetura, conſulatus, cenſura. inter quaeſturam & tribunatum, itemq. inter tribunatum, & aedilitatem annuum erat interuallum. aedilitatem, interpoſito biennio, praetura: praeturam, eodem interiecto ſpatio, conſulatus ſequebatur. cenſurae poſt conſulatum definitus annus non erat. Liberalitate} diſſentientibus antiquis libris, quorum alij, Liberalitatem, alij, Libertatem, habeant, ſententiam conſului; quae mihi, Liberalitate, probare magis uiſa eſt. quo nomine non largitio tantum, ſed officium quod libet, omniſq. benignitas indicatur, ut ep. 9. lib. i. in extremo: Ad tuam liberalitatem, qua te ſcio libentiſsime ſolere frui, pertinet, te ſine ulla mora prouinciam ſucceſſori concedere. Quamquam ex, Libertate, aliquid etiam elicio ſententiae: ut oſtendat Sulpicius, neminem amicis iam nauare operam, aut ſtudium poſſe, cum libertas omnibus adempta ſit. Vterentvr?} omnino hic diu me torſit anceps dubitatio: cum in octo ſcriptis libris, Vti, uiderem, non, Vterentur. nam, etſi non eſt, unde uerbum, Vti, commode pendeat; cum ab illo, Poſſent, interpoſita bonorum mentione diſiungatur: tamen, quia plurimi apud me ſolet eſſe ueterum exemplarium teſtimonium, haerebam, haeſiq. tamdiu, donec in libro perantiquo Caroli Sigonij, plane, & diſerte ſcriptum uidi, Vterentur. quod in hoc toto uerborum ordine, atque ambitu, locum habet aptiſsimum. Horvm} quae ſunt haec? nimirum, quae proxime nominauit, res a parente tradita, honores, amici. Ademptvm} ui, & iniuria bellorum ciuilium. ſupra: Cogita ea nobis erepta eſſe, quae hominibus non minus, quam liberi, cara eſſe debent, patriam, honeſtatem, dignitatem, honores omnes. Quid igitur, inquit, horum, quae adempta prius, quam data ſunt, ad uiuendum illam incitare potuit? At . vero *malum eſt, liberos amittere:*} artis eſt, ex aduerſarij perſona nobis obijcere, quod eius tueri cauſſam uideatur, nec tamen ad tuendum ſatis ualeat. adhibetur hoc genus, ubicumque diſputatur, in orationibus quidem frequentiſsime, in epiſtolis nonnumquam, ut Ciceronis ad Brutum, quem locum lib. iii. recitat Quinctilianus: Propoſitis plurimis, quae honeſte ſuaderi Caeſari poſſent; ſim ne bonus uir, ſi haec ſuadebam? minime. ſuaſoris enim eſt finis, utilitas eius, cui quiſque ſuadet. At recta ſunt. Quis negat? ſed non eſt ſemper rectis in ſuadendo locus. & ad Gallum, ep. 23. lib. vii. At pulchellae ſunt. Noui optime, & ſaepe uidi: nominatim tibi ſigna, mihi nota, mandaſſem, ſi probaſſem. In oratione autem pro Coelio: At enim poſtea ſcimus, & uidimus eſſe hunc in illius amicis. Quis negat? Ἀντεισαγωγὴ

Graece uocatur haec figura: cum difficile aliquid, & contrarium fateri cogimur: ſed contra inijcimus non minus firmum; qualia ſunt haec de Ptolomaeo rege apud Ciceronem. Difficilis ratio belli gerendi: at plena fidei, plena pietatis. Aquila de figuris. HAEC} quae cum patimur, iucunda eſſe uita non poteſt. EX ASIA} non quae tertia orbis terrarum pars eſt, ſed ea, in qua Attalus regnauerat, quam ab eo legatam poſſedit poſtea populus Romanus. AEGINA} inter Cyclades inſula nobiliſsima, ab Aegina, Aeaci matre, nominata, cum Oenopia uocaretur antea, teſte Ouidio lib. VII. Met. & Stephano. de hac Strabo, Plinius, Mela, alij. MEGARAM} ſitam urbem inter Peloponneſum, Atticam, & Boeotiam. PIRAEEVS,} Athenarum portus, quadringentarum nauium capax: opidum quoque eiuſdem nominis, quod L. Sulla, praefecto Mithridatis regis Archelao defendente, oppugnauit. uide Gellium lib. XV. cap. I. CORINTHVS:} Achaiae urbs opulentiſsima, quam L. Mummius euertit, anno urbis DCVI. Plutarchus, Velleius, alii. belli cauſſa fuit, quod legatos Romanos ſordibus Corinthij maculauerant. Strabo lib. 8. Cicero in oratione pro lege Man. OPIDA} urbes nobiliſsimas uocat Opida. Corinthum quidem totius Graeciae lumen appellat in oratione pro lege Manilia. & lib. I. de Diuin. modo urbem, modo opidum Pheras nominat. Ariſtoteles, inquit, ſcribit, Eudemum Cyprium Pheras ueniſſe; quae erat urbs in Theſſalia tum admodum nobilis: in eo igitur opido ita grauiter aegrum Eudemum fuiſſe, ut omnes medici diffiderent. DIRVTA} Corinthi quidem uix relictum ueſtigium, ait Cicero in Agraria 2. poſtea reſtitutam a Caeſare, Strabo narrat libro ultimo. NOS HOMVNCVLI} argumentum a maiori. nam, ſi opida intereunt; quis perire homines miretur? Priſcianus lib. III. Saepe inueniuntur deminutiuorum deminutiua in diuerſas deſinentia formas, ut homo, homuncio, homunculus, homullus, homullulus. SI QVIS *noſtrum interijt*,} Alijs placet, Noſtrorum: ut de propinquis dicatur. Sed mutare non eſt neceſſe. eodem enim ſententia redit, ſi, Noſtrum, legimus cum omnibus antiquis libris. nam, etſi de uniuerſo hominum genere dictum ſit, Si quis noſtrum interijt; pro, cum accidit, ut homo aliquis intereat: ad eos tamen homines referri, qui nobis cari ſunt, quis non intelligit? cari enim ſunt non omnes omnibus, ſed omnes ſuis: &, quia nemo fere eſt, qui carus alicui non ſit: ideo generatim recte Cicero dixit, quod deinde in partes diuiditur: Si quis noſtrum interijt, indignamur. CADAVERA} interitus opidorum eſt euerſio. apte igitur, Cadauera. COHIBERE,} uel, Cohibere, in timore mortis, nec uitam hanc magis, quam deceat, diligere; cum opida quoque eundem cum hominibus interitum exſpectent: uel, Cohibere, pro colligere: quod eſt, accurata cogitatione rationem perpendere: ut ep. 9. lib. I. Collegi ipſe me, & cum ipſa quaſi rep. ſum collocutus. HOMINEM *te eſſe natum*?} id eſt, eum, cui moriendi neceſsitas impendeat. unde illud Anaxagorae, nunciata filij morte, Sciebam me genuiſſe mortalem, Tuſc. 3. quo ſpectaſſe arbitror poetam illum, cum Telamonem, audita Aiacis filij nece, dicentem induxit: Ego, cum genui, moriturum ſciui. In eadem Tuſc. Et hic infra: Quoniam homo nata fuerat. MODO, *uno tempore, tot uiri clariſſimi*} emphaſim habent ſingula. Omitto, inquit, uetera. modo interitum uidiſti & uirorum, & clariſsimorum, & multorum, & uno tempore. cur angeris ob amiſſam unius mulierculae animulam, cui tamen, communi naturae lege, moriendum aliquando fuit? TANTA *deminutio*} non, quod ab imperio populi Romani gentes defecerint, ſed quod, ciuili bello, & uectigalium fructus, & maieſtas, ac uires etiam populi Romani, caeſis tot hominum millibus, imminutae ſint. OMNES *prouinciae*} Italia, cum Caeſar Pompeium eiecit: Hiſpania, cum Pompeij legatos & exercitum in ſuam poteſtatem redegit: Graecia, cum ipſum Pompeium deuicit: Aegyptus, unde uictoriam, non ſine uitae periculo, reportauit: Aſia, propter Pharnacem, Mithridatis regis filium, quem Caeſar, Alexandria reuertens, nullo negotio ſuperauit: Africa, in qua Scipionem, & Iubam regem uicit: Hiſpaniam rurſus, in qua hoc tempore Caeſar, conſul IV. aduerſus Pompeij liberos bellum gerebat. motum in Gallia fuiſſe nullum puto. CONQVASSATAE} impetu belli labefactatae, incommodis, & calamitatibus affectae. pro Sextio: Etiam exteras nationes illius anni furore conquaſſatas uidebamus. MVLIERCVLAE *animula*} deminutis nominibus iactura leuior oſtenditur. HOMO *nata*} nata, ut moreretur. morti enim homines debentur. paullo ante: Hominem te eſſe natum. Hominem, incerti ſexus Donatus dicit eſſe, cum illud Terentij in Eun. interpretatur: Inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt here, ſenem mulierem. Et Plautus in Ciſt. Hominis miſerae miſereri. Alij tamen aliter ſentiunt. ETIAM *tu ab hiſce rebus animum ad cogitationem tuam auoca:*} neſcio quo modo mendum huc irrepſerat, quod uulgatos omnes libros occupauit, ijs tantum exceptis, quos olim edidit pater meus, quem pro eximia conſeruandae antiquitatis cura laudare ſatis nemo poſsit. ac mutationem quidem eſſe factam, eo magis miror, quod omnes libri ueteres, quotquot umquam uiderim, habent, Ad cogitationem, non, Ac cogitationem, ut impreſsi. reſtituamus igitur ueritatem, uel negligentia, uel opinione corruptam. Fac, inquit Sulpicius, quod ego feci; qui cum opida, quondam florentiſsima, proſtrata, ac diruta uidiſſem, inde animum ad cogitandum auocaui, reprehendiq. communem errorem, quod indignamur, ſi quis noſtrum interijt, aut occiſus eſt, quorum uitae exiguos natura terminos circumſcripſit; cum uno loco tot opidum cadauera proiecta iaceant. haec me cogitatio ualde confirmauit. Etiam tu, cum tot uiri clariſsimi uno tempore perierint, imminutum ualde ſit imperium, prouinciae omnes conquaſſatae, ab hiſce rebus, ut ego ab opidorum excidio, ad cogitationem animum auoca; nec unius mulierculae tantopere commouearis interitu; ſed ea potius reminiſcere, quae digna tua perſona ſunt. Ad cogitationem tuam, dixit, pro ad eam cogitationem, quae ad te ipſum pertinet; cum illa, de tot uirorum clariſsimorum interitu, de imperij deminutione, de prouinciarum clade, non de ipſo proprie, ſed aliena cogitatio fuerit. ab hiſce igitur rebus ad cogitandum de te ipſo animum conuerte. AB HISCE *rebus*} quae te excruciant; cum in caede tot

uirorum

uirorum clariſsimorum, in imperio deminuto, prouincijs conquaſſatis, plus omnino damni, quam in unius mulierculae animula, factum ſit. T V A *perſona* } grauem enim perſonam ſuſtines, cum ampliſsimos magiſtratus eximia cum laude geſſeris. Videtur in uerbo, Perſona, honorificum quiddam ineſſe: ut lib. I. de Fin. Suſpicor fore, qui genus hoc ſcribendi, etſi ſit elegans, perſonae tamen, & dignitatis eſſe negent. Q V A M D I V *ei opus fuerat*, } non enim, cum reſp. occideret, opus fuit. P R A E T O R E M, *conſulem*, } magiſtratuũ alij maiores, alij minores uocabantur: maiores, praetor, conſul, cenſor. minores, reliqui. hic maiores duo nominantur, Praetura, & conſulatus. nam cenſuram Cicero non geſsit. Gellius lib. XIII. cap. 14. A V G V R E M } augur creatus eſt, ut ait Plutarchus, in locum P. Craſsi, a Parthis cum patre M. Craſſo interfecti: cum ab exſulio reſtitutus eſſet, antequam iret in prouinciam. nam antea ſacerdotium illud non appetiuerat: ut ipſe ad Catonem ſcripſit ep. 4. lib. XV. A D O L E S C E N T I B V S *primarijs* } tribus. nupſit enim primum C. Calpurnio Piſoni Frugi, ut eſt in ep. 2. lib. I. ad Att. deinde Furio Craſsipedi, de quo ep. 7. lib. I. ad Lentulum, & ep. 4. lib. 2. ad fratrem: quo mortuo, uel relicto, (nam neque de obitu eius, neque de diuortio conſtat) P. Cornelio Dolabellae collocata eſt, ut in ep. 12. lib. IIX. & ep. 16. lib. 2. & alibi. a Dolabella, ut iam diximus, dimiſſa, perijt ex partu. in quo notauimus olim Plutarchi, & Aſconij indiligentiam; qui duos tantum Ciceronis generos nominarunt, Piſonem, & Lentulum, in Lentuli etiam nomine peccantes. nam inter Ciceronis generos Lentulus nemo fuit. P R I M A R I I S } omnibus quidem patricij generis. patriciae enim gentes, & admodum antiquae, Calpurnia, Furia, Cornelia. C V M R E S P. *occideret, uita exceſſiſſe*. } Eandem ſententiam initio lib. 3. de Orat. cum de L. Craſsi morte loqueretur, conſolationis loco poſuit. Non uidit, inquit, flagrantem bello Italiam, non ardentem inuidia ſenatum, non ſceleris nefarij principes ciuitatis reos, non luctum filiae, non exſulium generi, non acerbiſsimam C. Marij fugam, non illam poſt reditum eius caedem omnium crudeliſsimam, non denique in omni genere deformatam eam ciuitatem, in qua ipſe florentiſsima multum omnibus gloria praeſtitiſſet. ut ille, qui haec non uidit, & uixiſſe cum rep. pariter, & cum illa ſimul exſtinctus eſſe uideatur. Et in libro de claris oratoribus opportuno tempore Hortenſium obijſſe oſtendit, appropinquante reip. interitu. Occidit, inquit, cum lugere facilius remp. poſſet, quam iuuare: uixitq. tam diu, quam licuit in ciuitate bene, beateq. uiuere. H O C *nomine* } hanc ob cauſſam, quod uita nunc exceſſerit. C I C E R O N E M *eſſe*, } multis iam clarum uirtutibus. uis maior eſt in ipſo nomine, quam ſi dixiſſet, Cogita qui ſis. tale illud ep. 7. lib. III. Appius Lentulo, Lentulus Appio proceſsit obuiam. Et ep. 2. ad Att. lib. V. Cum Hortenſius ueniret, & infirmus, & tam longe Hortenſius. Et ep. 2. ad Q. Fratrem lib. I. Cato adoleſcens, nullius conſilij, ſed tamen ciuis Romanus, & Cato. Et illud Caeſaris ad gubernatorem tempeſtati diffidentem: Caeſarem uehis. Lugere autem in funere, & in reliquis calamitatibus, quo quiſque nobilior & praeſtantior eſt uir, eo minus licet. itaque praeclare Ennius:

Plebes in hoc regi anteſtat loco: licet
Lacrumare plebi, regi honeſte non licet:

N E Q V E *imitari* } ita pendet hoc a uerbo, Noli, ut ex eo tamen eliciatur affirmatio: hoc modo: neque uelis imitari malos medicos. nam quaedam ex negatione, & affirmatione compoſita, ut, Nemo, ex non & homo, Nolo ex non & uolo, in prima ſententiae parte uim habent negandi, ut hic, Noli te obliuiſci Ciceronem eſſe: in ſecunda affirmant, ut, Neque imitari: quod ita regitur, ut diximus, a uerbo Noli, ut ſubaudiatur non ea pars, quae in eo uerbo negat, ſed ea tantum, quae affirmat. Sic & Cicero locutus ep. 30. lib. 2. Noli imprudens eſſe, nec mihi moleſtiam exhibere. nam particula, Nec, reſpicit ad Noli, ſic tamen, ut, Velis, eliciatur, quod in, Noli, incluſum eſt. Horatius quoque affirmationem ex, Nemo, eduxit in ijs uerſibus.

Qui fit Maecenas, ut nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus uiuat, laudet diuerſa ſequentes?

hoc enim, Laudet diuerſa ſequentes, cum referri neceſſe ſit ad, Nemo; tamen affirmate ſumi, plane conſtat. Q V A E *alijs tute praecipere ſoles, ea tute tibi ſubijce*, } ſic Cicero ad M. Brutum: Eſt alienum tanto uiro, ut es tu, quod alteri praeceperit, id ipſum facere non poſſe. L O N G I N Q V I T A S *temporis* } eadem ſententia alijs uerbis ep. 16. lib. V. & ep. 4. lib. VI. & ep. 28. lib. VII. Tale illud Philippidae: Ὁ κοινὸς ἰατρός σε θεραπεύσει χρόνος. & Menandri: Πάντων ἰατρὸς τῶν ἀναγκαίων κακῶν χρόνος ἐστίν. & Diphili: Λύπης δὲ πάσης γίνετ' ἰατρὸς χρόνος. & Philetae: Ἀλλ' ὅτ' ἂν χρόνος ἔλθῃ, ὅς ἐκ διὸς ἄλγεα πέσσειν. — Ἔλλαχεν, καὶ πενθέων φάρμακα μοῦνος ἔχει. S A P I E N T I A *occurrere*. } Impetret ratio, quod dies impetratura eſt, dixit ep. XI. lib. XII. ad Att. S I Q V I S *inferis ſenſus eſt*: } dubitat in eo, quod philoſophorum alij negauerant, alij crediderant potius, quam probauerant. Cicero in Catone maiore, Platonem ſecutus, reſidere in morte ſenſum putat: ep. 16. lib. XV. ita diſputat, quaſi ancipiti ſententia diſtrahatur. Iſocrates dubitauerat. nam in Euagora, Εἴτις, inquit, ἐστὶν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων. Et in Plataeenſium ſupplicatione: Εἴ τις ἄρα τοῖς ἐκεῖ φρόνησίς ἐστι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων. Et in oratione Aeginetica. Θρασύλοχος, ὁ πατὴρ ταύτης, ἡγοῖτ' ἂν δεινὰ πάσχειν, εἴ τις ἐστὶν αἴσθησις τοῖς τεθνεῶσι περὶ τῶν ἐνθάδε γινομένων, ὁρῶν τὴν μὲν θυγατέρα ἀποστερουμένην τῶν χρημάτων. Q V I I L L I V S *amor in te fuit*, } notum loquendi genus: quod ualet, Pro amore in te ſuo. ep. 78. lib. XIII. Quae tua natura eſt. et ad Att. ep. 9. lib. VI. Quae tua prudentia, & temperantia eſt. Et ad eundem ep. 7. lib. VII. Quae tua eſt humanitas. & in ep. M. Bruti ad Ciceronem. P I E T A S *in omnes ſuos*, } dixi iam, Pietatis nomen plus omnino, quam amoris, ſignificare. ut in ep. 9. lib. I. perſpicue

X 2 cernitur,

cernitur. uſurpatur in deos, parentes, propinquos, optime de nobis meritos. REIP. *tempora,*} miſerrima, ob amiſſam libertatem. ALIORVM *uictoriam*} hoc dicit, quia paullo ante Caeſar Pompeij liberos in Hiſpania deuicerat. SI . HOC *unum propoſuero*, } ſic loquimur, cum ita nos aliquid dicturos eſſe oſtendimus, ut aliquid tamen praeponere uelimus. ep. 10. lib. XIII. Videor mihi, cum ſeparatim de probitate eius, & moribus dicturus fuiſſem, ſi prius cauſſam, cur eum tantopere diligerem, tibi expoſuiſſem. Et lib. 2. Off. Quoniam nonnumquam hoc ſubſidium neceſſarium eſt, quemadmodum eo ſit utendum, dicemus, ſi prius ijs de rebus, quae uirtuti propiores ſunt, dixerimus. Et in Phil. XIV. Ad litteras ueniam, quae ſunt a conſulibus, & propraetore miſſae: ſi pauca ante, quae ad ipſas litteras pertinent, dixero. Et in eo commentariolo, qui de optimo genere oratorum inſcribitur: Aggrediamur iam, quod ſuſcepimus, ſi prius expoſuerimus, quae cauſſa in iudicium deducta ſit. In Verrem lib. III. Haec dicentur alio loco: nunc proficiſcemur ad reliqua; ſi pauca erimus a uobis, iudices, deprecati. Et ibidem, infra: Omnes iniquitates, de quibus ante dixi, ſui quaeſtus cauſſa reperiſſe conuincam; ſi prius illud propugnaculum, quo contra meos omnes impetus uſurum ſe putant, ex defenſione eius deiecero. ADIPISCI. } Apiſci, placet alijs. non contemno antiquitatem, colo etiam, & obſeruo: ſed, Adipiſci, cur non retineam, cum omnes in eo mei ueteres libri, nullo diſcrepante, conſentiant? ONVS} ut ferre non queas, reſpexit ad id, quod proxime dixerat, Aeque ferre. HAEC VNA} in aduerſis conſtantia, & fortitudo. TRANQVILLIORE *eſſe animo* } ſic libri ſeptem antiqui: alij, Tranquilliorem. utrumque recte. PROVINCIA} Achaia: quae & Graecia dicta eſt. ep. 6. lib. VI. & Ptolemaeus. de tota Sulpicij Achaica iuriſdictione, uide, quae diximus ep. 12.

---

# Argumentum ep. 6.

*Reſpondet Sulpicio conſolanti, dolorem ſuum, lectis illius litteris, aliqua ex parte lenitum: ſed nemini umquam in eiuſmodi caſu aut plures, quam ſibi, dolendi cauſſas, aut grauiores fuiſſe: leuationem tamen ſibi fore maximam, ſi eius conſuetudine, ſermonibuſq. frui liceat.*

## *Cicero S. D: Sulpicio. 6.*

EGO *uero, Serui, uellem, ut ſcribis, in meo grauiſſimo caſu affuiſſes. quantum enim praeſens me adiuuare potueris & conſolando, & prope aeque dolendo, facile ex eo intelligo, quod, litteris tuis lectis, aliquantulum acquieui. nam & ea ſcripſiſti, quae leuare luctum poſſent; & in me conſolando, non mediocrem ipſe animi dolorem adhibuiſti. Seruius tamen tuus, omnibus officijs, quae illi tempori tribui potuerunt, declarauit, & quanti ipſe me faceret, & quam ſuum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cuius officia iucundiora ſcilicet ſaepe mihi fuerunt, numquam tamen gratiora. me autem non oratio tua ſolum, & ſocietas paene aegritudinis, ſed etiam auctoritas conſolatur. turpe enim eſſe exiſtimo, me non ita ferre caſum meum, ut tu, tali ſapientia praeditus, ferendum putas. ſed opprimor interdum, & uix reſiſto dolori: quod ea me ſolatia deficiunt, quae caeteris, quorum mihi exempla propono, ſimili in fortuna non defuerunt. nam & Q. Maximus, qui filium conſularem; clarum uirum, & magnis rebus geſtis, amiſit, & L. Paullus, qui duos ſeptem diebus, & ueſter Gallus, & M. Cato, qui ſummo ingenio, ſumma uirtute filium perdidit, ijs temporibus fuerunt, ut eorum tum ipſorum dignitas conſolaretur ea, quam ex rep. conſequebantur. mihi autem, amiſſis ornamentis ijs, quae ipſe commemoras, quaeq. eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud ſolatium, quod ereptum eſt. non amicorum negotijs, non reip. procuratione impediebantur cogitationes meae: nihil in foro agere libebat: adſpicere curiam non poteram. exiſtimabam id, quod erat, omnes me & induſtriae meae fructus, & fortunae perdidiſſe. ſed, cum cogitarem haec mihi tecum, & cum quibuſdam eſſe communia; & cum frangerem iam ipſe me, cogeremq. illa ferre toleranter: habebam quo confugerem, ubi conquieſcerem; cuius in ſermone, & ſuauitate omnes curas, doloresq. deponerem. nunc autem hoc tam graui uulnere etiam illa, quae conſenuiſſe uidebantur, recrudeſcunt. non enim, ut tum me a rep. maeſtum domus excipiebat, quae leuaret: ſic nunc, domo maerens, ad remp. confugere poſſum, ut in eius bonis acquieſcam. itaque & domo abſum, & foro: quod nec eum dolorem, quem a rep. capio, domus iam conſolari poteſt, nec domeſticum reſp. quo magis te exſpecto, teq. uidere quamprimum cupio. maior mihi leuatio afferri nulla poteſt, quam coniunctio conſuetudinis, ſermonumq. noſtrorum. quamquam ſperabam tuum aduentum (ſic enim audiebam) appropinquare, ego autem cum multis de cauſſis te exopto quamprimum uidere, tum etiam, ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum ſit hoc tempus, quod eſt totum ad unius uoluntatem accommodandum, & prudentis, & liberalis, &, ut perſpexiſſe mihi uideor, nec a me alieni, & tibi amiciſſimi. quod cum ita ſit; magnae tamen eſt deliberationis, quae ratio ſit ineunda nobis, non agendi aliquid, ſed illius conceſſu, & beneficio quieſcendi. Vale.*

# EXPLANATIO

EGO. VERO, *Serui, uellem*, } cum in reſcribendo amici conſilium, aut uoluntatem comprobamus, utimur ſimili principio: ad Curium, ep. 30. lib. VII. Ego uero iam te nec hortor, nec rogo, ut domum redeas: quin hinc ipſe euolare cupio. Ad Varronem, ep. 5. lib. IX. Mihi uero, ad nonas, bene maturum uidetur fore. Ad Tironem, ep. 12. & 22. lib. XVI. Ad Att. ep. 40. 42. lib. XIII. & ep. 3. lib. XVI. EA SCRIPSISTI, } quod prudentiae, & doctrinae fuit. DOLOREM *adhibuiſti*. } quod humanitatis, & amoris. ILLI *tempori* } illi calamitati: ut ep. 9. lib. I. Habui non temporum ſolum rationem meorum, ſed etiam naturae. Et ibidem, paullo poſt: Scripſi tres libros de temporibus meis. TIBI *gratum* } eadem fere ſententia clauſit epiſtolam tertiam. IVCVNDIORA } iucunditati locus non eſt in rebus miſeris. nec fere iucundum quidquam, quod non idem gratum: grata uero multa, non eadem iucunda. ep. 18. lib. XIII. Tale iudicium tuum non poteſt mihi non ſumme eſſe iucundum. quod cum ita ſit, eſſe gratum neceſſe eſt. ep. 15. lib. V. Gratus, & optatus amor tuus: dicerem, iucundus, niſi id uerbum in omne tempus perdidiſſem. Similiter ep. 15. lib. I. ad Att. Fuit mihi ſaepe & laudis noſtrae commemoratio iucunda, & timoris conſolatio grata. et ep. 20. lib. III. ad eundem: Auunculum tuum officio functum eſſe, probo: gaudere me tum dicam, ſi mihi hoc uerbo licebit uti. Ibidem, ep. 24. Iſta ueritas, etiamſi iucunda non eſt, mihi tamen grata eſt. AEGRITVDINIS, } Vt Aegrotatio in corpore, ſic Aegritudo in animo, nomen habet. Tuſc. 4. & ibidem: Praeclare noſtri moleſtiam, ſollicitudinem, angorem, propter ſimilitudinem corporum aegrorum, Aegritudinem nominauerunt. NON. ORATIO *tua ſolum, & ſocietas paene aegritudinis, ſed etiam auctoritas* } tria conſolantur, rationes ad minuendum luctum aptae; dolor eius ipſius, qui conſolatur; auctoritas demum ſapientis, & clari uiri, quae rationibus uim, & pondus addat. rationes, & auctoritatem attigit in ep. ad Brutum, hoc modo: Me quidem cum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua a nimio maerore deterruit. Et ibidem proxime: Iudicium tuum magni aeſtimans, idq. ueritus, me ipſe collegi, & ea, quae didiceram, legeram, acceperam, grauiora duxi, tua auctoritate addita. Q. MAXIMVS. } Quos hic nominat, eoſdem, & alios praeterea, ut exemplo multorum ſedaret luctum ſuum, in eo libro collegit, quem, De conſolatione ad ſe ipſum, inſcripſit. legimus enim haec in Epithaphio Nepotiani, apud Diuum Hieronymum: L. Paullus ſeptem diebus inter duorum exſequias filiorum triumphans urbem ingreſſus eſt. Praetermitto Maximos, Catones, Gallos, Piſones, Brutos, Scaeuolas, Metellos, Marcios, Craſſos, Marcellos, atque Aufidios; quorum non minor in luctu, quam in bellis, uirtus fuit; & quorum orbitates in Conſolationis libro Tullius explicauit. In tertia Tuſculana Gallum nō nominat. Qualis, inquit, Q. Maximus fuit, efferens filium conſularem: qualis L. Paullus, duobus paucis diebus filijs amiſsis: qualis M. Cato, praetore deſignato, mortuo filio: quales reliqui, quos in Conſolatione collegimus. Q. Maximus eſt ille Fabius, qui rem Romanam ſecundo Punico bello, ſuperiorum ducum temeritate euerſam, cunctando reſtituit: de quo Ennius,

Vnus, qui nobis cunctando reſtituit rem.

quem uerſum Virgilius uſurpauit lib. VI. etſi Maximi cognomen ab auo, Q. Fabio Rulliano, accepit, ut ex Liuio, & Valerio conſtat: tamen cum, Q. Maximus, legitur, non ille Rullianus, ſed hic Verrucoſſus ſignificatur, ut in libro de Sen. Multa in eo uiro praeclara: ſed nihil eſt admirabilius, quam quo modo ille mortem Marci filij tulit, clari uiri, & conſularis. MAGNIS *rebus geſtis*, } quarum illa fuit maxima, quod Hannibalem iuueniliter exſultantem patientia ſua molliuit. Arpes quoque recepit: quod opidum Hannibalis praeſidio tenebatur. L. PAVLLVS, } Aemilius, qui Macedoniam, uicto rege Perſa, ad imperium adiunxit, intulitq. ex praeda in aerarium bis millies centies H-S, ut ait Velleius, ideſt ſexagies tricies centena millia ſcutatorum. DVOS *ſeptem diebus*, } patet hiſtoria apud Plutarchum, Liuium lib. XLV. Velleium lib. I. & alios. VESTER *Gallus*, } qui Sulpiciae gentis. fortaſſe, cum hic Cicero conſularium uirorum exemplis uti uideatur, hic eſt C. Sulpicius Gallus, qui conſul deuicit Ligures, anno urbis DXXCVII. de quo ſic in Laelio: Memineram Paullum, uideram Caium: ſed hi nec comparantur Catoni. Et paullo poſt: Viros bonos numeremus Paullos, Catones, Caios, Scipiones, Philos. Et infra ibidem: Hac nos adoleſcentes beneuolentia ſenes illos, L. Paullum, M. Catonem, C. Gallum, P. Naſicam, Ti. Gracchum dileximus. M. CATO, } ille Cenſorius, & bellicis rebus, & doctrina clarus. FILIVM } de quo ſic in libro de ſenectute Cato ipſe loquitur: O praeclarum illum diem, cum in illud animorum concilium, coetumq. proficiſcar; & cum ex hac turba, & colluuione diſcedam. proficiſcar enim non ad eos ſolum uiros, de quibus ante dixi, ſed etiam ad Catonem meum: quo nemo uir melior natus eſt, nemo pietate praeſtantior: cuius a me corpus crematum eſt: quod contra decuit ab illo meum: animus uero non me deſerens, ſed reſpectans, in ea profecto loca diſceſsit, quo mihi ipſe cernebam eſſe ueniendum. quem ego meum caſum fortiter ferre uiſus ſum, non quod aequo animo ferrem: ſed me ipſe conſolabar, exiſtimans non longinquum inter nos digreſſum, & diſceſſum fore. Plutarchus ait a patre uirum optimum in eius libris appellari ſolitum: nec ab eo, ſed a Salonino Catone, quem e Salonij ſcribae filia, poſt obitum prioris uxoris, cenſorius Cato ſuſceperat, originem duxiſſe Catonem illum, qui ſe Vticae interfecit. quod Gellius confirmat lib. III. cap. 19. ADSPICERE *curiam non poteram*. } Curia, templum, aedes ſacra, diuerſa eſſe poſſunt. nam curiae, ut ait Varro, duorum generum; eae, in quibus ſacerdotes res diuinas curabant, a Romulo inſtitutae; & eae, ubi ſenatus humanas, ut curia Hoſtilia: quae neque templum fuit, niſi poſtquam per auguria conſtituta eſt; neque aedes ſacra, quia

nulli

nulli deo dicata. ſed, cum ſenatusconſulta non niſi locis per auguria conſtitutis, quae templa uocabant, haberi poſſent: propterea & curia Hoſtilia, & Pompeia, & Iulia quoque, cum profanae fuiſſent, per auguria conſtitutae ſunt. quod a Varrone proditum indicat Gellius lib. XIV. cap. 7. Eadem ratione templum ab aede ſacra diſtat. nam templum per ſe auguratum eſt, non ſanctum: aedes uero ſacra per ſe ſancta, non augurata, ut aedes Veſtae: ſed, ſi augurio conſtituitur, ut multae, quod ait Varro; tunc & ſancta, & augurata eſt, ideoq. & curia, & templum. Roſtra in foro ſaepe templa nominantur, quod augurato conſtituta: quae tamen neque aedem ſacram, neque curiam fuiſſe, ſatis conſtat. INDVSTRIAE *meae fructus,*} induſtriae fructus erat, prodeſſe amicis in foro, reip. in curia. FORTVNAE } quis eſt hic fortunae locus? fortaſſe, quia fortuna induſtriam adiuuat. FRANGEREM *ipſe me,*} illata animo ui, ut illa grauiſsima toleranter tamen ferret. CONSENVISSE} nihil muto, ne diſſentiam ſine cauſſa ab omnibus antiquis libris, quos quidem adhuc uiderim. nec uidetur obſcura ſententia. Illa, inquit, quae me grauiter affecerant, conſenuiſſe iam uidebantur: nam uetuſtas dolorem ſedat: nunc eadem, hoc tam graui uulnere, recrudeſcunt. Metaphora eſt ab ijs morbis, qui licet uetuſtate non omnino tollantur, quotidie tamen ex conſuetudine leuiores fieri uidentur. non enim ſublata ea mala Cicero ſignificat, ſed animum ſuum diuturnitate tanquam occalluiſſe, ut aliquanto minus ea ſentiret: nunc autem ueterem ſibi acerbitatem nouo eſſe uulnere renouatam. Accedit eiuſdem Ciceronis teſtimonium. nam ep. 26. lib. VII. Seneſcentis, ait, morbi remiſsio. Sic Seneſcere laus, alibi dixit. ET. DOMO *abſum, & foro:*} erat igitur in agris. IN. EIVS. BONIS } quae nunc nulla ſunt. LEVATIO} Ratio, mei ueteres libri omnes: quod ſententia non caret. Aliorum tamen coniectura non diſplicet. TIBI *amiciſsimi*} quia conſul Sulpicius M. Marcello collegae, Caeſari Gallias ante diem eripere conanti, reſtiterat, pacisq. ſemper auctor fuerat. ep. 1. & 3. & Suetonius. amiciſsimus etiam Sulpicio Caeſar, quia ſuis in praeſidijs eius filius ciuili bello fuerat ep. 17. & 18. lib. IX. ad Att. & 3. lib. 10. ad eundem.

---

# Argumentum ep. 7.

*VIctis in Theſſalia Pompeij partibus, diuerſum a reliquis Pompeianis M. Marcellus conſilium cepit. nam neque ad Caeſarem uictorem ſupplex uoluit accedere; quod fortis animi fuit: neque ſe ad eos adiunxit, qui bellum in Africa renouandum putarunt; arbitratus, cum integri pares non fuiſſent, fractos ſuperiores eſſe non poſſe. quod ab eo factum ſapienter, belli exitus declarauit. locum igitur bello uacuum Marcellus delegit, ubi, tamquam in exſulio, procul a patria ſeruiente, in qua nihil iam leges, nihil mos maiorum ualeret, procul ab armis, in quibus uictoriae ſpes nulla, exitium eſſet exploratum, ſibi ipſe uiueret. quod conſilium in hac epiſtola nec probat Cicero, cum ipſe, profligatis Pompeij partibus, in Italiam ſtatim redierit; neque reprehendit, ne uirum grauem, hominem ſibi amiciſsimum, imprudentiae damnare uideatur. utitur igitur uia quadam, & ita Marcelli factum laudat, ut modum in eo requirat. ad perſuadendum colligit haec: poſſe Marcellum, ſi Romam redeat, nullo negotio fortunas ſuas obtinere: ſe quoque, cum in eadem eſſet cauſſa, ad Caeſaris clementiam confugiſſe, ueniamq. impetraſſe: inimico Caeſare, Marcellum nuſquam fore tutum; amico, debere illum Rhodo, & Mitylenis Romam anteponere; idem omnes, qui eum diligant, ſentire: habendam etiam rei familiaris rationem, quae ut, ipſo praeſente, facile conſeruari, ſic, abſente, diripi, ac diſsipari poſsit. Commemorat Marcelli fratris lacrumas, & dolorem ſuum: gratia ſe non abundare, ſed ad omnia, quae poſsit, paratum eſſe demonſtrat. Tota moralis eſt epiſtola. C. Caeſare III. M. Lepido cos. poſt bellum Africanum.*

Cicero

## *Cicero S. D. M. Marcello.* 7.

ETSI *eo te adhuc conſilio uſum intelligo, ut id reprehendere non audeam; non quin ab eo ipſe diſſentiam; ſed quod ea te ſapientia eſſe iudicem, ut meum conſilium non anteponam tuo: tamen & amicitiae noſtrae uetuſtas, & tua ſumma erga me beneuolentia, quae mihi iam a pueritia tua cognita eſt, me hortata eſt, ut ea ſcriberem ad te, quae & ſaluti tuae conducere arbitrarer, & non aliena eſſe ducerem a dignitate. Ego, eum te eſſe, qui horum malorum initia multo ante uideris, conſulatum magnificentiſſime, atque optime geſſeris, praeclare memini. ſed idem etiam illa uidi, neque te conſilium ciuilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeij, nec genus exercitus probare, ſemperq. ſumme diffidere. qua in ſententia me quoque fuiſſe, memoria tenere te arbitror. itaque neque tu multum interfuiſti rebus gerendis; & ego id ſemper egi, ne intereſſem. non enim ijs rebus pugnabamus, quibus ualere poteramus, conſilio, auctoritate, cauſſa, quae erant in nobis ſuperiora; ſed lacertis, & uiribus, quibus pares non eramus. uicti ſumus igitur; aut, ſi uinci dignitas non poteſt, fracti certe, & abiecti. in quo tuum conſilium nemo poteſt non maxime laudare, quod cum ſpe uincendi ſimul abieciſti certandi etiam cupiditatem; oſtendiſtique, ſapientem, & bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum ſuſcipere, extrema libenter non perſequi. Qui non idem conſilium, quod tu, ſecuti ſunt; eos uideo in duo genera eſſe diſtractos. aut enim renouare bellum conati ſunt, hiq. ſe in Africam contulerunt; aut, quemadmodum nos, uictori ſeſe crediderunt. medium quoddam tuum conſilium fuit, qui hoc fortaſſe humilis animi duceres, illud pertinacis. fateor, a pleriſque, uel dicam ab omnibus, ſapiens tuum conſilium, a multis etiam magni, ac fortis animi iudicatum: ſed habet iſta ratio, ut mihi quidem uidetur, quendam modum; praeſertim cum tibi nihil deeſſe arbitrarer ad tuas fortunas omnes obtinendas, praeter uoluntatem. ſic enim intellexi, nihil aliud eſſe, quod dubitationem afferret ei, penes quem eſt poteſtas, niſi quod uereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. de quo quid ſentiam, nihil attinet dicere; cum appareat, ipſe quid fecerim. ſed tamen, ſi iam ita conſtituiſſes, ut abeſſe perpetuo malles, quam ea, quae nolles, uidere: tamen id cogitare deberes, ubicumque eſſes, te fore in eius ipſius, quem fugeres, poteſtate. qui ſi facile paſſurus eſſet, te, carentem patria, et fortunis tuis, quiete, & libere uiuere: cogitandum tibi tamen eſſet, Romae ne & domi tuae, cuiuſmodi res eſſet, an Mitylenis, aut Rhodi malles uiuere. ſed, cum ita late pateat eius poteſtas, quem ueremur, ut terrarum orbem complexa ſit: non ne mauis ſine periculo tuae domi eſſe, quam cum periculo alienae? equidem, etiam ſi oppetenda mors eſſet, domi, atque in patria mallem, quam in externis, atque alienis locis. hoc idem omnes, qui te diligunt, ſentiunt; quorum eſt magna pro tuis maximis, clariſſimisq. uirtutibus multitudo. Habemus etiam rationem rei familiaris tuae, quam diſſipari nolumus. nam, etſi nullam poteſt accipere iniuriam; quae futura perpetua ſit; propterea quod neque is, qui tenet remp. pateretur, neque ipſa reſp. tamen impetum praedonum in tuas fortunas fieri nolo. ij autem qui eſſent, auderem ſcribere, niſi te intelligere confiderem. Hic te unius ſollicitudines, unius etiam multae, & aſſiduae lacrumae C. Marcelli, fratris optimi, deprecantur. nos cura, et dolore proximi ſumus, precibus tardiores, quod ius adeundi, cum ipſi deprecatore eguerimus, non habemus. gratia tantum poſſumus, quantum uicti: ſed tamen conſilio, ſtudio Marcello non deſumus: a tuis reliquis non adhibemur: ad omnia parati ſumus. Vale.*

## EXPLANATIO

ETSI. EO. TE *adhuc conſilio uſum intelligo,*} monendi partes qui ſuſcipit, uitare debet uitium arrogantiae. ideo capit initium Cicero a laude Marcelli. Porro, quia facilius impetrat amicus, quam alienus; mentionem induxit ueteris amicitiae. NON. QVIN *ab eo diſſentiam;*} non enim eo, quo Marcellus, conſilio uſus erat; quippe qui, poſt Pharſalicam pugnam, deſperatis rebus Brundiſium ſe contulit. infra, De quo, inquit, quid ſentiam, nihil attinet dicere; cum appareat, ipſe quid fecerim. NON *anteponam*} captat beneuolentiam a moleſtia ſua, & a Marcelli laude. NON *aliena a dignitate.*} hoc addit, quia, Romae uiuere, cum unius uoluntas pro legibus eſſet, contra dignitatem Marcellus exiſtimabat. potius tamen pro tuenda ſalute, fortunisq. conſeruandis, quam pro dignitate, rationes adducuntur. niſi ſi ad dignitatem illud pertinet: ſi per Caeſarem liceat in alienis etiam locis quiete, ac libere uiuere, cogitandum tamen eſſe, Romae ne potius, & domi, an Mitylenis, & Rhodi uiuendum eſſe uideatur. EGO, *eum te eſſe,*} aggreditur probare, ſatis iam officio Marcellum feciſſe: ut oſtendat, debere eum aliquando cum ſuis in patria uiuere. MVLTO *ante*} itaque Caeſaris potentiam, adempta ei prouincia, minuere conatus eſt. in quo Sulpicium collegam habuit aduerſarium. Suetonius, & ep. 3. ad Att. lib. IIX. ITA. GERENDI,} quod urbem Pompeius primum, deinde Italiam, ſtulto conſilio deſeruit. hoc in epiſtolis ad Att. ſaepe accuſat Cicero. atque etiam ep. XI. lib. XVI. ad Tironem, Vrbem, inquit, reliquimus; quam ſapienter, aut quam fortiter, nihil attinet diſputare. COPIAS} militum numerum: quem cum, ante Caeſaris aduentum, maximum promiſiſſet, Caeſaris aduentu nunciato, paratum exercitum non habuit: ex quo Fauonij uox illa, Nunc, Pompei, terram pede percute: quia promiſerat, ubi terram pede percuſsiſſet, ilico futurum, ut adeſſent ingentes peditum, equitumq. copiae. quod poſtea non praeſtitit. ep. 3. lib. VII. Neque magnas copias, neque bellicoſas. GENVS *exercitus*} ex tironibus magna ex parte collectum. ep. 3. lib. VII. Signa, inquit, tirone, & collecticio exercitu cum robuſtiſsimis legionibus contulit.

tulit. QVA . IN *ſententia me quoque fuiſſe,*} confirmat idem in oratione pro Marcello : Noſtri, inquit, ſenſus ut in pace ſemper, ſic in bello congruebant. NE *intereſſem.*} cum bellum ſuſciperetur. ideo dixit ep. 6. lib. VI. Suſceptum bellum eſt, quieſcente me; depulſum ex Italia, manente me, quoad potui. Et ep. XI. lib. XVI. Ego adhuc orae maritimae praeſum a Formijs. nullum maius negotium ſuſcipere uolui. & ep. XI. ad Att. lib. VII. CONSILIO, *auctoritate,*} eandem ſententiam alijs uerbis enunciauit ep. I. lib. VI. CVM . SPE *uincendi*} idem alijs uerbis ep. 3. lib. VII. Non putaui, inquit, cum integri pares non fuiſſemus, fractos ſuperiores fore. SAPIENTEM, *& bonum*} bonũ, quia bellum ciuile pro ſalute, ad dignitatem patriae ſuſcipiat; ſapientem, quia inuitus: cum exitus uictoriae maxime ſit incertus. EXTREMA *libenter non perſequi.*} ut ij, qui ſe in Africam contulerunt. Scipionem, Catonem, Labienum, aliosq. ſignificat. quos neque Marcellus, neque Cicero ſecuti ſunt. ep. 6. lib. IX. IN AFRICAM} ad Iubam regem, qui, Curione, Caeſarianarum partium duce, interfecto, equitatum firmiſsimum, & elephantos plurimos habebat. ideo ſtultitiam eorum, qui ad beſtiarum auxilium confugerant, carpit Cicero in ep. 6. lib. IX. MEDIVM} ut neque bellum renouares, neque Romam redires, ſed in opidum liberum, & ab armis remotum, te reciperes. VT . MIHI *quidem uidetur,*} hoc interpoſuit modeſtiae cauſſa, ne Marcelli conſilium plane reprehendere uideatur. FORTVNAS} ueritus, ne, praeter alias cauſſas, hoc etiam nomine Marcellus exſulare ſtatuiſſet, quod fortunarum ſuarum incolumitatem deſperaret, optime Caeſarem in eum eſſe animatum ſignificat, nec dubitandum, quin ſuas fortunas obtinere poſsit. PENES *quem eſt poteſtas,*} qui remp. tenet, dixit paullo poſt: Qui locus hoc dominatu uacat? &, Qui omnia tenet, in epiſtola ſequenti: Ad quem delata ſunt omnia, ep. 9. Qui plurimum poteſt, ep. 13. Qui rerum potiuntur, ep. 8. lib. I. BENEFICIVM *non putares.*} latenter ſignificat, ſi Marcellus, ut multi, ueniam a Caeſare uelit petere, eius fortunas omnes fore ſaluas. quod ut faciat, aperte non hortatur; ne magni animi uirum offendat: hortationis autem loco, prudenter ſubiungit illud: De quo quid ſentiam, nihil attinet dicere; cum appareat, ipſe quid fecerim. Poſt Pharſalicam enim pugnam, Caeſar & Ciceroni, & alijs ignouerat. COGITANDVM *tibi tamen eſſet,*} primum argumentum ſumpſit a fortunarum ſpe, alterum ab exemplo ſui facti, tertium a Caeſaris poteſtate quartum hic ſubiungit ab honeſtate. nam, ut Mitylenis, aut Rhodi uiuere aeque ac Romae tutum ſit, certe honeſtius in patria tua. Verbum autem, Cogitandum, ad honeſtum ſpectaſſe Ciceronem potius, quam ad iucundum, ſignificat: quamquam in epiſtola ſequenti, cum ſimili uteretur argumento, dixit, Qui locus eſt domeſtica ſede iucundior? quamquam ibi ſtatim de dignitate ſubiunxit. CVIVSMODI *res eſſet,*} quaecumque reſp. eſſet. quod ep. 9. expreſsit. MITYLENIS} quo ſe contulerat a Pharſalica pugna. in Bruto: Vidi enim Mitylenis uirum. Et Valerius Max. lib. IX. cap. XI. & Seneca in libro de Conſolatione ad Albinam. & hic ep. 3. lib. VII. VEREMVR,} minus eſt, quam, timemus: ualet enim: quem ne offendamus, ueremur. CVM *eius poteſtas orbem terrarum complexa ſit:*} in epiſtola ſequenti, Qui locus hoc dominatu uacat? ALIENAE?} minor enim in externis locis ad facinus uerecundia. ep. 9. ETIAM *ſi oppetenda mors eſſet,*} non modo Romae eſſe malim, cum in urbe minus, quam in externis locis, periculi eſſe uideam, ſed etiam ſi oppetenda mors eſſet. FVTVRA *perpetua*} in re tua familiari non perpetuam iniuriam, ſed repentinum aliquem, te abſente, praedonum impetum extimeſco. QVI . ESSENT,} Caeſarianos quoſdam, inſigni audacia, & fortaſſe egentes, deſignat. C. MARCELLI,} qui conſul fuerat poſt M. Marcellum anno proximo. FRATRIS *optimi,*} patruelis, ut ait Suetonius. TE . DEPRECANTVR.} tuam ſalutem a Caeſare precibus petunt. Deprecamur, uel cum expetimus aliquid, uel cum recuſamus. prior ſignificatio patet hic, & in oratione pro Marcello, Cum, inquit, M. Marcellum, deprecantibus uobis, conſeruauit. Et ad Cornificium ep. 24. lib. XII. Senatus legatos non ad pacem deprecandam, ſed ad bellum denunciandum miſerat, niſi legatorum nuncio paruiſſet. Alterius exemplum ſignificationis unum illud pro Balbo, cum ſuppetant multa, recitabimus: Quiddam de communi condicione omnium noſtrum, deprecandae maleuolentiae cauſſa, deprecandum uidetur. PRECIBVS *tardiores,*} hic locus oſtendit, C. Marcellum, etſi Caeſaris dignitatem, ut in Suetonio legimus, conſul oppugnauerat, ciuili tamen bello non interfuiſſe. alioqui deprecatore ipſe quoque eguiſſet: quod de ſe ipſo Cicero ſubiungit. DEPRECATORE} in primis pro eo deprecatus uidetur gener eius Dolabella. ep. 7. lib. XI. ad Att. in oratione tamen pro Marcello, ut ſeruiret praeſentis Caeſaris auribus, eiusq. gratiam humanitatis laude colligeret, ait ſe, nullo deprecante, reip. redditum. A . TVIS *reliquis*} a reliquis Marcellis. qui uidentur de Marcelli reditu non ualde laboraſſe. nam & in ſequenti epiſtola, Redeo, inquit, ad unum illud, me tuum fore cum tuis; ſi modo erunt tui. idq. Marcellus ipſe in ſuis litteris ſignificauit, in eo loco: In ſumma paucitate amicorum, propinquorum, ac neceſſariorum, qui uere meae ſaluti fauerent, te cupidiſsimum mei, ſingularemq. mihi beneuolentiam praeſtitiſſe cognoui. Quare interdum mihi uenit in mentem ſuſpicari, ne de his etiam loquatur, cum ſcripſit, Ii qui eſſent, auderem ſcribere, niſi te intelligere confiderem. NON *adhibemur:*} ad conſilium de tuo reditu capiendum. ep. 25. lib. X. Haec eadem locutus ſum domi meae, adhibito Quincto fratre meo, & Caecina, & Caluiſio. Et ep. 7. lib. XI. Cum adhibuiſſet domi meae Lupus me, et Libonem, & Seruium.

Argum-

## Argumentum ep. 8.

*PArtes huius epiſtolae ſunt tres. in prima laudat Cicero Marcelli pruden-tiam, & fortitudinem, ut eius uel monendi, uel confirmandi officium ideo uideatur omittere, quia neceſſarium non putet: in ſecunda ſe paratum ad omnia pollicetur: in tertia, ſtudet ei perſuadere, ut omnino, quicumque ſtatus reip. ſit, in patria uiuat.* *Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Marcello. 8.*

*NEQVE monere te audeo, praeſtanti prudentia uirum; nec confirmare, maximi animi hominem, uirumq. fortiſſimum; conſolari uero nullo modo. nam, ſi ea, quae acciderunt, ita fers, ut audio: gratulari magis uirtuti debeo, quam conſolari dolorem tuum. ſin te tanta mala reip. frangunt: non ita abundo ingenio, ut te conſoler, cum ipſe me non poſſim. Reliquum eſt igitur, ut tibi me in omni re eum praebeam, praeſtemque, ut ad omnia, quae tui uelint, ita adſim praeſto, ut me non ſolum omnia debere tua cauſſa, quae poſſum, ſed ea quoque, quae non poſſum, putent. Illud tamen uel tu me monuiſſe, uel cenſuiſſe puta, uel propter beneuolentiam tacere non potuiſſe; ut, quod ego facio, tu quoque animum inducas, ſi ſit aliqua reſp. in ea te eſſe oportere, iudicio omnium, req. principem, neceſſitate cedentem tempori; ſin autem nulla ſit, hunc tamen aptiſſimum eſſe etiam ad exſulandum locum. ſi enim libertatem ſequimur; qui locus hoc dominatu uacat? ſin qualemcumque locum; quis eſt domeſtica ſede iucundior? ſed, mihi crede, etiam is, qui omnia tenet, fauet ingenijs, nobilitatem uero, & dignitatem hominum, quantum ei res, & ipſius cauſſa cocedit, amplectitur. Sed plura, quam ſtatueram. redeo ergo ad unum illud, me tuum fore cum tuis, ſi modo erunt tui; ſin minus, me certe in omnibus rebus ſatis noſtrae coniunctioni, amoriq. facturum. Vale.*

## EXPLANATIO

HOMINEM, *uirumq.*} ſaepe utrunque coniungitur ad augendam laudem. nam, homo, commune nomen eſt: uir, proprium eorum, qui aliqua laude praeſtant. VIRTVTI} cuius eximia uis non in ſecundis, ſed in aduerſis rebus agnoſcitur. PRAEBEAM, *praeſtemq.*} multi enim ſe praebent, nec praeſtant. & in uerbo, Praebeo, ſpecies quaedam propenſi ad iuuandum animi; in Praeſto, res ipſa, & actio declaratur. ADSIM *praeſto,*} in uulgatis libris, Sim praeſto. ego, cum in antiquis omnibus, Adſim, uiderem; etſi ad ſententiam, utro modo legatur, parui refert; tamen, antiquitatis conſeruandae cauſſa, Adſim, malui. QVAE *poſſum,*} uereor, ne commenticium hoc ſit: nullo quidem in antiquo libro reperitur: & abeſſe poteſt. EA. QVOQVE,} mei ueteres omnes libri, uno tantum excepto, addunt, Etiam. nec diſplicet. augeri enim quodam modo ſententia uidetur, ſi, Etiam, auerſa ſemicircula nota a Quoque diſiungat, ut ſequentibus ſeruiat. PVTENT.} & hic aliquot non recenter ſcripti libri habent, Putem. VEL *cenſuiſſe*} correctione utitur, quia dixerat iam, Neque monere te audeo, praeſtanti prudentia uirum. REQ. *principem,*} qui principem dignitate, & auctoritate locum tenebis, neceſsitate, qua excuſantur actiones noſtrae, cedes tempori, cum ad unum Caeſarem referri omnia uidebis, & feres. in ep. ſequenti. AD. EXSVLANDVM} ſi Romae, ut in rep. ideſt ut in antiquo legum, ac morum optimorum domicilio eſſe non potes; ſis tamen ut in exſulio. HOC *dominatu uacat?*} cum eius poteſtas, quem ueremur, terrarum orbem complexa ſit. in ep. ſuperiore. SED, *mihi crede,*} quamquam, inquit, praeter iucunditatem, uolo te etiam de tua priſtina dignitate ſperare plurimum. FAVET *ingenijs,*} eandem rationem, cum Caecinam ſpe melioris fortunae conſolaretur, uſurpauit. Ingenijs, inquit, excellentibus, quale eſt tuum, mirifice delectatur. NOBILITATEM} a maioribus acceptam. DIGNITATEM} ipſius Marcelli. RES,} natura bellorum ciuilium, quae non concedit, ut uictor eos, qui contra arma tulerint, uehementer ornet. IPSIVS *cauſſa*} rationes eius, id, quod ad ipſum proprie pertinet. SI. MODO *erunt tui;*} quis non intelligit, carum ſuis Marcellum non fuiſſe? licet in obſcuro cauſſa ſit. ideo in epiſtola ſuperiore: A tuis reliquis non adhibemur.

---

# Argumentum ep. 9.

*ET hic refellere omnia conatur, quae reditum in patriam diſſuadere Marcello uidebantur. Non libenter uides ea, quae fiunt: at eadem audis quotidie, quae maiora etiam uideri ſolent. Acerbum putas, ſi cogitaris uel dicere, quod non ſentias, uel facere, quod non probes. eſto: neceſsitas excuſat. uerum nec loqui contra ſententiam ſuam quiſquam cogitur: & tacere plane licet. At unus omnia tenet. idem accidiſſet uictore Pompeio; qui etiam crudelior fuiſſet; ut ex praeteritis intelligitur. Laudem ex conſilio tuo conſecutus es. fateor. ſed huius quidem laudis partem ſibi aliquam fortuna uindicat; cuius beneficio factum eſt, ut honeſto otio tenueris & ſtatum, & famam dignitatis tuae. quod cum ita ſit, qui tibi ſecundam perpetuo fortunam praeſtare potes? habet igitur iſta ratio modum quendam. Si iucunditatem quaeris; qui locus domeſtica ſede iucundior, aut dulcior? Adſpectum patriae fugis, quia deformior eſt. miſerere potius, nec auge miſeriam eius abſentia tua. Magni animi laus te delectat: ideo ſupplex ad Caeſarem ire noluiſti. poteſt adſcribi ſuperbiae, ſi aſpernaris eiusdem liberalitatem. Nec tam ſapientia uidetur, carere patria ſeruiente, quam inhumanitas quaedam, non eius deſiderio teneri. Publica, inquis, re non fruar, cum ad unum delata omnia ſint. an ideo priuatam quoque contemnas? Quae ſi te non mouent, aut ſi tibi uita iſta uidetur eſſe commodior, ſuſcipe curam ſalutis tuae, nec eadem, quae commoda, ſimul tuta eſſe exiſtima. Moralis tota, ijsdem conſulibus.*

## *Cicero S. D. Marcello: 9.*

*ETSI perpaucis ante diebus dederam Q. Mucio litteras ad te pluribus uerbis ſcriptas, quibus declaraueram, quo te animo cenſerem eſſe oportere, & quid tibi faciendum arbitrarer: tamen, cum Theophilus, libertus tuus, proficiſceretur, cuius ego fidem erga te, beneuolentiamq. perſpexeram; ſine meis litteris eum ad te uenire nolui. Iiſdem igitur de rebus etiam atque etiam hortor, quibus ſuperioribus litteris hortatus ſum: ut in ea rep. quaecumque eſt, quamprimum uelis eſſe. multa uidebis fortaſſe, q  ae nolis; non plura tamen, quam audis quotidie. non eſt porro tuum, uno ſenſu ſolum oculorum moueri; cum illud idem auribus percipias, quod etiam maius uideri ſolet, minus laborare. At tibi ipſi dicendum erit aliquid, quod non ſentias; aut faciendum, quod non probes. Primum, TEMPORI cedere, id eſt neceſſitati parere, ſemper ſapientis eſt habitum. deinde, non habet, ut nunc quidem eſt:, id uitij res. dicere fortaſſe, quae ſentias, non licet; tacere plane licet. omnia enim delata ad unum ſunt. is utitur conſilio ne ſuorum quidem, ſed ſuo. quod non multo ſecus fieret, ſi is remp. teneret, quem ſecuti ſumus. an, qui in bello, cum omnium noſtrum coniunctum eſſe periculum ſuo cerneret, certorum hominum minime prudentium conſilio uteretur; eum magis communem cenſemus in uictoria futurum fuiſſe, quam incertis in rebus fuiſſet? & qui nec, te conſule, tuum ſapientiſſimum conſilium ſecutus eſſet; nec, fratre tuo conſulatum ex auctoritate tua gerente, uobis auctoribus uti uoluerit; nunc omnia tenentem, noſtras ſententias deſideraturum cenſes fuiſſe? OMNIA ſunt miſera in bellis ciuilibus: quae maiores noſtri ne ſemel quidem; noſtra aetas ſaepe iam ſenſit: ſed MISERIVS nihil, quam ipſa uictoria: quae, etiam ſi ad meliores uenit, tamen eos ipſos ferociores, impotentioresq. reddit: ut, etiam ſi natura tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur. MVLTA enim uictori eorum arbitrio, per quos uicit, etiam inuito facienda ſunt. An tu non uidebas mecum ſimul, quam illa crudelis eſſet futura uictoria? igitur tunc quoque patria careres, ne, quae nolles, uideres? non, inquies: ego enim ipſe tenerem opes, & dignitatem meam. at erat tuae uirtutis, in minimis res tuas ponere; de rep. uehementius laborare. Deinde, qui finis iſtius conſilij eſt? nam adhuc & factum tuum probatur,*

*&, ut*

*&, ut in tali re, etiam fortuna laudatur: factum, quod & initium belli neceſſario ſecutus ſis, & extrema ſapienter perſequi nolueris; fortuna, quod honeſto otio tenueris & ſtatum, & formam dignitatis tuae. nunc uero nec locus tibi ullus dulcior eſſe debet patria: nec eam diligere minus debes, quod deformior eſt, ſed miſereri potius; nec eam, multis claris uiris orbatam, priuare etiam aſpectu tuo. Denique, ſi fuit magni animi, non eſſe ſupplicem uictori: uide, ne ſuperbi ſit aſpernari eiuſdem liberalitatem: &, ſi ſapientis eſt carere patria, duri non deſiderare; &, ſi re publica non poſſis frui, ſtultum eſt nolle priuata. Caput illud eſt, ut, ſi iſta uita tibi commodior eſſe uideatur, cogitandum tamen ſit, ne tutior non ſit. magna gladiorum eſt licentia: ſed in externis locis minor etiam ad facinus uerecundia. mihi ſalus tua tantae curae eſt, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certe proximus ſim. Tuum eſt conſulere temporibus, & incolumitati, & uitae, & fortunis tuis. Vale.*

## EXPLANATIO

QVO . TE *animo cenſerem eſſe oportere*, } cum hortaretur Marcellum, ut omnino ſuam uoluntatem cum amicorum ſententia coniungeret, ac uiuere in patria mallet, quod Caeſar conceſſurus uidebatur, quam in externis, atque alienis locis. non enim de Caeſaris clementia, quae & in ep. 7. declaratur, ſed de Marcelli pertinacia dubitabat. QVAECVMQVE *eſt*, } ep. 7. Cuiusmodi res eſſet. CVM *illud idem auribus percipias*, } non eſt tuum, minus laborare, cum audias, quam cum uideas. QVOD *etiam maius uideri ſolet*, } contra in ep. 13. Nec audio ſolum, quod ipſum eſſet miſerum, ſed etiam id ipſum uideo, quo nihil eſt acerbius, eorum fortunas diſsipari. Et ad Torquatum, ep. 1. lib. VI. Oculi augent dolorem, nec auertere a miſerijs cogitationem ſinunt. Eſt enim hoc in oratoris artificio, ut eaſdem res temporis cauſſa modo oppugnet, modo defendat. propterea in illis ad Nigidium, ac Torquatum epiſtolis pro auribus contra oculos; in hac ad Marcellum, quem redire in urbem cupiebat, pro oculis contra aures argumentatur. TIBI *ipſi* } tibi praecipue ob nobilitatem, & dignitatem tuam. ep. 8. TEMPORI *cedere*, } ad Att. ep. 50. lib. XII. Temporibus parere, omnes πολιτικοὶ praecipiunt. VT . NVNC *quidem eſt*, } praeſentem rei ſtatum hoc loquendi genere ueteres oſtendebant: quaſi dicerent: quid futurum ſit, affirmare non licet: ſed, ut nunc quidem eſt, res ita ſe habet. ad Att. ep. 28. lib. XII. Quae ſi manebunt, quaerenda eſt excuſatio ad Brutum: &, ut nunc eſt, manſurae uidentur. Acad. lib. IV. Vt quidem ſe nunc cauſſa habet. Valet idem, Quo modo nunc eſt: quod ad Att. ſcripſit ep. 2. lib. XIII. NE . SVORVM *quidem*, } per quos uicit. quo aequius ferre debemus, ſi minus noſtro utatur. Hanc ſententiam plane comprobant ea, quae ſequuntur. CERTORVM *hominum* } Scipionem in primis, Pompei ſocerum, Domitium Ahenobarbum, L. Lentulum notat. ep. 2. lib. VI. Domitium, & Lentulum nominat. eoſdem ſignificat ep. 6. eiusdem libri. MINIME *prudentium* } cum tu bellum aliter gerendum cenſeres: ut in ep. 7. MAGIS *communem* } magis uſurum fuiſſe conſilijs noſtris. INCERTIS *in rebus* } cum incerta uictoria eſſet: cum bellum gereretur. SAPIENTISSIMVM *conſilium* } cum horum malorum initia & uideres, & cauere uelles. FRATRE *tuo* } qui conſul fuit cum Lentulo, anno primo ciuilis belli, biennio poſt Marcum conſulem. placet enim hoc dici de germano potius, quam de patruele fratre: quia ueriſimilius eſt, germanum, quam patruelem, conſulatum geſsiſſe ex Marci auctoritate: & Caeſar lib. I. bel. ci. Lentulum conſulem ut inimicum ſuum nominans, de Marcello collega nihil umquam tale dicit: contra, iniquum fuiſſe Caeſari fratrem Marci patruelem C. Marcellum, & ab eo traditas Pompeio duas legiones, Caeſari ereptas, docet Hirtius lib. IIX. bel. Gal. & Dio lib. XL. EX . AVCTORITATE *tua* } opinor C. Marcellum, de quo hic ſermo eſt, non admodum in conſulatu acerbum Caeſari fuiſſe. nam hic certe, ſtudioſos retinendae pacis duos fratres Marcellos fuiſſe, oſtenditur: quorum conſilia Pompeius neglexit. VOBIS *auctoribus* } tutam pacem exitioſo bello praeferentibus. DESIDERATVRVM } neglexiſſet potius, ut antea: id enim ueriſimilius. SAEPE } quater, contendentibus Sulla & Sulpicio, Cinna & Octauio, Sulla rurſus & Mario, Caeſare & Pompeio. Phil. 8. IPSA *uictoria*: } ep. 4. Ciuilibus bellis uictoria ſemper eſt inſolens. Et in oratione pro Marcello: Quoties ego eum uidi ferocitatem ipſius uictoriae extimeſcentem? EORVM *arbitrio, per quos uicit*, } eadem ſententia ep. 18. lib. XII. Ijs mos gerendus, quibus adiutoribus parta uictoria. ETIAM *inuito* } Caeſarem culpa liberat, ſi quid agat, quod bonis ciuibus non probetur. uide ep. 17. lib. IX. ILLA } Pompeianorum: quorum crudelitatem ſemper extimuit. infra ep. 14. Si uiciſſent ij, ad quos ego, pacis ſpe, non belli cupiditate adductus, acceſſeram; intelligebam tamen, & iratorum hominum, & cupidorum, & inſolentium quam crudelis eſſet futura uictoria. confirmat idem ep. 21. lib. V. & ep. 17. lib. IIX. & ep. 6. lib. IX. & ad Att. ep. 6. lib. XI. OPES, } dixi iam, Opum nomine, quidquid ualemus, totum ſignificari. DE . REP. } quam crudelis Pompeianorum uictoria, quietam, ac tranquillam eſſe non pateretur. QVI . FINIS *iſtius conſilij eſt?* } ep. 7. Habet iſta ratio modum quendam. VT . IN *tali re*, } quae laudari fortuna poteſt, libertate amiſſa? ſed, ut in tali re, fortuna etiam laudatur; quae ſimpliciter, hoc ſtatu rerum, laudari non poteſt. Corrigit ſententiam hic loquendi modus: ut ep. 3. lib. XV. Mihi, ut in eiuſmodi re, maxime curae eſt, ut, quae copijs & opibus tenere uix poſſumus, ea manſuetudine & continentia noſtra, ſociorum fidelitate teneamus. Simile illud in Bruto: Cliſthenem multum, ut temporibus, ualuiſſe dicendo. Et in Laelio: Multae etiam, ut in homine Romano, litterae. LAVDATVR: } optatur, non laudatur, fortuna: ſed hic Cicero uulgarem loquendi morem ſecutus eſt. NECESSARIO } non ſponte: nam boni ci-

ues bellum ciuile ſuſcipiunt inuiti. Sic ep. 7. Oſtendiſti, ſapientem, & bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum ſuſcipere, extrema non libenter perſequi. Cur autem neceſſario? quia, quibus in caſtris Pompeius, conſules, omneſq. fere magiſtratus eſſent, in ijſdem eſſe reſp. uideretur. EXTREMA *perſequi nolueris;*} quia ſe Mitylenas contulit, multis in Africam ad Iubam regem, belli renouandi ſpe, proficiſcentibus. HONESTO *otio*} Tacite ſignificat; non poſſe Marcellum eandem ſibi fortunam diu praeſtare; ſed, ſi ideo abſit, quia honeſto illo otio delectetur, ualde timendum, ne caſus aliquis eius conſilia perturbet. STATVM,} quod in eodem ſtatu permanſeris, nullam tibi fortuna uarietatem, ac mutationem attulerit. FAMAM *dignitatis*} cum quiete, & libere, honeſto otio, uiueres. quo tuae dignitatis fama conſeruabatur. nam & qui profecti in Africam ſunt, ſtatum ſuum non tenuere, uel in acie interfecti, uel incommoda, miſeriaſq. perpeſsi: & eorum, qui ſe uictori crediderunt, dignitas eſt imminuta. NVNC *uero*} cum iam ſatis a te factum ſit & boni ciuis officio, & dignitati tuae. DVLCIOR. PATRIA,} ep. 8. Quis locus eſt domeſtica ſede iucundior? DEFORMIOR} amiſsis ornamentis ſuis. MVLTIS *claris uiris*} conſularibus ſeptem, Pompeio, Bibulo, P. & L. Lentulis, Ap. Pulchro, Domitio Ahenobarbo, Scipione. NON. ISSE *ſupplicem uictori:*} uereor, ne quis hunc locum ex ingenio mutauerit. nam & uſitatius erat, Iſſe ſupplicem ad uictorem, quemadmodum ep. 4. Ad Caeſarem ſupplex accederet; & in meis omnibus antiquis libris non, Iſſe, ſed Eſſe, legitur. in uno tantum, Fuiſſe, ſcriptum uideo. ac mihi quidem uel, Eſſe, uel, Fuiſſe, magis placet, quam Iſſe. ASPERNARI *eiuſdem liberalitatem:*} ex hoc loco fieri coniectura poteſt de reditu Marcelli iam impetrato. ego tamen, non confectam rem, ſed optimam Caeſaris uoluntatem, & propenſam ad lenitatem naturam ſignificari puto. magis enim, ne Marcellus beneficium Caeſaris recuſaret, atque omnino redire nollet, quam ne Caeſar ſe difficilem ad ignoſcendum praeberet, uerebatur. quod etiam locus ille confirmat in ep. 7. Intellexi, nihil aliud eſſe, quod dubitationem afferret ei, penes quem eſt poteſtas, niſi quod uereretur, ne tu illud beneficium non putares. CARERE *patria,*} non omni patria, ſed hac, ob amiſſam libertatem miſerrima. CONSVLERE *temporibus,*} ea facere, quae temporum ratio, quae incolumitas, & uita, & fortunae tuae poſtulant. INCOLVMITATI,} latius patet, quam uitae nomen. nam incolumitate ſtatus rerum uniuerſus indicatur. Subiunxit autem, Vitae, & fortunis, ut, quae unico nomine comprehenderat, duobus exprimeret: quo magis, re ante oculos propoſita, Marcellus moueretur.

---

# Argumentum ep. 10.

*DEſiderari aliquot ad Marcellum epiſtolas, uel unam certe, quae reditum impetratum ſignificet, facile poſſum ſuſpicari. gratulatum enim Marcello Ciceronem, quod ei Caeſar ignouiſſet, atque oſtendiſſe quemadmodum acta res eſſet, indicat ipſius Marcelli, quae proxime ſequitur, epiſtola. Hic hortatur, ut reditum maturet; cum id ad rem eius familiarem ualde pertineat. Caeſare* IV. *cos. ſine collega.*

## *Cicero S. D. Marcello.* 10.

*ETSI nihil noui, quod ad te ſcriberem, habebam; magiſq. litteras tuas iam exſpectare incipiebam, uel te potius ipſum; tamen, cum Theophilus proficiſceretur, non potui nihil ei litterarum dare. Cura igitur, ut quamprimum uenias: uenies enim, mihi crede, exſpectatus, neque ſolum nobis, id eſt tuis, ſed prorſus omnibus. uenit enim mihi in mentem, ſubuereri interdum, ne te delectet tarda deceſsio. quod ſi nullum haberes ſenſum, niſi oculorum; prorſus tibi ignoſcerem, ſi quoſdam nolles uidere. ſed, cum leuiora non multo eſſent, quae audirentur, quam quae uiderentur; ſuſpicarer autem multum intereſſe rei familiaris tuae, te quamprimum uenire, idq. in omnes partes ualere: putaui ea de re te eſſe admonendum. ſed, quoniam, quod mihi placeret, oſtendi; reliqua tu pro tua prudentia conſiderabis. me tamen uelim, quod ad tempus te exſpectemus, certiorem facias. Vale.*

## EXPLANATIO

NIHIL. NOVI,} praeter id, quod ſcripſerat in ſuperioribus litteris, quae non exſtant; in quibus Marcello reditum gratulatus erat; ut ipſius Marcelli ſequentes litterae demonſtrant. THEOPHILVS} Marcelli libertus, qui & ante ad eum litteras attulerat. ep. 9. ex quo patet, has litteras aliquot poſt illas menſibus datas eſſe. TARDA *deceſſio.*} ut qui non admodum libenter in hanc remp. uenias. NISI *oculorum;*} tale illud in epiſtola ſuperiore: Non eſt porro tuum, uno ſenſu oculorum moueri.

REI

REI *familiaris* } quae, Marcello abſente, non diligenter ab eius procuratoribus adminiſtrabatur : uel quod timendum eſſet, ne in eam praedonum impetus fieret: quod ſcripſit ep. 7. IN . OMNES *partes* } ad omnia. ut ep. 6. lib. XI. ad Att. Brundiſij iacere, in omnes partes moleſtum. Et in epiſtola Vatinij, lib. V. Me tibi in omnes partes defendendum putes. Contrarium illud ep. 10. ad Att. lib. XIII. Hoc nullam ad partem ualet ſcilicet. RELIQVA } rationes, quae te ad celerem reditum hortentur. QVOD *ad tempus* } non, quoúſque, ſed, quo plane tempore. ſic ep. 5. lib. IX. Ad nonas, pro nonis.

---

## Argumentum ep. 11.

*DE ſuo reditu a Caeſare impetrato Marcellus e Ciceronis litteris cognouerat. nunc ſe commotum Ciceronis auctoritate, ad reditum magnopere cohortantis, excuſandi conſilium abieciſſe demonſtrat. quando tamen ſe daturus in uiam ſit, non ſignificat. Videtur haec epiſtola ante ſuperiorem fuiſſe collocanda. in hac enim ſcribit Marcellus, commotum ſe Ciceronis litteris in patriam eſſe rediturum: in illa Cicero, certiorem ſe de hoc Marcelli conſilio iam eſſe factum, oſtendit.*

### *Marcellus S. D. Ciceroni.* II.

PLVRIMVM *ualuiſſe apud me tuam ſemper auctoritatem, cum in omni re, tum in hoc maxime negotio, potes exiſtimare. cum mihi C. Marcellus frater, amantiſsimus mei, non ſolum conſilium daret, ſed precibus quoque me obſecraret; nō prius mihi perſuadere potuit, quam tuis eſt effectum litteris, ut uterer ueſtro potiſsimum conſilio. Res quemadmodum ſit acta, ueſtrae litterae mihi declarant. Gratulatio tua etſi eſt mihi probatiſsima, quod ab optimo ſit animo: tamen hoc multo iucundius eſt, & gratius, quod, in ſumma paucitate amicorum, propinquorum, ac neceſſariorum, qui uere meae ſaluti fauerent, te cupidiſſimum mei, ſingularemq. mihi beneuolentiam praeſtitiſſe cognoui. Reliqua ſunt eiuſmodi, quibus ego, quoniam haec erant tempora, facile, & aequo animo carebam: hoc uero eiuſmodi eſſe ſtatuo, ut ſine talium uirorum, & amicorum beneuolentia, neq. in aduerſa, neque in ſecunda fortuna quiſquam uiuere poſſit. itaque in hoc ego mihi gratulor. tu uero ut intelligas, homini amiciſsimo te tribuiſſe officium, re tibi praeſtabo. Vale.*

## EXPLANATIO

PLVRIMVM *ualuiſſe apud me* } quantum ex hac epiſtola licet conijcere, laudatam in libro de claris oratoribus Marcelli eloquentiam paullo plus, quam ueritas concederet, exiſtimo. nam, cum ei uerborum elegantiam, & copiam, & ſplendorem uocis, dignitatem motus Cicero tribuiſſet; adiunxit, nullam oratoris in eo uirtutem deſiderari. atque etiam ſibi ſimilem eſſe, oſtendit Bruti teſtimonio, quem loquentem inducit. Plurimum, lego cum omnibus antiquis libris. alij Plurimam: & cum inſcriptione coniungunt: ut ſit: Salutem plurimam. ad ſententiam utro modo legatur, nihil intereſt. ego ueteres libros libenter ſequor. VT . VTERER *ueſtro conſilio.* } ut in patriam, ſuadentibus uobis, redeundum putarem. RES *quemadmodum ſit acta,* } cum a Caeſare de reditu meo eſt impetratum. Hoc ex ep. 4. cognoſcitur. AB . OPTIMO *ſit animo:* } Facere gratulationem, & Cicero dixit ep. 2. lib. 4. ad Att. PROPINQVORVM, } quos Marcelli non ualde cupidos fuiſſe, indicat illud ep. 8. Si modo erunt tui. NECESSARIORVM, } diſtinguit ab amicis, & propinquis neceſſarios, qui ſunt artiore quadam beneuolentia deuincti. RELIQVA } praeter unum te, ſine quo neque in aduerſa, neque in ſecunda fortuna mihi uiuendum ſtatuo. VIRORVM, *& amicorum* } uirorum uirtute, amicorum beneuolentia carere non poſſum. IN . HOC } quod in ſumma amicorum, propinquorum, neceſſariorum paucitate, unum te mei cupidiſsimum cognoui.

---

## Argumentum ep. 12.

*MArcellum a Magio interfectum, ſuaq. erga mortuum officia ſignificat.*

## *Seruius S. D. Ciceroni.* 12.

ETSI *ſcio non iucundiſsimum me nuncium uobis allaturum: tamen, quoniam* CASVS, *& natura in bonis dominatur; uiſum eſt faciendum, quoquo modo res ſe haberet, uos certiores facere. Ad* X. *Kal. Iun. cum ab Epidauro Piraeeum naui aduectus eſſem, ibi Marcellum, collegam noſtrum, conueni; eumq. diem ibi conſumpſi, ut cum eo eſſem. poſtero die, cum ab eo digreſſus eſſem, eo conſilio, ut ab Athenis in Boeotiam irem, reliquamq. iuriſdictionem abſoluerem: ille, uti aiebat, ſupra Maleas in Italiam uerſus nauigaturus erat. poſtridie eius diei, cum ab Athenis proficiſci in animo haberem; circiter horam decimam noctis Poſtumius, familiaris eius, ad me uenit; & mihi nunciauit, M. Marcellum, collegam noſtrum, poſt cenae tempus a P. Magio Cilone, familiari eius, pugione percuſſum eſſe, & duo uulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem; ſperare tamen, eum uiuere poſſe: Magium ſe ipſum interfeciſſe: poſtea ſe a Marcello ad me miſſum eſſe, qui haec nunciaret, & rogaret, uti cogerem medicos. coegi; & e ueſtigio eo ſum profectus prima luce. cum non longe a Piraeeo abeſſem; puer Acidini mihi obuiam uenit cum codicillis; in quibus erat ſcriptum, paullo ante lucem Marcellum diem ſuum obijſſe. ita uir clariſſimus ab homine taeterrimo acerbiſſima morte eſt affectus; &, cui inimici propter dignitatem perpecerant, inuentus eſt amicus, qui ei mortem afferret. ego tamen ad tabernaculum eius perrexi: inueni duos libertos, & pauculos ſeruos: reliquos aiebant profugiſſe metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus eſſet. coactus ſum in eadem illa lectica, qua ipſe delatus eram, meisq. lecticarijs in urbem eum referre: ibiq. pro ea copia, quae Athenis erat, funus ei ſatis amplum faiendum curaui. ab Athenienſibus locum ſepulturae intra urbem ut darent, impetrare non potui, quod religione ſe impediri dicerent: neque tamen id antea cuiquam conceſſerant. quod proximum fuit; uti in quo uellem gymnaſio eum ſepeliremus, nobis permiſerunt. nos in nobiliſſimo orbis terrarum gymnaſio Academiae locum delegimus; ibiq. eum combuſſimus; poſteaq. curauimus, ut ijdem Athenienſes in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. ita, quae noſtra officia fuerunt, pro collegio, & propinquitate, & uiuo, & mortuo omnia ei praeſtitimus. Vale. Datae pridie Kal. Iun. Athenis.*

## EXPLANATIO

QVONIAM *caſus, & natura in bonis dominatur;*] Cum non ignoretis, etiam bonis, non modo improbis, caſu, & natura uitam adimi. Hoc Sulpicius, Marcelli nece commotus, non ſine quadam indignatione dixit. nam, re uera non in bonis tantum, ſed in omnibus hominibus caſus, & natura dominatur. Locus poſtulat, ut caſus & natura diſtinguantur: quod ita commode fiet, ſi mortis genera, quando hic de Marcelli agitur morte, perſequamur. Mortis cauſſas in duo genera diuido. aut enim intus oriuntur, aut extra: intus, uel natura, uel fato: extra, uel ui uel caſu. Natura moriuntur, quibus in ſenectute animam e corpore quaſi ſua manu natura molliter educit: quod accidit, cum uitalis calor paullatim exſtinguitur. Fato, qui morbo aliquo, ante illam diem, quo per ipſam naturam peruenire licuiſſet, uitam amittunt. non enim Peripateticis libenter aſſentior; qui naturam & fatum idem eſſe crediderunt: quos Alexander ſecutus in libro de Fato, nihil inter naturam, & fatum, praeter nomen, intereſſe, accurata diſputatione probare conatur. idem ſenſit Macrobius, idem Gellius: qui cum recitaſſet illud Demoſthenis ex oratione περὶ τοῦ στεφάνου: Ὁ μὲν γονεῦσι νομίζων μόνον γεγεννῆσθαι, τὸν τῆς εἱμαρμένης, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει: ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν ἀποθνήσκειν ἐθελήσει: ſubiunxit: Quod Cicero fatum, atque naturam uidetur dixiſſe, id multo ante Demoſthenes τὴν πεπρωμένην, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellauit. αὐτόματος enim θάνατος, quaſi naturalis, & fatalis, nulla extrinſecus ui coactus, uenit. Haec Gellius: quam recte, nondum ſtatuo. mihi enim neque Demoſthenis uerba, neque Ciceronis cogere uidentur, fatum, & naturam idem eſſe. quin, ſi modus loquendi, τὸν τῆς εἱμαρμένης, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον, attendatur; articuli repetitio, diuerſas potius eſſe res, quam unam & eandem ſignificat: idq. ipſe Cicero, niſi fallor, oſtendit, cum ait oratione prima in Antonium: Praeter naturam, praeterq. fatum. Quod ſi quis in dubium reuocat: grauem teſtem citabo, principem Latinorum poetarum, Virgilium: qui cum de Didone, ipſa ſibi mortem conſciſcente, uerſum illum protulit:

Sed, quia nec fato, merita nec morte peribat:

fatum a natura manifeſte diſiungit. Cuius teſtimonio ſubſcribere uidetur Tacitus: apud quem Germanicus, eripi ſibi uitam ueneno exiſtimans, haec loquitur: Si fato concederem; iuſtus mihi dolor etiam aduerſus deos eſſet; quod me parentibus, liberis, patriae, intra iuuentam praematuro exitu, raperent: nunc, ſcelere Piſonis & Plancinae interceptus, ultimas preces pectoribus ueſtris relinquo; referatis patri, ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus inſidijs circumuentus, miſerrimam uitam peſsima morte finierim. Fatum appellat eam mortem, quae praematuro quidem exitu, nulla tamen humana ui, contingit. praematurus autem exitus a natura certe non eſt, ſed ante illum terminum, quem ipſa natura praeſcripſit, robuſtis longiorem, breuem imbecillis. nam, ſi quando robuſtus ante imbecillum decedit; non ad naturam refero, ſed ad fatum, ideſt ad eas cauſſas, unde oriuntur ij morbi, qui naturam uincunt, mortemq. ante finem a natura praeſtitutum accerſunt. quod euenire ſibi Germanicus negat. Nec uero Chryſippi ſententiam probo, qui pertinere ad omnia fatum dicebat. quod ſi ita eſſet: fato omnes, quacumque aetate, quocumque mortis genere, perirent. ſed hunc firmiſsimis argumentis refellit Alexander: quem ſequor in hac

quidem

quidem parte: in altera uero, quod fatum & naturam idem eſſe putat, cur ei non aſſentiar, illa ſuperiora demonſtrant. Reſtat mortis alterum genus, quod in duo ſubiecta genera diuiſimus, uim, & caſum. Vis uoluntatem habet, caſus non habet. uoluntas ſiue noſtra ſit, ſiue aliena, uim conſtituit: noſtra, cum aliquis ferro, ueneno, alia ue re ipſe ſibi mortem conſciſcit: aliena, cum ab inimico, uel etiam a feris opprimitur: quarum etſi uoluntas ferarum propria non ſit; appetitus tamen ille ſpeciem uoluntatis habet. Caſus uoluntatem excludit. ſi quis enim, uel inopinata ruina, uel naufragio, uel ictu teli temere miſsi, a uita diſcedit: eſt illa quidem inimica naturae uis; ſed quia uoluntas abeſt, ad caſum refero, non ad uim: ſi modo cõceditur, ut haec ſubtilius examinentur: ſin paullo communius, et, ut ita dicam, rudiore Minerua diſputamus; utrumque, ſiue adſit, ſiue abſit uoluntas, ad caſum referri poteſt: quem fortunam quoque nominemus: non quod ignoremus ea, quae ſcripſit Ariſtoteles Phyſicorum lib. 2. cum caſum & fortunam diſtingueret: ſed, ubi mortis genera diſcernuntur, concedatur alterum ab altero non differre. itaque cum necem Didonis ad fortunam retuliſſet Virgilius illo uerſu:

Vixi, et, quem dederat curſum fortuna, peregi: ſubiunxit Seruius: Humana uita tribus continetur, natura, fato, fortuna, ideſt caſu, qui ad omnia pertinet, quae extrinſecus ſunt. Quibus uerbis primum illud oſtendit, fortunam & caſum idem eſſe: deinde, quidquid extrinſecus accidat, uel cum uoluntate, uel ſine uoluntate, ad caſum pertinere: quod Alexandro quoque placuit: qui fortunam & caſum, ita ſimul nominat, ut alterum ab altero non diſtinguat. Ex quibus efficitur, ut mortis tria tantum ſint genera, natura, fato, caſu, ſiue fortuna: ſin caſum a uoluntate diſiungimus, quattuor, natura, fato, caſu, ui. Reliquum eſt, ut oſtendamus, quam ſententiam probauerit Sulpicius, cum in bonis caſum, & naturam dominari dixit. Primum illud pono: diſſentire illum a Chryſippo, qui ad fatum omnia retulit: diſſentire etiam a Cicerone, & Virgilio, qui tria mortis genera fecerunt. deinde illud ſubiungo: Cum Peripateticis, naturam & fatum idem eſſe, placuerit; ſatisq. conſtet, non omnes homines natura & fato, ideſt, (ut idem utrumque eſſe Peripateticis hic largiamur) naturali morte non omnes interire; neceſſe uideri, iiſdem placuiſſe, alteram eſſe, praeter naturam & fatum, interitus humani cauſſam. ea uero nihil aliud, quam caſus, ideſt externa uis, ſiue humana, cum uoluntate, ſiue non humana, ſine uoluntate, uidetur eſſe poſſe. & Demoſthenes, Cicero, Virgilius, Tacitus, aliquam cauſſam mortis, praeter naturam, praeterq. fatum, agnouere. Secutus igitur Peripateticos Sulpicius, (dederat enim operam philoſophiae, ut ep. 3. lib. IV. & in Bruto) duo tantum genera mortis fecit, caſum, & naturam: ſiue dicas, fortunam, & fatum: quoniam quidem nec differre fortunam a caſu, auctoribus Virgilio, Seruio, Alexandro etiam, Peripateticorum interpretum principe, ſatis oſtendimus: & inter naturam & fatum, nihil intereſſe, praeter nomen, idem Alexander ex Ariſtotelis mente prodidit. itaque duobus nominibus cauſſas mortis omnes, cum periiſſe Marcellum caſu, non natura, ſignificare uellet, Sulpicius comprehendit. VOS *certiores facere.*} pendet ab eo, Viſum eſt faciendum: quam apte, alij iudicent. uſitatius enim erat, Vos certiores ut facerem: aut, Viſum eſt uos certiores facere. quod alij quoque uiderunt. COLLEGAM} in conſulatu. VT AB *Athenis in Boeotiam irem, reliquamq. iuriſdictionem abſoluerem;*} prouincia Sulpicij, uocatur Achaia non modo ep. 4. huius libri, uerum etiam ep. 26. 27. 28. lib. XIII. ſed mirari aliquis poſſit, cur ep. 6. lib. VI. Sulpicius praeeſſe Graeciae dicatur. Primum, quaeſtionis perſoluendae gratia, illud pono: licet prouincia Sulpicij, in qua, praeter Achaiam, Peloponneſus tota cum adiacentibus inſulis, praeterea, Epirus, Boeotiaq. fuit, Achaia uocaretur, uere tamen ac proprie regionem illam Achaiam dici ſolitam, quae tota extra Peloponneſum fuit, Bimaris dicta, quod duo maria, Aegeum & Ionium, nauigatione diuerſa, fere coniungeret: de qua L. Mummius, euerſa Corintho, triumphauit. Haec modo Achaia, Anguſta, inquit, ceruice Peloponneſum contigit Hellas. Corinthiacus hinc, illinc Scironius appellatur Sinus. Et paullo poſt, Sinum Corinthiacum LXXXV. M. paſſ. in longitudinem uſque Iſthmum tranſmittunt. Achaiae nomen prouinciae. ab Iſthmo incipit. Idem infra. Ab Iſthmi anguſtijs Hellas incipit, noſtis Graecia appellata. in ea prima Attica, antiquitus Acte uocata. attingit Iſthmum parte ſui &c. Quibus ex locis, etiam ex Ptolemaei teſtimonio, conſtat, regionem illam, quae tenui ceruice Peloponneſum contingit, Helladem uocari, & eandem Graeciam; in ea uero eſſe, & ab Iſthmo incipere, tum Achaiam, quae & Graecia, & Hellas dicta ſit, quia commune regionis nomen aſſumpſerit, tum etiam Atticam, quae ipſa quoque eodem, quo Achaia, iure, commune uel Graeciae, uel Helladis nomen uſurpare potuit: cum praeſertim Theſſalia quoque & Graecia, & Hellas dicta ſit, generali uocabulo, ut lib. IV. & VII. Plinius prodidit. Duplex igitur Achaia, uetus illa bimaris, & haec recentior Sulpicij prouincia, ueterem complexa: quam Cicero cum Graeciam appellauit, reſpexit ad Graeciam uniuerſam, a Sulpicio adminiſtratam: quae, poſt captam Corinthum, in prouinciae formam, ſimul cum ipſa Achaia, redacta eſt: ut in Achaia Pauſanias docet. Achaiam uero idem Cicero Sulpicij prouinciam uocat; quia reliquae eius prouinciae partes, a nobiliori nomen acceperunt; & quia, occaſione deuictae Achaiae, totus ille terrarum tractus, ut diximus, in prouinciae formam eſt redactus. Sic & Cilicia, a Cicerone adminiſtrata, prouinciae nomen dedit: licet Aſiaticas aliquot dioeceſes complecteretur. Quattuor hic dubitationes, non inutiles fortaſſe, ſubiungam. prima eſt, utrum Athenae ad Sulpicij iuriſdictionem pertinuerint, an ſuis legibus, ut aliae quaedam urbes, uſae ſint. Partem prouinciae dixerit fuiſſe, qui morantem in ea urbe Sulpicium animaduerterit: quod epiſtolae duae, prima & quarta lib. VI. declarant. Mihi tamen urbs omnino libera uidetur; non modo quia Plinius, Strabo, Dio, & alij ſatis id conſtanter affeuerant; uerum etiam, quia tutum in ea Romanis exſulibus domicilium fuit. de Torquato plane conſtat ex ep. 1. 3. 4. lib. VI. de Memmio ex ep. 1. lib. XIII. iam Dolabella, cum Ciceronem, exorto ciuili bello, hortatur ep. 9. lib. IX. ut Athenas ſe conferat, argumento, niſi

to, niſi fallor, eſſe poteſt prouinciae partem Athenas non eſſe. Nec tamen prouinciae finibus excedebat
Sulpicius, cum Athenas iret: ſed ad liberam urbem, poſitam in prouincia, nec tamen prouinciae partem,
uel animi cauſſa proficiſcebatur, tum ut urbis adſpectu, tum etiam ut philoſophorum ſermonibus, & con
ſuetudine frueretur; uel quia conuentum Athenis agere, commodum eſſet. Secundo loco, uenit in men-
tem ambigere de Theſpijs. nam Plinius, ubi Athenas, ibidem ait, opidum liberum Theſpias fuiſſe. At
Cicero ep. 22. lib. XIII. commendat Sulpicio Manlium, qui negotiabatur Theſpijs. quo uidetur oſtende-
re, intra prouinciae terminos fuiſſe. Sit ita, uerumtamen hoc non obſtat, quin ſui iuris opidum, quodq.
Graeci uocant ἀυτόνομον fuerit: ut in eo Sulpicium, tamquam illius prouinciae proconſulem, auctoritate
quidem ualuiſſe concedamus, iuris autem dicendi, & impetrandi poteſtatem habuiſſe nullam putemus.
Occurrit tertia, non exigui ſane momenti, dubitatio. Sulpicij prouincia Graecia fuit: is tamen in Aſiam
ſe profectum eſſe ep. 5. ſignificat. quod mirum uideri poteſt. niſi ſi uel Sulpicium Caeſar, cum omnia ſuo
moderaretur arbitratu, ſoluit legibus, ut iret, quocumque publici commodi ratio poſtularet: uel eius im-
perio partem Aſiae extra ordinem attribuit, item ut Cilicienſi prouinciae tres διοικήσεις Aſiaticas a ſenatu
attributas uidemus. quamquam id quidem uix crediderim, imminutam eſſe hoc tempore Aſiaticam iuriſ-
dictionem, quae ad P. Seruilium, Caeſaris collegam, pertinebat: ut ex epiſtolis lib. XIII. conſtat. Poſtre-
ma quaeſtio de Achaia, quae ſi, Caeſare uiuo, prouincia fuit: cur eam, interiectis fere centum annis, a
Veſpaſiano in prouinciae formam una cum Cilicia eſſe redactam, Suetonius ait? Achaiam in prouinciam
retulit Mummius: ut ex Pauſania, & Strabone cognoſcitur. libertatem ei Nero imperator dedit: ut ſcri-
pſit Plinius lib. IV. cap. 6. eandem in prouinciae formam Veſpaſianus redegit. SVPRA *Maleas*} ue-
teres libri omnes, Maias, non Maleas. quod omnino mendoſum eſt, nec tamen contemnendum. quid
enim obeſt, notam eſſe omnibus, ac teſtatam antiquitatem? cum ſaepe ex ipſo mendo, mutatione aliquã
litterarum, elici ueritatem conſtet. Maleam autem Virgilius, Liuius, omnes denique nominant, Maleas
uero unus, quod ſciam, Plinius iunior in ep. ad Traianum lib. x. Graecis uerbis, ὑπὲρ Μαλέας. quod ſi
legatur hic, ſupra Maleas, interpretaremur, ſuperato Malearum promontorio, Laconicae prouinciae,
nauigantibus ualde periculoſo. IN ITALIAM *uerſus*} antique: ut Coelius quoque ep. 15.
lib. IIX. Ad Alpes uerſus. & Hirtius de bello Africano: Ad Cercinnam inſulam uerſus. Et Liuius lib. I.
Ad meridiem uerſus. POSTTRIDIE *eius diei*,} IIX. Kal. Iun. Sic, Poſttridie eius abſolutionis di-
xit Coelius ep. 2. lib. IIX. Poſttridie eius diei, Caeſar lib. I. bell. Gall. HORAM *decimam noctis*} ne
quis miretur, cum hic dies IIX. Kal. Iun. ſignificetur, decimam noctis horam ſignificari. nam, etſi men-
ſis Maij extremi noctes non modo ad decem, ſed nec ad nouem horas in Italia producuntur, tamen apud
ueteres in more fuit, ut aeſtiuae noctes pariter & hibernae, itemq. dies ſemper in duodenas horas diſtribue-
rentur, hoc modo, ut aeſtiuarum noctium contractiores horae eſſent, dierum uero longiores, hiberna-
rum noctium longiores, dierum breuiores. ita fit, ut, extremo menſe Maio, cum longiſsimi dies, breuiſ-
ſimae autem eſſent noctes, in duodenas tamen horas tam nox, quam dies diuideretur, ſed nox in
breuiores, dies autem in longiores. qua ratione hora noctis decima, erit, ut hodie noctem diuidi-
mus, hora noctis ſeptima, cum octauae fortaſſe dimidio. Vide, quae diximus ep. 30. lib. VII.
CILONE,} cognomen eſt non modo Magiorum, ſed etiam Flaminiorum, ut ueteres nummi declarant.
Cilones dicti, ut ait Feſtus, ab eminentiore fronte; uel, ut Cariſius, a capite oblongo, & compreſſo.
PVGIONE} breuior eſt, quam gladius, auctore Nonio. Suetonius in Caligula: Reperti ſunt in ſe-
cretis eius duo libelli, diuerſo titulo: alteri gladius, alteri pugio index erat. SECVNDVM *aurem*;}
poſt aurem. exemplis abundamus. SE IPSVM *interfeciſſe*:} quod eum commiſsi facinoris paenite-
ret. cauſſam necis Cicero ignorat ep. 10. lib. XIII. ad Att. Valerius hanc ponit lib. IX. cap. II. quod, cum eſ-
ſet Marcello Magius uetere coniunctus amicitia, eiq. in Pompeiana militia comes fuiſſet, indignaretur ali-
quos ſibi amicorum ab eo praeferri. COGEREM *medicos*.} in aliquot antiquis libris non eſt, Coge-
rem: ego, cum in quinque eſſe uideam, approbante ſententia, retinendum putaui. PVER} Seruus.
ſic enim loquebantur, ut exempla declarant. ACIDINI} Manliorum cognomen fuit Acidinus. con-
ſtat ex libro 2. de Orat. ex Velleio lib. 2. ex lapidibus Capitolinis, in quibus conſul eſt L. Manlius Acidinus
anno DLXXIV. CVM *codicilis*;} Codicilli, tabellae ceratae erant; in quibus ſtylo pangebatur, a codi-
ce, ideſt arboris libro, nominati. pugillaria quoque dicebantur, a pungendo, quod ſtylus in ijs pungen-
do ſcriberet. codicillorum uſum ante Troiana bella fuiſſe, Homerus oſtendit in illo uerſu ἰλ. 2. γράψας ἐν
πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά. quo uerſu de codicillis locutum eſſe oſtendit Plinius his uerbis lib. XIII.
cap. 13. Cur & Homerus Bellerophonti codicillos datos, non epiſtolas, prodidit? & lib. XXXIII. cap. I.
Modo autem ipſi codicilli mittebantur, ut haec oſtendit epiſtola, & ad Leptam ep. 18. lib. VI. Statim quae-
ſiui e Balbo per codicillos. Et ad Q. Fr. ep. 13. lib. 2. Epiſtolam hanc conuicio efflagitarunt codicil-
li tui. Modo non mittebantur, ſed ex ijs litterae deſcriptae: unde in epiſtola ultima lib. IX. Harum ad
te exemplum in codicillis exaraui. Codicillorum uſum, poſt inuentam etiam chartam, feſtinatio reti-
nuit, cum in omnibus locis, ut in conuiuio, in itinere, in naui, in ſenatu, charta, atramentum, calamus
non ſemper in promptu eſſent, moram autem res non ferret. TAETERRIMO} Taeter, & Clarus op-
ponuntur. PEPERCERANT,} Caeſar enim ei reditum in patriam conceſſerat. DOMINVS *eo-
rum*} ſeruis enim capitale erat, qui dominum non defendiſſent, ut ex Vlpiani uerbis, Syllanũ S. C. inter-
pretantibus, cognoſcitur. Confirmat hoc hiſtoria, nam Tacitus lib. XIV. Praefectum urbis, inquit,
Pedanium Secundum ſeruus ipſius interfecit, ſeu negata libertate, cui pretium pepigerat, ſiue amore exo-
leti infenſus, & dominum aemulum non tolerans. ceterum, cum uetere ex more familiam omnem, quae
ſub

ſub eodem tecto manſitauerat, ad ſupplicium agi oporteret, concurſu plebis, quae tot innoxios protegebat, uſque ad ſeditionem uentum eſt. Idem Tacitus paullo poſt, eam poenam in ſeruos uetere S. C. decretam, oſtendit his uerbis: Conſulari uiro domi ſuae interfecto per inſidias ſeruiles, quas nemo prohibuit, aut prodidit, quamuis nondum concuſſo S. C. quod ſupplicium toti familiae nunciabatur. LECTICARIIS} Lecticarii fuere ſerui, uel qui lecticam geſtabant: unde, Octophorus Anicianus, ep. 9. lib. 2. ad Q. Fr. uel qui fabricarentur, ut pro Amerino: Mitto haſce artes uulgares, coquos, piſtores, lecticarios. Imperatorum tamen aetate, lecticarij non ſerui, ſed liberti fuere: quod hic lapis Romae, trans Tiberim, ad D. Caeciliae, declarat. DIS. M. TI. Claudio. Aug. lib. Tigrano. ex. corpore. lecticariorum. Caeſaris. VIX. Annis. LXXXV. M. Licinius. Atimetus. &. Sextia. Felix. Benemerenti: poſuerunt. Hunc ut fabrum potius, quam qui lecticas ferret, fuiſſe putem, facit illud, Ex corpore; quod uidetur ad artifices pertinere. Vnde alibi:

Corpus. Lenunculariorum. Auxiliariorum; Oſtienſium.
Corpus. Cuſtodiarior.
Corpus. Dendrophororum.
Corpus. Tignuariorum.

INTRA *urbem*} quod Solonis lege uetitum Romani poſtea tranſtulerunt in duodecim tabulas. Cicero lib. 2. de Leg. In urbe ne ſepelito, ne ue urito. Pauſanias quoque ſepulcra multa extra urbem poſita, urbanum nullum commemorat. IN. QVO *uellemus gymnaſio*} cum tria eſſent, ut ait Suidas, λύκειον, κυνόσαργες, ἀκαδημία. GYMNASIO *Academiae*} in quo docuerat Plato. nomen accepit, Laertio teſte, ab Academo heroe, uel, ſi Heſichio credimus, a lauacro prope poſito. Gymnaſia uero dicta, quod in ijs luctarentur nudi: quam exercitationem palaeſtram uocarunt. multis enim annis inuenta eſſe gymnaſia, ante quam philoſophi in ijs garrire coeperunt, auctor eſt Cicero lib. 2. de Orat. poſtea placuerunt ea loca philoſophis, in quibus de quo uellent ſcientiae genere diſputarent. Sed Academiam Plato, Lyceum nobilitauit Ariſtoteles. Vitruuius lib. V. cap. II. exhedras etiam conſtitutas ait, cum ſedibus, ubi philoſophi, & rhetores diſputare poſſent. COLLEGIO,} collegij cauſſa: quia conſules una fuerant. PROPINQVITATE,} Propinquitas modo generale nomen eſt, ideſt, cognationis, & affinitatis commune: modo cognationem proprie ſignificat. Commune nomen eſt, ut lib. de Amicitia: Ciues potiores ſunt, quam peregrini, & propinqui, quam alieni. De Fin. lib. III. Velle belle audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam uiris. Pro Quinctio: Si pietate propinquitas colitur: qui affinem prodit, impius ſit, neceſſe eſt. Cognationem deſignat, ut ep. 13. lib. 2. Liberis, propinquis, affinibus. Et in oratione pro Plancio: Cum illo maximis uinculis propinquitatis, & affinitatis coniunctus. Et Caeſar lib. 2. bell. Gall. Propinquitatibus, affinitatibusq. coniuncti.

---

## Argumentum ep. 13.

*PRimum cauſſas exponit, cur antea nõ ſcripſerit: ſecundo loco finem ei pollicetur exſulij ſui, ducta coniectura e Caeſaris animo, ex eorum ſermone, & ſenſu, qui apud ipſum plurimum ualent, ex uulgi uoluntate, ex ipſa rep. uehementer ad eius ſalutem propenſa: tum ad eam officij partem, quam uetus amicitia, mutuaeq. beneuolentiae iura poſtulant, conuerſus, uoluntatem ſuam duplici promiſſo oſtendit, in reditu primum ei conficiendo, deinde in re ſua familiari communicanda. Poſtremo, ut ſecundam fortunam ſperet, aduerſam aequo animo ferat, & hortatur, & obſecrat. Tota moralis epiſtola, ſcripta C. Caeſare* III. *& M. Aemilio Lepido cos. anno. DCCVII. De Nigidio ipſo, quae legendo animaduertimus, haec ſunt. Scripſit libros de animalibus, ut oſtendit lib.* III. *Macrobius: & Plinius bis, lib.* XXIX. *cap.* 4. *&* 6. *eius utitur teſtimonio: librum de extis, ut in Gellio lib.* XVI. *cap.* 6. *legimus: commentarios grammaticos, ut idem Gellius lib.* XIX. *cap.* 14 *& Nonius prodidere. interpretatus eſt comoedias Terentij, teſte Donato. uidetur etiam ſcripſiſſe de deis, quantum ex Arnobio licet conijcere: qui eius teſtimonio in mentione Matris deum, Ne-*

ptuni, Apollinis, & Iouis utitur lib. III. Haec de ſcriptis: de doctrina ſubiungam. Gellius Varronem, & Nigidium doctrinarum culmina lib. XIX. cap. 14. appellat; & idem lib. XIII. cap. 24. in diſciplinis doctrinarum omnium praecellentem nominat; & lib. IV. cap. 9. hominem iuxta M. Varronem doctiſsimum; Macrobius autem maximum rerum naturalium indagatorem, lib. III. idem lib. VI. hominem, omnium bonarum artium diſciplinis egregium. Seruius quoque Honoratus haec de eo tradidit: Nigidius Figulus ſolus poſt Varronem: licet Varro praecellat in theologia, hic in communibus litteris: nam uterque utrumque ſcripſerunt. Nonius quoque, Nigidius, inquit, ſtudijs bonarum artium praeclariſsimus. Nemo tamen illud melioribus extulit laudibus, quam Cicero ipſe, idem eius amiciſsimus. nam in prooemio libri de Vniuerſitate, Fuit, inquit, uir ille cum ceteris artibus, quae quidem dignae libero eſſent, ornatus omnibus, tum acer inueſtigator & diligens earum rerum, quae a natura inuolutae uidentur. denique ſic iudico, poſt illos nobiles Pythagoreos, quorum diſciplina exſtincta eſt quodam modo, hunc exſtitiſſe, qui illam renouaret. Suetonius ait illum, cognita hora, qua natus erat Auguſtus, affirmaſſe, dominum terrarum orbi natum.

## Cicero S. D. P. Nigidio Figulo. 13.

QVAERENTI mihi iam diu, quid ad te potiſſimum ſcriberem, non modo certa res ulla ſed ne genus quidem litterarum uſitatum ueniebat in mentem. unam enim partem, & conſuetudinem earum epiſtolarum, quibus ſecundis rebus uti ſolebamus, tempus eripuerat: perfeceratq. fortuna, ne quid tale ſcribere poſſem, aut omnino cogitare. relinquebatur triſte quoddam, & miſerum, & his temporibus conſentaneum genus litterarum. id quoque deficiebat me: in quo debebat eſſe aut promiſſio auxilij alicuius; aut conſolatio doloris tui. quod pollicerer, non erat. ipſe enim, pari fortuna abiectus, aliorum opibus caſus meos ſuſtentabam: ſaepiusq. mihi ueniebat in mentem, queri, quod ita uiuerem, quam gaudere, quod uiuerem. quamquam enim nulla me ipſum priuatim perculit inſignis iniuria; nec mihi quidquam tali tempore in mentem uenit optare, quod non ultro mihi Caeſar detulerit: tamen nihilo minus eis conficior curis: ut hoc ipſum, quod maneam in uita, peccare me exiſtimem. careo enim cum familiariſſimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut diſtraxit fuga; tum omnibus amicis, quorum beneuolentiam nobis conciliarat per me quondam, te ſocio, defenſa reſp. uerſorq. in eorum naufragijs, & bonorum direptionibus: nec audio ſolum, quod ipſum eſſet miſerum, ſed etiam id ipſum uideo, quo nihil eſt acerbius, eorum fortunas diſſipari, quibus nos olim adiutoribus illud incendium exſtinximus: & in qua urbe modo gratia, auctoritate, & gloria floruimus, in ea nunc ijs quidem omnibus caremus: obtinemus ipſius Caeſaris ſummam erga nos humanitatem: ſed ea plus non poteſt, quam uis, & mutatio omnium rerum, atque temporum. itaque, orbus ijs rebus omnibus, quibus & natura me, & uoluntas, & conſuetudo aſſuefecerat; cum ceteris, ut quidem uideor, tum mihi ipſe diſpliceo. natus enim ad agendum ſemper aliquid dignum uiro, nunc non modo agendi rationem nullam habeo, ſed ne cogitandi quidem: & qui antea aut obſcuris hominibus, aut etiam ſontibus opitulari poteram; nunc P. Nigidio, uni omnium doctiſſimo, & ſanctiſſimo, & maxima quondam gratia, & mihi certe amiciſſimo, ne benigne quidem polliceri poſſum. Ergo hoc ereptum eſt litterarum genus. Reliquum eſt, ut conſoler, & afferam rationes, quibus te a moleſtijs coner abducere. at ea quidem facultas, uel tui, uel alterius conſolandi, in te ſumma eſt, ſi umquam in ullo fuit. itaque eam partem, quae ab exquiſita quadam ratione, & doctrina proficiſcitur, non attingam, tibi totam relinquam. quid ſit forti, & ſapienti homine dignum, quid grauitas, quid altitudo animi, quid acta tua uita, quid ſtudia, quid artes, quibus a pueritia floruiſti, a te flagitent, tu uidebis. ego, quod intelligere, & ſentire, quia ſum Romae, & quia curo, attendoque, poſſum, id tibi affirmo, te in iſtis moleſtijs, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum; in ijs autem, in quibus etiam nos ſumus, fortaſſe ſemper fore. uideor mihi perſpicere, primum ipſius animum, qui plurimum poteſt, propenſum ad ſalutem tuam. non ſcribo hoc temere. quo minus familiaris ſum, hoc ſum ad inueſtigandum curioſior. quo facilius, quibus eſt iratior, reſpondere triſtius poſſit, hoc eſt adhuc tardior ad te moleſtia liberandum. familiares uero eius, & ij quidem, qui illi iucundiſſimi ſunt, mirabiliter de te & loquuntur, & ſentiunt. Accedit eodem uulgi uoluntas, uel potius conſenſus omnium. etiam illa, quae minimum nunc quidem poteſt,

ſed

*ſed poſſit neceſſe eſt, reſp. quaſcumque uires habebit, ab ijs ipſis, quibus tenetur, de te propediem, mihi crede, impetrabit. Redeo igitur ad id, ut iam tibi etiam pollicear aliquid: quod primo omiſeram. nam & complectar eius familiariſſimos, qui me admodum diligunt, multumq. mecum ſunt: & in ipſius conſuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clauſit, inſinuabo: & certe omnes uias perſequar, quibus putabo ad id, quod uolumus, peruenire poſſe. in hoc toto genere plura faciam, quam ſcribere audeo. Cetera, quae tibi a multis prompta eſſe certo ſcio, a me ſunt paratiſſima. nihil in re familiari mea eſt, quod ego meum malim eſſe, quam tuum. hac de re, & de hoc genere toto hoc ſcribo parcius, quo te, id quod ipſe confido, ſperare malo, te eſſe uſurum tuis. Extremum illud eſt, ut te horter, & obſecrem, animo ut maximo ſis; nec ea ſolum memineris, quae ab alijs magnis uiris accepiſti, ſed illa etiam, quae ipſe ingenio, ſtudioq. peperiſti. quae ſi colliges; & ſperabis omnia optime; &, quae accident, qualiacumque erunt, ſapienter feres. Sed haec tu melius, uel optime omnium. Ego, quae pertinere ad te intelligam, ſtudioſiſſime omnia, diligentiſſimeq. curabo; tuorumq. triſtiſſimo meo tempore meritorum erga me memoriam conſeruabo. Vale.*

# EXPLANATIO

NON. MODO *certa res ulla,*} alijs, Nulla, mihi, Vlla, placet. ſequor. n. & meos ueteres nouē libros, & ſententiam ipſam, atque ēt conſuetudinē latinae linguae. Non modo certa res ulla, dixit, pro, Nedū certa res ulla: ut ad Lentulum ep. 9. lib. 1. Non modo praemijs, ſed ne periculis quidem compulſus ullis, ad eorum cauſſam me adiungerem. Quo loco plura huius generis exempla collegimus. Tantum, inquit, abeſt, ut mihi certa res ulla, ut ne genus litterarū uſitatū uenerit in mentē. VNAM *partem,*} genus litterarum familiare, & iocoſum, ep. 4. lib. 2. AVT *promiſſio auxilij alicuius. aut conſolatio doloris tui.*} eandem ſententiam repetiuit ep. 10. & 13. lib. VI. PARI *fortuna*} uterque enim, Pompeij partes ſecutus, Caeſarem offenderat. Atque hoc ipſo quaedam uidetur eſſe conſolatio: leuat enim dolorem fortunae ſocietas. CASVS *meos ſuſtentabam:*} exciderat ſtatu illo, in quo eum induſtria ſua, perpetua 9. in remp. merita collocarent: nunc ſuſtentari ſe dicit aliorum opibus, ideſt eorum auctoritate, & gratia, quos, ueteri ſibi neceſsitudine coniunctos, plurimum, ob uictoriae ſocietatem, poſſe apud Caeſarem intelligebat. hi porro erant, potiſsimum, Panſa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Poſtumius. ep. 12. lib. VI. Eadem tranſlatio eſt, Suſtentare caſus, & Suſtentare cadentem. QVERI, *quod ita uiuerem,*} eadem ſententia in ep. 3. lib. VI. Ita uiuere, ut non ſit uiuendum, miſerimum eſt. Et in ep. 3. lib. VII. Vbi non ſis, qui fueris, non eſſe, cur uelis uiuere. PRIVATIM} publica enim Cicero concidit calamitate. EIS *conficior curis;*} quas ſignificauit in eo, queri quod ita uiuerem: ob exitium reip. HOC. IPSVM,} non modo in alijs rebus, ſed in hoc ipſo, quod maneam in uita: in quo peccare tamen mihi uideor. cur enim, cum occideret reſp. ipſe uiuam? Quaerit diuus Auguſtinus in libro, ſane non contemnendo, quem tamen pauci legunt, de Grammatica cur, cum Iſtud, & Illud in genere neutro dicimus, non item dicamus Ipſud, ſed Ipſum. Quaeſtionem ſoluit hoc modo. antiqui enim magis, Ipſus, dicebant in nominatiuo ſingulari, generis maſculini, quam Ipſe. hanc antiquitatis rationem attendentes artis ſcriptores pronomen hoc ad formam nominis tranſtulerunt: ut, quo modo in nomine, iuſtus, iuſta, iuſtum, dicimus, & perfectus, perfecta, perfectum, ſic & hoc pronunciaretur pronomen, ipſus, ipſa, ipſum, non ipſud, quo modo iſtud, & illud. PECCARE *me exiſtimem.*} ep. 1. lib. XVI. Peccaſſe mihi uideor, qui a te diſceſſerim. MORS} perierant, Pompeius, P. Lentulus, M. Cato, alij praeterea multi, Ciceronis familiariſsimi. FVGA;} fugerant, poſt Africanum bellum, in Hiſpaniam ad Pompeij liberos multi. Poteſt & de M. Marcello accipi, qui ſe, uicto in Pharſalia Pompeio, Mitylenas contulerat: atque etiam de ipſo Nigidio, deq. alijs, qui, deſperata uictoria, exſulare maluerant, quam belli ciuilis extrema perſequi: ad quos exſtant in his libris conſolatoriae Ciceronis epiſtolae. AMICIS,} licet non familiariſsimis. QVONDAM,} ipſo conſule, cum patefacta, & oppreſſa Catilinae coniuratio eſt. TE. SOCIO,} tribus cauſsis Nigidium diligit, ob ſtudium in remp. ob doctrinam, ob eius in ſe merita, quae memorat in epiſtolae clauſula: idq. Plutarchus in Ciceronis uita comprobat his uerbis: ὁμοίως Πόπλιος Νιγίδιος ᾧ τὰ πλεῖστα, καὶ μέγιστα παρὰ τὰς πολιτικὰς ἐχρῆτο πράξεις. Idemq. in opuſculo, Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον, ſic ait: Κικέρων αὐτὸς ὡμολόγει, τὰ κάλλιστα, καὶ μέγιστα συμβουλευμάτων, οἷς ὀρθῶς ἐνυπατεύων πατρίδα διέσωσε, μετὰ Ποπλίου Νιγιδίου φιλοσόφου συνθεῖναι. RESP.} quae ciues omnes, ſui ſtudioſos, beneuolentia coniungit, licet non omnes familiaritate. NAVFRAGIIS,} fortunarum. ſubiunxit enim, Eorum fortunas diſsipari. ſic ad Lentulum ep. 9. lib. I. Naufragia rei familiaris: pro Rabirio perd. reo, Naufragia fortunarum. QVO. NIHIL *eſt acerbius,*} ſic ad Torquatum ep. 1. lib. VI. Oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miſerijs cogitationem ſinunt. Et ad eundem ep. 4. In omnibus malis miſerius eſt uidere, quam audire. EORVM *fortunas diſſipari,*} Naufragia, dixit proxime. ILLVD. INCENDIVM} Catilinae coniurationem: qua, tamquam aliquo incendio, niſi nos opem tuliſſemus, reſp. deflagraſſet. VIS,} cum, in ſumma Caeſaris humanitate, frui tamen uetere gratia, auctoritate, gloria non liceat. Notanda Ciceronis prudentia, qui, cum euerſam remp. queratur, Caeſarem culpa liberat. quo etiam utitur artificio. ep. 4. Nec id, inquit, uictoris uitio, quo nihil moderatius, ſed ipſius uictoriae uitio, quae ciuilibus bellis ſemper eſt inſolens. Et ep. 9. Multa uictori eorū arbitrio, per quos uicit, etiam inuito facienda ſunt. Et ep. 10. lib. VI. Iniuriam temporum, non Caeſaris, appellat. IIS. REBVS *omnibus,*} quas agere, cum florerem gratia, auctoritate, gloria, conſueueram.

VT. QVIDEM *uideor,*} ideo ceteris uideor diſplicere, quia careo rebus ijs omnibus, quibus &c. SONTIBVS} nam & nocentibus opem interdum tulit eius eloquentia. QVID *ſit forti & ſapienti homine dignum,*} in laude latet admonitio. IN IIS *autem,*} in communibus: quod quidem conſolationis genus quoddam eſt: nam propriae magis angunt. propria uero Nigidij miſeria erat, carere patria, ſuorumq. conſpectu: de quo dixit Cicero, In quibus es hoc tempore. FORTASSE *ſemper*} uere uaticinatur. numquam enim poſtea libertatem reſp. recuperauit. QVI *plurimum poteſt,*} Caeſar, quem ſignificauit ijsdem uerbis ep. 10. lib. VI. aliter autem ep. 7. huius libri, Penes quem eſt poteſtas: & aliter quoque ep. 8. 9. NON *ſcribo hoc temere.*} ſic ep. 7. lib. 2. QVIBVS *eſt iratior,*} propter bellum in Africa renouatum. ep. 13. lib. VI. Africanae cauſſae iratior, diutius uelle uidetur eos habere ſollicitos. RESPONDERE *triſtius*} ueniam peccantibus negare. POSSIT *neceſſe eſt,*} non enim iacere perpetuo poteſt: & omnino uires aliquas recuperabit. ep. 10. lib. VI. QVI *me admodum diligunt,*} idem ſcripſit ad Caecinam lib. VI. ep. 7. ad Balbum ep. 12. eiusdem libri, ad Ligarium ep. 14. ibidem, ad Gallum ep. 24. lib. VII. ad Paetum ep. 20. lib. IX. MEVS *pudor*} & hic ſuperbiae culpam remouet a Caeſare. INSINVABO:} pro, inſinuabor: arte quadam aditum mihi aperiam ad intimam eius familiaritatem. In Verrem lib. III. Videtis, ut moneat Apronium, quibus rebus, ac muneribus inſinuet in familiaritatem Metelli. quem locum eſſe deprauatum nonnulli, fortaſſe hoc loquendi genere offenſi, exiſtimarunt. De orat. lib. I. Quod ita nati eſſemus, ut & blandiri, & ſuppliciter inſinuare ijs poſſemus, a quibus eſſet petendum. Et Liuius lib. XL. Fraudis humanae inſinuauerat ſuſpicio animis. Quae ſi quis omnia mendoſa putat, Virgilium ita canentem audiat:

> Tum uero tremefacta nouus per pectora cunctis Inſinuat pauor.

Quo loco, Inſinuat, pro inſinuatur, ait Seruius.

PERVENIRE *poſſe.*} Me, ſubauditur. TVIS.} fortunis. VT *te horter, & obſecrem,*} nihil muto. ſic enim in octo uetuſtiſsimis exemplaribus inueni. aliorum tamen lectionem non improbo: etſi eã in libris ſcriptis ipſe quidem nondum inueni. ACCEPISTI,} cum eorum ſcripta legeres. TRISTISSIMO *meo tempore*} cum eiectus a Clodio exſularem.

---

# Argumentum ep. 14.

*Victo in Pharſalia Pompeio, Cicero, deſperata reip. cauſſa, in Italiam reuertit; ueniaq. a Caeſare impetrata, non illa quidem priſtinam dignitatem, ac libertatem loquendi recuperauit, ſed humaniſsime tamen ac liberaliſsime cum ab ipſo Caeſare, tum uero ab eius maxime amicis, ac familiaribus tractatus eſt. eo tempore, dimiſſa Terentia, Publiliam uirginem uxorem duxit. utrumque igitur binis litteris gratulatus erat Plancius, de dignitate recuperata, deq. nouis nuptijs. ijs litteris Cicero reſpondens, nullam ſibi priſtinae dignitatis relictam eſſe partem oſtendit, eoq. redactam eſſe remp. ut uel ſeruitus impendeat, ſi Caeſar in Africa Pompeianos uincat, uel caedes, ſi uincatur. De nuptijs autem, quod, abſente ſe, rem domeſticam Terentia male curaſſet, ſibiq. a ſuis inſidiae tenderentur, ideo ſe cogitaſſe ait, ut nouae neceſsitudinis fidelitatem quaſi praeſidium haberet contra ueterum perfidiam. Tertio loco, ut exſulantem conſoletur, nihil ei, praeter communem fortunam, timendum confirmat: ſe quidem opera, conſilio, ſtudio, eius rei, famae, ſaluti praeſto futurum. Poſtulat in extremo, ut de ſuo ſtatu, ſuisq. conſilijs diligentiſsime ſignificet. Moralis epiſtola, ſcripta Caeſare* III. *M. Lepido cos. cum in Africa bellum gereretur.*

## *Cicero S. D. Cn. Plancio.* 14.

BINAS *a te accepi litteras, Corcyrae datas: quarum alteris mihi gratulabare, quod audiſſes meam me priſtinam dignitatem obtinere; alteris dicebas, te uelle, quae egiſſem, bene, ac feliciter euenire. Ego autem, ſi dignitas eſt bene de rep. ſentire, & bonis uiris probare, quod ſentias; obtineo dignitatem meam. ſin autem in eo*

dignitas

*dignitas eſt, quod ſentias, aut re efficere ſi poſſis, aut deni que libera oratione defendere: ne ueſtigium quidem ullum eſt reliquum nobis dignitatis: agiturq. praeclare, ſi noſmet ipſos regere poſſumus; ut ea, quae partim iam adſunt, partim impendent, moderate feramus: quod eſt difficile in eiuſmodi bello, cuius exitus ex altera parte caedem oſtentat, ex altera ſeruitutem. quo in periculo non nihil me conſolatur, cum recordor, haec me tum uidiſſe, cum ſecundas etiam res noſtras, non modò aduerſas pertimeſcebam; uidebamque, quanto periculo de iure publico diſceptaretur armis: quibus ſi ij uiciſſent, ad quos ego, pacis ſpe, non belli cupiditate adductus, acceſſeram; intelligebam tamen, & iratorum hominum, & cupidorum, & inſolentium quam crudelis eſſet futura uictoria: ſin autem uicti eſſent, quantus interitus eſſet futurus ciuium partim ampliſſimorum, partim etiam optimorum: qui me haec praedicentem, atque optime conſulentem ſaluti ſuae, malebant nimium timidum, quam ſatis prudentem, exiſtimari. Quod autem mihi de eo, quod egerim, gratularis: te ita uelle, certo ſcio: ſed ego tam miſero tempore nihil noui conſilij cepiſſem, niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas, quam remp. offendiſſem. quibus enim pro meis immortalibus beneficijs cariſſima mea ſalus, et meae fortunae eſſe debebant; cum propter eorum ſcelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil inſidijs uacuum uiderem; nouarum me neceſſitudinum fidelitate contra ueterum perfidiam muniendum putaui. Sed de noſtris rebus ſatis, uel etiam nimium multa. De tuis, uelim, ut eo ſis animo, quo debes eſſe, id eſt ut ne quid tibi praecipue timendum putes. ſi enim ſtatus erit aliquis ciuitatis; quicumque erit, te omnium periculorum uideo expertem fore. nam alteros tibi iam placatos eſſe intelligo, alteros numquam iratos fuiſſe. De mea autem in te uoluntate ſic uelim iudices, me, quibuſcumque rebus opus eſſe intelligam, quamquã uideam, quis ſim hoc tempore, & quid poſſim, opera tamen, & conſilio, ſtudio quidem certe rei, famae, ſaluti tuae praeſto futurum. Tu, uelim, & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quam diligentiſſime certiorem. Vale.*

## EXPLANATIO

OBTINERE;} cum in urbem, poſt Pharſalicam pugnam, reuertiſſet. EVENIRE.} de Publiliae matrimonio, quam ſexagenarius uirginem duxit, dimiſſa Terentia, quia rem domeſticam, ipſo abſente, negligenter adminiſtrauerat; praeter alias cauſſas, quae commemorantur a Plutarcho. Quinctilianus lib. VI. cap. de riſu, cum Cicero obiurgaretur, quod uirginem iam ſenex duxiſſet, reſpondiſſe ait, Cras erit mulier. Hoc & Q. Fufius Calenus ei, ut lib. XLVI. Dio narrat, in oratione ſua obiecit. Sed & hanc, quia Tulliae morte laetari uideretur, ab eo dimiſſam, ijdem Plutarchus, & Dio prodiderunt. Publiliae nomen fuiſſe, ex epiſtolis ad Att. accepimus. REGERE} ne tantis oppreſsi malis concidamus. apta tranſlatio, ob ea, quae ſequuntur. ADSVNT,} quae nunc ſuſtinemus. IMPENDENT,} quae uitari non uidentur poſſe. ſic ad Varronem, ep. 1. lib. IX. Et ea, quae premant, & ea, quae impendeant. BELLO,} Africano: quod Scipio, Pompeij ſocer, & M. Cato, freti Iubae regis auxilijs, renouauerant. CAEDEM} caedem a Pompeianis timet, a Caeſare ſeruitutem. ep. 9. An tu non uidebas mecum ſimul, quam illa crudelis eſſet futura uictoria? ep. 17. lib. IIX. Si timor ueſtrae crudelitatis non eſſet; eiecti iampridem hinc eſſemus. ep. 6. lib. IX. Si eſſent noſtri potiti, ualde intemperantes fuiſſent. Ad Att. ep. 6. lib. XI. & Caeſar lib. I. bell. ci. SECVNDAS *etiam res noſtras*,} ep. 21. lib. V. Quamquam multum intersit inter eorum cauſſas, qui dimicant: tamen inter uictorias non multum interfuturum puto. ep. 6. lib. IX. Extremum malorum omnium eſſe ciuilis belli uictoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos ueneramus. DE. IVRE *publico*} uter regnaret, Caeſar, an Pompeius. DISCEPTARETVR *armis*:} ſic locutus ep. 4. PACIS *ſpe*,} ut agerem de reconciliatione Caeſaris, & Pompeij. CVPIDORVM,} ep. 1. Incideram in hominum pugnandi cupidorum inſanias. ep. 6. lib. IX. Vidi noſtros amicos cupere bellum. ep. 10. lib. XVI. Incidi in ipſam flammam ciuilis diſcordiae: cui cum cuperem mederi, &, ut arbitror, poſſem, cupiditates certorum hominum impedimento mihi fuerunt. & ep. 11. ad Att. lib. IIX. Ego me in hac omni cauſſa facile intelligebam pugnandi cupidis hominibus non ſatisfacere. Et in eadem, in extremo: Ego condicionibus, illi armis diſceptare maluerunt. INSOLENTIVM} notam inſolentiae Pompeianis inurit, & in oratione pro Marcello: Quoties, inquit, ego eum, & quanto cum dolore, uidi cum inſolentiam certorum hominum, tum ipſius uictoriae ferocitatem extimeſcentem? CRVDELIS} dictum eſt proxime de crudelitate Pompeianorum. AMPLISSIMORVM,} hoc refertur ad honores, & dignitatem: nam & conſules, & conſulares, & magiſtratus fere omnes Pompeij in caſtris fuere. MALEBANT} ſignificat maxime L. Domitium, Scipionem, Metellum, L. Lentulum conſulem, & alios pugnandi cupidos. ep. 6. lib. IX. Caeſar lib. I. bell. ci. DE. EO, *quod egerim*,} de Publiliae nuptijs. TAM *miſero tempore*} cum, uictis in Pharſalia Pompeij partibus, in urbem redijt. RES *domeſticas*,} dimiſſam ab eo Terentiam ait Plutarchus, quia rem familiarem, ipſo abſente, male tractaſſet, aeriſq. plurimum alieni contraxiſſet: quod ut diſſolueret, uirginem Publiliam, admodum diuitem, in tutelam ſibi traditam, ſuadentibus amicis, uxorem ſibi duxit. MEA *ſalus*, & *meae fortunae*} in fortunis uxorem accuſat, in ſalute Quinctum fratrem, fratriſq. filium: qui uehementer illum, poſt Pharſalicam pugnam, apud Caeſarem oppugnarunt, cum ſe dicerent auctore Marco aduerſus illum arma cepiſſe. ad Att. lib. XI. ep. 5. 8. 9. 10. 13. 14. 15. 16. 21. SCELVS} & hoc in fratrem potius, fratriſq. filium, quam in uxorem, confertur. Scelus Quincti fratris nominat etiam in ep. 21. lib. XI. ad Att. NOVARVM} ob nouas nuptias. VETERVM} notat uxorem, fratrem,

trem, fratris filium. PRAECIPVE *timendum*} in ep. ſequenti, Ne quo periculo te proprio exiſtimares eſſe. ALTEROS} Caeſarianos, quos oppugnaſti. QVIDEM *certe*} ſi opera, & conſilio minus ualebo, ſtudio quidem certe non deero.

## Argumentum ep. ult.

*HOrtatur, ut communem fortunam fortiter ferat: petit, ut ueterem beneuolentiam conſeruet: &, quod petit, idem de ſe ipſo pollicetur. Moralis. eodem anno.*

### *Cicero S. D. Plancio.* 15.

ACCEPI *perbreues tuas litteras: quibus id, quod ſcire cupiebam, cognoſcere non potui; cognoui autem id, quod mihi dubium non fuit. nam, quam fortiter ferres communes miſerias, non intellexi; quam me amares, facile perſpexi. ſed hoc ſcieram; illud ſi ſciſſem, ad id meas litteras accommodaſſem. ſed, tametſi antea ſcripſi, quae exiſtimaui ſcribi oportere: tamen hoc tempore breuiter commonendum putaui, ne quo periculo te proprio exiſtimares eſſe. in magno omnes, ſed tamen in communi ſumus. quare non debes aut propriam fortunam, & praecipuam poſtulare, aut communem recuſare. quapropter eo animo ſimus inter nos, quo ſemper fuimus: quod de te ſperare, de me praeſtare poſſum. Vale.*

## EXPLANATIO

COMMVNES *miſerias*,} ex interitu reip. TAMENETSI} pro, tametſi. illud enim productum, hoc uero contractum. ſic locutus in ep. 17. lib. v. ad Att. Nos, tametſi hoc te ex alijs audire malo, ſic in prouincia nos gerimus. Cicero de petitione conſulatus: Quae tametſi ita ſcripta ſunt. lib. III. de Orat. ex uetere poeta:

At Romanus homo, tametſi res bene geſta eſt,
Corde ſuo trepidat. Catullus:
Quae tametſi uno non eſt contenta Catullo,
Rara uerecundae furta feremus herae.

Terentius quoque in Andr. Tametſi hoc uerum eſt. & apud Paullum L. V. Interdum, tit. quod falſo tutore auctore geſtum eſſe dicatur: Interdum, tametſi ſcientia noceat, tamen reſtitutio facienda erit. Cariſius quoque, diligens Latini ſermonis obſeruator, Tametſi, inquit, nulla poſsit eſſe regula certior. NE. QVO *periculo te proprio exiſtimares eſſe.*} in proxima dixit, Ne quid tibi praecipue timendum putes. OMNES,} qui Pompeium ſecuti ſumus. IN. COMMVNI} communia uero mala feruntur leuius, quam propria. EO *animo ſimus inter nos*,} ſic amemus inter nos, ut antea. PRAESTARE} re ipſa efficere.

IN . EPISTOLARVM

# M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . QVINCTVM

AD . METELLVM . ET . ALIOS

## PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

---

## Argumentum ep. I. lib. V.

QVERITVR *Metellus Celer, qui praetor anno ſuperiore fuerat Cicerone conſule, & in Galliam ex praetura proconſul iuerat, Metellum Nepotem, fratrem ſuum, a Cicerone in ſenatu oppugnatum. Moralis eſt epiſtola, D. Iunio Silano, M. Licinio Murena cos.*

*Q. Metellus Q. F. Celer procos.* S. D.
*M. Tullio Ciceroni.* I.

SI VALES, *bene eſt. Exiſtimaram. pro mutuo inter nos animo, et pro reconciliata gratia, neque me abſentem ludibrio laeſum iri, nec Marcellum fratrem, ob dictum, capite, ac fortunis per te oppugnatum iri. quem ſi parum pudor ipſius defendebat; uel familiae debebat noſtrae dignitas, uel meum ſtudium erga uos, remq. pub. ſatis ſubleuare. nunc uideo illum circumuentum, me deſertum a quibus minime conueniebat. itaque in luctu, et ſqualore ſum, qui prouinciae, qui exercitui praeſum, qui bellum gero. quae quoniam nec ratione, nec maiorum noſtrorum clementia adminiſtraſtis: non erit mirandum, ſi uos paenitebit. Te tam mobili in me meosq. eſſe animo, non ſperabam. Me interea nec domeſticus dolor, nec cuiuſquam iniuria a rep. abducet. Vale.*

EXPLA-

## EXPLANATIO

Q METELLVS,} qui biennio poſt cum L. Afranio conſulatum egregie geſsit, ut ex ep. ad Att. liquet. in oratione etiam pro Coelio: Simul ac pedem limine extulerat, omnes prope ciues uirtute, gloria, dignitate ſuperabat. Exſtinctum ueneno uxoris Clodiae ſcelere, quae P. Clodij ſoror erat, infra eadem oratio ſignificat. de hoc in Bruto ſic: Duo Metelli, Celer, & Nepos, nihil in cauſsis uerſati, nec ſine ingenio, nec indocti, hoc erant populare dicendi genus aſſecuti. CELER} cognomen hoc gens Metellorum accepit, ut Plutarchus in Coriolano docet, ab eo, qui gladiatorium munus patri mortuo celerrime dedit. PROCOS.} proconſul Metellus poſt praeturã citeriori Galliae praefuit, Silano, & Murena cos. cũ praetor, ob Catilinae motus, a Cicerone cõſule in Picenum, agrumq. Gallicum, qui a Piceno ad Rubiconem pertinebat miſſus eſſet. erat autẽ hic ager Gallicus nõ Galliae citerioris, quam poſtea Metellus rexit, ſed Italiae pars, diſiunctus a Gallia Rubicone flumine, Gallicus autẽ appellatus, quia Senones eum poſſederant. Nec uero mirum uideatur, proconſulis nomine prouinciam rexiſſe, qui conſulatum non geſſerat. id enim uſitatum fuiſſe ſupra docuimus. Plinius quoque lib. 2. cap. 67. procõſulem appellat. Nepos, inquit, tradit, Q Metello Celeri, L. Afranij in conſulatu collegae, ſed tum Galliae proconſuli, Indos a rege Sueuorum dono datos. RECONCILIATA} oſtendit, ſimultatem inter ſe, & Ciceronẽ aliquando fuiſſe: Cicero negat, uel uere, uel diſsimulanter. METELLVM} Nepotem. FRATREM,} germanum: ut pater utrique fuerit Q. Metellus Nepos, Balearici filius, Macedonici nepos. nam hunc Nepotem, Ciceronis inimicum, filium eius Nepotis fuiſſe, qui cum T. Didio conſul fuit anno DCLV, Pedianus oſtendit in commentario Cornelianae. Hic oritur quaeſtio. Si fratres germani, cur utrique praenomen idem? Reſpondetur; quia Celer, cui ei fortaſſe Lucio praenomen eſſet, tamen adoptatus a Q. Metello Celere, eo, qui nominatur in lib. de claris oratoribus, omiſſo uetere praenomine, Quinctus appellatus eſt, & cum praenomine Celeris etiam cognomen accepit, ex adoptionum conſuetudine. opinor autem, poſt hanc adoptionem natum eſſe fratrem eius, qui nominatur in hac epiſtola, quem pater ſuo praenomine appellari uoluit. id ex eo poſſum ſuſpicari quia Celer conſulatum prior geſsit: ex quo patet, natu maiorem fuiſſe. Rurſus obijciat aliquis, credibile non eſſe, ut pater unicum filium adoptandum conceſſerit. ſed licet opinari, cum hic Metellus a Q. Metello Celere eſt adoptatus, alterum ei fuiſſe maiorem natu fratrem, qui appellaretur Quinctus: quod uerisimile eſt: quia filius primo loco natus praenomen patris aſſumebat. quo, poſt adoptionem minoris fratris, mortuo, tertius poſtea natus patris praenomine Quinctus dictus ſit. Fratres autem germani potius, quam patrueles uidentur fuiſſe: quia, ſi patrueles, unde utrique praenomen Quincto? an a patribus? at ita credi neceſſe eſſet, duos Metelli Balearici filios, quem huius Nepotis auum fuiſſe oſtendimus, eodem praenomine uſos eſſe: quod uerisimile parum uidetur. germani igitur potius. idq. etiam Cicero ſignificat in eo loco: Meus me ſenſus, quanta uis fraterni ſit amoris, admonet. Quae uerba maiorem, quam inter patrueles, amorem uidentur oſtendere. OB. DICTVM,} uide, quae Cicero reſpondeat. FAMILIAE *dignitas*,} cum intra duodecim ferme annos, ut ait Velleius lib. 2. conſules Metelli fuiſſent, aut cenſores, aut triumpharint amplius duodecim. unde illud Naeuij apud Pedianum: Fato Metelli Romae fiunt conſules. Originem ducebant Celer, & Nepos ab eo L. Metello, qui primo Punico bello trimphauit, hoc modo: Celeris, & Nepotis pater is fuit Q. Metellus Nepos, qui cum T. Didio conſul fuit, anno 655. auus Q. Metellus Balearicus, conſul anno 630. proauus Q. Metellus Macedonicus, conſul anno 610. abauus Q. Metellus, conſul 547. atauus L. Metellus, qui de Poenis triumphauit, conſul anno 502. Haec ex hiſtoriae obſeruatione. in qua Plinij ἀνιστορησίαν deprehendimus, qui Macedonici patrem putat L. Metellum, Punico triumpho clarum: cum auum fuiſſe, non patrem, ſatis conſtet. Metellus autem Caluus, Macedonici frater, qui cum Fabio Seruiliano conſul fuit anno 611. genuit Metellum Caluum, qui conſulatum geſsit cum L. Cotta, anno 634. hic Q. Metellum Numidicum: Numidicus Q. Metellum Pium: Pius adoptauit P. Scipionem, qui Pompeij Magni ſocer fuit. PROVINCIAE,} citeriori Galliae. BELLVM *gero*.} cum Salaſsis, & inalpinis gentibus, quae nondum populo Romano parebant. & cum ijſdem pugnaſſe D. Brutum, cognoſcitur ex ep. 4. lib. XI. PAENITEBIT.} nimis arroganter. itaque reſpondit Cicero: Tibi, paene minitanti nobis per litteras, hoc reſcribo. TETAM} ſuſpicor eſſe coniecturam: nam in omnibus antiquis libris uideo plane ſcriptum eſſe, Etiam. NON *ſperabam*.} in rebus, quas minime uolumus, uſurpatur nonnumquam hoc uerbũ, ut Virg. lib. 4.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

---

## Argumentum ep. 2.

*Reſpondet ad Metelli querellam, de Nepote, fratre eius, oppugnato, ac primum ſua in eum officia commemorat, ut ſe amicitiae ſatisfeciſſe oſtendat: deinde his officijs non mutuo Metellum reſpondiſſe ſignificat: nec*

*uero*

*uero a ſe fratrem eius Nepotem oppugnatum, ſed oppuganti ſe reſtitiſſe. Poſtremo excuſat, atque etiam laudat eius dolorem, ſuamq. in tuenda amicitia conſtantiam pollicetur:*

## *M. Cicero S. D. Q. Metello Q. F. Celeri procos.* 2.

SI TV, *exercitusq. ualetis, bene eſt. Scribis ad me, te exiſtimaſſe pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia numquam te a me ludibrio laeſum iri. quod cuiuſmodi ſit, ſatis intelligere non poſſum: ſed tamen ſuſpicor ad te eſſe allatum, me, in ſenatu cum diſputarem, permultos eſſe, qui remp. a me conſeruatam dolerent, dixiſſe; a te propinquos tuos, quibus negare non potuiſſes, impetraſſe, ut ea, quae ſtatuiſſes tibi in ſenatu de mea laude eſſe dicenda, reticeres. quod cum dicerem, illud adiunxi: mihi tecum ita diſpertitum officium fuiſſe in reip. ſalute retinenda, ut ego urbem a domeſticis inſidijs, et ab inteſtino ſcelere; tu Italiam & ab armatis hoſtibus, & ab occulta coniuratione defenderes: atque hanc noſtram tanti & tam praeclari muneris ſocietatem a tuis propinquis labefactatam: qui, cum tu a me rebus ampliſſimis, atque honorificentiſſimis ornatus eſſes, timuiſſent, ne qua mihi pars te abs uoluntatis mutuae tribueretur. Hoc in ſermone, cum a me exponeretur, quae mea exſpectatio fuiſſet orationis tuae, quantoq. in errore uerſatus eſſem: uiſa eſt oratio non iniucunda, & mediocris quidam eſt riſus conſecutus, non in te, ſed magis in errorem meum, & quod, me abs te cupiſſe laudari, aperte, atque ingenue confitebar. Iam, hoc non poteſt in te non honorifice eſſe dictum, me in clariſſimis meis, atque ampliſſimis rebus tamen aliquod teſtimonium tuae uocis habere uoluiſſe. Quod autem ita ſcribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu exiſtimes eſſe in amicitia mutuum, neſcio: equidem hoc arbitror, cum par uoluntas accipitur, & redditur. Ego ſi hoc dicam, me tua cauſſa praetermiſiſſe prouinciam, tibi ipſe leuior uidear eſſe. meae enim rationes ita tulerunt: atque eius mei conſilij maiorem in dies ſingulos fructum, uoluptatemq. capio. illud dico, me, ut primum in concione prouinciam depoſuerim, ſtatim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare coepiſſe. Nihil dico de ſortitione ueſtra: tantum te ſuſpicari uolo, nihil in ea re per collegam meum me inſciente eſſe factum. Recordare cetera; quam cito ſenatum illo die, facta ſortitione, coegerim; quam multa de te uerba fecerim; cum tu ipſe mihi dixiſti, orationem meam non ſolum in te honorificam, ſed etiam in collegas tuos contumelioſam fuiſſe. Iam illud* S. C. *quod eo die factum eſt, ea praeſcriptione eſt, ut, dum id exſtabit, officium meum in te obſcurum eſſe non poſſit. Poſtea uero quam profectus es, uelim recordere, quae ego de te in ſenatu egerim, quae in concionibus dixerim, quas [illegible] litteras miſerim. Quae cum omnia collegeris; tu ipſe uelim iudices, ſatis ne uideatur his omnibus rebus tuus aduentus, cum proxime Romam ueniſti, mutuo reſpondiſſe. Quod ſcribis de reconciliata noſtra gratia: non intelligo, cur reconciliatam eſse dicas, quae numquam immutata eſt. Quod ſcribis, non oportuiſſe Metellum, fratrem tuum, ob dictum a me oppugnari: primum, hoc uelim exiſtimes, animum mihi iſtum tuum uehementer probari, & fraternam plenam humanitatis, ac pietatis uoluntatem: deinde, ſi qua ego in re fratri tuo reip. cauſſa reſtiterim; peto, ut mihi ignoſcas. tam enim ſum amicus rep. quam qui maxime. ſi uero meam ſalutem contra illius impetum in me crudeliſſimum defenderim: ſatis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris iniuria conqueri. quem ego cum comperiſſem omnem ſui tribunatus conatum in meam perniciem parare, atque meditari; egi cum Claudia, uxore tua, & cum ueſtra ſorore Mucia, cuius erga me ſtudium, pro Cn. Pompeij neceſſitudine, multis in rebus perſpexeram, ut eum ab illa iniuria deterrerent. Atque ille, quod te audiſſe credo, pridie Kal. Ian. qua iniuria nemo umquam in aliquo magiſtratu improbiſſimus ciuis affectus eſt, ea me conſulem affecit, cum remp. conſeruaſſem; atque abeuntem magiſtratu concionis habendae poteſtate priuauit. cuius iniuria mihi tamen honori ſummo fuit. nam, cum ille mihi nihil, niſi ut iurarem, permitteret; magna uoce iuraui ueriſſimum, pulcherrimumq. iuſiurandum: quod populus item magna uoce, me uere iuraſſe, iurauit. Hac accepta tam inſigni iniuria, tamen illo ipſo die miſi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo, ut ab illa mente deſiſteret. quibus ille reſpondit; ſibi non eſſe integrum. etenim paullo ante in concione dixerat, ei, qui in alios animaduertiſſet indicta cauſſa, dicendi ipſi poteſtatem fieri non oportere. hominem grauem, & ciuem egregium; qui, qua poena ſenatus, conſenſu bonorum omnium, eos affecerat, qui urbem incendere, magiſtratus, ac ſenatum trucidare, bellum maximum conflare uoluiſſent, eadem dignum iudicaret eum, qui curiam caede, urbem incendijs, Italiam bello liberaſſet. itaque ego Metello fratri tuo praeſenti reſtiti. nam in ſenatu Kal. Ian. ſic cum eo de rep. diſputaui, ut ſentiret ſibi cum uiro forti & conſtanti eſſe pugnandum. Ad* III. *non. Ian. cum agere coepiſſet, tertio quoque uerbo orationis ſuae me appellabat, mihi minabatur: neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me, quacumque ratione poſſet, non iudicio, neque diſceptatione, ſed ui, atque impreſſione euertere. huius ego temeritati ſi uirtute, atque animo non reſtitiſſem; quis eſſet, qui me in conſulatu non caſu potius exiſtimaret, quam conſilio fortem fuiſſe? Haec ſi Metellum cogitare de me neſciſti: debes exiſtimare, te maximis de rebus a fratre eſſe celatum. ſin aliquid impertiuit tibi ſui conſilij: lenis a te, & facilis exiſtimari debeo, qui nihil tecum de his ipſis rebus expoſtulem. etſi intelligis, non me dicto Metelli, ut ſcribis, ſed conſilio eius, animoq. in me inimiciſſimo eſſe commotum. Cognoſce nunc humanitatem meam: ſi humanitas appellanda eſt in acerbiſſima iniuria remiſſio animi, ac diſſolutio. Nulla eſt a me umquam ſententia dicta in fratrem tuum. quotieſcumque aliquid eſt actum, ſedens ijs aſſenſi, qui mihi leniſsime ſentire uiſi ſunt. addam illud etiam; quod iam ego curare non debui, ſed tamen fieri non moleſte tuli, atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adiuui; ut* S. C. *meus inimicus, quia tuus frater erat, ſubleuaretur. Quare non ego oppugnaui fratrem tuum. ſed fratri tuo repugnaui: nec in te, ut ſcribis, animo fui*

*mobili, ſed ita ſtabili, ut in mea erga te uoluntate, etiam deſertus ab officijs tuis, permanerem. Atque hoc ipſo tempore tibi, paene minitanti nobis per litteras, hoc reſcribo, atque reſpondeo. Ego dolori tuo non ſolum ignoſco, ſed ſummam etiam laudem tribuo. meus enim me ſenſus, quanta uis fraterni ſit amoris, admonet. a te peto, ut tu quoque aequum te iudicem dolori meo praebeas; ſi acerbe, ſi crudeliter, ſi ſine cauſſa ſum a tuis oppugnatus, ut ſtatuas mihi non modo non cedendum, ſed etiam tuo, atque exercitus tui auxilio in eiuſmodi cauſſa utendum fuiſſe. Ego te mihi ſemper amicum eſſe uolui; me ut tibi amiciſſimum eſſe intelligeres, laboraui. maneo in uoluntate, &, quoad uoles tu, permanebo: citiusq. amore tui fratrem tuum odiſſe deſinam, quam illius odio quidquam de noſtra beneuolentia detrahatur. Vale.*

# EXPLANATIO

CONSERVATAM} in conſulatu, anno ſuperiore, oppreſſa coniuratione Catilinae. PROPINQVOS *tuos*,} in primis Metellum Nepotem, Celeris fratrem, Ciceronis inimicum, ut infra patet. DOMESTICIS} quas maxime Lentulus, & Cethegus, egreſſo iam Catilina, in urbe comparabant. ARMATIS *hoſtibus*,} Catilina, & Manlio. Salluſtius, Ciceronis orationes, alij. OCCVLTA} ne qua per Italiam, cum aliquo reip. damno, erumperet coniuratio. TANTI, *& tam praeclari muneris*} modus amplificandi. coniungitur enim cum magnitudine laus: cum interdum poſsit eſſe alterum ſine altero. ſic pro lege Manilia: De quo homine uos tanta, & tam praeclara iudicia feciſtis? Pro Milone: In hoc tanto, & tam praeclaro naturae motu. In Antonium oratione v. Habeat huius tanti facti, tamq. praeclari decreto noſtro teſtimonium ſempiternum. In eundem VI. Hoc ueſtro iudicio tanto, tamq. praeclaro excitatus. In eundem VII. Hunc tantum, tamq. praeclarum apparatum. Et lib. de leg. III. Tam praeclara legis uoce laudatus. Eiuſdem generis illud in Verrem lib. VI. Incredibile eſt, quam multa, & quam praeclara fuerint. Et pro Milone: Quantae, quoties occaſiones, quam praeclarae fuerunt. Iam non uereor, cum haec tam multa ex ipſo Cicerone loca recitauerim, ne mihi poſthac petulans, & inſulſa Grammaticorum turba litem intendat, quod aliquando ſcripſerim, Tanti, ac tam praeclari muneris initium unde ſumi aptius potuit. abundare enim, Tam, arbitrabantur; quoniam, Prae, in compoſitione augeret: ignari, quam libera interdum, ſoluta artis Grammaticae uinculis, excurreret Latina lingua: quod & nos per otium nonnumquam conferentes intelleximus; & intelliget, quicumque conferendi curam ſuſceperit. Nec uero deerant alia eiuſdem Ciceronis exempla, ut in Verrem bis praeterea in eodem libro, in Rullum, in Catilinam, pro Flacco, oratione v. in Antonium, & in libro de claris oratoribus. A. TVIS *propinquis*} iterum propinquos nominat: quod eſt, iterum Metello inconſtantiam obijcere, quem a grati animi ſignificatione propinquorom iniquitas abduxerit. HONORIFICENTISSIMIS} quid. n. honorificentius, quam Italiam tibi ab armatis hoſtibus, & ab occulta coniuratione defendendam tradere? APERTE *confitebar*.} cum ambitionis confeſsio riſum moueret. PAS *uoluntas*} aculeus in Metellum: quaſi, rebus ampliſsimis, atque honorificentiſsimis a Cicerone ornatus, parem uoluntatem non reddiderit. PROVINCIAM,} cum ex conſulatu in Galliam ire poſſet, maluit in urbe remanere. quod ipſum ep. 4. lib. XV. ſcripſit ad Catonem his uerbis: Prouinciam ornatam, & ſpem non dubiam triumphi neglexi. Et ad Att. ep. 1. lib. 2. ait ſe, cum prouinciam in concione depoſuit, orationem habuiſſe. In oratione autem in Piſonem: Ego prouinciam Galliam, ſenatus auctoritate, exercitu, & pecunia inſtructam, & ornatam, quam cum Antonio communicaui, quod ita exiſtimabam tempora reip. ferre, communicaui. Et Phil. 11. Imitare me, qui inſtructam, ornatamq. a ſenatu prouinciam depoſui, ut incendium patriae, omiſſa omni cogitatione, exſtinguerem. Atque hanc ipſam Galliam a Metello adminiſtratam, Plinij iam teſtimonio probauimus, & Salluſtius etiam, ac Dio lib. XXXVII. oſtendit. SORTITIONE} uel ſortitiebantur prouincias inter ſe, uel comparabant, ideſt pactione, quam quiſque uellet, capiebant. ep. 9. lib. 1. VESTRA:} inter ſe, & collegas tuos facta. COLLEGAM *meum*} C. Antonium, collegam Ciceronis in conſulatu. Opinor, cum Galliam Antonio Cicero tradidiſſet, id quod ex oratione in Piſonem demonſtrauimus, & Salluſtius narrat, eum dediſſe operam, ut omnino Metellus Galliam ſortiretur, arte fortaſſe aliqua ad curandum ſortis euentum adhibita: cum ipſi gratior eſſet Macedoniae adminiſtratio, quā hoc anno ſuſcepit: ut ex ep. 10. lib. 1. ad Att. intelligitur. FACTA *ſortitione*,} in qua tibi obuenerat Gallia. COLLEGAS *tuos*} praetores. nam in magiſtratu prouincias ſortiebantur. EA *praeſcriptione eſt*,} quid hac praeſcriptione ſignificetur, communis intelligentia fortaſſe nō aſſequitur: quod exponere conabimur. Duplex erat in S. C. praeſcriptio, neceſsitatis una, honoris altera: neceſsitatis, quod infirmum erat S. C. cum in decernendo certus, ac lege definitus ſenatorum numerus non affuiſſet: itaque ſingulis S. C. ut ualerent, praeſcribebatur, quot ſenatores affuiſſent. de quo Feſti uerba recitabo: Numera ſenatum, ait quiuis ſenator conſuli, cum impedimento uult eſſe, quo minus faciat S. C. poſtulatq., ut aut res, quae afferuntur, diuidantur; aut ſinguli conſulantur; aut, ſi tot non ſint ſenatores, quo numero liceat praeſcribi S. C. Tulit etiam legem C. Cornelius tribunus pl. quem Cicero defendit, non ille quidem de omnibus S. C. ſed de ijs, quibus aliquem ſolui legibus placeret, ut ita rata eſſent, ſi ducenti ſenatores affuiſſent. Quod Feſti locus, etſi non plane, tamen quodam modo confirmat. Altera, quae auctoritatem S. C. adderet, praeſcriptio erat, cum nobiliſsimi ſenatores ſcribendo aderant. qui certus numerus non erat, ſed pro eius dignitate, & gratia, cuius de honore in S. C. ageretur. quo de genere praeſcriptionis hic puto ſignificari: & illud infra, Obſcurum eſſe non poſsit, ſic interpretor, ob eorum claritatem, qui

ſcribendo

ſcribendo affuerunt. Et in eo S.C. quod Coelius Ciceroni miſit, ep.10. lib.IIX. legendum opinor, S.C. quod tibi miſi, factum eſt, auctoritatesq. praeſcriptae: non perſcriptae. nam ſenatorum nomina, qui affuiſſent ſcribendo, S.C. auctoritates dicebantur, & ante S.C. ſcribebantur. de quo etiam more loquitur in ep. ad Catonem 6. lib.XV. cum inquit: Haec S.C. non ignoro ab amiciſsimis eius, de cuius honore agitur, ſcribi ſolere. non quod ij ſcriberent, ſed quod ſcribendo adeſſent, & fortaſſe etiam dictarent. Sic in Agraria 2. Collegas ſuos, adſcriptores legis agratiae, non repudiabit; a quibus ei locus primus inuidiae in praeſcriptione conceſſus eſt. Et lib.III. de Or. legitur in antiquo Borromei libro, In auctoritatibus praeſcriptis exſtant, ubi eſt in peruulgatis, Perſcriptis. PROFECTVS *es*,} poſt ſortitionem profectus eſt Metellus praetor non in Galliam, quam poſt praeturam adminiſtandam ſortitus erat, ſed in Picenum, in quo permanſiſſe uſque ad illud tempus, cum Catilina uictus eſt, e Salluſtio cognoſcitur. Catilina ſuperato, Galliam prouinciam accepit. PROXIME} poſt necem Catilinae uidetur Metellus, antequam in Galliam iret, Romam reuertiſſe. PARARE,} nam extremo anno conſulatus Ciceronis, id eſt IV. idus Decembris, ut mos erat, magiſtratum initurus erat Metellus Nepos tribunus pl. deſignatus. CLAVDIA,} impudica muliere, P. Clodij ſorore, de qua in oratione pro Coelio, & ep.1. lib.2. ad Att. Plutarchus in Cicerone Quadrantiam uocatam ſcribit, a quadrantibus in eius loculos ab amatore coniectis. VXORE *tua*,} quo modo uxor fuerit Celeris, cum eius fratrem P. Clodium fratrem patruelem Celeris nominet Cicero in oratione pro Coelio? an eadem & ſoror, & coniux? ſic opinor: ut Clodius, & Clodia filij fuerint Caeciliae, ſororis eius Metelli, qui Celerem, et Nepotem genuit. VESTRA *ſorore Mucia*,} uxore Cn. Pompeij, ut ex Pediano, Plutarcho, Dione, ad Att. ep.10. lib.I. planum fit. ſoror autem fuit auorum Metellorum, Celeris, & Nepotis; uel quod eius mater, patris ſoror eſſet; uel quod Celeris, & Metelli mater, Muciae gentis, ideſt ſoror eſſet patris huius Muciae. Sic enim feminae ſorores dicuntur, licet germanae non ſint, ut mares ſaepe fratres appellantur, cum ſint patrueles, aut conſobrini. Potuit etiam ſoror eſſe uterina, Celeris, & Nepotis, hoc modo, ut eorum mater, uiro mortuo, Q. Metello Nepote, nupſerit Q. Scaeuolae, ex quo poſtea Muciam hanc peperit. eam & Dio lib. XXCVII. ſororem uocat Metelli Celeris. cum hac poſtea, ſtupratam a C. Caeſare ſuſpicatus, poſt duos ſuſceptos filios, diuortium Pompeius fecit. ep.10. lib.I. ad Att. Pedianus, Suetonius, Plutarchus, Dio. DETERRERENT.} remouerent, non minis, aut iniecto metu, ſed rationibus, & precibus. interdum enim, Deterrere, & Cohortari, ut contraria opponuntur. lib.I. de orat. Vereor, ne maiorem uim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum. Exempla non deſunt. QVOD *te audiſſe credo*,} patet ſententia: nec diſcrepant mei ueteres libri, quibus in omnibus plane legitur, Credo. At in uno Mediceo libro eſt, Certo, non, Credo. ex quo alijs orta de mendo coniectura. mihi uerisimile non fit reliquos omnes libros ab uno illo eſſe deſcriptos: cum & ab illo, & ſaepe inter ſe diſſentiant. nec uero librum ullum tam antiquum eſſe arbitror, qui omni prorſus uacet mendo: quippe cum ne illa quidem interdum, quae a nobis cogitata ipſi noſtra manu ſcribimus, emendata ſatis eſſe uideamns. IN ALIQVO *magiſtratu*} ne minimo quidem. ſic in meis antiquis libris. nec ſane uideo, cur quidquam mutetur. aut, ſi mutandum, placeret, Minimo magiſtratu: ut legebat Vbaldinus Bandinellus: cum ſit in Mediceo libro, In animo magiſtratu. ſic opponerentur, Conſul, &, Minimo magiſtratu. PRIDIE *Kal. Ian.*} ultimo conſulatus die. CONCIONIS *habendae*} de rebus in conſulatu actis: ut more comparatum erat. PRIVAVIT.} pro poteſtate tribunicia. VT *iurarem*,} conſules, commemoratis rebus in conſulatu geſtis, iurare ſoliti ſunt, omnia ſe conſilia, atque facta ad reip. dignitatem, commodumq. retuliſſe. quod Ciceroni Metellus permiſit: reliqua commemorare uetuit. VERISSIMVM, *pulcherrimumq. iusiurandum*:} hoc, remp. a ſe uno conſeruatam. de quo ſic in oratione pro domo: Reip. ſemper intereſſe putaui, me illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate ſenatus, conſenſu bonorum omnium, pro ſalute patriae geſsiſſem, ſplendorem urbis, dignitatemq. retinere; praeſertim cum mihi uni in hac rep. audiente populo Romano opera mea hanc urbem, & hanc remp. eſſe ſaluam iurato dicere fas fuiſſet. Et in Piſonem: Ego, cum in concione, abiens magiſtratu, dicere a tribuno pl. prohiberer, quae conſtitueram; cumq. is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret; ſine ulla dubitatione iuraui, remp. atque hanc urbem mea unius opera eſſe ſaluam. Idem confirmat Dio lib. XXXVII. Plutarchus autem, prohibitum Ciceronē a duobus tribunis, Metello, & Beſtia, prodidit falſo: nam Beſtia non eodem anno cum Metello tribunatum geſsit: Beſtia Cicerone conſule, quod Salluſtius oſtendit, Metellus anno ſequenti. quod uel hic locus declarat. nam tribuni pl. magiſtratum inibant IV. idus Dec. itaque non eum concione priuare potuit Beſtia. extremo conſulatus die, ideſt Kalendis Ianuarij, cum III. idus Dec. tribunatu abijſſet: ſed id a Metello factum, qui tribunatum, ante quam Cicero conſulatum abſoluiſſet, inierat. POPVLVS} confirmatum a populo Ciceronis iuſiurandum, & oratio in Piſonem loco proxime recitato, & Plutarchus in Ciceronis uita demonſtrat. INDICTA *cauſſa*,} ſignificabat, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium conſcios, & participes coniurationis Catilinae, indicta cauſſa, contra leges, moremq. maiorum, eſſe condemnatos. animaduertiſſe autem in eos Ciceronem dicit, quod, eo iubente, in carcere ſtrangulati ſunt: ut Salluſtius, Plutarchus, Dio ſcriptum reliquere. Appianus hoc addit, Ciceronem eos necari in conſpectu ſuo iuſsiſſe, quod falſum eſt. HOMINEM *grauem*,} cum ironia, ut Tuſc. 2. Hominem exercitatum. quis tot uerba tanto in luctu continuat? Phil. 13. Turpem uero actionem, qua defenditur ampliſsimi auctoritas ordinis cōtra crudeliſsimi gladiatoris amentiam. Ad Q. fr. ep. 4. lib. III. Lepidum amicum Salluſtium, qui mihi aut inimicitias putet periculoſas ſubeundas fuiſſe, aut infamiam ſempiternam. AGERE} in ſenatu. NON *iudicio, neque diſceptatione*,}

eadem coniunxit lib. IV. de rep. Iudicijs enim, ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam uitam, non poetarum ingenijs, habere debemus. IMPRESSIONE} Impreſsionem facere, quo loquendi genere Varro, Hirtius, Liuius uſi ſunt, eſt, cum impetu irruere. RESTITISSEM;} acerrime diſputando, ſcripſit etiam contra Metelli concionem: ut eſt in ep. 9. lib. I. ad Att. & in Gellio lib. XIIX. cap. 7. CASV} ſic ep. 17. ad Att. lib. I. Reliqua ſic a me aguntur, & agentur, ut non committamus, ut ea, quae geſsimus, fortuito geſsiſſe uideamur. Et Phil. V. Quis eſt, qui hunc non caſu exiſtimet recte feciſſe? Laus enim a conſilio pendet, non a caſu. itaque Cicero, cum ea commemorat, quae pro ſalute reip. in opprimenda Catilinae coniuratione geſſerat, caſum a ſe reijcit, conſilium aſſumit. Ego committam, inquit in oratione pro Sulla, ut ea, quae pro ſalute communi geſsi, caſu magis, & felicitate a me, quam uirtute, & conſilio geſta eſſe uideantur? Et in Catilina 3. Curemq. ut ea uirtute, non caſu, geſta eſſe uideantur. In epiſtola quoque ad Curium, lib. VII. Conſilio caſum quaſi opponit, & ex caſu felicitatem deducit. Sapienter haec, ait, reliquiſti: feliciter, ſi caſu. Propterea dixit etiam in oratione pro Sulla: Caſu magis, & felicitate: quia poſsit ex caſu felicitas naſci, nullo noſtro merito. CELATVM.} uel peccauit Nepos, ſi te celauit: uel tu, ſi celatus non es, inique facis, qui me accuſes, quem oppugnatum non ignoras. DISSOLVTIO.} Diſſolutus eſt, qui fert ea, quae non debet; aut indulget plus, quam oporteat. in ep. ad M. Brutum; Neque diſſolutum a te quidquam homines exſpectant, nec crudele. Et lib. III. Off. Negligere quid de ſe quiſque dicat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. SEDENS} aſſenſio enim paucis uerbis abſoluitur. ſtantes autem ſententiam pluribus uerbis dicebant. LENISSIME} cum alii grauiſsime ſentirent: quibus non aſſenſi. SENTIRE} cum ageretur in ſenatu de Nepote tribuno pl. puniendo, quia leges iniquiſsimas aduerſus collegarum interceſsionem ferret: cui Caeſar praetor cum opem ferret, utrumque decreto patrum adminiſtratione reip. ſummorum, Suetonius narrat. propterea ſcripſerat Metellus Celer, Fratrem meum capite, ac fortunis per te oppugnatum iri. CVRARE *non debui*,} quis enim curat, ut ſubleuetur inimicus? SVBLEVARETVR.} opinor alterum ſignificari decretum, quo Metello, & Caeſari ſenatus ignouit, inducto priore decreto. Suetonius. DESERTVS *ab officijs tuis*,} ſupra dixit: Velim, iudices, ſatis ne uideatur his omnibus rebus, cum proxime Romam ueniſti, mutuo reſpondiſſe. AEQVVM *te iudicem praebeas*;} quod impulſus dolore ita cum fratre tuo de rep. diſputaui, ut ſentiret ſibi cum uiro forti, & conſtanti, eſſe pugnandum. ſic locutus in ep. I. lib. 2. EXERCITVS} tres eum legiones habuiſſe, cum in Piceno praeſideret, ait Salluſtius; nec fuiſſe pauciores, cum Galliam proconſul regeret, conſentaneum eſt. VTENDVM} placet: pro mea tamen conſuetudine lectorem admoneo, in antiquis duodecim libris eſſe, Tuendum, non, Vtendum. QVOAD *uoles tu*,} humanitatem oſtendit, habita ratione grauitatis. nam inuitum amare dementiae eſt.

---

# Argumentum ep. 3.

*LIbri ueteres hanc epiſtolam Nepotis nomine inſcribunt: quod ſi credimus; ex Hiſpania miſſam, cui poſt conſulatum Nepos praefuit, ſimul credere neceſſe eſt. Scribit haec: a ſe fratrem ſuum, aſsidue Ciceroni obtrectantem, deſpici; Ciceronem autem, qui ſuam in eum beneuolentiam officijs declararet, fratris loco diligi: de prouinciae rationibus ad Lollium ſe litteras dediſſe. Amoris conſeruationem petit in extremo. Moralis epiſtola: quibus conſulibus, incertum: cum Nepos Hiſpaniae triennium praefuerit; ut ex Pediano in commentario orationis pro Scauro colligitur.*

## *Q. Metellus Nepos S. D. Ciceroni:* 3.

HOMINIS *importuniſſimi contumeliae, quibus me crebris concionibus onerat, tuis erga me officijs leniuntur; et, ut ſunt leues huiuſmodi homines, a me deſpiciuntur: libenterque, commutata perſona, te mihi fratris loco eſſe duco. de illo ne meminiſſe quidem uolo: tametſi bis eum inuitum ſeruaui. de me, meisq. rebus, ne uobis multitudine litterarum moleſtior eſſem, ad Lollium perſcripſi; de rationibus etiam prouinciae quid uellem fieri, ut is uos doceret, & commonefaceret. Si poteris, uelim priſtinam tuam erga me uoluntatem conſerues. Vale.*

EXPLA-

## EXPLANATIO

IMPORTVNISSIMI} P. Clodij, qui Nepotis frater appellatur & in ep. 3. lib. IV. ad Att. fratres autem fuere, uel conſobrini, uel quod Clodij mater, patris Nepotis ſoror fuerit. CONTVMELIAE,} in Ciceronem. CONCIONIBVS} ita longis, itaq. acerbis litteris, ut concionari uideatur. ONERAT,} mihi moleſtus eſt. LENIVNTVR;} earum acerbitate non moueor, quae minuitur, ac tollitur officijs tuis. EIVSMODI *homines*,} ſic mei ueteres libri. unus, Hominis. ut ſit; Eiusmodi hominis quia leues contumeliae ſunt, a me deſpiciuntur. ita opponentur, Onerat, & Leues. ſin, Homines legatur, poteſt eſſe eadem ſententia, hoc modo: quia ſunt leues eiusmodi homines, a me deſpiciuntur eorum contumeliae. poteſt etiam ſic: deſpiciuntur a me, tamquam leues, eiusmodi homines. Mediceus liber, Ab eiusmodi homine: ſententia eadem, quae elicitur ex, Eiusmodi hominis. COMMVTATA *perſona*,} tranſlatio ab hiſtrionibus, qui, commutata perſona, diuerſas agunt partes. INVITVM} nemo ſeruatur inuitus. ſed, qui palam peccat, nec paene metu flagitijs abſtinet, is cum impunitatem adipiſcitur, ſeruari uidetur inuitus. Clodij autem cunctis paene ſceleribus inquinatam uitam quis ignorat? PROVINCIAE} dixi iam praefuiſſe Nepotem Hiſpaniae, dixi autem auctoribus Appiano lib. 2. bell. ci. Plutarcho in Caeſare, Dione lib. XXXIX. SI. POTERIS,} nolim te fratris iniuriae ita commoueant, ut propterea de tua in me uoluntate quidquam detrahatur.

# Argumentum ep. 4.

*EXſul opem implorat conſulis Nepotis: ſeq. non immemorem beneficij futurum confirmat. P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote cos.*

### *Cicero S. D. Metello Nepoti cos.* 4.

LITTERAE *Quincti fratris, & T. Pomponij, neceſſarij mei, tantum mihi ſpei dederant, ut in te non minus auxilij, quam in tuo collega, mihi conſtitutum fuerit. itaque ad te litteras ſtatim miſi; per quas, ut fortuna poſtulabat, & gratias tibi egi, & de reliquo tempore auxilium petij. poſtea mihi non tam meorum litterae, quam ſermones eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum ſignificabant; quae res fecit, ut tibi litteris obſtrepere non auderem. nunc mihi Quinctus, frater meus, mitiſſimam tuam orationem, quam in ſenatu habuiſſes, perſcripſit; qua inductus, ad te ſcribere ſum coactus: & abs te, quantum tua fert uoluntas, peto, quaeſoque, ut tu meos mecum ſerues potius, quam propter arrogantem crudelitatem tuorum me oppugnes. tu, tuas inimicitias ut reip. donares, te uiciſti: alienis ut contra remp. confirmes, adduceris? quod ſi mihi tua clementia opem tuleris: omnibus in rebus me fore in tua poteſtate tibi confirmo. ſin mihi neque magiſtratum, neque ſenatum, neque populum auxiliari propter eam uim, quae me cum rep. uicit, licuerit: uide, ne, cum uelis reuocare tempus omnium conſeruandorum, cum, qui ſeruetur, non erit, non poſſis. Vale.*

## EXPLANATIO

COLLEGA,} P. Lentulo conſule, Ciceronis reditũ enixe curante: ut ex ep. & orationibus conſtat. MITISSIMAM} quae mihi, antea diffidenti, ſpem attulit auxilij tui. fortaſſe oratio illa ſignificatur, quam habuit primo conſulatus die, referente de reditu Ciceronis collega eius P. Lentulo. uide pro Sextio. SVM *coactus*:} malo, Sum conatus, ut eſt in quattuor antiquis libris: nam, Coactus, cum proxime dictum ſit, Inductus, ſententia non deſiderat. Conatus autem ſignificat, non inuitum, Ciceronem ſcripſiſſe, inductum eius oratione mitiſsima. TVORVM} Clodiorum, cum eſſet frater P. Clodij. TVAS *inimicitias*} fortaſſe quas cum C. Curione, qui de Dardanis triumphauit, acerbiſsimas geſſerat. uide Pedianum in commẽtario Cornelianae. MAGISTRATVM,} conſulem P. Lentulum, qui cum primo conſulatus die de reuocando Cicerone retuliſſet, confecta res non eſt, noctem ſibi ad deliberandum poſtulante Sex. Atilio Serrano tribuno pl. quẽ Gauanium appellat in oratione pro Sextio. CONSERVANDORVM,} ſic in uno tantum uetere libro: cui potius aſſentior, quam reliquis omnibus, in quibus eſt, Reſeruandorum. aut, Reſeruandorum, dixit, habita ratione temporis omiſsi: quaſi, iterum ſeruandorum: quos antea non ſeruaueris, cum poſſes. NON *erit*,} exitium a P. Clodio impendere uniuerſae reip. dicit: ſiquidem plus poſsit unus, quam conſul, ſenatus, populus.

# Argumentum ep. 5.

*OMnia beneuoli animi ſigna in C. Antonium a ſe eſſe profecta, nullam ab illo relatam gratiam, oſtendit: quod ſi gratum cognouerit, ſe non eſſe ei defuturum. Commendat in extremo Atticum. Eſt autem hic Antonius, qui collega Ciceronis fuerat in conſulatu, filius M. Antonij, ſummi oratoris, patruus M. Antonij, qui poſtea remp. oppreſsit Macedoniam hoc tempore proconſul adminiſtrabat. Silano, & Murena cos.*

## *Cicero S. D. C. Antonio M. F. imp.* 5.

ETSI *ſtatueram nullas ad te litteras mittere, niſi commendaticias; non quod eas intelligerem ſatis apud te ualere; ſed ne ijs, qui me rogarent, aliquid de noſtra coniunctione imminutum eſſe oſtenderem: tamen, cum T. Pomponius, homo omnium meorum in te ſtudiorum, & officiorum maxime conſcius, tui cupidus, noſtri amantiſſimus, ad te proficiſceretur; aliquid mihi ſcribendum putaui, praeſertim cum aliter ipſi Pomponio ſatisfacere non poſſem. Ego ſi abs te ſumma officia deſiderem, mirum nemini uideri debeat. omnia enim a me in te profecta ſunt, quae ad tuum commodum, quae ad honorem, quae ad dignitatem pertinerent. pro his rebus nullam mihi abs te relatam eſſe gratiam, tu es optimus teſtis. contra etiam eſſe aliquid abs te profectum, ex multis audiui: nam, comperiſſe me, non audeo dicere; ne forte id ipſum uerbum ponam, quod abs te aiunt falſo in me ſolere conferri. ſed ea, quae ad me delata ſunt, malo te ex Pomponio, cui non minus moleſta fuerunt, quam ex meis litteris, cognoſcere. meus in te animus quam ſingulari officio fuerit, & ſenatus, & populus R. teſtis eſt; tu, quam gratus erga me fueris, ipſe exiſtimare potes; quantum mihi debeas, ceteri exiſtiment. ego, quae tua cauſſa antea feci, uoluntate ſum adductus, poſteaq. conſtantia: ſed reliqua, mihi crede, multo maius meum ſtudium, maioremq. grauitatem, & laborem deſiderant: quae ego ſi non profundere, ac perdere uidebor, omnibus meis uiribus ſuſtinebo: ſin ingrata eſſe ſentiam; non committam, ut tibi ipſe inſanire uidear. ea, quae ſint, & cuiuſmodi, poteris ex Pomponio cognoſcere. Atque ipſum tibi Pomponium ita commendo, ut, quamquam ipſius cauſſa confido te facturum eſſe omnia, tamen abs te hoc petam, ut, ſi quid reſidet in te amoris erga me, id omne in Pomponij negotio oſtendas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.*

## EXPLANATIO

IMP.} fortaſſe rem militarem feliciter geſſerat, cum haec epiſtola ſcripta eſt: poſtea uero male pugnauit. nam triennio poſt, Caeſare, & Bibulo cos. idem damnatus eſt, quod in Thracia, & Myſia parum proſpere rem geſsiſſet. epitome Liuiana, Dio, Obſequens. NISI *commendaticias*;} non igitur hae ſunt commendaticiae, licet Atticus commendetur. argumentum enim hoc uidetur, ut ei Cicero, Attico rogante, ſuum ſtudium in accuſationis, quae parabatur, periculo deferret. quam partem non ante aggreſſus eſt, quam ei, commemoratis officijs ſuis, ingrati animi uitium exprobrauit. IPSI *Pomponio*} qui Ciceronis animum, nonnihil ab Antonio abalienatum, reconciliari cupiebat. OFFICIA *deſiderem*,} infra ſubiunxit, Nullam mihi abs te relatam eſſe gratiam, tu es optimus teſtis. Et in ep. ſequenti: Eius in me officia omnes deſiderant. A . ME *in te profecta*,} defenderat iam eum Cicero in ſenatu, cum de reuocando ex Macedonia ageretur. quod ex epiſtola ſequenti cognoſcitur. FALSO . IN . ME *ſolere conferri*.} cum dicas, comperiſſe te, me tibi amicum non fuiſſe. quod falſo a te dicitur. DELATA} de querellis tuis. Libentius enim ad querellas Antonij refero, quam ad id, quod legitur ep. 10. lib. 1. ad Att. de parte pecuniarum, quae contra leges ab Antonio in prouincia cogerentnr, Ciceroni danda. CONSTANTIA:} etſi non deberem, cum te non eſſe in me gratum audirem; feci tamen, ne inconſtans in amicitia uiderer. ep. 8. Quae a me ſuſcepta defenſio eſt, te abſente, dignitatis tuae, in ea iam ego non ſolum amicitiae noſtrae, ſed etiam conſtantiae meae cauſſa permanebo. RELIQVA,} fore putabat, ut de repetundis accuſaretur. quod ex ep. 10. lib. 1. ad Att. ſatis conſtat. fit enim in eo mentio & de coactis ab Antonio pecunijs, & de praetore ad populum acturo. quamquam non niſi triennio poſt, Caeſare, & Bibulo cos. accuſatus eſt, ut Suetonius, & oratio pro domo demonſtrat. quo tempore, Cicerone defendente, damnatum eſſe, ex oratione pro Coelio, & ex Dione cognoſcitur. damnatum autem de maieſtate, accuſante Coelio, & Dio, & proxime nominata oratio uidetur ſignificare: de repetundis etiam, oſtendit locus ille in ep. 10. lib. 1. ad Att. Antonium in cogendis pecunijs dictitare, partem mihi quaeri. Quod altero confirmatur argumento, quia damnatum accuſante Q. Maximo plane demonſtrat oratio in Vatinium, ut de maieſtate a Coelio, de repetundis a Maximo accuſatus, ex utroque crimine damnatus ſit. nam & duos quaeſitores, Q. Claudium, & Cn. Lentulum, apud quos reus factus eſt, in eadem oratione uideo nominari.

# Argumentum ep. 6.

*EXponit ſuam diligentiam, in eo adhibitam, ne Sextio, qui cum C. Antonio proconſule quaeſtor in Macedoniam iuerat, ſuccederetur. addit de domo a ſe empta, non ſine ioco: de Sextij, quae aedificabantur, aedibus: de C. Antonio a ſe in ſenatu defenſo. M. Meſſalla, M. Piſone cos.*

## *Cicero S. D. P. Sextio L. F. procos. 6.*

*CVM ad me Decius librarius ueniſſet; egiſſetq. mecum, ut operam darem, ne tibi hoc tempore ſuccederetur: quamquam illum hominem frugi, & tibi amicum exiſtimabam; tamen, quod memoria tenebam, cuiuſmodi ad me litteras antea miſiſſes, non ſatis credidi homini prudenti, tam ualde eſſe mutatam uoluntatem tuam. ſed, poſtea quam & Cornelia tua Terentiam conuenit; & ego cum Q. Cornelio locutus ſum: adhibui diligentiam, quotieſcumque ſenatus fuit, ut adeſſem: plurimumq. in eo negotij habui, ut Q. Fufium tribunum pl. & ceteros, ad quos tu ſcripſeras, cogerem mihi potius credere, quam tuis litteris. omnino res tota in menſem Ianuarium reiecta erat, ſed facile obtinebatur. Ego, tua gratulatione commotus, quod ad me pridem ſcripſeras, uelle te bene euenire, quod de Craſſo domum emiſſem, emi eam ipſam domum XXXV, aliquanto poſt tuam gratulationem. itaque nunc me ſcito tantum habere aeris alieni, ut cupiam coniurare, ſi quis me recipiat. ſed partim odio inducti me excludunt, & aperte uindicem coniurationis oderunt: partim non credunt; & a me inſidias metuunt; nec putant ei nummos deeſſe poſſe, qui ex obſidione feneratores exemerit. omnino ſemiſſibus magna copia eſt: ego autem meis rebus geſtis hoc ſum aſſecutus, ut bonum nomen exiſtimer. Domum tuam, atque aedificationem omnem perſpexi, & uehementer probaui. Antonium, etſi eius in me officia omnes deſiderant, tamen in ſenatu grauiſſime, ac diligentiſſime defendi; ſenatumq. uehementer oratione mea, atque auctoritate commoui. Tu ad me uelim litteras crebrius mittas. Vale.*

## EXPLANATIO

P. SEXTIO} quaeſtor Antonio fuit & conſuli Romae, & proconſuli in Macedonia. quod ex oratione pro ipſo patet. PROCOS.} ſic omnes antiqui libri, eadem ratione, qua Proconſul Salluſtius in ep. 17. lib. 2. inſcriptione nominatur. FRVGI,} a quo genere hominum prudentia ſpectare uidetur. itaque ſubiunxit, Non ſatis credidi homini prudenti. Q. FVFIVM *tribunum pl.*} hic locus epiſtolam Meſſalla & Piſone cos. ſcriptam eſſe ſignificat. nam hoc anno tribunatum a Fufio geſtum ait Dio lib. XXXIIX. idq. confirmat Aſconius, qui, quo tempore Clodius de inceſtu accuſatus eſt, huius Fufij opera factum tradit, ne a ſenatu aſperius decerneretur. de inceſtu autem Clodij actum Piſone, & Meſſalla cos. ex ep. ad Att. lib. I. in quibus etiam Fufius tribunus pl. nominatur, facile intelligitur. Idem, interfecto Clodio, acerrimus Milonis fuit aduerſarius: & a Cicerone notatur in oratione pro Milone: cum ait: Diuiſa ſententia eſt, poſtulante neſcio quo: nihil enim neceſſe eſt, omnium flagitia proferre. Biennio poſt, aedilitate omiſsa, praeturam geſsit Caeſare, & Bibulo cos. legemq. de ſuffragijs tulit. teſtis Dio. conſul fuit cum P. Vatinio, anno DCCV. ut faſti docent Capitolini. Socer fuit Panſae conſulis, qui Mutinenſi proelio, partium reip. contra M. Antonium defenſor, interfectus eſt. Defendit Antonium in ſenatu, a Cicerone oppugnatum: ut ex Philippicis, & epiſtolis ad Brutum conſtat. Caleno cognomen fuit. SCRIPSERAS,} cupere te, ut tibi ſuccederetur. DE . CRASSO} a Craſſo. Notum loquendi genus. Hoc & in ea declamatione, quae Salluſtij nomine inſcribitur, in Ciceronem confertur his uerbis: Domum ipſam tuam ui, & rapinis, funeſtam tibi, ac tuis, comparaſti; uidelicet ut nos commonefacias, quam conuerſa eſt reſp. cum in ea domo habitares, homo flagitioſiſsime, quae P. Craſsi, uiri conſularis, fuit. XXXV.} tricies quinquies: ut ſubaudiatur, centenis millibus nummum: ideſt centum quinque ſcutatorum millibus. accepit autem mutua a P. Sulla, qui tum reus erat, H-S uicies, ideſt ſexaginta ſcutatorum millibus, ut ait Gellius lib. XII. cap. 12. Haec domus primum fuerat M. Liuij Druſi, eius, qui tribunus pl. initio belli Italici a neſcio quo eſt interfectus. deinde poſſedit eam Craſſus hic, a Cicerone nominatus; poſt Craſſum, Cicero; poſt Ciceronem, Cenſorinus; poſt Cenſorinum, Statilius Siſenna. quod Velleius lib. II. memoriae tradidit. VT . CVPIAM *coniurare*,} iocatur: quia Catilina, eiusq. ſocij, cum aes alienum feneratoribus ſoluere non poſſent, in patriam coniurarunt. Salluſtius. EXCLVDVNT,} coniurationis participes. EX . OBSIDIONE} maxime enim contra feneratores, & locupletes facta coniuratio eſt. quo ſpectat illud in ep. I. lib. I. ad fratrem: Publicani, quod ita negotiantur, ut locupletes ſint, noſtri conſulatus beneficio incolumes ſe fortunas habere arbitrantur. Et lib. 2. Off. Numquam uehementius actum eſt, quam me conſule, ne ſolueretur: armis, & caſtris tentata res eſt. EXEMERIT.} oppreſſa enim coniuratione, feneratores impendenti periculo liberati. OMNINO *ſemiſsibus magna*

*copia eſt :* } & Mediceus liber, & reliqui habent, Omni, non, Omnino, uno excepto, qui Thomae Leonici fuit, doctiſsimi hominis, in quo eſt, Omnino. Omni, pro cuilibet, duriuſcule poſitum uidetur. nam illud ep. 3. lib. VII. ad Att. Hic. omnia facere omnis, ne armis decernatur: poteſt eſſe quarto caſu, numero multitudinis. quare, Omnino, malui, conſenſu tamen antiquorum exemplarium indicato. Deeſſe, inquit, nummi non poſſunt, ſi quis uſuras ſemiſſas uelit pendere, ideſt ſenos annuos pro centenis. haec autem ciuilis & moderata fuit uſura: grauiſsima uero omnium, quae legibus concedebantur, ea fuit, cum duodeni annui pro centenis: quae centeſima uocabatur. in quo diſſentire cogor a doctis hominibus, qui affirmant, unciarium fenus leuiſsimum fuiſſe: quod, ut arbitror, grauiſsimum fuit, idemq. cum centeſima. uſurarum enim quaedam nomina menſtruā ſolutionem, quaedā annuam ſignificant: menſtruam, ut centeſima, unciaria, ſemunciaria: annuam, ut ſemis, triens, bes. nam, ſi centeſima uel unciaria, uel ſemunciaria, ſemel in anno ſoluerētur: quis tātulo quaeſtu, pecuniā ſuam collocaſſet? rurſus, ſi bes, uel ſemis, uel etiam triens, uſura menſtrua eſſet: quis, tanta rei familiaris iactura, fenebrem pecuniam accipere uoluiſſet? Opinor igitur unciarium fenus & centeſimam idem eſſe: ut ratio habeatur menſtruae ſolutionis, non annuae: ſemunciarium autem idem cum ſemiſsibus: ut in ſemiſsibus annua ſolutio ſpectetur, in ſemunciario fenore, menſtrua. propterea lib. V. ait Tacitus, XII. tabulis ſancitum eſſe, ne quis unciario fenore amplius exerceret; cum antea ex libidine locupletum agitaretur: deinde rogatione tribunicia uſuram ad ſemuncias redactam. Nam, ſi duodecim tabulae annuum fenus unciarium ſignificaſſent; & ſi tribuni pl. poſtea de ſemunciario item annuo rogationem tuliſſent: graues admodum poſtea ſemiſſes uſurae uiſae eſſent, quas tamen ciuiles ac modicas fuiſſe, tum Plinius lib. XIV. cap. 14. tum alij ſatis oſtendunt, grauiſsima uero centeſima, quae tamen legibus concedebatur: ſupra uero non licebit: ideoq. cum trientem, ſemis, beſſem, nominari uidemus, non de menſtrua, ſicut in unciario fenore, ſed de annua dictum uſura exiſtimare debemus. alioqui non fuiſſet grauiſsima omnium centeſima. EGO. AVTEM *meis rebus geſtis* } Mea, inquit, praecipua cauſſa eſt: cum ob res a me geſtas, ideſt ob feneratores, quibus exitium Catilina moliebatur, bonum nomen, ideſt bonae fidei debitor exiſtimer. Debitorum nomina in expenſi codicem referebantur. inde factum, ut Nomen acciperetur & pro debita pecunia, unde, exigere nomina, in Verrem; & pro debitore, ut hic, & quod ab Alphio feneratore dici ſolitum refert Columella, uel optima nomina non appellando fieri mala. ANTONIVM, } C. Antonium, collegam Ciceronis in conſulatu, qui hoc tempore Macedoniam regebat. OMNES } omnes, qui teſtes ſunt meorum in te meritorum. Dixit enim in epiſtola ſuperiore: Meus in te animus quam ſingulari officio fuerit, & ſenatus, & populus Romanus teſtis eſt. DESIDERANT, } ſic in proxima ſuperiore: Si abs te ſumma officia deſiderem, mirum nemini uideri debeat. Et ibidem, poſt: Nullam mihi abs te relatam eſſe gratiam, tu es optimus teſtis. Notatur ingrati animi uitium hoc uerbo: quia deſiderantur ea, quae non habeamus. IN. SENATV } cum ageretur de Antonio ex prouincia ob rapinas reuocando: ut ex ep. 10. lib. I. ad Att. intelligo: in qua ſcriptum eſt hoc: Pompeiani prodromi nunciant, aperte Pompeium acturum, Antonio ſuccedi oportere. Et ibidem, paullo poſt, pecuniae nominantur a C. Antonio iniuſte coactae. ea porro epiſtola iiſdem, quibus haec, ideſt Piſone, & Meſſalla cos. ſcripta eſt. Reuocatus tamen Antonius hoc anno non eſt, ſed in prouincia manſit uſque ad conſulatum Caeſaris, & Bibuli; quibus conſulibus damnatus eſt, atque etiam uidetur aliquot eius anni menſes in Macedonia fuiſſe, ſi epitomae Liuianae uerba conſiderentur. GRAVISSIME, } ut grauiter accuſare, ita grauiter defendere, dicitur: quae ſummi ſtudij ſignificatio eſt. DEFENDI; } quamquam, nec licere ſibi eum defendere, nec libere, iam ad Atticum ſcripſerat, ep. 10. lib. I. COMMOVI. } ita commouit, ut manſerit poſtea C. Antonius in prouincia uſque ad Caeſarem, & Bibulum cos.

---

# Argumentum ep. 7.

*GRatulatur Pompeio de Mithridate uicto: deinde carpit eum, ut gratiae referendae parum ſtudioſum, quia ſibi de Catilinae coniuratione extincta frigide gratulatus erat: ſe tamen ei tum in reſp. tum in amicitia coniunctum fore ſignificat. ſcripta Silano & Murena cos. ante ceteras omnes, quae hoc uolumine continentur.*

## *Cicero S. D. Cn. Pompeio. Cn. F. Magno, imp.* 7.

SI TV *exercituſq. ualetis, bene eſt. Ex litteris tuis, quas publice miſiſti, cepi una cū omnib. incredibilē uoluptatē. tantam enim ſpem otij oſtēdiſti, quantam ego ſemper omnibus, te uno fretus, pollicebar. ſed hoc ſcito, tuos ueteres hoſtes, nouos amicos, uehementer litteris perculſos, atque ex magna ſpe deturbatos, iacere. Ad me autem litteras quas miſiſti, quamquam exiguam ſignificationem tuae erga me uoluntatis habebant, ta-*

*men*

*men mihi ſcito iucundas fuiſſe . nulla enim re tam laetari ſoleo , quam meorum officiorum conſcientia . quibus ſi quando non mutuo reſpondetur, apud me plus officij reſidere, facillime patior . illud non dubito, quin, ſi te mea ſumma erga te ſtudia parum mihi adiunxerunt , reſp. nos inter nos conciliatura , coniunctaq. ſit . ac , ne ignores, quid ego in tuis litteris deſiderarim : ſcribam aperte, ſicut & mea natura , & noſtra amicitia poſtulat . Res eas geſſi, quarum aliquam in tuis litteris , & noſtrae neceſſitudinis, & reip. cauſſa, gratulationem exſpectaui: quam ego abs te praetemiſſam eſſe arbitror, quod uerebare, ne cuius animum offenderes . ſed ſcito, ea, quae nos pro ſalute patriae geſſimus , orbis terrae iudicio, ac teſtimonio, comprobari. quae, cum ueneris, tanto conſilio, tantaq. animi magnitudine a me geſta eſſe cognoſces , ut tibi , multo maiori , quam Africanus fuit , me , non multo minorem, quam Laelium , facile & in rep. & in amicitia adiunctum eſſe patiare. Vale.*

## EXPLANATIO

CN. F.} Cn. Pompeij Strabonis , qui de Aſculanis, & Picentibus conſul triumphauit , anno DCLXIV. MAGNO,} hoc ei cognomen dedit Sullae ſalutatio; cum adhuc eques Romanus , adoleſcens annos natus XXIV. Siciliam, eiecto Perperna, caeſo Carbone conſule , Marianarum partium ducibus, recuperaſſet, Africam uero XL. diebus , interfecto Cn. Domitio , Hiarba , Mumidiae rege , capto ſubegiſſet . epitome, Velleius , Plinius , Plutarchus , alij . MISISTI,} ex caſtris , confecto bello Mithridatico: ex quo triumphauit anno ſequenti, pridie Kal. Oct. die natalis ſui , ut ſcripſit Plinius lib. XXXVII. SPEM *otij*} ab externis bellis . unus enim , reliquis deuictis , aut pacatis , formidandus hoſtis Mithridates uidebatur : cum quo per annos triginta continenter bellum geſsit populus Romanus . POLLICEBAR.} id maxime pollicitus eſt in oratione pro lege Manilia . VETERES *hoſtes* ,} M. Craſſum, & L. Lucullum puto ſignificari ; quibus potentia , & gloria Pompeij moleſta ſemper fuit . NOVOS amicos ,} Pompeio quidem ita reconciliatos, ut apertas non gererent inimicias , eius tamen ſecunda fortuna ualde maerentes . PERCVLSOS,} perculſi deturbantur, & deturbati iacent . ideo dixit , Perculſos , atque ex magna ſpe deturbatos , iacere . ſic ep. 4. lib. IV. Perculſa , & proſtrata foediſsimo bello iacent omnia . EX . MAGNA *ſpe deturbatos*,} non dubito , quin hoc loquendi genus , ut alia multa , a Graecis fontibus deduxerit . dixit enim Plato in Euthyphrone: *Ἀπ᾽ ἐλπίδος με καταβαλὼν μεγάλης ἀπέρχῃ.* MEORVM *officiorum* } quorum te non ſatis eſſe memorem, litterae tuae ſignificant . Officia uero Ciceronis in Pompeium erant multa : cum eius dignitatis ab adoleſcentia fauſtor , in praetura autem , & in conſulatu adiutor etiam exſtitiſſet . quod ſcripſit ad Lentulum ep. 9. lib. I. praetor enim ſuaſit Maniliam rogationem , ut ei bellum Mithridaticum demandaretur . conſul ad ſenatum retulit , quia maritimis terreſtribusq. bellis uirtute ſua Pompeius finem attuliſſet , ut ei duplicaretur ſupplicatio conſularis , ideſt dierum decem decerneretur : quod antea nemini conceſſum erat . in oratione de prouincijs . NON *mutuo reſpondetur;*} & hic mordet Pompeium , qui ſuis officijs non mutuo reſpondere uideatur . FACILLIME *patior* .} hoc loquendi genere neque laetitia , neque moleſtia ſignificatur : perinde ac ſi dicas , non laboro . probatur exemplis . ep. 9. lib. I. Facile patior ea me de rep. ſentire , ac dicere , quae maxime cum mihi , tum etiam reip. rationibus putem conducere . pro , non inuitus ea ſentio , ac dico . & ep. XI. lib. VI. Veſtorius ad me ſcripſit , te mihi gratias agere . haec praedicatio tua mihi grata eſt : eaq. te uti facile patior . Et ad Att. ep. 43. lib. XII. Hirtium aliquid ad te *συμπαθῶς* de me ſcripſiſſe , facile patior . MEA *ſumma erga te ſtudia*} quae non tanti Pompeius aeſtimare uidebatur , ut eum diligeret : idq. ſignificauerat gratulatione praetermiſſa . RES *eas geſſi* ,} quarum cauſſa ſenatus ei togato ſupplicationem decreuit ; Q. Catulus parentem patriae nominauit ; L. Gellius ciuicam coronam deberi a rep. dixit. ep. 4. lib. XV. & in Piſonem , Gellius lib. V. cap. 6. NE . CVIVS *animum offenderes* .} ut C. Caeſaris , aut M. Craſsi , quos occulte fauore coniuratis multi ſuſpicati ſunt . Craſſum etiam , ut conſcium , & participem coniurationis , in ſenatu a L. Tarquinio nominatum , ſcripſit Salluſtius , confirmauerunt Plutarchus , & Dio . Caeſar quidem , ne coniurati uita priuarentur , accurata oratione diſſeruit . idem Salluſtius , Plutarchus , Appianus , alij . TANTO *conſilio , tantaq. animi magnitudine* } quod utrumque requiritur in cuſtode ciuitatis : & in utroque Ciceronem excelluiſſe , cum illa indicia communis exitij indagauit , patefecit , exſtinxit , hiſtoriae demonſtrant . AFRICANVS } minor, qui Carthaginem , & Numantiam euertit. hunc enim Cicero ſignificat , cum ſimpliciter eum nominat . LAELIVM ,} ut duo Africani , ſic Laelij duo memorantur : quorum utrorumq. pariter amicitia celebratur . nec in re manifeſta , exemplis opus eſt .

---

# Argumentum ep. 8.

*M. Licinius Craſſus , eius P. Craſsi filius, qui ſe ipſum , ne in manus incideret inimicorum, occidit, ut eſt in orationibus pro Scauro, & pro Sextio , Romanorum opulentiſsimus , poſtremis diebus ſecundi conſulatus ſui , contra diras , & obnunciationes Ateij tribuni pl. de quibus Appianus , Plu-*

*tarchus, Dio, in Syriam prouinciam profectus eſt; cum apud Ciceronem in eius generi Craſsipedis hortis cenaſſet; ut legimus in ep. 9. lib. 1. Ad eum Cicero in prouinciam ſcribit, quam ſtudioſe dignitatem eius in ſenatu defenderit: excuſat ſuperiorum temporum ſimultatem; conſtantiam, & fidem, poſt gratiae reconciliationem, pollicetur, affirmans eius honeſtati, & gloriae nullo umquam ſe loco defuturum: quiddam etiam de ſuo in filium eius P. Craſſum amore, eiuſq. in ſe obſeruautia, interponit. Negotialis, & moralis epiſtola: nam & actam in ſenatu rem narrat; & de reliquo tempore omnia ſtudia, ſine ulla exceptione, promittit. Scripta L. Domitio Ahenobarbo, Ap. Claudio Pulchro cos. qui Pompeio, & Craſſo proxime ſucceſſerunt.*

## *Cicero S. D. M. Licinio P. F. Craſſo.* 8.

QVANTVM *meum ſtudium exſtiterit dignitatis tuae uel tuendae, uel etiam augendae, non dubito, quin ad te omnes tui perſcripſerint: non enim fuit aut mediocre, aut obſcurum, aut eiuſmodi, quod ſilentio poſſet praeteriri. nam & cum conſulibus, & cum multis conſularibus tanta contentione decertaui, quanta numquam antea ulla in cauſſa: ſuſcepiq. mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis: ueteriq. noſtrae neceſſitudini iamdiu debitum, ſed multa uarietate temporum interruptum officium cumulate reddidi. Neque mehercule umquam mihi tui aut colendi, aut ornandi uoluntas defuit: ſed quaedam peſtes hominum, laude aliena dolentium, & te non numquam a me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi. ſed exſtitit tempus optatum mihi magis, quam ſperatum, ut, florentiſſimis tuis rebus, mea perſpici poſſet & memoria noſtrae uoluntatis, & amicitiae fides. ſum enim conſecutus, non modo ut domus tua tota, ſed ut cuncta ciuitas me tibi amiciſſimum eſſe cognoſceret. itaque & praeſtantiſſima omnium feminarum uxor tua, & eximia pietate, uirtute, gratia tui Craſſi meis conſilijs, monitis, ſtudijs, actionibusq. nituntur: & ſenatus, populusq. R. intelligit, tibi abſenti nihil eſſe tam promptum, aut tam paratum, quam in omnibus rebus, quae ad te pertineant, operam, curam, diligentiam, auctoritatem meam. Quae ſint acta, quaeq. agantur, domeſticorum tibi litteris declarari puto. De me ſic exiſtimes, ac tibi perſuadeas uehementer uelim; non me repentina aliqua uoluntate, aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officijs amplectendam incidiſſe, ſed, ut primum forum attigerim, ſpectaſſe ſemper, ut tibi poſſem quammaxime eſſe coniunctus. quo qui dem ex tempore, memoria teneo, neque meam tibi obſeruantiam, neque mihi tuam ſummam beneuolentiam, ac liberalitatem defuiſſe. ſi qua interciderunt, non tam re, quam ſuſpicione uiolata, ea cum fuerint & falſa, & inania, ſint euulſa ex omni memoria, uitaq. noſtra. is enim tu uir es, & eum me eſſe cupio, ut, quoniam in eadem reip. tempora incidimus, coniunctionem, amicitiamq. noſtram utrique noſtrum laudi ſperem fore. Quamobrem tu, quantum tuo iudicio tribuendum nobis eſſe putes, ſtatues ipſe, &, ut ſpero, ſtatues ex noſtra dignitate: ego uero tibi profiteor, atque polliceor eximium, & ſingulare meum ſtudium in omni genere officij, quod ad honeſtatem, & gloriam tuam ſpectet. in quo, etiam ſi multi mecum contendent, tamen, cum reliquis omnibus, tum Craſſis tuis iudicibus, omnes facile ſuperabo: quos quidem ego ambos unice diligo, ſed in Marco beneuolentia impari: hoc magis ſum Publio deditus, quod me, quamquam a pueritia ſua ſemper, tamen hoc tempore maxime, ſicut alterum parentem, & obſeruat, & diligit. Has litteras uelim exiſtimes foederis habituras eſſe uim, non epiſtolae; meq. ea, quae tibi promitto, ac recipio, ſanctiſſime eſſe obſeruaturum, diligentiſſimeq. facturum. Quae a me ſuſcepta defenſio eſt, te abſente, dignitatis tuae, in ea iam ego non ſolum amicitiae noſtrae, ſed etiam conſtantiae meae cauſſa permanebo. quamobrem ſatis eſſe hoc tempore arbitratus ſum, hoc ad te ſcribere; me, ſi quid ipſe intelligerem aut ad uoluntatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, mea ſponte id eſſe facturum; ſin quippiam aut a te eſſem admonitus, aut a tuis, effecturũ, ut intelligeres, nihil neque te ſcripſiſſe, neq. quemquã tuorum fruſtra ad me detuliſſe. quamobrem uelim ita & ipſe ad me ſcribas de omnibus minimis, maximis, mediocribusq. rebus, ut ad hominem amiciſſimum; & tuis praecipias, ut opera, conſilio, auctoritate, gratia mea ſic utantur in omnibus publicis, priuatis, forenſibus, domeſticis tuis, amicorum, hoſpitum, clientum tuorum negotijs, ut, quoad eius fieri poſſit, praeſentiae tuae deſiderium meo labore minuatur. Vale.*

## EXPLANATIO

CVM *conſulibus*, } cum Domitio, & Appio, fortaſſe contendentibus, ut reuocaretur Craſſus; quandoquidem, dirarum obnunciatione neglecta, in prouinciam iuiſſet: quod pernicioſum reip. fore uidebatur, ſicuti fuit, ipſo cum exercitu a Parthis interfecto. INTERRVPTVM } ob eam ſimultatem,

quam

quam inter eos Catilinae temporibus exortam, quia Craſſus coniurationis conſcius, & particeps putaretur, Plutarchus in Craſsi uita prodidit. PESTES *hominum*, } ut & Craſſum, & ſe ipſum culpa liberaret, artificijs hominum hic, proxime autem uarietate temporum factum eſſe dicit, ne, quemadmodum inſtituerant, perpetuo amarent interſe. Peſtes hominum, pro peſtiferi homines, uitandi tamquam peſtis. LAVDE} laus enim ſita eſt in mutua beneuolentia: cum utriuſque dignitas utriuſque augeri poſsit officijs. confirmatur infra, cum dixit: Is enim tu uir es, & eum me eſſe cupio, ut amicitiam noſtram utrique noſtrum laudi ſperem fore. IMMVTARVNT } minus eſt, quam Alienarunt: ut, quo nunc erga Craſſum animo ſit, uel hoc probet argumento, quod, eo a ſe alienato, ipſe tamen adduci non potuerit, ut amare prorſus deſineret. OPTATVM *magis, quam ſperatum*, } hoc refertur ad id, quod ſequitur, Florentiſsimis rebus tuis: quia rebus afflictis, non florentiſsimis, amor uere perſpicitur. Mihi autem, inquit, contigit, quod optabam potius, quam ſperabam, ut optimo rerum tuarum ſtatu, mea tamen & memoria ueteris noſtrae neceſsitudinis, & poſt reconciliatam gratiam fides perſpici poſſet. Confirmat hanc ſententiam epiſtola ad Paetum: Non facile diiudicatur amor uerus, & fictus, niſi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut, quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſsit: cetera ſunt ſigna communia. Eodem loquendi genere uſus eſt lib. 2. ad Q. fr. Id erat huiusmodi, ut magis optandum, quam ſperandum putarem. Et lib. 1. de Orat. Inſperanti mihi, & Cottae, ſed ualde optanti utrique noſtrum cecidit, ut in iſtum ſermonem, Craſſe, delaberemini. & Balbus lib. IIX. ad Att. Vt adduci ad ullam condicionem Pompeius poſsit, magis opto, quam ſpero. FIDES. } quae maxime requiritur in ijs, qui, poſt ſimultatem, amicitia iuncti ſunt. ad Appium, ep. 8. lib. III. Si quis eſt, qui neminem bona fide in gratiam putet redire poſſe; non noſtram is perfidiam coarguit, ſed indicat ſuam. Et ad eundem, ep. 10. Si eſſem ea perfidia, qua ſunt ij, qui in nos haec conferunt. VXOR *tua*, } Tertullae nomen fuiſſe, & a Caeſare ſtupratam, Suetonius auctor eſt. TVI *Craſſi* } filij, Marcus, & Publius: quos hoc tempore conſtat eſſe Romae: quamquam Publius paullo poſt patrem ſubſecutus eſt, cum quo perijt in Parthis. Marcum autem & ante hoc tempus, & poſt in Gallia Caeſaris quaeſtorem fuiſſe, patet ex libris 1. 2. 3. 5. 6. quos ipſe Caeſar de rebus a ſe in Gallia geſtis compoſuit. NITVNTVR: } plus eſt, quam utuntur. eſt enim, Niti, fulciri, ſuſtentari, quaſi roboris in eo, qui nititur, pro rerum grauitate parum ſit. NON. ME *repentina* } ne uideatur ſimulata, & ad artem compoſita beneuolentiae ſignificatio, quia tam prolixe, cum paullo ante ſimultas inter eos fuiſſet, officia ſua polliceatur, ac deferat; non eſt, haec, inquit, augendae tuae dignitatis repentina uoluntas, ſed quaedam priſtini ſtudij renouatio, a prima adoleſcentia ſuſcepti. VT *primum forum attigerim*, } toga uirili ſumpta, abſoluto anno aetatis XVI. uel ad eos, qui ius ciuile profitebantur, uel in forum, ut oratores audirent, adoleſcentes ire ſoliti ſunt. Cicero ſtatim ad Scaeuolam iuriſconſultum acceſsit, deductus a patre, ut ipſe ſcribit in Laelio. primam uero priuatam cauſſam pro P. Quinctio egit annos natus XXVI, publicam XXVII, pro Sex. Roſcio Amerino: quod utrumque Gellius animaduertit. OBSERVANTIAM, } uel aetatis, uel honorum gratia. Sex enim annis natu maior, quam Cicero, erat Craſſus, totidemq. prior conſulatum geſsit. iure igitur plus Craſſo tribuit, quam ſibi: ut infra quoque: Is enim tu uir es, & eum me eſſe cupio. NON TAM *re*, } iniuriarum memoria coire animos, & coniungi amore mutuo uix patitur. ideo praeteritae offenſae ſuſpicione utrumque liberat. VIOLATA; } ſic ad Att. ep. 15. lib. 1. Illa, quae uiolata, expiabuntur. Violari enim dicitur, quaſi ſacroſancta amicitia ſit. INANIA, } indigna, quae cogitemus: leuia, minimi ponderis. EVM *me eſſe cupio*, } laudis cupiditatem profiteri, arrogantiae non eſt: & modeſtia beneuolentiam conciliat. STATVES *ipſe*, } nihil petit; quid tamen expetat, eo, quod ſequitur, oſtendit. eſt enim haec epiſtola ut omnium officioſiſsima, ſic eadem omnium prudentiſsime ac modeſtiſsime conſcripta. QVOD *ad honeſtatem & gloriam tuam ſpectet*. } quod tibi uel honori, uel gloriae poſsit eſſe. Non omnino idem, ſed ſimile in ep. 1. lib. x. Omne noſtrum conſilium, ſtudium, officium, operam, laborem, diligentiam ad tuam amplitudinem conferemus. PVBLIO } quo intercedente, Cicero, & Craſſus reconciliati ſunt. amabat is Ciceronem unice propter eloquentiam. ep. 8. lib. 2. ad fratrem: Totum negotium Craſſo permiſi, meq. in eius poteſtate dixi fore. interfuit huic ſermoni P. Craſſus, adoleſcens noſtri, ut ſcis, ſtudioſiſsimus. Et in Bruto: Quae quidem etiam cum P. Craſſo M. F. cum initio aetatis ad amicitiam ſe meam contuliſſet, ſaepe egiſſe me arbitror; cum eum uehementer hortarer, ut eam laudis uiam rectiſsimam eſſe duceret, quam maiores eius ei tritam reliquiſſent. erat enim cum inſtitutus optime, tum etiam perfecte planeq. eruditus: ineratq. & ingenium ſatis acre, & orationis non inelegans copia: praetereaq. ſine arrogantia grauis eſſe uidebatur, & ſine ſegnitia uerecundus. Interfectus eſt a Parthis, ut Plutarchus, Appianus, Dio multis uerbis exponunt. CONSTANTIAE } ne famam inconſtantiae ſubeam. ep. 5. MEA *ſponte* } ſimiliter ep. 8. lib. VI. QVOAD. EIVS *fieri poſſit*, } quam maxime poſsit, quantum liceat. DESIDERIVM } quo tenentur amici tui, hoſpites, clientes, qui, te praeſente, opera, conſilio, auctoritate, & gratia tua nitebantur. MEO *labore* } quem eorum cauſſa, non modo tua, ſuſcipiam. MINVATVR. } tolli enim prorſus non poteſt. propterea dixit, Quoad eius fieri poſsit.

---

# Argumentum ep. 9.

*P. Vatinius, qui tribunatum pl. geſſerat Caeſare conſule; omniaq. ex eius libidine adminiſtrauerat, poſt conſulatum in Illyricum a Caeſare dictatore miſſus, ut Appianus, & Dio ſignificant, commendat ſuam dignitatem Ciceroni contra maleuolorum, atque inuidorum obtrectationes. rebus enim proſpere geſtis, ſupplicationes, miſſis ad ſenatum litteris, petebat. Caeſare* IV. *Conſule, ſine collega.*

## *P. Vatinius imp. S. D. Ciceroni ſuo.* 9.

*SI uales, bene eſt: ego ualeo. Si tuam conſuetudinem in patrocinijs tuendis ſeruas, P. Vatinius cliens ad te uenit, qui pro ſe cauſſam dicier uult. non puto repudiabis in honore, quem in periculo recepiſti. ego autem quem potius adoptem, aut inuocem, quam illum, quo defendente uincere didici? an uerear, ne, qui potentiſſimorum hominum conſpicationem neglexerit pro mea ſalute, is pro honore meo, puſillorum, ac maleuolorum obtrectationes, & inuidias non proſternat, atque obterat? Quare, ſi me, ſicut ſoles, amas; ſuſcipe me totum, atque hoc, quidquid eſt oneris, ac muneris, pro mea dignitate tibi tuendum, ac ſuſtinendum puta. ſcis meam fortunam neſcio quo modo facile obtrectatores inuenire, non meo quidem mehercule merito: ſed quanti id refert, ſi tamen fato neſcio quo accidit? ſi quis forte fuerit, qui noſtrae dignitati obeſſe uelit; peto a te, ut tuam conſuetudinem, & liberalitatem in me abſente defendendo mihi praeſtes. Litteras ad ſenatum noſtris de rebus geſtis quo exemplo miſeram, infra tibi perſcripſi. Dicitur mihi tuus ſeruus anagnoſtes fugitiuus cum Vardaeis eſſe: de quo tu mihi nihil mandaſti: ego tamen, terra, mariq. ut conquireretur, praemandaui: & profecto tibi illum reperiam, niſi ſi in Dalmatiam aufugerit: & inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. ad v. id. Quinct. ex caſtris, Narona.*

## EXPLANATIO

VATINIVS} Struma dictus, quia tumidam ſtruma ceruicem haberet. ex quo eum, ut in Plutarcho legimus, inflatum oratorem Cicero per iocum appellauit. Eodemq. ſpectat illud in oratione contra eum habita in ſenatu: Repente enim te, tamquam ſerpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti. Et in ea pro Sextio: Si medentur reip. qui exſecant peſtem aliquam, tamquam ſtrumam, ciuitatis. Et ad Att. ep. 9. lib. 2. Vatinij ſtrumam ſacerdotij διβάφῳ ueſtiant. Vatinios autem, Vatios, Varos a cruribus dictos, ait Plinius lib. XI. cap. 45. IMP.} ab exercitu, nondum a ſenatu appellatus: cum nondum decretae eſſent ſupplicationes. CLIENS} defenderat eum, rogatu Caeſaris, Cicero, a Caluo de ambitu accuſatum: quo iudicio abſolutus eſt. defendit & alio crimine, iudicio publico, ut Valerius Max. lib. IV. cap. 2. ſcriptum reliquit. IN. HONORE,} in ſupplicationibus a ſenatu impetrandis. ADOPTEM,} eligam patronum: uel, Adoptem, exoptem: ut Ciceronis filius, ep. 21. lib. XVI. Adoptatiſſimus aduentus, dixit, pro, exoptatiſſimus. FATO} Fatum ait Alexander cauſſam eſſe, & cauſſam agentem: cauſſarum enim quattuor genera eſſe: quae agit, ut ſtatuarius; quae materia eſt, ut aes, aut lapis, ex quo fit ſtatua; quae forma, quam ſtatuarius ex ea materia facere cogitauit; quae finis, ut cum artifex non id ſolum ſpectat, ut ſtatuam faciat, ſed ut, ſtatua facta, uel pecuniam, uel honorem conſequatur. Porro, non eiuſdem generis agentes cauſſae ſunt. quaedam enim aguntur alicuius rei gratia, quaedam uero nihil eo, qui agit, cogitante. quae aguntur aliqua cauſſa, uel a natura, uel a ratione aguntur. quae ratione aguntur, & agi poſſunt, & non agi: agendi enim facultas in nobis eſt: itaque eiuſmodi rerum cauſſa fatum non eſt, uerum electio noſtra. eſt igitur fatum in ijs, quae natura fiunt: nec inter fatum, & naturam, praeter nomen, quidquam intereſt. aeque enim & natura, & fato equus ex equo, homo ex homine generatur. nam, ut naturalis rerum omnium generationis cauſſae primae diuina ſunt, certo ordine, & perpetuo motu circumducta: item fati non aliae cauſſae ſunt, quam quae a diuinis pendent. Nec tamen fatum eſt cauſſa, propter quam ſemper aut hoc, aut illud neceſſario fiat, ſed plerumque: ut in ijs quoque, quae natura fiunt, locum habent ea, quae interdum praeter naturam fiunt. Atque hanc eſſe Peripateticorum de fato opinionem, ex Alexandro cognoſcitur. Alij uero fato omnia fieri uoluere: quos refellit idem Alexander: cum ab ijs fortunam, & caſum, & omnes humanae uitae actiones, & conſultationem auferri dicat. Vide ep. 12. lib. IV. LIBERALITATEM} liberalis eſt, non modo qui pecuniam largitur, ſed etiam qui quocumque officij genere ſubuenit, aut commodat. ep. 9. lib. I. in extremo. & ep. 9. lib. V. AD. SENATVM} ut ſupplicationes ei decernerentur.

DE . REBVS *geſtis*} in Dalmatia : ut in epiſtola, quae ſequitur. TVVS *ſeruus* } Dionyſius . in epiſtola ſequenti, & lib. XIII. ep. 77. ad Sulpicium. CVM *Vardaeis*, } Dalmatiae populis; a quibus olim uaſtatam Italiam, auctor eſt Plinius lib. III. cap. 22. Antea, Vardacis : nos olim, Vardaeis, reſtituimus. IN . DALMATIAM } in quam eum aufugiſſe iam audierat : dixit enim, Dicitur mihi cum Vardaeis eſſe. Dalmatiae nomen ab urbe Daimmio deductum, ſignificat Strabo lib. VII. AD . V. *id. Quinct.* } ſcripta igitur eſt epiſtola ante reditum Caeſaris ex Hiſpania, in qua Pompeij liberos iam deuicerat. nam Velleius, eum Romam Octobri menſe reuertiſſe, auctor eſt. NARONA. } & fluuius, & caſtellum fuit. Plinius, Ptolemaeus.

---

# Argumentum ep. 10.

*SCribit de Dionyſio ſeruo, de Catilio pirata, de rebus a ſe in Dalmatia geſtis, pro quibus ſupplicationes ſibi decerni poſtulat. Eodem anno, cum in urbem rediſſet Caeſar.*

## *Vatinius imp. S. D. Ciceroni.* 10.

*SI uales bene eſt : ego quidem ualeo . De Dionyſio tuo adhuc nihil extrico, & eo minus, quod me frigus Dalmaticum, quod illinc eiecit, etiam hic refrigerauit. ſed tamen nõ deſiſtam, quin illum aliquando eruam. Sed tamen omnia mihi dura imperas . de Catilio neſcio quid ad me ſcripſiſti deprecationis diligentiſſimae. apage te cum noſtro Sex. Seruilio : nam mehercule ego illum quoque amo . ſed huiuſcemodi uos clientes, huiuſmodi cauſſas recipitis ? hominem unum omnium crudeliſſimum, qui tot ingenuos, matres familias, ciues R. occidit, arripuit, diſperdidit, regiones uaſtauit? ſimius, non ſemiſſis homo, contra me arma tulit; & eum bello cepi. ſed tamen, mi Cicero, quid facere poſſum? omnia mehercule cupio, quae tu mihi imperas . meam animaduerſionem, & ſupplicium, quo uſurus eram in eum, quem cepiſſem, remitto tibi, & condono. quid illis reſpondere poſſum, qui ſua bona direpta, naues expugnatas, fratres, liberos, parentes occiſos, actione expoſtulant? ſi mehercule Appij os haberem, in cuius locum ſuffectus ſum ; tamen hoc ſuſtinere non poſſem . quid ergo eſt ? faciam omnia ſedulo, quae te ſciam uelle. defenditur a Q. Voluſio, tuo diſcipulo. ſi forte ea res poterit aduerſarios fugare, in eo maxima ſpes eſt . Nos, ſi quid erit iſtic opus, defendes. Caeſar adhuc mihi iniuriam facit : de meis ſupplicationibus, & rebus geſtis Dalmaticis adhuc non refert : quaſi uero non iuſtiſſimi triumphi in Dalmatia res geſſerim. nam, ſi hoc exſpectandum ſit, dum totum bellum conficiam : uiginti opida ſunt Dalmatiae antiqua : quae ipſi ſibi adſciuerunt, amplius ſexaginta. haec niſi omnia expugno, ſi mihi ſupplicationes non decernuntur; longe alia condicione ego ſum, ac ceteri imperatores.*

*Ego, poſt ſupplicationes mihi decretas, in Dalmatiam profectus ſum : ſex opida ui oppugnando cepi : unum hoc, quod erat maximum, quater a me iam captum : quattuor enim turres, & quattuor muros cepi, & arcem eorum totam : ex qua me niues, frigora, imbres detruſerunt : indigneque, mi Cicero, opidum captum, & bellum iam confectum relinquere ſum coactus. Quare te rogo, ſi opus erit, ad Caeſarem meam cauſſam agas, meq. tibi in omnes partes defendendum putes; hoc exiſtimans, neminem te tui amantiorem habere. Vale. nonis Dec. Narona.*

## EXPLANATIO

OMNIA *mihi dura* } cum neque ſeruum inuenire, neque de Catilio, quod petis, facile poſsim concedere. IMPERAS. } iam igitur ei per litteras Cicero de Dionyſio ſeruo mandauerat. nam in ſuperiore epiſtola nihil ſibi mandatum Vatinius dixit. DE *Catilio* } pirata. APAGE TE } hac uoce reijcimus a nobis eos, qui moleſti ſunt. utuntur ea frequenter comici. MATRES FAMILIAS, } feminas honoratas. Hoc nomen pluribus modis accipitur : primum, quae peperit ex marito patre familias: deinde, quae tantummodo maritum patrem familias habet, licet non pepererit : tertio, quae conuenerit in manum, ideſt per coemptionem nupſerit; quae ſola in heredis locum ueniebat : quarto, quae maritum amiſerit, uiduaq. honeſte uiuat. Primum probatur ex Feſto, cum ait : Nec uidua hoc nomine, nec, quae ſine filijs eſt, appellari poteſt. Quod negat Vlpianus. Secundum ex Cicerone in Topicis. Genus, inquit, eſt uxor : eius duae formae, una matrum familias, earum, quae in manum cõuenerunt; altera earum, quae tantummodo uxores habentur. Quod Gellius auctoritate ueterum uidetur confutare, ſolam affirmans appellatam eſſe matrem familias, quae in mariti manu, mancipioq. eſſet. Tertium haec ipſa ex Topicis proxime recitata uerba demonſtrant. Accedit Quinctilianus. Si quis, inquit lib. V. cum legatum ſit ei, quae uxor mater familias eſſet, neget deberi ei, quae in manum non conuenerit. Et Gellius lib. XIIX. cap. 6. Matrem familias ab idoneis uocum antiquarum explanatoribus eam ſolam appellatam dicit, quae in mariti manu, mancipioque, aut in eius, in cuius maritus manu, mancipioq. eſſet: quoniam non in matrimonium tantum, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui heredis locum ueniſſet. Eodem ſpectat illud Seruij

in lib.

in lib.7.Aen. Per coemptionem facto matrimonio, ſibi inuicem ſuccedebant. teſtari tamen arbitratu ſuo poterant. nam a tutoris poteſtate liberabatur, quae mater familias fiebat. Quartum & ultimum de uidua matre familias, oſtendit Vlpianus l.pronunciatum, 47.D. de uerb. ſign. Matrem familias accipere debemus eam, quae non inhoneſte uixit. matrem enim familias a ceteris feminis mores diſcernunt, atqueſeparant. proinde nihil intererit, nupta ſit, an uidua; ingenua, an libertina. & Cicero in oratione pro Coelio matrem familias Clodiam uiduam uocat. De his opinor locutum Vatinium, neque cogitaſſe, an maritum haberent, uel peperiſſent, aut per coemptionem nupſiſſent, aut uiduae, ingenuaeue eſſent; ſed tantum modo rationem habuiſſe honeſtatis earum, & auctoritatis. Sic oratione in Antonium: Ingenui pueri cum meritorijs, ſcorta inter matres familias uerſabantur. & 3.in eundem: Matres familias, uirgines, pueri ingenui abripiuntur. In Verrem quoque: Mitto adhibitam uim ingenuis, matres familias uiolatas. Nam, quod ait Gellius appellatam eſſe matrem familias eam ſolam, quae in mariti manu, mancipioque, aut in eius, in cuius maritus manu, mancipioq. eſſet: uerius fortaſſe, quam, Eam ſolam, dixiſſet, Eam proprie: ut ei cum Cicerone conueniret, qui duo genera matrum familiarum conſtituit in Topicis. Niſi ſi iuris hereditarii Gellium, uel eos potius, quos Gellius ſecutus eſt, rationem habuiſſe dicamus: quod ea ſola, quae in manum conueniſſet, marito mortuo heres eſſet: quae uero aliter nupſiſſent, iure hereditatis excluderentur. Matres familias, & matres familiae, dicebant ueteres. familias autem, generandi caſu: quia nomina, ut Plinius dubij ſermonis lib.VI. admonuit, in a finita ſingulari nominatiuo, as ſyllaba declinabant, ut Maia Maias. Ideo Salluſtius, amator priſcae lingue, dixit hiſt.lib. IV. Caſtella cuſtodias theſaurorum in deditionem acciperentur. Quod ne celebraretur, Siſenna effecit. ait enim, eum, qui diceret, pater familiae, etiam pluraliter dicere debere, patres familiarum, & matres familiarum. quod quoniam erat durum, & longe iniucundius, patrum familias, ſonabat, etiam patri familias ut diceretur, conſuetudo probauit, & tamen ratio Siſennae non eſt ualida. nec enim neceſſe eſt, pluralem numerum rei unitati adhibere. & Varro de ſcenicis originibus primo & tertio libro dixit, matres familiae: & Gracchus, patres familiae, non familiarum. SIMIVS,} deductum a ſimia, per contemptum. ep.2.lib.7. Hic ſimiolus, animi cauſſa, me, in quem inueherentur, delegerat. Horatius in Serm. Neque ſimius iſte. Simia quoque de homine dicebant. ep.13.lib.8. Illius ſimiae uultum ſubire. Afranius in Temerario: Quis hic eſt ſimia, qui me hodie ludificatus eſt. NON *ſemiſſis*,} Semis, aſsis dimidium fuit: as autem, nummus aereus, quadrantes quattuor continens. homo igitur non ſemiſsis, minimi pretij, nihili aeſtimandus. ſimiliter Perſius Satyra V. Hic Dama eſt, non treſsis agaſo: pro, tribus aſsibus non aeſtimatus. ACTIONE} actione legis: ut Actio furti, & ſimilia. Libri ueteres, Actiones; unus Sigonij, Actores. mihi uel, Actione, ut imprimi uolui, una littera s abiecta, uel, Actores, placet. nam, Actiones, uacare mendo non arbitror. SI. APPII *os haberem*,} ſi eſſem ea, qua Appius, impudentia. Ep.8.lib.IX. Noſti os eius adoleſcentioris Academiae. In Verrem: Noſtis os hominis. Pro Cluentio: Quod tandem os eſt illius patroni, qui ad eas cauſſas ſine ulla ſcientia iuris audet accedere? Interdum additur, durum, ut apud Terentium in Eun. ubi Donatus: Os durum, os impudens: ut contra mollis frontis dicuntur, qui ſunt reuerentes. Et, quia ferro nihil eſt durius, propterea ferreum Piſonis os, ut inſignem quandam notaret impudentiam, Cicero uocauit in oratione contra ipſum habita. Appius hic, cui ſe ſucceſsiſſe Vatinius dicit, non eſt is, ad quem ſunt epiſtolae lib. III. qui bello ciuili, Pompeium ſecutus, iam perierat: ut auctor eſt Valerius lib.I.cap. 6. TVO *diſcipulo*.} declamabant nobiles adoleſcentes praeſente Cicerone, ut eius praeceptis erudirentur. ep.ult.lib.VII. Caſsius tuus, & Dolabella noſter ſtudiis ijſdem tenentur, & meis aequiſsimis utuntur auribus. Et ep,18.lib. IX. ſuos diſcipulos uocat Caeſaris familiares. & in ſexta eiuſdem libri. CAESAR} conſul, idemq. dictator. IVSTISSIMI} ob numerum caeſorum hoſtiũ. Sic ep.10.lib.2. Victoria iuſta imperator appellatus ſum. & Phil. 14. Is demum eſt iuſtus, ac uerus triumphus, qui optime meritis de rep. defertur, ac datur. & Suetonius in Calig. Querens inter cetera, fraudatum ſe iuſto triumpho. TRIVMPHI} qui ſupplicationem fere ſequebatur. ep.15.lib.2. IPSI} Dalmatae. POST *ſupplicationes*} ſcripta, necdum miſſa, ſuperiore epiſtola, certior factus de ſupplicationibus ſibi decretis, in Dalmatiam, ut bellum conficeret, ſtaſtim profectus eſt, opida ſex cepit. quo facto, eandem miſit epiſtolam, quam per dies plures in manibus habuerat, ut aliquid de rebus a ſe poſt ſupplicationes geſtis appingeret. VNVM *hoc*,} quod a me proxime relictum eſt. MEAM *cauſſam*} non iam ut ſupplicationes, quae decretae fuerant, ſed ut triumphum, quaſi confecto bello, conſequeretur. triumphaſſe autem illum triennio poſt, faſti Capitolini oſtendunt. IN. OMNES *partes*} ſic ad Marcellum, Valere in omnes partes, ep.10.lib. IV.

# Argumentum ep. II.

*RESpondens Vatinij litteris, quae non exſtant, ornat eum grati animi laude: ſua ſtudia pollicetur: uxori praeſto futurum in omni re, ſignificat. In extrema epiſtola rogat de Dionyſio ſeruo: Dalmatis imprecatur. Eodem anno, aut qui proxime ſecutus eſt.*

## *Cicero S. D. Vatinio imp.* II.

GRata *tibi eſſe officia mea, non miror. cognoui enim te gratiſſimum omnium; idq. numquam deſtiti praedicare. nec enim tu mihi gratiam modo habuiſti, uerum etiam cumulatiſſime retuliſti. quamobrem reliquis tuis rebus omnibus pari me ſtudio erga te, et eadem uoluntate cognoſces. Quod mihi feminam primariam Pompeiam, uxorem tuam, commendas: cum Sura noſtro ſtatim, tuis litteris lectis, locutus ſum, ut ei meis uerbis diceret, ut, quidquid opus eſſet, mihi denunciaret; me omnia, quae ea uellet, ſummo ſtudio, curaq. facturum: itaq. faciam: eamque, ſi opus eſſe uidebitur, ipſe conueniam. tu tamen ei uelim ſcribas, ut nullam rem neque tam magnam, neque tam paruam putet, quae mihi aut difficilis, aut parum me digna uideatur. omnia, quae in tuis rebus agam, & non laborioſa mihi, & honeſta uidebuntur. De Dionyſio, ſi me amas, confice. quamcumque ei fidem dederis, praeſtabo. ſi uero improbus fuerit, ut eſt; duces eum captiuum in triumpho. Dalmatis dij male faciant, qui tibi moleſti ſunt: ſed, ut ſcribis, breui capientur, & illuſtrabunt res tuas geſtas: ſemper enim habiti ſunt bellicoſi. Vale.*

## EXPLANATIO

GRata *tibi eſſe officia mea, non miror.*} ep.20.lib.10. Studia mea erga te, tibi tam grata eſſe, minime miror, uehementerq. laetor. Svra } cognomen uidetur aut liberti, aut etiam ciuis ingenui. nam & Lentulus ille Sura uocatus eſt, qui praetor in coniuratione Catilinae in carcere necatus eſt. & Lentuli Cruris mentio fit ep.4. lib. IIX. Et. non *laborioſa mihi, & honeſta*} proxime dixit in eadem ſententia, Quae mihi aut difficilis, aut parum me digna uideatur. Similiter ep. 9. lib. V. Hoc eo pertinet, ut nihil exiſtiment eſſe tam difficile, quod non, pro te mihi ſuſceptum, iucundū ſit futurum. Fidem *dederis*,} redire nolebat, poenae metu, Dionyſius ad Ciceronem, a quo, ſurreptis multis libris, aufugerat. ep.77. lib. XIII. Improbvs } ut redire nolit. Ergo non erat Dionyſius in poteſtate Vatinij. quod etiam confirmatur ſuperioribus uerbis: Quamcumq. ei fidem dederis, praeſtabo. Allici enim eum condicionibus, ut ad ſe rediret, omnino Cicero uolebat. condicionibus autem cum ſeruo cur ageretur, ſi eſſet in poteſtate Vatinij? In. trivmpho.} cum de triumpho, tamquam certa de re, loquatur; apparet, ſcriptam epiſtolam eſſe poſt ſupplicationes decretas. Triumphauit autem Vatinius poſt interitum Caeſaris, oppreſſa rurſus ab Octauiano rep. quod lapides Capitolini docent. Dii *male faciant*,} ſic ep.21. lib. XI. Dij iſti Segulio male faciant. Molesti } quia nimium acriter reſiſtunt. Vt *ſcribis*,} dixi iam, has Vatinij litteras, in quibus etiam uxorem ſuam Ciceroni commendauerat, perijſſe: ut alias quoque aliorum multas, quibus Cicero reſpondet, perijſſe conſtat. Bellicosi.} Vardaeos quidem Italiae populatores, ut iam dixi, Plinius appellat. Bellaces, & Bellicoſi, non ijdem ſunt: cum poſſint bellacres eſſe populi, ideſt bellorum gerendorum ſtudio delectari, nec tamen bellicoſi, ideſt in bellis excellere. quorum uero fortitudo eminet, ij Bellicoſi uocantur.

---

## Argumentum ep. 12.

*PEtit a Lucceio, hiſtoriarum ſcriptore, ut res a ſe in conſulatu geſtas litteris mandet, ut ſeparato uolumine, ut ſtatim, ut maiore cum laude, quam hiſtoriae leges, aut ueritas ipſa patiatur. Argumentum proponit, a principio coniurationis Catilinae ad reditum ſuum ab exſulio: in qua temporum uarietate ſummam ineſſe delectationē, tum rationibus ad probandum aptis, tum etiam Epaminondae, ac Themiſtoclis docet exemplo. Et, ut impetret facilius, aucupatur eius gratiam laudationis artificio. Denique, ſi non impetret, ipſum de ſe, licet inuitum, ſcripturum eſſe ſignificat. Eſt autem, ſi nimiam laudis cupiditatem excipias, quo uitio nonnihil Cicero noſter laborauit, egregie ſcripta epiſtola, ut ſaepiſſime lecta ſatietatem tamen numquam afferat. ideoq. cum ad Att. ſcriberet, ep. 6. lib. IV. Epiſtolam, inquit, Lucceio quam miſi, qua, res meas ut ſcribat, rogo, fac ut ab eo ſumas: ualde bella eſt.*

*la eſt. Lucceij reſponſio deſideratur: reſpondiſſe tamen, ac pollicitum, uelle ſe roganti morem gerere, ex eadem ad Atticum epiſtola conſtat. ex qua etiam intelligitur, hanc eſſe ſcriptam Marcellino, & Philippo cos.*

## *Cicero S. D. L. Lucceio Q. F.* 12.

*CORAM me tecum eadem haec agere ſaepe conantem deterruit pudor quidam paene ſubruſticus: quae nunc expromam abſens audacius: epiſtola enim non erubeſcit. Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut noſtrum ſcriptis illuſtretur, & celebretur tuis. quod etſi mihi ſaepe oſtēdis te eſſe facturum: tamen ignoſcas uelim huic feſtinationi meae. genus enim ſcriptorum tuorum etſi erat ſemper a me uehementer exſpectatum; tamen uicit opinionem meam; meq. ita uel cepit, uel incendit, ut cuperem quamcelerrime res noſtras monumentis commendari tuis. non enim me ſolum commemoratio poſteritatis ad ſpem quandam immortalitatis rapit, ſed etiam illa cupiditas, ut uel auctoritate teſtimonij tui, uel indicio beneuolentiae, uel ſuauitate ingenij uiui perfruamur. Neque tamen, haec cum ſcribebam, eram neſcius, quantis oneribus premerere ſuſceptarum rerum, & iam inſtitutarum. ſed, quia uidebam Italici belli, & ciuilis hiſtoriam iam paene a te eſſe perfectam; dixeras autem mihi, te reliquas res ordiri: deeſſe mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, coniuncte ne malles cum ceteris rebus noſtra contexere, an, ut multi Graeci fecerunt, Calliſthenes Troicum bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes a perpetuis ſuis hiſtorijs ea, quae dixi, bella ſeparauerunt; tu quoque item ciuilem coniurationem ab hoſtilibus, externiſq. bellis ſeiungeres. equidem ad noſtram laudem non multum uideo intereſſe: ſed ad properationem meam quiddam intereſt, non te exſpectare, dum ad locum uenias, ac ſtatim cauſſam illam, totam, & tempus arripere. Et ſimul, ſi uno in argumento, unaq. in perſona mens tua tota uerſabitur; cerno iam animo, quanto omnia uberiora, atque ornatiora futura ſint. Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam, (poteſt enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes me, poſtulem: quid, ſi illa tibi non tantopere uidentur ornanda? ſed tamen, QVI ſemel uerecundiae fines tranſierit, eum bene, & nauiter oportet eſſe impudentem. itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea uehementius etiam, quam fortaſſe ſentis, & in eo leges hiſtoriae negligas; gratiamq. illam, de qua ſuauiſſime quodam in prooemio ſcripſiſti, a qua te affici non magis potuiſſe demonſtras, quam Herculem Xenophontium illum a uoluptate, ea ſi me tibi uehementius commendabit, ne aſpernere; amoriq. noſtro pluſculum etiam, quam concedit ueritas, largiare. Quod ſi te adducemus, ut hoc ſuſcipias: erit, ut mihi perſuadeo, materies digna facultate, et copia tua. a principio enim coniurationis uſque ad reditum noſtrum uidetur mihi modicum quoddam corpus confici poſſe. In quo & illa poteris uti ciuilium commutationum ſcientia, uel in explicandis cauſſis rerum nouarum, uel in remedijs incommodorum; cum & reprehendes ea, quae uituperanda duces; &, quae placebunt, exponendis rationibus comprobabis; &, ſi liberius, ut conſueſti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, inſidias, proditionem notabis. multam etiam caſus noſtri tibi uarietatem in ſcribendo ſuppeditabunt, plenam cuiuſdam uoluptatis, quae uehementer animos hominum in legendo ſcripto retinere poſſit. NIHIL eſt enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum uarietates, fortunaeq. uiciſſitudines: quae etſi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae. HABET enim praeteriti doloris ſecura recordatio delectationem; ceteris uero, nulla perfunctis propria moleſtia, caſus alienos ſine ullo dolore intuentibus, etiam ipſa miſericordia eſt iucunda. Quem enim noſtrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi auelli iubet ſpiculum, poſtea quam ei percunctanti dictum eſt, clypeum eſſe ſaluum: ut etiam in uulneris dolore aequo animo cum laude moreretur. Cuius ſtudium in legendo non erectum Themiſtoclis fuga, redituq. retinetur? etenim ordo ipſe annalium mediocriter nos retinet quaſi enumeratione faſtorum: at uiri ſaepe excellentis ancipites, uarijq. caſus habent admirationem, exſpectationem; laetitiam, moleſtiam; ſpem, timorem: ſi uero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundiſſimae lectionis uoluptate. quo mihi acciderit optatius, ſi in hac ſententia fueris, ut a continentibus tuis ſcriptis, in quibus perpetuam rerum geſtarum hiſtoriam complecteris, ſecernas hanc quaſi fabulam rerum, euentorumq. noſtrorum. habet enim uarios actus, multaſq. actiones & conſiliorum, & temporum. Ac non uereor, ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam uidear, cum hoc demonſtrem, me a te potiſſimum ornari, celebrariq. uelle. neque enim tu is es, qui, quid, ſis, neſcias; & qui non eos magis, qui te non admirentur, inuidos, quam eos, qui laudent, aſſentatores arbitrere. neque autem ego ſum ita demens, ut me ſempiternae gloriae per eum commendari uelim, qui non ipſe quoque in me commendando propriam ingenij gloriam conſequatur. neque enim Alexander ille gratiae cauſſa ab Apelle potiſſimum pingi, & a Lyſippo fingi uolebat, ſed quod illorum artem cum ipſis, tum etiam ſibi gloriae fore putabat. atque illi artifices, corporis ſimulacra ignotis nota faciebant: quae uel ſi nulla ſint, nihilo ſunt tamen obſcuriores clari uiri. nec minus enim eſt Spartiates Ageſilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe, quam qui in eo genere laborarunt. unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium, ſtatuaſq. ſuperauit. Atque hoc praeſtantius mihi fuerit & ad laetitiam animi, & ad memoriae dignitatem, ſi in tua ſcripta peruenero, quam ſi in ceterorum; quod non ingenium mihi ſolum ſuppeditatum fuerit tuum, ſicut Timoleonti a Timaeo, aut ab Herodoto Themiſtocli, ſed etiam auctoritas clariſſimi, & ſpectatiſſimi uiri, & in reip. maximis, grauiſſimiſq. cauſſis cogniti, atque in primis probati: ut*

mihi

*mihi non ſolum praeconium, quod, cum in Sigaeum ueniſſet, Alexander ab Homero Achilli tributum eſſe dixit, ſed etiam graue teſtimonium impertitum clari hominis magniq. uideatur. placet enim Hector ille mihi Naeuianus, qui non tantum laudari ſe laetatur, ſed addit etiam, a laudato uiro. Quodſi a te non impetro; hoc eſt, ſi qua te res impedierit: (neque enim fas eſſe arbitror, quidquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortaſſe facere, quod nonnulli ſaepe reprehendunt: ſcribam ipſe de me, multorum tamen exemplo, & clarorum uirorum. ſed, quod te non fugit, haec ſunt in hoc genere uitia: & uerecundius ipſi de ſeſe ſcribant, neceſſe eſt, ſi quid eſt laudandum; & praetereant, ſi quid forte reprehendendum eſt. accedit etiam, ut minor ſit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant, & dicant uerecundiores eſſe praecones ludorum gymnicorum, qui, cum ceteris coronas impoſuerint uictoribus, eorumq. nomina magna uoce pronunciarint, cum ipſi ante ludorum miſſionem corona donentur, alium praeconem adhibeant ne ſua uoce ipſi ſe uictores eſſe praedicent. haec nos uitare cupimus, &, ſi recipis cauſſam noſtram, uitabimus: idq. ut facias, rogamus. Ac, ne forte mirere, cur, cum mihi ſaepe oſtenderis te accuratiſſime noſtrorum temporum conſilia, atque euentus litteris mandaturum, a te id nunc tantopere, & tam multis uerbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio ſcripſi, feſtinationis, quod alacres animo ſumus, ut et ceteri, uiuētibus nobis, ex libris tuis nos cognoſcant, & noſmetipſi uiui gloria noſtra perfruamur. His de rebus quid acturus ſis, ſi tibi non eſt moleſtum, reſcribas mihi uelim. ſi enim ſuſcipis cauſſam: conficiam commentarios rerum omnium. ſin autem differes me in tēpus aliud, coram tecum loquar. tu interea nō ceſſabis; & ea, quae habes inſtituta, perpolies; nosq. diliges. Vale.*

## EXPLANATIO

L. Lvcceio} fortaſſe is eſt, de quo ſic in oratione pro Coelio: Habeo L. Lucceium, ſanctiſsimum hominem, & ſanctiſsimum, teſtem. Et ſubiungit: An ille uir, illa humanitate praeditus, illis ſtudijs, artibus, atque doctrina. &c. Coram *me tecum*} petitionis impudentiam excuſat, initio a modeſtia ſumpto. Conantem} ad res difficiles, quaeq. ad exitum non perducantur, hoc uerbum adiungitur. Paene *ſubruſticus:*} eſt enim, quatenus pudor deceat. nullus improbitatem aut ſtultitiā, nimius agreſte quiddam indicat. Tvis:} animaduertenda numeri ſuauitas ex iambo poſt ſpondeum ſententiam claudente, ut paullo poſt, Commendari tuis. Vicit *opinionem meam;*} hoc induxit callide, ad beneuolentiam colligendam. Avctoritate} quod eſſet Lucceius in reip. maximis, grauiſſimisq. cauſsis cognitus, atque in primis probatus. infra. Vivi} in extrema epiſtola. Vt noſmet ipſi uiui gloriola noſtra perfruamur. Italici} Marſici, uel ſocialis. tribus enim modis appellatur illud bellum, quod cum ſocijs Italicis, indignantibus ciuitate ſe, lege Licinia & Mucia, eſſe extruſos, uaria diu fortuna, & periculoſo euentu geſtum eſt. quamquam Cicero lib. 2. de Off. metu iudiciorum excitatum oſtendit. ſed fortaſſe utrumque fuit. primi quidem Marſi, unde Marſici belli nomen fluxit, Iulio, & Rutilio cos. arma ſumpſerunt. ſolus, confecto bello, triumphauit de Aſculanis, & Picentibus conſul Cn. Pompeius Strabo, Magni pater. Civilis} quo reſp. uictis Marij partibus, ad unius arbitrium L. Sullae tranſlata eſt. Callisthenes} Olynthi natus, Ariſtotelis diſcipulus, comes Alexandri Magni bello Perſico, cuius etiam res geſtas litteris mandauit. interfectus ab eo, uel quia, more Perſico, diuino cultu uenerandum non cenſuerit, uel quod in eum cum alijs coniuraſſe putaretur. Timaevs} Duo Timaei memorantur, hic quidem Siculus hiſtoricus, quem ualde Cicero laudat lib. 2. de Orat. Plutarchus in Nicia reprehendit: alter, philoſophus Pythagoreus, Locris natus, cuius nomine Plato librum De natura inſcripſit. Pyrrhi,} Epirotarum regis, qui cum Romanis in Italia bellum geſsit. Plutarchus, Trogus lib. XVII. Eius bella Timaeus propria complexus eſt hiſtoria. Τιμαίου, inquit Dionyſius lib. I. Antiq. τοῦ Σικελιώτου τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱστοριῶν ἐν ταῖς κοιναῖς ἱστορίαις ἀφηγησαμένου, τοὺς δὲ πρὸς Πύῤῥον τὸν ἠπειρώτην πολέμους εἰς ἰδίαν καταχωρίσαντος πραγματείαν. Polybivs} praeceptor, & comes Africani minoris, cuius hiſtoriae pars aliqua ad noſtram aetatem peruenit. Nvmantinvm,} Numantiam Scipio Aemilianus, annis 14. poſt Carthaginem, excidit. Velleius, Appianus, alij. Conivrationem} factam ipſo conſule a duobus maxime patricijs, L. Sergio Catilina praetorio, P. Cornelio Lentulo, conſulari, & praetore iterum. Cavssam *totam,*} quidquid ad eam coniurationem pertinet, & cum ea coniunctum eſt. Vno *in argumento,*} ſcire non inutile eſt, quid in problemate ſcripſerit Ariſtoteles, cuius initium eſt, διὰ τί ποτε τῶν ἱστοριῶν ἥδιον ἀκούομεν τῶν περὶ ἓν συνεστηκυιῶν, ἢ τῶν περὶ πολλὰ πραγματευομένων. Vna *in perſona*} in ipſo tantum Cicerone, coniurationis uindice. Vberiora, *atque ornatiora*} quod ad ſcriptoris quoque laudem pertinet. commendat enim hiſtoriam uehementer copia rerum, & uerborum ornatus. Semel} in eo, quod tibi occupatiſsimo tantum oneris imponā. Bene,} ualde: ut, Bene mane, Bene doctus. Naviter} ſtrenue. in eo ſcilicet, quia poſtulet, ut ornetur. Leges *hiſtoriae*} tres hiſtoriae leges Cicero ipſe commemorat lib. 2. de Orat. primā, ne quid falſe dicere audeamus; alteram, ne quid ueri non audeamus; tertiam, ne qua ſuſpicio gratiae ſit, ne qua ſimultatis. ex his legibus tertia hic ſignificatur, ut ſequentia declarant. Qvodam *in prooemio*} uarie prooemijs ueteres hiſtorici uſi ſunt, teſte Luciano in libro de hiſtoria conſcribenda: apud Latinos quidem Liuius & paucis, & breuibus, Salluſtius pluribus, & longioribus; apud Graecos autem, ut lib. XVI. auctor eſt Diodorus Siculus, Ephorus ſingulis libris ſingula prooemia propoſuit. Affici} commoneri: afficit autem gratia, cum nos ad eam, quam ratio non probat, uoluntatem perducit. quamquam interdum bona de re uſurpatur hoc uerbum, & abſolute, nullo caſu, ut ep. 6. lib. XVI. Varie ſum affectus tuis

litteris, ualde priore pagina perturbatus, paullum altera recreatus. Legunt alij, Flecti; alij, Allici. Suum cuique arbitrium relinquo. ego non uideo, cur quattuordecim ueterum librorum, in quibus eſt, Allici, conſenſum aſpernari debeam: cum praeſertim nec in ſententia, nec in loquendi genere uitij quidquam eſſe uideatur. HERCVLEM *Xenophontium* } de quo ſcribit Xenophon lib. 2. Memorabilium, & Cicero lib. 1. de Off. his uerbis: Herculem Prodicus dicit, ut eſt apud Xenophontem, cum primum pubeſceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quiſque uiam uiuendi ſit ingreſſurus, datum eſt, exiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedentem diu ſecum multumq. dubitaſſe, cum duas cerneret uias, unam uoluptatis, alteram uirtutis, utram ingredi melius eſſet. Idem de Prodico Suidas. A. PRINCIPIO *coniurationis uſque ad reditum* } a conſulatu Ciceronis, quo patefacta coniuratio eſt, & conſulatu Lentuli, & Nepotis, quo redijt ab exſulio: quod integri quinquennij ſpatium fuit. SCIENTIA, } quam tenes, & quam tua cum laude oſtendes uel in explicandis cauſsis rerum nouarum, uel in remedijs incommodorum. CAVSSIS *rerum nouarum*, } ſumptibus nimijs, imperij immoderati, ac licentiae cupiditate: quae Salluſtius perſequitur. REMEDIIS } quae ciuilibus malis adhiberi poſſunt, quaeq. Cicero ipſe conſul adhibuit. PERFIDIAM, } ſaepe fidem hominum accuſat in epiſtolis ad Att. ad Q. Fratrem, ad Lentulum: nominatim uero ſe deſtitutum, & inductum queritur a Pompeio, qui ſe numquam ei defuturum iurauerat, & ab Hortenſio, Catone, Arrio. CASVS *noſtri* } calamitates, quas ob patriam e coniuratorum inſidijs ereptam pertulit. VARIETATEM } quia uaria fortuna ſum uſus: cum a ſumma dignitate ad ultimas miſerias inimicorum me detruſerit iniuria: rurſusq. in patriam eximio cum honore, expetitus ab omnibus, redierim. HABET *enim praeteriti doloris ſecura recordatio delectationem*; } quod in prouerbium abijt. unde lib. 2. de Fin. contra Epicureos, Quid ſi etiã, inquit, iucunda memoria eſt praeteritorum malorum? Vt prouerbia nonnulla ueriora ſint, quam ueſtra dogmata. uulgo enim dicitur, iucunde acti labores. unde Virgilius: Forſan & haec olim meminiſſe iuuabit. Nec male Euripides:

Suauis eſt laborum praeteritorum memoria. Graecus autem uerſus hic eſt:

Ἀλλ' ἡδύ, τὸν σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων. CASVS *alienos ſine ullo dolore intuentibus*, }

Lucretius; Suaue, mari magno turbantibus aequora uentis,

E terra magnum alterius ſpectare laborem. MANTINEAM } urbem Arcadiae, nobilitatam clade Lacedaemoniorum, & uictoria Epaminondae, Thebanorum ducis. Aemilius Probus, Iuſtinus lib. VI. Strabo lib. IIX. EPAMINONDAS } quem ſummum ducem exterarum gentium uidetur Cicero iudicare lib. 1. de Oratore, cum ait: Vterer exemplis Africanorum, & Maximorum: Epaminondam, atque Hannibalem nominarem. & lib. III. Pythagoreus ille Lyſis Thebanum Epaminõdam, haud ſcio, an ſummũ uirum unum omnis Graeciae. NON. CVM *quadam miſeratione delectat?* } cum ex illius interitu miſeratio, ex animi autem magnitudine conſtantia oriatur. Tuſc. 1. Quam me delectat Theramenes, quamq. elato animo eſt? etſi enim flemus, cum legimus; tamen nõ miſerabiliter uir clarus emoritur. CLYPEVM *eſſe ſaluum*: } aliter Probus in eius uita, cuius uerba recitabo. Epaminõdas, inquit, cũ animaduerteret, mortiferũ ſe uulnus accepiſſe, ſimulq. ſi ferrũ, quod ex haſtili in corpore remanſerat, extraxiſſet, animã ſtatim amiſſurum, uſque eo retinuit, quod renũciatum eſt uiciſſe Boeotios. id poſtquam audiuit, ſatis, inquit, uixi: inuictus enim morior. Cicero lib. 2. de Fin. & de clypeo, & de uictoria percunctatum Epaminondam oſtendit. Cum uiciſſet, inquit, Lacedaemonios apud Mantineam, ſimulq. ipſe graui uulnere exanimari ſe uideret, ut primum deſpexit, quaeſiuit, ſaluus ne eſſet clypeus: cum ſaluum eſſe flentes ſui reſpondiſſent, rogauit, eſſent ne fuſi hoſtes: cumq. id quoque, ut cupiebat, audiſſet, euelli iuſsit eam, qua erat tranſfixus, haſtam. ita, multo ſanguine profuſo, in laetitia, & in uictoria eſt mortuus. Clypeum ἀπὸ τοῦ κλέπτειν, quia corpus celet, appellatum Seruius ait: Plinius ἀπὸ τοῦ γλύφειν, ideſt a ſculpendo: & irridet grammaticos, qui deducerent a cluendo. Trebellius Pollio in Claudij uita uidetur exiſtimaſſe, ex grammaticorum ſententia, dicendum, clypeum, non, clypeus: ut ait: Illi clypeus aureus, uel, ut grammatici loquuntur, clypeum aureum ſenatus totius iudicio in Romana curia collocatum eſt. Verum omnes poetae ſemper clypeus, numquam clypeum, dixere. quod ſi de ſoluta oratione grammatici illi loquebantur, ne id quidem concedi poteſt, ut recitata proxime Ciceronis uerba declarant. THEMISTOCLIS } huius uitam Aemilius Probus, & Plutarchus exponunt. FVGA, } fugit ad Artaxerſem, Perſarum regem, ueritus iram Athenienſium, quibus in ſuſpicionem uenerat initae cum Perſarum rege contra Graeciam ſocietatis. REDITV } reditum Themiſtoclis poſt fugam non inuenio. forte ſecutus eſt Cicero annales, quos neque Plutarchus, neque Probus uiderint, aut quibus habendam fidem non putarint: quando & de interitu eius aliter alios exiſtimaſſe, in Bruto legimus. Memini, cum homo ingenioſus, induſtriaq. excellens, familiaris meus, Hieronymus Ferrarius, cui mortuo bene ſit, legendum opinabatur, Interitu, pro Reditu. quae coniectura, etſi diſſentit ab antiquis libris, tamen, quia cum ſententia congruit, praetermittenda non fuit. ORDO *ipſe annalium* } quo quaſi filo perpetua texitur hiſtoria. MEDIOCRITER } non multum. uiri autem excellentis ancipites, uarijq. caſus non mediocriter, ideſt multum retinent. ſe ipſum alienis deſignat exemplis. RETINET } delectat. retineri enim uidetur, qui libenter legit. Eodem modo uerbum Capior ad delectationem transfertur. QVASI *enumeratione faſtorum*: } ut faſti delectant, enumerandis rebus, quae ſingulis diebus agantur. unde Ouidius Faſtos inſcripſit libros ſuos. EXITV *notabili* } ut notabilis fuit eius in patriam reditus, poſt exſulij calamitatem. QVO *mihi acciderit optatius*, } modus loquendi, pro, Quam ob cauſſam mihi acciderit optatius. tale illud lib. 1. de Orat. Stultitia excuſationem non habet: quia nemo uidetur, aut quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, ſtultus fuiſſe. quo etiam grauius iudicium in dicendo ſubimus. QVASI *fabulam* } fabulam uocat, non quia fictae ſint

res,

res, ſed quia, tamquam fabula, uarios actus habeat. E T *conſiliorum, & temporum.* } quaedam enim actiones conſilijs hominum proprie tribuuntur, quaedam temporibus potius, quam conſilijs. N O N *uereor, ne uidear aucupari* } hoc dicit. certe me non putas aucupari gratiam tuam aſſentatiuncula quadam: cum ipſe te optime noueris. N E Q V E *autem ego ſum ita demens,* } eſſem autem demens, ſi laudari uellem ab eo, qui non ipſe propriam in me laudando ingenij gloriam conſequeretur. laudari enim ab eo uelle, qui careat ingenio, dementis eſt. itaque me tibi aſſentari, non eſt cur exiſtimes: neque id ſane tibi in mentem uenire arbitror. I L L E } de celeberrimis uiris, & apud omnes fama cognitis, hoc pronomen uſurpamus, ut de Ageſilao infra: Alexandro autem quis maiorem nominis celebritatem conſecutus? qui paucis annis & Darium, ultimum Perſarum regem, & Oceano tenus omnia ſuperauit, prolatis ab angulo Thraciae ad extremum orientem imperij terminis. A P E L L E } pingendi laude omnium clariſsimo. L Y S I P P O } unde Horatius ep. I. lib. 2.

Edicto uetuit, ne quis ſe, praeter Apellem.
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret aera,
Fortis Alexandri uultum ſimulantia.

Addit Plinius lib. XXXVII. cap. I. eundem Alexandrum uetuiſſe edicto, in gemma ſe ab alio ſcalpi, quam a Pyrgotele, eius artis clariſsimo. Tres uero hos artifices, & edictum Alexandri ſimul nominat lib. VII. cap. 37. Appuleius autem lib. I. Florid. Polycletum, non Lyſippum, ait fuiſſe, qui Alexandrum aere duxit. C O R P O R I S *ſimulacra* } ſimulacrum, & imago ſunt idem, ab effigie quiddam differunt. idem eſſe, indicat id, quod ſequitur infra: Qui neque pictam, neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe. nam ſimulacra iam uocauerat Cicero, pictam ab Apelle, fictam a Lyſippo imaginem Alexandri. ſunt igitur ſimulacra, & imagines, quae pinguntur, & quae finguntur: effigies autem, contra Vallae ſententiam, eſt, quae fingitur, non quae pingitur: quod ipſum nomen arguit. & Cicero Tuſc. 3. cum dixit, Eminentem effigiem uirtutis, ad ficta opera ſpectauit: cum uero ſubiunxit, Adumbratam imaginem gloriae, ad picturam: non quod imago tantum picturae ſit, ſed quod, cum uocabulum generale ſit omnium ſimilitudinum, picturam quoque complectitur. effigies autem uel ſolida eſt, ut ſignum, & ſtatua; uel expreſſa, ut caelatum opus, & quae in cera, anulo impreſſo, effingitur imago. latiorem igitur ſignificationem habet ſimulacrum, aut imago, quam effigies. nec neceſſe eſt, ut, ſimulacrum, qui dicit, aut imago, addat, effigies; cum & ſimulacrum, & imago ſimilitudines omnes comprehendant: itaque ſtatuam Ennij, quam lib. XXXIIX. Liuius nominat, Valerius Max. lib. IIX. cap. 15. uocat effigiem: qui uero, effigies, dicit, interdum addit, ſimulacrum, aut, imago, quaſi explanandi gratia, non quod re uera idem ſint: ut Cicero in Verrem: Effigies, & ſimulacrum alicuius. & lib. I. de Nat. de. Effigies hominis, & imago deus. A parte enim tranſimus ad totum, non a toto ad partem. I G N O T I S *nota faciebant:* } Ignotis, poſuit, non pro ijs, qui ignorarentur, ſed qui ignorarent illa ſimulacra: ut id, quod patitur, accipiatur pro eo, quod agit: antique: nam & Plautus in Pſeudolo: Noui: notis praedicas. pro, ijs, qui nouerunt. Et noſter in oratione pro Coelio: De dignitate, Coelius notis, ac maioribus natu, etiam ſine mea oratione, tacitus facile ipſe reſpondet. Et in Verr. lib. VI. Liuius lib. III. Notos gratia eorum, turbam indignitas rei uirgini conciliat. Et Curtius: Ignoti iumenta agebant. N I H I L O *ſunt tamen obſcuriores clari uiri.* } hoc tum ad aliorum, uirtute praeſtantium, tum ſuam etiam ad laudem ſcripſit. claritatem inquit, & ſplendorem a mutis imaginibus uirtus non accipit, ſed ingenij monumentis celebrata immortalem famam conſequitur. hoc Ageſilao contigit, quem Xenophon laudibus extulit. hoc & de me ipſo futurum confido, ſi in tua ſcripta peruenero. Obſcuriores, clari uiri: nota contraria. ſic ep. 5. lib. 2. obſcuro ſermoni clariſsimam uocem oppoſuit. S P A R T I A T E S } Spartanus. a Graeco Σπαρτιάτης. nomina ita deſinentia patriam ſignificant. & Spartiata, idem erat: nam utroque modo dicitur: ut Tegeates, Tegeata; Eleates, Eleata; Crotoniates, Crotoniata. A G E S I L A V S *ille* } eorum, qui Spartae regnarunt, tum alijs uirtutibus, tum bellicae rei ſcientia praeſtantiſsimus. P E R H I B E N D V S, } Perhiberi dicitur id, de quo omnes conſentiunt. Non minus perhibendus eſt Ageſilaus, ualet, non minore hominum conſenſu celebrandus. Tuſc. I. Tyndaridae fratres uictoriae populi Romani nuncij fuiſſe perhibentur. N E Q V E *pictam, neque fictam* } ut Alexandri pinxerat imaginem Apelles, finxerat Lyſippus. Ageſilaus ita ſenſit, non quod eſſet claudus, & breui corpore, ut apud Aemilium Probum, Athenaeum lib. 14. Dionē Chryſoſtomum in oratione Corinthiaca ſcriptum eſt; ſed quod memoriae perpetuitatem a uirtute potius, quam ab imagine corporis, exſpectandam duceret. qua de re Xenophontis praeclara uerba recitabo: Τοῦ μὲν σώματος εἰκόνα ςήσασθαι, ἀπέσχετο, πολλῶν αὐτῷ τοῦτο δωρεῖσθαι θελόντων: τῆς δὲ ψυχῆς οὐδέποτε ἐπαύετο μνῆμα διαπονούμενος: ἡγούμενος τὸ μὲν ἀνδριαντοποιῶν, τὸ δὲ αὐτοῦ ἔργον εἶναι, καὶ τὸ μὲν πλουσίων, τὸ δὲ τῶν ἀγαθῶν. V N V S *enim Xenophontis libellus* } qui exſtat, de Ageſilai laudibus ita ſcriptus, ut imaginem animi, atque ingenij, omni praeſtantiorem imagine corporis mirabiliter exprimat. Quem uero libellum appellat Cicero, tempori ſeruiens, eundem Themiſtius in oratione, qua Caeſari gratias agit, longum librum uocat, & ab eo ſcriptū ait, ut Ageſilao gratiam referret, quod eius opera a Spartanis agro donatus eſſet. Videndus Xenophon lib. V. ἀναβάσεως, Pauſanias in Eliacis lib. I. I M A G I N E S *omnium, ſtatuasq. ſuperauit.* } cum de ſtatuis etiam imago dicatur; ſine cauſſa, ſtatuas, uidetur addidiſſe. uerū addidit, quia proxime non de omni, ſed de picta tantum, & ficta imagine locutus erat: nec eo genere ſtatuae omnes comprehenduntur: ſunt enim non modo fictae, ideſt aeneae, ut Alexandri ſtatua a Lyſippo facta, & Sp. Caſsij, quam Plinius lib. XXXIV. cap. 6. nominat; uerum etiam marmoreae, quae ſcalpuntur. ut igitur Xenophontis librum omnibus omnium ſimulacris Cicero praeferret; marmorea etiam opera, quae antea non nominauerat, pictis, &

fictis adiunxit. *Omnes omnium*: cum lepore. ut ep. 32. lib. VII. Omnia omnium dicta in me conferri. Et pro Milone: Omnibus omnia minabatur. Catullus de Lesbia:

Omnibus una omnes ſurripuit ueneres.

TIMOLEONTI} Corinthio, cuius res geſtas Timaeus expoſuit. uitam eius, ab Aemilio Probo, & a Plutarcho ſcriptam, habemus. Timaei ſcripta perierunt. HERODOTO} qui nouem libros Muſarum nominibus inſcripſit; & in eorum ſeptimo, & octauo, quorum alteri Polymniae, alteri Vraniae nomen eſt, Themiſtoclis uirtutem, & prudentiam, ſingularem oſtendit. Parentem hiſtoriae lib. I. de leg. Cicero uocat, quia princeps hiſtoriam ornauerat, ut idem Cicero ait lib. 2. de Orat. SIGAEVM} Troiae promontorium. DIXIT,} his uerbis: O fortunate adoleſcens, qui tuae uirtutis Homerum praeconem inueneris. In oratione pro Archia, & Plutarchus in uita. NAEVIANVS,} apud Naeuium poetam. A. LAVDATO *uiro*.} abs te, pater, laudato uiro. alloquebatur enim patrem Hector apud Naeuium, ut ex ep. 6. lib. XV. cognoſcitur. QVOD *nonnulli ſaepe reprehendunt*:} itaque prouerbio reprehenditur, Te ipſum laudas, tamquam Aſtydamas. MVLTORVM *exemplo*,} L. Sulla Commentariorum libros XXII. ut auctor eſt Plutarchus, compoſuit de rebus ſuis. M. Scaurus, ille princeps ſenatus, tres libros de uita ipſius acta perſcripſit, quos memorat Cicero in Bruto, & Tacitus in Agricolae, ſoceri ſui, uita. eiuſdem Scauri aequalis, & inimicus, P. Rutilius uitam ſuam litteris mandauit, forſitan aemulatione permotus. Hos maxime, & alios quoque Cicero ſignificat. VERECVNDIVS *ipſi de ſe ſe ſcribant*,} Impeditum ſe ipſum laudare, dixit Caecina in epiſtola ad Ciceronem. PRAECONES *ludorum gymnicorum*,} praecones in ludis gymnicis erant poetae Melici, qualis fuit Pindarus, & alij, qui lyra, & cantu certatim Olympionicarum laudes, & praeclara facta celebrabant. ex magno autem poetarum numero, qui ceteris ingenio praeſtitiſſe putabatur, is & Olympionici coronam imponebat; cum tamen eius patriam, non eum, coronari pronunciaret; & ipſe, tamquam poetico certamine uictor, ab alio poeta, eum laudante, coronabatur. Plinius lib. XVI. cap. 4. Ludi autem gymnici erant, in quibus nudi exercebantur, apud urbes Graeciae, Elidem, & Piſas. eadem Olympica certamina uocabantur. nam, quae Piſae, Olimpia poſtea appellata. Nudi autem certabant, ut apud Pollucem ſcriptum eſt, lucta, curſu, pugillatione, diſco, ſaltu. Vide Plutarchum περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἀνεπιφθόνως ἐπαινεῖν. Horum ludorum inuentorem Arcadẽ Lycaonem Plinius nominat lib. VII. cap. 56. CETERIS *uictoribus*,} Olympionicis, qui non a quouis poeta, ſed a uictore coronabantur. Ceteris, igitur dixit, quia ipſi quoque praecones, quos fuiſſe poetas diximus, uictores erant, itaque poſt ludorum miſſionem corona donabantur. CORONAS} oleaſtri. Plinius lib. XV. cap. 4. & lib. XVI. cap. 44. & Plutarchus in Catone. SE. VICTORES *eſſe*} praeconum quoque certamen fuiſſe, tum ex hoc admonemur loco, tum ex Pauſania, cuius haec ſunt uerba Eliac. α. Σαλπιγκταῖς δὲ ἐφεστηκόσιν αὐτῷ, καὶ τοῖς κήρυξιν ἀγωνίζεσθαι καθέστηκε. ALACRES *animo ſumus*,} plus omnino ſignificauit, quam ſi, cupimus, aut aliquid ſimile, dixiſſet. nam in alacritate index laetitiae motus ineſt. SVSCIPIS *cauſſam*;} ſaepe iam dixi, Cauſſam pro eo, quod agitur, uſurpari. COMMENTARIOS} perpetuam, ac diligentem, nullis ingenij luminibus diſtinctam. rerum narrationem. commentarij enim dicuntur, qui materiam hiſtoriae praebent. In Bruto, de Caeſaris commentarijs: Nudi ſunt, recti, & uenuſti, omni ornatu orationis tamquam ueſte detracta: ſed, dum uoluit alios habere parata, unde ſumerent, qui uellent ſcribere hiſtoriam; ineptis gratum fortaſſe fecit, qui uolunt illa calamiſtris inurere; ſanos quidem homines a ſcribendo deterruit.

---

# Argumentum ep. 13.

*CIceronem in obitu filiae Lucceius litteris conſolatus erat. eae litterae quantum profecerint, & ſimul quam omnis recuperandae reip. ſpes amiſſa ſit, haec epiſtola demonſtrat. Caeſare* IV. *conſule, ſine collega.*

## *Cicero S. D. Lucceio.* 13.

QVAMQVAM *ipſa conſolatio litterarum tuarum mihi gratiſſima eſt; declarat enim ſummam beneuolentiam coniunctam pari prudentia: tamen illum fructum ex ijs litteris uel maximum cepi, quod te praeclare res humanas contemnentem, & optime contra fortunam paratum, armatumq. cognoui. quã quidem laudem ſapientiae ſtatuo eſſe maximam,* NON *aliunde pendere, nec extrinſecus aut bene, aut male uiuendi ſuſpenſas habere rationes. quae cogitatio cum mihi non omnino excidiſſet, (etenim penitus inſederat) ui tamen tempeſtatum, & concurſu calamitatum erat aliquantum labefactata, atque conuulſa: cui te opitulari & uideo, & id feciſſe etiam proximis litteris, multumque profeciſſe ſentio. itaque hoc ſaepius dicendum, tibiq. non ſignificandum ſolum, ſed etiam declarandum arbitror, nihil mihi eſſe potuiſſe tuis litteris gratius. Ad conſolandum autem cum illa ualent, quae eleganter, copioſeq. collegiſti; tum nihil plus, quam quod firmitudinem, grauitatemq. animi tui perſpexi, quam non imitari, turpiſſimum exiſtimo. itaque hoc etiam fortiorem me puto,*

*puto, quam te ipſum praeceptorem fortitudinis, quod tu mihi uideris ſpem non nullam habere, haec aliquando futura meliora: caſus enim gladiatorij, ſimilitudinesq. eae, tum rationes in ea diſputatione a te collectae, uetabant me reip. penitus diffidere. itaque alterum minus mirum, fortiorem te eſſe, cum aliquid ſperes; alterum mirum, ſpe ulla teneri. quid eſt enim non ita affectum, ut id non deletum, exſtinctumq. omne eſſe fateare? circumſpice omnia membra reip. quae notiſsima ſunt tibi: nullum reperies profecto, quod non fractum, debilitatum ue ſit. quae perſequerer, ſi aut melius ea uiderem, quam tu uides; aut commemorare poſſem ſine dolore. quamquam tuis monitis, praeceptisq. omnis eſt abijciendus dolor. ergo & domeſtica feremus, ut cenſes, & publica paullo etiam fortius fortaſſe, quam tu ipſe, qui praecipis. te enim ſpes aliqua conſolatur, ut ſcribis; nos autem erimus etiam in omni deſperatione fortes, ut tu tamen idem & hortaris, & praecipis. das enim mihi iucundas recordationes conſcientiae noſtrae, rerumq. earum, quas, te in primis auctore, geſſimus. praeſtitimus enim patriae non minus certe, quam debuimus, plus profecto, quam eſt ab animo cuiuſquam, aut conſilio hominis poſtulatum. Ignoſces mihi de me ipſo aliquid praedicanti. quarum enim tu rerum cogitatione nos leuare aegritudine uoluiſti, earum etiam commemoratione lenimur. itaque, ut mones, quantum potero, me ab omnibus moleſtijs, & angoribus abducam; transferamq. animum ad ea, quibus ſecundae res ornantur, aduerſae adiuuantur: tecumq. & ero tantum, quantum patietur utriuſque aetas, & ualetudo; &, ſi eſſe una minus poterimus, quam uolemus, animorum tamen coniunctione, iiſdem ſtudijs ita fruemur, ut numquam non una eſſe uideamur. Vale.*

## EXPLANATIO

BENEVOLENTIAM} quae ipſa per ſe ualet ad conſolandum; coniuncta uero pari prudentia, multo plus. PARI *prudentia*:} rationibus ad leuandum curas accommodatis. NON *aliunde pendere*,} quod perfectae uirtutis eſt: ſine qua fortunam quotidie cogimur timere. aliunde igitur pendet, qui extrinſecus, ideſt ab ipſa fortuna, exſpectat omnia. Haec tota ſententia ex Platonis Epitaphio ſumpta eſt. *Ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα, ἢ ἐγγὺς τούτου, καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις αἰωρεῖται, ἐξ ὧν ἢ εὖ, ἢ κακῶς πραξάντων πλανᾶσθαι ἠνάγκασται καὶ τὰ ἐκείνου, τούτῳ ἄριστα παρεσκεύασται ζῆν.* AVT *bene, aut male*} fortunae enim arbitrio uel beatam uitam, uel miſeram exſpectat, qui uirtute caret. SVSPENSAS} minime firmas. incerta enim ſunt, quae in fortuna ponuntur. Praeclare in hanc ſententiam pronunciauit illa Cicero in Paradoxo II. Nemo poteſt non beatiſsimus eſſe, qui eſt totus aptus ex ſeſe, quiq. in ſe uno ſua ponit omnia. cui autem ſpes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi, nihilq. quod exploratum habeat permanſurum ſibi ne unum quidem diem. TEMPESTATVM,} aduerſa tempora Tempeſtates uocat, translatione uſus, ut ep. 3. lib. IV. Multo ante, tamquam ex aliqua ſpecula, proſpexi tempeſtatem futuram. Cum, inquit, ego quoque fortunae uim contemnerem, praeſidij ſatis eſſe ad omnes caſus in una uirtute exiſtimarem; ab hac tamen ſententia, temporibus uexatus, prope deſciueram: ſed me labantem confirmarunt litterae tuae. CONCVRSV} concurrentibus in me calamitatibus, ſuoq. impetu inſitam illam opinionem non omnino quidem, ſed aliquantum labefactantibus, atque conuellentibus. CONVVLSA:} metaphorae concluſio: quam in uerbo, Excidiſſet, inſtitutam, uerbis deinde ſimilibus exceptam, & ad exitum ſententiae conſeruatam uidemus. Conuellere autem plus aliquanto ſignificat, quam labefactare. nam labefactare mouere eſt, non amouere, & auferre: conuellere uero, ita mouere, ut ſeparatio ſequatur. itaque ſeorſum, quaſi diuerſa, ponuntur in oratione pro Cluentio: Si quam opinionem iam ueſtris mentibus comprehendiſtis, ſi eam ratio conuellet, ſi ratio labefactabit. & lib. 2. de Oratore: Ne conuellere adoriamur ea, quae non poſsint commoueri. PROXIMIS *litteris*,} binis igitur litteris Ciceronem Lucceius conſolatus erat. nam de poſterioribus in eo ſignificat, Cui te opitulari uideo. de prioribus, cum ait: Et id feciſſe etiam proximis litteris, multumq. profeciſſe ſentio. SED *etiam declarandum*} poteſt enim obſcura eſſe ſignificatio, cum non omnia ſigna perſpicue demonſtrent; declaratio non poteſt. Pro Milone: Si umquam locus ampliſsimorum uirorum delectis uiris datus eſt, ubi ſua ſtudia erga bonos, & fortes ciues, quae uultu, & uerbis ſaepe ſignificaſſent, re, & ſententijs declararent. ITAQVE} quiddam accederet ad ſententiam, ſi legeretur, Atque. nec tamen, Itaque, reijcio, praeſertim ab antiquis libis comprobatum. HAEC *aliquando futura meliora*:} hic locus oſtendit, Lucceij conſolationem adhibitam eſſe non ad eam tantum ſollicitudinem, quam ex obitu filiae Cicero capiebat, ſed ad maerorem etiam ex reip. pernicie ſuſceptum. idemq. confirmatur infra, in eo loco: Et domeſtica feremus, ut cenſes, & publica paullo etiam fortius fortaſſe, quam tu ipſe, qui praecipis. CASVS *gladiatorij*,} gladiatorum ſimilitudine Lucceius probare ſtuduerat, non eſſe penitus de rep. deſperandum: cum ſaepe, qui iam uictus ab aduerſario gladiator uidetur, is ita conualeat, ut uictorem proſternat. VETABANT} non, quod re uera proficerent, ſed eo ſpectabant, ut ad aliquam ſpem traducerer. ex quo uidebam, te aliqua ſpe terreri: cum ego prorſus deſperem. CVM *aliquid ſperes*;} cum ego nihil ſperem: &, qui nulla ſpe tenetur, eum eſſe fortem quis non miretur? ITA *affectum*,} eo calamitatis, & miſeriae redactum. FRACTVM, *debilitatum ue*} ut enim integris firmitas, ita fractis debilitas ineſt. ſic ep. 9. lib. I. In te potiſsimum fractam illam, & debilitatam uim ſuam contulit. Pro Flacco: Quae urbs auctoritate tanta eſt, ut iam fractum prope, ac debilitatum Graeciae nomen huius urbis laude nitatur. De Orat. lib. I. Adoleſcentulus ſic in initio accuſationis exanimatus ſum, ut hoc ſummum beneficium Q. Max. debuerim, quod conſilium

continuo

continuo omiſerit, ſimul ac me fructum, ac debilitatum metu uiderit. MONITIS,} tantam apud ſe eiſe Lucceij auctoritatem oſtendit, ut, quamquam de rep. prorſus actum putet, dolorem tamen, eo monente, & praecipiente, abijcere decreuerit. DOMESTICA} interitum filiae. SPES *aliqua*} ob rationes a te collectas, maximeq. ob gladiatorios caſus. VT. TV *tamen idem*} adductis iam rationibus ad aliquam ſubleuandae reip. ſpem accommodatis, ad illam poſtremo conſolationem Lucceius confugerat, ut diceret, uel in ſumma deſperatione fortitudinem tamen eſſe Ciceroni praecipue retinendam. cur enim: qui maximas res, aduerſis patriae temporibus fortiſsime geſſerit, idem non perpetuo ſe ſui ſimilem, ideſt fortem, conſtantemq. praebat? CONSCIENTIAE} quod eſt maximum ſolatium in malis. ep. 3. lib. IV. Multa me conſolantur, maximeq. conſcientia conſiliorum meorum. & ep. I. lib. VI. TE *auctore*,} conſilio tuo. GESSIMVS.} Catilinae tempora ſignificat. tunc enim maxime uirtus Ciceronis enituit: & eas ſaepe res glorioſe commemorat. AB *animo cuiuſquam, aut conſilio*} in opprimenda coniuratione non animi tantum, ſed conſilij quoque praeſtantia opus fuit. ideo coniungit utrumque in ep. 7. cum ait: Quae, cum ueneris, tanto conſilio, tantaq. animi magnitudine geſta eſſe cognoſces. ALIQVID} quid amplius potuit? Nimirum haud paullo plus, quam ſatis eſt, auidior gloriae fuit Cicero noſter: quod ipſe ad Dolabellam ſcribens, ep. 14. lib. IX. ingenue confeſſus eſt. nos autem amemus ingenium, & imitemur, quantum licet, eloquentiam, cuius in illo praeſtantiſsimum habemus exemplum: ſi qua tantis uirtutibus adſperſa labes fuit, ut eſt ſaepe naeuus aliquis in pulcherrimo corpore, diſsimulemus potius, quam reprehendamus. AD. EA,} ad illa praeclara philoſophiae ſtudia, quae maxime poſt euerſam remp. coluit: quod eius indicant ſcripta, de Officijs, de Finibus, Tuſculanae diſputationes, & alia. SECVNDAE *res ornantur*,} quia philoſophiae praeceptis ita nos gerimus in ſecunda fortuna, ut ab omnibus temperantiae laudem conſequamur. ADIVVANTVR:} tum quia philoſophiae tractatio ita delectat, ut a ceteris moleſtijs animum abducat: tum etiam, quia, quod abſit a culpa, non eſſe malum perſuadet, ideoq. nec magnopere dolendum. Laudat eadem ſtudia in ep. 3. lib. IV. & ep. 12. lib. VI. & ep. 2. 3. lib. IX. & alibi ſaepe. IISDEM *ſtudijs*} ſic malo, ut eſt in duobus antiquis libris, quam, ut in duodecim, Ijſdemq. ſtudijs. copulam non uideo neceſſariam eſſe, & additam ſuſpicor e coniectura, quod illud, Animorum coniunctione, ad uerbum, Fruemur, referendum uideretur: cum a ſe ipſo potius regatur; ut ſit: ideo ſimul eſſe uidebimur, quia fruemur ijſdem ſtudijs, animis coniunctis.

---

# Argumentum ep. 14.

*DVas ad Ciceronem Lucceius conſolatorias miſit epiſtolas; & utrique Cicero reſpondit. Lucceij prior deſideratur; Ciceronis utraque exſtat. In hoc quaerit primum cauſſam Lucceius, cur ab urbe Cicero abſit; laudat, ſi ſolitudinem ſequitur, ut otio ad ſcribendum abundet; non probat, ſi maeroris cauſſa, ob filiae mortem ſuſcepti; deinde rationes, cur dolori finem facere debeat, ſubiungit. ad rationes poſtremo preces addit, ſibi ut hoc tribuat roganti, ne diutius angatur. Claudit epiſtolam amoris, & modeſtiae ſignificatio. Eodem anno ſcripta.*

## *Lucceius S. D. Ciceroni.* 14.

*SI uales, bene eſt: ego ualeo, ſicut ſoleo, paullulo tamen etiam deterius, quam ſoleo. Te requiſiui ſaepius, ut uiderem. Romae quia poſtea non fuiſti, quam a me diſceſſeras, miratus ſum: quod item nunc miror. non habeo certum, quae te res hinc maxime retrahat. ſi ſolitudine delectare, cum ſcribas, & aliquid agas eorum, quorum conſueſti; gaudeo, neque reprehendo tuum conſilium: nam nihil iſto poteſt eſſe iucundius, non modo miſeris his temporibus, & luctuoſis, ſed etiam tranquillis, & optatis, praeſertim uel animo defatigato tuo, qui nunc requiem quaerat ex magnis occupationibus, uel erudito, qui ſemper aliquid ex ſe promat, quod alios delectet, te ipſum laudibus illuſtret. ſin autem, ſicut hic dum eras, lacrumis, & triſtitiae te tradidiſti: doleo, quia doles, & angere: non poſſum te non, ſi concedis, quod ſentimus, ut liberius dicamus, accuſare. quid enim? tu ſolus aperta non uidebis, qui propter acumen occultiſſima perſpicis? tu non intelliges te querellis quotidianis nihil proficere? non intelliges duplicari ſollicitudines, quas eleuare tua te prudentia poſtulat? quod ſi non poſſumus aliquid proficere ſuadendo; gratia contendimus, & rogando; ſi quid noſtra cauſſa uis, ut iſtis te moleſtijs laxes, & ad conuictum noſtrum redeas, & ad conſuetudinem uel noſtram communem, uel tuam ſolius,*

*ac pro-*

*ac propriam. Cupio non obtundere te, ſi non delectare noſtro ſtudio: cupio deterrere, ne permaneas in incepto: cũ duae res iſtae contrariae me conturbent: ex quibus aut in altera mihi uelim, ſi potes, obtemperes; aut in altera non offendas. Vale.*

## EXPLANATIO

QVAM *a me diſceſſeras*,} cur hoc mendoſum ſuſpicati quidam ſint, quibus placuiſſe uideo, Quam diſceſſerat, non equidem intelligo; praeſertim cum antiqui omnes libri, quibus quidem ego nunc utor, cum uulgata lectione conſentiant. HINC} ab urbe. SOLITVDINE} in quam ſe poſt obitum filiae Cicero contulerat. ad Att. ep. 13. lib. XII. Me haec ſolitudo minus ſtimulat, quam iſta celebritas. te unum deſidero: ſed litteris non difficilius utor, quam ſi domi eſſem. ardor tamen ille urget, & manet, non mehercule indulgente me, ſed tamen non repugnante. Et ibidem, ep. 14. 15. 16. 18. 21. 22. CVM *ſcribas*,} ſcripſit in ſolitudine librum de Conſolatione ad ſe ipſum. ſcripſit etiam libros quinque de Finibus: quod utrumque ex epiſtolis ad Atticum intelligitur. QVORVM *conſueſti*;} quorum aliquid agere conſueſti. Graeca figura. LACRVMIS, *& triſtitiae*,} fletus, & maeror dolentis animi ſigna ſunt. quae tamen ſaepe ratio minuit, interdum etiam plane tollit: propterea Ciceronem hortatur Lucceius, ut a lacrumis triſtitiaq. abſtineat. NON *poſſum te non, ſi concedis*,} in uulgatis libris, Nec poſſum. malui, Non poſſum, ut habent omnes antiqui libri. alterum, Non, quod refertur ad uerbum, Accuſare, paullo uidetur durius. uerum in antiquorum ſcriptis, unde haurimus ubertatem Latinae linguae, excuſanda omnia, non omnia tamen imitanda. quamquam hic ueterum librorum diſſenſio non nullam mendi ſuſpicationem affert. alij enim habent, Non poſſum te nam ſi concedis: alij, Non poſſum te ſi non concedis: alij, Non poſſum te nam ſi non concedis. APERTA *non uidebis*,} quid enim apertius, quam, nihil profici querellis? DVPLICARI} augetur enim dolor retractando. VEL *noſtram communem*,} uel ita uiue, ut uiuimus omnes: uel, ſi noſtram conſuetudinem imitari non uis, uiue ſaltem, ut ſolebas ipſe; ſequere eam conſuetudinem, quae tua ſolius, ac propria fuit, ut ab iſto angore te liberes. TVAM *ſolius*,} ſic pro Q. Roſcio: Tuas ſolius Cherea tabulas flagitamus. Liuius lib. 2. Gratae in uulgus leges fuere: quas cum ſolus pertuliſſet, ut ſua unius gratia eſſet; tum demum comitia collegae ſubrogando habuit. PROPRIAM.} ſi non impetro, ut ad communem, ſaltem, ut ad tuam conſuetudinem redeas, & peto, & impetrare debeo. STVDIO} minuendi doloris tui cupiditate. CONTRARIAE} nam neque plura ſcribo, ne te obtundam: & plura tamen libenter ſcriberem, ne permaneres in incepto, ideſt ne ſuſceptum dolorem diutius ferres. Fortaſſe autem dixit, cupio te non obtundere, quod alteris iam litteris antea conſolatus erat. IN *altera*} in hoc ſtudio meo leuandi doloris tui. IM *altera*} quod hortor, & rogo, ut iſtis te moleſtijs laxas. NON *offendas*.} Offendere, quinque modis accipitur. Aut enim eſt laedere: quae notiſsima ſignificatio eſt: propterea ſuperſedebo exemplis. Aut reperire: ut ep. 9. lib. 1. Non offendes eundem bonorum ſenſum, mi Lentule, quem reliquiſti. Et ep. 14. lib. v. Tam miſero tempore nihil noui conſilij cepiſſem, niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas, quam remp. offendiſſem. Aut incidere: ut lib. 2. de Inuent. Quod ſi in ceteris quoque ſtudijs a multis eligere homines commodiſsimum quodque, quam ſeſe uni alicui certo uellent addicere: minus in arrogantiam offenderent. Aut peccare, uel aliquid committere, unde exiſtimationis, honoris, beneuolentiae iactura fiat. ut ep. 7. lib. 1. Si cecidiſſet ut uolumus, & optamus, omnes te & ſapienter, & fortiter; ſin aliquid eſſet offenſum, eoſdem illos & cupide, & temere feciſſe dicturos. Et ep. 18. lib. 2. Si dignum ſe maioribus ſuis praebuerit, ut ſpero, & opto; tua laus ex aliqua parte fuerit: ſin quid offenderit; ſibi totum, nihil tibi offenderit. Et ep. 4. lib. x. ad Att. Eumq. perturbatum, quod intelligeret, ſe apud ipſam plebem offendiſſe de aerario. Et pro Cluentio: Qui bis apud iudices offendiſſet. Aut paſsiue ſumitur: quae minus nota ſignificatio eſt. non enim eſt hic, offendas, pro pecces, ut credidit homo doctus, exemplis adductus alio ſpectantibus, ſed pro Offendaris. quod ipſe probat Cicero. nam ep. 1. lib. 1. ad Q. F. Si quis eſt, inquit, in quo iam offenderis, de quo aliquid ſenſeris; huic nihil credideris, nullam partem exiſtimationis tuae commiſeris. In Verrem lib. 1. act. 2. Hoſpes Ianitor, ueritus ne quid in ipſo ſe offenderit, hominem ſumma ui retinere coepit. Pro Milone: Si in me aliquid offendiſtis. Et Caeſar lib. 2. bell. ci. At, credo, ſi Caeſarem probatis, in me offenditis. Quae ſi attendantur, profecto patiendi uim potius habere uidebuntur, quam agendi.

---

## Argumentum ep. 15.

*QVaerenti Lucceio, cur ab urbe abſit, eiuſq. ſollicitudines minuere conanti, ad utrumque reſpondet: lugere ſe non tam filiae obitum, quam reip. tempora; in urbe non eſſe, quod in ea nihil iucundum, odioſa omnia.*

*Cicero*

## *Cicero S. D. Lucceio.* 15.

*O*MNIS *amor tuus ex omnibus partibus ſe oſtendit in ijs litteris, quas a te proxime accepi, non ille quidem mihi ignotus, ſed tamen gratus, & optatus: dicerem, iucundus, niſi id uerbum in omne tempus perdidiſſem, neque ob eam unam cauſſam, quam tu ſuſpicaris, & in qua me, leniſſimis, & amantiſſimis uerbis utens, re grauiter accuſas; ſed quod illius tanti uulneris quae remedia eſſe debebant, ea nulla ſunt. quid enim? ad amicos ne confugiam? quam multi ſunt? habuimus enim fere communes: quorum alij occiderunt, alij neſcio quo pacto obduruerunt. tecum uiuere poſſem equidem, & maxime uellem. uetuſtas eſt, amor, conſuetudo, ſtudia paria. quod uinculum, quae res deeſt noſtrae coniunctioni? poſſumus ne igitur eſſe una? nec mehercule intelligo, quid impediat: ſed certe adhuc non fuimus, cum eſſemus uicini in Tuſculano, in Puteolano: nam, quid dicam, in urbe? in qua, cum forum commune ſit, uicinitas non requiritur. ſed, caſu neſcio quo, in ea tempora noſtra aetas incidit, ut, cum maxime florere nos oporteret, tum uiuere etiam puderet. quod enim mihi poterat eſſe perfugium ſpoliato & domeſticis, & forenſibus ornamentis, atque ſolatijs? litterae, credo, quibus utor aſſidue; quid enim aliud facere poſſum? ſed neſcio quo modo ipſae illae excludere me a portu, et perfugio uidentur, et quaſi exprobrare, quod in ea uita maneam, in qua nihil inſit, niſi propagatio miſerrimi temporis. Hic tu ea me abeſſe urbe miraris, in qua domus nihil delectare poſſit, ſummum ſit odium temporum, hominum, fori, curiae? itaque ſic litteris utor, in quibus conſumo omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, ſed ut exiguam doloris obliuionem petam. quod ſi id egiſſemus ego, atque tu; quod ne in mentem quidem nobis ueniebat propter quotidianos metus; omne tempus una fuiſſemus; neque me ualetudo tua offenderet, neque te maeror meus. quod, quantum fieri poterit, conſequamur. quid enim utrique noſtrum aptius? propediem te igitur uidebo. Vale.*

## EXPLANATIO

DICEREM, *iucundus*,} dixi iam, nihil eſſe iucundum, quin idem gratum: non contra: nam ſaepe multa grata, non eadem iucunda. ep. 6. lib. IV. Cuius officia iucundiora ſcilicet ſaepe mihi fuerunt, numquam tamen gratiora. IN *omne tempus*} ad temporis & nomen ipſum, & ſignificationem utimur particula, In. ep. 14. lib. XI. In multa ſaecula uidebamus remp. liberatam. Et in oratione 12. in Rullum: In hunc annum profeſſus ſum otij me, & concordiae patronum. OB *eam unam cauſſam*,} ob interitum filiae: quo equidem angor, ſed non haec una me torquet cura, uerum illa ſimul, quod nec ab amicis, qui ſuperſunt paucisſimi, nec ab ipſa rep. quae ipſa quoque interijt, nec mehercule a litteris, quae negare perfugium uidentur, ſolatium petere poſſum. Eripuit igitur mihi iucunditatem in omne tempus non tam filiae mors, quam amisſio reip. & amicorum: quae remedia tanti uulneris eſſe debebant. QVAM *tu ſuſpicaris*,} ſcripſerat enim Lucceius: Sin autem, ſicut hic dum eras, & lacrumis, & triſtitiae te tradiſti. LENISSIMIS, *& amantiſſimis uerbis*,} ita enim ſcripſerat Lucceius, ut & modeſtiam ſuam, & eximiam in Ciceronem beneuolentiam oſtenderet. RE *grauiter accuſas*;} in eo loco: Tu ſolus aperta non uidebis? ILLIVS *tanti uulneris*} cruciatus ex obitu filiae ſummus tranſlatione demonſtratur. eſt enim acerbus uulnerum dolor, eoq. magis, quo grauiora ſunt. ideo ſatis non putauit, Vulneris, ſed addidit, Tanti. ſic ad Sulpicium, ep. 6. lib. IV. Hoc tam graui uulnere. HABVIMVS *enim fere communes*:} propterea ſcis, quam non multi ſuperſint. OCCIDERVNT,} ciuili bello Caeſaris & Pompeij, ut duo Lentuli, L. Domitius, M. Bibulus, Ap. Claudius, L. Scipio, conſulares omnes. OBDVRVERVNT.} ut M. Marcellus, qui Mitylenis in exſulio maluit, quam in patria ſeruitute oppreſſa uitam ducere. poſtea tamen, Ciceronis litteris, reditum ſuadentibus, permotus, cum ad urbem ſe conferret, in itinere a familiari ſuo Magio Chilone occiſus eſt. ep. 12. lib. IV. VETVSTAS} uetus notitia. ep. 10. lib. X. ep. 16. lib. XI. ep. 32. lib. XIII. IN *Tuſculano*,} quae uilla fuerat antea L. Sullae dictatoris. Plinius lib. XXIII. cap. 6. VICINITAS *non requiritur*.} poſſunt ciues, licet prope habitent, crebro tamen, nec ullo incommodo, ſimul eſſe, quia forum commune ſit, quo omnes quotidie fere coeunt. FLORERE} gratia, auctoritate, gloria. ep. 13. lib. IV. In qua urbe modo gratia, auctoritate, gloria floruimus, in ea nunc ijs omnibus caremus. OPORTERET,} quia ſenibus rerum pro rep. geſtarum, optimorumq. conſiliorum praemia ſunt gratia, auctoritas, gloria. VIVERE *etiam puderet*.} amiſſa libertate, ſine qua bonis ciuibus dulce nihil eſt. ep. 13. lib. IV. Saepius mihi uenit in mentem, queri, quod ita uiuerem, quam gaudere, quod uiuerem. Et ep. 3. lib. VII. Vbi non ſis, qui fueris, non eſſe cur uelis uiuere. DOMESTICIS,} non domeſticis ornamentis, ſed ſolatijs: ornamentis autem forenſibus. nam, cum eum, reip. calamitatibus maerentem conſolari filia ſoleret; domeſticum quoque, illius morte, ſolatium amiſerat. ep. 6. lib. IV. Mihi, amisſis ornamentis ijs, quae eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud ſolatium, quod ereptum eſt. Et in eadem, paullo poſt: Non enim, ut tum me a rep. maeſtum domus excipiebat, quae leuaret; ſic nunc, domo maerens, ad remp. confugere poſſum, ut in eius bonis acquieſcam. FORENSIBVS *ornamentis*,} honeſtate, dignitate, honoribus. haec enim nominat Sulpicius in ep. 5. lib. IV. & Cicero reſpondens Ornamenta ſua uocat. Poteſt etiam referri ad gratiam, auctoritatem, gloriam: quibus cum antea Cicero floruiſſet, caruit omnino poſt

interitum

interitum reip. idq. ſcribit ep. 13. lib. IX. QVID *enim aliud facere poſſum?*} ſublata reip. adminiſtrandae facultate. IPSAE *illae*} quibus utor aſsidue. A. PORTV.} in eas enim ego me, tot malis uexatus, tamquam ex tempeſtate in portum recepi: ſed eijcior, & excludor: hoc eſt, ne in ijs quidem acquieſco: quandoquidem exprobrare mihi uidentur, quod in ea uita maneam, in qua miſeria ſemper eadem futura ſit. oderunt enim turpia: nec ſeruitute quidquam turpius. IN *qua nihil inſit, niſi propagatio miſerrimi temporis.*} Quod Plautus dixit in Trin. Illi producit uitam ad miſeriam. HIC} quae cum ita ſint, tu tamen ea me abeſſe urbe miraris. ſubiungitur admiratio narrationi: ut ep. 13. lib. VII. Hic tu me etiam inſimulas. In Ver lib. V. Hic tu etiam dicere audebis: Eſt in iudicibus ille familiaris meus. Pro Archia: Hic tu Heraclienſium tabulas requiris. Sic ep. 9. lib. I. Hic ego, quantum humano conſilio efficere potui, circumſpectis rebus omnibus, rationibusq. ſubductis, ſummam feci cogitationum mearum omnium. FORI, *curiae?*} iudiciorum, & ſenatus. nam in foro iudicia, in curia ſenatus habebatur. ep. 6. lib. IV. Nihil in foro agere libebat: adſpicere curiam non poteram. MEDICINAM} perfugium, ſolatum, portus, medicina, remedium uulneris, eodem ſpectant: quibus nominibus Cicero utitur in hac epiſtola. DOLORIS *obliuionem*} aberrationem quandam a dolore. ſic enim appellauit ep. 37. lib. XII. ad Att. Qui me, inquit, fractum, & debilitatum putant; ſi ſciant, quid litterarum, & cuius generis conficiam; credo, ſi modo homines ſint, exiſtiment me, ſiue ita leuatus ſim, ut animum uacuum ad res difficiles ſcribendas afferam reprehendendum non eſſe; ſiue hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberaliſsima, doctoq. homine digniſsima, laudari etiam oportere. SI. ID *egiſſemus*} ſi id utrique noſtrum curae fuiſſet, ut una eſſemus. PROPTER *quotidianos metus:*} qui enim quotidie timet, non modo non agit, ſed ne cogitat quidem ea, quae agenda eſſent. OMNE *tempus*} poſt ſuum a Theſſalica pugna reditum in Italiam. OFFENDERET;} offenderet quidem, ſed non tam grauiter. nam, ſi eſſemus una; teq. non ita, ut horis omnibus timeo, male affectum uiderem; & minus angerer. MAEROR *meus.*} tu quoque leuiorem, quam nunc, ex maerore meo moleſtiam praeſens ſuſciperes. amor enim maiora fingit omnia. CONSEQVAMVR.} non dicit, curemus, ſed, conſequamur. ſitum enim id erat in utriusque poteſtate. paullo ante, Nec mehercule, inquit, uideo, quid impediat. APTVS?} ne tua me ualetudo, te maeror meus offendat.

---

# Argumentum ep. 16.

*MAerentem Titium interitu filij conſolatur. Orditur autem primum a dolore ſuo; quia communicatio doloris quaſi quaedam conſolatio eſt; deinde ſuam commemorat beneuolentiam, qua commotus ad conſolandum aggreditur: poſtremo, languentem amicum ſpe confirmat, cum opem afflicto aliquam pollicetur. Tres igitur partes tamquam prooemij loco ſunt. Conſolatio autem multiplex eſt, & copioſa, ab ingenij, doctrinaeq. fontibus deriuata. Angeris interitu filij. Quid? tibi ne ſoli ante diem eripiuntur filij? naſcimur omnes ea lege, plurimis ut afficiamur incommodis, itaque non debes aut propriam, & praecipuam condicionem poſtulare, aut communem recuſare. quis porro, quod nullo uitare conſilio poteſt, id cum euenerit, angatur? haec ſi ratio parum adminuendam ſollicitudinem proficit; adde exempla; quaeq. alijs eadem, aut ſimilia contigerint, animaduerte; ne nimium iſto caſu, quaſi proprium tibi fortuna uulnus inflixerit, ingemiſcas. Haec, atque huius generis alia, ut ad leniendũ dolorem uehemẽter apta, litterarum monumentis mandanda ſapientiſsimi homines cenſuerunt: eaq. nos in ore ſemper, atque in animo habere debemus: ſed nulla magis conſolatio proficiet, quam ſi miſerias horum temporum, & ſtatum noſtrae ciuitatis tibi ante oculos propones. quis enim, cum probitati, aut bonis artibus, atque adeo libertati, & ſaluti nihil iam relictum ſit loci, filios habere cupiat, ac non potius beatum ſe, quia nullos omnino ſuſceperit, exiſtimet? ſin aliquis eos*

*amiſit; non ille quidem propterea beatus eſt, (nec enim gaudere debemus liberorum interitu; neque id natura patitur) ſed certe minus miſer, quam ſi eosdem ſtante, aut ſaltem non penitus euerſa rep. perdidiſſet. Age, concedis haec eſſe uera, nec infeliciter cum ijs eſſe actum, qui tam miſeris temporibus a uita diſceſſerunt: ſed incommodo tuo maeres liberorum ſuauitate priuatus. Fateor id quidem acerbum eſſe: uerumtamen eum te antea ſemper & priuatis in rebus, & publicis praeſtitiſti, tuenda tibi ut ſit grauitas, & conſtantiae ſeruiendum. Venit etiam in mentem, ideo te fortaſſe cruciari, quod eos, qui mortui ſunt, uerſari in miſeria putes. Mihi uero, quod ſaepiſsime legi, & audiui, uel miſeria nulla uidetur eſſe in morte, ſi caret ſenſu, uel, ſi reſidet in ea ſenſus, immortalitas potius appellanda, quam mors. Verum finge miſeros eſſe, qui occiderunt. nihil in morte grauius eſſe poteſt, quã quae reip. impendent. Poſtremo, cum omnes luctus uetuſtate tollantur, impetret ſtatim ratio, quod impetratura aliquando dies eſt. Quo anno ſcripta, non liquet: mihi tamen poſt Pharſalicum ſcripta proelium uidetur ex ijs uerbis, Bona, aut denique aliqua rep. quod ante uictum Pompeium, ut opinor, non diceret. Eodem illud ſpectat, Hoc grauiſsimo, & peſtilentiſsimo anno. Et illud, Quis eſt enim iam non modo pudori, probitati, uirtuti, ſed omnino libertati, ac ſaluti loci?*

## *Cicero S. D. Titio.* 16.

*ETSI unus ex omnibus minime ſum ad te conſolandum accommodatus; quod tantum ex tuis moleſtijs cepi doloris, ut conſolatione ipſe egerem: tamen, cum longius a ſummi luctus acerbitate meus abeſſet dolor, quam tuus, ſtatui noſtrae neceſſitudinis eſſe, meaeq. in te beneuolentiae, non tacere tanto in tuo maerore tamdiu, ſed adhibere aliquam modicam conſolationem, quae leuare dolorem tuum poſſet, ſi minus ſanare potuiſſet. Eſt autem conſolatio peruulgata quidem illa maxime, quam ſemper in ore, atque in animo habere debemus; HOMINES ut eſſe meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortunae telis propoſita ſit uita noſtra; neque eſſe recuſandum, quo minus ea, qua nati ſumus, condicione uiuamus; neue tam grauiter eos caſus feramus, quos nullo conſilio uitare poſſumus; euentisq. aliorum memoria repetendis, nihil accidiſſe nobis noui cogitemus. neque haec, neque ceterae conſolationes, quae ſunt a ſapientiſſimis uiris uſurpatae, memoriaeq. litteris proditae, tantum uidentur proficere debere, quantum ſtatus ipſe noſtrae ciuitatis, & haec perturbatio temporum perditorum: cum beatiſſimi ſint, qui liberos non ſuſceperunt; minus autem miſeri, qui his temporibus amiſerunt, quam ſi eoſdem bona, aut denique aliqua rep. perdidiſſent. Quod ſi tuum te deſiderium mouet; aut ſi tuarum rerum cogitatione maeres: non facile exhauriri tibi iſtum dolorem poſſe uniuerſum puto. Sin illa te res cruciauit, quae magis amoris eſt, ut eorum, qui occiderunt, miſerias lugeas: ut ea non dicam, quae ſaepiſſime & legi, & audiui, nihil mali eſſe in morte; in qua ſi reſideat ſenſus, immortalitas illa potius, quam mors, ducenda ſit; ſin ſit amiſſus, nulla uideri miſeria debeat, quae non ſentiatur; hoc tamen non dubitans, confirmare poſſum, ea miſceri, parari, impendere reip. quae qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus eſſe uideatur. quid eſt enim iam non modo pudori, probati, uirtuti, rectis ſtudijs, bonis artibus, ſed omnino libertati, ac ſaluti loci? non mehercule quemquam audiui hoc grauiſſimo, & peſtilentiſſimo, anno adoleſcentulum, aut puerum mortuum, qui mihi non a dijs immortalibus ereptus ex his miſerijs, atque ex iniquiſſima condicione uideretur. Quare, ſi tibi unum hoc detrahi poteſt, ne quid ijs, quos amaſti, mali putes contigiſſe: permultum erit ex maerore tuo deminutum. relinquetur enim ſimplex illa iam cura doloris tui, quae non cum illis communicabitur, ſed ad te ipſum propriae referetur. in qua non eſt iam grauitatis, ac ſapientie tuae, quam tu a puero praeſtitiſti, ferre immoderatius caſum incommodorum tuorum, qui ſit ab eorum, quos dilexeris, miſeria, maloq. ſeiunctus. etenim eum ſemper te & priuatis in rebus, & publicis praeſtitiſti, tuenda tibi ut ſit grauitas, & conſtantiae ſeruiendum. nam, quod allatura eſt ipſa diuturnitas, quae maximos luctus uetuſtate tollit, id nos praeripere conſilio, prudentiaq. debemus. etenim, ſi nulla umquam fuit, liberis amiſſis, tam imbecillo mulier animo, quae non aliquando lugendi modum fecerit: certe nos, quod eſt dies allatura, id conſilio anteferre debemus, neque exſpectare temporis medicinam, quam repraeſentare ratione poſſumus. His*

ego

*ego litteris ſi quid proficiſſem, exiſtimabam optandum quiddam me eſſe aſſecutum; ſin minus forte ualuiſſent, officio tamen functum beneuolentiſſimi, atque amiciſſimi: quem me tibi & fuiſſe ſemper, exiſtimes uelim, & futurum eſſe confidas. Vale.*

# EXPLANATIO

ETSI *unus*} non diſsimile principium ep. 18. TANTVM *cepi doloris*,} hoc ipſo iam incipit conſolari. nam doloris communicatio ſolatij nonnihil afferre ſolet. ep. 6. lib. IV. Quantum, inquit, praeſens me adiuuare potueris & conſolando, & prope aeque dolendo, facile ex eo intelligo. Sic Sulpicius ep. 5. lib. IV. LONGIVS} dolemus uterque, ſed impari dolore; cum tu filium lugeas, ego tuo dolore doleam. TAM *diu*,} non ſtatim igitur eum conſolatus eſt, audito interitu eius filij. PERVVLGATA} quae patet omnibus: ſed nos propriam quandam e ſtatu noſtrae ciuitatis conſolationem capere debemus; qui eiusmodi eſt, ut beatiſsimi uideantur, qui liberos non ſuſceperunt, minus autem miſeri, qui his temporibus amiſerunt, quam ſi eosdem bona, aut denique rep. perdidiſſent. Conſolatio haec a communi omnium hominum condicione ſumitur, ut ep. 18. & lib. VI. ep. 6. altera, quae ſequitur proxima, a temporum ſtatu: quod idem notauimus infra, in ep. 18. EA *lege natos*,} interpretatio antecedentium uerborum. VT *omnibus fortunae telis propoſita ſit uita noſtra*;} quod etiam ſenarius ille Naeuij poetae docet:

,, Pati neceſſe eſt multa mortalem mala.

ACCIDISSE} cum aduerſi aliquid nobis accidit, euenta aliorum memoria repetamus. NEQVE *haec*,} conſolationem unam propoſuit; deinde ſubiunxit, Haec, quaſi non unam ſolam propoſuiſſet. uerum, quae conſolationis unius partes ſunt, conſolationes appellat. partes autem hae ſunt, una, Homines ut nos eſſe meminerimus; altera, Neque eſſe recuſandum; tertia, Ne tam grauiter; poſtrema, Euentisq. aliorum. VSVRPATAE,} in ſermonibus uſurpatae, atque etiam ſcriptis conſignatae. nam Vſurpari dicitur, quod, uſitatum antea, ſermonibus refertur, ut Phil. II. Quod ſi te in iudicium quis adducat, uſurpetq. Caſſianum illud, Cui bonum fuerit. et alibi. MEMORIAEQ. *litteris proditae*,} ſcriptis ab hominum obliuione uindicatae. Poſuit idem alijs modis, ut, memoriae proditae, litteris proditae. uerum, Memoriae litteris proditae, ita dixit, quaſi, memoriae proditae litterarum adiumento. STATVS *ipſe noſtrae ciuitatis*,} quem intuens diligere uitam nemo debet. AVT *denique aliqua*} oſtendit nullam eſſe remp. quo adducor, ut poſt interitum Pompeij ſcriptam epiſtolam exiſtimem. TVVM *deſiderium*} quia deſideras, quos amiſiſti. TVARVM *rerum cogitatione*} non puto, Tuarum rerum, de fortunis dici, ſed de liberis immatura morte ereptis: ut ſit: Tuarum rerum, pro, tuorum incommodorum: quod indicant & quae antecedunt, & quae ſequuntur. VNIVERSVM} dixit iam, Statui adhibere aliquam modicam conſolationem, quae leuare dolorem tuum poſſet, ſi minus ſanare potuiſſet. Tua, inquit, cauſſa ſi doles, quia cares ijs, quos dilexiſti: prorſus tibi iſtum dolorem euelli poſſe non arbitror: haeret enim quodammodo in ipſa natura, quae amorem quendam in ea, quae procreata ſunt, cunctis ingenerauit animantibus. QVAE *magis amoris eſt*,} qui enim ſua potius, quam aliorum cauſſa angitur, uere non amat. contra, id magis amoris eſt, aliorum miſerias ipſorum cauſſa lugere, non noſtra. NIHIL *mali eſſe in morte; in qua ſi reſideat ſenſus, immortalitas illa potius, quam mors, ducenda ſit; ſin ſit amiſſus, nulla uideri miſeria debeat, quae non ſentiatur.*} haec ſe Cicero legiſſe dicit. legerat autem cum aliorum alia, tum illud Xenophontis lib. IIX. Cyri paediae de ipſo Cyro moriente; cuius haec ſunt uerba ad filios: Ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἤδη ἔσωμαι, ὡς μηδὲν ἂν ἔτι κακὸν παθεῖν, μήτε ἢν μετὰ τοῦ θείου γένωμαι, μήτε ἢν μηδὲν ἔτι ὦ. Eandem ſententiam, ut auctore Lactantio cognouimus, libro de Legibus incerto expreſsit Cicero his uerbis: Gratulemur nobis, quoniam mors aut meliorem, quam qui eſt in uita, aut certe non deteriorem eſt allatura ſtatum. nam ſine corpore, animo uigente, diuina eſt uita; ſenſu carente, nihil profecto eſt mali. Et in Hortenſio, apud Auguſtinum: Magna ſpes eſt, aut, ſi hoc, quo ſentimus, & ſapimus, mortale & caducum eſt, iucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occaſum, neque moleſtam exſtinctionem, & quaſi quietem uitae fore: aut ſi, ut antiquis philoſophis, hisq. maximis, longeq. clariſsimis, placuit, aeternos animos ac diuinos habemus, ſic exiſtimandum, quo magis hi fuerint ſemper in ſuo curſu, ideſt in ratione, & inueſtigandi cupiditate, & quo minus ſe admiſcuerint atque implicuerint hominum uitijs, atque erroribus, hoc illis faciliorem adſcenſum, & reditum in caelum fore. SI *reſideat ſenſus*,} quod ſenſere Pherecydes, Pythagoras, Socrates, Plato, alij poſtea. Tuſc. I. idq. ipſe Cicero comprobat in libro de Senectute, ex Catonis Cenſorij perſona. in oratione autem pro Archia dubitare uidetur his uerbis: Haec ſiue a meo ſenſu poſt mortem abfutura ſunt, ſiue, ut ſapientiſsimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt; nunc quidem certe cogitatione quadam, ſpeq. delector. SIN *ſit amiſſus*,} qua in ſententia maxime fuit Epicurus; cum ita diſputaret: Mors nihil ad nos. nam, quod diſſolutum eſt, ſenſu caret: quod ſenſu caret, nihil ad nos. Sextus Empiricus lib. III. Pyrrh. hypot. cap. 24. RELIQVERIT,} a uita diſcedens. DECEPTVS} tamquam aliquo bono priuatus. PESTILENTISSIMO} quo, tamquam peſte aliqua, occiderunt. NE *quid ijs, quos amaſti, mali putes contigiſſe*:} quod putare debes tribus de cauſsis, uel ſi reſideat in morte ſenſus, uel ſi cum corporibus animi ſimul intereant, uel quod ea reip. impendeant, quae qui reliquerit, nullo modo deceptus eſſe uideatur. CVRA *doloris tui*,} cura illa, quia doles tua cauſſa. NON *cum illis*} non enim ideo dolebis; quia mali aliquid ijs euenerit; ſed ob incommodum

tuum. A PVERO} ſapientia non cadit in puerum : ſed elucere tamen in illa aetate ſigna quaedam futurae ſapientiae poſſunt. eſt igitur laudatio paullo liberalior; ut ad minuendum maerorem ualeat. qualis enim de nobis opinio eſt; tales ut re ipſa nos praeſtemus, operam dare ſolemus. itaque poſt laudem ſequitur admonitio; tuendam eſſe grauitatem, & conſtantiae ſeruiendum. INCOMMODORVM *tuorum,*} quod amiſeris eos, quos amabas. DILEXERIS,} etſi, Diligere, minus eſt, quam Amare: quod patet ex illo loco epiſtolae 14. lib.IX. Tantum acceſsit ad amorem, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexiſſe: & ex altero epiſtolae I. ad M.Brutum: Clodius ualde me diligit, uel, ut ἐμφατικώτερος, ualde me amat: tamen hic pro amare accipitur: paullo enim ante dictum eſt, Ne quid ijs, quos amaſti, mali putes contigiſſe. SEIVNCTVS.} cur nihil in morte mali ſit, antea demonſtrauit, uel manente ſenſu, uel amiſſo. TVENDA} qui tuetur, defendit: & quoniam, qui defendit, conſeruare cupit; ideo factum, ut Tueri pro conſeruare capiatur, ut hic. CONSTANTIAE} conſtantia grauitatem ſequitur, ut inconſtantia leuitatem. recte igitur grauitas primum, deinde cōſtantia nominata eſt. ut etiam ep.6. lib.2. SERVIENDVM.} quid eſt, ſeruire conſtantiae? exſequi ea, quae conſtantia poſtulat, nihil contra committere. QVOD *allatura eſt ipſa diuturnitas,*} eandem ſententiam Sulpicius in ipſo Cicerone conſolando uſurpauit, ep.5. lib.IV. Nullus, inquit, dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. hoc te exſpectare tempus, tibi turpe eſt, ac non ei rei ſapientia tua te occurrere. Et Cicero ep. 28.lib.VII. & ep.XI. ad Att.lib.XII. Quod autem hic Diuturnitas, paullo poſt, & ep.28.lib.VII.dixit, Dies: Sulpicius autem, Longinquitas temporis. PRAERIPERE} paullo poſt, Anteferre, & Repraeſentare. ad Att. lib.X. Non praeripiam, ſed exſpectabo conſilium. CONSILIO, *prudentiaq.*} paullo poſt, ratione. MVLIER,} uim diuturnitatis exemplo mulierum oſtendit. quas ratio nō conſolatur. quod ſi muliebrem luctum dies minuit; multo magis minuet in uiris, qui conſilio, prudentiaq. praeſtant. quod igitur futurum eſt, cur non ratio repraeſentet? REPRAESENTARE} Repraeſentat is, qui, quod aliquanto poſt facturus eſt, ſtatim facit. BENEVOLENTISSIMI, *atque amiciſſimi:*} etſi beneuolentia pro amore ſumitur; quia nemo fere cuiquam, niſi quem amet, bene uelle, beneq. cupere uidetur: proprie tamē beneuolus ab amico, & beneuolentia ab amicitia differt. quod hic locus oſtendit, & ille lib.I. de Fin. Quos tu paullo ante tm memoriter, tum etiam amice, & beneuole collegiſti. Et in oratione pro Oppio, cuius teſtimonio utitur lib.IX. Quinctilianus: O amorem mirum: o beneuolentiam ſingularem: Ad Appium ep.9. lib.III. maior amoris uis, quam beneuolentiae, demonſtratur. Nihil eſt, inquit, quod ſtudio, & beneuolentia, uel amore potius effici non poſsit.

# Argumentum ep.17.

*EXcuſat tarditatem litterarum ſuarum: hortatur Sextium, ut exſulij caſum ſapienter, fortiterq. ferat. idq. ut ei perſuadeat, & ut afflictum conſoletur, argumenta ſumit, a communi omnium hominum condicione, ab ipſius Sextij uirtute, ab exemplis, a ſtatu reip. a Sextij filio, a iudicio amicorum, ab ipſius conſcientia. poſtremo, quod ipſum ad maerorem minuendum pertinet, ſua ſtudia, & officia uel ad conſolandum, uel ad leuandum eius fortunam pollicetur omnia. Moralis eſt, ſcripta, ut opinor, Caeſare, & Lepido cos. anno* V.C. DCCVI.

## *Cicero S. D. P. Sextio P. F.* 17.

NON *obliuione amicitiae noſtrae, neque intermiſſione conſuetudinis meae, ſuperioribus temporibus ad te nullas litteras miſi, ſed quod priora tempora in ruinis reip. noſtriſq. iacuerunt, poſteriora autem me a ſcribendo tuis iniuſtiſſimis, atque acerbiſſimis incommodis retardarunt. cum uero & interuallum iam ſatis longum fuiſſet; & tuam uirtutem, animiq. magnitudinem diligentius eſſem mecum recordatus: non putaui eſſe alienum inſtitutis meis, haec ad te ſcribere. Ego te, P.Sexti, & primis temporibus illis, quibus in inuidiam abſens, & in crimen uocabare, defendi: &, cū in tui familiariſſimi iudicio, ac periculo tuum nomen coniungeretur, quam potui accuratiſſime te, tuamq. cauſſam tutatus ſum; & proxime recenti aduentu meo cum rem aliter inſtitutam offendiſſem, ac mihi placuiſſet, ſi affuiſſem, tamen nulla re ſaluti tuae defui: cumq. eo tempore inuidia annonae inimici non ſolum tui, uerum etiam amicorum tuorum, iniquitas totius iudicij, multaq. alia reip. uitia plus, quam cauſſa ipſa, ueritaſq. ualuiſſent; Publio tuo neque opera, neque conſilio, neque labore, neque gratia, neque teſtimonio defui. quamobrem, omnibus officijs amicitiae diligenter a me, ſancteq. ſeruatis, ne hoc quidē praetermittendum eſſe duxi, te ut hortarer, rogaremq. ut & hominē te, et uirum eſſe meminiſſes;*

*ideſt*

*id eſt ut & communem, incertumq. caſum, quem neque uitare quiſquam noſtrum, neque praeſtare ullo pacto poteſt, ſapienter ferres; & dolori fortiter, ac fortunae reſiſteres; cogitaresq. & in noſtra ciuitate, & in ceteris, quae rerum potitae ſunt, multis fortiſſimis, atque optimis uiris, iniuſtis iudicijs, tales caſus incidiſſe. Illud utinam ne uere ſcriberem, ea te rep. carere, in qua neminem prudentem hominem res ulla delectet. De tuo autem filio, uereor, ne, ſi nihil ad te ſcripſerim, debitum eius uirtutis uideas teſtimonium non cepiſſe; ſin autem omnia, quae ſentio, perſcripſerim, ne refricem meis litteris deſiderium, ac dolorem tuum. ſed tamen prudentiſſime facies, ſi illius pietatem, uirtutem, induſtriam, ubicumq. erit, tuam eſſe, tecum eſſe duces. nec enim minus noſtra ſunt, quae animo complectimur, quam quae oculis intuemur. quamobrem & illius eximia uirtus, ſummusq. in te amor magnae tibi conſolationi debet eſſe; & nos, ceterique, qui te non ex fortuna, ſed ex uirtute tua pendimus, ſemperq. pendemus; & maxime animi tui conſcientia, cum tibi nihil merito accidiſſe reputabis; & illud adiunges,* HOMINES *ſapientes turpitudine, non caſu, & delicto ſuo, non aliorum iniuria, commoueri. Ego, & memoria noſtrae ueteris amicitiae, & uirtute, atque obſeruantia filij tui monitus, nullo loco deero neque ad conſolandum, neque ad leuandum fortunam tuam. tu ſi quid ad me forte ſcripſeris, perficiam, ne te fruſtra ſcripſiſſe arbitrere. Vale.*

# EXPLANATIO

P. SEXTIO P. F.} uix opinor, ac plane non opinor hunc eſſe P. Sextium, pro quo exſtat Ciceronis oratio, qui C. Antonij primum conſulis, deinde Macedoniae proconſulis quaeſtor fuit. cur ita exiſtimem, occurrunt haec: primum, fuiſſe illum quem Cicero defendit Lucij filium, non Publij, ut indicat inſcriptio epiſtolae ſextae lib. v. neque in eo libri ueteres a recentioribus uulgatis diſſentiunt. nec dubito, quin Tiro, qui patroni ſui Ciceronis epiſtolas in uolumina retulit utrique Sextio in litterarum inſcriptione praenomen patris, ut internoſcerentur, addiderit, quoniam utrique praenomen, & nomen idem eſſet. Altera cauſſa eſt: quod ille P. Sextius L. F. Romae fuit uſque ad initium belli ciuilis, & inter eos, qui cum imperio eſſent, nominatur: ut patet in ep. 16. ad Att. lib. VII. & ad eundem ep. 15. lib. IIX. & hic Publij filius ante ciuile bellum uidetur abfuiſſe. cum enim ait Cicero, nullas ideo ſe litteras ad eum miſiſſe, quia priora tempora in ruinis reip. iacuerint, quis non eo conijciat, Sextium ante ruinas reip. ideſt ante ciuile bellum, abfuiſſe? Tertio loco illud pono. Hic Sextius P. F. quo tempore hanc Cicero epiſtolam ſcripſit, exſulabat, iudicio damnatus: quod ex ijs uerbis intelligo: Poſteriora autem me a ſcribendo tuis iniuſtiſsimis, atque acerbiſsimis incommodis retardarunt. & infra ſemel & iterum illius iudicij fit mentio. haec autem epiſtola, cum illa uerba intueori, Proxime, recenti aduentu meo; ſcripta mihi uidetur paullo poſt Alexandrinum bellum, quo tempore Cicero, qui Brundiſij diu iacuerat, conceſſu Caeſaris in urbem redijt. At ille Sextius L. F. quem Cicero ante ciuile bellum luculenta, quae exſtat, oratione defendit, non modo non ſtatim poſt Alexandrinum bellum, ſed etiam poſt deuictos in Hiſpania Pompeij liberos lege Pompeia cauſſam dixit. teſtem habeo epiſtolam 47. lib. XIII. ad Att. Appianus quidem Sextium quendam lege Pompeia de ambitu ante belli ciuilis tempora damnatum, auctor eſt lib. 2. bel. ci. Sed is omnino eſſe non potuit, neque hic P. Sextius P. F. quem diximus poſt Alexandrinum bellum eſſe damnatum; neque ille L. F. qui paucis ante Caeſaris necem menſibus lege Pompeia eſt accuſatus. Aut igitur eſt alius P. Sextius, praeter hos duos: aut Appianus errore temporum, quo peccat ſaepe, lapſus eſt, quippe qui in eo ipſo loco damnatos eodem, quo Sextium, tempore abſentes Milonem, & Gabinium, dixerit. in quo dupliciter peccat, primum, quia neque Milo, neque Gabinius abſentes, uerum praeſentes damnati ſunt; deinde, quod Gabinius non Pompeio tertium conſule, ut ille ait, ſed anno ſuperiore, Caluino & Meſſalla cos. damnatus eſt. quod cognoſcitur ex Dionis hiſtoria lib. XXXIX. de Milone autem praeſente, ex oratione pro illo habita, & Pediano interprete. Concludamus igitur, aut duos eſſe P. Sextios, aut in huius epiſtolae titulo mendum eſſe, & P. SISTIO, fortaſſe legendum, ut eſt in antiquo Maffei libro: aut P. SITTIO, cum in alio item antiquo libro, P. Sitti, legatur, ubi eſt in impreſsis, P. Sextij, quod alij quoque uiderunt: ſed, quia hunc eſſe P. Sextium, pro quo exſtat oratio, ſibi iam perſuaſerant, ideo mendoſum eſſe ueterem librum exiſtimarunt. IN. RVINIS *reip. noſtrisq.*} cum & reſp. ciuili bello, & ſimul bonorum ciuium auctoritas concidiſſet. priora enim uocat tempora, quae ſtatim ciuile bellum conſecuta ſunt. IACVERVNT,} ideſt, ego iacui per illa tempora, maerore ſcilicet afflictus. POSTERIORA} acceſsit poſtea, ne ſcriberem, altera cauſſa, quod abhorrebat animus a ſcribendo, cum incommoda tua cogitarem iniuſtiſsima, atque acerbiſsima. INIVSTISSIMIS,} quia damnatus erat iniuſte: ideo ſubiungit illa: cum eo tempore inuidia annonae, inimici non ſolum tui, uerum etiam amicorum tuorum, iniquitas totius iudicij, multaq. alia reip. uitia plus, quam cauſſa ipſa, ueritasq. ualuiſſent. ACERBISSIMIS} quid enim acerbius, quam carere patria, liberis, propinquis, amicis, praeſertim eum, qui non ſuo delicto, ſed iudicum exſulet iniuria. INCOMMODIS} exſulio, in quo multa perferuntur incommoda. TVAM *uirtutem*,} etſi Virtus a Viro dici putatur: tamen etiam adoleſcentes a uirtute laudantur: itaque infra Sextij filij uirtus quater nominatur. EGO *te*,} ſaepe narrationem orditur ab hoc pronomine, ut ep. 9. lib. 1. Ego me, Lentule, initio rerum, atque actionum tuarum. Et iterum, paullo poſt: Ego, ſi ab improbis, & perditis ciuibus remp. teneri uiderem. Et tertio, aliquanto poſt: Ego, cum mihi cum illo iam magna gratia eſſet. Sic in ep. 6. lib. v. Ego, tua gratulatione commotus. Et ep. 3. lib. x. Ego, Plance, neceſsitudinem conſtitutam habui cum domo ueſtra ante aliquanto,

quanto, quam tu es natus. & ad Att. ep. 14. lib. I. Ego enim, quamdiu ſenatus auctoritas mihi defendenda fuit. Quae ſunt omnia narrationum initia. PRIMIS *temporibus illis*, } patet uerborum ſententia, ſed ignota hiſtoria. Hoc alij opinati ſunt ad Sextium, pro quo exſtat oratio, pertinere, & ſignificari tempus illud, quo C. Antonius, Macedonia male adminiſtrata, in iudicium uocatus eſt: quod eius quaeſtor Sextius, quaſi criminum conſcius, & particeps, accuſatus ſit. ego iam ſatis uideor probaſſe, alium hanc eſſe P. Sextium. praeterea, quod omnino leue non eſt; quamquam non hac una ratione nititur opinio noſtra; nulla plane cuiusquam criminis, aut inuidiae in Sextium concitatae mentio fit in ep. 6. lib. V. cum Antonij tamen accuſatio nominetur. INVIDIAM } Inuidiam pro infamia ſaepe uſurpat Cicero: de quo diximus in ep. I. lib. I. CVM. IN *tui familiariſſimi iudicio, ac periculo tuum nomen coniungeretur,* } uideo exiſtimari poſſe, cauſſam de ui nunc ſignificari, in qua Cicero Sextium reum ornatiſsima, quae exſtat, oratione defendit. nam & Milo, Sextij familiaris, eodem tempore de ui reus fuit, quo ſpectare aliquis putauerit illa uerba, quae ſunt in oratione pro Sextio: Quo modo in hoc genere praeſidij comparati accuſas Sextium, cum idem laudes Milonem? Et in Vatinium: Quaero, cum in rep. adminiſtranda T. Annio cum P. Sextio conſiliorum omnium ſocietas fuerit; (id quod non ſolum bonorum, uerum etiam improborum iudicio declaratum eſt: eſt enim uterque reus ob eandem cauſſam, & eodem crimine) qui poſsis eos, quos crimine coniungis, teſtimonio diſiungere? Hinc oriri coniectura poteſt, hunc eſſe P. Sextium, pro quo legitur oratio. maneo tamen in ſententia de Sextijs duobus: & hunc ſtatuo non eſſe illum, cui Cicero de ſe in tribunatu pl. optime merito, de ui poſtea in iudicium adducto, gratiam cumulate retulit patrocinio ſuo. Nam illud minus me mouet: Cum in tui familiariſsimi iudicio, ac periculo tuum nomen coniungeretur. non enim ideo Sextium Cicero defendit, quod eius nomen in eius familiariſsimi iudicio. ac periculo coniungeretur; ſed quod ſuo proprio crimine, proprio etiam accuſatore Albinouano, (nam Milonem P. Clodius aedilis accuſauit) in iudicium uocaretur. itaque, cum iudicium Milonis, accuſante ad populum Clodio, partium impetu, & contentione diſturbatum eſſe Cicero ad Q. fratrem ſcripſiſſet: ſubiunxit haec, quaſi de alia re: Ad IV. id. Sextius ab indice Cn. Nerio Pupinia de ambitu eſt poſtulatus, & eodem die a quodam M. Tullio de ui. &, quamquam uterque de ui, non tamen ad eosdem iudices, nec ab ijsdem accuſati ſunt, ſed Milo ad populum, ut in ep. 3. ad Q. fratrem, Sextius autem ad praetorem, & iudices ab ipſo praetore delectos; & ille, ut dixi, accuſante Clodio, hic M. Tullio Albinouano. Alij, Tuum crimen, non, Tuum nomen. utrumque recte. PROXIME *recenti aduentu meo*, } poſt Pharſalicam pugnam Cicero, ſpe ueniae ductus, in Italiam redijt, ad urbem tamen, non niſi confecto Alexandrino bello, uenia iam impetrata ſe contulit. oſtendunt hoc epiſtolae lib. XI. ad Att. REM *aliter inſtitutam* } rationem Sextij defendendi, abſentis, ut opinor: nam, ſi Cicero eum Romae uidiſſet, non attuliſſet perpetuam tam longi temporis excuſationem: quod fecit initio epiſtolae: ex quo liquet, Sextium non modo poſt damnationem, ſed etiam aliquanto ante ab urbe abfuiſſe. INVIDIA *annonae inimici non ſolum tui*, } cum ei propter annonam, quod frumentum fortaſſe in aedilitate uili pretio uendidiſſet, non modo eius inimicus, uerum amici etiam inuiderent. Non eſt inuſitatum Ciceroni duobus uti generandi caſibus, ut in libro de Senectute: Quid de P. Licinij Craſsi & pontificij, & ciuilis iuris ſtudio loquar? Et lib. 2. de Nat. de. Ijs artibus, quarum iudicium eſt oculorum. Et Phil. XIV. Cuius imbecillitatem animi uirtus, & ſpes uictoriae confirmauit. VALVISSENT; } quia damnatus eſt. PVBLIO *tuo* } filio. HORTARER, *rogaremq.* } hortationi ſaepe adduntur preces. uide epiſtolam ſequentem, & primam lib. I. HOMINEM *te, & uirum* } ab homine ſapientiam, a uiro fortitudinem poſtulat. eſt enim ἔμφασις in Virum: ut in epiſtola ſequenti. Te colligas, uirumq. praebeas, & Phil. 2. Ille uir fuit, nos quidem contemnendi. Et in quadam ad Atticum epiſtola: Si uir eſſe uolet, det praeclara ſynhodia. & in Bruto: Vidi Mitylenis uirum, & uidi plane uirum. COMMVNEM, } non quod omnes damnentur iniuſtis iudicijs, ſed quod quilibet damnari poſsit, praeſertim ubi concurrant haec, inuidia multorum, iniquitas iudicij, reip. uitia. ideo ſequitur: Quem neque uitare quisquam noſtrum poteſt. INCERTVMQ. } ut communis eſt caſus, quia cuiuis poteſt incidere: ſic incertus, quia, ne ſibi incidat, praeſtare, & efficere nemo poteſt. quae enim ſequuntur uerba, Vitare, & Praeſtare, illud ad communem caſum, hoc refertur ad incertum. DOLORI } ex iniuſta calamitate ſuſcepto. FORTVNAE } addidit, Fortunae, ut eum culpa liberaret. CETERIS, } Athenis maxime: qua in ciuitate, qui praeter ceteros uirtute, & rerum geſtarum gloria florerent, in exſulium nullo crimine mittebantur. Sic Miltiades, Themiſtocles, Ariſtides, Cimon pulſi ſunt. exaequari enim omnes, nec eminere quemquam, utile uiſum eſt in libera ciuitate. FORTISSIMIS, *atque optimis* } non dubito, quin de fortiſsimo uiro Themiſtocle, atque alijs nonnullis rei bellicae fama clariſsimis, de optimo autem Ariſtide cogitarit, quem ob inſignem iuſtitiam oſtraciſmo eiectum eſſe, Plutarchus, & Aemilius Probus narrant. EA. TE *rep. carere*, } eadē ratio in duabus epiſtolis, quarta, & ſexta lib. VI. CEPISSE; } Etſi, Teſtimonium accipere, dixit Cicero in Verrem: tamen hic malim, Dediſſe: quod uerbum eo magis placet, quia congruit optime cum eo, quod dictum eſt, Debitum eius uirtuti. & Dare teſtimonium, frequens loquendi modus apud Ciceronem, ut ep. 16. lib. XIII. Iudicij mei teſtimonium ei libenter dedi. Et lib. III. de leg. Tam praeclarum mihi dediſti iudicij tui teſtimonium. Et alibi. VIRTVTI } ad probitatem, atque animi praeſtantiam, non ad doctrinam, refero: & paullo poſt; Pietatem, uirtutem, induſtriam. REFRICEM } huiuſce nominis uim in prima ad Lentulum epiſtola iam oſtendi. INDVSTRIAM, } non enim ſe, ut multi adoleſcentes, languori & ignauiae dedidit. TVAM *eſſe, tecum eſſe duces.* } nam ſi doles, quod tali filio careas: minus dolebis, ſi illius uirtutem, ubicumque erit, tuam eſſe, tecum eſſe duces. ANIMI *tui conſcientia,* } hoc & ſatis per ſe patet,

tet,

tet, & explanatur ſequentibus uerbis. interdum tamen uenit in mentem de mendo ſuſpicari, cum in omnibus antiquis libris, quibus quidem nunc utor, ſcriptum uideam, Amici tuae conſcientiae. INIVRIA,} non iure damnatum Sextium, dixit iam in eo loco, Inuidia annonae: & in eo, Multis fortiſsimis, atque optimis uiris, iniuſtis iudicijs, tales caſus incidiſſe. EGO,} promittendi officij locus, quo maxime ſolamur afflictos, extremae fere datur epiſtolae. exſtat exemplum in his tribus conſolatorijs, ſuperiore, & hac, & ſequenti.

# Argumentum ep. 18.

*Conſolatoria eſt. ualet autem ad conſolandum ſocietas aegritudinis. index enim beneuolentiae dolor eſt. itaque Cicero orditur a ſignificatione doloris ſui, quem ex Fabij ceperat incommodo. ſic ad Titium, ep. 16. ſic Sulpicius ep. 5. lib. IV. & Cicero in ea, qua reſpondit, leuatum ſe aliqua fatetur luctus parte non ſolum oratione Sulpicij, & auctoritate, uerum etiam ſocietate paene aegritudinis. Hoc igitur initio ad conſolandum Fabium aggreſſus, ſubiungit haec, quae ad minuendam moleſtiam ualeant; primum, eam eſſe omnium hominum condicionem, ut aduerſa ſaepe accidant. qua de re ſic ad Titium: Eſt autem conſolatio peruulgata quidem illa maxime, quam ſemper in ore, atque in animo habere debemus, homines nos ut eſſe meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortunae telis propoſita ſit uita noſtra; neque eſſe recuſandum, quo minus ea, qua nati ſumus, condicione uiuamus. Alterum: perdita eſſe tempora, mutato reip. ſtatu, quod ideo dicit, ut eam condicionem, quae bonis quoque temporibus tamen omnium communis eſt, & eodem loco, in eadem ad Titium epiſtola. nam, cum de communi condicione poſuiſſet ea, quae proxime recitaui; adiunxit hoc de ratione temporum: Neque hae, neque ceterae conſolationes, quae a ſapientiſsimis uiris uſurpatae, memoriaeq. literis proditae, tantum uidentur proficere debere, quantum ſtatus ipſe noſtrae ciuitatis, & haec perturbatio temporum perditorum. Tertio loco, bona uirtute parta cum fortune damnis comparauit. quae cogitatio maxime luctum leuat. cui enim plus, quam abſtulit fortuna, uirtus dedit, is niſi de ſuo ſtatu laetatur potius, quam angitur, imperitus rerum ſuarum ratiocinator eſt, & ea ipſa, quam poſsidet, uirtute uidetur indignus. Quarta ratio eſt, deſperatio rerum communium. dixerat iam de praeſenti temporum ſtatu: nunc de imminenti ſubiungit; ne acerbum Fabio uideatur, ea rep. carere, in qua legum, iudiciorum, bonarum omnium rerum timeatur interitus; praeſertim cum ab ea diſceſſerit quam leuiſsima poena, relictis ei fortunis, liberis, amicis. Conſolatio concluditur opinione hominum de illius innocentia, & iniquitate iudicij. Extrema officij promiſsio: quod ipſum conſolandi quoddam genus uidetur: itaque ſimiliter clauduntur duae ſuperiores, quae conſolantur, epiſtolae. Conſolationis cauſſam non opinor fuiſſe, quod repulſam in petitione magiſtratus Fabius tuliſſet, uerum quod iudicio damnatus eſſet.*

*ſet. non enim ob eius repulſam ſe eſſe conſolandum Cicero diceret; nec eam; ut, puto, incommodum uocaret; nec argumentaretur a communi condicione; nec ad repulſam illud ſpectat, Fortuna abſtulit; nec illud, Quam leuiſſima poena: repulſa enim neque poena eſt, neque nominatur. mentio uero iudicij, & ſententiae unius potentiae condonatae, non uideo qui referri ad repulſam poſsit. Annum epiſtolae plane non definio: ſed omnino uidetur ſcripta ante ciuile bellum, atque etiam ante quam Cicero iret in prouinciam, cum opes Pompeij maximae eſſent, Caeſare in Gallia res gerente. quod illa uerba demonſtrant: Ea uidetur condicio impendere legum, iudiciorum. & illa: Potentiae alicuius condonatum.*

## *Cicero S. D. T. Fabio.* 18.

*ETSI egomet, qui te conſolari cupio, conſolandus ipſe ſum; propterea quod nullam rem grauius iamdiu tuli, quam incommodum tuum: tamen te magnopere non hortor ſolum, ſed etiam pro amore noſtro rogo, atque oro, te colligas, uirumq. praebeas, & qua condicione omnes homines, & quibus temporibus nati ſumus, cogites. Plus tibi uirtus tua dedit, quam fortuna abſtulit: propterea quod adeptus es, quod non multi homines noui; amiſisti, quod plurimi homines nobiliſsimi. Ea denique uidetur condicio impendere legum, iudiciorum, temporum, ut optime actum cum eo uideatur eſſe, qui quamleuiſſima poena ab hac rep. diſceſſerit. Tu uero, qui & fortunas, & liberos habeas, & nos, ceterosq. neceſſitudine, & beneuolentia tecum coniunctiſſimos; quiq. magnam facultatem ſis habiturus nobiſcum, & cum omnibus tuis uiuendi; & cum unum ſit iudicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod una ſententia, eaq. dubia, potentiae alicuius condonatum exiſtimetur; omnibus his de cauſſis debes iſtam moleſtiam quamleuiſſime ferre. Meus animus erit in te, liberosq. tuos ſemper, quem tu eſſe uis, & qui eſſe debet. Vale.*

## EXPLANATIO

NON *hortor ſolum*,} de hoc uerbo diximus in ep. 1. lib. 1. & in proxima ſuperiore. ROGO, *atque oro*,} humilitas in orando maior eſt, quam in rogando. unde adorare. orare etiã eſt cauſſam agere; unde orator. ac tunc, ratione finis, idem eſt, quod rogare, & petere, quamquam actio diuerſa. qui enim rogat, & qui orat, & qui petit, impetrare aliquid cupiunt, & omnes petunt. ſed petitio rogantis cum ſolis precibus eſt; orantis, cum rationibus, & precibus; unde orator, qui rationibus interdum, ita cauſſa poſtulante, preces adiungit. petenti neque preces, neque rationes neceſſariae ſunt: quae ſi adduntur, tum uel rogare proprie dicitur, uel orare; ſi non adduntur, petere ſimpliciter. TE *colligas*,} ne iterentur eadem, uideat lector ea, quae de hoc loquendi modo diximus in ep. 9. lib. 1. ad eum locum, Collegi ipſe me, & cum ipſa quaſi rep. ſum collocutus. VIRVMQ. *praebeas*, ut dolori fortiter, ac fortuna reſiſtas, quemadmodũ uirum decet. eadem ſententia in epiſtola ſuperiore. notum loquendi genus. uide illud ep. 18. lib. 2. Qui ſi dignum ſe maioribus ſuis praebuerit. DEDIT,} dedit hominum ſtudia, honores, exiſtimationem. ABSTVLIT:} non dicitur id auferri, quod petentes non impetramus, ſed quod poſsidentes amittimus. itaque non ad repulſam, ſed ad condemnationem hoc refere. aufert autem condemnatio patriam, & conuictum amicorum. HOMINES *noui*;} homo nouus, & nobilis opponuntur. qua de re dictum eſt pluribus uerbis in ep. 7. lib. 1. PLVRIMI} quibus damnatio patriam abſtulit. TV *uero*,} haec tota ſententia mire ualet ad conſolandum, a tribus deducta fontibus, a praeſentibus bonis, a ſpe futurorum, ab eius innocentia. FORTVNAS,} quae ſi abeſſent, incommodum augeretur exſulij. ET *liberos*} quos damnatus non amiſit. NECESSITVDINE, *& beneuolentia coiunctiſſimos*;} amplificatio. nam & amoris cauſſa, & amor, & ſummus amor tribus uerbis oſtenditur. SIS *habiturus*} apte conſolatur, qui & amico minuit opinionem praeſentis mali; & id ipſum tamen non diuturnum fore pollicetur. quod utrumque Cicero praeſtat. cum enim de leuiſsimo Fabij incommodo iam dixiſſet; de ſpe reditus, tamquam minime dubia, ſubiunxit: fortaſſe quod eum iudices non exſulij perpetui, ſed aliquot annorum poena damnaſſent. alioqui cur illi promitteret Cicero facultatem uiuendi cum ſuis? IVDICIVM} hoc ſi attendimus, de Fabij damnatione dubitare non poſſumus. EX *tam multis*,} hoc adiunxit, ne Pompeio, quo tertium conſule, & fortaſſe ex legibus ab eo latis, illa iudicia facta erant, iniuſtitiae maculam inurat. cum enim cogeretur iudicium improbare, quo Fabius damnatus erat; callide & amico uelificatus eſt, & Pompeij tamen dignitatis rationem habuit. VNA *ſententia*,} quae Fabium ſententiae damnarunt, una tantum plures fuere, quam quae abſoluerunt. EAQ. *dubia*,} quia condonatum unius potentiae iudicium exiſtimatur: de iudicum enim integritate non conſtat. non tuo, inquit, delicto, ſed unius potentia ad grauium ſententiarum numerum acceſſerit. Et hic Pom-

peio parcit tribus modis. non enim dicit, Eaq. corrupta, ſed, Eaq. dubia: nec, Potentiae Pompeij, ſed, Potentiae alicuius: nec, Condonatum ſit, ſed, Condonatum exiſtimetur. MOLESTIAM} incommodum appellauit ſupra. notandum hoc genus ad copiam. QVAMLEVISSIME *ferre*.} quam tamen ipſe non leuiſsime ferebat: dixit enim in prima epiſtolae parte, Nullam rem grauius iamdiu tuli, quam incommodum tuum. ſed illud, ut dixit, quaſi conſolandi gratia poſuit. ET *qui eſſe debet*.} hoc addit, quia, licet exſpectari ſoleat exitus promiſſae rei, tamen exſpectatur magis, cum promittitur id, quod debetur.

---

# Argumentum ep. 19.

*CVm Pompeius, Italia pulſus a Caeſare, in Graeciam magno cum bonorum ciuium comitatu, in quibus uterque conſul fuit, renouandi belli cauſſa nauigaſſet: Rufus ad eum officij cauſſa, quod ea reip. caſtra eſſe uidebantur, tranſire cogitabat. eius conſilium probat Cicero; idemq. ſibi iamdiu ait eſſe conſtitutum. Pompeij cauſſam meliorem iudicat: de belli exitu non minus aduerſa timere, quam ſperare uidetur ſecunda. ad extremum tacite petit, non modo ut reip. uerum etiam amicitiae ſuae cauſſa in ſententia maneat. Scripta eſt poſt ſequentem, profecto iam in Graeciam Pompeio, C. Marcello, L. Lentulo cos.*

## *Cicero S. D. Rufo.* 19.

*ETSI mihi numquam dubium fuit, quin tibi eſſem cariſſimus: tamen quotidie magis id perſpicio: exſtatq. id, quod mihi oſtenderas quibuſdam litteris, hoc te ſtudioſiorem in me colendo fore, quam in prouincia fuiſſes, (etſi, meo iudicio, nihil ad tuum prouinciale officium addi poteſt) quo liberius iudicium eſſe poſſet tuum: itaque me & ſuperiores littterae tuae admodum delectauerunt, quibus & exſpectatum meum aduentum abs te amanter uidebam, &, cum aliter res cecidiſſet, ac putaſſes, te meo conſilio magnopere eſſe laetatum: & his proximis litteris magnum cepi fructum & iudicij, & officij tui; iudicij, quod intelligo, te, id quod omnes fortes, ac boni uiri facere debent, nihil putare utile eſſe, niſi quod rectum, honeſtumq. ſit: officij, quod te mecum, quodcumque cepiſſem conſilij, polliceris fore: quo neque mihi gratius, neque, ut ego arbitror, tibi honeſtius eſſe quidquam poteſt. Mihi conſilium captum iamdiu eſt; de quo ad te, non quo celandus eſſes, nihil ſcripſi antea, ſed quia communicatio conſilij tali tempore quaſi quaedam admonitio uidetur eſſe officij, uel potius afflagitatio ad coeundam ſocietatem uel periculi, uel laboris. cum uero ea tua ſit uoluntas, humanitas, beneuolentia erga me; libenter amplector talem animum, ſed ita; (non enim dimittam pudorem in rogando meum) ſi feceris id, quod oſtendis, magnam habebo gratiam; ſi non feceris, ignoſcam; & alterum timori, alterum mihi te negare non potuiſſe arbitrabor. eſt enim res profecto maxima. quid rectum ſit, apparet; quid expediat, obſcurum eſt, ita tamen, ut, ſi nos ij ſumus, qui eſſe debemus, id eſt ſtudio digni, & litteris noſtris, dubitare non poſſimus, quin ea maxime conducant, quae ſunt rectiſsima. Quare tu, ſi ſimul placebit, ſtatim ad me uenies: ſin idem placebit, atque eodem, nec continuo poteris; omnia tibi ut nota ſint, faciam. quidquid ſtatueris, te mihi amicum; ſin id, quod opto, etiam amiciſsimum iudicabo. Vale.*

## EXPLANATIO

RVFO.} cognomen hoc eſſe L. Meſcinij, Ciceronis antea quaeſtoris in Cilicia, iampridem exiſtimaui, adductus in hanc opinionem epiſtola ſequenti: in qua tum de rationibus agitur ab eo referendis, quod quaeſtorij muneris erat, tum etiam Ruſi frater M. Mindius nominatur: & idem L. Meſcinij frater appellatur in ep. 26. lib. XIII. Nunc laetor opinionem confirmari meam uetere argenteo nummo, ita inſcripto, L. MESCINIVS. RVFVS. is nummus eſt apud uirum doctiſsimum, Epiſcopum Ilerdenſem, Antonium Auguſtinum. Alterum poſtea nummum praeſtans uir Latina, & Graeca lingua, omniq. liberali doctrina perpolitus, Fuluius Vrſinus mihi oſtendit. De Meſcinio autem quaeſtore non ſolum in ep. 26. lib. XIII. cuius proxime teſtimonio ſum uſus, uerum etiam in ep. 6. lib. XVI. & ijs ad Atticum fit mentio. alter Ciceronis quaeſtor, qui ſerius in prouinciam iuit, C. Coelius fuit, is ad quem ſcribit ultimam epiſtolam libri ſecundi. QVOD *mihi oſtenderas*} pro, ſignificaueras, ut infra: ſi feceris id, quod oſtendis. & ep. 1. lib. 1. Ceteris in rebus ſe acerrimum tui defenſorem oſtendit. & ep. 8. lib. IX. Etſi, munus flagitare, quamuis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus. LIBERIVS *iudicium*}

nam in prouinciam officio quaeſtorio adductus uideri poterat eum ſtudioſe colere: cum praeſtare quaeſtor praetori ſuo debeat, quidquid officii poteſt; nec in eo liberum iudicium ſit. confecta uero prouincia, liberum iudicium datur, & uerus animi ſenſus apparet, neceſsitudine quaeſtoria ſolutus. MEO *conſilio*} quod eo non acceſſerim, quo me uenturū putaueras. Fortaſſe propius ad ea loca ſe Cicero contulerat, unde tutior, cōmodiorq. in Graeciā tranſitus daretur. dicit. n. in extrema epiſtola: Si ſimul placebit, ſtatim ad me uenies. CEPI *fructum & iudicij, & officij tui:* }. i. fructū attuliſti & iudicij, & officij tui: declaraſti non dubijs argumentis & iudiciū, & officiū tuū. IVDICII, } iudiciū prius, deinde officiū nominauit. eundē igitur in afferenda utriuſque cauſſa ordinem ſeruat. contra uero in epiſtola ultima lib. XV. Habes, inquit, de Caluo iudicium, & conſilium meum; conſilium, quod hortandi cauſſa laudaui; iudicium, quod de ingenio eius ualde exiſtimaui bene. FORTES, *ac boni uiri*} fortes, qui pericula, mortemq. ipſam pro patria contemnant; boni, qui recte ſentiant, honeſtumq. rebus omnibus anteponant. ſignificauerat Meſcinius, uelle ſe ad Pompeium tranſire. &, quoniam in bellum euntibus aduerſa multa proponuntur; quae tamen fortem, bonumq. uirum a ſententia non deterrent: ideo, quaſi ut currentem incitaret, imitationem in eo laudat fortium, ac bonorum uirorum. OFFICII, } erga me, pro noſtra neceſsitudine. CONSILIVM *captum*} eandem cum Pompeio, reip. cauſſam tuente, ſubire fortunam conſtitui. IAMDIV} Atticum tamen, anceps animi, ſaepe litteris conſuluit, quod ſibi agendum cenſeret. certior enim in Caeſaris caſtris uictoria uidebatur. ad extremum, pudore uictus, ad bellum ciuile, tamquam ad peſtem ante oculos poſitam, profectus eſt. quā de re ſic ep. 6. lib. VI. Valuit apud me plus pudor meus, quam timor. ueritus ſum deeſſe Pompeii ſaluti, cum ille aliquando non defuiſſet meae. itaque uel officio, uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut in fabulis Amphiarans, ſic ego prudens, & ſciens, ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus. SI. FECERIS *id, quod oſtendis*, } ſi mecum eris, ut ſcripſiſti, quodcumque conſilij cepero. MAGNAM *habebo gratiam*; } tamquam id mea cauſſa feceris. TIMORI, } quod ea timueris, quae bellorum natura fert. MIHI} optanti, ut mecum ſis. QVID *rectum ſit, apparet; quid expediat, obſcurum eſt, ita tamen, ut, ſi nos ij ſumus, qui eſſe debemus, ideſt ſtudio digni, & litteris noſtris, dubitare non poſsimus, quin ea maxime conducant, quae ſunt rectiſſima.* } ijſdem fere uerbis in ep. 2. lib. IV. eandem extulit ſententiam: Si, quid rectiſsimum ſit, quaerimus; perſpicuū eſt: ſi, quid maxime expediat; obſcurū. ſin ij ſumus, qui profecto eſſe debemus, ut nihil arbitremur expedire, niſi qđ rectum, honeſtumq. ſit: non poteſt eſſe dubium, quid faciendum nobis ſit. STVDIO *digni, & litteris noſtris*, } litteris enim optime uiuendi praecepta traduntur: quae qui non obſeruat, ſtudio, & litteris, quibus operam dat, indignum ſe praebet. SI *ſimul placebit*, } mecum ire ad Pompeium. SIN *idem placebit, atque eodem*, } ſin & tibi placebit idem, quod mihi, & ut eodem proficiſcamur; nec tamen rationes tuae ferent, ut ſtatim nauigare mecum in Graeciam poſsis. OMNIA} quae ſtatuero & de diſceſſu, & de tempore. AMICISSIMVM *iudicabo.* } non potuit modeſtius petere, & plane ſeruat id, quod dixerat: Non enim dimittam pudorem in rogando meum.

## Argumentum ep. 20.

*PVrgat ſe Rufo, querenti per litteras, quod rationes prouinciae ad aerarium, eo non exſpectato, Cicero deferre properaſſet; cum ipſe uel addita, uel immutata quaedam in ijs cuperet. Haec argumenti ſumma eſt: partes autem ſingulae, ob ignorationem hiſtoriae, fortaſſe non ſatis apertae. nos in tollenda obſcuritate pro uiribus enitemur. Annus epiſtolae uidetur eſſe, Marcello, & Lentulo cos. exorto iam ciuili bello: quod is maxime locus indicat: Pro ea ſpe facultatum, quam tum habebamus. tempus autem anni poſt hiemem, ideſt aliquanto poſt relatas rationes, ut infra demonſtrabitur. nam rationes, quas Rufus, cum ipſo ad urbem non collatas, referri ad aerarium noluerat, unde argumentum epiſtolae manauit, quis dubitet, continuo poſt reditum Ciceronis relatas eſſe? quod ipſe iuſtis de cauſſis a ſe factum dicit.*

### *Cicero S. D. Rufo.* 20.

QVO *modo potuiſſem, te conueniſſem, ſi eo, quo conſtitueras, uenire uoluiſſes. quare, etſi mei commodi cauſſa commouere me noluiſti; tamen ita exiſtimes uelim, me antelaturum fuiſſe, ſi ad me miſiſſes, uolunta-*

*uoluntatem tuam commodo meo. Ad ea, quae ſcripſiſti, commodius equidem poſſem de ſingulis ad te rebus ſcribere, ſi M. Tullius, ſcriba meus, adeſſet: a quo mihi exploratum eſt, in rationibus dumtaxat referendis, (de ceteris rebus affirmare non poſſum) nihil eum feciſſe ſcientem, quod eſſet contra aut rem, aut exiſtimationem tuam: deinde, ſi rationum referendarum ius uetus, & mos antiquus maneret, me relaturum rationes, niſi tecum pro coniunctione noſtrae neceſſitudinis contuliſſem, confeciſſemque, non fuiſſe. quod igitur feciſſem ad urbem, ſi conſuetudo priſtina maneret, id, quando lege Iulia relinquere rationes in prouincia neceſſe erat, eaſdemq. totidem uerbis referre ad aerarium, feci in prouincia, neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem; ſed tribui tibi tantum, quantum me tribuiſſe numquam paenite bit. totum enim ſcribam meum, quem tibi uideo nunc eſſe ſuſpectum, tibi tradidi. tu ei M. Mindium, fratrem tuum, adiunxiſti. rationes confectae me abſente ſunt tecum: ad quas ego nihil adhibui praeter lectionem. ita accepi librum a meo ſeruo ſcriba, ut eundem acceperim a fratre tuo. ſi honos is fuit, maiorem tibi habere non potui; ſi fides, maiorem tibi habui, quam paene ipſi mihi. ſi prouidendum fuit, ne quid aliter, ac tibi & honeſtum, & utile eſſet, referretur: non habui, cui potius id negotij darem. Illud quidem certe factum eſt, quod lex iubebat, ut apud duas ciuitates, Laodicenſem, & Apamenſem, quae nobis maxime uidebantur, quoniam ita neceſſe erat, rationes confectas, & conſolutas deponeremus. itaque huic loco primum reſpondeo, me, quamquam iuſtis de cauſſis rationes deferre properarim, tamen te exſpectaturum fuiſſe, niſi in prouincia relictas rationes pro latis haberem. Quamobrem, de Voluſio quod ſcribis, non eſt id rationum. docuerunt enim me periti homines, in his cum omnium peritiſſimus, tum mihi amiciſſimus C. Camillus, ad Voluſium transferri nomen a Valerio non potuiſſe, ſed praedes Valerianos teneri. neque id erat* H-S $\overline{\text{XXX}}$ *ut ſcribis, ſed* $\overline{\text{XIX}}$. *erat enim curata nobis pecunia Valerij mancipis nomine: ex qua, reliquum quod erat in rationibus, retuli. ſed ſic me et liberalitatis fructu priuas, & diligentiae, &, quod minime tamen laboro, mediocris etiam prudentiae: liberalitatis, quod manis ſcribae mei beneficio, quam meo, legatum meum, praefectumq. maxima calamitate leuatos, cum praeſertim non deberent eſſe obligati: diligentiae, quod exiſtimas, de tanto officio meo, tanto etiam periculo nec ſciſſe me quidquam, nec cogitaſſe; ſcribam, quidquid uoluiſſet, cum id mihi ne recitaſſet quidem, retuliſſe: prudentiae, cum rem a me ne inſipienter quidem cogitatam putas. nam & Voluſij liberandi meum fuit conſilium: &, ut multa tam grauis Valerianis praedibus, ipſiq. T. Mario depelleretur, a me inita ratio eſt: quam quidem omnes non ſolum probant, ſed etiam laudant. &, ſi uerum ſcire uis, hoc uni ſcribae meo intellexi non nimium placere. ſed ego putaui eſſe uiri boni, cum populis ſuum ſeruaret, conſulere fortunis tot uel amicorum, uel ciuium. Nam de logeo eſt ita actum, ut au ctore Cn. Pompeio iſta pecunia in fano poneretur. id ego agnoui meo iuſſu eſſe factum. qua pecunia Pompeius eſt uſus, ut tua, quam tu depoſueras, Sextius. ſed hoc ad te nihil intelligo pertinere. Illud me non animaduertiſſe moleſte ferrem, ut adſcriberem, te in fano pecuniam iuſſu meo depoſuiſſe, niſi iſta pecunia grauiſſimis eſſet, certiſſimisq. monumentis teſtata, cui data, quo* S. C. *quibus tuis, quibus meis litteris P. Sextio tradita eſſet. Quae cum uiderem tot ueſtigijs impreſſa, ut in his errari non poſſet: non adſcripſi id, quod tua nihil referebat: ego tamen adſcripſiſſe mallem, quando id te uideo deſiderare. Sicut ſcribis tibi id eſſe referendum, idem ipſe ſentio: neque in eo quidquam a meis rationibus diſcrepabunt tuae. addes enim tu, meo iuſſu: quod ego numquam addidi; nec cauſſa eſt, cur negem; nec, ſi eſſet, & tu nolles, negarem. Nam de* H-S *nongentis millibus, certe ita rela tum eſt, ut tu, ſiue frater tuus referri uoluit. ſed, ſi quid eſt, quando de logeo parum prouiſum eſt, quod ego in rationibus referendis etiamnum corrigere poſſim: de eo mihi, cum* S. C. *non ſim uſus, quid per leges liceat, conſiderandum eſt. te certe in pecunia exacta ita efferre, ex meis rationibus relatis non oportuit: niſi quid me fallit: ſunt enim alij peritiores. illud caue dubites, quin ego omnia faciam, quae intereſſe tua, aut etiam uelle te exiſtimem, ſi ullo modo facere poſſim. Quod ſcribis de beneficijs, ſcito a me & tribunos militares, & praefectos, & contubernales dumtaxat meos delatos eſſe. in quo quidem ratio me fefellit. liberum enim mihi tempus ad eos deferendos exiſtimabam dari: poſtea certior ſum factus, triginta diebus deferri neceſſe eſſe, quibus rationes retuliſſem. ſane moleſte tuli, non illa beneficia tuae potius ambitioni reſeruata eſſe, quam meae, qui ambitione nihil uterer. de centurionibus tamen, & tribunorum militarium contubernalibus res eſt in integro: genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. Reliquum eſt de* H-S *centum millibus, de quibus memini mihi a te Myrina litteras eſſe allatas, non mei errati, ſed tui: in quo peccatum uidebatur eſſe, ſi modo erat, fratris tui, & Tullij. ſed, cum id corrigi non poſſet; quod iam depoſitis rationibus ex prouincia deceſſimus: credo me quidem tibi pro animi mei uoluntate, proq. ea ſpe facultatum, quam tum habebamus, quam humaniſſime potuerim ſcripſiſſe. ſed neque tum me humanitate mearum litterarum obligatum puto, neque tuam hodie epiſtolam* H-S *centum millibus ſic accepiſſe, ut ij accipiunt, quibus epiſtolae per haec tempora moleſtae ſunt. ſimul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quae ad me ſaluis legibus perueniſſet, Epheſi apud publicanos depoſuiſſe: id fuiſſe* H-S $\overline{\text{XXII}}$. *eam omnem pecuniam Pompeium abſtuliſſe. quod ego ſiue aequo ani mo fero, ſiue iniquo: tu de* H-S *centum millibus aequo animo ferre debes, & exiſtimare, eo minus ad te uel de tuis cibarijs, uel de mea liberalitate perueniſſe. quod ſi mihi expenſa iſta* H-S *centum tuliſſes: tamen, quae tua eſt ſuauitas, quiq. in me amor, nolles a me hoc tempore aeſtimationem accipere. nam, numeratum ſi cuperem, non erat. Sed haec iocatum me putato, ut ego te exiſtimo. ego tamen, cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te, ſi quid ad rem putabis pertinere. Hanc epiſtolam cur non ſcindi uelim, cauſſa nulla eſt. Vale.*

# EXPLANATIO

SI. AD *me miſiſſes*, } ſi mihi ſignificaſſes, eo te ueniſſe, quo antea conſtitueras. Mittere ad aliquem, interdum eſt, non ſolum miſſo nuncio, ſed miſsis etiam litteris aliquid ſignificare: ut ad Tironem ep. 9. lib. XVI. Curio miſi, ut medico honor haberetur; & tibi diceret, quod opus eſſet. qua de re ſcripſerat iam ad eundem his uerbis: Scripſi ad Curium, quod dixiſſes, daret. medico ipſi puto aliquid dandum eſſe, quo ſit ſtudioſior. Significatio autem per nuncium, non per litteras, facta, illa eſt in ep. 8. lib. XI. Eo tempore Polla tua miſit, ut ad te, ſi quid uellem, litterarum darem, cum, quid ſcriberem, non habebam. M. TVLLIVS, *ſcriba meus*, } Ciceronis libertus, fortaſſe Laurea cognomento, cuius egregios uerſus, in Ciceronis Academiam ſcriptos, recitat Plinius lib. XXXI. cap. 2. quod ſi quis dixerit hunc eſſe M. Tullium Tironem; qui & ipſe, libertate donatus, patroni praenomen, & nomen aſſumpſit: negabo: quia Tiro liberatus eſt poſteaquam e prouincia ad urbem Cicero redijt: at ille ſcriba, qui rationes in prouincia tractauit, libertus omnino fuit. Scribas enim ſeruos non fuiſſe, ex eo conſtat, (ut alia, quae multa occurrunt, argumenta praetercam) quod Romanis omnes nominibus appellatos uidemus. IN *rationibus dumtaxat referendis*, } quas M. Tullius ſcriba ad aerarium retulerat, ex more. nam in oratione in Piſonem, Rationes, inquit, ita ſunt perſcriptae ſcite, & litterate, ut ſcriba, ad aerarium qui eas retulit, &c. Interea Cicero proconſul, quia cum imperio erat, ſpe triumphandi extra urbem manebat, nec interijt, niſi poſt Pharſalicam pugnam, abiecta demum triumphi ſpe. IVS *uetus*, *& mos antiquus* } cum, lege Iulia nondum lata, rationes in prouincia nõ relinquebantur. tunc enim eas ad urbem rectores prouinciarum cum ſuis quaeſtoribus conferebant. PRO *coniunctione noſtrae neceſſitudinis* } de qua uide ep. ult. lib. 2. & 26. lib. XIII. & in Diuinatione, & pro Plancio. LEGE *Iulia* } a C. Iulio Caeſare in primo conſulatu lata. uide ep. 17. lib. 2. RELINQVERE *rationes in prouincia* } apud duas ciuitates, ut infra. A. MEO *ſeruo ſcriba*, } dixi iam, ſcribarum ordinem e ciuibus Romanis fuiſſe: quare ſeruus hic appellatur, non quia ſeruiret, (iam enim liberi hominis praenomine, & nomine, M. Tullius dictus eſt) uerum memoria praeteriti temporis, quo apud Ciceronem in ſeruitute fuerat. & fortaſſe ita locutus Cicero, ut ipſa referret Rufi uerba, exprobrantis, quod rationes ita Cicero ad aerarium retuliſſet, ut a ſeruo ſuo ſcriba eas accepiſſet. MAIOREM *tibi habere non potui*; } quia totum ſcribam meum tibi tradidi. QVAM *paene ipſi mihi*. } quia permiſi, ut rationes tecum, abſente me, conficerentur; nec ad eas poſtea quidquam, praeter lectionem, adhibui. ET *honeſtum*, *& utile* } notanda copia: ſupra enim dixit: Nihil eum feciſſe ſcientem, quod eſſet contra aut rem, aut exiſtimationem tuam. CVI *potius id negotij darem, quam darem*. } ſic omnes, quos ego uiderim, ſcripti libri, tribus exceptis, duobus M. Antonij Maffei, tertio, quem uir doctiſsimis, idemq. omnium humaniſsimus, Io. Vincentius Pinellus, emptum ex Leonici Thomaei bibliotheca, mihi dono dedit. in ijs non eſt, Quam darem, ſed, Quam tibi. quod mihi tamen (ut, quod ſentio, dicam) ſubabſurdum, atque etiam falſum uidetur. non enim id ei Cicero negotij dedit, ſed ſcribae ſuo; cui deinde Rufus fratrem ſuum adiunxit. quare crediderim illud, Quam darem, ſiue, Quam tibi, abundare, additum ab imperito, qui putaret id per ſe conſiſtere non poſſe, Cui potius id negotij darem. quod ita conſiſtit, ſi ſubaudiatur, Quam Tullio, ſcribae meo. adiuuat opinionem noſtram Maffei liber, in quo tantum illud eſt, Cui potius id negotij darem: in margine autem, Quam tibi. QVAE *nobis maxime uidebantur*, } ob utriusque dignitatem. Strabo lib. XVI. ait eas ob concordiam ſorores uocatas, & utramque conditam a Seleuco Nicatore, Apameamq. de uxoris eius nomine, Laodiceam ex matre nuncupatam. idem lib. XII. uocat eas Phrygiarum urbium maximas. CONSOLVTAS } ſic antiquus liber Fuluij, & duo Maffei, & Mediceus: alius, Conſulatas; tres, Conſolatas: unus Maffei, Conſolidatas. quod mihi non placet. primum offendor inſolentia uerbi: deinde, quaenam iſta conſolidatio eſſe potuit? Conſignatas, malim, aut, Conlatas. nam eas cum quaeſtore conferri in prouincia oportere, & conlatas iam eſſe, dixit. fero tamen, Conſolutas, non ſolum quia ſic eſt in tribus antiquis libris: uerum etiam, quia pro, abſolutas, accipi poteſt: ut a, Confectas, ita differat, quemadmodum differt, Abſoluere, a Perficere. unde lib. 2. de nat. de. In omni natura neceſſe eſt abſolui aliquid, aut perfici. DE *Voluſio quod ſcribis*, } Voluſius, multae nomine, magnam pecuniae uim publice debebat. eam pecuniam Valerius periculo ſuo exigendam a Voluſio ſuſceperat, praedesq. dederat: quos puto Ciceronis legatum, & praefectum fuiſſe, id enim ſequentibus uerbis indicatur. uidetur autem Cicero, cum rationes conficeret, Voluſium liberare uoluiſſe, & a praedibus multam amouere; ut eorum fortunis conſuleret. quod eius conſilium, & factum infra demonſtratur. contra Rufus Valerium quidem, & praedes liberare, ſed nomen illud a Valerio ad Voluſium transferre cupijſſet. quod Cicero, ex amicorum, praecipueq. Camilli, hominis peritiſsimi, ſententia, fieri non potuiſſe demonſtrat: aut enim Valerij mancipijs praedes teneri, qui ſe pecuniam illam, a Voluſio debitam, curaturos iam promiſerant: aut, ſi praedes liberandi eſſent, Voluſium quoque ſimul oportere liberari, quod utrumque ut fieret, rationem a ſe initam eſſe, infra Cicero dicit. NON *eſt id rationum*. } in rationibus id fieri non poterat: huic rei, quam te uoluiſſe uideo, locus in rationibus non fuit. C. CAMILLVS, } is, opinor, quem, ut ſibi amiciſſimum, nominat in ep. 20. lib. IX. & ep. 14. lib. XIV. & ad Atticum ep. 5. lib. V. & ad eundem ep. 16. & 23. lib. XI. PRAEDES } Varro lib. V. diſsimiles ait eſſe Praedem, Vadem, Sponſorem: & Praedem eſſe, qui, a magiſtratu interrogatus, in publicum ut praeſtet; a quo, & cum reſpondet, dicitur Praes. ſic & Feſtus,

ſtus,

ſtus, Praes, inquit, eſt is, qui populo ſe obligat, interrogatusq. a magiſtratu, ſi praes ſit, reſpondet, Praes. HS XXX, } ſcutati nongenti. XIX. } ſcutati quingenti ſeptuaginta. CVRATA } pro Voluſio debitore. MANCIPIS } Manceps dicitur, qui aliquid conducit, aut ſuo periculo faciendum exigendum ue redimit: quod in Voluſiana pecunia Valerius, datis praedibus, fecerat. EX. QVA, *reliquum quod erat* } praeter id, quod curatum eſſe dixit Valerij mancipis nomine; quod in rationes relatum non eſſe, inita de Voluſio, praedibusq. liberandis ratione, infra ſignificat; reliquum neſcio quid uel Voluſius ipſe, uel pro Voluſio Valerius ſoluerat: quod in rationibus perſcriptum, Cicero ad aerarium retulit.

IN *rationibus, retuli*. } Referre in rationes, & in rationibus, diuerſa ſententia dicitur: in rationes, cum nomen aliquod in conficiendis rationibus inter cetera nomina perſcribitur; in rationibus, cum aliquid una cum reliquis rationibus ad aerarium refertur. QVOD *minime tamen laboro*, } hoc dixit, ne prudentiae laudem appetere uideatur: quod uanitatis eſt. congruit cum hoc loco praeclarum illud in epiſtola ad Catonem lib. XV. Si quiſquam fuit umquam remotus & natura, & magis etiam, ut mihi quidem ſentire uideor, ratione, atque doctrina ab inani laude, & ſermonibus uulgi; ego profecto is ſum. teſtis eſt conſulatus meus: in quo, ſicut in reliqua uita, fateor ea me ſtudioſe ſecutum, ex quibus uera gloria naſci poſſet: ipſam quidem gloriam per ſe numquam putaui expetendam. In epiſtola tamen ad Dolabellam, lib. IX. Sum, inquit, auidior etiam, quam ſatis eſt, gloriae. Et pro Archia: Iam me uobis, iudices, indicabo; & de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortaſſe, uerumtamen honeſto, uobis confitebor.

LEGATVM *meum, praefectumq.* } alij legunt, Praefectumq. Q. Leptam. nos olim ſuſtulimus, Q. Leptam, auctoritate quidem ueteris libri, ſed multo etiam magis ratione adducti. cur enim Cicero praefecti ſui nomen ponat, legati praetermittat? quaſi uero ad alienum & ignotum hominem ſcriberet, non ad quaeſtorem ſuum, qui & legatos, & praefectum fabrum, & uniuerſam proconſulis Ciceronis cohortem optime nouerat. praeterea res hic agitur Rufo notiſsima, de qua etiam ipſe ad Ciceronem ſcripſerat: ut ei praedum Valerianorum nomina ſignificari, nequaquam neceſſe fuerit. Vnde igitur praefecti nomen huc irrepſit? Notum eſt hominibus emendandi peritis, quanta ſit facta labes in optimis libris eorum inſcitia, qui, cum libros deſcriberent, uerba interpretantia, a ſtudioſis adiecta, non agnoſcentes, omnia permiſcebant. eodem errore, ut opinor, inter uerba Ciceronis receptum eſt, Q. Leptam: cum neſcio quis, eum in Cilicia praefectum fabrum cum Cicerone fuiſſe, ex ep. 7. lib. III. didiciſſet. adſcribere legati nomen non potuit: quia conijcere facillimum non erat, quis ex quattuor cum praefecto praes Valerij fuiſſet. quattuor autem fuiſſe Ciceronis legatos Q. fratrem, C. Pontinium, M. Anneium, L. Tullium, ex ep. 4. lib. XV. & alijs cognoſcitur. Accedit auctoritas ueterum duorum librorum, unius Vincentij Riccij, quo ſum uſus adoleſcens, ut eo tempore in Scholijs meis teſtatus ſum; alterius, quo nunc utor, M. Antonij Maffei, a quo abeſt praefecti nomen. tertius eſt apud me liber, cuius in margine ſcriptum uideo, Q. Leptam: cum a continuatione uerborum Ciceronis abſit. MAXIMA *calamitate leuatos*, } ex his uerbis conijcio, inter praedes Valerianos legatum, & praefectum fuiſſe. nam & infra dicit: Vt multa tam grauis Valerianis praedibus depelleretur, a me inita ratio eſt. NON *deberent eſſe obligati*: } cauſſam non addit: ſed hoc puto ad aequitatem potius, quam ad ius referri. praedes enim qui ſunt, omnino tenentur, niſi ſatiſfacit is, pro quo praedes facti ſunt. uerum aequitatis uidetur eſſe, conſulere fortunis eorum, qui humanitate adducti pro aliquo ſe obligarunt, eoq. magis, ſi ciues, & amici ſint. id ut fieret, ita rationem Cicero iniuit, ne quid tamen populus amitteret. quod infra quaſi gloriatur. TANTO *officio meo*, } cum populi Romani res ageretur, quam curare debet proconſul. TANTO *etiam periculo* } ſi quid enim ſcriba erraret in rationibus, aut improbe committeret, non in eum, ſed in proconſulem, cui mandata populi res eſt, culpa conferretur. CVM *id ne recitaſſet quidem*, } cum id, non modo me non iubente, ſed etiam inſciente, in rationes retuliſſet. Recitaſſet, dixit, quia ſcriba prius ea ſcribebat, quam in tabulas referret; nec referebat, niſi cum proconſule communicaſſet. PRVDENTIAE, *cum rem a me non inſipienter excogitatam quidem putas*. } ſic plane in omnibus meis ueteribus libris, duobus exceptis, in quibus eſt, Non inſipienter quidem excogitatam: & uno, a quo abeſt Non. uerum ne ſic quidem locus mendo uacat. non magna mutatio fiet, ſi legatur: Ne inſipienter quidem excogitatam. nam, quod nonnulli legunt, Non inſipienter excogitatam, ne cogitatam quidem putas: id ego, quod ad ſententiam attinet, non improbo: ſed, quia plus additur, quam emendandi moderata ratio poſtulet, malui notam apponere indicem errati, quam ex fallaci, & lubrica coniectura, immodico praeſertim additamento, librum immutare. MVLTA *tam grauis* } reorum damnatorum alibi eſt multa, hic & praedum, & mancipis Valerij, ut quidam arbitrantur; ut mihi uidetur, praedum tantũ. quod enim a mãcipe ſoluitur, qui de publico aliquid redemit, id ego multã dici poſſe uix crediderim. quippe cum ſit ea nõ inopinata ſolutio: praeſtat enim, quod et promiſit, cũ redimeret, & omnino ſe praeſtiturũ putauit. at praes promittit ille quidẽ pro alio: fore tamen, ut ipſe depẽdat, neque putat, et, ſi acciderit, moleſte fert. quare nomẽ multae in praedes recte cõuenit, qui ſoluũt inuiti, magiſtratu cogente, ſicuti qui a iudicibus damnantur: in ipſum Valerium non cadit, qui cum ſoluit, praeter opinionem nihil facit. Hoc ideo dixi, ne quis miretur diſſentire me ab iјs, qui proxime pro, T. Mario, legunt, T. Valerio: ut de multa Valerio quoque mancipi depellenda dicatur. ego enim unum ex praedibus arbitror fuiſſe T. Marium; & Ciceronem hoc dicere, initam a ſe rationẽ, non modo ut legatus eius, & praefectus, quibus praecipue cauere deberet, uerum etiam ut ipſe T. Marius, qui de ſua cohorte non eſſet, maxima calamitate leuaretur. NON *ſolum probant, ſed etiam laudant*. } multa probamus ſine laude, ut ea, quae recte communiter fiunt: laudamus autem nihil, quod idem non probemus, & in quo praecipua quaedam uirtutis, & ingenij ſignificatio non eluceat. CVM *populis ſuum ſeruaret*, } ita fortunis

conſulere

conſulere tot uel amicorum, uel ciuium, ut populo tamen nihil adimeret. Apparet ingenium Ciceronis, qui rationem iniuerit, qua cum ſatisfaceret humanitati, depellenda amicis, & ciuibus tam graui multa, honori tamen ſuo, re populi conſeruata, non deeſſet. populi autem eſſe dicebatur, & erat, quod in aerarium, ex quacumque re collectum, inferebatur. unde, Cauere populo, ualet, cauere ne quid aerarium detrimenti patiatur. Liuius lib. VII. Tarda nomina, & impeditiora inertia debitorum, quam facultatibus, aerarium, menſis cum aere in foro poſitis, diſſoluit; ut populo prius caueretur. TOT *uel amicorum, uel ciuium.*} communi quodam iure cum ciuibus, proprio cum amicis coniungimur. itaque priore loco amici, deinde ciues nominantur. amici autem, ac neceſſarij Ciceronis, legatus, & praefectus, qui tamen ijdem ciues erant: ciues uero tantum, non etiam amici, T. Marius, Valerius, Voluſius. NAM. DE *logeo*} Particula, Nam, ſaepe lectorem commode traducit ad diuerſam ſententiam. ut hic, & infra, Nam de H-S nongentis millibus. & ep. 9. lib. I. Nam de Appio, quod ſcribis, ſicut de Caeſare, te non reprehendere: gaudeo tibi conſilium probari meum. et ep. 1. lib. VII. Nam quid ego te athletas putem deſiderare? et ad Att. ep. 10. lib. III. Nam quod me tam ſaepe, & tam uehementer obiurgas. et eodem libro, ep. 15. Nam quod purgas eos. &c. Logeum fuiſſe fanum arbitror, in quo pecuniae deponerentur: ubi pecunia quoque illa, in prouincia Ciceronis exacta, a Rufo quaeſtore iuſſu Ciceronis depoſita eſt auctore Pompeio. Infra res eadem attingitur. AVCTORE} hortante, & ſuadente. quod uidetur ideo Pompeius feciſſe, ut ea pecunia ipſe poſtea uti poſſet, quemadmodum uſus eſt. Actore, liber Mediceus, mendoſe: Auctore, mei omnes. AGNOVI} non negaui: confeſſus ſum, id quod res erat, meo iuſſu eſſe depoſitam. Agnoſcere dicimur, quod uerum fatemur eſſe. ep. 4. lib. IV. Illam partem excuſationis, qua te ſcribis, orationis paupertate, iiſdem uerbis epiſtolas ſaepius mittere, nec agnoſco, nec probo. TVA,} quae ad Rufum ex adminiſtratione prouinciae, ſaluis legibus, peruenerat. nam illa, qua Pompeius eſt uſus, populi fuit. QVAM. TV} nullus omnino liber antiquus, quem ego uiderim, habet, Quam tu: ſed alij, Quam tum: alij, Quam tamen: alij, Tamen quam: & poſt, Depoſuerat, omnes habent, non, ut in impreſsis, Depoſueras. quocirca ualde ſuſpicor de mendo. non enim placet, Tua, quam tu depoſueras. quid? non illam quoque depoſuerat, quam abſtulit Pompeius? SEXTIVS.} nominatur inter Pompeianos, qui cum imperio fuere initio ciuilis belli, ep. 15. ad Att. lib. IIX. nec dubito, quin eam pecuniam Pompeio mandante acceperit, ut ea deinde in bello ex ipſius uoluntate, ideſt contra Caeſarem uteretur. SED *hoc ad te nihil intelligo pertinere.*} de populi pecunia loquitur, a Pompeio ſumpta, non de illa, quae Rufi fuerat: de qua non diceret, Hoc ad te nihil intelligo pertinere. Non eſt, inquit, quod labores de hac pecunia, quam, a te iuſſu meo depoſitam, Pompeius accepit. quid enim tua refert? cum exſtet S. C. quo conſtat, cui data ſit, exſtent tuae, meaeq. litterae, quibus conſtat, cui data ſit. Timebat ſcilicet Rufus, ne quando eius pecuniae rationem reddere cogeretur; quia Cicero in rationibus non adſcripſiſſet eam ſuo iuſſu a Rufo eſſe depoſitam. qua de re queſtus erat per litteras Rufus. MONVMENTIS *teſtata, cui data,*} hoc explanatur proxime ſequentibus uerbis. monumenta enim ſunt, S. C. & litterae Ciceronis, & Rufi. data uero pecunia P. Sextio ſignificatur: ſi modo ita legendum eſt, de quo ſubiungam, quid ſentiam. P. SEXTIO} non hic agitur de pecunia Rufi, qua uſus erat Sextius, ſed de publica, iuſſu Ciceronis depoſita: quod in rationibus omiſſum, queſtus erat Rufus. itaque legi malim, ſi modo per ueteres libros liceat, Pompeio: quem uſum ea pecunia eſſe, paullo ante dictum eſt. opinor enim pro, Pompeio, aliquem ſcripſiſſe, P. breuitatis cauſſa, imperite ſcilicet: cum haec littera praenomen indicet, non gentem. inde alius, quia praenomen illud per ſe conſiſtere non poſſe intelligeret, & Sextium paullo ante nominari animaduerteret, addidit, Sextio. Corrumpi autem inuicem haec nomina, Pompeius, & Publius, librariorum culpa, contractam ſcribendi rationem ſequentium, ex epiſtola quoque nona lib. I. cognouimus. nam in eo loco, Cum, ut laudaret P. Sextium, introijſſet in urbem: ueteres libri aliquot habent, Vt laudaret Pompeium Sextium: nonnulli, Vt laudaret Pom. Sextius. ex quo patet, rudes antiquitatis librarios accepiſſe hoc praenomen, P, pro nomine Pompeij. NON *adſcripſi*} in rationibus: in quibus hoc tantum ſcriptum erat, pecuniam a Rufo depoſitam. Rufus autem illud adſcribi, quod uerum erat, uoluiſſet, depoſitam a ſe Ciceronis iuſſu, ita fore ratus, ut, quocumque caſu illa pecunia perijſſet, aut in quemcunque uſum eſſet erogata, ipſe omni periculo, & cura liberaretur. TVA *nihil referebat;*} quia certiſsimis, & grauiſsimis monumentis teſtata iam iſta pecunia erat, cui data eſſet, quo S. C. quibus tuis, quibus meis litteris. REFERENDVM,} hinc apparet, prouinciae rationes & a proconſule, & a quaeſtore ſeparatim referri ſolitas eſſe. quod opinor lege Iulia, quae iam nominata eſt, ſancitum eſſe. IDEM *ipſe ſentio:*} ut addas in illius pecuniae mentione, quod ego non addidi, depoſitam a te eſſe meo iuſſu. DISCREPABVNT} his aliquis obijciat: immo diſcrepabunt; cum idem non erit in utriuſque rationibus. Futilis obiectio. non enim in eo diſcrepant rationes, cum aliquid in alteris omittitur; ſed cum aduerſantur ea, uel diſſentiunt, quae in utriſque ſcripta ſunt. &, ut ſilentio nec affirmatur quidquam, nec negatur: ita, quod ſcriptum non eſt, ab eo, quod ſcriptũ, diſcrepare non uidetur. QVOD *ego quidem non addidi:*} Mediceus liber, Quod ego qui non addidi: mendoſe: quid mirum? liber mendo nullus uacat: ſed ex multis deprauatis unus ut corrigatur, opera dari ſolet. emendatiores hic libri quattuor, Sigicelli unus, alter Fuluij Vrſini, duo Maffei: habent enim, Quod ego quidem non addidi. NEC *cauſſa eſt, cur negem;*} iuſſu meo illam pecuniam a te depoſitam, cauſſam, cur neget, non eſſe dicit, ut oſtendat abeſſe periculum, de quo Rufus metuere uidebatur, ne quando eius pecuniae, qua Pompeius uſus erat, ratio exigeretur, cum inſtare uideretur mutatio temporum, commoto ciuili bello. ET *tu nolles,*} negari a me. obſequerer uoluntati tuae, uel, ſi quid eſſet cauſſae, cur negarem, ideſt, etiam ſi moleſtiam aliquam ex ea pecunia timerem. H-S *nongentis millibus,*} ſcutato-

rum

rum noſtratium XXVII millibus. SIVE *frater tuus* } M. Mindius, qui rationes cum ſcriba confecerat. DE LOGEO } de fano. ſupra. PARVM *gratioſum eſt*, } ſic libri ueteres quinque: alij, Gauiſum eſt. utrumque mendoſum. nam, Gratioſum, de inanimatis rebus non dicitur: ſed gratioſi homines appellantur. Nec, Gauiſum eſt, politus litteris quiſquam probauerit. Mediceus liber, Grauium. Corrado placuit, Gratum uiſum: nobis olim, Prouiſum: quod nec a Grauiſum longe diſtat, nec ſententia caret. nam in eo dicit parum eſſe prouiſum, quia, cum pecunia illa deponeretur, additum non erat, deponi iuſſu Ciceronis proconſulis. de quo ſupra. REFERENDIS } quo modo, referendis, cum & ſupra relatas iam eſſe dixerit, & infra idem ſignificet? Accipio, Referendis, pro, in relatione rationum, dum rationes referuntur: ut praeſenti tempore utatur Cicero ob eam cauſſam, quia corrigere aliquid etiamnum in relatis iam rationibus licebat. propterea ſubiunxit, Quid per leges liceat. quae uerba demonſtrant, non eſſe ademptam corrigendi facultatem, ſed corrigi non omnia licere: itaque Rufo uidendum, quid a Cicerone petat: nihil enim contra leges impetraturum. CVM *S. C. non ſim uſus*, } uidetur Cicero temporis aliquanto plus decreto ſenatus habuiſſe ad rationes referendas, quam legibus: quo tamen tempore uti noluit, ſed rationes confeſtim retulit, iuſtis de cauſsis, ut ſupra dixit, metu ſcilicet exorientis belli ciuilis. QVID *per leges liceat, conſiderandum eſt*. } modeſte ſignificat, uelle quidem ſe aliquid corrigere in rationibus ex Rufi uoluntate, ſed ita, ne quid amicitiae cauſſa contra leges committat. TE. CERTE *in pecunia exacta ita efferre, ex meis rationibus relatis non oportuit*: } libri aliquot ſcripti, etiam Mediceus, Pecuniae exactae: nonnulli, Iſta offerre. Placet idem, quod olim, Pecunia exacta, non eadem tamen ſententia, quae olim placuit. non enim illud, Te efferre, ſignificare nunc arbitror iracundiam Rufi, qua ſit elatus, quod Cicero pecuniae ab illo exactae mentionem nullam in rationibus referendis feciſſet; uerum ad erogatam a Rufo pecuniam refero, cum ſciret, eam ſcriptam eſſe in rationibus iam relatis. Vt in exacta, inquit, pecunia ita efferres, ita erogares, ex meis rationibus relatis non oportuit: ideſt: per meas rationes tibi non licebat. Hanc noſtram opinionem adiuuare uidentur & ſuperiora uerba: De eo mihi quid per leges liceat, conſiderandum eſt; & quae ſequuntur proxima: Niſi quid me fallit: ſunt enim alij peritiores. Exactae pecuniae plus conſumpſerat Rufus, quam ſcriptae rationes, praeſertim iam a Cicerone relatae, paterentur: id cum in rationibus Ciceronis, ut cum ſuis conſentirent, corrigi uellet; de eo quid ſibi per leges liceat, conſiderandum Cicero reſpondet: mox indicat, non licere, ſubiungens Non oportuit. atque in hac opinione, poſſum, inquit, falli: ſunt enim alij peritiores. Vt Rufum quodam modo conſoletur. AVT *etiam uelle* } etiā ſi tua non interſit. SI. VLLO *modo facere poſſem*. } ideſt, ſi per leges liceat. DE *beneficijs*, } proconſules, propraetores, atque etiam, ut hic locus indicat, quaeſtores, cum ad urbem a prouincijs reuertiſſent, eorum nomina poſt relatas rationes ad aerarium deferebant, quorum ſtrenua fideliq. opera uſi eſſent. hi autem erant ex ijs, quos ſecum in prouinciam duxerant. qui deferri in beneficijs dicebantur; quod eorum uirtus, ac fides reip. profuiſſet. in quo erat eorum, qui deferebant, ambitio quaedam, oſtendendis non modo ſuis, uerum aliorum quoque beneficijs in remp. Detulerat igitur Cicero, non exſpectato quaeſtore, ſuos contubernales, praefectos, tribunos mil. quoſdam autem non detulerat, ut centuriones, & tribunorum mil. contubernales: de quibus ait rem eſſe in integro, ſi Rufus eos deferre uelit. Morem hunc oſtendit oratio pro Archia: In beneficijs ad aerarium delatus eſt a L. Lucullo praetore, & conſule. TRIBVNOS *mil.* } duodecim. ſeni enim creabantur in ſingulis legionibus, ut Polybius docet. legiones autem duas, qui conſularis erat exercitus, in prouincia Cicero habuit: quod ipſe ad Atticum ſcribit ep. 15. lib. v. & Plutarchus idem narrat in eius uita. Tribunos mil. primo tres fuiſſe, qui ſingulis tribubus, a Romulo inſtitutis, praeeſſent, deinde ſex, interiecto tempore ſexdecim, poſtremo XXIV, ut ſeni eſſent in ſingulis legionibus, Liuius, Polybius, alij declarant. Creati primum ab ijs, qui exercitibus praeeſſent, mox populi ſuffragio: ut interdum tamen, in apparatu maximi belli, conſulum, praetorumq. arbitrio deligerētur. poſtremo, teſte Pediano, partem eorum imperatores fecere, qui Rufuli uocabantur, partem populus; qui Comitiati. Idem ex Feſto, licet mutilato, colligi tamen uidetur poſſe: qui etiam Rufulorum nominis, omiſſam e Pediano, & alijs, cauſſam ponit, quod Rutilius Rufus de eorum iure legem tuliſſet. PREAFECTOS, } equitum. uide ep. 17. lib. 2. ne repetantur eadem. CONTVBERNALES } nobiles adoleſcentes cum conſulibus, & proconſulibus, & praetoribus etiam, ut rerum uſu mature inſtruerentur, in prouincias exibant. pro Coelio: Profectus eſt in Africam Q. Pompeio conturbernalis. pro Plancio: Adoleſcentulus cum A. Torquato profectus in Africam, ſic ab illo dilectus eſt, ut & contubernij neceſsitudo, & adoleſcentuli modeſtiſsimi pudor poſtulabat. In Bruto: Qui ſe illi contubernalem fuiſſe dicebat. Suetonius de Caeſare: ſtipendia prima in Aſia fecit, M. Thermi praetoris contubernio. In urbe etiam contubernales erant conſulum: Cicero in conſulatu, quem peregit in urbe, contubernales habuit. unde illud in ea pro Sulla: Lucius ille Torquatus, cum eſſet meus contubernalis in conſulatu. RATIO *me fefellit*: } Ratio hic pro opinione, quam ratiocinatio peperit, accipitur. TRIGINTA *diebus deferri neceſse eſse, quibus rationes retuliſsem*. } non uulgaris loquendi modus. eſt enim, Triginta diebus, quibus rationes retuliſſem: pro, triginta diebus poſtquam rationes retuliſſem. tempus deferendi trigeſimo die a relatis rationibus definiebatur. Conſtat ex hoc loco, relatas prius ad aerarium rationes, quam deferrentur ij, qui bene de rep. meriti eſſent. NECESSE *eſse*, } lege Iulia iubente: quae ſignificatur etiam paullo poſt. RES *eſt in integro*: } licet tibi eos deferre. GENVS *enim horum beneficiorum* } deferendis centurionibus, & tribunorum mil. contubernalibus certam diem lex non definiebat: tribunis autem mil. praefectis, & contubernalibus, de quibus facta paullo ante mentio eſt, ſpatium triginta dierum. H-S *centum millibus*: } ſcutatorum tribus millibus. MEMINI } ergo ab eo tempore dies interceſſerant multi.

multi. quo licet intelligere, non ſtatim Ciceronem poſtquam ad urbem redijt, hanc epiſtolam ſcripſiſſe. MYRINA.} Libri duo, Sigicelli, & Fuluij, habent, Smyrna. reliqui, Myrina. utraque nota urbs, Smyrna in Ionia, Myrina in Aeolia. quis poteſt diuinare, ex utra ſcripſerit Rufus eas litteras. Smyrna quidem nauiganti in Italiam Meſcinio propinquior, & commodior. NON *mei errati, ſed tui:* } erratum in rationibus, antea ſcripſerat Rufus: quod niſi corrigeretur, H-S centum millia ſibi eſſe de ſuo perſoluenda. reſcripſit Cicero, corrigi non poſſe, quia rationum exemplum in prouincia depoſuerat, a quibus diſcrepare non oportet eas, quas ad aerarium relaturus eſſet: ſed tamen ei pro ſuis facultatibus benigne commodaturum. aliquanto autem poſt ſcripſit Rufus eas litteras, quibus Cicero nunc reſpondet. FRATRIS *tui, & Tullij.* } qui rationes, abſente Cicerone, confecerant. ſupra. DECESSIMVS:} ſic omnes, quos uiderim, ueteres libri. a quibus olim diſcedendum putabam, & legendum, unius litterae mutatione, Deceſſemus. nunc me ipſe reuoco, & ita ſtatuo, ſincopem eſſe non poſſe in iis uerbis, quorum in praeteritis ultima ſyllaba eſt, ſi: ut Cedo, Ceſſi, Ceſſiſſem, non Ceſſem. eodemq. modo in compoſitis, decedo, recedo, incedo, diſcedo, concedo. CREDO} ita loquitur ut de re non recenti, quae potuit, ſpatio interiecto, effluere ex memoria. PRO *animi mei uoluntate,* } ut eram animatus, pro animi mei ſenſu. Eodem modo animus uelle dicitur: ut Varro lib.v.L.L. Animus ita eſt, ut puncto temporis peruolet, quo uult. Et in orat. poſt.red.ad Quir. In ſtudiis ueſtris tanta animorum declarata eſt uoluntas. Et Lucretius lib.2. Ex animiq. uoluntate id procedere primum. Idem lib. 4. Ergo animus cum ſeſe ita commouet, ut uelit ire. Iudicium animi, lib.2.de orat.& lib.III. bis. FACVLTATVM,} hoc nomen late patet: itaque dixit Cicero lib.I. de Inuent. Facultates ſunt, aut quibus facilius fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt. Et pro Rabirio: Quae ſi in illo minima fuiſſent, tamen prae tuis facultatibus maxima putarentur. & in Partitionibus, uires, animus, copiae, opes, tempus, locus, Facultatum nomine comprehenduntur. Facultatum, ait, infirmatione utetur, ſi aut uires, aut animum, aut copias, aut opes abfuiſſe demonſtrabit, aut alienum tempus, aut locum non idoneum. Sumuntur & pro occaſionibus commodorum, ut ep.15.ad Att.lib.I. Exponis, quas facultates aut prouincialium, aut urbanorum commodorum & aliis temporibus, & me ipſo conſule praetermiſeris. Transferuntur ad ſignificationem rei familiaris, ut ep.13.lib.XI.ad Att. Velim conſideres, ut ſit, unde nobis ſuppeditentur ſumptus neceſſarij. ſi quas habuimus facultates, eas Pompeio detulimus. Et in Verrem lib. 2. Sthenius ab adoleſcentia paullo ſtudioſius haec comparabat, ſupellectilem ex aere elegantiorem & Deliacam, & Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferebant, ſatis. QVAM *tum habebamus,* } diſtat igitur hoc tempus ab eo non parum, quo redijt ex prouincia: cum & hic, Tum, & proxime dixerit, Memini, &, Credo. nec uero dubie ſignificat, ad arma rem eſſe deductam, amiſſa ſpe facultatum, quam ante habuerat. OBLIGATVM} deberi ſibi a Cicerone mutuam pecuniam ex litteris ab eo antea humaniſsime ſcriptis, Rufus oſtenderat. MOLESTAE} quia pecuniam a debitoribus poſcunt, quae propter belli difficultatem expedita non eſt. propterea dixit Caeſar lib. III.bell. ci. Cum fides tota Italia eſſet anguſtior, neque creditae pecuniae ſoluerentur; conſtituit, ut arbitri darentur; per eos fierent aeſtimationes poſſeſsionum, quanti quaeque earum ante bellum fuiſſent, atque eae creditoribus traderentur. PERVENISSET,} ex adminiſtratione Cilicienſi. de qua pecunia ſic ep. 17.lib.2. Omnis pecunia ita tractatur, ut praeda a praefectis. quae autem mihi attributa eſt, a quaeſtore curetur. EPHESI} urbs Ioniae nobilis fuit, extra Ciceronis prouinciam, cui praefuit, Cicerone proconſule, Q. Thermus. ut patet ep.ad Att.13.& 14.lib.V. APVD *publicanos* } Ciceronis amantiſsimos, eiq. cariſsimos: erant enim equeſtris ordinis: quem ordinem conſul cum ſenatu in gratiam reduxerat. uide illud in ep.8.lib.I. Ordinem coniunctiſsimum. & ad Att.ep.15.& 16.lib.I. H-S XXII:} parua ſumma, ſcutati DCLX. itaque legendum opinor, Bis & uicies, ut eſt in ep.I.lib.XI. ad Att. In ciſtophoro in Aſia habeo ad H-S bis & uicies. loquitur de hac Epheſi depoſita pecunia. nam Epheſus in Ionia: quae regio eſt Aſiae. ſunt autem, bis & uicies, ſcutatorum LXVI. millia. OMNEM} partem potius, quam omnem: nam Cicero partem exegit, & apud Egnatium trapezitam depoſuit, ubi tutius fore uidebatur. hoc duae ad Atticum ſcriptae epiſtolae, ſecunda, & tertia lib.XI. declarant. in prima ſcripſerat haec Cicero: In ciſtophoro in Aſia habeo ad H-S bis & uicies. In ſecunda, Ex ea, inquit, pecuniae, quae fuit in Aſia, partem dimidiam fere exegi. tutius uidebatur fore ibi, ut eſt, quam apud publicanos. In tertia ſic: Pecunia apud Egnatium eſt. ſit a me, ut eſt. Deinde ſubiunxit eodem in loco: Etſi egeo rebus omnibus: quod is quoque in anguſtijs eſt, qui cum ſumus: cui magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes, nobis, conſtitutis rebus, eam rem etiam honori fore. Et ad eundem ep.13. eiuſdem libri: Si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, cum id uidebamur ſapienter facere, detulimus. Quare fictam excuſationem attulit Cicero tempori ſeruiens, tum ut de H-S centum millibus Rufum conſolaretur exemplo iacturae ſuae; tum etiam, ut ei, mutuam pecuniam, tamquam ex promiſſo debitam, poſcenti, iuſtius negare uideretur. DE. H-S *centum millibus* } quae Rufus aerario debebat, ex relatis a Cicerone rationibus: ſed erratum ſcripſerat, idq. corrigendum. reſcripſit Cicero, corrigi non poſſe; uerum ſe de ſuo, quantum poſſet, ei commodaturum. CIBARIIS,} publice datis. DE. MEA *liberalitate* } cum aliqua exprobratione dictum. MIHI *expenſa tuliſses:* } mihi commodaſſes. AESTIMATIONEM *accipere.* } poſſeſsionem aeſtimatam accipere pro pecunia mihi commodata. Hic locus uidetur indicare, ſcriptam hanc epiſtolam Caeſare iterum, & Seruilio iterum cos. poſt latam a Caeſare legem de aeſtimandis poſſeſsionibus, quanti quaeque ante ciuile bellum fuiſſent; ut debitoribus conſuleretur; quorum erat iniqua condicio, iacentibus praediorum pretijs: quod fere ſolet in bellis euenire. dicebantur autem poſſeſsiones il-

nes illae, aeſtimationes, ut ep. 16. lib. IX. & ep. 18. eiuſdem libri. Rufus, cum Caeſar conſulatum ſecundum, in quo legem illam tulit, inierit poſt illud tempus, quo Cicero ad Pompeium iu Graeciam tranſijt; (nam, Caeſare in Hiſpanijs contra Pompeij legatos bellum gerente, Cicero tranſijt; ut ex epiſtola ultima lib. X. ad Att. intelligitur) Cicero autem hanc ad Rufum epiſtolam in Italia ſcripſerit; quod indicant primae epiſtolae uerba, & multo etiam magis illa, quae in extremo fere ſunt; Cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te: ratio perſuadet, hanc epiſtolam & ante ſecundum eſſe ſcriptam Caeſaris conſulatum, & ante profectionem Ciceronis in Graeciam. Aeſtimationem igitur accipio pro poſſeſsione aeſtimata, non ex lege Caeſaris, quae lata nondum erat, ſed ut aeſtimabantur res, quas inopes a pecunia debitores creditoribus dabant. Sic & Liuius loco iam citato, lib. VII. Tarda nomina, & impeditiora inertia debitorum potius, quam facultatibus, aut aerarium, menſis cum aere in foro poſitis, diſſoluit, ut populo prius caueretur; aut aeſtimatio aequis rerum pretijs liberauit. SCINDI} uarie dixit, hic quidem Scindi; alibi Conſcindi, ut ep. 18. lib. VII. &, Concerpito, ep. 10. lib. X. ad Atticum.

## Argumentum ep. ult. lib. 5.

*Meſcinio, ſui uidendi cupido, mutua ſe teneri cupiditate ſignificat. ſubiungit haec: frequentari domum ſuam a Caeſaris familiaribus; eorum tamen ſermonibus ita ſe non delectari, ut ſolitudinem, ſi ea uti poſſit, praeponat: itaque litteras colere, & ab ijs, & ab optimorum conſiliorum conſcientia conſolationem eam petere, quam Meſcinio quoque petendam cenſeat: Africani belli exitum appropinquari: utra pars uincat, crudelem fore uictoriam: euerſam funditus eſſe publicam fortunam: nihil tamen ijs, qui culpa careant, horribile eſſe, aut pertimeſcendum. De congreſſu, neque ſpem affert, neque adimit. ualetudini ut ſeruiat, animoq. tranquillo ſit, hortatur. Index beneuolentiae, ac negotialis omnino epiſtola, licet maior eius pars officij potius, quam negotij, ſit. dixi enim a principio, ſpectandam eſſe cauſſam, cur ſcribatur epiſtola, & ab ea ſiue negotialem epiſtolam, ſiue moralem uocandam. nam quae adduntur praeterea, declarandi amoris gratia, licet ad officium pertineant, quia tamen argumenti propria non ſunt, nomen epiſtolae non tribuunt. Scripta eſt Caeſare tertium, & M. Lepido cos. cum Caeſar in Africa, aduerſus Pompeij ſocerum Scipionem, & Iubam regem bellum gereret.*

### *Cicero S. D. L. Meſcinio.* 21.

GRATAE *mihi tuae litterae fuerunt: ex quibus intellexi, quod etiam ſine litteris arbitrabar, uidendi mei te ſumma cupiditate affectum eſſe. quod ego ita libenter acipio, ut tamen tibi non concedam. nam, te cum eſſe, ita mihi communia omnia, quae, opto, contingant, ut uehementer uelim. etenim, cum eſſet maior & uirorum, & ciuium bonorum, & iucundorum hominum, & amantium mei copia, tamen erat nemo, qui cum eſſem libentius, quam tecum; & pauci, quibuſcum aeque libenter: hoc uero tempore, cum alij interierint, alij abſint, alij mutati uoluntate ſint, unum mediusfidius tecum diem libentius poſuerim, quam hoc omne tempus cum plerisque eorum, quibuſcum uiuo neceſſario. noli enim exiſtimare, mihi non ſolitudinem iucundiorem eſſe, qua tamen ipſa uti non licet, quam ſermones eorum, qui frequentant domum meam, excepto uno, aut ad ſummum altero. itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum cenſeo, litterulis noſtris, praeterea etiam conſcientia conſiliorum meorum. Ego enim is ſum, quem admodum tu facillime potes exiſtimare, qui nihil umquam mea potius, quam meorum ciuium cauſſa fecerim: cui niſi inuidiſſet is, quem tu numquam amaſti; (me enim amabas) & ipſe beatus eſſet, & omnes boni. ego ſum, qui nullius uim plus ualere uolui, quam honeſtum otium. idemque, cum illa ipſa arma, quae ſemper timueram, plus poſſe ſenſi, quam illum conſenſum bonorum, quem ego idem effeceram, quauis tuta condicione pacem accipere malui, quam uiribus cum ualentiore pugnare. Sed & haec, & multa alia coram breui tempore licebit. neque me tamen ulla res alia Romae tenet, niſi*

*exſpectatio rerum Africanarum. uidetur enim mihi res in propinquum adducta diſcrimen. puto autem mea non nihil intereſſe; quamquam, id ipſum quid interſit, non ſane intelligo; uerumtamen, quidquid illinc nunciatum ſit; non longe abeſſe a conſilijs amicorum. eſt enim res ipſa iam in eum locum adducta, ut, quamquam multum interſit inter eorum cauſſas, qui dimicant, tamen inter uictorias non multum interfuturum putem. ſed plane animus, qui dubijs rebus forſitan fuerit infirmior, deſperatis confirmatus eſt multum: quem etiam ſuperiores tuae litterae confirmarunt: quibus intellexi, quam fortiter iniuriam ferres: iuuitq. me, tibi cum ſummam humanitatem, tum etiam tuas litteras profuiſſe. uerum enim ſcribam: teneriore mihi animo uidebare, ſicut omnes fere, qui, uita ingenua, in beata, & libera ciuitate uiximus. ſed, ut illa ſecunda moderate tulimus: ſic hanc non ſolum aduerſam, ſed etiam funditus euerſam fortunam fortiter ferre debemus: ut hoc ſaltem in maximis malis boni conſequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debebamus, propterea quod nullum ſenſum eſſet habitura, nunc, ſic affecti, non modo contemnere debeamus, ſed etiam optare. Tu, ſi me diligis, fruere iſto otio; tibiq. perſuade,* Praeter *culpam, ac peccatum, quo ſemper caruiſti, & carebis, homini accidere nihil poſſe, quod ſit horribile, aut pertimeſcendum. Ego, ſi uidebitur recte fieri poſſe, ad te ueniam breui; ſi quid acciderit, ut mutandum conſilium ſit; te certiorem faciam ſtatim. Tu ita fac cupidus mei uidendi ſis, ut iſtinc te ne moueas tam infirma ualetudine, niſi ex me prius quaeſieris per litteras, quid te uelim facere. Me uelim, ut facis, diligas, ualetudiniq. tuae, & tranquillitati animi ſeruias. Vale.*

# EXPLANATIO

Ita *mihi communia omnia, quae opto, contingant,*} uerbum, Communia, uideo eſſe in omnibus ueteribus libris, praeter unum, qui fuit olim Hieronymi Ferrarij, nunc eſt Caroli Borromaei, Cardinalis. in eo eſt, Commoda, non, Communia: quod olim probaui: cum & Plautus in Trin. ſimiliter dixiſſet: Ita commoda, quae cupio, eueniunt. Nonnulli, Communia, putarunt abundare. quorum non diſplicet opinio. ne tamen tot librorum conſenſus repudietur; uidendum etiam atque etiam, an probabilis aliqua ſententia elici poſsit, nullo nec deleto uerbo, nec mutato. Ita mihi, inquit, ea, quae opto, contingant omnia communia, ut uehementer uelim. ideſt: ita te rerum omnium, quas opto, participem habeam, ut eſſe tecum uehementer uelim. nam ad uerbum, Communia, ſubaudio, Tecum: ut ſit: ita mihi tecum communia, quae opto, contingant omnia. Occurrit alia ſententia, quam non occultare conſilium eſt. Ita mihi res omnes publicae, quales opto, contingant. nam, Communia, & Communes res, pro publicis rebus accipi, nemo, ut opinor, dubitat. idq. uel hoc uno conſtat exemplo, quod obſeruauimus ep. 8. lib. I. Ex eodem de toto ſtatu rerum communium cognoſces: quae quales ſint, non facile eſt ſcribere. Communem quoque rem, dixit ep. 27. lib. VII. Communium fortunarum, ep. 12. lib. V. Hoc totum ad eruditorum hominum iudicium refero. nam ipſe nihil affirmo: tantum enitor, ut ueterum librorum auctoritatem conſeruem. Etenim, *cum eſſet maior*} alijs Placet, Vt enim, pro, Etenim: quia ſic habent plerique ueteres libri. ſoloeciſmi ſpecies apparet. quid refert? inquiunt. quam multa praeterea huiuſce generis in Cicerone deprehenduntur. His itaque, reſponderi uidetur poſſe: ſoloeciſmum, ſi modo libri ueteres in eo conſentiant, ferendum: ſin aliter, tollendum. itaque, cum habeam duos ueteres libros, unum M. Antonij Maffei, quo etiam olim, commodante eius fratre Bernardino Cardinali, uſus ſum; alterum Fuluij Vrſini in quibus diſerte legitur, Etenim: libenter aufero ſoloeciſmum, & integritatem Ciceroni dignam reſtituo. Et *uirorum, & ciuium bonorum,*} differre putantur bonus uir, & bonus ciuis. quam diſtinctionem oſtendimus ep. 9. lib. I. in eo loco: Eumq. quem bonum uirum ſemper habuiſſet, bonum ciuem eſſe pateretur. Ivcvndorvm} bonitas, iucunditas, amor, cauſſae ſunt, cur amemus, unaq. eſſe cupiamus. propterea dixit, Bonorum, Iucundorum, Amantium mei. quae tria coniungit in epiſtola etiam 24. lib. IX. Moneo te, quod pertinere ad beate uiuendum arbitror, ut cum uiris bonis, iucundis, amantibus tui uiuas. Hominvm,} Vir, & Homo differre, pauci neſciunt. hic tamen, Hominum, potuit omitti, ut omiſſum eſt loco proxime recitato ex epiſtola ad Paetum, ſed additum eſt ob interpoſitam ciuium mentionem. nam, ſi eſſet omiſſum, ad ciues illa referrentur, Iucundorum, & amantium mei. cum ſit aptius, Iucundorum hominum, & amantium mei. Erat *nemo, qui cum eſſem libentius, quam tecum; & pauci, quibuscum aeque libenter;*} ſatis modeſta ratio captandae beneuolentiae. non enim omnibus Meſcinium, ſed Meſcinio neminem antefert, comparat paucos. ita uitatur illa, quae ueritati fidem detrahit, ὑπερβολή. Alii *interierint,*} inſignes quidem, & conſulares, M. Calpurnius Bibulus, L. Domitius Ahenobarbus, L. Cornelius Lentulus, P. Lentulus; praeterea, C. Curio tribunicius. Alii *abſint,*} aberant conſulares duo, P. Scipio, Pompeij ſocer, qui bellum in Africa contra Caeſarem gerebat; & M. Marcellus, qui poſt Pharſalicum proelium, cum ſpe uincendi ſimul abiecta certandi etiam cupiditate, uoluntarium Rhodi, aut Mitylenis exſulium ſibi delegerat. aberat & M. Cato praetorius, qui cum Scipione cauſſam Pompeianam acerrime tuebatur. nec Romae tunc erant M. Brutus, nec Ser. Sulpicius, ille Galliae, hic Graeciae praepoſitus: ut ep. 6. lib. VI. Mvtati *uoluntate*} non eodem, quo antea, in Ciceronem animo, temporibus mutati, & uictoria Caeſaris. Necessario.} eſt enim Caeſaris familiaribus inſeruiendum, temporis cauſſa. Freqventant *domum meam,*} ſic lib. I. Off. Si domus, alio domino, ſolita eſt frequentari. Et, Frequentare ludos, lib. I. de Inuent. Alio modo, Celebratur domus, ep. 5. lib. 2. ad Q. Fratrem. Ad. svmmvm} Summum, ep. I. lib. 2. A te uero bis, terue ſummum, & eas perbreues, a[illegible] epi. &, Ad ſummum, dicitur, Ciceronis exemplo.

Perfvgio,}

PERFVGIO,} hoc uerbum interdum ſolum Cicero affert, ut hic: interdum coniungit, ut ep. 15. lib. v. Litteris utor aſsidue: quid enim aliud facere poſſum? ſed neſcio quo modo ipſae illae excludere me a portu, & perfugio uidentur. Et pro Archia: Perfugium, ac ſolatium aduerſis haec ſtudia praebent. Perfugium autem litterae ſunt duobus modis: uel quod, eas dum tractamus, moleſtias obliuiſcimur; uel quod animus, praeceptis utiliſsimis conformatus, humana omnia, praeter honeſtum, contemnit, nihil praeter culpam extimeſcit. de fructu autem, quem afferunt litterae, uide ep. 3. lib. IV. & ep. 13. lib. V. & ep. 2. & 3. lib. IX. CONSCIENTIA *conſiliorum meorum.*} ſaepe hanc ſententiam uſurpat, ep. 3. lib. IV. ep. 1. & 4. & 6. & 10. & 13. & 21. lib. VI. & ep. 3. lib. VII. quae recitare longum eſt: indicare loca, & quaſi digitum ad fontem intendere, unde hauriant qui copiae ſtudent, ſatis duco. NISI *inuidiſſet is,*} Pompeium, opinor, deſignat, a quo ſe proditum, contra datam fidem, ſaepe queritur. ME *enim amabas,*} mea cauſſa illum non amabas, cuius inuidiam, perfidiamq. noſſes. BEATVS *eſſet,*} Hoc dicit. Si mecum ad tuendam libertatem conſenſiſſet, neque perniciosam reip. cum Caeſare ſocietatem coijſſet: non modo uiueret, ſed beatus eſſet, & cum eo omnes boni. De Caeſare autem, & uictore iam, & a quo ueniam paullo ante impetrauerat, haec, ut opinor, ſcribere non auderet. nec inuidit ei Caeſar, qui ſemper popularis fuit, & ab urbe multos annos abfuit, dum in Gallia bellum gereret, ſed Pompeius, qui parem ſibi Ciceronem in ſenatu non ferret. NVLLIVS *uim*} ep. 3. lib. v. Notum, inquit, tibi omne conſilium meum eſſe uolui; ut primum ſcires, me numquam uoluiſſe plus quemquam poſſe, quam uniuerſam remp. poſtea autem, quam alicuius culpa tantum ualeret unus, ut obſiſti non poſſet, me uoluiſſe pacem. ARMA,} Caeſaris. QVAE *ſemper timueram,*} ep. 3. ad Att. lib. x. Praeclara, inquit, conſcientia ſuſtentor, cum cogito me de rep. aut meruiſſe optime, cum potuerim, aut certe numquam, niſi diuine, cogitaſſe, eaq. ipſa tempeſtate euerſam eſſe remp. quam ego XIV. annis ante proſpexerim. QVEM *ego idem effeceram,*} in conſulatu. ep. 9. lib. I. Non offendes eundem bonorum ſenſum, Lentule, quem reliquiſti: qui confirmatus conſulatu noſtro, nonnumquam poſtea interruptus, & afflictus ante te conſulem, recreatus abs te totus eſt, nunc ab ijs, a quibus tuendus fuerat, derelictus. Eodem illud ſpectat ex ep. 15. lib. I. ad Att. Tueor, ut poſſum, illam a me conglutinatam concordiam. QVAVIS *tuta condicione*} quauis, modo tuta. ep. 6. lib. VI. Cauſſa belli orta eſt: quid ego praetermiſi aut monitorum, aut querellarum? cum uel iniquiſsimam pacem iuſtiſsimo bello anteferrem. Et ad Att. ep. 5. lib. VII. Ego is ſum, qui, illi concedi, putem utilius eſſe, quod poſtulabat, quam ſigna conferri. fero enim reſiſtimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. Et ad eundem, ep. XI. lib. IIX. Prae me tuli, me nihil malle, quam pacem: non quin eadem timerem, quae illi: ſed ea bello ciuili leuiora ducebam. Et ad Pompeium: Mea ſemper quae fuerit ſententia, primum de pace uel iniqua condicione retinenda, deinde de urbe, meminiſſe te arbitror. RERVM *Africanarum.*} Africani belli, quod inter Caeſarem, & Scipionem, ac regem Iubam geſtum eſt. QVID *interſit, non ſane intelligo;*} cauſſam infra exponit: quia non multum inter uictores interfuturum putat. de Pompeianorum crudelitate, ſi uiciſſent, uide ep. 9. & 14. lib. IV. & ep. 6. lib. IX. INTER *uictorias non multum interfuturum*} idem ep. 3. & 4. lib. VI. item ep. 9. & 4. lib. IV. & ep. 6. lib. IX. INIVRIAM} urbe carebat Meſcinius, hac illi, ut opinor, a Caeſare poena impoſita, quia Pompeium initio belli ſecutus eſſet. nam, quin hoc tempore fuerit in Italia, dubitandum non eſt; cum ſubiungat Cicero: Ad te ueniam breui. Iniuriam igitur, quod urbe immerito careret. Sic ad Caecinam, eadem cauſſa exſulantem, ep. 5. lib. VI. Haerere non poteſt in tam bonis ciuibus tam acerba iniuria. Et ep. 10. lib. VI. Iniuriam temporum. CVM *tuam ſummam humanitatem, tum etiam tuas litteras*} naturam, & doctrinam laudat: quarum altera efficiat, ut pacatiore animo Meſcinius iniuriam ferat; altera, ut humana omnia, cum abſit culpa, ne putet in malis eſſe numeranda. SICVT *omnes fere,*} quod reprehendere coeperat, excuſat multorum exemplo. nam, Fere, dixit, ne omnino ſuperiorem eius mollitiem excuſaret. VITA *ingenua,*} quam nunc tempora eripiunt. quod enim ſentimus, eloqui libere, & ingenue non licet. BEATA, *& libera*} nunc miſerrima, & ſeruiente. NVLLVM *ſenſum*} de quo tamen dubitare uiſus eſt in ep. 16. ſed orationem tempori accommodat. SI ME *diligis,*} dubitatio uidetur, quae nulla tamen eſt. ualet enim, pro amore in me tuo, pro eo quantum me diligis. & in extrema epiſtola, Me uelim, inquit, ut facis, diligas. qui locus ex hoc dubitationem tollit. SERVIAS,} & Seruire, & Inſeruire, & Indulgere, & Obſequi ualetudini, dicitur. ep. 9. 17. 18. ad Tironem lib. XVI.

IN . EPISTOLARVM

# M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . SEXTVM

AD . TORQVATVM . ET . ALIOS

# PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

---

## Argumentum ep. I. lib. VI.

ATHENIS *exſulantem Torquatum, qui contra Caeſarem a Pompeio ſteterat, reuocare ſtudet a ſollicitudine ac maerore animi ad tranquillitatem: in quam ſententiam colligit haec, quae ad conſolandum ualeant: primum, ita perturbata eſſe omnia, ut ſua fortuna contentus nemo uiuat: deinde, condicionem eorum, qui Romae ſint, & ea cernant, quae quotidie fiunt, deteriorem eſſe, quam eorum, qui abſint: quare non eſſe ei moleſte ferendum, quod urbe careat: quod ſi ſuos, ſuaq. deſideret, ne hoc quidem nomine dolendum; quando illa nullo ſint in proprio periculo, nec, ut meliore ſtatu fruantur, ipſum praeſentem praeſtare poſſe: quod uero ad eius fortunam pertineat, nec deſperandum eſſe, nec timendum aut a Caeſare, aut a Pompeianis, ſi acciderit ut uincant: ſin ob commune reip. periculum angatur, ſolatio eſſe debere conſcientiam optimorum conſiliorum: ut uirtus, licet rebus omnibus deſtituta, ſe tamen ipſa ſuſtentet: nec uero eum, qui alios olim excitauerit, abiectiore eſſe animo debere: propterea, cur non aliquam ab ipſa Athenarum urbe, rationis, ac moderationis parente, atque altrice, doloris medicinam petat? cur non Ser. Sulpicij, amiciſsimi ho-*

mi ho-

mi hominis, ac ſapientiſsimi, conſuetudine recreetur? extremum illud, quaſi extra conſolationem, ſubiungitur; quod mihi tamen ad leniendum dolorem uim habere aliquam uidetur; de ſua in eum, eiusq. liberos uoluntate, & de ſpe proficiendi aliquid in eius cauſſa; quod aſsiduitas uni rei dedita, uel ſi abſit auctoritas, nonnihil tamen praeſtare poſſe uideatur. Suſpicor interdum, ſcriptam eſſe hanc epiſtolam, non Africani belli tempore, ſed Hiſpanienſis. quia quarta huius libri, ſine dubio ſcripta uidetur Caeſare in Hiſpanijs rem gerente: ſignificat enim, Sulpicium Athenis diſceſsiſſe. qui cum in Graecia fuerit, quo tempore M. Marcellus interfectus eſt; ut ex ep. 12. lib. IV. intelligitur; Marcellus autem, Caeſare in Hiſpanijs contra Pompeij liberos pugnante, obierit; quod indicant epiſtolae quaedam ad Att. lib. XIII. non uidetur Sulpicius ante bellum Hiſpanienſe Athenis diſcedere potuiſſe. praeterea, Tullia, Ciceronis filia, bello Hiſpanienſi perijt: Caeſarq. ex Hiſpanijs, & Sulpicius e Graecia conſolatorias ad Ciceronẽ litteras miſerũt: cum Sulpicius breui diſceſſurus eſſet: quod indicat ep. 6. lib. IV. in qua eſt: Sperabam tuum aduentum (ſic enim audiebam) iam appropinquare. quo patet, diſceſſum Sulpicij in Hiſpanienſe bellum cadere. Nec putetur illa quarta, Hiſpanienſi bello; haec uero prima, Africano ſcripta. nam in quarta, in qua de Sulpicij diſceſſu mentio fit, appellatur haec prima, in eo loco: Vt antea ad te ſcripſi, tempus eſt huiuſmodi, ut ſuam quiſque condicionem miſerrimam putet; & ibi quiſque ſit, ubi eſſe minime uelit. Quod, opinor, Cicero non diceret de litteris ante tot menſes conſcriptis, quot inter Africanum, & Hiſpanienſe bellum interſunt.

## Cicero S. D. A. Torquato. I.

ETSI ea perturbatio eſt omnium rerum, ut ſuae quemque fortunae maxime paeniteat; nemoq. ſit, quin ubiuis, quam ibi, ubi eſt, eſſe malit: tamen mihi dubium non eſt, quin hoc tempore bono uiro, Romae eſſe, miſerrimum ſit. nam etſi, quocumque in loco quiſquis eſt, idem eſt ei ſenſus, & eadem acerbitas ex interitu rerum & publicarum, & ſuarum; tamen oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miſerijs cogitationem ſinunt. Quare, etſi multarum rerum deſiderio te angi neceſſe eſt: tamen illo dolore, quo maxime te confici audio, quod Romae non ſis, animum tuum libera. etſi enim cum magna moleſtia tuos, tuaq. deſideras: tamen illa quidem, quae requiris, ſuum ſtatum tenent, nec melius, ſi tu adeſſes, tenerent, nec ſunt ullo in proprio periculo. nec debes tu, cum de tuis cogitas, aut praecipuam aliquam fortunam poſtulare, aut communem recuſare. De te autem ipſo, Torquate, eſt tuum ſic agitare animo, ut non adhibeas in conſilium cogitationum tuarum deſperationem, aut timorem. nec enim is, qui in te adhuc iniuſtior, quam tua dignitas poſtulabat, fuit, non magna ſigna dedit animi erga te mitigati. nec tamen is ipſe, a quo ſalus petitur, habet explicatam, aut exploratam rationem ſalutis ſuae. CVMQ. omnium bellorum exitus incerti ſint; ab altera uictoria tibi periculum nullum eſſe perſpicio, quod quidem ſeiunctum ſit ab omnium interitu; ab altera te ipſum numquam timuiſſe, certo ſcio. Reliquum eſt, ut te id ipſum, quod ego quaſi conſolationis loco pono, maxime excruciet, commune periculum reip. cuius tanti mali, quãuis docti uiri multa dicant, tamen uereor, ne conſolatio nulla poſſit uera reperiri, praeter illam, quae tanta eſt, quantum in cuiuſque animo roboris eſt, atque neruorum. ſi enim, BENE ſentire, recteq. facere, ſatis eſt ad bene, beateq. uiuendum: uereor, ne, eum, qui ſe optimorum conſiliorum conſcientia ſuſtentare poſſit, miſerum eſſe, nefas ſit dicere. nec enim nos arbitror, uictoriae praemijs ductos, patriam olim, & liberos, & fortunas reliquiſſe; ſed quoddam nobis officium iuſtum, & pium, & debitum reip. noſtraeq. dignitati uidebatur: qui neque, cum id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis eſſet uictoria. quare, ſi id euenit, quod ingredientibus nobis in cauſſam propoſitum fuit accidere poſſe: non debemus ita cadere animis, quaſi aliquid

euenerit,

*euenerit, quod fieri poſſe numquam putarimus. Simus igitur ea mente, quam ratio & ueritas praeſcribit; ut nihil in uita nobis praeſtandum praeter culpam putemus; eaq. cum careamus, omnia humana placate, & moderate feramus. Atque haec eo pertinet oratio, ut, perditis rebus omnibus, tamen ipſa uirtus ſe ſuſtentare poſſe uideatur. ſed, ſi eſt ſpes aliqua rebus communibus, ea tu, quicumque ſtatus eſt futurus, carere non debes. Atque haec mihi ſcribenti ueniebant in mentem, me eum eſſe, cuius tu deſperationem accuſare ſolitus eſſes, quemq. auctoritate tua cunctantem, & diffidentem excitare. quo quidem tempore non ego cauſſam noſtram, ſed conſilium improbabam. ſero enim nos ijs armis aduerſarii uidebam, quae multo ante confirmata per noſmetipſos erant: docebamq. pilis, & gladijs, non conſilijs, neque auctoritatibus noſtris, de iure publico diſceptari. Neque ego ea, quae facta ſunt, fore cum dicebam, diuinabam futura: ſed, quod & fieri poſſe, & exitioſum fore, ſi eueniſſet, uidebam, id ne accideret, timebam; praeſertim cum, ſi mihi alterutrum de euentu, atque exitu rerum promittendum eſſet, id futurum, quod euenit, exploratius poſſem promittere. ijs enim rebus praeſtabamus, quae non prodeunt in aciem: uſu autem armorum, & militum robore inferiores eramus. Sed tu illu m animum nunc adhibe quaeſo, quo me tum eſſe oportere cenſebas. Haec eo ſcripſi, quod mihi nunc Philargyrus tuus, omnia de te requirenti, fideliſſimo animo, ut mihi quidem uiſus eſt, narrauit, te interdum ſollicitum ſolere eſſe uehementius. quod facere non debes, nec dubitare, quin aut aliqua rep. ſis futurus, qui eſſe debes; aut, perdita, non afflictiore condicione, quam ceteri. hoc uero tempus, quo exanimati omnes, & ſuſpenſi ſumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quod & in ea urbe es, ubi nata, & alta eſt ratio, ac moderatio uitae: & habes Ser. Sulpicium, quem ſemper unice dilexiſti; qui te profecto & beneuolentia, & ſapientia conſolatur. cuius ſi eſſemus auctoritatem, & conſilium ſecuti; togati potius potentiam, quam armati uictoriam ſubiſſemus. Sed haec longiora fortaſſe fuerunt, quam neceſſe fuit. illa, quae maiora ſunt, breuius exponam. Ego habeo, cui plus, quam tibi, debeam, neminem. quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos mihi huius belli caſus eripuit. qui ſim autem hoc tempore, intelligo. ſed, quia* N E M O *eſt tam afflictus, qui, ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id, quod agit, non poſſit nauare aliquid, & efficere: omne meum conſilium, operam, ſtudium certe uelim exiſtimes tibi, tuiſq. liberis eſſe debitum. Vale.*

## EXPLANATIO

A T O R Q V A T O.} Manliae gentis, patriciae, antiquiſsimae. patriciam autem & Cicero hanc gentem fuiſſe oſtendit in oratione pro Sulla. uerum & plebeios fuiſſe Manlios, idem teſtatur in Phil. I. Propter unius, inquit, M. Manlij ſcelus, decreto gentis Manliae, neminem patricium M. Manlium uocari licet. Niſi ſi haec dixit, habita ratione ſui temporis; cum & patricij, & plebeij eſſent Manlij; non quod eo tempore, quo Manlius Capitolinus damnatus eſt, Manlij duorum generum eſſent. Liuius quidem lib. VI. hoc Manliae gentis decretum memorat, omiſſa patriciae mentione. Torquati cognomen a Torque natum, quem Gallo ſingulari pugna uicto detraxit T. Manlius. qua de re Liuius lib. VII. Gellius lib. IX. cap. 13. Cicero lib. I. de Fin. & Tuſc. IV. & de Off. lib. III. Hunc Manlium uocat optimum uirum ep. I. ad Att. lib. I. Tranſijt ante Ciceronem in Graeciam ad Pompeium, ut in ep. 7. ad eundem lib. IX. Africam uidetur adminiſtraſſe poſt praeturam: nam conſul numquam fuit. leguntur enim haec in oratione pro Plancio: Adoleſcentulus cum A. Torquato profectus in Africam, ſic ab illo grauiſsimo, & ſanctiſsimo, atque omni laude & honore digniſsimo uiro dilectus eſt, ut & contubernij neceſsitudo, & adoleſcentis modeſtiſsimi pudor poſtulabat. E T S I *ea perturbatio eſt omnium rerum, ut ſuae quemque fortunae maxime paeniteat; nemoq. ſit, quin ubiuis, quam ibi, ubi eſt, eſſe malit:*} Infra eadem ſententia, ep. 4. Tempus eſt huiuſmodi, ut ſuam quiſque condicionem miſerrimam putet, &, ubi quiſque ſit, ibi eſſe minime uelit. Hic aduertendum, quater in primis huius epiſtolae comprehenſionibus repetitum, Etſi, Tamen: in quo ſi quis hodie noſtrum offenderet, excuſari uix poſſet. Q V I S Q V I S} Quiſquis, pro Quiſque interdum ueteres uſurparunt, ut hic ipſe Tuſc. V. Vt quidquid obiectum eſt, quod modo a natura non ſit alienũ, eo contenti non quaerunt amplius. In Verr. lib. IV. Ita odorabantur omnia, ut, ubi quidquid eſſet, aliqua ratione inuenirent. Plautus Trinummo: Sin unumquidquid ſigillatim, & placide percunctabere. Lucretius autem ſaepiſsime. O C V L I *augent dolorem,*} oratorie modo ſenſum oculorum auget, aurium imminuit, modo contra. nam ep. 9. lib. IV. aurium ſenſu plus doloris, quam oculis percipi dixit: quia Marcello reditum ſuadebat: hic, ut abſentem Torquatum conſoletur, oculis augeri dolorem ait. & ep. 4. In omnibus, inquit, malis acerbius eſt uidere, quam audire. & ep. 13. lib. IV. Nec audio ſolum, quod ipſum eſſet miſerum, ſed etiam uideo, quo nihil eſt acerbius, eorum fortunas diſsipari. I N T V E R I *coguntur,*} quo dolor fit acerbior. audire autem, qui non uult, non cogitur: itaque poteſt auertere cogitationem a miſerijs. N E C *auertere a miſerijs cogitationem ſinunt.*} a conſuetudine enim oculorum animum abducere, difficillimum eſt. M V L T A R V M *rerum deſiderio*} quas cum rep. perdiderimus. C V M *magna moleſtia tuos, tuaq. deſideras:*} liberos in primis: de quibus ep. 4. Reliquum eſt, ut te angat, quod abſis a tuis tam diu, res moleſta, praeſertim ab ijs pueris, quibus nihil poteſt eſſe feſtiuius. A V T *praecipuam aliquam fortunam poſtulare, aut communem recuſare.*} ſic ep. 15. lib. IV. Non debes aut propriam fortunam, & praecipuam poſtulare, aut communem recuſare. A G I T A R E *animo,*} tribus modis hoc uerbum ad eandem ſententiam accommodatur, Agitare animo, Agitare in mente, Agitare ſimpliciter. primus hoc in loco modus oſtenditur, & pro Fonteio: Vos & ſaepius eandem rem animis agitare, & diu-

tius

tius unoquoque de teſte cogitare poteſtis. Alter lib. I. de Nat. de. Habet nihil aliud, quod agitet in mente. Tertius in Verrem: Si hoc unum agitare coeperit, eſſe aliquod genus cogendae pecuniae. VT. NON *adhibeas in conſilium cogitationum tuarum deſperationem, aut timorem.*} ut in tuis cogitationibus locum deſperationi, aut timori nullum tribuas: ideſt: ut neque de reditu deſperes, neque ſaluti tuae timeas. QVI *in te adhuc iniuſtior, quam tua dignitas poſtulabat, fuit.*} Caeſarem ſignificari manifeſtum eſt: de quo paullo mitius ep. 4. Eius enim, qui tardior in te leuando fuit, quam fore putaramus, non eſt mihi dubia de tua ſalute ſententia. NON *magna*} affirmant duae negantes particulae, ſed ita, ut aliquid imminuant. plus enim erat, Magna ſigna, quam, Nec non magna. NEC *tamen is ipſe,*} cur ſalutis amittendae, timore angamur, cum is ipſe, a quo ſeruari uolumus, eodem timore uacare non poſsit? Augurium Ciceronis breui Caeſaris interitus comprobauit. OMNIVM *bellorum exitus incerti*} utrius partis uictoria ſit futura, incertum eſt. ep. 4. Omnis belli Mars communis, & ſemper incerti exitus prceliorum. & Phil. x. Vt concedam incertos exitus eſſe belli, Martemq. communem. AB *altera*} ſi Caeſar uicerit in Hiſpania. SEIVNGTVM *ab omnium interitu;*} aut ſimul omnes, uictoris clementia, ſeruabimur; aut eiuſdem ira peribimus. ep. 4. Illud cuiuis facile eſt docere, cur praecipue tu dolere nihil debeas. AB *altera*} ſi uicerint Pompeiani. NVMQVAM *timuiſſe,*} licet a bello diſceſſeris. Numquam, dicit, ut ſignificet nec antea, bello ſcilicet Africano, timuiſſe Torquatum a Pompeianorum uictoria.

QVASI *conſolationis loco*} non plane conſolationis loco: quia, cum patria, quae nobis rerum omnium cariſsima debet eſſe, periclitetur; minus angi priuatis incommodis debemus. itaque communis periculi recordatio, quaſi quaedam conſolatio uidetur eſſe. Huius generis illud eſt in epiſtola ſequenti: Miſera eſt illa quidem conſolatio, tali praeſertim ciui, & uiro, ſed tamen neceſſaria, nihil eſſe praecipue dolendum in eo, quod accidat uniuerſis. MVLTA *dicant,*} quae ad conſolandum ualent. ſignificat ea, quae inſignes philoſophi de ſedando luctu conſcripſerunt: quorum ſententias poſtea Cicero, amiſſa filia, in ſua ſcripta tranſtulit, aegritudinis leniendae cauſſa. eorum nomina recitat diuus Hieronymus in Epitaphio Nepotiani. Legimus, inquit, Crantorem, cuius uolumen ad confouendum dolorem ſuum ſecutus eſt Cicero: Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Poſidonij ad ſedandos luctus opuſcula percurrimus; qui diuerſis aetatibus diuerſorum luctum uel libris, uel epiſtolis minuere ſunt conati; ut etiam, ſi illorum areret ingenium, de illorum poſſet fontibus irrigari. VEREOR, *ne conſolatio nulla poſſit uera reperiri,*} mei ueteres libri, Vlla, omnes habent: ſed, Nulla, requirit ſententia. nam Vereor cum ſimplici negatione coniunctum, uſurpatur in rebus, quas accidere nolimus, ut Vereor ne filius peccet: cum gemina uero negatione, in rebus, quas accidere nollemus: ut, Vereor ne filius recte uiuat: uolumus enim filium recte uiuere: interdum, quod idem ualet, pro gemina negatione utimur, ut, hoc modo: Vereor ut filius recte uiuat. quare uidetur aut legendum hic, Vereor ut conſolatio ulla poſsit uera reperiri: aut, Vereor ne conſolatio nulla poſsit uera reperiri. nam & paullo poſt, cum dicit, Vereor ne nefas ſit dicere: hoc ſignificat, nefas ſit dicere. ſic igitur, ſi dicas, Vereor, ne conſolatio ulla poſsit uera reperiri: hoc ſignifices, conſolatio aliqua poſsit uera reperiri. quod a Ciceronis mente diſcrepat. nullam enim ait ſibi uideri eſſe conſolationem tanti mali, praeter illam, &c. Vide, quae de hoc uerbo, Vereor, diximus in ep. I. lib. 2. QVANTVM *in cuiuſque animo roboris eſt, atque neruorum.*} non enim omnes, qui praeteritam uitam aeque laudabiliter traduxerint, aeque conſcientia ſuſtentantur: ſed, ut quiſque firmo, aut infirmo animo eſt, ita maiorem, aut minorem a conſcientia conſolationem capit. quo ſpectat illud in ep. 4. Quae tamen, ſi poſsis eam ſuſcipere, maxima eſt. SATIS *eſt*} ergo felicitas non ab ijs rebus, quae ab alijs, aut a fortuna dantur, ſed a nobis eſt: quae Stoicorum fuit optimo: ut Acad. lib. I. ſed Ariſtoteles Eth. lib. I. & Polit. lib. VII. adiunxit externa bona. BENE, *beateq. uiuendum:*} bene uiuit, qui cum uirtute uiuit: beate, cui nihil omnino deeſt. addidit enim Beate, quia recte uiuere, non idem eſt cum beate uiuere: quod Eth. lib. I. ad Eudemum ſcripſit Ariſtoteles. nobilitas enim, proles, opes, diuitiae, amici, uires etiam corporis, & pulchritudo ad beatitudinem conferunt: ſine quibus tamen licet bene uiuere: quod uirtutis eſt.

VEREOR, *ne eum, qui ſe optimorum conſiliorum conſcientia ſuſtentare poſſit, miſerum eſſe, nefas ſit dicere.*} interrogandi nota ſententiam alij concludendam putant. quibus aſſentirer, ſi legeretur, Verear. quo modo autem nunc eſt, elicitur hoc: fortaſſe nefas eſt eum appellare miſerum, qui ſe optimorum conſiliorum conſcientia ſuſtentare poſsit. nam ut, Non uereor ne, negationem ſignificat: ut illud ep. 7. lib. 2. Non uereor, ne quid timide, ne quid ſtulte facias: idem eſt, ut ſi dicas, nihil te timide, nihil ſtulte facturum confido: & ep. 12. lib. V. Non uereor, ne aſſentatiuncula quadam tuã gratiã uidear aucupari. ut igitur qui dicit, non uereor ne, negat, non affirmat: ſic qui ait, uereor ne, affirmat potius, quam negat. timet enim aliquid futurum, quod nollet. quo circa, Vereor ne nefas ſit dicere: ualet, opinor eſſe nefas: uel, fortaſſe nefas eſt dicere. Minime igitur neceſſaria eſt nota illa interrogantibus uſitata. Neque uero, Non uereor, legendum eſt: ne ſine cauſſa diſcedamus ab antiquis libris. OPTIMORVM *conſiliorum*} cum dixerit, Bene ſentire, recteq. facere, uidetur hic addere debuiſſe, Atque factorum. ſed nobilius poſuit, nec alterum, licet omitteret, excluſit. MISERVM} non enim eo te miſerum putes, quia reſp. miſerrima eſt; cũ te poſsis optimorũ conſiliorũ conſcientia ſuſtentare. VICTORIAE *praemijs ductos,*} ut Põpeianos quoſdã: de quib. ep. 6. Victa eſt auctoritas mea nõ tã a Põpeio, (nã is mouebatur) quã ab ijs, qui duce Põpeio freti, peropportunam & rebus domeſticis & cupiditatibus ſuis belli uictoriam fore putabant. hanc rem & Caeſar attigit lib. I. de bel. ci. OFFICIVM} ep. 5. lib. IX. Secuti ſumus non ſpem, ſed officium. QVI *neque, cum id faciebamus, tam eramus amentes,*} haec particula, Neque, hic habet uim quandam, non ſaepe uſitatam: ſubauditur enim, non modo: ut ſit: non modo nunc, ſed neque tunc. Simpliciter ep. 15. lib. IX.

lib. IX. Neque ego aliter accepi. & ep. 4. ad Att. lib. I. Neque id neglexi. SI . ID *euenit*, } ut uinceremur. INGREDIENTIBVS *nobis in cauſſam* } publicam cauſſam ſuſcipientibus contra Caeſarem, ſenatui dicto non audientem. Eandem ſententiam poſuit ep. 12. in eo loco: Cum recordarer te in hoc ipſum bellum eſſe ingreſſum, non ſolum uictor beatus, ſed etiam, ſi ita accidiſſet, uictus ut ſapiens eſſes. Nec diſsimiliter in ep. 6. Sin, propter incertos exitus, euentusq. bellorum, poſſe accidere ut uinceremur, putaſſes; non debere ad ſecundam fortunam bene paratum fuiſſe, aduerſam ferre nullo modo poſſe. CADERE *animis*, } Cadimus animo, & Cadit animus. utrumque enim dicitur: in Laelio: Nec debilitari animos, aut cadere patitur. Et Tuſc. I. Simul animus cum re concidit. Et Phil. 3. Allato nuncio de quarta legione, mente concidit. PRAESTANDVM } Praeſtare culpam dicitur, qui culpam uitat. hoc praeſtare debemus: reliqua ne curemus: non enim praeſtanda nobis ſunt: quia malum in una culpa ſitum eſt. PERDITIS *rebus omnibus*, } hoc refertur ad illud: Reliquum eſt, ut te excruciet commune periculum reip. Haec, inquit, ideo dixi, ut intelligas, uel ſi omnia interierint, uirtutem tamen ſuſtentare ſe ipſam poſſe. Quanta igitur cuiusque uirtus, tantam ille ab ipſa uirtute conſolationem capit. quod ſupra dixit, Quantum in cuiuſque animo roboris eſt, atque neruorum, tanta conſolatio eſt. atque haec uirtus, hoc robur, hi nerui ſunt eorum, qui ſe optimorum conſiliorum conſcientia ſuſtentare poſſunt. Quod autem hic, Perditis rebus, infra dixit, Perdita rep. & in epiſtola ſequenti, Remp. funditus interire. & ibidem paullo poſt: Sin omnino interierint omnia. & ep. 21. Euerſis omnibus rebus. & ep. ult. libri ſuperioris, Fortunam funditus euerſam. Contrarium eſt, Saluis rebus, ep. I. lib. IV. QVICVMQVE *ſtatus eſt futurus*, } infra: Nec dubitare debes, quin aut aliqua rep. ſis futurus, qui eſſe debes; aut, perdita, non afflictiore condicione, quam ceteri. Idem in epiſtola ſequenti. ATQVE . HAEC *mihi ſcribenti ueniebam in mentem*, } eleganter interdum a particula, Atque, ſententiam ordimur, ut proxime, Atque haec eo pertinet oratio. & ep. 6. Atque utebar familiariſsime Caeſare. & ad Terentiam, ep. 4. lib. XIV. Atque ego, qui te confirmo, ipſe me non poſſum. DESPERATIONEM } cum de rep. deſperabam, ſi res ad arma deduceretur. CONSILIVM *improbabam*. } pugnari nolebam: cupiebam quamuis iniqua condicione pacem. ep. 4. & 6. & libro ſuperiore, ep. ult. MVLTO *ante confirmata per nosmet ipſos* } cum Pompeius iterum conſul operam dedit, ut Caeſari Galliarum adminiſtratio in alterum quinquennium prorogaretur. de quo in ep. 6. Ipſum Pompeium conſulem pugnaſſe dicit. & ad Att. ep. 3. lib. IIX. de Pompeio: Iſtum in remp. ille aluit, auxit, armauit: ille legibus per uim, & contra auſpicia ferendis auctor: ille Galliae ulterioris adiunctor: ille gener: ille prouinciae propagator: ille abſentis in omnibus adiutor. Eadem dixit in Phil. 2. PILIS, *& gladijs, non conſilijs, neque auctoritatibus* } ſic ep. 7. lib. IV. Non enim ijs rebus praeſtabamus, quibus ualere poteramus, conſilio, auctoritate, cauſſa, quae erant in nobis ſuperiora; ſed lacertis, & uiribus, quibus pares non eramus. DE . IVRE *publico diſceptari* } de ipſa rep. contendi. ſic ep. 4. lib. IV. Poſteaquam armis diſceptari coeptum eſt de iure publico. & ep. 14. eiusdem libri: Quanto periculo de iure publico diſceptaretur armis. NEQVE *ego diuinabam* } futura non uidebam: ſed, ne acciderent, timebam. EVENTV, *atque exitu* } exitus euentu, non euentus exitu, poſterior eſt. nam ultra euentum exitus eſt: ultra exitum nihil omnino. ID *futurum, quod euenit*, } fore, ut Caeſar uinceret. EXPLORATIVS *promittere*. } non plane promittere, ſed exploratius, quam de uictoria Pompeij. hoc quidem exploratius, quam illud, promittere, diuinare tamen plane non poteram. IIS *rebus* } conſilijs, auctoritatibus, cauſſa. paullo ante. & ep. 7. lib. IV. MILITVM *robore* } ep. 3. lib. VII. de Pompeio: Signa tirone, & collecticio exercitu cum legionibus robuſtiſsimis contulit. SED . TV *illum animum* } tale illud Sulpicij: Noli imitari malos medicos; qui in alienis morbis profitentur ſe tenere medicinae ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt. PHILARGYRVS } liberti cognomen, quod in ſeruitute nomen unicum fuerat. ualet autem, Amator argenti. SVSPENSI } exſpectatione euentus. pugnabatur enim in Hiſpania: itaque dixit ſupra: Cum omnium bellorum exitus incerti ſint. &c. & ep. 6. Videmur intelligere, non diuturnum bellum fore. IN . EA *urbe* } Athenis: pro Flacco: Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnes terras diſtributae putantur. & lib. I. de Orat. Athenae omnium doctrinarum inuentrices. ep. 4. NATA, *& alta* } in Bruto: Vides ne, ut in ea ipſa urbe, in qua & nata, & alta ſit eloquentia, quam ea ſero prodierit in lucem? Veteres ab Alo & Altum, & Alitum deducebant. Priſcianus, & Diomedes. RATIO, *ac moderatio uitae*: } ob doctrinam, religionem, iura, leges. ideo putabantur Athenae in tutela Mineruae. SER. SVLPICIVM, } Graeciae praepoſitum a Caeſare. ep. 6. Brutum Galliae praefecit, Sulpicium Graeciae. uide, quae diximus ep. 12. lib. IV. BENEVOLENTIA, *& ſapientia*. } quae ſapienter in re noſtra dicuntur ab amicis, creduntur facilius, & magis mouent, quam ſi dicantur ab alienis. ideo coniunxit cum ſapientia beneuolentiam. ep. 4. in extremo. AVCTORITATEM, *& conſilium* } omnino cauendum ciuile bellum, cuius initia cernebantur, Sulpicius conſul cenſuit. ep. 4. lib. IV. Abſens, inquit, cognoſcebam, quae eſſet tua in hoc peſtifero bello cauendo, & praedicendo ſententia. & quae ſequuntur. TOGATI *potius potentiam, quam armati uictoriam, ſubiſſemus*. } Simile illud in ep. 6. Nolo hunc exiſtimare, ea me ſcripſiſſe Pompeio, quibus ille ſi paruiſſet, eſſet hic quidem clarus in toga, & princeps, ſed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet. Subiſſemus, inquit, potentiam, ut rem grauem, ſed uictoria tamen leuiorem. ideo in ep. 4. Cupiebam quamuis iniqua condicione pacem. & in ultima ſuperioris libri: Quauis tuta condicione pacem accipere malui, quam uiribus cum ualentiore pugnare. QVAM *neceſſe fuit*. } amorem ſuum declarat, ac ſtudium confirmandi Torquati, cum plura etiam fortaſſe ſcripſerit, quam neceſſe fuit. ſimul illum tacite laudat, quaſi uirtus eius

minus

minus multa deſideraret: hoc ipſum dicit in epiſtola tertia, addita, quam hic omittit, ratione, cur fuerit longior. Superioribus, ait, litteris, beneuolentia magis adductus, quam quod res ita poſtularet, fui longior. neque enim confirmatione noſtra egebat uirtus tua. Et ep.4. ILLA, *quae maiora ſunt, breuius exponam:*} rerum diuerſarum connexio, in qua laborare multos uideo, uulgare non requirit ingenium. hic Cicero a conſolatione doloris ad promiſsionem auxilij percommode tranſit. nam, cum dixiſſet, Haec longiora, ſubiunxit, Illa maiora. ſic ep.3. Sed haec conſolatio leuior, illa grauior. Et ad Appium ep.10. lib.III. Atque haec domeſtica. quid illa tandem popularia? Et ad Caſsium, ep.2. lib.XII. Sed haec tolerabilia: illud non ferendum, quod eſt, qui ueſtro anno conſulem filium ſuum futurum putet. Et Phil.2. cum obijcienti Antonio, ciuile bellum eius culpa natum eſſe, copioſe reſpondiſſet, tranſitum ita quaeſiuit ad aliam rem, uix ut interrupta narratio uideatur, hoc modo: Sed haec uetera, illud uero recens, Caeſarem meo conſilio interfectum. Huius generis innumerabilia ferre occurrunt: ſed faſtidium uitemus, & haec ſibi quiſque, quod nos olim facere conſueuimus, notet in legendo. NEMINEM.} quia perierat Cn. Pompeius, & P. Lentulus, quorum opera reſtitutus ab exſulio fuerat. QVIBVS *tantum debebam, quantum tu intelligis,*} plus ſcilicet, quam tibi. ſed, cum eos belli caſus eripuerit, nemo, cui plus, quam tibi, debeam, ſupereſt. ep.4. Beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non aſſequar. BELLI *caſus eripuit.*} mors eripuit, de iiſdem dixit, ep.13. lib.IV. QVI. SIM} ep.9. Eodem tempore, eademq. cauſſa noſtrum uterque cecidit. & ep.13. Eadem cauſſa opes meas fregit, quae tuam ſalutem in diſcrimen adduxit. & in ultima huius libri: Quid poſsim, neſcio: uel potius, me parum poſſe, ſentio. STVDIVM *certe*} ſi conſilio, & opera prodeſſe tibi non multum potero, ſtudio certe numquã deero.

---

# Argumentum ep. 2.

*EXcuſat ſe, quia rarius antea ſcripſerit: ſpem aliquam affert de reconciliato Caeſaris animo: nihil ei praecipue timendum ſignificat. Scripta uidetur eodem anno.*

## *Cicero S. D. A. Torquato:* 2.

PETO *a te, ne me putes obliuione tui rarius ad te ſcribere, quam ſolebam, ſed aut grauitate ualetudinis, qua tamen iam paullulum uideor leuari; aut quod abſim ab urbe, ut, qui ad te proficiſcantur, ſcire non poſſim. quare uelim ita ſtatutum habeas, me tui memoriam ſumma cum beneuolentia tenere, tuasq. omnes res non minori mihi curae, quam meas, eſſe. Quod maiore in uarietate uerſata eſt adhuc tua cauſſa, quam homines aut uolebant, aut opinabantur; mihi crede, non eſt pro malis temporum, quod moleſte feras. neceſſe eſt enim, aut armis urgeri remp. ſempiternis, aut, his poſitis, recreari aliquando, aut funditus interire. ſi arma ualebunt: nec eos, a quibus reciperis, uereri debes, nec eos, quos adiuuiſti. ſin, armis aut condicione poſitis, aut defatigatione abiectis, aut uictoria detractis, ciuitas reſpirauerit: et dignitate tua frui tibi, & fortunis licebit. ſin omnino interierint omnia; fueritq. is exitus, quem uir prudentiſſimus M. Antonius iam tum timebat, cum tantum inſtare malorum ſuſpicabatur: miſera eſt illa quidem conſolatio, tali praeſertim ciui, & uiro, ſed tamen neceſſaria,* NIHIL *eſſe praecipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat uniuerſis. Quae uis inſit in his paucis uerbis, (plura enim committenda epiſtolae non erant) ſi attendes, quod facis: profecto etiam ſine meis litteris intelliges, te aliquid habere, quod ſperes; nihil, quod aut hoc, aut aliquo reip. ſtatu timeas; omnia ſi interierint, cum ſuperſtitem te eſſe reip. ne ſi liceat quidem uelis, ferendam eſſe fortunam, praeſertim quae abſit a culpa. Sed haec hactenus. Tu uelim ſcribas ad me, quid agas, & ubi futurus ſis; ut, aut quo ſcribam, aut quo ueniam, ſcire poſſim. Vale.*

## EXPLANATIO

LEVARI;} perſiſtit in tranſlatione, quia dixerat, Grauitate. VARIETATE} Varietatem non uocat mutationem cauſſae; quia ſcilicet modo timuiſſent homines, modo ſperaſſent; ſed quod uarietas fuerit inter cauſſam Torquati, & uoluntatem, opinionemq. hominum; propterea quod, cum ei reditum in Italiam Caeſar conceſsiſſet, ut infra oſtendemus; fore ſperauerunt homines, ut paullo poſt redeundi quoque in urbem facultas ei permitteretur. in quo ſe difficilem Caeſar praebuit. ADHVC} ſperare ſe aliquid oſtendit. nam, Adhuc, uarietatis illius, quam proxime nominauit, quaſi terminus uidetur. AVT *nolebant, aut opinabantur:*} contra uoluntatem, & praeter opinionem, dixit ep.2. lib.III. PRO *malis temporum,*} ſi rem ipſam ſpectes, moleſte ferendum uidetur: ſi tempora conſideres, quae peſsima ſunt; mihi crede, non eſt cur moleſte feras. Ep.28. lib.XIII. Pro horum temporum perturbatione. Pro malis, recte habebat, ep.14. lib.XII. ad Att. Alibi, Vt in malis, Vt in perditis rebus. ARMIS *urgeri remp. ſempiternis,*} ut in armis de iure publico ſemper diſceptetur, ſicut adhuc quidem diſceptatur. POSITIS,}

infra addidit, Abiectis, aut detractis. hic, Poſitis, communiter pro omnibus uſurpatum eſt. FVNDITVS *interire.*} amiſſa libertate: quod accidit: numquam enim poſtea ſuum ius reſp. recuperauit. SI ARMA *ualebunt*:} non loquitur de uictoria armis parta, ſed de contentionis diuturnitate: ideſt, ſi armis res agetur. hoc enim ad illud reſpondet, Neceſſe eſt armis urgeri remp. ſempiternis. De uictoria uero ſtatim ſubiungit. RECIPERIS,} recipiebatur, quia, licet in urbem redire non poſſet, in Italia tamen ei licebat eſſe. Hoc etiam e poſtremis epiſtolae uerbis colligitur: Vt, aut quo ſcribam, aut quo ueniam, ſcire poſsim. nam, ſi extra Italiam Torquatus eſſet; non diceret Cicero, Quo ueniam. Praeterea, Torquatum in Tuſculano fuiſſe, eiuſq. cauſſam Dolabellae a Cicerone commendatam, ut ſcilicet eius reditum in urbem a Caeſare ex Hiſpania redeunte impetraret, licet intelligere ex ep.9.lib.XIII.ad Att. Eὐχαίρως, inquit, ad me uenit, cum haberem Dolabellam, Torquatus: humaniſsimeq. Dolabella, quibus uerbis ſecum egiſſem, expoſuit. quae diligentia grata eſt uiſa Torquato. Et ad eundem ep.20. Torquato noſtra officia grata eſſe, facile patior; eaq. augere non deſinam. Et ep.21. Quid poſſum a Torquato, niſi aliquid a Dolabella? Et ep.44. Cum Dolabella uiuendum eſſe iſtis diebus, uides. quod niſi me Torquati cauſſa teneret; ſatis erat dierum, ut Puteolos excurrere poſſem. Atque illae ad Atticum epiſtolae, Caeſare ex Hiſpania, deuictis iam Pompeij liberis, redeunte, ſcriptae ſunt: hae uero ad Torquatum, adhuc pugnante: id quod perſpicuum ſatis eſt: haec tamen una, confecto iam bello, & conceſſa Torquato manendi in Italia, non in urbem ueniendi, poteſtate, ſcripta uidetur eſſe, ideoq. reijcienda in extremum locum. CONDICIONE} quod inter utramque partem de ponendis armis conueniat. VICTORIA *detractis,*} alterutra parte uincente, ita ut bellum nullum ſuperſit. RESPIRAVERIT:} quia non amplius armis urgebitur reſp. quod ſi, uictoria detractis armis, ciuitas reſpirauerit; bonitas in eo, & clementia indicari uidetur. in quo Caeſari, qui ſecunda iam fortuna uſus erat, Cicero aſſentatur. quamquam Pompeij partes afflictae nondum penitus erant. M. ANTONIVS} orator ille ſummus, qui loquitur in oratorijs libris. IAM *tum timebat,*} ante Marij & Sullae bellum, quo in bello ipſe eſt interfectus. SVSPICABATVR:} ex diſcordiae principijs. hoc ſignificatur initio lib. I. de Orat. nam de ſermone inter Scaeuolam, Antonium, Craſſum habito, ſic ait: Quo quidem in ſermone multa diuinitus a tribus illis conſularibus Cotta & commemorata, & deplorata narrabat: ut nihil incidiſſet poſtea ciuitati mali, quod non impendere illi tanto ante uidiſſet. TALI *praeſertim ciui, & uiro,*} qui ne hoc genere conſolationis indigere deberet, probitate, & uirtute meritus eſt. Ciuem, & Virum ſaepe coniungit Cicero, ut ep.15. lib.IV. ad Att. O uirum, o ciuem. & alibi. NECESSARIA,} quid enim praeterea conſolari poſsit? IN HIS *paucis uerbis,*} non his proximis, quibus de omnium rerum interitu locutus eſt, ſed illis ſuperioribus, ab eo loco, Neceſſe eſt aut armis urgeri remp. ſempiternis: quibus aliquid eum, quod ſperet, habere oſtendit. nam, tribus propoſitis, ſi arma ualeant, ſi omittantur, ſi funditus intereant omnia; ex primo, liberat eum timore; ex altero, ſpem affert recuperandi fortunas, & dignitatem: tertium ſi eueniat, praecipuum dolorem adimit in eo, quod accidat uniuerſis. Ergo, cum ſubiungat hic: Profecto etiam ſine meis litteris intelliges, te aliquid habere, quod ſperes: ad ſuperiora illa reſpexit. HOC,} dum de iure publico dimicatur. ALIQVO} poſitis armis, aut abiectis, aut detractis: de quo ſupra. QVO *ueniam,*} erat igitur, ut dixi, Torquatus in Italia, nec tamen prope urbem: nam aut ille ad Ciceronem, aut ad illum Cicero, cum praeſertim hoc tempore extra urbem eſſet, omnino acceſsiſſet. non fuiſſe autem in urbe Ciceronem, cum hanc epiſtolam ſcripſit, nec Torquatum prope urbem, oſtendunt ſuperiora illa uerba: Quod abſim ab urbe; ut, qui ad te proficiſcantur, ſcire non poſsim. Poſtea uero Torquatus propius urbem acceſsit: ut recitata iam ex epiſtolis ad Att. loca demonſtrant.

---

## Argumentum ep. 3.

*QVattuor utitur rationibus ad conſolandum. primum, quia maxime ad timorem mors proponitur, miſerrimum eſſe oſtendit, ita uiuere, ut non ſit uiuendum: quod malum impendere, utracumque pars uicerit. deinde, conſolatur a communi condicione: tum, a uita innocenter traducta: poſtremo, ab ipſa etiam morte, quae malorum ſenſum adimit. Scripta eſt paucis diebus poſt primam, quam ſignificari primis uerbis uidemus. itaque reſtituenda uidetur in ſuum locum, unde retruſa eſt in tertium.*

### *M. Cicero S. D. A. Torquato.* 3.

SVPERIORIBVS *litteris, beneuolentia magis adductus, quam quod res ita poſtularet, fui longior. neque enim confirmatione noſtra egebat uirtus tua; neque erat ea mea cauſſa, atque fortuna, ut, cui omnia de eſſent,*

*eſſent, alterum confirmarem. hoc item tempore breuior eſſe debeo. ſiue enim tum nihil opus fuit tam multis uerbis; nihilo magis nunc opus eſt: ſiue tum opus fuit; illud ſatis eſt, praeſertim cum acceſſerit nihil noui. nam, etſi quotidie aliquid audimus earum rerum, quas ad te perferri exiſtimo: ſumma tamen eadem eſt, & idem exitus, quem ego tam uideo animo, quam ea, quae oculis cernimus. nec uero quidquam uideo, quod non idem te uidere certo ſciam. nam, etſi, quem exitum acies habitura ſit, diuinare nemo poteſt: tamen & belli exitum uideo, &, ſi id minus, hoc quidem certe, cum ſit neceſſe alterutrum uincere, qualis futura ſit uel haec, uel illa uictoria. idq. cum optime perſpexi, tale uideo, nihil ut mali uideatur eſſe futurum, ſi id uel ante acciderit, quod uel maximum ad timorem proponitur.* I T A *enim uiuere, ut non ſit uiuendum, miſerrimum eſt: mori autem nemo ſapiens miſerum duxit, ne beato quidem. Sed in ea es urbe, in qua haec uel plura, & ornatiora parietes ipſi loqui poſſe uideantur. Ego tibi hoc confirmo,* E T S I *leuis eſt conſolatio ex miſerijs aliorum, nihilo te nunc maiore in diſcrimine eſſe, quam quemuis aut eorum, qui diſceſſerint, aut eorum, qui remanſerint. alteri dimicant; alteri uictorem timent. Sed haec conſolatio leuis, illa grauior, qua te uti ſpero, ego certe utor. nec enim, dum ero, angar ulla re, cum omni uacem culpa; &, ſi non ero, ſenſu omnino carebo. Sed rurſus* γλαῦκ᾽ ἐς Ἀθήνας, *qui ad te haec. Mihi tu, tui, tua omnia maximae curae ſunt, &, dum uiuam, erunt. Vale.*

## EXPLANATIO

QVAM *quod res ita poſtularet,* } idem dixit ep. I. N E Q V E . E R A T *ea mea cauſſa,* } meae res eo loco erant: is erat mearum rerum ſtatus. E A R V M *rerum,* } quae geruntur in Hiſpania. I D E M *exitus,* } uictoriam inſolentem, & crudelem fore. infra. V I D E O *animo,* } Cernere animo, dixit ep. 12. lib. v. O C V L I S *cernimus.* } ep. 19. lib. x. N E C V E R O *quidquam uideo, quod non idem te uidere certo ſciam.* } ep. 16. Non eam cognoui aciem ingenij tui; quod ipſe uideam, te id ut non putem uidere. Q V E M *exitum acies habitura ſit, diuinare nemo poteſt:* } ep. I. Cum omnium bellorum exitus incerti ſint. ep. 4. Cum omnis belli Mars communis, & cum ſemper incerti exitus proeliorum ſunt: tum hoc tempore ita magnae utrimque copiae, ita paratae ad depugnandum eſſe dicuntur, ut, utercumque uicerit, non ſit mirum futurum. B E L L I *exitum* } belli finem. quod in epiſtola ſequenti dixit, Nunc tantum uidemur intelligere, non diuturnum bellum. S I . I D . M I N V S, } de belli exitu, quem propinquum eſſe arbitror, falli fortaſſe poſſum: de ipſa certe uictoria, qualis futura ſit, minime fallor. Q V A L I S *futura* } Quid ſignificet, indicant inferiora uerba: Ita uiuere, ut non ſit uiuendum, miſerrimum eſt. quibus uerbis amiſsio priſtinae dignitatis, legum interitus, & uictoris inſolentia, atque crudelitas praedicitur. S I . I D *uel ante acciderit,* } ſi acciderit mors. I T A *enim uiuere, ut non ſit uiuendum, miſerrimum eſt:* } ep. 3. lib. VII. Vbi non ſis, qui fueris, non eſſe cur uelis uiuere. M O R I *autem nemo ſapiens miſerum duxit, ne beato quidem.* } miſeriam in morte nemo ſapiens conſtituit, ſed in turpi uita: quod ſi ne beato quidem mori miſerum eſt, quanto minus nobis in ijs miſerijs, quae poſt bellum impẽdent ep. 16. lib. v. Vt ea non dicã, quae ſaepiſsime & legi, & audiui, nihil mali eſſe in morte. I N . E A *es urbe,* } Athenis. ep. I. & 4. P A R I E T E S *ipſi* } cum ſapientes multi Athenis de contẽnenda morte diſputauerint. L E V I S *eſt conſolatio ex miſerijs aliorum,* } in epiſtola ſuperiore: Miſera eſt illa quidem conſolatio, tali praeſertim ciui, & uiro, ſed tamen neceſſaria, nihil eſſe praecipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat uniuerſis. A V T *eorum, qui diſceſſerint,* } deſideratur omnino aliquid. deſignari enim duo genera hominum, ex eo, quod ſequitur, manifeſtum eſt. in antiquis libris non eſt alterum illud membrum, Aut eorum, qui remanſerint. quod ex ingenio additum uidetur. duo ueteres libri habẽt, Quam quamuis eorum, qui diſceſſerint. quod ſincerum exiſtimarem, niſi ſequeretur: Alteri dimicant, alteri uictorem timent. qui enim ab armis diſceſſerant, uictorem Caeſarem timebant, contra quem pro Pompeio iam pugnauerant. itaque in epiſtola ſequenti, Nemo eſt, inquit, quin cogitet, quam ſit metuendus iratus uictor armatus. C V M *omni uacem culpa;* } ſaepe in conſolationibus hanc ſententiam uſurpat. uide epiſtolam ſequentem, & primam: ne multa eiuſdem generis afferentes lectorem obtundamus. S E N S V *omni carebo.* } amitti ſenſum in morte, & hic affirmat, & in epiſtola ſequenti: quod dubitare uiſus eſt ep. 16. lib. VI. Ariſtoteles quoque non ſatis in eo ſuam ſententiam aperuit. R V R S V S } quia rurſus de morte philoſophari coepit, quaſi ueniam petit, cum ad eum ſcribat, qui Athenis, ut paullo ante dixit, ea uel plura, & ornatiora a doctiſsimis, ac ſapientiſsimis uiris audire poſsit. qui haec igitur ad te, noctuam ſcilicet Athenas mittit. Adagium inde ortum, quod Athenis nummi percuterentur cum imagine noctuae. noctuae igitur Athenis multae, quia nummi multi. ep. 3. lib. IX. & ult. lib. 2. ad Q. Fr. & interpres Ariſtophanis.

---

## Argumentum ep. 4.

*TRes partes habet haec epiſtola. prima eſt de propinquo belli exitu: altera ad conſolandum pertinet: tertia ſtudium, ac diligentiã pollicetur in ijs rebus, quae ad Torquatm pertineant. Scripta eſt paullo poſt ſuperiorem*

*proximam: nam in illa dixit, uidere ſe exitum belli: in hac idem ſignificat, cum ait: Nunc tantum uidemur intelligere, non diuturnū bellum: & in illa, nihil acceſsiſſe noui; in hac noui nihil eſſe, quod ſcriberet.*

## *M. Cicero S. D. A. Torquato. 4.*

*NOVI, quod ad te ſcriberem, nihil erat: & tamen, ſi quid eſſet, ſciebam te a tuis certiorem fieri ſolere. de futuris autem rebus etſi ſemper difficile eſt dicere; tamen interdum coniectura poſſis propius accedere, cum res eſt eiuſmodi, cuius exitus prouideri poſſit. Nunc tantum uidemur intelligere, non diuturnum bellum. etſi id ipſum non nullis uideatur ſecus. equidem, cum haec ſcribebam, aliquid iam actum putabam; non, quo ego certo ſcirem; ſed, quod non difficilis erat coniectura. nam cum omnis belli Mars communis, & cum ſemper incerti exitus proeliorum ſunt: tum hoc tempore ita magnae utrimque copiae, ita paratae ad depugnandum eſſe dicuntur, ut, utercumque uicerit, non ſit mirum futurum. Illa in dies ſingulos magis magisq. opinio hominum confirmatur; etiamſi inter cauſſas armorum aliquantum interſit, tamen inter uictorias non multum interfuturum. alteros propemodum iam ſumus experti: de altero, nemo eſt quin cogitet quam ſit metuendus iratus uictor armatus. Hoc loco ſi uideor augere dolorem tuum, quem conſolando leuare debebam; fateor me communium malorum conſolationem nullam inuenire, praeter illam; quae tamen, ſi poſſis eam ſuſcipere, maxima eſt; quaq. ego quotidie magis utor; CONSCIENTIAM rectae uoluntatis maximam conſolationem eſſe rerum incommodarum, nec eſſe ullum magnum malum praeter culpam. a qua quando tantum abſumus, ut etiam optime ſenſerimus, euentusq. magis noſtri conſilij, quam conſilium reprehendatur; et quando praeſtitimus, quod debuimus: moderate, quod euenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non ſumo, ut te conſoler de communibus miſerijs, quae & ad conſolandum maioris ingenij, & ad ferendum ſingularis uirtutis indigent. Illud cuiuis facile eſt docere, cur praecipue tu dolere nihil debeas. eius enim, qui tardior in te leuando fuit, quam fore putaramus, non eſt mihi dubia de tua ſalute ſententia: de alijs autem non arbitror te exſpectare quid ſentiam. Reliquum eſt, ut te angat, quod abſis a tuis tam diu, res moleſta, praeſertim ab ijs pueris, quibus nihil poteſt eſſe feſtiuius. ſed, ut antea ad te ſcripſi, tempus eſt huiuſmodi, ut ſuam quiſque condicionem miſerrimam putet, &, ubi quiſque ſit, ibi eſſe minime uelit. equidem, nos quod Romae ſumus, miſerrimum eſſe duco; non ſolum, quod in omnibus malis acerbius eſt uidere, quam audire; ſed etiam, quod ad omnes caſus ſubitorum periculorum magis obiectij ſumus, quam ſi abeſſemus. etſi me ipſum conſolatorem tuum non tantum litterae, quibus ſemper ſtudui, quantum longinquitas temporis mitigauit. quanto fuerim dolore, meminiſti. in quo prima illa conſolatio eſt, uidiſſe me plus, quam ceteros, cum cupiebam quamuis iniqua cōdicione pacem. quod etſi caſu, non diuinatione mea, factum eſt: tamen hac inani prudentiae laude delector. deinde, quod mihi ad conſolationem commune tecum eſt, ſi iam uocer ad exitum uitae, non ab ea rep. auellar, qua carendum eſſe doleam, praeſertim cum id ſine ullo ſenſu futurum ſit. Adiuuat etiam aetas, & acta iam uita; quae cum curſu ſuo bene confecto delectatur; tum uetat in eo uim timere, quo nos iam natura ipſa paene perduxerit. Poſtremo is uir, uel etiam ij uiri hoc bello occiderunt, ut impudentia uideatur, eandem fortunam, ſi res cogat, recuſare. Equidem mihi omnia propono: nec ullum eſt tantum malum, quod non putem impendere: ſed cum plus in metuendo mali ſit, quam in illo ipſo, quod timetur; deſino; praeſertim cum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, uerum finis etiam doloris futurus ſit. Sed haec ſatis multa, uel plura potius, quam neceſſe fuit. facit autem non loquacitas mea, ſed beneuolentia longiores epiſtolas. Seruium diſceſſiſſe Athenis, moleſte tuli. non enim dubito, quin magnae tibi leuationi ſit ſolitus eſſe quotidianus congreſſus, & ſermo cum familiariſſimi hominis, tum optimi, & prudentiſſimi uiri. Tu uelim te, ut debes, & ſoles, tua uirtute ſuſtentes. ego, quae te uelle, quaeq. ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe, diligenterq. curabo. quae cum faciam; beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non aſſequar. Vale.*

## EXPLANATIO

NON *diuturnum bellum.*} quod in Hiſpania cum Pompeij liberis Caeſar gerebat: de quo dixit in epiſtola proxima: Belli exitum uideo. NON QVO, *ſed quod difficilis erat coniectura.*} mendoſus, & fortaſſe mutilus locus. nec opem ferunt antiqui libri. unus Fuluij habet ſic: Putabam quo ego certo ſciam, ſed quod difficilis erat coniectura. alter: Putabam non quo modo, ſed quod difficilis erat coniectura. reliqui omnes, ut impreſſum eſt. Ego hic ingenio nihil aſſequor, quod probem. OMNIS *belli Mars communis,*} Incerta ſemper uictoria eſt. unde illud in oratione pro Milone: Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, Martemq. communem; qui ſaepe ſpoliantem iam, & exſultantem euertit, & pertulit ab abiecto. & pro Sextio: Nimium communem Martem, belliq. caſum metuens. & Phil. 10. Vt concedam, incertos exitus eſſe belli, Martemq. communem. De hoc genere ornamenti ſic lib. III. de Orat. Grauis eſt modus orationis, & ſaepe ſumendus: ex quo genere ſunt haec, Martem belli eſſe communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellari pro uino. &c. MAGNAE *utrimque copiae,*} Pompeianae maiores. nam in eo libro, quem de bello Hiſpanienſi uel Hirtius, uel Oppius conſcripſit, haec ſunt: Erat acies XIII. aquilis conſtituta, quae lateribus equitatu tegebatur, cum leui armatura millibus ſex. praeterea au-

rea auxiliares accedebant prope alterum tantum, noſtra praeſidia LXXX. cohortibus, & octo millibus equitum. VT, *utercumque uicerit, non ſit mirum futurum.*} hic locus corrupti ſuperioris loci ſententiam demonſtrat. INTER *uictorias*} hoc & in proxima epiſtola, & in ſuperioris libri ultima: ſed hic ratio ſubſcribitur. ALTEROS} Pompeianos. PROPEMODVM} non plane, ſed propemodum; quia, cum belli ciuilis initio Pompeiani crudeliter otioſis minati eſſent, inde licuit conijcere, quales in uictoria futuri eſſent. uide ep. 6. lib. IX. IRATVS *uictor armatus.*} Iratus ijs, qui Pompeium ſecuti eſſent. Victor: quia uictoria, etiam ſi ad meliores uenit, tamen eos ipſos ferociores impotentioresq. reddit: ut, etiam ſi natura tales non ſint, neceſsitate eſſe cogantur: multa enim uictori eorum arbitrio, per quos uicit, etiam inuito facienda ſunt. Armatus: nam, depoſitis armis armis, ita deferueſcit, & ad lenitatem animus paullatim delabitur: arma uero qui adhuc retinet, uictoria recenti, facile ijs ad caedem utitur. Ab irato, a uictore, ab armato quid non timendum? PRAETER *illam, quae tamen, ſi poſſis eam ſuſcipere, maxima eſt,*} haec eſt illa conſolatio, de qua dixit ep. 1. Praeter illam, quae tanta eſt, quantum in cuiusque animo roboris eſt, atque neruorum, ut ea uti poſsis. non enim omnes ij, qui recte uixerint, aeque conſcientia ſuſtentantur: ſed, qui fortiores animo ſunt, eo maiorem a conſcientia conſolationem capiunt. prodeſt igitur magis, aut minus conſcientia, pro cuiusque animo. EVENTVS *noſtri conſilij,*} quia uicti ſumus. CONSILIVM} quia pro rep. arma ſumpſimus. ep. 1. Quoddam nobis officium iuſtum, & pium, & debitum reip. noſtraeq. dignitati uidebatur. & ep. 5. lib. IX. Conſilij noſtri, ne ſi eos quidem, qui id ſecuti non ſunt, non paeniteret, nobis paenitendum putarem. &c. AD. FERENDVM} moderate: quod proxime dixit. eſt enim hic, Ferre, pro tolerare. EIVS} Caeſaris. QVI *tardior in te lenando fuit,*} ep. 1. Qui in te adhuc iniuſtior, quam tua dignitas poſtulabat, fuit. NON *eſt mihi dubia de tua ſalute ſententia:*} ep. 1. Signa dedit animi erga te mitigati. DE. ALIIS} de Pompeianis, ſi uicerint. eandem ſententiam poſuit in ep. 1. Ab altera uictoria tibi periculum nullum eſſe perſpicio: ab altera te ipſum numquam timuiſſe certe ſcio. & ep. 3. Si arma ualebunt; nec eos, a quibus reciperis, uereri debes, nec eos, quos adiuuiſti. QVID *ſentiam.*} cum tu quoque ſentias idem, quod ego, ab ijs tibi timendum non eſſe. PVERIS,} Manlia natis. nam, ut eſt in oratione pro Plancio, A. hic Torquatus uxorem habuit T. Torquati, fratris ſui patruelis, filiam. feminas autem gentis nomine appellari ſolitas, quis iam neſcit? FESTIVIVS.} feſtiuitas laudari ſolet in pueris. ep. 10. ad Att. lib. I. Puer feſtiuus Soſitheus deceſſerat. & pro Flacco: Materculae ſuae feſtiuus filius. Feſtiuus autem eſt, qui ſermone, & adſpectu hilaritatem excitat. & Feſtiuam librorum copiam dixit Cicero, quam cum uideret, laetabatur, & Feſtiuam picturam in Paradoxis. VT. ANTEA *ad te ſcripſi,*} initium ſignificat epiſtolae primae. ACERBIVS *eſt uidere, quam audire;*} ep. 1. Oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miſerijs cogitationem ſinunt. & ep. 13. lib. IV. AD *omnes caſus ſubitorum periculorum magis obiecti ſumus,*} uide ingenium. diuerſo modo in re diuerſa argumentatur. nam hic ad liniendum Torquati deſiderium, urbanam uitam ſubitis periculis obiectam eſſe ait: at, cum ad Marcellum ſcriberet, quem Romam redire cupiebat, tutiorem eſſe probat in urbe uitam, quam in externis, alienisq. locis. Magna, inquit, gladiatorum eſt licentia: ſed in externis locis minor etiam ad facinus uerecundia. OBIECTI} propoſiti, ut ep. 16. lib. V. LITTERAE,} uide ep. 3. lib. IV. & ep. 15. lib. V. & ep. 6. huius libri, & ep. 2. & 3. & ult. lib. IX. LONGINQVITAS *temporis*} ep. 5. lib. IV. Nullus dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. Et ep. 16. lib. V. Quod allatura eſt ipſa diuturnitas, quae maximos luctus uetuſtate tollit, id nos praeripere conſilio, prudentiaq. debemus. Quod eſt dies allatura, id conſilio anteferre debemus, neque exſpectare temporis medicinam, quam repraeſentare ratione poſsimus. Et ep. 11. ad Att. lib. XII. Conſolationum multae uiae, ſed illa rectiſsima. impetret ratio, quod dies impetratura eſt. Et ep. 28. lib. VII. Me non ratio ſolum conſolatur, quae plurimum debet ualere, ſed etiam dies, quae ſtultis quoque mederi ſolet. QVANTO *fuerim dolore, meminiſti.*} offendi ſcio Latinae linguae rudes hoc loquendi genere: quaſi mendoſum ſit, Quanto fuerim dolore: ſincerum autem, Quanto fuerim in dolore: quia ſcilicet non dicatur, Ego ſum laetitia ſed, Ego ſum in laetitia. Apte uero, & appoſite. quis enim hoc negat, Ego ſum laetitia, dolore, ſpe, Latine non dici? at illud quis negare poteſt, Ego ſum magna laetitia, magno dolore, magna ſpe, recte, & eleganter dici? Diſcant igitur uti ſimilibus exemplis, ubi refellere aliquid, aut probare conantur, nec tam facile conſenſum, auctoritatemq. ueterum omnium librorum contemnant. CETEROS,} qui pacem improbabant: non, Ceteros, omnes: nam Ser. Sulpicius, M. Marcellus, & alij pacem ſuaſerunt. ep. 1. 2. 3. 7. 9. lib. IV. QVAMVIS *iniqua condicione*} ep. ult. ſuperioris libri: Quauis tuta condicione pacem accipere malui, quam uiribus cum ualentiore pugnare. Et ep. 6. lib. III. & in epiſtola ad Pompeium lib. IIX. ad Att. Mea quae ſemper fuerit ſententia, primum de pace uel iniqua condicione retinenda, meminiſſe te arbitror. Et ad Att. ep. 5. lib. VII. CASV *factum*} ut uiderim plus, quam ceteri: ideſt, ut Caeſar uicerit: quod ego metuens, cupiebam quamuis iniqua condicione pacem. SI. IAM *uocer ad exitum uitae,*} ſi quis mihi uitam eripiat. Non loquitur de naturali morte: ſequitur enim: Vetat in eo uim timere. NON *ab ea rep. auellar, qua carendum eſſe doleam,*} eadem conſolatio ep. 17. lib. V. Illud utinam ne uere ſcriberem, ea te rep. carere, in qua neminem prudentem hominem res ulla delectet. Et infra, ep. 6. Exponerem etiam, quemadmodum hic, & quanta in turba, quantaq. in confuſione rerum omnium uiueremus. neceſſe eſt enim, minore deſiderio perdita rep. carere, quam bona. SINE *ullo ſenſu*} earum rerum, quae accidunt in uita. infra, & ep. 3. Si non ero, ſenſu omni carebo. AETAS, *& acta iam uita;*} ep. 20. Ita uiximus, & id aetatis iam ſumus. IN. EO} in morte, a

qua

qua non longe abſumus. VIM} quae a uictoribus poſsit afferri. IS. VIR,} Cn. Pompeius, tribus triumphis clarus. Argumentum a caſibus clariſsimorum uirorum: quo etiam uſus eſt ep. 6. Commemorarem, inquit, non ſolum ueterum, ſed horum etiam recentium uel ducum, uel comitum tuorum grauiſsimos caſus. leuat enim dolorem communis quaſi legis, & humanae condicionis recordatio. II. VIRI} M. Bibulus, P. & L. Lentulus, L. Domitius, Ap. Claudius, alij. IN. ILLO *ipſo, quod timetur;*} in morte. ſic ad Att. ep. XI. lib. X. Vitam miſeram, maiusq. malum, tamdiu timere, quam eſt illud ipſum, quod timetur. DOLOR *nullus,*} amiſſo ſenſu. paullo ante, & ep. 3. BENEVOLENTIA} uide initium ſuperioris epiſtolae. SERVIVM} Sulpicium, qui Achaiae praeerat. ATHENIS,} urbe eius imperij, & iurisdictionis. ep. I. PRVDENTISSIMI} ep. I. Qui te profecto & beneuolentia, & ſapientia conſolatur. TVA *uirtute*} quando Seruius diſceſsit, cuius te beneuolentia, & ſapientia ualde leuabat. Ne tamen omnem in uno Sulpicio Torquati conſolationem ſitam fuiſſe oſtenderet, ideo dixit, Vt ſoles. ita eum debita uirtutis laude non priuauit: quam tamen ei, ut in ep. I. legitur, Philargyri ſermo ademerat. Et quod hic, Virtute tua, in ep. 6. Firmitudine animi, dixit. STVDIOSE, DILIGENTERQ.} ſtudium eſt animi: diligentia re ipſa praeſtatur. BENEVOLENTIAM *tuam erga me imitabor, merita non aſſequar.*} ep. 8. lib. I. dixit, Minus faciemus, quam debemus: & ep. 4. eiusdem libri: Si uitam pro tua dignitate profundam, nullam partem uidear tuorum meritorum aſſecutus. Merita Torquati ſignificantur & in ep. I. in extremo: Ego, inquit, habeo, cui plus, quam tibi, debeam, neminem. Aſſequi plus eſt, quam Imitari. imitatur enim is, qui poſt ſequitur: aſſequitur autem, qui ad eum, quem ſequebatur, iam peruenit. utriusque uerbi uim plane Cicero expreſsit lib. I. de leg. In hiſtoria, inquit, puerile quiddam conſectatur: & unum Clitarchum, neque quemquam praeterea de Graecis, legiſſe uideatur, eum tamen uelle dumtaxat imitari: quem ſi aſſequi poſſet, aliquantulum ab optimo tamen abeſſet.

---

# Argumentum ep. 5.

*A. Caecinam, qui non modo contra Caeſarem pro Pompeio pugnauerat, uerum etiam illi, edito libro, maledixerat, patria carentem conſolatur, beneq. ſperare iubet de fortunis ſuis, ac de ſe ipſo. In extrema epiſtola pollicetur officia ſua, tamquam Caecinae meritis, & uetuſtae debita neceſſitudini. Scripta uidetur paullo ante, quam Caeſar in Hiſpaniam contra Pompeij liberos iret. nam de uiuo Marcello, & reſtituto, in ſequentibus litteris mentio fit: Marcellus autem reſtitutus eſt poſt bellum Africanum; interfectus, cum in Hiſpania pugnaretur: quod ſuo loco iam probauimus.*

## *Cicero S. D. A. Caecinae.* 5.

QVOTIESCVMQVE *filium tuum uideo, (uideo autem fere quotidie) polliceor ei ſtudium quidem meum, & operam ſine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis; gratiam autem, atque auctoritatem cum hac exceptione, quantum ualeam, quantumq. poſſim. Liber tuus & lectus eſt, & legitur a me diligenter, & cuſtoditur diligentiſſime. Res, & fortunae tuae mihi maximae curae ſunt: quae quidem quotidie faciliores mihi, & meliores uidentur: multisq. uideo magnae eſſe curae: quorum de ſtudio, & de ſua ſpe filium ad te perſcripſiſſe certo ſcio. ijs autem de rebus, quas coniectura conſequi poſſumus, non mihi ſumo, ut plus ipſe proſpiciam, quam te uidere, atque intelligere mihi perſuaſerim. ſed tamen, quia fieri poteſt, ut tu ea perturbatiore animo cogites, puto eſſe meum, quid ſentiam, exponere. Ea natura rerum eſt, & is temporum curſus, ut non poſſit iſta aut tibi, aut ceteris fortuna eſſe diuturna, neque haerere in tam bona cauſſa, & in tam bonis ciuibus tam acerba iniuria. Quare ad eam ſpem, quam extra ordinem de te ipſo habemus, non ſolum propter dignitatem, & uirtutem tuam, (haec enim ornamenta ſunt tibi etiam cum alijs communia) accedunt tua praecipua, propter eximium ingenium, ſummamq. uirtutem: cui mehercule hic, cuius in poteſtate ſumus, multum tribuit. itaque ne punctum quidem temporis in iſta fortuna fuiſſes, niſi eo ipſo bono tuo, quo delectatur, ſe uiolatum putaſſet. quod ipſum lenitur quotidie: ſignificaturq. nobis ab ijs, qui ſimul cum eo uiuunt, tibi hanc ipſam opinionem ingenij apud ipſum plurimum profuturam. Quapropter primum fac animo forti, atque magno ſis. ita enim natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiam cognitus, ut tibi id faciendum ſit. deinde ſpem quoque habeas firmiſſimam propter eas cauſſas, quas ſcripſi. a me uero tibi omnia, liberisq. tuis paratiſſima eſſe confidas uelim. id enim & uetuſtas noſtri amoris, & mea conſuetudo in meos, & tua multa erga me officia poſtulant. Vale.*

EXPLA-

# EXPLANATIO

CAECINAE.} cognomen eſt Liciniae gentis, ut oſtendit Plinius lib.xx.cap.18.Caecina uero ex Etruria Romam uenit, ut epiſtola ſequenti, & oratione pro illo habita, quae exſtat, intelligitur. & uidetur hoc accepiſſe cognomen a Caecina, Volaterrani agri fluuio, quem nominat Plinius lib. III. cap. 5. nam & Caecinam Volaterranum, idem Plinius appellat lib.x.cap.24. & Tiberius praenomen a Tiberi fluuio, deductum crediderim, & Aufidius, atque Aternius, quae Romanorum gentium nomina fuere, & a fluuijs Aufido, & Aterno, non Aufido, qui eſt in Apulia, apud quem natus eſt Horatius poeta, ſed eo, qui fluit ad Pontinas paludes. Aternus autem, qui hodie Peſcara dicitur, Veſtinos diuidit a Marrucinis, ortus in agro Amiternino. Huius Caecinae uxor Caeſennia nominatur in oratione, quae illum moriens ex deunce & ſemuncia heredem reliquit. Caecina, & unica n ſcribo, & ſecunda ſyllaba producta, & Porcina, Catelina, Aruina, Spurina, Hemina: quibus Romanae cognominibus uſae ſunt. id tritum quoque ueterum lapidum teſtimonio comprobatur. FILIVM *tuum*} non e Caeſennia natum, ſed ex priore uxore: quod ex oratione licet conijcere. VIDEO *autẽ fere quotidie*,} de hoc genere ornamenti, quod fit uerbo repetito, diximus ep.1.lib.1.in eo: Si qui ſunt, qui regis cauſſa uelint, qui pauci ſunt. huius generis, & illud eſt ep.17.lib.IX. Fiet quodcumque uolent, qui ualebunt: ualebunt autem ſemper arma. QVANTVM *ualeam*,} parum ſe ualere oſtendit ep. I. Qui ſim hoc tempore, intelligo. & ep. 13. lib. IV. ut alia loca omittantur, quae multa ſunt. LIBER} quo Caeſarem laudabat, ut ep.7. nam ille, quo male dixit, antea ſcriptus erat. CVSTODITVR} ſcripſerat enim Caecina ep.7. Filius, ut audio, pertimuit, neque iniuria ſi liber exiſſet; quando non tam intereſt, quo animo ſcribatur, quam quo accipiatur; nec ea res inepte mihi noceret. Et in eiuſdem epiſtolae clauſula: Peto a te, ne liber exeat; aut ita corrigas, ne mihi noceat. Nec dubito, quin haec epiſtola poſt illam ſcripta ſit. NON *mihi ſumo, ut plus ipſe proſpiciam, quam te uidere, atque intelligere mihi perſuaſerim.*} ſolet, cum de futuris rebus loquitur, arrogantia ſuſpicionem uitare, communicata prudentiae laude cum eo, ad quem ſcribit: ut ep.16.lib.2. Non eam cognoui aciem ingenij tui, quod ipſe uideam, te id ut non putem uidere. & ep.3. huius libri: Nec uero quidquam uideo, quod non idem te uidere certo ſciam. QVIA *fieri poteſt, ut tu ea perturbatiore animo cogites*;} ſimili excuſatione Sulpicius ep.IV.lib.12. auertit a ſe culpam arrogantiae, cum Ciceronem conſolari uellet. Quae, inquit, mihi in mentem uenerunt, decreui breui ad te perſcribere: non quod ea te fugere exiſtimem; ſed quod forſitan, dolore impeditus, minus ea perſpicias. EA *natura rerum*} quia nihil idem eſſe diu poteſt. TEMPORVM} ciuilium. Rerum hoc natura, & ciuilium temporum non patietur, ait in epiſtola ſequente. TAM BONA *cauſſa*,} ſuſcepta pro communi libertate. INIVRIA.} ſic ad Meſcinium ep. ult. ſuperioris libri: Intellexi, quam fortiter iniuriam ferres. ep. 10. lib. VI. bis. QVAM *etra ordinem de te ipſo habemus*,} praecipuam non eandem, quam habemus de alijs, qui patria carent. Hic quaero, quibus cauſsis adductus Cicero ſpem haberet extraordinariam de Caecina. non enim ob ingenium, & uirtutem, quae paullo poſt nominantur, ſpem de ipſo praecipuam ceperat: ſed illa dixit ad eam ſpem accedere, quam extra ordinem iam habebat. itaque aliae cauſſae, praeter ingenium, & uirtutem, quaerendae ſunt, quae ſpem extraordinariam efficerent. quae quoniam occurrunt nullae, dicendum eſt, cum Cicero ſcripſit, Quam extra ordinem de te ipſo habemus, ſignificaſſe eam ipſam ſpem, quam haberet ob illius ingenium, & uirtutem, non ullam, quae, ſine ingenij, & uirtutis acceſsione, extraordinaria eſſet, ut hoc dixerit: accedunt ad ſpem, ut extraordinaria ſit, ingenium, & uirtus: accedunt autem praeter illa, quae tibi ſunt cum aliis communia. DIGNITATEM, *& uirtutem tuam*,} nota dignitas eſt, uirtus autem dupliciter accipitur, pro quadam naturae praeſtantia, etiam ſine doctrina & pro ipſa doctrina: pro naturae praeſtantia, hic: & in oratione pro Archia: Multos homines excellenti animo, ac uirtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturae ipſius habitu prope diuino, per ſe ipſos & moderatos, & graues exſtitiſſe fateor: etiam illud adiungo, ſaepius ad laudem, atque uirtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura ualuiſſe doctrinam. Doctrina uero uirtutis nomine paullo poſt demonſtratur, in eo, Propter eximium ingenium, ſummamq. uirtutem. uide ep. 4. lib. IV. & 27. lib. XIII. ACCEDVNT *tua praecipua*,} haec ego libenter, atque etiam quae ſequuntur, Propter eximium ingenium, ſummamq. uirtutem, parentheſi ſuperiore includerem, ut poſt communia multorum ornamenta, ſtatim praecipua Caecinae ſubijcerentur. Sed hoc uidetur fieri non poſſe propter illud, Ad eam ſpem: quod ad aliquod uerbum referri neceſſe eſt. Omnino carere locum mendo uix crediderim: aut, ſi modo uacat, erit ex eo genere, quod Pedianus habere ſoloeciſmi ſpeciem, in Cicerone interdum notauit. MEHERCVLE} cum ex ueteribus libris alij, Mehercule, alij, Mehercules, habeant; malui Mehercule, ipſius Ciceronis auctoritate cõmotus, apud quẽ in Orat. ita ſcriptum eſt: Pomeridianas quadrigas, quã Poſtmeridianas, libentius dixerim, & Mehercule, quam Mehercules. CVIVS *in poteſtate ſumus*,} ep.7. lib. IV. Cogitare deberes, te fore in eius ipſius, quem fugeres, poteſtate. Varie ſummã Caeſaris poteſtatem oſtendit, duobus quidem modis in ea, quam proxime appellauimus, epiſtola: Penes quem eſt poteſtas: &, Qui tenet remp. in epiſtola uero octaua eiuſdem libri, Qui omnia tenet: in nona, Omnia delata ad unum ſunt: in decimatertia, Qui plurimum poteſt. EO *ipſo bono tuo*,} Caecinae ingenio. in epiſtola ſequenti: Mirifice ingenijs excellentibus, quale eſt tuum, delectatur. VIOLATVM} quia Caecina in Caeſarem ſcripſerat. ep.7. & Suetonius, ubi de Caeſaris moderatione, ac clementia loquitur, A. Caecinae, inquit, criminoſiſsimo libro laceratam exiſtimationem

tionem

tionem ſuam ciuili animo tulit. QVOD *ipſum lenitur*} haec ipſa ira, quam commouit in Caeſarem liber tuus, quotidie ſedatur. NATVS,} patre nobiliſsimo; ut in epiſtola ſequenti. COGNITVS,} durior eſt condicio ſpectatae uirtutis, quam incognitae, inquit M.Brutus in epiſtola ad Ciceronem. ſimile illud ep.6.lib.I. Praeſta te eum, qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus. Nec alienus eſt ab hac ſententia, quod legitur ep.14.lib.IX. Nec licet quidem tibi iam, tantis rebus geſtis, non tui ſimilem eſſe. VETVSTAS *noſtri amoris*,} quippe cum etiam eius patre familiariſsime ſit uſus. uide ep. 66.lib.XIII.

---

# Argumentum ep. 6.

*EXcuſat litterarum tarditatem: tum inducit diuinationem quandam, e Caeſare ipſo, & rerum, temporumq. natura ſumptam: poſtremo conſolatur eum propoſita fortitudinis laude, conſcientia recte factorum, delectatione litterarum, calamitate ducum, uel recentium, uel ueterum, perturbatione rep. Eodem anno, atque etiam ante proximam ſuperiorem.*

## *Cicero S. D. Caecinae. 6.*

VEREOR, *ne deſideres officium meum, quod tibi pro noſtra & meritorum multorum, & ſtudiorum parium coniunctione deeſſe non debet: ſed tamen uereor, ne litterarum a me officium requiras: quas tibi & iampridem, & ſaepe miſiſſem; niſi, quotidie melius exſpectans, gratulationem, quam confirmationem animi tui, complecti litteris maluiſſem. nunc autem, ut ſpero, breui gratulabimur: itaque in aliud tempus id argumentum epiſtolae differo. his autem litteris animum tuum, quem minime imbecillum eſſe & audio, & ſpero, etſi non ſapientiſſimi, at amiciſſimi hominis auctoritate confirmandum etiam atque etiam puto, nec ijs quidem uerbis, quibus te conſoler ut afflictum, & iam omni ſpe ſalutis orbatum, ſed ut eum, de cuius incolumitate non plus dubitem, quam te memini dubitare de mea. nam, cum me ex republica expuliſſent ij, qui illam cadere poſſe, ſtante me, non putarunt: memini me ex multis hoſpitibus, qui ad me ex Aſia, in qua tu eras, uenerant, audire, te de glorioſo, & celeri reditu meo confirmare. ſi te ratio quaedam Etruſcae diſciplinae, quam a patre, nobiliſſimo, atque optimo uiro, acceperas, non fefellit: nec nos quidem noſtra diuinatio fallet, quam tum ſapientiſſimorum uirorum monumentis, atque praeceptis, plurimoque, ut tu ſcis, doctrinae ſtudio, tum magno etiam uſu tractādae reipublicae, magnaq. noſtrorum temporum uarietate conſecuti ſumus. cui quidem diuinationi hoc plus confidimus, quod ea nos nihil in his tam obſcuris rebus, tamq. perturbatis umquam omnino fefellit. dicerem, quae antea futura dixiſſem, ni uererer, ne ex euentis fingere uiderer. ſed tamen plurimi ſunt teſtes, me & initio, ne coniungeret ſe cum Caeſare, monuiſſe Pompeium, & poſtea, ne ſeiungeret. coniunctione frangi ſenatus opes, diſiunctione ciuile bellum excitari uidebam. atque utebar familiariſſime Caeſare, Pompeium faciebam plurimi: ſed erat meum conſilium cum fidele Pompeio, tum ſalutare utrique. quae praeterea prouiderim, praetereo. nolo enim hunc, de me optime meritum exiſtimare, ea me ſuaſiſſe Pompeio, quibus ille ſi paruiſſet, eſſet hic quidem clarus in toga, & princeps, ſed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet. Eundum in Hiſpaniam cenſui. quod ſi feciſſet, ciuile bellum nullum omnino fuiſſet. rationem haberi abſentis non tam pugnaui ut liceret, quam ut, quando, ipſo conſule pugnante, populus iuſſerat, haberetur. cauſſa belli orta eſt: quid ego praetermiſi aut monitorum, aut querellarum? cum uel iniquiſſimam pacem iuſtiſſimo bello anteferrem. uicta eſt auctoritas mea non tam a Pompeio, (nam is mouebatur) quam ab ijs, qui, duce Pompeio freti, peropportunam & rebus domeſticis, & cupiditatibus ſuis illius belli uictoriam fore putabant. ſuſceptum bellum eſt, quieſcente me, depulſum ex Italia, manente me quoad potui. ſed ualuit apud me plus pudor meus, quam timor. ueritus ſum deeſſe Pompeij ſaluti, cum ille aliquando non defuiſſet meae. itaque uel officio, uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut in fabulis Amphiaraus, ſic ego prudens, & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus. quo in bello nihil aduerſi accidit non praedicente me. Quare, quando, ut augures, & aſtrologi ſolent, ego quoque augur publicus ex meis ſuperioribus praedictis conſtitui apud te auctoritatem augurij, & diuinationis meae, debet habere fidem noſtra praedictio. non igitur ex alitis uolatu, nec e cantu ſiniſtro oſcinis, ut in noſtra diſciplina eſt, nec e tripudijs ſolliſtimis, aut ſomnijs tibi auguror: ſed habeo alia ſigna, quae obſeruem: quae etſi non ſunt certiora illis, minus tamen habent uel obſcuritatis, uel erroris. Notantur autem mihi ad diuinandum ſigna duplici quadam uia: quarum alteram duco e Caeſare ipſo, alteram e temporum ciuilium natura, atque ratione. In Caeſare haec ſunt, mitis, clemensq. natura, qualis exprimitur praeclare illo libro querellarum tuarum. accedit, quod mirifice ingenijs excellentibus, quale eſt tuum, delectatur. praeterea, cedit multorum iuſtis, & officio incenſis, non inanibus, aut ambitioſis uoluntatibus. in quo uehementer eum conſentiens Etruria mouebit. Cur haec igitur adhuc parum profecerunt? Quia non putat ſe ſuſtinere cauſſas poſſe multorum, ſi tibi, cui iuſtius uidetur iraſci poſſe, conceſſerit. Quae eſt igitur, inquies,*

ſpes

*ſpes ab irato? Eodem fonte ſe hauſturum intelligit laudes ſuas, e quo ſit leuiter adſperſus. poſtremo, homo eſt ualde acutus, & multum prouidens: intelligit, te, hominem in parte Italiae minime contemnenda facile omnium nobiliſſimum, & in communi rep. cuiuis ſummorum tuae aetatis uel ingenio, uel gratia, uel fama populi R. parem, non poſſe prohibere a rep. diutius. nolet hoc temporis potius eſſe aliquando beneficium, quam iam ſuum. Dixi de Caeſare: nunc dicam de temporum, rerumq. natura. Nemo eſt tam inimicus ei cauſſae, quam Pompeius animatus melius, quam paratus, ſuſceperat, qui nos malos ciues dicere, aut homines improbos audeat. in quo admirari ſoleo grauitatem, & iuſtitiam, & ſapientiam Caeſaris: numquam niſi honorificentiſſime Pompeium appellat. at in eius perſonam multa fecit aſperſius. armorum iſta, & uictoriae ſunt facta, non Caeſaris. at nos quemadmodum eſt complexus? Caſſium ſibi legauit: Brutum Galliae praefecit, Sulpicium Graeciae: Marcellum, cui maxime ſuccenſebat, cum ſumma illius dignitate reſtituit. Quo igitur haec ſpectant? rerum hoc natura, & ciuilium temporum non patietur: nec manens, nec mutata ratio feret, primum ut non in cauſſa pari eadem ſit & condicio, & fortuna omnium; deinde ut in eam ciuitatem boni uiri, & boni ciues, nulla ignominia notati, non reuertantur, in quam tot, neſariorum ſcelerum condemnati, reuerterunt. Habes augurium meum. quo, ſi quid addubitarem, non potius uterer, quam illa conſolatione, qua facile fortem uirum ſuſtentarem, te, ſi explorata uictoria arma ſumpſiſſes pro rep. (ita enim tum putabas) non nimis eſſe laudandum; ſin propter incertos exitus, euentuſq. bellorum poſſe accidere, ut uinceremur, putaſſes; non debere ad ſecundam fortunam bene paratum fuiſſe, aduerſam ferre nullo modo poſſe. Diſputarem etiam, quanto ſolatio tibi conſcientia tui facti, quantae delectationi in rebus aduerſis litterae eſſe deberent. commemorarem non ſolum ueterum, ſed horum etiam recentium uel ducum, uel comitum tuorum grauiſſimos caſus. etiam externos multos claros uiros nominarem.* LEVAT *enim dolorem communis quaſi legis, & humanae condicionis recordatio. Exponerem etiam, quemadmodum hic, & quanta in turba, quantaq. in confuſione rerum omnium uiueremus. neceſſe eſt enim minore deſiderio perdita rep. carere, quam bona. ſed hoc genere nihil opus eſt. incolumem te cito, ut ſpero, uel potius ut perſpicio, uidebimus. Interea tibi abſenti, & huic, qui adeſt, imagini animi, & corporis tui, conſtantiſſimo, atque optimo filio tuo ſtudium, officium, operam, laborem meum iam pridem & pollicitus ſum, & detuli, nunc hoc amplius, quod me amiciſſime quotidie magis Caeſar amplectitur, familiares quidem eius ſicuti neminem. apud quem quidquid ualebo uel auctoritate, uel gratia ualebo tibi. Tu cura, ut cum firmitudine te animi, tum etiam ſpe optima ſuſtentes. Vale.*

## EXPLANATIO

MERITORVM *multorum & ſtudiorum parium*} ep.66. lib. 13. Caecinam appellat hominem omnibus ſecum ſtudijs, officijsq. coniunctiſsimum. Hic uel ſtudia litterarum ſignificantur, ut ep.15. lib.v. Vetuſtas eſt, amor, conſuetudo, ſtudia paria: uel etiam ſtudia in remp. quia fuerat uterque in praeſidijs Pompeij, pro cauſſa optimatum, ideſt reip. Antea legebatur, Et ſtudiorum, & partium. placuit eorum ſententia, qui, Studiorum parium, ope aliqua ueteris libri, repoſuerunt. SED *tamen uereor,*} etiam ſi deeſſe tibi non debere intelligas officium meum; tamen uereor, ne litterarum a me officium requiras. EXPVLISSENT} Clodiana tempora ſignificat, nec magis ipſum Clodium, quam Caeſarem, Pompeium, Craſſum tacite carpit: qui omnes, pulſo Cicerone, facilius aditum ſibi ad peſsima quaeque parari poſſe crediderunt. uide orationem pro Sextio. QVI *illam cadere poſſe, ſtante me, non putarunt:*} Maior in priuato ciue uirtutis fieri ſignificatio non poteſt, quam ſi fortunam illius cum reip. fortuna coniunctam eſſe dicamus. quod de Camillo Romana, de Epaminonda Graeca prodit hiſtoria: illo in exſulium pulſo, urbem a Gallis captam; reſtituto, liberatam: hoc uiuo Thebanos imperaſſe, qui antea ſeruierant; mortuo, ijſdem ſeruire coactos, quibus antea imperauerant. Eandem laudem tribuit Iſocrates Alcibiadi ἐν τῷ περὶ ζεύγους: Οὐχ ἡγοῦντο οὐδὲν οἷόν τ' εἶναι κινεῖν τῶν καθεστώτων, πρὶν ἐκποδὼν ἐκεῖνος αὐτοῖς γένοιτο. Ideſt: Non putarunt, ulla ex parte mutari ſtatum reip. poſſe, niſi de medio tolleretur. Quam ſententiam aut imitari uoluit Cicero gloriae ſuae fauens, aut, Iſocratis fortaſſe legendi conſuetudine, uel etiam ingenij felicitate quadam, in eam incurrit, cum et haec ſcripſit, & illa in ep.2. lib.7. Cum omnis reſp. in meo capite diſcrimen eſſet habitura, magnum quiddam ſpectauit, nec ſua ſponte, ſed eorum auxilio, qui, me ſtante, ſtare non poterant. IN *qua tu eras,*} negotiationis: fortaſſe cauſſa. nam, ep.8. Conſilium, inquit, petis, quid ſim tibi auctor, in Sicilia ne ſubſidam, an ut ad reliquias Aſiaticae negotiationis proficiſcare. Nec dubito, quin eandem negotiationem ſignificet, cum ad Seruilium, qui Aſiae praeerat, Caecinam his uerbis commendat: Te rogo, atque oro, ut eum in reliquijs ueteris negotiationis colligendis iuues. GLORIOSO,} quid glorioſius, quam ab uniuerſa rep. reuocari, promulgantibus omnibus, referente conſule, comitijs centuriatis, ordinibus, hominibusq. incumbẽtibus? quod ipſe gloriatur ep.9. lib.1. maximeq. in orationibus poſt reditum. CELERI} redijt poſt menſes. XVII. nam uidetur diſceſsiſſe extremo menſe Martio, ut ex epiſtolis ad Att. lib. III. cognoſcitur: in urbem autem anno ſequenti eſt ingreſſus pridie non. Sep. quod indicat epiſtola prima lib. IV. ad eundem. nam quod Plutarchus, & Appianus eum redijſſe decimo ſexto exulij menſe dixerunt; fortaſſe non ad tempus, quo urbem intrauit, ſed ad illud, quo in Italiam uenit, ſpectarunt. ETRVSCAE} diuinandi ratio ab Etruſcis in urbem inducta. lib.1. de Diu. & lib.2. de nat. de. & Valerius Max. lib.1. cap.1. A PATRE,} ep. ad Furfanum, infra, & ep.66. lib. XIII. MONVMENTIS, *atque praeceptis,*} non ſignificat libros: nam de his proxime ſubiunxit, Plurimo doctrinae ſtudio: quid igitur? monita ipſa, & documenta. ep.1. lib. IV. NOSTRORVM *temporum uarietate*} exſulio miſerrimo, &

mo, & reditu glorioſiſsimo. Nam uarietas temporũ & aduerſam, & ſecundam fortunam ſignificat. ep. 29. lib. XIII. Notae tibi ſunt uarietates meorum temporum. in omni genere & honorum, & laborum meorum & animus, & opera, & auctoritas, & gratia Capitonis praeſto fuit. IN. HIS *tam obſcuris rebus*,} cum ex nimia Caeſaris potentia, cuius auctor, adiutorq. maxime Pompeius fuit, ciuile bellum, & ea, quae acciderunt, futura praedixi. MONVISSE *Pompeium*,} Phil. 2. Mea illa uox eſt nota multis: Vtinam, Cn. Pompei, cum C. Caeſare ſocietatem aut numquam coiſſes, aut numquam diremiſſes. POMPEIVM *faciebam plurimi*;} ep. 15. lib. 2. Caeſarem honeſtum eſſe cupio: pro Pompeio emori poſſum. & ep. 2. ad Att. lib. IIX. Pro Pompeio libenter emori poſſum; facio pluris omnium hominum neminem. FIDELE *Pompeio*,} ut fides amicitiae debita poſtulabat. ep. 16. lib. 2. SALVTARE *utrique*.} de Pompeio uere dictum, qui ciuili bello uitam amiſerat. ſed ait, Salutare utrique, quod ad utriuſque ſalutem ſpectaret. utrique enim amicus erat: quod proxime dixit. PROVIDERIM,} non eſt hic, Prouiderim, pro Proſpexerim, ut ep. 4. Interdum coniectura poſsis propius accedere, cum res eſt eiuſmodi, cuius exitus prouideri poſsit: ſed pro, operam dederim, ne acciderent: quod ſequentibus uerbis oſtenditur. ſic ep. 10. Quae ſunt in fortuna, temporibus regentur, & conſilijs noſtris prouidebuntur. HVNC,} Caeſarem. EA. ME *ſuaſiſſe Pompeio*,} quae ſuaſerit, ipſe exponit Phil. 2. his uerbis: Duo tempora inciderunt, quibus aliquid contra Caeſarem Pompeio ſuaſerim: unum, ne quinquennij imperium Caeſari prorogaret; alterum, ne pateretur ferri, ut abſentis eius ratio haberetur. quorum ſi utrumuis perſuaſiſſem, in has miſerias numquam incidiſſemus. TANTAS *opes*,} tantam potentiam. Opes enim non plane diuitiae ſunt, ſed totum illud, quo ualemus. ep. 13. lib. IV. Aliorum opibus caſus meos ſuſtentabam. EVNDVM} a Pompeio: cui lege Trebonia in quinquennium utraque Hiſpania, Craſſo uero Syria data erat. Ep. 11. lib. XVI. Feruntur omnimo condiciones ab illo, ut Pompeius eat in Hiſpaniam. Caeſar lib. I. bel. ci. Plutarchus, Appianus, Dio, alij. CIVILE *bellum nullum omnino fuiſſet*,} nam Caeſar condicionem hanc ferebat; uelle ſe, ſi Pompeius in Hiſpaniam iret, in urbem uenire, & praeſentem petere conſulatum, non abſentem, ut ei lex concedebat, ipſo Pompeio tertium conſule adnitente lata. ep. XI. lib. XVI. & Caeſar lib. I. de bel. ci. & alij. RATIONEM *haberi abſentis*,} permitti, ut abſens Caeſar conſulatum petere poſſet. NON. TAM *pugnaui ut liceret*,} non ego, ut hoc liceret, pugnaui, (nam ipſe Pompeius tertium conſul, ut liceret, pugnauerat, atque effecerat) ſed ut, quoniam iam licebat, eius ratio haberetur. cur enim, quod populus iuſſerat, non probarem? Hac de re Suetonius hoc modo: Caeſar ſenatum litteris deprecatus eſt, ne ſibi beneficium populi adimeretur, aut ceteri quoque imperatores ab exercitibus diſcederent. In epiſtola ad Caeſarem, lib. IX. ad Att. Iudicaui te eo bello uiolari, contra cuius honorem, populi Romani beneficio conceſſum, inimici, atque inuidi niterentur. IPSO *conſule*} Ipſo Pompeio, tertium conſule. ep. 3. ad Att. lib. IIX. Tertio conſulatu contendit Pompeius, ut decem tribuni pl. ferrent, ut abſentis ratio haberetur. quod idem ipſe ſanxit lege quadam ſua. Et Suetonius in Caeſare: Cum ſenatus unum conſulem, nominatimq. Cn. Pompeium fieri cenſuiſſet, egit cum tribunis pl. collegam ſe Pompeio deſtinantibus, id potius ad populum ferrent, ut abſenti ſibi, quandocumque imperij tempus expleri coepiſſet, petitio ſecundi conſulatus daretur: ne ea cauſſa maturius, imperfecto adhuc bello, decederet. PVGNANTE,} Contendit, dixit in ep. 3. lib. IIX. ad Att. in tertia uero ad eundem lib. VII. Cur, inquit, tantopere pugnatum eſt, ut de eius abſentis ratione habenda decem tribuni pl. ferrent? Eſt autem plus, Pugnante, quam Adnitente. ep. 32. lib. VII. Pugna, ſi me amas, ut ſacramento contendas mea non eſſe. POPVLVS *iuſſerat*,} iubet populus, decernit ſenatus, & iubere populus dicitur, cum legem, a magiſtratu latam, ſuffragijs comprobat. iuſſerat autem populus, ferentibus decem tribunis pl. CAVSSA *belli orta eſt*:} cum Pompeius, & eius amici rationem abſentis Caeſaris in petitione conſulatus haberi nollent; Caeſar, quod ei populus dederat, id ſeruari uellet. CVM. VEL *iniquiſſimam pacem iuſtiſſimo bello anteferrem*.} idem ep. 4. huius libri, & ultima ſuperioris libri, & ad Att. ep. 14. lib. VII. Ad pacem hortari non deſino: quae uel iniuſta utilior eſt, quam iuſtiſsimum bellum. NAM. IS *mouebatur*,} reſpondit Pompeius ad condiciones Caeſaris honorifice, & large: ſed eius amici armis diſceptari maluerunt. ep. XI. ad Att. lib. IIX. REBVS *domeſticis*,} ob aes alienum: cuius diſſoluendi ſpe, ciuile bellum exoptabant. Videtur ſignificare L. Lentulum conſulem, P. Scipionem Pompeij ſocerum, Fauſtum, Sullae filium, Libonem, quem Sex. Pompeij ſocerum Dio uocat. de Lentulo ſic Caeſar lib. I. bel. ci. Lentulus aeris alieni magnitudine mouetur. De Scipione, Fauſto, Libone ep. 9. lib. IX. ad Att. Quid tu illuc Scipionem, quid Fauſtum, quid Libonem praetermiſſurum ſceleris putas? quorum creditores conuenire dicuntur. Eoſdem notat ep. 3. lib. VII. Maximum aes alienum ampliſsimorum uirorum. CVPIDITATIBVS} honorum, opumq. comparandarum: cum ſe praefuturos exercitibus, ac prouincijs exiſtimarent. QVIESCENTE *me*:} rebus gerendis intereſſe Cicero noluit. ep. 7. lib. IV. Neque tu multum interfuiſti rebus gerendis; & ego id ſemper egi, ne intereſſem. ep. XI. lib. XVI. Ego adhuc maius negotium ſuſcipere uolui; quo plus apud illum meae litterae, cohortationesq. ad pacem ualerent. Et ep. XI. ad Att. lib. VII. Ego negotio praeſum non turbulento: uult enim me Pompeius eſſe, quem tota haec Campana, & maritima ora habeat ἐπίσκοπον. In epiſtola ad Caeſarem, lib. IX. ad Att. Sumptis armis, belli nullam partem attigi. POTVI.} Quo ad ſermones bonorum, me reprehendentium, ſuſtinere potui. ep. I. ad Att. lib. IX. Audio bonis uiris hanc cunctationem noſtram non probari, multaq. in me, & ſeuere, in conuiuijs tempeſtiuis quidem diſputari. Et ad eundem ep. 2. eiuſdem libri: Eundum eſt, nec tam ut belli, quam ut fugae ſocij ſimus. nec enim ferre potero ſermones iſtorum, quicumque ſunt: non ſunt enim certe, ut appellantur, boni. PVDOR

*meus*,

*meus*, } ep. 3. lib. VII. Pudori malui, famaeq. cedere, quam ſalutis meae rationem ducere. QVAM *timor*. } exitij mei: cum imparatum Pompeium, Caeſarem paratiſsimum ab ijs rebus, quibus uictoria quaeritur, uiderem. ep. 1. Si mihi alterutrum de euentu, atque exitu rerum promittendum eſſet, id futurum, quod euenit, exploratius poſſem promittere. ALIQVANDO } cum ab exſulio me reſtituit. OFFICIO } patriae debito. ep. 1. Quoddam nobis officium iuſtum, & pium, & debitum reip. noſtraeq. dignitati uidebatur. Et ep. 3. lib. VII. Si manerem in Italia; uerebare, ne officio deeſſem: ſi proficiſcerer ad bellum; periculum te meum commouebat. pudori tamen malui, famaeq. cedere, quam ſalutis meae rationem ducere. FAMA *bonorum*, } ne uituperarer a bonis. quid boni de me ſentirent, ac loquerentur, laboraui. eoq. in Graeciam ad Pompeium tranſiui. Paullo poſt, Fama populi R. eadem ſententia dixit. VT. IN *fabulis Amphiaraus*, } poetae fingunt, uatem Amphiaraum, cum uideret ſe interiturum, ſi ad bellum Thebanum iret, latitaſſe, uxore tantum conſcia: eam, accepto monili aureo, uirum indicaſſe: itaque coactum ire cum ceteris, hiatu terrae abſorptum. Diodorus Siculus lib. V. Pauſanias, Statius, alij, Cicero lib. I. de Inu. & in Verrem, Seruius in illud Virg. lib. VI. Maeſtumq. Eriphylen

Crudelis nati monſtrantem uulnera cernit.

AD. PESTEM *ante oculos poſitam* } quia fore uidebam, ut Pompeius uinceretur. in oratione pro Marcello: Tantum apud me grati animi fidelis memoria ualuit, ut nulla non modo cupiditate, ſed ne ſpe quidem prudens & ſciens tamquam ad interitum ruerem uoluntarium. EX. ALITIS *uolatu, nec e cantu ſiniſtro oſcinis*, } ſic omnes mei ueteres libri. & Cicero, cum hac ipſa de re loqueretur, lib. I. de Diuin. Cilicum, ait, & Piſidarum gens, & Pamphylia, uolatibus auium, cantibusque certiſsimis ſignis, declarari res futuras putant. Et ibidem lib. 2. Quae eſt natura, quae uolucres huc & illuc paſsim uagantes, efficiat, ut ſignificent aliquid, & tum uetent agere, tum iubeant, aut cantu, aut uolatu? Feſtus quoque, ubi de uolucribus auſpicium facientibus loquitur, ſemel in uerbo, Alites, iterum in Oſcines, Volatum appellat. Nec Cicero umquam, aut alius quiſquam ex ijs, quorum ſcripta exſtant, aliter, quam Volatus, uocauit. Nec uero, Inuolare, idem eſt, quod uolare, ſed intro uolare. at hoc particulare uerbum in alites auſpicium uolatu facientes non conuenit; quae non inuolant modo, ut auſpicium faciant, ſed auolant etiam, aut praeteruolant. nec mihi quidem occurrunt inuolantium exempla: nec dubito, ſi modo ſunt, quin rara admodum ſint. Cum igitur ad antiquorum librorum auctoritates accedat conſuetudo Latini ſermonis, Volatu, placet; Inuolatu, probare uix poſſum. Venio ad ſententiam. Alitum uolatu, & oſcinum cantu, aut tripudijs auſpicium fieri, ueteres opinabātur, auesq. ab alitibus diſtinguebāt: ut aues eſſent, quae ore canentes auſpicium facerent; alites, quae cātu. Feſtus: Oſcines aues Appius Claudius eſſe ait, quae ore canentes faciant auſpicium, ut coruus, cornix, noctua: alites, quae alis, ac uolatu, ut buteo, ſanqualis, aquila, immiſſulus, uulturius. Picus autem Martius, Feroniusq. & Parra, & in oſcinibus, & in alitibus habentur. Cantu ſiniſtro, pro laeto, & proſpero, dixit. Feſtus: Siniſtrae aues, ſiniſtrumq. eſt ſiniſtimum auſpicium, ideſt, quod ſinat fieri. Varro lib. V. epiſtolicarum quaeſtionum ait: A deorum ſede cum in meridiem ſpectes, ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes. factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextra, eſſe exiſtimentur. Idem fere ſentiunt Sinnius Capito, & Cincius. Eſt etiam apud Varronem lib. VI. de ling. Lat. Quae ſiniſtra ſunt, bona auſpicia exiſtimantur. a quo dicuntur comitia, aliud ue quid indici aue ſiniſtra. Inde natum, ut, quaecumque boni ominis eſſent, etiamſi a dextra cernerentur, ſiniſtra tamen uocarentur. Cicero lib. 2. de Diuin. Haud ignoro, quae bona ſint, ſiniſtra nos dicere, etiamſi dextra ſint. Exempla habemus lib. III. de leg. Aue ſiniſtra dictus, populi magiſter eſto. Et in Plauti Pſeu. Omnes ordines ſub ſignis ducam, legiones meas aui ſiniſtra, auſpicio liquido. Et hic, Cantu ſiniſtro oſcinis. non enim de cantu a laeua tantum parte exaudito accipiendum eſt, uerum de omni proſpero cantu, ſiue a laeua, ſiue a dextra fieret: cum omnia proſpera, ut dixi iam, uocarentur Siniſtra. Oſcines erant picus, cornix, coruus; at picus, & cornix a laeua, coruus porro a dextra conſuadent. Et Cicero lib. 2. de Diuin. Cur alijs a dextra, alijs a laeua datum eſt auibus, ut ratum auſpicium facere poſſint? Quare, cum hic de proſpera Caecinae fortuna Cicero auguretur; nec ſiniſter cantus auſpicium proſperum ſemper oſtendat: ſic intelligendum, quaſi dixerit: nec e cantu proſpero earum auium, quae oſcines ab auguribus uocantur, euentumq. dextro aliae cantu, aliae laeuo felicem promittunt. VT. IN *noſtra diſciplina eſt*, } Vt augures noſtri appellant. Hoc enim pertinet ad uocabulum, Oſcines. nam & lib. 2. de nat. de. Aues quaſdam, inquit, & alites, & oſcines, ut noſtri augures appellant. Erat enim augur Cicero. ep. 4. lib. III. ep. 4. lib. XV. & alibi. TRIPVDIIS *ſolliſtimis*, } lib. 2. de Diuin. Quia, cum paſcuntur aues, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pauire, Terripauium primo, poſt Terripudium dictum eſt: hoc quidem iam Tripudium dicitur. cum igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti tripudium ſolliſtimum nunciant. Feſtus autem: Puls potiſsimum datur pullis in auſpicijs: quia ex ea neceſſe eſt aliquid decidere, quod tripudium faciat, ideſt terripauium. pauire enim ferire eſt. bonum enim augurium eſſe putabant, ſi pulli, per quos auſpicabantur, comediſſent, praeſertim ſi eis edentibus aliquid ab ore decidiſſet. ſin autem omnino non ediſſent, arbitrabantur periculum imminere. Et alio loco: Solliſtimum Ap Pulcher in auguralis diſciplinae lib. I. ait eſſe tripudium, quod aui excidit ex eo, quod illa fert. Liuius lib. X. Cum pulli non paſcerentur, pullarius auſpicium mentiri auſus, tripudium ſolliſtimum conſuli nunciauit. SOMNIIS } ſic omnes libri ſcripti, & quos olim uidimus, & quibus nunc utimur. in uno tantum ita ſcriptum eſt, ut &, Somnijs, &, Sonuijs legi poſſe uideatur. quibus enim lineis litterae conſtant, totidem in utroque uerbo ſunt. porro, cum duobus modis animi, ſine ratione, & ſcientia, motu ipſi ſuo ſoluto, & libero incitentur, uno furente, altero ſomniante: ut inquit Cicero lib. I. de Diuin. non uideo, cur ſom-

niorum mentionem tollamus, cum praeſertim de diuinatione agatur. VEL *obſcuritatis, uel erroris.*} non enim aperta plane ſunt, & in ijs interpretandis erratur ſaepe. MITIS, *clemensq. natura,*} Suetonius de Caeſare: In ulciſcendo natura leniſsimus: moderationem uero, clementiamq. tum in adminiſtratione, tum in uictoria belli ciuilis; admirabilem exhibuit. Et Plinius lib. VII. cap. 25. Caeſari proprium, & peculiare dementiae inſigne, qua uſque ad paenitentiam omnes ſuperauit. Similiter Plutarchus, & omnes hiſtorici, Cicero etiam ipſe in orationibus pro Marcello, Ligario, Deiotaro. QVERELLARVM *tuarum.*} querebatur de ſua calamitate, Caeſarem laudabat potius, quam accuſabat. nam hic non prior Caecinae liber, quem Criminoſiſsimum uocat Suetonius, uerum alter ſignificatur, de quo in epiſtola ſuperiore, & in ea, quae poſt hanc legitur: in qua partem harum querellarum licet animaduertere. INGENIIS *excellentibus delectatur.*} ep. 5. Accedunt tria praecipua, propter eximium ingenium, ſummamq. uirtutem: cui mehercule hic, cuius in poteſtate ſumus, multum tribuit. itaque ne punctum quidem temporis in iſta fortuna fuiſſes, niſi eo ipſo bono tuo, quo delectatur, ſe uiolatum putaret. & ep. 8. lib. IV. Etiam is, qui omnia tenet, fauet ingenijs. IVSTIS, *& officio incenſis, non inanibus, aut ambitioſis uoluntatibus.*} ep. 12. Valent apud Caeſarem non tam ambitioſae rogationes, quam neceſſariae. ETRVRIA} quae pro Caecina ſupplicabat. infra: Te, hominem in parte Italiae minime contemnenda nobiliſsimum. SVSTINERE *cauſſas poſſe multorum,*} negari multis poſſe. IVSTIVS} quia non ſolum arma in eum tuliſti, ſed libro etiam acerbiſsimo maledixiſti. EODEM *fonte ſe hauſturum intelligit laudes ſuas, e quo ſit leuiter adſperſus.*} fore putat, ut eum laudes, cum accuſaueris antea. LEVITER *aſperſus.*} immo uehementer uituperatus: nam illum librum Criminoſiſsimum appellat Suetonius. Cicero autem, ne ſpem Caecinae minuat ueniae impetrandae, non ualde laeſum ab eo Caeſarem oſtendit, & laudationem accuſatione maiorem exſpectari. propterea de laudibus dixit, Hauſturum, quo uerbo copia demonſtratur; de probris, Leuiter adſperſus. IN. PARTE *Italiae minime contemnenda*} in Etruria: de qua Virgilius lib. x. Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni. FACILE *omnium nobiliſſimum,*} In extrema oratione pro Caecina, Habetis, inquit hominem ſingulari pudore, uirtute cognita, & ſpectata fide, ampliſsimum Etruriae totius, in utraque fortuna cognitum multis ſignis & uirtutis, & humanitatis. FAMA *populi Romani*} opinione, & ſermone omnium. ſic ſupra, Vel officio, uel fama bonorum, uel pudore uictus. ANIMATVS *melius, quam paratus,*} hoc ſaepe obijcit Pompeio. ep. 8. lib. IV. & ep. 3. lib. VII. & ad Att. ep. 15. lib. VII. Sumus flagitioſe imparati cum a militibus, tum a pecunia. IN EIVS *perſonam*} in ipſum Pompeium. CASSIVM} C. Caſsium, qui poſtea in eum cum M. Bruto coniurauit. LEGAVIT:} legatum ſuum eſſe uoluit, uenia data ſuperioris temporis. ep. 15. lib. XV. Tu eam partem petiſti, ut conſilijs intereſſes. GALLIAE *praefecit,*} quod eo maius beneficium fuit, quia Brutus praeturam nondum geſſerat, geſsit autem biennio poſt, Caeſare V, & Antonio cos. Gallia, quam rexit, Ciſalpina. nam in Oratore, Vna Gallia, inquit Cicero, communi non ardet incendio: in qua frueris ipſe te, cum in Italiae luce cognoſceris. ep. 10. 11. 12. 13. 14. lib. XIII. GRAECIAE:} uide, quae diximus ep. 12. lib. IV. CVI *maxime ſuccenſebat,*} ep. 4. lib. IV. & Suetonius. RERVM *hoc natura,*} quae poſtulat, ut in cauſſa pari eadem ſit omnium condicio. NEC *manens, nec mutata ratio feret,*} ſiue ſtatus hic erit, ſiue mutabitur; in patriã redibis. Moneo lectorem ex mea conſuetudine, in omnibus, quos nunc habeo, ueteribus libris eſſe, Muta ratio, uno excepto, in quo eſt, Mutata ratio: quod magis probo. IN. CAVSSA *pari*} hoc dicit, quia, cum & ipſe, & Caſsius, & Brutus, & Marcellus in praeſidijs Pompeij fuiſſent, & ijs tamen Caeſar ignouiſſet, aeque uidetur, ut Caecina quoque, qui fuerat in eadem cauſſa, ijsdemq. caſtris, ueniam a Caeſare impetret. EADEM *ſit*} eadem tua, quae noſtra. NEFARIORVM *ſcelerum condemnati,*} maxime ſignificat eos, quos lege Pompeia de ambitu damnatos Caeſar reſtituit. ep. 4. ad Att. lib. x. Suetonius, Caeſar lib. III. de bel. ci. Ad hanc rem illud ſpectat in ep. 19. lib. XV. Caeſar habet damnatos, quos pro illo nobis reſtituat. ILLA *conſolatione,*} qua tamen utitur per inſinuationem. POSSE *accidere ut uinceremur,*} ſimile illud ep. 1. Qui neque, cum id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis eſſet uictoria. & quae ſequuntur. QVANTAE *delectationi in rebus aduerſis litterae*} ep. 12. peti a litteris in ſecunda fortuna delectationem dixit, in aduerſa ſalutem. idem ep. 3. lib. IV. & ep. 2. lib. IX. NON *ſolum ueterum,*} ut Coriolani, Camilli, & aliorum, qui, cum duces bello clari fuiſſent, poſtea exſulauerunt. HORVM *etiam recentium uel ducum, uel comitum*} duces, uel comites in bello ciuili, ſignificat: quorum alij perierant, alij exſulabant. idem ſcripſit ad Torquatum ep. 4. Poſtremo is uir, uel etiam ij uiri hoc bello occiderunt, ut imprudentia uideatur, eandem fortunam, ſi res cogat, recuſare. EXTERNOS *claros uiros*} Hannibalem, Lycurgum, Solonem, Themiſtoclem, Ariſtidem, alios, qui procul a patria, de qua meriti erant optime, uiuere coacti ſunt. QVASI *legis,*} uere enim lex non eſt, ſed ideo lex uidetur, quia pertinet ad multos. HVMANAE *condicionis*} cum omnes homines ea condicione naſcantur, ut omnibus fortunae telis propoſita uita ſit. ad Titium ep. 16. lib. V. & ad Fabium, ep. 18. eiusdem libri: Qua condicione omnes homines, & quibus temporibus nati ſumus, cogites. QVEMADMODVM *hic,*} conſolatio ducta a miſeria ciuitatis: ut ad Sextium, ep. 17. lib. V. Illud utinam ne uere ſcriberem, ea te rep. carere, in qua neminem prudentem hominem res ulla delectet. & ep. 1. huius libri, ad minuendum Torquati deſiderium, Hoc, inquit, tempore Romae, eſſe miſerrimum eſt. Et ep. 4. Nos quod Romae ſumus, miſerrimum eſſe duco. HOC *genere nihil opus eſt.*} Eſt in orationis artificio, quae ſe dicit uelle praetermittere, ea diſsimulantem breuiter exponere: quo genere ſaepiſsime uſus eſt Cicero, hic quidem egregie, ab eo loco: Quo, ſi quid addubitarem, non potius uterer, quam illa conſolatione, qua facile fortem uirum ſuſtentarem: te &c.

ita,

ita, dum reijcere uidetur quaſi non neceſſaria, collegit callide quattuor argumenta, quae dolorem leuent, unum ab incerto bellorum euentu, & ancipiti fortuna ductum; alterum, a conſcientia facti; tertium, a condicione communi; quartum, a miſeria ciuitatis. PERSPICIO,} opinione certior eſt ſenſus: & ſpem ſaepe fallit euentus: quod in ſenſibus accidere uix poteſt. ideo, cum dixiſſet, Vt ſpero, ſubiunxit, Vel potius ut perſpicio: tamquam de re praeſenti, & oculis propoſita: nam de fortuna dixiſſet, Vt proſpicio, quemadmodum ep. 3. lib. IV. Multo ante, tamquam ex aliqua ſpecula, proſpexi tempeſtatem futuram. & alibi. IMAGINI *animi, & corporis tui,*} cum omnes filij parentibus cari, tum ij, maxime, qui corpore eos, & animo referunt. itaque in ep. 3. ad Q. fratrem, lib. I. Quid quod eo tempore deſidero filiam? qua pietate, qua modeſtia, quo ingenio? effigiem oris, ſermonis, animi mei. Hoc quoque pertinet ad conſolandum Caecinam, qui filium haberet ſui ſimillimum. CONSTANTISSIMO,} qui patris aduerſam fortunam conſtanti animo ferat. ET. DETVLI,} quo ſtatim, ſi uellet, uteretur. ſic ep. 9. Vniuerſum ſtudium, & beneuolentiam ad te defero. FAMILIARES *quidem eius ſicuti neminem.*} familiares Caeſaris, Panſa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Poſtumius. ep. 12. VALEBO *tibi.*} repetitio eiusdem uerbi quiddam uenuſtatis habet. ep. XI. lib. 2. Quidquid erit, tibi erit. & ep. 18. eiuſdem libri: Sin quid offenderit; ſibi totum, tibi nihil offenderit. FIRMITVDINE *animi,*} Virtute, dixit ad Torquatum, ep. 4. in extremo.

---

# Argumentum ep. 7.

*EXcuſat Caecina filium, quia Ciceroni librum ſero reddiderit. Queritur, ſibi Caeſarem iraſci, quod in eum ſcripſerit, cum ignouerit omnibus, qui deos uenerati ſint contra eius ſalutem. Rurſus, omiſſam repetit libri ſui mentionem: &, quam parce, quamq. timide tum de ipſo Cicerone, tum etiam de Caeſare ſcripſerit, diligenter oſtendit. Non iturum in Aſiam, ſuadente Cicerone, ut in Sicilia commoretur, confirmat. Petit, ut ſibi uenia, poteſtasq. redeundi a Caeſare impetretur. Librum cuſtodiri cupit, aut ita emendari, ne, ſi exeat, eius rationibus obeſſe poſſit.*

## *Caecina S. D. Ciceroni.* 7.

QVOD *tibi non tam celeriter liber eſt redditus, ignoſce timori noſtro, & miſerere temporis. filius, ut audio, pertimuit, (neque iniuria) ſi liber exiſſet, quando non tam intereſt, quo animo ſcribatur, quam quo accipiatur, ne ea res inepte mihi noceret; cum praeſertim adhuc ſtyli poenas dem. qua quidem in re, ſingulari ſum fato. nam, cum mendum ſcripturae litura tollatur, ſtultitia fama multetur: meus error exſulio corrigitur: cuius ſumma criminis eſt, quod armatus aduerſario maledixi. nemo noſtrum eſt, ut opinor, quin uota uictoriae ſuae fecerit: nemo, quin, etiam cum de alia re immolaret, tamen eo quidem ipſo tempore, ut quamprimum Caeſar ſuperaretur, optarit. hoc ſi non cogitat; omnibus rebus felix eſt. ſi ſcit, & perſuaſus eſt: quid iraſcitur ei, qui aliquid ſcripſit contra ſuam uoluntatem, cum ignorit omnibus, qui multa deos uenerati ſunt contra eius ſalutem? Sed, ut eodem reuertar, cauſſa haec fuit timoris: ſcripſi de te, parce medius fidius, & timide, non reuocans me ipſe, ſed paene refugiens. genus autem hoc ſcripturae non modo liberum, ſed incitatum, atque elatum eſſe debere, quis ignorat? ſolutum exiſtimatur eſſe, alteri maledicere: tamen cauendum eſt, ne in petulantiam incidas. impeditum, ſe ipſum laudare, ne uitium arrogantiae ſubſequatur. ſolum uero liberum, alterum laudare: de quo quidquid detrahas, neceſſe eſt aut infirmitati, aut inuidiae aſſignetur. Ac neſcio, an tibi gratius, opportuniusq. acciderit. nam, quod praeſtare non poteram, primum erat non attingere; ſecundum beneficium, quam parciſſime facere. ſed tamen ego me quidem ſuſtinui: multa minui: multa ſuſtuli: complura ne poſui quidem.* QVEMADMODVM *igitur, ſcalarum gradus ſi alios tollas, alios incidas, nonnullos male haerentes relinquas, ruinae periculum ſtruas, non adſcenſum pares: ſic tot malis tum uictum, tum fractum ſtudium ſcribendi, quid dignum auribus, aut probabile poteſt afferre? Cum uero ad ipſius Caeſaris nomen ueni, toto corpore contremiſco, non poenae metu, ſed ipſius iudicij: totum enim Caeſarem non noui. Quem putas animum eſſe, ubi ſecum loquitur? Hoc probabit: hoc uerbum ſuſpicioſum eſt. quid, ſi muto? at uereor, ne peius ſit. Age uero, laudo aliquem: num offendo? cum porro offendam, quid ſi non uult? armati ſtylum perſequitur; uicti, & nondum reſtituti quid faciet? Auges etiam tu mihi timorem, qui in Oratore tuo caues tibi per Brutum, & ad excuſationem ſocium quaeris. ubi hoc omnium patronus facit; quid me, ueterem tuum, nunc omnium clientem, ſentire oportet? In hac igitur calumnia timoris, & caecae ſuſpicionis tormento cum plurima ad alieni ſenſus coniecturam, non ad ſuum iudicium, ſcribantur, quam difficile ſit euadere, ſi minus expertus*

pertus

*pertus es, quod te ad omnia ſummum, atque excellens armauit ingenium, nos ſentimus. ſed tamen ego filio dixeram, librum tibi legeret, & auferret, aut ea condicione daret, ſi reciperes te correcturum, hoc eſt, ſi totum alium faceres. De Aſiatico itinere, quamquam ſumma neceſsitas premebat, ut imperaſti, feci. Te pro me quid horter? uides tempus ueniſſe, quo neceſſe ſit de nobis conſtitui. nihil eſt, mi Cicero, quod filium meum exſpectes. adoleſcens eſt: omnia excogitare uel ſtudio, uel aetate, uel metu non poteſt. totum negotium tu ſuſtineas oportet: in te mihi omnis ſpes eſt. tu pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Caeſar, tenes. a te omnia proficiſcantur, & per te ad exitum perducantur, neceſſe eſt. apud ipſum multum, apud eius omnes plurimum potes. unum ſi tibi perſuaſeris, non hoc eſſe tui muneris, ſi quid rogatus fueris, ut facias, (quãquam id magnum, & amplum eſt) ſed totum tuum eſſe onus, perficies. niſi forte aut in miſeria nimis ſtulte, aut in amicitia nimis impudenter tibi onus impono. ſed utrique rei excuſationem tuae uitae conſuetudo dat. nam quod ita conſueſti pro amicis laborare, non iam ſic ſperant abs te, ſed etiam ſic imperant tibi familiares. Quod ad librum attinet, quem tibi filius dabit; peto a te, ne exeat; aut ita corrigas, ne mihi noceat. Vale.*

## EXPLANATIO

LIBER} is, de quo ep. 5. itaque patet, illam poſt hanc fuiſſe collocandam, hanc autem poſt eam, quae ſequitur: in qua Cicero ſcripſit, In Sicilia cenſeo commorandum: cui reſpondit in hac Caecina, De Aſiatico itinere, ut imperaſti, feci. Hic liber cum laude Caeſaris, Ciceroniſq. ſcriptus erat, ut infra perſpicuum eſt: illum alterum, quo Caeſari maledixerat, ante pugnam Pharſalicam Caecina compoſuit: quo ſe duriorem in uenia danda Caeſar praebuit. QVO *animo ſcribatur*,} uel haec uerba, ſcriptum eſſe librum cum laude Caeſaris, demonſtrant. INEPTE} imprudentia noſtra: cum hoc damnum uitare licuerit libro comprimendo. STYLI} quia ſcripſerim contra Caeſarem. CVM *mendum*} Mediceus liber, Commendum: mei, Cum emendandum: unus, Commentum. SCRIPTVRAE} & hic, & paullo poſt pro ſcripto poſuit. & ep. ult. lib. XV. LITVRA} ueteres libri, Littera. STVLTITIA *fama multetur*:} qui ſtulte aliquid commiſit, fama illi poena eſt, & ſtultus eſſe dicitur. Quidam libri, Stultitiae. CORRIGITVR:} non, punitur, quod pertinet ad crimina, ſed corrigitur, quaſi leui culpa. Neque congruunt, Exſulio corrigitur: ſed erat proprium, Exſulio punitur. uerum dedita opera cum leni uerbo acerbum nomen coniunxit, ut inde perſpicuum faceret, quam inique ſecum ageretur, & quam eſſet in ea re fato ſingulari, cuius error corrigeretur exſulio. SVMMA *criminis*} et hoc aliqua cum ironia, atque indignatione dixit: quaſi leuiſsimum ſit crimen, ſi quis aduerſario maledicat armatus. id quod proxime non Crimen, ſed Errorem uocauit. VOTA *uictoriae ſuae*} pro uictoria imperatores uota feciſſe, Liuius, & alij ſaepe dixerunt: ſed priuatim uouere alij quoque ſolebant. IMMOLARET,} Feſtus: Immolare, eſt mola, ideſt farre molito, & ſale, hoſtiam fuſam ſpargere. OMNIBVS *rebus*} hic etiam, non modo in bellis. FELIX} quia uota non cogitat, quae in ipſum ab aduerſarijs facta ſunt. MVLTA *deos uenerati*} Multa, aduerbij loco poſuit, ut Virg. Georg. lib. IV. Et ſpiritus oris Multa reluctanti obſtruitur. Sic locutus idem Cicero de nat. de. lib. III. & pro Murena. Topicorum autem initio, Cum, inquit, mihi, meiſq. multa ſaepe cauiſſes. Gellius lib. XIII. cap. 23. SCRIPSI *de te*,} Timui, quia ſcripſi de te, quamquam parce, ne Caeſar offenderetur. NON *reuocans me ipſe*,} non reuocaui me ſponte, ſed refugi metu. GENVS *hoc ſcripturae*} cum alterum laudamus. nam, cum alteri maledicimus, aut cum nos ipſos laudamus, minus liberum eſt. ATQVE *elatum*} unus Maffei liber, Elatum: quod olim probauimus: reliqui mei omnes, Latum. Sed coniecturam noſtram alijs quoque placuiſſe, nunc uideo. ALTERVM *laudare*:} quod ego feci: nec tamen id mihi liberum fuit. DE QVO *quidquid detrahas*,} ſi perfecte alterum non laudes. INFIRMITATI,} ingenij. AC NESCIO, *an tibi gratius, opportuniuſq. acciderit*.} fortaſſe gratius tibi erit, ac melius cadere uidebitur, quod parce te laudauerim, metu ſcilicet refugiens. nam, quod egregie praeſtari non poteſt, id uel non attingere oportet, uel ſaltem quamparciſsime facere. SVSTINVI:} licet hoc ſcripturae genus incitatum eſſe debeat, ego me tamen ſuſtinui. MINVI:} ut parcius te laudarem. SVSTVLI:} e libro. NE POSVI *quidem*.} quae, niſi metus impediſſet, iure, ac merito tuo poſuiſſem. QVEMADMODVM *igitur, ſcalarum gradus &c.*} comparationes poetis potius, quam ſoluta oratione ſcribentibus, conueniunt. Demetrius, cum de longioris uitio ſimilitudinis praeciperet, haec ſubiunxit: Ταῦτα γὰρ οὐκ εἰκασίαις ἔτι ἔοικεν, ἀλλὰ παραβολαῖς ποιητικαῖς. τὰς δὲ παραβολὰς ταύτας οὔτε ῥαδίως ἐν τοῖς πεζοῖς λόγοις τιθέναι δεῖ, οὔτε ἄνευ πλείστης φυλακῆς. ideſt: Haec enim non iam ſimilitudinum ſpeciem habent, ſed poeticarum comparationum. huiuſmodi autem comparationibus neque facile in ſoluta oratione, neque ſine cautione plurima uti oportet. Idem alio loco minui docet comparationibus grauitatem illam, quam Graece uocant δεινότητα. Αἱ παραβολαὶ, inquit, τῇ δεινότητι οὐκ ἐπιτήδειαι διὰ τὸ μῆκος: οἷον τό: Ὥσπερ δὲ κύων γενναῖος, ἄπειρος, ἀπρονοήτως ἐπὶ κάπρον φέρεται: κάλλος γάρ. καὶ ἀκρίβειά τις ἐν τούτοις ἐμφαίνεται: ἡ δὲ δεινότης σφοδρόν τι βούλεται, καὶ σύντομον, καὶ ἐγγύθεν πλήττουσιν ἔοικε. Videndum igitur, an ſatis apte comparationem hanc Caecina in epiſtolam induxerit. quamquam & Ciceronem hoc nonnumquam feciſſe conſtat. NON *poenae metu*,} non enim timenda eſt laudanti poena, ſed offenſio tamen quaedam eius, qui laudari fortaſſe non uult. ANIMVM} quo modo animum affici, atque angi meum putas, ubi haec ſecum ipſe cogitat? LOQVITVR?} animus cogitat, lingua loquitur, ſed quia cogitata animi loquitur, ideo, quod eſt linguae, ad animum transfertur. HOC *probabit*:} Et hoc, & quae ſequuntur

quuntur, uſque ad illud, Quid faciet? ea ſunt, quae ſecum loquitur animus. Nvm *offendo?* } ipſum Caeſarem. Cvm *porro offendam*, } aliquem, non ipſum Caeſarem. abſurdum enim eſſet id, quod ſequitur: Quid, ſi non uult? nam cur dubitet in re notiſsima? quaſi uero offendi quiſquam uelit. Sed opponit Caecina; Laudare aliquem, Offendere: quo in utroque ueretur, ne Caeſarem laedat. Armati *ſtylum*, } ſtylum eius, qui ſcripſit armatus. Victi, *& nondum reſtituti quid faciet?* } quo modo perſequetur ſtylum uicti, & nondum reſtituti? In *Oratore* } ſic inſcripſit librum, in quo formam perfecti oratoris expreſsit. ep. 18. Oratorem meum a te probari, uehementer gaudeo. mihi quidem ſic perſuadeo, me, quidquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contuliſſe. &c. Caves *tibi per Brutum*, } cum haec ſcribis: Teſtificor, me, a te rogatum, & recuſantem, haec ſcribere eſſe auſum. uolo enim mihi tecum commune eſſe crimen: ut, ſi ſuſtinere tantam quaeſtionem non potuero, iniuſti oneris impoſiti tua culpa ſit, mea recepti. Veterem *tuum*, } exſtat Ciceronis oratio pro Caecina. Sentire *oportet?* } multo, inquit, magis mihi eſſe timendum intelligo, quam tu in Oratore tuo timuiſti. Calvmnia *timoris*, } Calumniator ea fingit, quae uera non ſunt. itidem timor ſaepe falſa proponit: ut recte, propter ſimilitudinem, Calumnia timoris dici poſsit. Caecae *ſuſpicionis tormento* } cum non uideam, quo conſilio gratiam a Caeſare inire poſsim, & incerta ſuſpicione torquear, metuens, ne offendam potius eum, quam mihi reconciliem. Ad *alieni ſenſus coniecturam*, } male agitur cum eo, cui ſcribenti cogitandum eſt, non quod ipſe probet, ſed quid alij probaturi ſint. in quo ſequitur non iudicium ſuum, ſed coniecturam de alio ſenſu. Evadere, } ita ſcribere, ut animus acquieſcat. Euadere, dixit, tamquam ex difficultate. De *Aſiatico itinere*, } petierat a Cicerone conſilium Caecina, quid ſibi eſſet auctor, in Sicilia ne ſubſideret, an ut ad reliquias Aſiaticae negotiationis proficiſceretur. reſpondit Cicero: In Scicilia cenſeo commorandum. quod ſe facturum Caecina confirmauit. uide epiſtolam ſequentem. quae tamen ante hanc ſcripta eſt. Poſtea tamen in Aſiam Caecina profectus eſt, fortaſſe reditu in patriam deſperato. nam ep. 66. lib. xiii. Cicero eum Seruilio commendans, Te rogo, inquit, atque oro, ut eum in reliquijs ueteris negotiationis colligendis iuues. De nobis } de reditu noſtro in patriam. Vel. stvdio, } quo ſaepe impeditur ingenium. eſt enim ſtudium, uehemens quaedam animi affectio, & propenſio ad aliquam rem. Capiatvr } tranſlatum uerbum, pro, ad uoluntatem noſtram traducatur. ſunt enim in poteſtate noſtra, quae cepimus. Eivs *omnes* } familiares. qui nominantur ep. 12. & ſignificantur ep. 6. Nisi *forte aut in miſeria nimis ſtulte*, } ideo ſtulte, quia dixit, Sed totum tuum eſſe. modeſte enim, qui in calamitate eſt, petere debet. In *amicitia nimis impudenter* } uidendum enim, quid amico oneris imponamus. Tvae *uitae conſuetudo* } excuſat petitionem ſuam tribus modis. primum, quod Cicero, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Caeſar, optime omnium intelligat: deinde, quod apud ipſum Caeſarem, eiuſq. familiares omnes gratia ualeat: poſtremo, quod laborare pro amicis conſueuerit. Haec diſpenſa parum attenduntur: collecta, & ſub oculos ſubiecta legentium, copiam in ſimili argumento non exiguam parunt.

---

# Argumentum ep. 8.

*DAtum ſibi a Balbo, & Oppio ſcribit, ut Caecinae liceret eſſe in Sicilia: ibiq. ut commoretur, ſuadet.*

## *Cicero S. D. Caecinae.* 8.

*CVm eſſet mecum Largus, homo tui ſtudioſus, locutus Kal. Ian. tibi praefinitas eſſe: quod omnibus in rebus perſpexeram, quae Balbus, & Oppius, abſente Caeſare, egiſſent, ea ſolere illi rata eſſe; egi uehementer cum his, ut hoc mihi darent, tibi in Sicilia, quoad uellemus, uti eſſe liceret. qui mihi cum ſueſſent aut libenter polliceri, ſi quid eſſet eiuſmodi, quod eorum animos non offenderet; aut etiam negare, & afferre rationem, cur negarent: huic meae rogationi potius non continuo reſponderunt: eodem die tamen ad me reuerterunt; mihi hoc dederunt, ut eſſes in Sicilia, quoad uelles: ſe praeſtaturos, nihil ex eo te offenſionis habiturum. Quando, quid tibi permittatur, cognouiſti; quid mihi placeat, puto te ſcire oportere. Actis his rebus, litterae a te mihi ſunt redditae: quibus a me conſilium petis, quid ſim tibi auctor, in Sicilia ne ſubſidas, an ut ad reliquias Aſiaticae negotiationis proficiſcare. haec tua deliberatio non mihi conuenire uiſa eſt cum oratione Largi. ille enim mecum, quaſi tibi non liceret in Sicilia diutius commorari, ita locutus erat: tu autem, quaſi conceſſum ſit, ita deliberas. ſed ego, ſiue hoc, ſiue illud eſt, in Sicilia cenſeo commorandum. propinquitas locorum uel ad impetrandum adiuuat crebris litteris, & nuncijs, uel ad reditus celeritatem, re aut impetrata, quod ſpero, aut aliqua ratione confecta. quamobrem cenſeo magnopere commorandum. T. Furfano Poſtumio, familiari meo, legatisq. eius, item meis familiaribus, diligentiſſime te commendabo, cum uenerint: erant enim omnes Mutinae. uiri ſunt optimi, & tui ſimilium ſtudioſi, & mei neceſſarij. Quae mihi uenient in mentem, quae ad te pertinere arbitrabor, ea mea ſponte faciam. ſi quid ignorabo, de eo admonitus omnium ſtudia uincam. Ego, etſi coram de te cum Furfano ita loquar, ut tibi litteris ad eum nihil opus ſit; tamen, quoniam tuis placuit te habere meas litteras, quas ei redderes, morem eis geſſi. earum litterarum exemplum infra ſcriptum eſt. Vale.*

EXPLA-

## EXPLANATIO

LARGVS,} Romanae gentis cognomen. TIBI *praefinitas eſſe:* } ne ultra tibi eſſe liceret in Sicilia. BALBVS,} L.Cornelius Balbus, Gaditanus, pro quo exſtat Ciceronis oratio. hic abſentis Caeſaris negotia procurabat: ep.ult.ad Att.lib.XIII. Rationes, opinor, cum Balbo, quo loco fuerit apud Caeſarem cum C.Oppio, Caeſaris ipſius ad utrumque declarat epiſtola, quae legitur lib.IX. ad Att.De Balbis uide infra, ep. 12. OPPIVS,} C.Oppius Caeſaris legatus Africano bello, ut in libro legitur, qui de eo bello ſcriptus eſt. exſtat eius, & L.Balbi epiſtola ad Ciceronē lib.IX.ad Att.& Ciceronis ad eū lib.XI. HVIC *meae rogationi potius non continuo reſponderunt:* } nihil deeſt, ut quidam putarunt. nam, Potius, refertur ad illa ſuperiora: Cum ſueſſent, aut polliceri, aut etiam negare: quorum neutrum fecerunt, ſed potius huic meae rogationi non continuo reſponderunt. RE *aut impetrata, aut, quod ſpero, aliqua ratione confecta*. utroque modo elicitur ſententia: ſed in alteram partem ut propendeam, facit auctoritas ueterum librorum. uult enim Caecinam ſperare, ſi res non impetrabitur, ſaltem ut aliquo modo ad exitum perducatur. quid autem, dicit aliquis, ſi res non impetratur, ſperare poterat? ut in Italia fortaſſe poſſet eſſe, modo ne ad urbem accederet. nam de Sicilia iam impetratum erat. At illud optabilius, ut reditus in urbem impetraretur. Quis negat? ſed ego opinionem ad uerba, quam uerba ad opinionem, accommodare malo. Proferat aliquis ueterem librum, in quo uideam, Re aut impetrata, quod ſpero: tum facile, & libenter aſſentiar. T.FVRFANO *Poſtumio,* } uſitatius erat, T. Poſtumio Furfano, ut cognomini nomen praeponeretur: tamen & cognomen interdum nomini anteponitur, ut ep.8.lib.2.& ep.1.lib.VII. Gallus Caninius: & C. Criſpus Salluſtius in libro uel Hirtij, uel Oppij, de bello Africano, non ſemel nominatur: item Gallus Fabius ep.12.lib.IIX.ad Att.& ep.47.lib.XIII. ad eundem. Sunt, qui legant. T.Furfanio Poſtumo. ego malo, Furfano Poſtumio, teſtimonio fretus ueterum librorum: &, quod ignoti Furfanij, Poſtumi notiſsimi. adde quod Furfanus appellatur epiſt.15.ad Att.lib.VII. QVAE *mihi uenient in mentem, &c.* } uide eandem ſententiam in ep.8. lib.V. in extremo.

---

## Argumentum.

*BReuis eſt epiſtola, ſed perfectae commendationis exemplum.*

### *M.Cicero S. D. T. Furfano procos.*

CVM *A. Caecina tanta mihi familiaritas, conſuetudoq. ſemper fuit, ut nulla maior eſſe poſſit. nam & patre eius, claro homine, & forti uiro, plurimum uſi ſumus; & hunc a puero, quod & ſpem mihi magnam afferebat ſummae probitatis, ſummaeq. eloquentiae, & uiuebat mecum coniunctiſſime non ſolum officijs amicitiae, ſed etiam ſtudijs communibus, ſic ſemper dilexi, ut non ullo cum homine coniunctius uiuerem. nihil attinet me plura ſcribere. quam mihi neceſſe ſit eius ſalutem, & fortunas, quibuſcumque rebus poſſim, tueri, uides. Reliquum eſt, ut, cum cognorim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & de reip. calamitatibus ſentires, nihil a te petam, niſi ut ad eam uoluntatem, quam tua ſponte erga Caecinam habiturus eſſes, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me a te fieri intelligo. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.*

## EXPLANATIO

PATRE. EIVS,} de quo ep.6, & lib.XIII. ep.66. VIVEBAT *mecum coniunctiſſime non ſolum officijs amicitiae, ſed etiam ſtudijs communibus,* } non dubito, quin eadem ſtudia, & officia ſignificet ep.66. lib.XIII. cum ait: Hominis omnibus mecum ſtudiis, officijſq. coniunctiſsimi. NECESSE *ſit* } ſic in uno uetere libro: reliqui omnes, Neceſſe eſt. utro modo legas, parui refert. RELIQVVM *eſt, ut, cum cognorim* } Qui petit, ſpem impetrandi ſi oſtendit, eo ipſo impetrat facilius. probitatis enim, & humanitatis commemoratio beneuolentiam gignit.

---

## Argumentum ep. 9.

*HVius epiſtolae neque conſolatio argumentum eſt, neque auxilij alicuius promiſſio: niſi ſi amoris quaedam ſignificatio, & conſolationis loco eſt, & pro-*

& promittere etiam aliquid uidetur. certe, cum Trebianus poſt pugnam Pharſalicam ab armis non diſceſſerit, quod epiſtola declarat; iuſtam iraſcendi cauſſam Caeſar habuit. unde illud ep.13. *Africanae cauſſae iratior, diutius uelle uidetur eos habere ſollicitos, a quibus ſe putat diuturnioribus eſſe moleſtijs conflictatum.* Quare nil mirum eſt, ſi Cicero ſpem ei perexiguam affert incolumitatis. parce enim, & exſiliter pollicetur, in eo loco: *Si quis mihi erit aditus.* Scripta eſt poſt bellum Africanum: quod ex ijs uerbis conijcio, *Conſilium tuum, uel caſus potius, diutius in armis ciuilibus commorandi.* Quod ad huius Trebiani familiam, aut uitam pertinet, eruere ex hiſtoria nihil potui. Caeſare. III. Lepido cos.

### Cicero S. D. Trebiano. 9.

*EGO, quanti te faciam, ſemperq. fecerim, quanti me a te fieri intellexerim, ſum mihi ipſe teſtis. nam & conſilium tuum, uel caſus potius diutius in armis ciuilibus commorandi, ſemper mihi magno dolori fuit: & hic euentus, quod tardius, quam eſt aequum, & quam ego uellem, recuperes fortunam, & dignitatem tuam, mihi non minori curae eſt, quam tibi ſemper fuerint caſus mei. itaque & Poſtumuleno, et Sextio, & ſaepiſſime Attico noſtro, proximeq. Theudae liberto tuo totum me patefeci: & his ſingulis ſaepe dixi, quacumque re poſſem, me tibi, & liberis tuis ſatisfacere cupere: idq. tu ad tuos uelim ſcribas, haec quidem certe, quae in poteſtate mea ſunt, ut operam, ſtudium, conſilium, rem, fidem meam ſibi ad omnes res paratam putent. Si auctoritate, & gratia tantum poſſem, quantum in ea rep. de qua ita meritus ſum, poſſe deberem: tu quoque is eſſes, qui fuiſti, cum omni gradu ampliſſimo digniſſimus, tum certe ordinis tui facile princeps. ſed, quando eodem tempore, eademq. de cauſſa noſtrum uterque cecidit: tibi et illa polliceor, quae ſupra ſcripſi, quae ſunt adhuc mea; & ea, quae praeterea uideor mihi ex aliqua parte retinere tamquam ex reliquijs priſtinae dignitatis. neque enim ipſe Caeſar, ut multis rebus intelligere potui, eſt alienus a nobis: & omnes fere familiariſſimi eius, caſu deuincti magnis meis ueteribus officijs, me diligenter obſeruant, & colunt. itaque, ſi quis mihi erit aditus de tuis fortunis, id eſt de tua incolumitate, in qua ſunt omnia, agendi; quod quidem quotidie magis ex eorum ſermonibus adducor ut ſperem: agam per me ipſe, & moliar. ſingula perſequi non eſt neceſſe: uniuerſum ſtudium meum, & beneuolentiam ad te deſero. ſed magni mea intereſt, hoc tuos omnes ſcire, quod tuis litteris fieri poteſt, ut intelligant omnia Ciceronis patere Trebiano. hoc eo pertinet, ut nihil exiſtiment eſſe tam difficile, quod non, pro te mihi ſuſceptum, iucundum ſit futurum. Vale.*

## EXPLANATIO

VEL. CASVS *potius*} minuitur culpa, cum a uoluntate in caſum transfertur. hoc artificio utitur Cicero quaſi conſolandi gratia. nam, ſi conſilio Trebianus Caeſarem laeſiſſet; recuperandi fortunas, & dignitatem ſpes eſſet infirmior: ſin autem caſu; excuſationem aliquam inueniret iniuria. MAGNO *dolori fuit*: } refertur ad illud, Semperq. fecerim. Magno dolori autem, quia de uictoria ueſtra deſperabam, nec putaui, cum integri pares non fuiſſemus, fractos, ſuperiores fore. RECVPERES } antea, Receperis: nos, Reciperes, aliquot iam annis emendauimus, & impreſsimus. liber uetuſtus habet, Riciperes. Et in alijs etiam exemplaribus, S litteram pro V ſaepiſsime reperias. CVRAE *eſt*,} & hoc ad illud alterum ſpectat, Quanti te faciam. ſingulis enim ſingula reddere, confirmandae ſententiae cauſſa, Cicero ſolitus eſt. CASVS *mei*.} cum patria pulſus lege Clodia ſum. hoc ad illud pertinet, Quanti me a te fieri intellexerim. ita, cum tria propoſuerit, tria ſubiunxit. POSTVMVLENO,} cognomen Romanae gentis: & M. Poſtumulenus Secundus nominatur in antiquiſsimo lapide quadrato, quem uidi in aedibus Rainucij Farneſij, Cardinalis. huius generis nomina ſunt, Voluſenus, Saluidenus, Vibienus, Labienus, Naſidienus, Caeſidenus, Vatienus. THEVDAE,} nomen ſerui, cognomen liberti. QVANTVM *in ea rep. de qua ita meritus ſum*, } uide idem ijſdem fere uerbis ep.13. QVI *fuiſti*,} fuiſti autem & omni honoris gradu ampliſsimo digniſsimus, & ordinis tui facile princeps. ORDINIS. TVI } equeſtris. nam, ſi ſenatorij fuiſſet; Ordinis noſtri, dixiſſet: cum ipſe Cicero ſenator eſſet. ideo &, Digniſsimus, dixit, tamquam de equite, ijs honoribus digno, quos qui adepti ſunt, non iam equeſtris, ſed ſenatorij ordinis dicuntur eſſe. EADEMQ. *de cauſſa*} quod pro Pompeio contra Caeſarem arma ſumpſimus. De, ualet propter: ut apud Terentium, in Eun. Ecquid nos amas de fidicina iſtac. TAMQVAM *ex reliquijs*} non enim priſtinam recuperaui dignitatem: ſed quaſi reliquias quaſdam ſeruo. Imago ueteris meae dignitatis, dixit ep.13. FAMILIARISSIMI EIVS,} quos nominat ep.12. CASV *deuincti*} quia, cum olim in eos officia conferebam, fore aliquando tempus diuinare non poteram, ut eorum ope indigerem. Caſu igitur, ob haec tempora, quae

praeter opinionem meam conſecuta ſunt. D E *tuis fortunis*, } quarum partem amiſerat. ep. 11. I N *qua ſunt omnia*, } hanc maxime curemus: de fortunis minus laborandum. in hac enim omnia ſunt. uidetur ſignificare, fortunas omnino recuperari non poſſe. quod comprobatur ep. 11. A D. T E. D E F E R O. } ep. 6. Et pollicitus ſum, & detuli. V T *nihil exiſtiment eſſe tam difficile*, } uide ſimilem ſententiam in ep. 11. lib. v.

## Argumentum ep. 10.

*PRimo loco excuſationem affert, quod antea non ſcripſerit: tum hortatur eum, ut conſcientia ſe ſuſtentet factorum, & conſiliorum ſuorum: ſperare etiam iubet, exſulem non diu futurum: eam porro ſpem ſumit a Caeſaris clementia, a ſtatu reip. iam reuiuiſcentis, a ſuo ſtudio, ab amicorum Trebiani copia. Quibus cauſsis, ut forti, magnoq. animo ſit, hortatur. Scripta uidetur ante ſuperiorem proximam: nam prima illa uerba; Antea miſiſſem ad te litteras, ſi genus ſcribendi inuenirem; nullas antea Ciceronem litteras ad eum miſiſſe, perſpicue demonſtrant. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Trebiano.* 10.

A N T E A *miſiſſem ad te litteras, ſi genus ſcribendi inuenirem. tali enim tempore aut conſolari amicorum e, , aut polliceri. conſolatione non utebar, quod ex multis audicbam, quam fortiter, ſapienterq. ferres iniuriam temporum, quamq. te uehementer conſolaretur conſcientia factorum, & conſiliorum tuorum. quod quidem ſi facis, magnum fructum ſtudiorum optimorum capis: in quibus te ſcio ſemper eſſe uerſatum: idq. ut facias, etiam atque etiam te hortor. Simul & illud tibi, homini peritiſſimo rerum, & exemplorum, & omnis uetuſtatis, ne ipſe quidem rudis, ſed in ſtudio minus fortaſſe, quam uellem, at in rebus, atque uſu plus etiam, quam uellem, uerſatus, ſpondeo, tibi acerbitatem iſtam, & iniuriam non diuturnam fore. nam & ipſe, qui plurimum poteſt, quotidie mihi delabi ad aequitatem, & ad rerum naturam uidetur: & ipſa cauſſa ea eſt, ut iam ſimul cum rep. quae in perpetuum iacere non poteſt, neceſſario reuiuiſcat, atque recreetur: quotidieq. fit uliquid lenius, & liberalius, quam timebamus. quae quoniam in temporum inclinationibus ſaepe paruis poſita ſunt: omnia momenta obſeruabimus, neque ullum praetermittemus tui iuuandi, & leuandi, locum. itaque illud alterum, quod dixi, litterarum genus quotidie mihi, ut ſpero, fiet procliuius, ut etiam polliceri poſſim. id re, quam uerbis, faciam libentius. Tu uelim exiſtimes, & plures te amicos habere, quam qui in iſto caſu ſint, ac fuerint, quantum quidem ego intelligere potuerim; & me concedere eorum nemini. Fortem fac animum habeas, & magnum: quod eſt in uno te. quae ſunt in fortuna, temporibus regentur, & conſilijs noſtris prouidebuntur. Vale.*

## E X P L A N A T I O

T A L I *enim tempore aut conſolari amicorum eſt, aut polliceri.* } Similis ſententia in ep. 13. in principio, & lib. IV. ep. 13. I N I V R I A M. T E M P O R V M, } temporibus aſsignat, quod hominum eſt: ut in epiſtola proxima, quod conſilij fuit, in caſum confert. haec deriuatio culpae cautionem habet, ne laedatur is, qui quo animo ſit, magni refert in utramque partem. ep. 21. lib. v. Iniuriam appellat: item ep. 5. lib. VI. nulla temporum, aut hominis cuiuſquam mentione facta. M A G N V M *fructum ſtudiorum optimorum capis*: } docent enim hoc maxime litterarum ſtudia, nihil eſſe curandum praeter culpam. I D Q. V T. F A C I A S, } non refero hoc ad proxima, ſed ad ſuperiora illa uerba, Magnum fructum &c. S I M V L *& illud* } iam incipit aliquid polliceri: ut ad conſcientiam uitae ante actae, ſpes etiam accedat futurae incolumitatis. R E R V M, *& exemplorum*, } uſum rerum, & doctrinam ſignificat: quod utrumque uitae genus Trebianus coluiſſet, τὸ πρακτικὸν, ex Dicaearchi praecepto, καὶ τὸ θεωρητικὸν, a Theophraſto laudatum. P L V S. E T I A M, *quam uellem*, } ob incommoda, quae ſuſtinui. Q V I *plurimum poteſt*, } Caeſar. ep. 13. lib. IV. ſic locutus eſt. eandem ſententiam ep. 7. lib. IV. tribus modis expreſſit: Ei, penes quem eſt poteſtas: Ita late patet eius poteſtas, ut orbem terrarum complexa ſit: Is, qui tenet remp. Dixit etiam, Qui omnia tenet: Cuius dominatu locus uacat nullus: Ad quem unum omnia delata ſunt: ep. 8. 9. eiuſdem libri. D E L A B I *ad aequitatem*, } aequitas a ſummo iure diſcedit. ſummum ius perſequebatur Caeſar, cum eos, a quibus laeſus erat, ulciſcebatur. quod ſi non tantum iniuriam, qua ipſe eſſet affectus, uerum alia quoque ſimul cogitaret, uerbi cauſſa, qui Pompeium ſecuti eſſent, alios id ami

citiae

citiae dediſſe, alios reip. quod eam crederent in Pompeij & conſulum caſtris eſſe; praeterea, ſatis eos iam dediſſe poenarum; pertuliſſe incommoda, quae bellorum natura fert; caruiſſe patria, liberis, fortunis; nec poſſe talibus uiris remp. carere diutius; haec ſi cogitaret, delaberetur ad aequitatem, nec ſummo, ut antea, iure agendum putaret. AD. RERVM *naturam* } ut homo hominem tueatur, ac diligat. odiſſe enim, & laedere, uiolentum quiddam eſt, non ex rerum natura. ep. 6. Rerum hoc natura, & ciuilium temporum non patietur. IPSA. CAVSSA } dixi iam ep. I. lib. I. Cauſſam interdum id uocari, quod ad aliquem pertinet: ut, Pompeij cauſſa iuſtior, quam Caeſaris. CVM. REP. } de hac ſpe, quae ab ipſa reuiuiſcente rep. capi poſſet, uide infra, ep. 12. Scis, inquit, me antea ſic ſolitum eſſe ſcribere ad te, magis ut conſolarer fortem uirum, atque ſapientem, quam ut exploratam ſpem ſalutis oſtenderem, niſi eam, quam ab ipſa rep. cum hic ardor exſtinctus eſſet, ſperari oportere cenſerem. Et ep. 13. lib. IV. Etiam illa, quae minimum nunc quidem poteſt, ſed poſsit neceſſe eſt, reſp. quaſcumque uires habebit, ab ijs ipſis, quibus tenetur, de te propediem mihi crede impetrabit. QVAE. QVONIAM } ea, quae lenius, ac liberalius fiunt. IN. TEMPORVM *inclinationibus* } opportunitates temporum, uel paruae, ad impetrandum ſaepe adiuuant. qua de re uide ep. 16. lib. II. LEVANDI } qui iuuat, idem dolore leuat. uel, *Leuandi*, calamitate exſulij. PROCLIVIVS, } facilius: quia per cliuos facile deſcenditur. ſic Off. lib. 2. Dictu quidem eſt procliue. & in Laelio: Amicitia remiſsior eſſe debet, & ad omnem comitatem facilitatemq. procliuior. In Tuſculana tamen quarta: Haec in bonis rebus, quod alij ad alia bona ſunt aptiores, facilitas nominetur; in malis Procliuitas; ut ſignificet lapſionem. QVOD *eſt in uno te.* } hoc ipſi praeſtare non poſſumus; in te uno ſitum eſt. QVAE *ſunt in fortuna*, } praeſentem eius calamitatem ad fortunam refert; & eam non fore perpetuam oſtendit, cum ait, Temporibus regentur: ideſt, ratio temporum moderabitur: nos autem, quantum conſilio licebit, occurremus.

# Argumentum ep. II.

*REditum in patriam Dolabellae maxime beneficio impetratum nũciat. gratulationem ab ipſo expoſcit: gratiarum actionem repudiat. iacturam fortunarum ut aequiore animo ferat, hortatur: quando nec rei familiaris damnum cum acquiſitae dignitatis lucro conferri debeat; nec priuata res, cum publica ſit amiſſa, magnopere curanda uideatur. Praedicationem ſuorum in illum officiorum ſibi non ingratam eſſe confitetur. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Trebiano.* II.

DOLABELLAM *antea tantummodo diligebam; obligatus ei nihil eram. nec enim acciderat mihi opus eſſe: & ille mihi debebat, quod non defueram eius periculis. nunc tanto ſum deuinctus eius beneficio, quod & antea in re, & hoc tempore in ſalute tua cumulatiſſime mihi ſatisfecit, ut nemini plus debeam. qua in re tibi gratulor ita uehementer, ut te quoque mihi gratulari, quam gratias agere, malim. alterum omnino non deſidero; alterum uere facere poteris. Quod reliquum eſt: quando tibi uirtus, & dignitas tua reditum ad tuos aperuit; eſt tuae ſapientiae, magnitudinisq. animi, quid amiſeris, obliuiſci; quid recuperaueris, cogitare. uiues cum tuis: uiues nobiſcum: plus acquiſiuiſti dignitatis, quam amiſiſti rei familiaris: quae ipſa tum eſſet iucundior, ſi ulla res eſſet publica. Veſtorius, noſter familiaris, ad me ſcripſit, te mihi maximas gratias agere. haec praedicatio tua mihi ualde grata eſt: eaq. te uti facile patior cum apud alios, tum mehercule apud Sironem, noſtrum amicum. quae enim facimus, ea prudentiſſimo cuique maxime probata eſſe uolumus. Te cupio uidere quamprimum. Vale.*

## EXPLANATIO

DOLABELLAM } P. Cornelium Dolabellam, antea Ciceronis generum: de quo ſupra diximus. diuortium iam cum Tullia fecerat, quo tempore ſcripta eſt haec epiſtola. id licet conijcere ex ep. 23. ad Att. lib. II. quae ſcripta eſt ante bellum Africanum: hae uero ad Trebianum omnes poſt id bellum. nec uero ſimul cum affinitate dirempta amicitia eſt. (niſi ſi temporum cauſſa ſimulatum eſt) exſtant Ciceronis epiſtolae lib. IX. ad Dolabellam inſigni cum amoris argumento: & haec ipſa, prodeſſe Ciceroni gratiam Dolabellae apud Caeſarem in amicorum negotijs, demonſtrat. NON *defueram eius periculis.* } bis eum Cicero, ante filiam ſuam ei collocatam, in capitis periculo defenderat. ep. 10. lib. III. QVAM *gratias agere*, } reſpuit enim uerus amor gratiarum actionem. VERE *facere poteris.* } quia maxime gaudeo impetrata ſalute tua; ideo, ſi mihi gratulaberis, iure, & uere facies. nam, uere gratulari, eſt, cũ cauſſa

gratulari, ut in epiſtola ſequenti. VIRTVS,} antea cognita. hic Virtus non fortitudinem, non doctrinam, ſed praeſtantiam quandam in magnis rebus demonſtrat. nominatur autem ſimul cum dignitate, ut in ep.5. quo loco Virtutis nomen eadem ſignificatione uſurpatur. DIGNITAS} Trebianus, ut ex epiſt.9. intelligitur, equeſtris ordinis fuit: dignitas tamen ei, tamquam honor cum ordine coniunctus, tribuitur, & in eadem epiſtola, & in hac. EST. TVAE *ſapientiae, magnitudiniſq. animi,*} ſapientiae, ut anteponendam rei familiari dignitatem iudicet; magnitudinis animi, ut illam iacturam negligat, fortiterq. ferat. Vtramque coniunxit & ep.5. lib.1. cum ait: Tuae ſapientiae, magnitudiniſq. animi eſt, omnem amplitudinem, & dignitatem tuam in uirtute, atque in rebus geſtis tuis, atque in tua grauitate poſitam exiſtimare. VESTORIVS,} Puteolanus, de quo ſaepe fit mentio in ep. ad Att. AD. ME *ſcripſit, te mihi maximas gratias agere.*} erat igitur Trebianus ubi Veſtorius, & fortaſſe Puteolis, quia Puteolanus Veſtorius. FACILE. PATIOR} de hoc genere loquendi ſatis dictum eſt ep.9. lib.1. & ep.7. lib.v. EA. PRVDENTISSIMO. CVIQVE} ſimilem ſententiam uide in ep.13. lib.2. Confirmantur noſtra conſilia, cum ſentimus prudentibus, fideliterq. ſuadentibus idem uideri.

# Argumentum ep.12.

*GRatulatur Balbo de reditu impetrato: nec amplius conſolationem eſſe neceſſariam confirmat, re iam confecta. qua in parte dum uerſatur, quaedam colligit ad laudem. remp. tamen plane perditam ſignificat, nec ſe medicinam ullam, praeter litteras, inuenire. Eodem anno.*

## *Cicero S: D. Ampio Balbo.* 12.

GRATVLOR *tibi, mi Balbe, uereq. gratulor: nec ſumtam ſtultus, ut te uſura falſi gaudij frui uelim, deinde frangi repente, atque ita cadere, ut nulla res te ad aequitatem animi poſtea poſſit extollere. Egi tuam cauſſam apertius, quam tempora noſtra ferebant. uincebatur enim fortuna ipſa debilitatae gratiae noſtrae tui caritate, & meo perpetuo erga te amore, culto a te diligentiſſime. omnia promiſſa, confirmata, certa, & rata ſunt, quae ad reditum, & ſalutem tuam pertinent. uidi, cognoui, interfui. etenim omnes Caeſaris familiares ſatis opportune habeo implicatos conſuetudine, & beneuolentia, ſic, ut, cum ab illo diſceſſerint, me proximum habeant. hoc Panſa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Poſtumius plane ita faciunt, ut me unice diligant. quod ſi mihi pro me efficiendum fuiſſet, non me paeniteret pro ratione temporum ita eſſe molitum. ſed nihil eſt a me inſeruitum temporis cauſſa. ueteres mihi neceſſitudines cum his omnibus intercedunt: quibuſcum ego agere de te non deſtiti: principem tamen habuimus Panſam, tui ſtudioſiſſimum, mei cupidum; qui ualet apud illum non minus auctoritate, quam gratia. Cimber autem Tillius mihi plane ſatisfecit. ualent tamen apud Caeſarem non tam ambitioſae rogationes, quam neceſſariae: quas quia Cimber habebat, plus ualuit, quam pro ullo alio ualere potuiſſet. diploma ſtatim non eſt datum; quod mirifica eſt improbitas in quibuſdam, qui tuliſſent acerbius, ueniam tibi dari, quem illi appellant tubam belli ciuilis: multaq. ita dicunt, quaſi non gaudeant id bellũ incidiſſe. quare uiſum eſt occultius agendum, neque ullo modo diuulgandum, de te iam eſſe perfectum: ſed id erit perbreui: nec dubito, quin, legente te has litteras, confecta iam res futura ſit. Panſa quidem mihi, grauis homo, & certus, non ſolum confirmauit, uerum etiam recepit, perceleriter ſe ablaturum diploma. mihi tamen placuit haec ad te perſcribi. minus enim te firmum ſermo Appuleiae tuae, lacrumaeq. Ampiae declarabant, quam ſignificant litterae tuae. atque illae arbitrabantur, cum a te abeſſent ipſae, multo in grauiore te cura futurum. quare magnopere putaui, angoris, & doloris tui leuandi cauſſa, pro certis ad te ea, quae eſſent certa, perſcribi oportere. Scis me antea ſic ſolitum eſſe ſcribere ad te, magis ut conſolarer fortem uirum atque ſapientem, quam ut exploratam ſpem ſalutis oſtenderem, niſi eam, quam ab ipſa rep. cum hic ardor exſtinctus eſſet, ſperari oportere cenſerem. recordare tuas litteras, quibus & magnum animum mihi ſemper oſtendiſti, & ad omnes caſus ferendos conſtantem, atque paratum. quod ego non mirabar; cum recordarer te et a primis temporibus aetatis in rep. eſſe uerſatum; & tuos magiſtratus in ipſa diſcrimina incidiſſe ſalutis, fortunarumq. communium; & in hoc ipſum bellum eſſe ingreſſum, non ſolum ut uictor beatus, ſed etiam, ſi ita accidiſſet, uictus ut ſapiens eſſes. Deinde, cum ſtudium tuum conſumas in uirorum fortium factis memoriae prodendis, conſiderare debes, nihil tibi eſſe committendum, quamobrem eorum, quos laudas, non te ſimilem praebeas. Sed haec oratio magis eſſet apta ad illa tempora, quae iam effugiſti. nunc uero tantum te para ad haec nobiſcum ferenda. quibus ego ſi quam medicinam inuenirem, tibi quoque eandem traderem. ſed eſt unum perfugium, doctrina, ac litterae, quibus ſemper uſi ſumus: quae ſecundis rebus delectationem modo habere uidebantur, nunc uero etiam ſalutem. Sed, ut ad initium reuertar, caue dubites, quin omnia de ſalute, ac reditu tuo perfecta ſint. Vale.*

EXPLA-

# EXPLANATIO

AMPIO. BALBO} uidetur is eſſe, ad quem ſcribit ep. 29. lib. x. quod ſi ita eſt; collocari illam epiſtolam ante hanc oportuit; ut ex utriusque cognoſcitur argumento. idem commendatur ep. 70. lib. XIII. Quattuor Balbos inuenio, unum hunc Ampiae gentis; alterum Atiae, qui Iuliam, C. Caeſaris ſororem, in matrimonio habuit, ex qua genuit Atiam, Auguſti matrem; duos reliquos Gadibus natos, & ciuitate Romana donatos, Corneliae gentis: quorum alter Balbus maior, alter minor, eius fratre genitus, uocatus eſt. maior eſt, qui nominatur inter Caeſaris amiciſsimos in hac ipſa epiſtola, & in ep. 8. 19. & in 5. 7. 18. lib. VII. & in 17. lib. IX. pro quo exſtat egregia Ciceronis oratio. primus in Oceano genitorum conſulatum eſt adeptus, ut ait Plinius lib. VII. cap. 43. Minor Balbus ex Africa triumphauit, ut idem Plinius lib. v. cap. 5. Strabo lib. III. Solinus. nominatur a Cicerone ep. XI. lib. IIX. ad Att. a Pollione ep. 32. lib. x. FRANGI} cognita ueritate. AD. AEQVITATEM. ANIMI} in qua ſunt, qui dolore uacant. TVI. CARITATE,} mea in te caritas cogebat, ut apertius tuam cauſſam agerem, quam permittere uidebatur fortuna noſtra. Infra: Nihil eſt a me inſeruitum temporis cauſſa. VIDI, COGNOVI, INTERFVI.} tribus uerbis, nulla copula interpoſita, uis ſumma perficitur. tale illud pro Milone: Eſt haec, iudices, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus. Et Phil. XIV. Hoſtes nefarios proſtrauit, fudit, occidit. Interdum & quattuor uerbis, ut in Catilinam: Abijt, exceſsit, euaſit, erupit. SATIS OPPORTVNE} cum eorum gratia, & auctoritas magno nobis emolumento & fuerit nunc, & eſſe poſſit. CVM. AB. ILLO *diſceſſerint*} ep. 9. lib. I. Sic enim te exiſtimare uolo, me, cum a uobis, meae ſalutis auctoribus, diſceſſerim, neminem eſſe, cuius officijs me tam eſſe deuinctum, non ſolum confitear, ſed etiam gaudeam. PANSA,} C. Panſa, Vibiae gentis, ut mei teſtantur duo ueteres argentei nummi. conſul fuit cum A. Hirtio, anno poſt Caeſaris necem. I. tribunatum geſſerat Sulpicio & Marcello cos. ut indicat Coelius in epiſtola lib. IIX. cuius initium eſt, Etſi de rep. Mutinenſi pugna duobus uulneribus acceptis, Bononiae perijt, ut ait Appianus. uide ep. 30. lib. x. & ep. 33. eiusdem libri, & Phil. XIV. & Dionem lib. XLVI. Huius in ſe beneuolentiam ſummam non hic modo, uerum & in Phil. VII. Cicero declarat his uerbis: Quamquam nos ab ineunte illius aetate uſus, conſuetudo, ſtudiorum etiam honeſtiſſimorum ſocietas, ſimilitudoq. coniunxit: eiuſdemq. curam incredibilem in aſperrimis belli ciuilis periculis perſpexi non modo ſalutis, ſed etiam dignitatis meae. HIRTIVS,} Panſae collega in conſulatu, qui eodem in proelio occiſus eſt. Homo nouus, ut Cicero etiam noſter fuit: atque hoc illi exprobrauit M. Antonius epiſtola illa, quae eſt in Phil. XIII. Acerbiſsimum, inquit, eſt, te, A. Hirti, ornatum eſſe beneficijs Caeſaris, & talem ab eo relictum, qualem ipſe miraris. & Cicero, ad excuſandam eius nouitatem, ita ſcripſit in quadam ad illum epiſtola: Cum nobilitas ſit nihil aliud, quam cognita uirtus; quis in eo, quem ueteraſcentem uideat ad gloriam, generis antiquitatem deſideret? Dio unum fuiſſe ait e filijs proſcriptorum a Sulla, & a Caeſare ad honores elatum. Huic Cicero, poſt diuortium Terentiae, ſororem ſibi in matrimonium offerenti, reſpondit, ſe philoſophiae ſimul, & uxori operam dare non poſſe. auctor D. Hieronimus lib. I. ad Iouinianum. BALBVS, OPPIVS,} uide, quae diximus ep. 8. MATIVS,} uirum doctiſsimum appellat ep. 15. lib. VII. eius habemus diſertiſsimam epiſtolam lib. XI. POSTVMIVS} Caeſaris & hic familiaris, fortaſſe is, qui Siciliae praefuerat. ep. 8. uel qui ep. 10. lib. XIV. ad Att. nominatur. PLANE *ita faciunt*,} ad illud refertur, Me proximum habeant. ut ſit: hoc ita multis officijs praeſtant, ut amorem ſingularem mihi declarent. PRO. ME} pro ſalute mea. ueteres libri omnes, quos inſpicere ſoleo dubijs in locis, habent, Per me. nec diſplicet. Egeat Cicero per familiares Caeſaris, amicos ſuos, non per ſe ipſum, cuius auctoritas, & gratia non erat eiusmodi, ut aliorum incolumitatem deprecari poſſet. ita porro in Ampij ſalute impetranda ei ſatisfecerant amici eius omni ſedulitate, atque officio, ut uix ipſe Cicero, ſi auctoritatem, & gratia pari fuiſſet, agere potuiſſet. Agere autem per aliquem, eſt, alicuius opera uti. & in ep. 9. dixit: Agam per me ipſe, & moliar. Quocirca uidendum, an rectius ſit, Per me, quam Pro me. nam, nec libenter diſcedo ab antiquis libris; nec hic quidem, ut diſcedam, ſententia poſtulat. MOLITVM.} Moliri, eſt, ſine propoſito aliquid agere. ep. 9. NIHIL *eſt a me inſeruitum temporis cauſſa.*} hoc eſt, quod paullo ante dixit, Egi tuam cauſſam apertius, quam tempora noſtra ferebant. NON *minus auctoritate, quam gratia.*} gratia adoleſcentes ualere poſſunt, auctoritate non poſſunt. nam auctoritas quaedam exiſtimatio eſt parta rebus egregijs, in quibus grauitas, & conſilium enituerit. CIMBER *autem Tillius*} ſic placet, ut alij emendarunt; licet ueteres aliquot libri Tullius habeant. MIHI *plane ſatisfecit.*} Hic locus oſtendit, Cimbrum inter Caeſaris familiares fuiſſe. quod ſi quis ambigit, Senecam legat lib. III. de Ira: qui ait eum Caeſaris partium ciuili bello defenſorem acerrimum fuiſſe. Poſtea coniurauit in Caeſarem, primasq. partes in eo necando ſuſcepit. Suetonius, Plutarchus. NON *tam ambitioſae, quam neceſſariae:*} ſic ep. 6. Cedit multorum iuſtis, & officio incenſis, non inanibus, aut ambitioſis uoluntatibus, Et in oratione pro Ligario: Video cauſſas rogantium ualere plus apud te, quam preces, ab ijsq. te moueri maxime, quorum iuſtiſsimum dolorem uideas in petendo. QVAS *quia Cimber habebat*,} uidetur fuiſſe Cimber Ampij propinquus. DIPLOMA} litterae Caeſaris obſignatae, reditum Ampio, & incolumitatem dantes. TVBAM *belli ciuilis:*} quo ciues ad bellum ita uocarentur, ut ad proelium uocari milites ſolent. Tale

illud

illud Phil. VII. Bellicum me cecinisse dicunt. QVASI *non gaudeant*,} ob direpta, uel paruo empta pro ſcriptorum bona. RECEPIT,} Recipere, plus eſt, quam promittere. ep. 28. lib. XIII. & ep. 8. lib. V. qui enim in ſe recipit, praeſtaturum ſe promittit. ep. 41. lib. XIII. dixit: Confirmo, & ſpondeo. EPVLEIAE} uxoris. nam Ampia, filia: quia feminae gentis nomine appellabantur. Fuluij liber unus, Appuleiae: reliqui omnes, Eppuleiae: quorum conſenſu moueor: licet Eppuleiae gentis mentionem alibi non uiderim: Eppiam quidem exemplis non paucis cognitam habemus. NISI *eam, quam*} quam ſpem ab ipſa rep. ſperari oportere cenſerem. Omnino durius uidetur, Sperare ſpem. itaque Lambinus legit, Niſi eius: ut ſit, eius ſalutis. AB *ipſa rep.*} quae, belli ardore exſtincto, iacentem bonorum cauſſam ſubleuabit. Sic ep. 10. Cauſſa, inquit, ea eſt, ut iam ſimul cum rep. quae in perpetuum iacere non poteſt, neceſſario reuiuiſcat, atque recreetur. Et in ep. 13. lib. IV. Quae minimum nunc quidem poteſt, ſed poſſit neceſſe eſt. CVM *recordarer te*} tacita cohortatio ad conſtantiam. commemorantur enim ea, quae ſapientiam, & animi magnitudinem pariunt. IN *rep. eſſe uerſatum*;} hoc dicit, quia diuturna reip. adminiſtratione prudentia comparatur: qua qui praediti ſunt, aduerſis caſibus minime franguntur. IN *ipſa diſcrimina*} in belli ciuilis initia. itaque iam ab eo tempore, quae acciderunt, ſuſpicari, ac diuinare potuiſti. cur igitur mirarer conſtantiam tuam in ijs rebus, quarum euentum aliquanto ante proſpexeras? SED *etiam, ſi ita accidiſſet uictus ut ſapiens eſſes.*} libri aliquot ueteres: Sed etiam ut, ſi ita accidiſſet, uictus & ſapiens eſſes. alij: Sed etiam ut, ſi ita accidiſſet, uictus ut ſapiens eſſes. quos ita ſum ſecutus, ut primum, Vt, induxerim, tamquam non neceſſarium. ſententia ſimilis ep. 1. Si id euenit, quod ingredientibus nobis in cauſſam propoſitum fuit accidere poſſe; non debemus ita cadere animis, quaſi aliquid euenerit, quod fieri poſſe numquam putarimus. Et ep. 6. Sin propter incertos exitus, euentusq. bellorum poſſe accidere, ut uinceremur, putaſſes; non debere ad ſecundam fortunam bene paratum fuiſſe, aduerſam ferre nullo modo poſſe. MEMORIAE. PRODENDIS,} Ampius hic hiſtoriam ſcribebat. SIMILEM *praebeas.*} eadem ſententia in ep. 1. lib. 1. ad Q. fratrem: Tuberonem arbitror, cum ſcribat hiſtoriam, multos ex ſuis annalibus poſſe deligere, quos uelit, & poſsit imitari. AD. HAEC} quae communia ſunt: quando illa propria iam effugiſti. QVAE *ſecundis rebus delectationem modo uere uidebantur, nunc uero etiam ſalutem.*} idem ep. 3. lib. IV. & ep. 23. lib. IX.

---

# Argumentum ep. 13.

*BEne ſperare Ligarium iubet: hortaturq. ut interea fortem animum habeat. Scripta eſt poſt Africanum bellum, eodem fere tempore, quo M. Marcellus reſtitutus eſt. quod intelligitur ex oratione pro ipſo habita, quae exſtat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Q. Ligario.* 13.

ETSI *tali tuo tempore me aut conſolandi, aut iuuandi tui cauſſa ſcribere ad te aliquid pro noſtra amicitia oportebat: tamen adhuc id non feci; quia neque lenire uidebar oratione, neque leuare poſſe dolorē tuum. poſtea uero quam magnam ſpem habere coepi, fore, ut te breui tempore incolumen haberemus: facere non potui, quin tibi & ſententiam, & uoluntatem declararem meam. Primum igitur ſcribam, quod intelligo, & perſpicio, non fore in te Caeſarem duriorem. nam & res eum quotidie, & dies, & opinio hominum, &, ut mihi uidetur, etiam ſua natura mitiorem facit. idq. cum de reliquis ſentio, tum de te etiam audio ex familiariſſimis eius; quibus ego ex eo tempore, quo primum ex Africa nuncius uenit, ſupplicare una cum fratribus tuis non deſtiti: quorum quidem & uirtus, & pietas, & amor in te ſingularis, & aſſidua, & perpetua ſalutis tuae cura tantum proficit, ut nihil ſit, quod non ipſum Caeſarem tributurum exiſtimem: &, ſi tardius fit, quam uolumus; magnis occupationibus eius, a quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt: & ſimul Africanae cauſſae iratior, diutius uelle uidetur eos habere ſollicitos, a quibus ſe putat diuturnioribus eſſe moleſtijs conflictatum. ſed hoc ipſum intelligimus eum quotidie remiſſius, & placatius ferre. Quare mihi crede, & memoriae manda, me tibi id affirmaſſe, te in iſtis moleſtijs diutius non futurum. Quando, quid ſentirem, expoſui; quid uellem tua cauſſa, re potius declarabo, quam oratione. etſi tantum poſſem, quantum in ea rep. de qua ita meritus ſum, ut tu exiſtimas, poſſe debebam; ne tu quidem in iſtis incommodis eſſes. eadem enim cauſſa opes meas fregit, quae tuam ſalutem in diſcrimen adduxit. ſed tamen, quidquid imago ueteris meae dignitatis, quidquid reliquiae gratiae ualebunt, ſtudium, conſilium, opera, gratia, fides mea nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem ſemper habuiſti; primum ob eas cauſſas, quas ſcripſi; deinde, quod ea de rep. ſemper uoluiſti, atque ſenſiſti, ut non modo nunc ſecunda ſperare debeas, ſed etiam, ſi omnia aduerſa eſſent, tamen, conſcientia & factorum, & conſiliorum tuorum, quaecumque acciderent, fortiſſimo, & maximo animo ferre deberes. Vale.*

## EXPLANATIO

TALI. TVO *tempore*} exſulabat Ligarius, quod in Africa in Pompeianis partibus fuiſſet. uide orationem. AVT *conſolandi, aut iuuandi tui cauſſa*} ep.13.lib.IV. In quo debebat eſſe aut promiſsio auxilij alicuius, aut conſolatio doloris tui. & ep.10. huius libri: Tali tempore aut conſolari amicorum eſt, aut polliceri. ET *ſententiam, & uoluntatem*} ſentiebat, in eum non fore Caeſarem duriorem: quid autem eius cauſſa uellet, re potius, quam uerbis, ſe eſſe declaraturum, infra dicit. RES} ep.10. Ipſa cauſſa ea eſt, ut iam ſimul cum rep. quae in perpetuum iacere non poteſt, neceſſario reuiuiſcat. DIES,} quae omnia minuit, ac mollit. ep.5.lib.IV. ep.16.lib.V. ep.28.lib.VII. OPINIO *hominum,*} quia uidet bene homines de te ſentire; nec putare, diutius eum huic iraſci cauſſae oportere. MITIOREM} Durum, & Mite opponuntur. Mitiorem igitur ſubiunxit, quin, Duriorem, dixerat. EX *Africa nuncius*} de Pompeianis in Africa deuictis. IPSVM} ſua ſponte, nemine ſupplicante aut intercedente. DIVTVRNIORIBVS *moleſtijs,*} arma enim, ſemel in Theſſalia ſuperari, abijcere noluerunt. QVANTVM *in ea rep. de qua ita meritus ſum,*} idem ep.9. EADEM *cauſſa opes meas fregit, quae tuam ſalutem in diſcrimen adduxit.*} Eadem de cauſſa noſtrum uterque cecidit: ep.9. IMAGO *ueteris meae dignitatis,*} ep.9. Reliquiae priſtinae dignitatis, dixit. & ep.14. lib.IV. Ne ueſtigium quidem ullum eſt reliquum nobis dignitatis.

---

# Argumentum ep.14.

*EXordij loco, ſignificatio officij, & amoris eſt: narratio, quid actum cum Caeſare ſit de Ligarij incolumitate, demonſtrat: concludit epiſtolam cohortatio ad laetitiam, & conſtantis in eo iuuando animi promiſsio. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Ligario.* 14.

*ME ſcito omnem meum laborem, omnem operam, curam, ſtudium in tua ſalute conſumere. nam cum te ſemper maxime dilexi: tum fratrum tuorum, quos aeque, atque te, ſumma beneuolentia ſum complexus, ſingularis pietas, amorq. fraternus nullum me patitur officij erga te, ſtudijq. munus, aut tempus praetermittere. ſed, quae faciam, fecerimq. pro te, ex illorum te litteris, quam ex meis, malo cognoſcere: quid autem ſperem, aut confidam, & exploratum habeam de ſalute tua, id tibi a me declarari uolo. Nam, ſi quiſquam eſt timidus in magnis, periculoſisq. rebus, ſemperq. magis aduerſos rerum exitus metuens, quam ſperans ſecundos, is ego ſum: &, ſi hoc uitium eſt, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen, cum ad* II. *Kal. inter Kalares priores rogatu fratrum tuorum ueniſſem mane ad Caeſarem; atque omnem adeundi & conueniendi illius indignitatem, & moleſtiam pertuliſſem; cum fratres, & propinqui tui iacerent ad pedes; & ego eſſem locutus, quae cauſſa, quae tuum tempus poſtulabat; non ſolum ex oratione Caeſaris, quae ſane mollis, & liberalis fuit, ſed etiam ex oculis, & uultu, & multis praeterea ſignis, quae facilius perſpicere potui, quam ſcribere, hanc in opinionem diſceſſi, ut mihi tua ſalus dubia non eſſet. Quamobrem fac animo magno, fortiq. ſis: &, ſi turbidiſſima ſapienter ferebas, tranquilliora laete feras. ego tamen tuis rebus ſic adero, ut difficillimis: neque Caeſari ſolum, ſed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amiciſſimos eſſe cognoui, pro te, ſicut adhuc feci, libentiſſime ſupplicabo. Vale.*

## EXPLANATIO

SI. QVISQVAM *eſt timidus in magnis, periculoſisq. rebus, ſemperq. magis aduerſos rerum exitus metuens, quam ſperans ſecundos; is ego ſum:*} ingenua culpae confeſsio fidem facilius inuenit in alijs rebus. Et eſt concinna figura: Si quiſquam eſt, is ego ſum. ut etiam ep.4.lib.XV. Si quiſquam fuit umquam remotus, & natura, & magis etiam, ut mihi quidem, ſentire uideor, ratione, atque doctrina ab inani laude, & ſermonibus uulgi; ego profecto is ſum. Et lib.V. de Fin. Si eſt quiſquam, qui acute in cauſsis uidere ſoleat, quae res agatur; is es profecto tu. AD. II. KAL. *inter Kalares priores,*} locus perdifficilis, & qui ſine prolixa narratione explicari non poſſe uideatur. quare, indagandae, & oſtendendae gratia ueritatis, Cogitaui olim quaedam, quae filio meo communicata, & cum eo accurate a me perpenſa, peti poſſunt ab eius libro de Quaeſtijs per epiſtolam. INDIGNITATEM, *& moleſtiam:*} indignitas eſt, & moleſtia, cum ad principem uirum admitti, negotij cauſſa, cupientes, ambulare diutius ante oſtium fictas cauſſas afferente cubiculario, cogimur. ſedes enim ſaepe non uacant. quamquam, nec ſeſsio

diuturna,

diuturna dignitatem habet, quod Caeſarem ſenſiſſe Cicero indicat ep. I. lib. XIV. Proxime, inquit, cum Sextij rogatu apud eum fuiſſem, exſpectaremq. ſedens, quoad uocarer, dixiſſe eum: Ego dubitem, quia ſummo in odio ſim, cum M. Cicero ſedeat, nec ſuo commodo me conuenire poſsit? TVVM *tempus*} ita locutus eſt, ut cauſſae, ac temporis rationem haberet. SED *etiam ex oculis, & uultu,*} poteſt enim eſſe ficta oratio: ſed oculi ſunt indices animi: itaque non tam facile mentiuntur. lib. III. de Orat. & in Oratore: libro etiam tertio de Legibus, Oculi, inquit, nimis arguti, quemadmodum animo ſimul affecti, loquuntur. Et in epiſtola ad M. Antonium, lib. XIV. ad Att. Non ſolum ex oratione, ſed etiam ex uultu, & oculis, & fronte, ut aiunt, meum erga te amorem perſpicere potuiſſes. HANC *in opinionem diſceſsi,*} diſcedens in hanc opinionem ueni. TRANQVILLIORA} contrarium contrario reddidit. dixerat enim, Turbidiora.

---

# Argumentum ep. 15.

*EPiſtolae breuitas argumentum non deſiderat. quis enim ea contineri non uidet gratulationem, beneuolentiam, officium?*

## *Cicero S. D. Baſilio.* 15.

*TIBI gratulor: mihi gaudeo. te amo: tua tueor. a te amari, & quid agas, quidq. iſtic agatur, certior fieri uolo. Vale.*

## EXPLANATIO

TIBI *gratulor: mihi gaudeo.*} omnino utriuſque uerbi uim uel hic unus oſtendit locus: monendus tamen lector eſt, interdum & ad nos ipſos gratulationem conuerti: ut ep. II. lib. III. Complexus igitur ſum cogitatione te abſentem, epiſtolā uero oſculatus, etiam ipſe mihi gratulatus ſum. Et in epiſtola ad M. Brutum: De Caſsio laetor, & reip. gratulor, mihi etiam, qui ſententiam dixerim, ut Dolabellam bello Caſsius perſequeretur. Marcellus quoque in epiſtola ad Ciceronem, lib. IV. Hoc ego, inquit, mihi gratulor.

---

# Argumentum ep. 16.

*MVtui amoris commemoratione quaſi uiam ſibi ad petendum munit: petit autem, ut abſentem ſe tueatur; ſiquidem gratum fore non dubitet. Scripta quo anno interfectus eſt Caeſar: ſi modo hic Bithynicus ille eſt, quem Siciliae praetorem poſt Caeſaris necem praefuiſſe narrat Appianus. Antonio, & Dolabella cos.*

## *Bithynicus S. D. Ciceroni.* 16.

*SI mihi tecum non & multae, & iuſtae cauſſae amicitiae priuatim eſſent; repeterem initia amicitiae ex parentibus noſtris: quod faciendum ijs exiſtimo, qui paternam amicitiam nullis ipſi officijs proſecuti ſunt. itaque contentus ero noſtra ipſorum amicitia: cuius fiducia peto a te, ut abſentem me, quibuſcumque in rebus opus fuerit, tueare; ſi nullum officium tuum apud me interiturum exiſtimas. Vale.*

## EXPLANATIO

BITHYNICVS} Pompeiae gentis: cui genti cognomen hoc dedit Bithynia deuicta. Feſtus: Rutrum tenentis iuuenis eſt effigies in Capitolio, ephebi more Graecorum more ruentis exercitationis gratia. quod ſignum Pompeius Bithynicus ex Bithynia ſupellectilis regiae Romam deportauit. Nominatur etiam in libro de Claris orat. Q. Pompeius Bithynicus: ſed eum puto huius Bithynici patrem fuiſſe: nam illum inter mortuos oratores Cicero numerat in eo libro, qui ſcriptus uidetur ante exitum Africani belli.

ni belli. haec autem, & quae ſequitur epiſtola, ſcriptae ſunt, niſi me coniectura fallit, poſt Caeſaris necẽ. Huius autem pater, qui nominatur in epiſtola ſequenti, uidetur is eſſe, qui Bithynici cognomem adeptus eſt. quod ut ita eſſe conſtet, ipſa recitabo uerba Ciceronis, ex eo, quem proxime appellauimus, libro. Q. Pompeius, inquit, A. F. qui Bithynicus dictus eſt, biennio, quam nos, fortaſſe maior, ſummo ſtudio dicendi, multaq. doctrina, incredibili labore, atque induſtria: quod ſcrire poſſum: fuit enim mecum, & cum M. Piſone cum amicitia, tum ſtudijs, exercitationibusq. coniunctus. huius actio non ſatis commendabat orationem. in hac enim ſatis erat copiae, in illa leporis parum. Eius filium, poſt Caeſaris necem, Siciliae praepoſitum, Sex. Pompeius, Magni filius, occidit. Dio lib. XLIIX. TVEARE;} poſt Caeſaris necem ſumma fuit Ciceronis auctoritas in ciuitate. INTERMORITVRVM,} pro, moriturum, dixit. alibi tamen, Intermori, eſt morientium ſimilitudinem deficere.

---

# Argumentum ep. 17.

*SCribenti Bithynico, cupere ſe remp. conſtitutam, ut cum Cicerone ducere uitam poſset, reſpondet, ſe quoque eadem teneri cupiditate. deinde confirmat; ſi beneficia ſpectentur, coniunctiores ei, quam ſe, alios eſſe; ſi neceſsitudo, neminem.*

## *Cicero S. D. Bithynico.* 17.

*CVM ceterarum rerum cauſſa cupio eſse aliquando remp. conſtitutam: tum uelim, mihi credas, accidere id etiam, quo magis expetam promiſſum tuum, quo in litteris uteris. ſcribis enim, ſi ita ſit, te mecum eſſe uicturum. gratiſſima mihi tua uoluntas eſt: facisq. nihil alienum neceſſitudine noſtra, iudicijsq. patris tui de me, ſummi uiri. nam ſic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus ualuerunt, aut ualeant, coniunctiores tecum eſſe, quam me, neceſſitudine neminem. quamobrem grata mihi eſt & memoria tua noſtrae coniunctionis, & eius etiam augendae uoluntas. Vale.*

## EXPLANATIO

PATRIS. TVI} quem nominauit honorifice in Bruto, ut proxime oſtendi. VALVERVNT, *aut ualeant,*} ualuerat Caeſar, ualebat Antonius, qui, quo ano Caeſar perijt, conſul erat. CONIVNCTIORES *tecum eſſe,*} in Caeſaris partibus fuiſſe Bithynicum, & ab eo etiam ornatum, haec uerba demonſtrant: quibus Appiani teſtimonium accedit de Sicilia ei a Caeſare mandata.

---

# Argumentum ep. 18.

*AVdierat Lepta, ſcriptam eſſe legem a Caeſare, quam ferre propediem cogitaret, cum alijs de rebus, tum de creandis municipiorum decurionibus. &, quoniam familiares quoſdam ſuos, qui praeconium fecerant, fieri decuriones uolebat; ideo quaeſiuit a Cicerone per litteras, ut, ea de re quid in lege nondum promulgata ſcriptum eſſet, ex Balbo, Caeſaris familiariſsimo, cognoſceret. Reſpondet Cicero, quod ex Balbi codicillis cognouerat, licere ijs, qui praeconium feciſſent, in decurionibus eſſe; qui facerent, uetari. Reſcribit etiam de bello Hiſpanienſi, de Leptae negotio, de Oratore ſuo, de maſione urbana. Praeceptum in extremo dat Leptae filio, ut Heſiodum ediſcat, ac ſaepe recitet eius uerſus de uirtute per ſudorem comparanda. Scripta eſt eo anno, cum Caeſar, quartum conſul ſine collega, contra Pompeij liberos in Hiſpania pugnaret.*

## *Cicero S. D. Leptae.* 18.

SIMVL *accepi a Seleuco tuo litteras, ſtatim quaeſiui e Balbo per codicillos, quid eſſet in lege. reſcripſit, eos, qui facerent praeconium, uetari eſſe in decurionibus; qui feciſſent, non uetari. quare bono animo ſint & tui, & mei familiares. neque enim erat ferendum, cum, qui hodie haruſpicinam facerent, in ſenatu Romae legerentur, eos, qui aliquando praeconium feciſſent, in municipijs decuriones eſſe non licere. De Hiſpanijs noui nihil: magnum tamen exercitum Pompeium habere conſtat. nam Caeſar ipſe ad nos miſit exemplum Paciaeci litterarum; in quo erat, illi* XI. *eſſe legiones. ſcripſerat etiam Meſſalla Q. Salaſſo, P. Curtium, fratrem eius, iuſſu Pompeij, inſpectante exercitu, interfectum; quod conſenſiſſet cum Hiſpanis quibuſdam, ſi in opidum neſcio quod Pompeius rei frumentariae cauſſa ueniſſet, eum comprehendere, ad Caeſaremq. deducere. De negotio tuo, quod ſponſor es pro Pompeio: ſi Balbus conſponſor tuus redierit, homo in re familiari non parum diligens, non deſinam cum illo communicare, ſi quid expediri poſſit: quod uidebatur mihi ille confidere. Oratorem meum tantopere a te probari, uehementer gaudeo. mihi quidem ſic perſuadeo, me, quidquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contuliſſe. qui ſi eſt talis, qualem tibi uideri ſcribis: ego quoque aliquid ſum: ſin aliter; non recuſo, quin, quantum de illo libro, tantundem de mei iudicij fama detrabatur. Leptam noſtrum cupio delectari iam talibus ſcriptis. etſi abeſt maturitas aetatis: iam tamen perſonare aures eius huiuſmodi uocibus, non eſt inutile. Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus: ſed, cum ea, quemadmodum ſpero, ſatis firma ſit: teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam penſionem. et mehercule non tam ſum peregrinator iam, quam ſolebam. aedificia mea me delectabant, & otium. domus eſt, quae nulli uillarum mearum cedat: otium omni deſertiſſima regione maius. itaque ne litterae quidem meae impediuntur: in quibus ſine ulla interpellatione uerſor. quare, ut arbitror, prius hic te nos, quam iſtic tu nos uidebis. Lepta ſuauiſſimus ediſcat Heſiodum; & habeat in ore,*

„ Τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα. *&c.*

## EXPLANATIO

LEPTAE.} Q. Leptae, quo fabrum praefecto uſus eſt Cicero proconſul in Cilicia. ep.7. lib.III. SIMVL *accepi*,} uarius eſt huius aduerbij uſus. dicitur enim, Simul atque, Simul ac, Simul ut, Simul. hic quidem, ut ſcripſi olim adoleſcens, omnes libri ueteres, quos tunc uidere potui, habebant, Simul accepi, non Simul atque accepi, ut eſt in uulgatis libris. itidem nunc, inſpectis omnibus libris, quos ab amicis contrahere potui, uideo conſentire omnes cũ ij, quibus olim uſus ſum. itaque diſcedendũ, a ueteribus libris nõ cenſui, cum praeſertim ita locutos eſſe non modo Terentiũ, Lucretium, Virgilium, Horatiũ, uiderem; (nam ſermo poeticus ab oratorio non nihil differt) uerũ etiã Ciceronẽ ipſum, ut in Acad. lib.2. Simul tibicen inflauit, carmen agnoſcitur: & de Fin. lib.III. Simul autẽ cepit intelligentiam. Omitto alia eiuſdem generis exempla. quamquam, quibus hoc loquendi genus ignotum fuit, ij pro libidine ſaepe mutarunt Simul in Simul atque, uel Simul ac: in quo ſcripti libri, ſublato mendo, ueritatem reſtituunt. PER *codicillos*,} uide, quae de Codicillis diximus ep.12. lib.IV. IN. LEGE:} quam Caeſar, ubi Romam ex Hiſpania reuertiſſet, ferre cogitabat: ſcripſerat autem, uel ipſe ante quam iret in Hiſpaniam, uel, poſt profectionem, Balbus & reliqui familiares, ex eius ſententia: ut, ipſo in urbem reuerſo, promulgaretur, & ferretur. nam, ſi lata fuiſſet, uel etiam promulgata, non e Balbo, quid in ea eſſet Cicero quaeſiſſet. DECVRIONIBVS;} ſenatores uel coloniarum, uel municipiorum, decuriones uocabantur. & ut Romam ad ſenatum conſules, item in municipijs ad decuriones quattuor uiri, in colonijs duumuiri referebant. Ac nomine quidem ipſo decuriones, decem tantum uidentur: ſed plures fuiſſe conſtat ex eo, quod in ſecunda agraria centum nominantur. QVI *hodie haruſpicinam facerent*,} pungebat bonos uiros delata a Caeſare haruſpici Ruſpinae ſenatoria dignitas. Haruſpicinam, & extiſpicinem profeſsione artes eſſe, re uera non eſſe, tradit Sextus Empiricus aduerſus mathematicos cap.14. POMPEIVM} Cnaeum, Magni filium: qui, ad Mundam uictus, paullo poſt interfectus eſt. PACIAECI} L. Iunij Paciaeci, Hiſpani hominis, Romana ciuitate donati: quod praenomen, & nomen indicant. cognomen uero Hiſpanum fuiſſe, ſatis conſtat: cum hodie qnoque multi in ea prouincia Paciaeci nominentur. de hoc in libro de bello Hiſpanienſi. ILLI. XI *eſſe legiones*.} De copijs Pompeij ſic in libro de bello Hiſpanienſi: Erat acies XIII. aquilis conſtituta, quae lateribus equitatu tegebatur, cum leui armatura millibus ſex. praeterea auxiliares accedebant prope alterum tantum. ORATOREM *meum*} librum de perfecto oratore, quem Caecina nominauit ep.7. & ipſe ep. lib.XV. DE. DICENDO,} de ratione dicendi. Sic locutus lib.I. de Oratore: Quid ineptius, quam de dicendo dicere? TANTVNDEM} imperite nonnulli ſcribunt, Tantumdem. nam Priſcianus lib.I. admonet, n tranſire in m, ſequentibus d, t, c, q, ut tam tandem, tantum tantundem, idem identidem, num nuncubi. TVLLIAE *meae*} cum qua diuortium fecerat Dollabella. paullo enim poſt mentio fit de prima penſione ab eo exigenda: eademq. de re ep.21. lib.XVI. PARTVS:} ex partu Tulliam deceſsiſſe, Plutarchus auctor eſt. bis igitur peperit, ſemel ante pugnam Pharſalicam, cum in Graeciam ad Pompeium Cicero iturus eſſet; ut ep. ult. lib.X. ad Att. iterum, cum in Hiſpania Caeſar contra Pompeij liberos pugnaret: quod hic locus oſtendit. PRIMAM *penſionem*.} triennio, tribus penſionibus, poſt diuortium dos reddebatur: quod tempus annuam, bimam, trimam diem uocabant. dotis exactionem annua, bima, trima die celebrari uetuit Iuſtinianus, ut eſt lib.V. Cod. Sic

& Vlpia-

& Vlpianus, & Pomponius locuti ſunt. tertiae penſionis mentio ep. 23. lib. II. ad Att. AEDIFICIA} uillae. DOMVS} in Palatio. ep. 6. lib. v. EDISCAT} Aeſchines: Δεῖ παῖδας τῶν ποιητῶν γνώμας μανθάνειν, ὧν ἄνδρες χρῶνται. Iſocrates quoque ſententias Heſiodi laudat. Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα.} ſic Medicus liber: reliquos uerſus non habet. recte. ſatis enim eſt, primis uerbis locum indicare. quem ſaepe morem Cicero ſeruauit. Heſiodi uerſus hi ſunt:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι: μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον: ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται
Ῥηιδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Simonides etiam, apud Clementem Alexandrinum lib. IV. Stromatum, habitare uirtutem in rupibus difficillimis, dixit.

---

# Argumentum ep. 19.

*Lepta ſignificauerat, diuerſatum ſe eſſe apud Maculam, beneq. ab eo acceptum. deinde petierat a Cicerone, ut a Balbo curam ſibi eorum ludorum impetraret, quos Caeſar, deuictis iam in Hiſpania Pompeij liberis, per ſingulas regiones dare cogitabat; eaq. iam de te ad Balbum, & Oppium ſcripſerat. De Macula, reſpondet Cicero, gaudere ſe, quod officio functus eſſet, amicitiae, humanitatiq. debito: eiusq. Falernum laudat. Ludorum curationem non probat. Scripta eſt reuertente ad urbem Caeſare poſt Hiſpanienſe bellum.*

## *Cicero S. D. Leptae. 19.*

MACVLAM *officio functum eſſe gaudeo. eius Falernum mihi ſemper idoneum uiſum eſt diuerſorio: ſi modo tecti ſatis eſt ad comitatum noſtrum recipiendum. ceteroqui is mihi locus non diſplicet. nec ea re Petrinum tuum deſeram. nam & uilla, & amoenitas illa commorationis eſt, non diuerſorij. De curatione aliqua munerum regionum, cum Oppio locutus ſum. nam Balbum, poſtea quam tu es profectus, non uidi. tantis pedum doloribus afficitur, ut ſe conueniri nolit. omnino de tota re, ut mihi uideris, ſapientius faceres, ſi non curares. quod enim eo labore aſſequi uis, nullo modo aſſequere. tanta eſt enim intimorum multitudo, ut ex his potius aliquis effluat, quam nouo ſit aditus, praeſertim qui nihil afferat praeter operam, in qua ille ſe dediſſe beneficium putabit, ſi modo ipſum ſciet, non accepiſſe. ſed tamen aliquid uidebimus, in quo ſit ſpes. aliter quidem non modo non appetendum, ſed etiam fugiendum puto. Ego me Aſturae diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque ueniat. Vale.*

## EXPLANATIO

MACVLAM} fortaſſe Pompeium Maculam, amatorem Fauſtae, L. Sullae filiae: de quo Macrobius lib. 2. Sat. EIVS. FALERNVM} uilla in agro Falerno: de quo Plinius lib. XIV. cap. 6. Falernus ager a ponte Campano laeua petentibus urbanam coloniam Sullanam, nuper Capuae contributam, incipit. ſic Tuſculanum, Albanum, Pompeianum, Cumanum, uillae, nomine ſumpto a propinquis opidis, uel ab agro, ubi opida olim fuerant. DIVERSORIO:} etſi Diuertere, uerbum commune eſt, pertinetq. ad omnia loca, ſiue aliena, ſiue noſtra, ad quae de uia deflexîmus, paullo poſt diſceſſuri: diuerſorium tamen appellari non ſolet, quocumque diuertimus. aliquid enim habent proprium, quo differant, diuerſorium, hoſpitium, taberna, quam opinor cum caupona idem eſſe. DIVERSORIVM poteſt & alienum eſſe, quo diuertimus amicitiae cauſſa, nec pretio ſoluendo, nec diu manſuri; & noſtrum, noſtri commodi cauſſa emptum, aut aedificatum; ne uel ad hoſpitem, cui moleſti eſſe nolimus, uel ad cauponem diuertere cogamur. itaque ep. 23. lib. VII. Multo libentius, ait, emerim diuerſorium Tarracinae; ne ſemper hoſpiti moleſtus ſim. Hoſpitium duabus rebus cum diuerſorio congruit, una, quod modo noſtrum eſt, quo hoſpites excipimus; modo alienum, quo ipſi excipimur; altera quod gratuitum: duabus item diſcrepat; & quod ſanctiora quaedam iura obtinet, unde Hoſpitales dij, Hoſpitalis Iuppiter; & quod diuturnioris interdum commorationis eſt. hoſpites autem Cicero in oratione pro Cluentio, uſurpauit pro ijs, qui diuerſantur in caupona. Hominem, inquit, multorum hoſpitum, A. Binnium quendam, cauponem de uia Latina, ſubornatis, qui ſibi a Cluentio, ſeruisq. eius in taberna ſua manus allatas eſſe dicat.

Quo loco accepit hoſpites pro peregrinis, ut alibi quoque, non pro ijs, quorum ſancta iura ſunt. Taberna & Caupona, ut uerba Ciceronis, proxime recitata, demonſtrant, idem ſunt inter ſe, non idem tamen cum hoſpitio, & diuerſorio. ſiquidem illa & amicos tantum, & gratis accipiunt: hae uero amicum a peregrino non diſtinguunt, ſed alienis etiam, ignotisq. hominibus quaeſtus gratia patent. Hoc tamen animaduertendum, Tabernae ſignificationem latius patere, quam Cauponae. nam tabernarum plura genera, in quibus merces uenduntur, ut taberna libraria, orat. 2. in Antonium; tabernae ſutrinae, apud Tacitum lib. xv. argentarias etiam tabernas. Liuius appellauit lib. XXVI. non in quibus ueniret argentum, ſed pretio permutaretur, uel de manu, quod aiunt, in manum, uel ut alibi tantundem redderetur: quod hodie quoque fit. nec dubito, quin eisdem in tabernis fenori pecunia daretur. Tabernae ueteres & nouae, circa forum, ex Plauto, Varrone, Cicerone, Liuio, Plinio, cognoſcuntur. ideo Plautus in Men. & in Truc. diuerſoriae cognomen addidit, ut a reliquis tabernis diſtingueret. Sunt etiam tabernae, humiles aedes, ex tabulis fere confectae, in quibus pauperes habitant, unde Horatius: Pauperum tabernas, regumq. turres. Caupona uendit ea tantum, quae comeduntur, aut potantur. PETRINVM *tuum*} uillae nomen, a uico Petrino, qui fuit in Sinueſſano. Horatius ep. 15. lib. 1. Sinueſſanumq. Petrinum. COMMORATIONIS *eſt, non diuerſorij:*} ergo diuerſorij commoratio non eſt. quod ſupra oſtendimus. DE *curatione aliqua*} hac de re, ut opinor, ſic ep. 45. lib. XIII. ad Att. Balbum conueni. Lepta enim, de ſua ui in curatione laborans, me ad eum perduxerat. MVNERVM *regionum*,} & antiquus liber, & Suetonij teſtimonium, ipſa etiam ſententia me hortatur, ut, Regionum, legam. ludi enim ſignificantur, quos Caeſar, ſuperatis iam in Hiſpania Pompeij liberis, per ſingulas regiones dare cogitabat: id quod e Suetonij cognoſcitur hiſtoria. Ac, ne quis, mentione a me regionum facta, contradicendi occaſionem arripiat, quod ante Auguſtum diuiſa urbs non fuerit in regiones: ait enim de Auguſto Suetonius haec: Spatium urbis in regiones, uicosq. diuiſit: moneo lectorem, urbis regiones hic uocari quaſdam urbis partes a locis, licet earum certi fines nondum eſſent, qui poſtea ſtatuti ſunt ab Auguſto, Italiam, urbemq. in regiones diuidente. propterea & Suetonius dixit, ludos regionatim urbe tota a Caeſare, confectis bellis ciuilibus, datos eſſe. Alijs placet legere, Munerum regiorum: ut munera Caeſaris regis dicantur. quod nec improbo, nec tamē ſatis probo: licet regem appellari Caeſarem uideam ep. 37. lib. XIII. ad Att. non enim arbitror Ciceronem in ullis, praeterquam ad Atticum, litteris auſum eſſe regem Caeſarem appellare. ſed Attico nihil occultat, ſenſus omnes aperit, fretus eius amore, fide, ſummaq. ſapientia. BALBVM} quae Balbus, & Oppius, abſente Caeſare, agebant, ea ſolere illi rata eſſe, dictum eſt ep. 8. ASSEQVI. VIS,} ſperabat ita ſe beneuolentiam Caeſaris ea curatione conſecuturum, ut intimorum in numerum perueniret. PRAETER *operam*,} qua excepta, tu quoque nihil afferes. SI *modo ipſum ſciet*,} te ludos curaſſe: quod ignorare poteſt, in tanta maiorum rerum occupatione. NON. ACCEPISSE.} Hoc ipſum Cicero monet lib. 2. Off. Qui ſe, inquit, locupletes, honoratos, & beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio uolunt: quin etiam beneficium ſe dediſſe arbitrantur, cum ipſi quamuis aliquod magnum acceperint. Eiuſdem generis illud in ep. ad M. Antonium, lib. XIV. ad Att. Litterae tuae ſic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium uiderer, ſed accipere a te ita petente. ALIQVID *uidebimus, in quo ſit ſpes*,} in hac enim curatione ſpes ponenda non eſt. nam, quod eo labore aſſequi uis, nullo modo aſſequere, aliquid igitur uidebimus, unde ſperare liceat in eorum numerum, qui Caeſaris intimi familiares ſunt, poſſe te peruenire. Hanc ego loci huius eſſe omnino ſententiam arbitror: ad eamq. pertinent uerba, quae ſequuntur. non modo, inquit, non appetendum, ſed fugiendum arbitror, quidquid eiuſmodi ſit, ut, quod tu aſſequi uis, id ex eo aſſequi non queas. Sunt, quibus placeat, Species, non Spes: quod ita ſcriptum uideant in Mediceo libro. qui ſi ubique eſſet emendatus, non tam ſaepe ab eo diſcederent. Hic quidem, ut omittam eos libros, quibus olim uſus ſum, tredecim exemplaria, quorum non nulla haud parum antiqua ſunt, habent, Spes. quare, cum nec obſcura ſit ſententia; nec libri ueteres diſſentiant; mutandum nihil ſtatuo. ASTVRAE} ep. 38. ad Att. lib. XIII. ſignificat uelle ſe Aſturae Caeſarem ex Hiſpania redeuntem exſpectare.

---

## Argumentum ep. 20.

*Accuratae multa colligit, ut Toranio exſulanti perſuadeat, ne ſe commoueat. Conſolationem unam illam affert, qua etiam uſus eſt in ep. 4. ad Torquatum, nihil ijs horribile, aut extimeſcendum uideri, qui tum recte uixerint, tum aetate etiam eo iam peruenerint, ut uitae non multum ſupereſſe uideatur. Scripta belli Hiſpanienſis tempore.*

### Cicero S. D. Toranio. 20.

*D*EDERAM *triduo ante pueris Cn. Plancij litteras ad te: eo nunc ero breuior, teque, ut ante conſolabar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi eſſe utilius, quam ibidem opperiri, quoad ſcire poſſis, quid tibi agendum ſit. nam, praeter nauigationis longae, & hiemalis, & minime portuoſae periculum, quod uitaueris; ne illud quidem non, quamuis ſubito, cum certi aliquid audieris, te iſtinc poſſe proficiſci: nihil eſt praeterea, cur aduenientibus te offerre geſtias. multa praeterea metuo, quae cum Chilone noſtro cõmunicaui. quid multa? loco opportuniore in his malis nullo eſſe potuiſti, ex quo te, quocumque opus erit, facillime, & expeditiſſime conferas. quod ſi recipiet ille ſe, ad tempus aderis: ſin, quoniam multa accidere poſſunt, aliqua res eum uel impediet; uel morabitur: tu ibi eris, ubi omnia ſcire poſſis. hoc mihi prorſus ualde placet. De reliquo, ut te ſaepe per litteras hortatus ſum, ita uelim tibi perſuadeas, te in hac cauſſa nihil habere, quod timendum ſit, praeter communem caſum ciuitatis. qui etſi eſt grauiſſimus: tamen ita uiximus, & id aetatis iam ſumus, ut omnia, quae non noſtra culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus. Hic tui omnes ualent, ſummaq. pietate te deſiderant, & diligunt, & colunt. Tu & cura, ut ualeas; & te iſtinc ne temere commoueas.*

## EXPLANATIO

CN. PLANCII } pro quo exſtat oratio. QVOD *uitaueris*; } Toranius antea ſcripſerat, uelleſe neſcio quo accedere, ut aduenientibus ex Hiſpania ſe offerret, quos, ad impetrandam a Caeſare ſalutem ſuam, conciliare ſibi cupiebat. NE *illud quidem non, quamuis ſubito*, } ſic ueteres libri omnes, recte: nam duae negantes particulae, ne, non, affirmant: quod ignorat nemo: quaſi dixerit, & praeter illud, quamuis ſubito, cum certi aliquid audietis, te iſtinc poſſe proficiſci. Mendo locus uacat, contra quam nonnullis uiſum eſt: modus tamen loquendi, Ne illud quidem non, parum uſu tritus. ſed nec omnia Ciceronis ad hanc aetatem ſcripta peruenerunt; nec ea, quae ſingularia ſunt, qualia & in Cicerone ipſo, & in aliorum libris multa animaduertimus, damnare ſtatim, & eijcere, noſtri iudicij eſt. PROFICISCI: } ad urbem, cum de tua ſalute certi aliquid audieris. NIHIL *eſt praeterea*, } improbat eam rationem, qua Toranius adductus de loci mutatione cogitabat. cur, inquit, aduenientibus te offeras? CHILONE } ſic malo, ut eſt in Maffei libro, quam Cilone. Chilo, cognomentum eorum fuiſſe, qui labris eſſent maioribus, Feſtus docet. nam a Graeco, χεῖλος, deducitur. SI *recipiet illeſe*; } Si Caeſar ex Hiſpania redibit. Haec uerba nondum Hiſpanienſe bellum eſſe confectum demonſtrant: quod e ſequenti etiam epiſtola intelligitur. VEL *impediet, uel morabitur*: } ne ueniat, uel ne cito ueniat. VBI *omnia ſcire poſſis*. } ex litteris amicorum. non longe igitur Toranius aberat. IN *hac cauſſa* } in eo, quod ad Pompeianos omnes, belli ciuilis cauſſa exſulantes, pertinet. non enim interpretor, In hac cauſſa, quae ad te unum pertinet. PRAETER *communem caſum ciuitatis*. } praeter uniuerſae reip. interitum, dixit in epiſtola ſequenti. & ad Torquatum, ep. 1. idem ſcripſit. Reliquum eſt, inquit, ut te id ipſum, quod ego quaſi conſolationis loco pono, maxime excruciet, commune periculum reip. ITA *uiximus, & id aetatis iam ſumus*, } egregie ſententiam hanc explicauit ep. 4. Adiuuat, inquit, etiam aetas, & acta iam uita; quae cum curſu ſuo bene confecto iam delectatur, tum uetat in eo uim timere, quo nos iam natura ipſa paene perduxerit. PIETATE } uide ep. 1. lib. 1.

## Argumentum ep. 21.

*CONſolationis loco praeterita colligit: &, quid ipſe, amiſſa reip. ſalute, ſentiat, quaſi exemplum ad imitandum proponit. plurimum quidem ad leuandum dolorem ualere mentis optimae conſcientiam, oſtendit: Toranio autem, praeter communem caſum ciuitatis, nihil timendum: ſe quidem pro uirili curaturum omnia, quae ad ſalutem eius, ac liberos pertinere uidebuntur. Eodem anno.*

### Cicero S. D. Toranio. 21.

*E*TSI, *cum haec ad te ſcriberem, aut appropinquare exitus huius calamitoſiſſimi belli, aut iam aliquid actum, & confectum uidebatur: tamen quotidie commemorabam; te unum in tanto exercitu mihi fuiſſe aſſenſorem, & me tibi; ſolosq. nos uidiſſe, quantum eſſet in eo bello mali, in quo, ſpe pacis excluſa, ipſa uictoria futura eſſet acerbiſſima, quae aut interitũ allatura eſſet, ſi uictus eſſes, aut, ſi uiciſſes, ſeruitutem. itaque ego, quem*

tum

*tum fortes illi uiri, & ſapientes, Domitij, & Lentuli, timidum eſſe dicebant, (& eram plane; timebam enim, ne euenirent ea, quae acciderunt) idem nunc nihil timeo, & ad omnem euentum paratus ſum. cum aliquid uidebatur caueri poſſe, tum id negligi dolebam: nunc uero, euerſis omnibus rebus, cum conſilio proficí nihil poſſit, una ratio uidetur, quidquid euenerit, ferre moderate; praeſertim cum omnium rerum mors ſit extremum; & mihi ſim conſcius, me, quoad licuerit, dignitati reip. conſuliſſe, &, hac amiſſa, ſalutem retinere uoluiſſe. Haec ſcripſi, non ut de me ipſe dicerem, ſed ut tu, qui coniunctiſſima fuiſti mecum & ſententia, & uoluntate, eadem cogitares.* M A G N A *enim conſolatio eſt, cum recordare, etiam ſi ſecus acciderit, te tamen recte, uereq. ſenſiſſe. atque utinam liceat aliquãdo aliquo reip. ſtatu nos frui, interq. nos conferre ſollicitudines noſtras, quas pertulimus tum, cum timidi putabamur, quia dicebamus ea futura, quae facta ſunt. De tuis rebus nihil eſſe, quod timeas, praeter uniuerſae reip. interitum, tibi confirmo. De me autem ſic uelim iudices; quantum ego poſſim, me tibi, ſaluti tuae, liberiſq. tuis ſummo cum ſtudio praeſto ſemper futurum. Vale.*

## E X P L A N A T I O

C O M M E M O R A B A M, } alijs, an ſibi? ſibi potius, & cogitatione, non uoce. quaſi dixerit: memoria repetebam, in memoriam redigebam. S O L O S Q. *nos uidiſſe,* } gratiae cauſſa cum uno Toranio communicat hanc laudem. ſed, quantum eſſet in ciuili bello mali, non ſoli uiderant Cicero, & Toranius, ſed & Sulpicius, & Marcellus, & Varro. ep. 2. lib. IV. ep. 7. eiuſdem libri, ep. 6. lib. IX. S P E *pacis excluſa,* } quorumdam Pompeianorum culpa, qui, Pompeio duce freti, peropportunam & rebus domeſticis, & cupiditatibus ſuis illius belli uictoriam fore putabant. ep. I. lib. IV. ep. 6. lib. VI. & ep. 3. lib. VII. & ep. 6. lib. IX. S E R V I T V T E M. } ob contumaciam, & arrogantiam Pompeianorum. ijſdem tamen crudelitatem tribuit ep. 9. 14. lib. IV. & ep. 6. lib. IX. & ultima lib. IIX. & ad Att. ep. 6. lib. XI. F O R T E S *illi uiri, & ſapientes,* } cum ironia dictum. Fortes, qui me timidum uocarent: Sapientes, qui de belli euentu nihil timendum iudicarent. D O M I T I I . E T . L E N T V L I, } L. Domitius Ahenobarbus, & L. Lentulus conſul. T I M I D V M } cum pacem quauis tuta condicione cupiebam. ep. ult. lib. V. ep. 4. & 6. huius libri. C V M *omnium rerum mors ſit extremum;* } Horatius ep. 16. lib. I. Mors ultima linea rerum eſt. Hoc ſignificat, mala omnia morte terminari. ep. 4. Cum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, uerum finis etiam doloris futurus ſit. S A L V T E M } ipſius reip. cuius antea dignitas, bello autem ciuili ſalus etiam concidit. ſignificat illud tempus, cum accipiendas, quas tulit Caeſar, condiciones cenſuit, ne reip. ſalus, quando iam dignitas amiſſa erat, in diſcrimen adduceretur. V O L V I S S E. } quod conſequi non potuit, ob nonnullorum pugnandi cupiditatem. ep. 6. Victa eſt auctoritas mea, non tam a Pompeio, quam ab ijs, &c. S E N T E N T I A, *& uoluntate,* } utramque coniungit & ep. 13. P R A E T E R *uniuerſae reip. interitum,* } Praeter communem caſum ciuitatis, dixit in epiſtola proxima. P R A E S T O *ſemper futurum.* } Tale illud ep. 5. A me uero tibi omnia, liberiſq. tuis paratiſsima eſſe, confidas uelim.

---

## Argumentum ep. ult.

*VIcto in Theſſalia Pompeio, boni ciues multi ab armis diſceſſerunt: quorum alij, ſpe ueniae a Caeſare impetrandae, in Italiam reuerſi ſunt, ut Cicero, & hic Domitius: alij eodẽ conſilio in Aſiam ierunt, aut in Achaia remanſerunt, ituri obuiam Caeſari ex Alexandrino bello redeunti: alij uero, uel quia uictori ſupplicare nollent, uel quod ei ſe committere nõ auderent, in opida libera, bello uacua, ſeceſſerunt, ut M. Marcellus, qui Rhodi, uel Mitylenis aliquandiu maluit uiuere, quam Romae. Sed in Italia primi Cicero, & D. Laelius uenere: unde illud ep. 7. lib. XI. ad Att. Edixit ita, ut me exciperet, & Laelium nominatim. Domitij ſerior aduentus fuit: quod & ex hac epiſtola, & ex ea ad Atticum ſcripta, quam appellaui proxime, cognoſcitur. Excuſat igitur Cicero officium ſuum, quia litteras ad eum antea non miſerit: oratq. & obteſtatur, ut, cum reip. iam ſatisfecerit, incolumitati ſuae conſulat, amicorumque, quos belli caſus eripuit, deſiderium ae-*

*quo*

*quo animo, aut forti ſaltem ferat. In extremo pollicetur ſe omnia factu-rum ſtudioſiſsime, quae ſaluti illius, & dignitati conducere arbitrabitur. Caeſare* III. *& Lepido cos.*

## *Cicero S. D. Domitio.* 22.

NON *ea res me deterruit, quo minus, poſtea quam in Italiam ueniſti, litteras ad te mitterem, quod tu ad me nullas miſeras; ſed quia nec quid tibi pollicerer, ipſe egens rebus omnibus, nec quid ſuaderem, cum mihimetipſi conſilium deeſſet; nec quid conſolationis afferrem, in tantis malis reperiebam. haec quamquam nihilo meliora ſunt, nunc etiam atque etiam multo deſperatiora: tamen inanes eſſe meas litteras, quam nullas, malui. Ego, ſi te intelligerem plus conatum eſſe ſuſcipere reip. cauſſa muneris, quam quantum praeſtare potuiſſes, tamen, quibuſcumque rebus poſſem, ad eam condicionem te uiuendi, quae daretur, quaeq. eſſet, hortarer. ſed, cum conſilij tui bene, fortiterq. ſuſcepti eum tibi finem ſtatueris, quem ipſa fortuna terminum noſtrarum contentionum eſſe uoluiſſet: oro, obteſtorq. te, pro noſtra uetere coniunctione, ac neceſſitudine, proq. ſumma mea in te beneuolentia, & tua in me pari, te ut nobis, parenti, coniugi, tuisq. omnibus, quibus es, fuiſtiq. ſemper cariſſimus, ſaluum conſerues; incolumitati tuae, tuorumque, qui ex te pendent, conſulas; quae didiciſti, quaeq. ab adoleſcentia pulcherrime a ſapientiſſimis uiris tradita, memoria, & ſcientia comprehendiſti, ijs hoc tempore utare; quos coniunctos ſumma beneuolentia, plurimisq. officijs amiſiſti, eorum deſiderium ſi non aequo animo, at forti feras. Ego, quid poſſim, neſcio, uel potius me parum poſſe ſentio: illud tamen tibi polliceor, me, quaecumque ſaluti, dignitatiq. tuae conducere arbitrabor; tanto ſtudio eſſe facturum, quanto ſemper tu & ſtudio, & officio in meis rebus fuiſti. hanc meam uoluntatem ad matrem tuam, optimam feminam, tuiq. amantiſſimam, detuli. ſi quid ad me ſcripſeris; ita faciam, ut te uelle intellexero: ſin autem tu minus ſcripſeris; ego tamen omnia, quae tibi utilia eſſe arbitrabor, ſummo ſtudio, diligenterq. curabo. Vale.*

## EXPLANATIO

DETERRVIT,} remouit. ſic ep. 2. lib. v. Vt eum ab illa mente deterrerent. IPSE *egens rebus omnibus*,} eadem ſententia ep. 13. lib. IV. & alibi. PLVS *conatum eſſe*} plus conatus eſſet muneris ſucipere reip. cauſſa, quam praeſtare poſſet, ſi poſt pugnam Pharſalicam bellum cum alijs renouare uoluiſſet. quod non fecit, deſperata uictoria. QVAM *quantum praeſtare potuiſſes*,} poſt Pharſalicum proelium ideo nihil muneris ſuſcipere uoluiſti, quod optime intelligeres, id praeſtari a te non poſſe, amiſſa prorſus uincendi ſpe. QVAE *daretur*,} licet non optima. SED, *cum tui conſilij &c.*} Argumentum huiuſmodi eſt. ſi manſiſſes in bello, ut manſere multi; tamen hortarer te, ut aequo animo fortunam tuam ferres, eaq. uiuendi condicione, quae daretur, utereris: cum uero ſtatim, uicto in Theſſalia Pompeio, belli finem tibi ſtatueris eum, quem ipſa fortuna terminum noſtrarum contentionum eſſe uoluiſſet; multo magis hortari te debeo, ne maerori te totum dedas, ſed incolumitati tuae conſulas. VOLVISSET:} quaſi ſuam tota de re uoluntatem Pharſalico bello fortuna declaraſſet. PARENTI,} matri, non patri. infra. QVI *ex te pendent*,} quorum incolumitas in tua ſita eſt. IIS. HOC *tempore utare*;} id enim tradidere ſapientiſsimi uiri, Culpa qui careat, ei magnopere dolendum non eſſe. EORVM *deſiderium*} quo Domitium angi, uidetur Cicero audijſſe. SI *non aequo*} non dolere enim non poſſumus: ſed dolorem premere, & uincere fortitudine poſſumus. EGO, *quid poſſim, neſcio*,} ep. I. Qui ſim hoc tempore, intelligo. QVAE *tibi utilia eſſe arbitrabor*,} explicat diuerſis uerbis eandem ſententiam, quam paullo ante, cum dixit, Quaecumque ſaluti, dignitatiq. tuae conducere arbitrabor.

IN . EPISTOLARVM

# M · TVLLII · CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . SEPTIMVM

AD . MARIVM . ET . ALIOS

## PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

---

## Argumentum ep. I. lib. VII.

CN. POMPEIVS *Magnus, iterum conſul, in theatri a ſe exſtructi conſecratione, ut Pedianus, Plinius lib.* VII. *cap.* 48. *Plutarchus, Dio ſcriptum reliquerunt, ludos dedit. Sed idem Plinius lib.* IIX. *cap.* 7. *datos ait in dedicatione templi Veneris Victricis. at Gellius lib.* X. *cap.* I. *in aede Victoriae dedicanda. quae controuerſia ita ſedatur, Si templum Veneris Victricis cum theatro dedicatum putemus. nam, etſi de templo Veneris Plutarchus, ubi de theatro & ludis loquitur, mentionem nullam facit; idem tamen infra Pompeium, ait, in campis Philippicis, nocte, quae proelium proxima anteceſsit, ſomniaſſe, ire ſe ad theatrum, & Veneris Victricis templum ſpolijs exornare. Quod autem Gellius Victoriam, non Venerem, appellat: non differre, opinor, exiſtimauit Victoriam a Venere Victrici; quoniam utrique cognomen idem eſſet, Caeligenae. Itaque Varro lib.* IV. *de lin. Lat. Hinc, inquit, comicus: Victrix Venus, uidesne haec? non quod uincere uelit Venus, ſed quod uincire, & uinciri ipſa. Victoria ab eo, quod ſuperati uinciuntur. utrique teſtis poeſis, quod & Victoria, & Venus dicitur Caeligena. Ludorum igitur duo genera Pompeius dedit,*

*dit, unum in theatro ipſo, alterum in Circo. Graeci* ἀγῶνας, *ideſt certamina, uocauerunt. Certamen autem in theatro uel ſcenicum erat, uel gymnicum. ſcenicum Pompeij fuit actione duarum tragoediarum. Clytemneſtrae Attij poetae, & Equi Troiani Liuij Andronici, additis Graecis, Oſcisq. ludis: gymnicum, athletae. In Circo, qui & Hippodromus, & Stadium dictus eſt, equorum curſus, uenationes binae per dies quinque, in quibus leones quingenti caeſi ſunt, pugna elephantorum* XX. *ut ait Plinius, uel* XIIX. *ut Dio. Nec uero diſſentire quiſquam putet aut a Cicerone Plutarchum, & Dionem, quod neque de duabus tragoedijs, neque de ludis Graecis, & Oſcis, a Cicerone nominatis, mentionem ullam faciunt; aut Ciceronem ipſum a Plutarcho, & Dione, quod muſicum certamen, ab ipſis nominatum, non appellat. nam & tragoediae, & Graeci, Oſciq. ludi in ſcena dabantur: ſcenicos autem ludos Graeci ſcriptores in muſicum certamen incluſerunt. qua de re Pollux lib.* III. Τῶν ἀγώνων οἱ μὲν γυμναστικοὶ, οἱ δὲ καλούμενοι σκηνικοὶ, ὀνομασθεῖεν ἂν Διονυσιακοί τε, καὶ μουσικοί. *Latine ſic. Certaminum alia quidem gymnaſtica, alia uero ſcenica uocata, Dionyſiaca, & muſica nominari poßint. Obſcure ne docet, ſcenica & muſica idem eſſe? ſequitur:* οἱ δ᾽ Ἀττικοὶ οὐ ῥαδίως λέγουσιν, ἀγῶνας μουσικοὺς, ἀλλὰ μουσικῆς. *ideſt: Attici autem non facile dicunt, certamina muſica, ſed muſices. Non igitur Attice locutus eſt Plutarchus, cum dixit,* ἀγῶνας μουσικοὺς. *nec mirum: natus enim Chaeroneae, Boeotiae uico. at Dio Attice,* θέαν καὶ μουσικῆς, καὶ ἀγῶνος γυμνικοῦ. *Idem Pollux paullo poſt:* χωρία δὲ, τῶν μὲν στάδιον, τῶν δὲ θέατρον. *ideſt: Loca uero, inquit, aliorum quidem ſtadium, aliorum autem theatrum. Ludos enim dari ſolitos uel in ſtadio, ideſt circo, uel in theatro, ſignificat etiam Varro in prooemio lib. 2. rei ruſt. Manus, ait, mouere maluerunt in theatro, ac circo patres familiae, quam in ſegetibus, ac uinetis. Partes epiſtolae quattuor praecipuae ſunt; Prima, gratulatio, quod ludos Marius, omnis leporis expertes, non ſpectauerit; ſecunda, ludorum deſcriptio; tertia, Caninij defenſio, eiusq. tamquam appendix cupiditas diſceden di a iudicijs. Poſtremus excuſationis locus eſt, quia prolixior ludorum nar ratio fuerit. Annum epiſtolae conſtat eſſe, quo Pompeius, & Craſſus alterum conſulatum geſſerunt.*

## *M. Cicero S. D. M. Mario.* I.

*SITE dolor aliquis corporis, aut infirmitas ualetudinis tuae tenuit, quo minus ad ludos uenires: fortunae magis tribuo, quam ſapientiae tuae. ſin haec, quae ceteri mirantur, contemnenda duxiſti, &, cum per ualetudinem poſſes, uenire tamen noluiſti: utrumque laetor, & ſine dolore corporis te fuiſſe, & animo ualuiſſe, cum ea, quae ſine cauſſa mirantur alij, neglexeris: modo ut tibi conſtiterit fructus otij tui: quo quidem tibi perfrui mirifice licuit, cum eſſes in iſta amoenitate paene ſolus relictus. neque tamen dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforaſti, & patefeciſti Seianum, per eos dies matutina tempora lectiunculis conſumpſeris: cum illi interea, qui te iſtic reliquerunt, ſpectarent communes mimos ſemiſomni. reliquas uero partes diei tu conſumebas ijs delectationibus, quas tibi ipſi ad arbitrium*

*bitrium tuum compararas. nobis autem erant ea perpetienda, quae ſcilicet P. Maecius probauißet. omnino, ſi quaeris, ludi apparatiſſimi, ſed non tui ſtomachi: cõiecturam enim facio de meo. nam primum honoris cauſſa in ſcenam redierant ij, quos ego honoris cauſſa de ſcena deceſſiße arbitrabar. deliciae uero tuae, noſter Aeſopus, eiuſmodi fuit, ut ei deſinere per omnes homines liceret. is iurare cum coepiſſet, uox eum defecit in illo loco,* SI *ſciens fallo. Quid tibi ego alia narrem? noſti enim reliquos ludos. quid? ne id quidem leporis habuerunt, quod ſolent mediocres ludi. apparatus enim ſpectatio tollebat omnem hilaritatem. quo quidem apparatu non dubito quin animo aequiſſimo carueris. quid enim delectationis habẽt ſexcenti muli in Clytemneſtra? aut in Equo Troiano craterarum tria millia? aut armatura uaria peditatus, & equitatus in aliqua pugna? quae popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attuliſſent. Quod ſi tu per eos dies operam dediſti Protogeni tuo: dummodo is tibi quiduis potius, quam orationes meas, legerit; nae tu haud paullo plus, quam quiſquam noſtrum, delectationis habuiſti. Non enim te puto Graecos, aut Oſcos ludos deſideraſſe; praeſertim cum Oſcos ludos uel in ſenatu noſtro ſpectare poſſis, Graecos uero ita non ames, ut ne ad uillam quidem tuam uia Graeca ire ſoleas. Nam quid ego te athletas putem deſiderare, qui gladiatores contempſeris? in quibus ipſe Pompeius confitetur ſe & operam, & oleum perdidiſſe. Reliquae ſunt uenationes, binae per dies quinque, magnificae, nemo negat: ſed quae poteſt eſſe homini politico delectatio, cum aut homo imbecillus a ualentiſſima beſtia laniatur, aut praeclara beſtia uenabulo tranſuerberatur? quae tamen ſi uidenda ſint, ſaepe uidiſti; neque nos, qui haec ſpectauimus, quidquam noui uidimus. Elephantorum extremus dies fuit: in quo admiratio magna uulgi, atque turbae, delectatio nulla exſtitit: quin etiam miſericordia quaedam conſecuta eſt, atque opinio eiuſmodi, eſſe quandam illi belluae cum genere humano ſocietatem. His ego tamen diebus, ludis ſcenicis, ne forte uidear tibi non modo beatus, ſed liber omnino fuiſſe, dirupi paene me in iudicio Galli Caninij, familiaris tui. quod ſi tam facilem populum haberem, quam Aeſopus habuit; libenter mehercule artem deſinerem, tecumque, & cum ſimilibus noſtri uiuerem. nam me cum antea taedebat, cum & aetas, & ambitio hortabantur, & licebat denique, quem nolebam, non defendere: tum uero hoc tempore uita nulla eſt. neque enim fructum ullum laboris exſpecto: & cogor nonnumquam homines non optime de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti ſunt, defendere. itaque quaero cauſſas omnes aliquando uiuendi arbitratu meo: teque, & iſtam rationem otij tui & laudo uehementer, & probo: quodq. nos minus interuiſis, hoc fero animo aequiore, quod, ſi Romae eſſes, tamen neque nos lepore tuo, neque te, ſi quis eſt in me, meo frui liceret, propter moleſtiſſimas occupationes meas, quibus ſi me relaxaro, (nam, ut plane exſoluam, non poſtulo) te ipſum quidem, qui multos annos nihil aliud commentaris, docebo profecto, quid ſit humaniter uiuere. Tu modo iſtam imbecillitatem ualetudinis tuae ſuſtenta, & tuere, ut facis, ut noſtras uillas obire, & mecum noſtra ſimul lecticula concurſare poſſis. Haec ad te plurimis uerbis ſcripſi, quam ſoleo, non otij abundantia, ſed amoris erga te, quod me quadam epiſtola ſubinuitaras, ſi memoria tenes, ut ad te aliquid eiuſmodi ſcriberem, quo minus te praetermiſiſſe ludos paeniteret. quod ſi aſſecutus ſum; gaudeo: ſin minus; hoc me tamẽ conſolor, quod poſthac ad ludos uenies, noſq. uiſes, neque in epiſtolis relinques meis ſpem aliquam delectationis tuae. Vale.*

# E X P L A N A T I O

MARIO.} Arpinati: quod illa indicant uerba; Cum Oſcos ludos uel in ſenatu noſtro ſpectare poſsis. Marium Gratidium nonnulli uocant, ut ſit Gratidius ille, qui legatus fuit Q. Ciceronis. quod falſum puto. non enim & Mariae gentis, & Gratidiae idem poteſt eſſe. aut igitur non is eſt: aut, ſi eſt, Marius Gratidianus appellari debet: & ep. I. lib. I. ad Q. Fr. Gratidiano, legendum, non Gratidio. DOLOR *aliquis corporis,*} tum ex podagra, qua laborabat: ut ep. 4. tum ex alio morbo: erat enim Marius & ualetudine, & natura imbecillior: ut ep. 9. lib. 2. ad fr. nam, ſi de podagra ſola loqueretur; dolor aliquis pedum, non corporis, dixiſſet. INFIRMITAS . VALETVDINIS} ſine dolore. infra: Tu modo iſtam imbecillitatem ualetudinis tuae ſuſtenta, & tuere. FORTVNAE *magis tribuo, quam ſapientiae tuae.*} cum fortuna ratio non miſcetur: et, quod a fortuna eſt, id praeter rationem eſſe, dixit Ariſtoteles. nam ratio eſt earum rerum, quae uel ſemper, uel plerumque ſunt: fortuna uero earum, quae nec ſemper, nec plerumque. diſtinguit etiam fortunam, & caſum idem Ariſtoteles. ſed, haec quia non ſunt huius loci, omittantur. Gratulor quidem tibi, ait Cicero, ſed ita, ut te non laudem. unde enim abeſt conſilium, ibi laus locum non habet. ANIMO *ualuiſſe,*} quaſi animo aegrotent, qui ludos mirentur. MODO. VT} ſic ep. XI. lib. XVI. Videtur, ſi inſaniet, poſſe opprimi, modo ut urbe ſalua. & Terentius in Andr. Modo ut poſsim. Et in Phorm. Scies: modo ut tacere poſsis. CONSTITERIT *fructus otij tui:*} in iſto otio non fueris otioſus, quod ſolitum dicere maiorem Africanum, ſcripſit Cato; Numquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus, nec minus ſolum, quam cum ſolus. PAENE *ſolus*} cum te reliquerint ij, qui ad ludorum ſpectacula in urbem ſe contulerant. EX *illo cubiculo tuo,*} ſubaudi, proſpectans ad ea loca, quae tibi perforaſti, & patefeciſti. STABIANVM} Plinius lib. III. cap. 5. In Campano, inquit, agro Stabiae opidum fuere uſque ad Cn. Pompeium, & L. Catonem coſ. pridie Kal. Maij: quo die L. Sulla legatus bello ſociali id deleuit: quod nunc in uillas abijt. PERFORASTI,} proſpectum in Stabianum agrum aperuiſti, SEIANVM,} alij libri, Senium, uel Senum: quidam, Scenam: unus, Semini; plerique, Seianum: quod placet: ſunt enim loca hodie in agro Etruſco, Stabianum, & Seianum, hodie quoque nominata. quamquam Seiani pauca apparent

uestigia,

ueſtigia, nomen remanſit. COMMVNES} qui ſpectari ſolent ab omnibus. quid igitur mirum, ſi nihil nouum ſpectantibus ſomnus irrepetet? SEMISOMNI.} uel quia nihil nouum, ut dixi, ſpectarent: uel etiam, quia matutino tempore. nam uerbum, Interea, ad matutina referri tempora ſatis conſtat. ut eos dicat matutina tempora ſpectandis communibus mimis conſumpſiſſe, quae Marius multo & ſapientius; & iucundius legendo traducebat. TIBI. IPSI} quinque libri ueteres, Tibi ipſe. quod nonnullis placuit, ut Ciceroni magis uſitatum. Ego utrumque probo. SCILICET} cum ſtomacho, dixit. P. MAECIVS} qui poemata a mimis in ſcena recitanda prius iudicabat. eſt enim hic, ut opinor, P. Maecius Tarpa, de quo Horatius in epiſtola ad Piſones:

-- Siquid tamen olim
„ Scripſeris, in Maecij deſcendat iudicis aures,
„ Et patris, & noſtras. Maecij, pro Maeci.

Quo loco inquit Porphyrio: Maecius perdiligens carminum fuit aeſtimator. & Sat.x.lib.I.

„ Quae nec in aede ſonent certantia iudice Tarpa.

LVDI. APPARATISSIMI,} de his ludis in oratione in Piſonem his uerbis: Inſtant poſt hominum memoriam apparatiſsimi, magnificentiſsimiq. ludi; quales non modo numquam fuerunt, ſed ne quo modo quidem fieri poſthac poſsint, poſſum ullo modo ſuſpicari. Quo loco Pedianus, Cn. Pompeij ludos, inquit, ſignificat, quibus theatrum a ſe factum dedicauit; quibus ludis Elephantorum pugnam primus omnium dedit in Circo. HONORIS *cauſſa in ſcenam redierant*} ut ludos Pompeij honorarent, mimi ueteres in ſcenam redierant, qui antea, ne quid aetatis uitio peccarent, in ſcena agere deſierant. in his Galeria Copiola Emboliaria ſignificatur, de qua Plinius lib. VII. cap. 48. Reducta eſt, inquit, in ſcenam. C. Poppaeo, Q. Sulpicio cos. ludis pro ſalute diui Auguſti uotiuis, annum CIV. agens: quae producta fuerat tirocinio a M. Pomponio, aedili pl. C. Mario, Cn. Carbone cos. ante annos XCI. & a Magno Pompeio, magni theatri dedicatione, anus pro miraculo reducta. DELICIAE *tuae*,} qui tibi in delicijs, & amoribus eſt. Titus, Veſpaſiani filius, amor ac deliciae generis humani, dictus eſt. Deliciae quoque uocabantur, ut ait Plutarchus in Antonio, feſtiui ſerui, quibus maxime domini delectarentur. AESOPVS,} tragoedus; quem ex arte mimica H-S ducenties filio reliquiſſe, Macrobius lib. III. Sat. prodidit. huius luxum ita notat Plinius lib. x. cap. 51. Inſignis eſt in hac memoria, Clodij Aeſopi, tragici hiſtrionis, patina DC H-S taxata: in qua poſuit aues cantu aliquo, aut humano ſermone uocales, nummis VI ſingulas coemptas. Alibi cum laude a Cicerone nominatur. VT. EI *deſinere per omnes homines liceret*.} nemini enim placuit. SI *ſciens fallo*} uerba iuriſiuraudi per Iouem lapidem. Lapidem enim ſilicem, ut ait Feſtus, tenebant iuraturi per Iouem, haec uerba dicentes: Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter, ſalua urbe arceq. bonis eijciat, uti ego hunc lapidem. Huc ſpectat illud lib. 2. Acad. Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia: qui primum iurare ex ſui animi licentia quemque uoluerunt; deinde ita teneri, Si ſciens falleret. Et hic ep. 12. Quo modo tibi placebit Iouem lapidem iurare, cum ſcias Iouem iratum eſſe nemini poſſe? Et Liuius lib. XXI. Eaque ut rata ſcirent fore, agnum laeua manu, dextra ſilicem retinens, ſi falleret, Iouem, ceterosq. praecatus: deos, ita ſe mactarent, quemadmodum ipſe agnum mactaſſet, & ſecundũ precationem, caput pecudis ſaxo eliſit. Et lib. XXII. Stricto ſuper capita cõſultantium gladio, Ex mei animi ſententia, inquit, iuro, ut ego remp. non deſeram, neque alium ciuem Romanum deſerere patiar. ſi ſciens fallo; tum me, Iuppiter Optime Maxime, domum, familiam, remque meam peſſimo leto afficias. Et Gellius lib. I. cap. 21. Iouem lapidem, quod ſanctiſsimum iuſiurandum eſt habitum, paratus ego iurarem, Virgilium hoc numquam ſcripſiſſe. Quibus locis mendum cognoſcitur in hiſtoria Polybij, lib. III. non enim, διὰ λίθου, legendum eſt, ut Perotus interpres credidit, qui uertit, Per lapidem, ſed διά λίθον, ideſt Iouem lapidem. Graeca uerba ſubſcribam; ut hoc etiam teſtimonio perantiquus in foederibus percutiendis iurandi mos comprobetur. Ῥωμαίους δία λίθον, κατά τι παλαιὸν ἔθος, ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν ἄρη, καὶ τὸν ἐνυάλιον. ἔστι δὲ τὸ, διὰ λίθον, τοιοῦτον. λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ ποιούμενος τὰ ὅρκια περὶ τῶν συνθηκῶν, ἐπειδὰν ὀμόσῃ δημοσίᾳ πίστει, λέγει τάδε. Εὐορκοῦντι μὲν τ' ἀγαθά: εἰ δ' ἄλλως διανοηθείην τι, ἢ πράξαιμι, πάντων τῶν ἄλλων σωζομένων ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσιν, ἐν τοῖς ἰδίοις νόμοις, ἐπὶ τῶν ἰδίων βίων, ἱερῶν, τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι οὕτως, ὡς ὅδε λίθος νῦν. καὶ ταῦτα εἰπὼν, ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός. RELIQVOS. LVDOS.} quos cum ſaepe uideris; quales hi fuerint, potes conijcere. quamquam hi quidem hilaritatis minus etiam, quam mediocres ludi, habuerunt. SEXCENTI} numerus finitus pro infinito: ut Aſinius ep. 31. lib. x. Sexcentis locis excutiuntur a Lepido tabellarij. & Cicero ſaepe. MVLI} Troica praeda onuſti. nam in Clytemneſtra, Attij poetae tragoedia, ut ex Nonio cognoſcitur, reditus oſtendebatur Agamemnonis in patriã ab exciſa Troia. IN. EQVO TROIANO} tragoedia Liuij Andronici. nominatur & ep. 16. lib. VII. In Equo Troiano ſcis eſſe in extremo, Sero ſapiunt. CRATERARVM *tria millia*?} ex eadem praeda. Cratera craterae, hic & in Verrem, Crateras ex aere pulcherrimas ex omnibus aedibus ſacris Syracuſis abſtulit. at Crater crateris apud poetas, uas fuit & potorium, & quo dijs libabatur. ARMATVRA *uaria*} pro genere armorum poſuit, ut ep. I. ad Att. lib. VI. Cohortes habet quadringenarias, noſtra armatura, triginta. Et Hirtius de bello Alexandrino: Adiungit Cn. Domitius legioni XXXVI duas a Deiotaro, quas ille diſciplina, atque armatura noſtra complures annos conſtitutas habebat. OPERAM *dediſti Protogeni*} legentem Protogenem audiſti. Sic in Bruto: Iuris ciuilis ſtudio multum operae dabam Q. Scaeuolae. Et ibidem infra: Moloni Rhodio Romae operam dedimus. HAVD *paullo plus*,} in exprimendis rebus perſpicue maioribus, hoc Cicero delectatur genere loquendi, ut ep. 20. ad Att. lib. VI. Alexander, imperator haud paul-

 lo melior,

lo melior, quam aut tu, aut ego. Et in Oratore: Haud paullo melior ſcriptor Plato. Et ep. 12. ad Att. lib. 2. Ciuis haud paullo melior, quam iſti noſtri. NON. ENIM} non connexio eiuſdem rei, quaſi cauſſa exponatur ſuperioris ſententiae, ſed tranſitus eſt ad aliam, ut poſt: Nam quid ego ego te athletas putem deſiderare? GRAECOS,} de ludis Graecis ep. 5. ad Att. lib. XVI. Rumoris neſcio quid afflauerat, commiſsione Graecorum, frequentiam non affuiſſe: quae quidem me minime fefellit: ſcis enim, quid ego de Graecis ludis exiſtimem. Sed ludos illos Bruti praetoris abſentis nomine, hos a conſule Pompeio uideo datos eſſe. quo licet intelligere, ordinarios non fuiſſe, uerum arbitratu magiſtratuum, ut Oſcos etiam, communis laetitiae cauſſa dari ſolitos. OSCOS. LVDOS} Tria ludorum genera Pompeius dedit, Latinos, Graecos, Oſcos, diuerſos ſcilicet lingua, ſermone, & amictu. itaque Ennium gloriari ſolitum ait Gellius, tria corda ſe habere, quia tres linguas calleret, Latinam, Graecã, Oſcam. Oſci a regione Campaniae, quae eſt Oſcos, uocati ſunt, ut inquit Feſtus. Oſcum ludicrum leuiſsimae apud uulgum delectationis appellat Tacitus lib. IV. CVM *Oſcos ludos uel in ſenatu noſtro ſpectare poſſis*,} duae ſunt cauſſae, quibus neque Graecos, neque Oſcos ludos Marius deſiderare debuerit: prior in ipſis ludis, quod indigni ſint, qui a uiro graui, doctrinaq. expolito ſpectentur: altera non in ipſis ludis eſt, ſed petitur extrinſecus: quia Oſca uerba Marius uel in ſenatu Arpinati audire poſſet; (non enim Oſcos ludos fieri in Arpinati ſenatu Cicero dicit, ſed iocatur in Arpinatum ſenatorum linguam, Oſca miſtam propter uicinitatem) a Graecis autem alieno animo eſſet, uſque eo, ut Graecam uiam, cum ad uillam ſuam iret, libenter uitaret. ATHLETAS} quos in theatro certaſſe, Dionis teſtimonio iam probauimus. Athleticum autem certamen Olympiae Hercules inuenit. Graece πένταθλον, Latine quinquertium dicebatur, quia certationes corporum eſſent, ut in Polluce legitur, quinque rebus, curſu, lucta, pugilatu, ſaltu, diſco. ideo πένταθλος dictus eſt Democritus Abderita, quod exercuiſſet phyſica. IPSE} dator ludorum. CONFITETVR} quia pauci eo certamine delectati. OPERAM, *& oleum*} laborem, & ſumptum. oleo enim ungebantur athletarũ corpora. id primo dictum in una re, de athletis ſcilicet, qui labore, & ſumptu exercitati, mox interdum parum probarentur; deinde ad omnia ſimilia tranſlatum eſt, in quibus & operae, & ſumptus iacturam factam eſſe conſtaret. Plautus in Poen. Et oleum, & operam perdidi. VENATIONES,} in quibus leones quingentos interfectos eſſe, auctor Plutarchus, & Dio lib. XXXIX. BINAE *per dies quinque*,} binae, quia mane datae, poſt meridiem inſtauratae ſunt. HOMINI *politico*} ſi ueteribus libris habenda fides eſt: in omnibus, & quos olim uidi, & quibus nunc utor, ita legitur. ſi de ſententia laboramus: cauſſae nihil uideo, cur non placeat, Homini politico. ualet enim, uiro graui, & in rep. uerſato. Mediceus liber, Homini polito: quod eſt, eleganti. A. VALENTISSIMA *beſtia*} a leone. VENABVLO} telum uenantium, lato ferro. Virg. lib. IV. Aen. TRANSVERBERATVR?} tranſijcitur. ELEPHANTORVM} quos XX, ut Plinius ait, uel, ut Dio, XIIX. Pompeius in Circo dedit. ADMIRATIO} tantarum belluarum adſpectu. QVIN *etiam*} contrarium ſubiungitur: nam delectatio cũ laetitia eſt, miſericordia cũ dolore. MISERICORDIA *quaedam*} Quaedam, dixit, quia proprie miſeremur noſtri ſimilium, non brutorum. Cauſſam huius miſericordiae Plinius exponit his uerbis lib. IIX. cap. 7. Amiſſa fugæ ſpe, miſericordiam uulgi inenarrabili habitu quaerentes ſupplicauere, quadam ſeſe lamentatione complorantes, tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris, ac munificentiae honori ſuo exquiſitae, flens uniuerſus conſurgeret, dirasq. Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur. Eadem fere Dio. Plutarchus hanc rem breuiter attigit. LVDIS. SCENICIS,} ludos ſcenicos uocat, Clytemneſtram, & Equum Troianum, itemq. Graecos, & Oſcos ludos. Hic quaero: ſi ludi ſunt inter dies feſtos, quod Macrobius lib. I. Sat. ſcriptum reliquit; & feſti dies, ijdem ſunt nefaſti; quod idem tradidit; qui potuit Caninij cauſſam Cicero ludis ſcenicis, ideſt nefaſtis diebus, agere? nam iudicia faſtis tantum diebus fiebant: nefaſti autem faſtis oppoſiti. Non deeſt, quod reſpondeam. Ludi non omnes, ſed anniuerſarij tantum inter dies feſtos fuere. ludi autem Pompeij non anniuerſarij, ſed extra ordinem dati, cum theatrum, templumq. Veneris Victricis dedicaret. itaque per eos dies iudicia fieri licuit. Exoritur altera quaeſtio: ſi ludos Cicero ſpectauit, quo modo Caninium defendit? Potuit ante meridiem defendere, poſt meridiem ſpectare. NE *forte uidear tibi non modo beatus, ſed liber omnino fuiſſe*,} ne tu me putes ludorum diebus, non dicam beatum, ſed omnino liberum fuiſſe. DIRVPI} prae labore, & contentione. GALLI. CANINII,} quem Athenis poſtea uidit in Ciliciam proficiſcens. ep. 8. lib. 2. TAM *facilem*} facilem populum non habeo, quia non licet mihi a cauſsis diſcedere: cogor enim defendere, quos nolim. AMBITIO} cauſſis enim agendis multorum ſibi amicitias comparauit; quorum ope ſummos honores conſecutus eſt: ut in Commentario Q. Ciceronis de petitione conſulatus. VITA *nulla eſt*.} prorſus iniucunda uita eſt. ut mihi uiuere non uidear. NEQVE *enim fructum ullum laboris exſpecto*:} ſic olim reſtitui, cum in omnibus antiquis libris uiderem, ſicuti nunc etiam uideo, Ex his peto. HOMINES *non optime de me meritos*,} Gabinium ſignificat, quem rogatu Pompeij defendit, cum ab eo conſule oppugnatus, & eiectus eſſet. In oratione pro Poſtumo, defenſum a ſe Gabinium, ait, non tam ut Pompeio gratificaretur, quam ut bona fide redijſſe uideretur in gratiã. Ad Vatinium quoque ſpectauit, quem, Caeſare contẽdente, reum defendit. ep. 9. lib. I. De Vatinio, inquit, primum reditus interceſſerat in gratiam per Pompeium: poſt autem, Caeſaris, ut illum defenderem, mira contentio eſt conſecuta. Et ipſe Vatinius, cum Ciceroni odio fuiſſet, mox eo ſe patrono abſolutum, fatetur in ep. 9. lib. V. Et Valerius lib. IV. cap. 2. Cicero Gabinium, repetundarum reum, ſummo ſtudio defendit, qui eum in conſulatu ſuo urbe expulerat. idemq. P. Vatinium, dignitati ſuae ſemper infeſtum, duobus publicis iudicijs tutatus eſt. Et Quinctilianus lib. 2. c. 1. Dixit Cicero pro Gabinio, & P. Vatinio, inimiciſsimis antea ſibi hominibus, & in quos orationes etiam ſcripſerat.

ſcripſerat. Diuus etiam Hieronymus contra Rufinum recitat locum ex oratione Ciceronis pro Gabinio. ET *laudo uehementer, & probo:*} uide illud ep. 20. lib. v. Quam omnes non ſolum probant, ſed etiam laudant. LEPORE. TVO,} Lepor in uerbis proprie dicitur, ad alia tamen transfertur, quae delectationem afferant: ut, Homo omni lepore, ac uenuſtate affluens. &, propter cultum, amictumq. laſciuiorem, lepidi & delicati pueri uocantur or. 2. in Catil. Et, Lepide fit illa ἐκχυσις, ep. 3. ad Att. lib. 2. quod refertur ad iucunditatem eorum, qui ex anguſtis feneſtris proſpicerent. MOLESTISSIMAS} huius moleſtiae praecipuam cauſſam dixit, quod eos etiam, quos nollet, defendere cogeretur. QVIBVS *ſi me relaxaro,*} ep. 15. ad Att. lib. XVI. Si te occupatione iſta relaxaris. EXSOLVAM,} non omnino occupationibus expediri, ſed impediri minus uult. plus enim, Exſoluere, quam Relaxare, contraria uero, Relaxare, & Adſtringere, ut ep. 6. ad Att. lib. XVI. Pater, quidquid ego adſtrinxi, relaxat. QVID *ſit humaniter uiuere.*} non refero, Humaniter, ad eam uirtutem, qua qui praeditus eſt, facilem ſe omnibus praebet, comiter excipit, benignum complectitur, uultu, uerbis, re neminem laedit: ſed accipio, Humaniter, pro, iucunde ſimul & honeſte, cum ijs uoluptatibuus, & ſtudijs, quibus animus quidem remittitur, numquam tamen a uirtute diſiungitur. Humaniter, & Humane dixit Cicero: ſed uſitatius eſſe, Humane, & cum quadam licentia dictum Humaniter, ſicut a Terentio in Andria Duriter pro dure, oſtendit Auguſtinus in libro de Grammatica. ISTAM *imbecillitatem ualetudinis*} iſtam infirmam ualetudinem, dixit ep. 2. lib. XIV. SVSTENTA,} apte, & proprie: niſi enim ſuſtentetur, quod imbecillum eſt, facile concidit. VILLAS *obire,*} pro adire: quamquam uoluntatis & ſtudij plus eſt in obire, quam adire: ut cum alibi dixit, Obire cenas, Obire colonias. Interdum ualet exſequi. HAEC *ad te pluribus uerbis ſcripſi, quam ſoleo, non otij abundantia, ſed amoris erga te,*} Dixi iam, ſimilitudine locorum indaganda, copiam ali, & ingenium excitari. quare, ſi quid in hoc genere pro noſtro inſtituto, ſtudij, operaeq. ponimus; non οἴχεται, ut opinor, noſtra induſtria, ſed cum aliquo fortaſſe ſtudioſorum fructu collocatur. In epiſtolarum clauſula ſolet excuſationem Cicero aliquam afferre, uel quia longior fuerit, uel quia liberior in ſcribendo. prioris generis exemplum eſt hoc, & illud ep. 4. lib VI. Sed haec ſatis multa, uel plura potius, quam neceſſe fuit. facit autem non loquacitas mea, ſed beneuolentia longiores epiſtolas. Et ep. 10. lib. III. Sed haec hactenus: pluribus enim etiam fortaſſe uerbis, quam neceſſe fuit, ſcripta ſunt. Cato etiam ep. 5. lib. XV. excuſationem quaeſiuit, quaſi longior fuiſſet. Haec, inquit, iccirco ad te contra conſuetudinem meam pluribus ſcripſi, ut, quod maxime uolo, exiſtimes me laborare, ut tibi perſuadeam me & uoluiſſe de tua dignitate, quod ampliſsimum ſum arbitratus, &, quod tu maluiſti, factum eſſe gaudere. In poſteriore genere ſunt illa, ep. 4. lib. 2. Hoc, quidquid attigi, non feci inflammandi tui cauſſa, ſed teſtificandi amoris mei. Et ep. 3. lib. x. Haec amore magis impulſus ſcribenda ad te putaui, quam quo te arbitrarer monitis, & praeceptis meis egere. ſciebam enim, ex ijſdem te haec haurire fontibus, ex quibus ipſe hauſeram. quare modum faciam. hoc tantum ſignificandum putaui, ut potius amorem tibi oſtenderem meum, quam oſtentarem prudentiam.

---

## Argumentum ep. 2.

*EMere M. Marius neſcio quae bona cupiebat, quae Cicero, & alij, hereditate relicta, poßidebant. eam curam Ciceroni per litteras dederat; & ſimul, condemnato Planco Burſa, eius inimico, gratulatus erat. De Marij negotio primum iocatur Cicero, deinde ſe diligenter curaturum confirmat. De Burſa, rem non mediocri gratulatione dignam eſſe ſignificat: praeterea, calere iudicia, nouas leges ferri: utriſque ſe uehementer diſtineri. Scripta Ser. Sulpicio, M. Marcello cos. nam T. Munatium Plancum Burſam, de cuius damnatione in hac epiſtola fit mentio, damnatum ait Dio, cum primum exijt magiſtratu, ideſt tribunatu pl. quem geßit Pompeio Magno tertium conſule: quem ſecuti conſules ſunt Sulpicius, & Marcellus. neque uero hoc ſolum conſtat, ſcriptam eſſe hanc epiſtolam Sulpicio, & Marcello cos. ſed illud etiam, primis fere diebus eius anni, ante quam ſenatus Ciceroni Ciliciam prouinciam decreuiſſet. nam extremo Aprili menſe, aut ineunte Maio, ab urbe diſceßit, ut in prouinciam iret: quod indicant epiſtolae ad Att. lib. v. at, cum has ad Marium dedit litteras, nondum ei decreta*

*creta prouincia fuerat: nec tamen, ea decreta, ſtatim diſceſsit. quo argumento, & magis etiam damnatione Burſae, quam Dio, ut dixi, confert in primos anni dies, uideor poſſe confirmare, ſcriptam epiſtolam paucis diebus poſt initum a Sulpicio, & Marcello conſulatum.*

## *Cicero S. D. Mario.* 2.

MANDATVM *tuum curabo diligenter: ſed homo acutus ei mandaſti potiſſimum, cui expediret, illud uenire quamplurimo: ſed eo uidiſti multum, quod praefiniſti, quo ne pluris emerem. quod ſi mihi permiſiſſes; qui meus amor in te eſt, confeciſſem cum coheredibus. nunc, quando tuum pretium noui, licitatorem potius apponam, quam illud minoris ueneat. ſed de ioco ſatis eſt. tuum negotium agam, ſicuti debeo, diligenter. De Burſate gaudere certo ſcio: ſed nimis uerecunde mihi gratularis. putas enim, ut ſcribis, propter hominis ſordes minus me magnam illam laetitiam putare. credas mihi uelim, magis me iudicio hoc, quam morte inimici, laetatum. primum enim iudicio malo, quam gladio; deinde, gloria potius amici, quam calamitate. in primisq. me delectauit, tantum ſtudium bonorum in me exſtitiſſe contra incredibilem contentionem clariſſimi, ac potentiſſimi uiri. poſtremo, quod uix uериſimile fortaſſe uideatur, oderam multo peius hunc, quam illum ipſum Clodium. illum enim oppugnaram, hunc defenderam. & ille, cum omnis reſp. in meo capite diſcrimen eſſet habitura, magnum quiddam ſpectauit, nec ſua quidem ſponte, ſed eorum auxilio, qui, me ſtante, ſtare non poterant: hic ſimiolus animi cauſſa me, in quem inueheretur, delegerat; perſuaſeratq. non nullis inuidis meis, ſe in me emiſſarium ſemper fore. Quamobrem ualde iubeo gaudere te. magna res geſta eſt. numquam ulli fortiores ciues fuerunt, quam qui auſi ſunt eum contra tantas opes eius, a quo ipſi lecti iudices erant, condemnare. quod feciſſent numquam, niſi ijs dolori meus fuiſſet dolor. Nos hic multitudine & celebritate iudiciorum, & nouis legibus ita diſtinemur, ut quotidie uota faciamus, ne intercaletur; ut quamprimum te uidere poſſimus. Vale.*

# EXPLANATIO

HOMO *acutus*} cum ironia. minime enim acutus, qui mandat ei, ut aliquid emat, cui expediat illud uenire quamplurimo. SED *eo uidiſti multum*,} ergo non multum uiderat in emptione mandanda. quod correxit pretio definito. Videre autem oculorum eſt proprium: ſed ea uis, quae in oculis eſt ad cognoſcendum, apta ſimilitudine ad mentem, animum, ingenium cum laude transfertur. unde acies mentis, animi, ingenij dicitur: & uidere, aut cernere animo, ingenio, coniectura &c. ep. 16. lib. 2. Non eam cognoui aciem ingenij tui, quod ipſe uideam, te id ut non putem uidere. Et ep. 4. lib. VI. In quo prima illa conſolatio eſt, uidiſſe me plus, quam ceteros, cum cupiebam quamuis iniqua condicione pacem. Et ep. 28. huius libri: Vidiſſe mihi multum uideris. Et ep. 2. lib. IX. Tu enim ipſe, qui & me, & alios prudentia uincis, omnia, credo, uidiſti, nihil omnino te fefellit. Et in Oratore: Poeona qui dixit aptiorem, in quo eſſet longa poſtrema; uidit parum. QVO *ne pluris emerem*.} mandauerat enim Ciceroni Marius, ut uel ſuam uenderet, uel aliorum coheredum partem emeret. QVI *meus in te amor eſt*,} pro meo in te amore. ep. 20. lib. v. Quod ſi mihi expenſa iſta H-S C tuliſſes: tamen, quae tua eſt ſuauitas, quiq. in me amor, nolles a me hoc tempore aeſtimationem accipere. Et ep. 13. huius libri: Moriar, ni, quae tua gloria eſt, puto te malle a Caeſare conſuli, quam inaurari. Et ep. 3. lib. IIX. Qui, quae mea negligentia eſt, multos ſaepe dies ad te, cum hic eras, non accedebam; nunc, quotidie non eſſe te, ad quem curſitem, diſcrucior. Et ep. 78. lib. XIII. Cognitum, per te ipſum, quae tua natura eſt, dignum tua amicitia, atque hoſpitio iudicabis. CONFECISSEM} tranſegiſſem, negotium abſoluiſſem. INLICITATOREM *potius ponam, quam illud minoris ueneat*.} ſic ueteres aliquot libri. alij, Illicitatorem. nonnulli, In licitationem: uel, In licitatione. placet, In licitationem: ut ſit: conferam illud potius in contentionem licitantium, quam minoris ueneat: non patiar illud minoris uenire, quam quanti ut emerem permiſiſti. ita neque contra mandatum tuum agam; non enim pluris emam, quam tu uis: & conſulam utilitati meae; quia, minoris ne ueneat, in licitationem ponam. Tota iocatio eſt, praeter illud primum, Mandatum tuum curabo diligenter. quod infra quoque, remoto ioco, iterat. Ponere, autem cum accuſandi caſu alibi quoque dixit Cicero, ut Phil. 3. Longo interuallo in poſſeſsionem libertatis pedem ponimus. Et lib. v. de Fin. Quaecumque ingredimur, in aliquam hiſtoriam ueſtigium ponimus. Et ep. 3. ad Att. lib. v. Apud Lentulum ponam te in gratiam. DE. BVRSA} hic eſt T. Munatius Plancus Burſa, frater L. Planci oratoris, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolae lib. x. tribunus pl. anno proximo acerbiſsimis concionibus in inuidiam rapere Milonem, Ciceronemq. conatus erat: eoq. incitante plebs curiam incenderat: quo crimine anno ſequenti, ſtatim poſt depoſitum magiſtratum, lege Pompeia de ui damnatus eſt, ep. 1. lib. IIX. & Plutarchus in Pompeio, & Catone, Dio lib. XL. & Pedianus. Reſtitutus a Caeſare poſt uictum Pompeium. qua de re ſic Phil. 13. Sequuntur alij tribunicij, T. Plancus in primis: qui ſi ſenatum dilexiſſet, numquam curiam incendiſſet. quo ſcelere damnatus, in eam urbem redijt armis, a qua exceſſerat legibus. GAVDERE} tum, quia de ui damnatus eſſet; tum etiam, quia Cicerone ipſo accuſante.

ſante. Dio lib. XL. HOMINIS . SORDES} ad uitia refertur: quibus inquinati homines contemnuntur ut ſordes. In Piſonem: O lutum, o ſordes. Ad Att. ep. 16. lib. IV. Iudicum ſordes. MORTE *inimici*,} Clodio a Milone interfecto. QVAM *calamitate*.} non tanti mihi eſt inimicorum exitium, ut eos perditos uelim cum amicorum calamitate. quod accidit in Clodio. cum enim occidit Milo, & eo crimine calamitatem ſubijt exſulij. BONORVM} iudicum, qui Burſam damnauerant. CONTENTIONEM} ſummum ſtudium pro ſalute Burſae. nam contentio plus eſt, quam ſtudium. ep. 1. lib. 1. Sic egit cauſſam tuam, ut neque eloquentia maiore quiſquam, neque grauitate, nec ſtudio, nec contentione agere potuerit. Et ep. 9. eiuſdem libri: Caeſaris, ut illum defenderem, mira contentio eſt conſecuta. CLARISSIMI,} Pompeium ſignificat. quem & ep. 8. lib. 1. clariſsimum uocat. A ſenatu, inquit, ordinem coniunctiſsimum, & hominem clariſsimum abalienarunt. POTENTISSIMI} Contra tantas opes eius, dixit infra. ODERAM *multo peius hunc*,} ep. 1. ad Att. lib. XIV. Non dubito, quin me male oderit. Et M. Brutus in epiſt. ad Ciceronem: Pati contumelias, peius odero omnibus malis. Phil. XI. Neminem ueterani peius oderunt. Terentius in Adel. Illud rus nulla alia de cauſſa tam male odi. Horatius: Odi cane peius, & angue. HVNC *defenderam*.} reum. ingratus igitur. in quo uitio nihil mali non ineſt: ut ep. 4. lib. IIX. ad Att. DISCRIMEN *eſſet habitura*,} periclitatura eſſet. cum in mea ſalute reip. ſalus ageretur. EORVM *auxilio*,} improborum omnium. non enim praecipue Caeſarem, Pompeium, Craſſum notari crediderim: de quibus in oratione pro Sextio. nam hoc tempore Caeſari, & Pompeio non uulgari Cicero coniunctus erat amicitia. QVI, *me ſtante, ſtare non poterant*:} perditis enim illorum conſilijs aduerſabar acerrime. ep. 6. lib. VI. Cum me e rep. expuliſſent ij, qui illam cadere poſſe, ſtante me, non putarunt. SIMIOLVS} plane contemnendus, non homo, ſed ſimiolus. homini enim ſimia quibuſdam rebus ſimilis. ep. 10. lib. V. Simius, non ſemiſsis homo, contra me arma tulit. Et Horatius Sat. ult. lib. 1.

„ -- Quos neque pulcher
„ Hermogenes umquam legit, neque ſimius iſte.

IN *quem inueheretur*,} quem iniurijs afficeret. in hoc uerbo illud notandum, duo participia, Inuehens, ab agente uerbo, Inuectus, a patiente deductum, tempore magis, quam ſignificatione, differre. Phil. 2. Caeſar in ſenatu, aperte in te inuehens, queſtus eſt. De nat. de. lib. 1. Maritimus Triton pingitur natantibus inuehens belluis. Eiuſdem generis illud eſt in Bruto: Cuius in adoleſcentiam, per medias laudes quaſi quadrigis uehentem, tranſuerſa incurrit miſera fortuna reip. EMISSARIVM} qui meorum inuidorum arbitrio, & uoluntate in me emitteretur, ſimilitudine locorum, quibus, cum uolumus, aqua emittitur. ep. 18. lib. XVI. CONTRA *tantas opes eius*,} contra contentionem potentiſsimi uiri Pompeij: qui cum, imperij cauſſa, ad urbem eſſet, Plancum per tabellas abſens laudauit. Dio lib. XL. idem confirmat Plutarchus in Catone. quamquam in Pompeio non ab ipſo abſente, ſed a preſente laudatũ eſſe Plancum ſignificat. ait enim, *Λύσας νόμῳ τὺς γινομένυς περὶ τῶν κρινομένων ἐπαίνυς, ἀυτὸς εἰσῆλθε Πλάγκον ἐπαινεσόμενος*. A QVO *ipſi lecti iudices erant*,} Pompeius duas tulit iudiciarias leges, unam in ſecundo conſulatu, ut e cenſu ampliſsimo e centurijs aliter, quam antea, lecti iudices, aeque tamen ex illis tribus ordinibus, de quibus L. Aurelius Cotta praetor legem tulerat, res iudicarent: de qua Pedianus: alteram in tertio conſulatu, quam Velleius nominat, ut eſſent CCCLX, quos ipſe legit. tot enim et Velleius lib. 2. & Plutarchus in Pompeio nominant. uide Coelij epiſtolam lib. IIX. quae incipit: Etſi de rep. quo loco trecenti tantum iudices appellantur. Lectionem autem illam conſulis Pompeij fuiſſe, non Velleij modo, ſed Ciceronis etiã teſtimonio cognoſcitur. ſunt enim haec in oratione pro Milone, in extremo: Veſtram uirtutem, iuſtitiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit, qui in iudicibus legendis optimum, & ſapientiſsimum quemque legit. Idem oſtendit Pedianus in eius orationis argumento. NISI *ijs dolori meus fuiſſe dolor*.} ſuſceptus ex multis Planci iniurijs: qui me animi cauſſa, in quem inueheretur, delegerat. Non diſsimile illud Phil. XIV. Dolorem ferre non potuit doloris mei. ſic enim eum locum diſtinguo. NOS *hic multitudine, & celebritate iudiciorum, & nouis legibus, ita diſtinemur, ut quotidie uota faciamus, ne interKaletur*;} Celebritate, ob magnitudinem rerum, quae iudicabantur. Nouis legibus, quas proximo ſuperiore anno Pompeius Magnus, tertium conſul, tulerat. duas nominat Pedianus, unam de ui, qua Burſam eiectum eſſe in exſulium diximus, alteram de ambitu, qua Hypſaeum damnatũ Plutarchus in Pompeij uita uidetur indicare. VOTA . FACIAMVS,} Vota facit is, qui ſe aliquid cum honore Dei facturum ita promittit, ſi, quod optat, ex animi ſententia ſucceſſerit. NE . INTERKALETVR;} ne dierum interpoſitione tempus protrahatur. Indicat hic locus, pontifices, interKalare ſolitos arbitratu ſuo. nam, ſi annus hic eſſet interKalaris ex inſtituto Numae, fruſtra Cicero uota faceret, ne interKalaretur. metuebat igitur, ne interKalaretur extra ordinem. quod idem timuit in adminiſtratione Ciliciae ep. 9. 13. 21. ad Att. lib. V. Contra ſequenti anno C. Curio tribunus pl. ut diem haberet longiorem ad ea perficienda, quae pro Caeſaris cauſſa cogitabat, interKalare cupiebat. quod quia non obtinuit, a ſenatu ad populum transfugit, & pro Caeſare loqui coepit, ut ait Coelius ep. 9. lib. IIX.

# Argumentum ep. 3.

*VItuperatorum quorundam uoces, diſceſſum eius a ciuili bello reprehendentium, iniquo animo ferebat. cauſſam igitur exponit, cur, deuicto acie Pharſalica Pompeio, in patriam redire maluerit, quam, uel bellum renouare, uel capere tamquam exſulio locum, uel mortem ſibi conſciſcere uoluntariam. Scripta poſt bellum Africanum, ut Iubae regis mentio declarat, Caeſare* III. *& Lepido cos.*

## *Cicero S. D. Mario. 3.*

PERSAEPE *mihi cogitanti de communibus miſerijs, in quibus tot annos uerſamur, &, ut uideo, uerſabimur, ſolet in mentem uenire illius temporis, quo proxime fuimus una: quin etiam ipſum diem memoria teneo. nam ad* III. *idus Maias, Lentulo, & Marcello cos. cum in Pompeianum ueſperi ueniſſem, tu mihi ſollicito animo praeſto fuiſti. ſollicitum autem te habebat cogitatio tum officij, tum etiam periculi mei. ſi manerem in Italia; uerebare, ne officio deeſſem. ſi proficiſcerer ad bellum; periculum te meum commouebat. quo tempore uidiſti profecto me quoque ita conturbatum, ut non explicarem, quid eſſet optimum factu. pudori tamen malui, famaeq. cedere, quam ſalutis meae rationem ducere. cuius me mei facti paenituit, non tam propter periculum meum, quam propter uitia multa, quae ibi offendi, quo ueneram: primum, neque magnas copias, neque bellicoſas: deinde, extra ducem, paucoſq. praeterea, (de principibus loquor) reliqui primum in ipſo bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipſam uictoriam horrerem: maximum autem aes alienum ampliſſimorum uirorum. quid quaeris? nihil boni praeter cauſſam. Quae cum uidiſſem, deſperans uictoriam, primum coepi ſuadere pacem, cuius fueram ſemper auctor: deinde, cum ab ea ſententia Pompeius ualde abhorreret, ſuadere inſtitui, ut bellum duceret. hoc interdum probabat, & in ea ſententia uidebatur fore, & fuiſſet fortaſſe, niſi quadam ex pugna coepiſſet ſuis militibus confidere. ex eo tempore uir ille ſummus, nullus imperator fuit: ſigna tirone, & collecticio exercitu cum legionibus robuſtiſſimis contulit: uictus, turpiſſime, amiſſis etiam caſtris, ſolus fugit. hunc ego belli mihi finem feci: nec putaui, cum integri pares non fuiſſemus, fractos ſuperiores fore. diſceſſi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas inſidias incidendum, aut deueniendum in uictoris manus, aut ad Iubam confugiendum, aut capiendus tamquam exſulio locus, aut conſciſcenda mors uoluntaria. certe nihil fuit praeterea; ſi te uictori nolles, aut non auderes committere. Ex omnibus autem ijs, quae dixi, incommodis, nihil tolerabilius exſulio, praeſertim innocenti, ubi nulla adiuncta eſt turpitudo; addo etiam, cum ea urbe careas, in qua nihil ſit, quod uidere poſſis ſine dolore. ego cum meis (ſi quidquam nunc cuiuſpiam eſt) etiam in meis eſſe malui. quae acciderunt, omnia dixi futura. ueni domum, non quod optima uiuendi condicio eſſet, ſed tamen, ſi eſſet aliqua forma reip. tamquam in patria ut eſſem; ſi nulla, tamquam in exſulio. mortem mihi cur conſciſcerem, cauſſa non uiſa eſt; cur optarem, multae cauſſae. uetus eſt enim,* VBI *non ſis, qui fueris, non eſſe, cur uelis uiuere. ſed tamen,* VACARE *culpa, magnum eſt ſolatium; praeſertim cum habeam duas res, quibus me ſuſtentem, optimarum artium ſcientiam, & maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi uiuo numquam eripietur, altera ne mortuo quidem. Haec ad te ſcripſi uerboſius; & tibi moleſtus fui, quod te cum mei, tum reip. cognoui amantiſſimum. notum tibi omne conſilium meum eſſe uolui, ut primum ſcires, me numquam uoluiſſe plus quemquam poſſe, quam uniuerſam remp. poſtea autem quam alicuius culpa tantum ualeret unus, ut obſiſti non poſſet, me uoluiſſe pacem: amiſſo exercitu, & eo duce, in quo ſpes fuerat uno, me uoluiſſe etiam reliquis omnibus; poſtquam non potuerim, mihi ipſi finem feciſſe belli: nunc autem, ſi haec ciuitas eſt, ciuem eſſe me; ſi non, exſulem eſſe non incommodiore loco, quam ſi me Rhodum, aut Mitylenas contuliſſem. Haec tecum coram malueram; ſed, quia longius fiebat, uolui per litteras eadem; ut haberes, quid diceres, ſi quando in uituperatores meos incidiſſes. ſunt enim, qui, cum meus interitus nihil fuerit reip. profuturus, criminis loco putent eſſe, quod uiuam. quibus ego certo ſcio non uideri ſatis multos periſſe: qui ſi me audiſſent, quamuis iniqua pace, honeſte tamen uiuerent: armis enim inferiores, non cauſſa, fuiſſent. Habes epiſtolam uerboſiorem fortaſſe, quam uelles. quod tibi ita uideri putabo, niſi mihi longiorem remiſeris. Ego, ſi, quae uolo, expediero, breui tempore te, ut ſpero, uidebo. Vale.*

## EXPLANATIO

PERSEPE *mihi cogitanti* } narrationem ordiri interdum ſolet a dandi caſu, ut lib. I. de Orat. Cogitanti mihi, Q. frater, & memoria uetera repetenti, perbeati fuiſſe mihi uideri ſolent, &c. Et ep. I. ad Att. lib. 2. Kalendis Iun. eunti mihi Antium, & gladiatores M. Metelli cupide relinquenti, uenit obuiam

tuus

tuus puer. Et ad eundem ep. 16. ibidem: Cenato mihi, & iam dormitanti, pridie Kal. Mai. epiſtola eſt illa reddita. DE *communibus miſerijs,*} afflicta ciuili bello rep. TOT *annos*} initio ſumpto ab eo anno, quo Caeſar primum conſul fuit. leges enim multae contra maiorum inſtituta, contraq. libertatem publicam latae ſunt: quod poſtea res ipſa declarauit. itaque ſcripſit Cicero in quadam ad Axium epiſtola, quae non exſtat, ſed a Suetonio nominatur in Iulij uita, Caeſarem in conſulatu confirmaſſe regnum, de quo aedilis cogitarat. Horatius anno ante, ideſt Metello Celere, & Afranio cos. factum eſſe motum ciuilem ait, ode prima lib. 2. Motum Metello conſule ciuicum: fortaſſe ob eam cauſſam, quia, Metello ipſo conſule in carcerem a Flauio trib. pl. ducto, ſeditio commota eſt. ep. 1. ad Att. lib. 2. & Dio lib. XXXVII. Dixit igitur Cicero, Tot annos, ad originem belli ciuilis reſpiciens, non ad primum eius belli annum, quo Lentulus & Marcellus conſules fuere, quadriennio ante, quam haec epiſtola ſcriberetur. nam de hoc tempore, Tot annos, opinor, non diceret. VT VIDEO} ſpes enim fortunae melioris nulla ſupereſſe uidebatur, deuicta iam duobus proelijs Pompeianorum cauſſa, Pharſalico primum, deinde Africano. SOLET *in mentem uenire illius temporis,*} modo cum generandi, modo cum nominandi caſu dixit Cicero, In mentem uenire. de Fin. lib. V. Venit mihi Platonis in mentem. Pro Amerino: Venit mihi in mentem oris tui. At ep. 17. lib. 2. Quae mihi ueniebant in mentem. PROXIME} anno primo ciuilis belli: ut infra patet, ex mentione conſulum Lentuli, & Marcelli. quo modo igitur, Proxime? cum ſit hic tertius anni ciuilis annus. nimirum, cum ſaepe fuiſſet cum Mario, Proxime, dixit de poſtremo inter eos habito ſermone. PRAESTO *fuiſti.*} uillam & Marius habebat in Pompeiano. ep. 4. SOLLICITVM *te habebat*} ſollicitabat. Sic locutus ep. 16. lib. 2. TVM *officij, tum etiam periculi mei.*} hoc explanatur ſequentibus uerbis. SI *manerem in Italia;*} profecto in Graeciam Pompeio. OFFICIO} erga remp. & Pompeium de me bene meritum. VT *non explicarem, quid eſſet optimum factu.*} utilitas enim cum honeſtate pugnabat. ep. 2. lib. IV. Si, quid rectiſsimum ſit, quaerimus; perſpicuum eſt. ſi, quid maxime expediat; obſcurum. Et ep. 19. lib. V. Eſt res profecto maxima. quid rectum ſit, apparet: quid expediat, obſcurum eſt. PVDORI *tamen malui, famaeq. cedere,*} ep. 6. lib. VI. Vel officio, uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut Amphiaraus in fabulis, ſic ego prudens, & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus. NEQVE *magnas copias,*} non magnas, cum Cicero in Graeciam uenit; magnas autem poſtea, coniuncto Scipionis exercitu, & multorum auxilijs. Caeſar ipſe lib. III. bel. ci. in exercitu Pompeij ait fuiſſe millia LV. praeterea euocatorũ circiter duo millia, & cohortes ſex. Plutarchus in Caeſare, peditum XLV millia in Pompeij numerat exercitu, equitum ſeptem millia. uide illa uerba ep. 7. lib. IV. Neque copias Cn. Pompeij, nec genus exercitus probare. NEQVE *bellicoſas:*} tirone, & collecticio exercitu. quod infra dicitur, & ep. 7. lib. IV. ep. 24. lib. X. DVCEM,} Pompeium, belli ducem. RAPACES,} maxime P. Scipio, Pompeij ſocer, Syriae proconſul: de cuius infinita rapacitate, uide, quae ſcripſit Caeſar lib. III. bel. ci. CRVDELES,} ep. 14. lib. IV. & ep. 6. lib. IX. & ep. 19. lib. XV. & ep. 6. lib. XI. ad Att. AES *alienum*} hoc ſignificatur ep. 6. lib. VI. in eo loco: Qui, duce Pompeio freti, peropportunam & rebus domeſticis, & cupiditatibus ſuis illius belli uictoriam fore putabant. AMPLISSIMORVM *uirorum.*} praeſertim L. Lentuli conſulis, P. Scipionis, Pompeij ſoceri, Fauſti, Libonis. de Lentulo Caeſar lib. I. bel. ci. Lentulus aeris alieni magnitudine, & ſpe exercitus, ac prouinciarum, & regum appellandorum largitionibus mouetur. De tribus reliquis, ep. 9. lib. IX. ad Att. PRAETER *cauſſam.*} eſſe enim in caſtris Pompeij reſp. & libertas defendi uidebatur. SEMPER} etiam ante quam iretur ad arma. ep. 1. lib. IV. & ep. XI. lib. XVI. VALDE *abhorreret,*} uel ſuperbia quadam, qui parem ſibi Caeſarem ferre non poſſet: uel quia certam de uictoria ſpem ſuſceperat, confiſus exercitum ſe habiturum multis partibus maiorem exercitu Caeſaris. QVADAM *pugna*} ad Dyrrhachium facta: ex qua Pompeius imperator eſt appellatus. Caeſar lib. III. bel. ci. NVLLVS *imperator fuit:*} nihil egit egregio imperatore dignum. TIRONE, *& collecticio exercitu*} collectio exercitu belli ciuilis initio. Tuſc. 2. Tantum intereſt inter nouum, & ueterem exercitum, quantum experti ſumus. ROBVSTISSIMIS} quarum nonnullae per nouem annos in Gallia pugnauerant. VICTVS,} in Pharſalia. TVRPISSIME} ut pote qui & amiſsis caſtris, & ſolus fugerit. NEC *putaui,*} eadem in ſententia fuit M. Marcellus: ad quem Cicero ep. 7. lib. IV. ita ſcripſit: Tuum conſilium nemo poteſt non maxime laudare, quod cum ſpe uincendi ſimul abieciſti certandi etiam cupiditatem. INTEGRI} nondum aduerſa pugna fracti. tranſlatio. firmiora enim ſunt integra, quam fracta. IVBAM} Mauritaniae regem, ad quem Scipio, Pompeij ſocer, poſt Pharſalicum proelium confugit. ep. 6. lib. IX. Quaſi utilius fuerit, eos etiam ad beſtiarum auxilium confugere, quam uel mori, uel cum ſpe ſi non optima, at aliqua tamen uiuere. Hic eſt ille Iuba, de quo Caeſar triumphauit, eiuſq. filium, qui poſtea inter ſcriptores doctiſsimos, ut ait Plutarchus, connumeratus eſt, & ad Caium Auguſti filium, teſte Plinio, de Arabiae rebus libros conſcripſit, in triumphum duxit, admodum infantem. AVT *capiendus tamquam exſulio locus,*} quod M. Marcellus, & alij fecere. Tamquam exſulio, non proprie exſulio: nam exſules damnati legibus patria carent: qui uero patria caret, ſed non legibus damnatus, is non exſul, ſed tamquam exſul eſt. in epiſtola tamen ad Marcellum. 8. lib. IV. dixit hunc aptiſsimum eſſe, etiam ad exſulandum locum, quaſi exſulium ſit, adſpectu patriae frui non poſſe. & hic, paullo poſt, ſimpliciter exſulium appellauit: Ex omnibus, ait, ijs, quae dixi incommodis, nihil tolerabilius exſulio. AVT *conſciſcenda mors uoluntaria.*} quod M. Cato, audita Caeſaris Africana uictoria, Vticae fecit: unde illi cognomen Vticenſi. Conſciſcere mortem, e ſex incommodis ultimum poſuit, ſeruiens uidelicet cauſſae ſuae, qui diſceſſerit ab eo bello, in quo nihil proſperum exſpectari poſſet, aduerſa omnia imminerent. alibi tamen praeclaram uocat Catonis mortem, quam ſibi ille conſciuerat uo

luntariam. ep.18.lib.IX. NOLLES, *aut non auderes* } nolles, quia turpe: non auderes, metu poteſtatis. COMMITTERE.} quod Cicero fecit, ſtatim a pugna Pharſalica in Italiam reuerſus. PRAESERTIM *innocenti*, } hac de re praeclare diſputat in Paradoxo aduerſus Clodium, a quo exſul appellatus erat. CVM, MEIS, } propinquis, & amicis. SI *quidquam* } correctio: quaſi omnia plane ſint in unius poteſtate. ETIAM *in meis eſſe malui*.} Etiam, uim quandam indignationis, & doloris habet: quaſi dixerit: omnia ſunt in unius poteſtate, nihil cuiuſquam praeterea: hoc tamen cum ſcirem, in meis eſſe malui. Particula, In, ſeiungere uidetur ab illo poſſeſsionẽ, quam tribuebat particula Cum. nã, Cum meis, rei poſſeſſae ſignificationẽ habet: In meis, fructum potius, quam poſſeſsionem, demonſtrat. Venuſtas non abeſt: Cum meis non ero; quia nihil cuiuſquam eſt: at in meis ero; quod in malis aliquod ſolatium affert. SI *nulla, tamquam in exſulio*.} ep.8. lib.IV. Si ſit aliqua reſp. in ea te eſſe oportere; ſin autem nulla, hunc tamen aptiſsimum eſſe etiam ad exſulandum locum. MVLTAE *cauſſae*.} amiſsio libertatis, dignitatis, honeſtatis, amicorum, omnium denique rerum, quae, rep. ſtante, iucundiſsimae fuerant. VETVS *eſt enim*, } a ueteribus dicta ſententia. ep.3. lib.VII. Ita uiuere, ut non ſit uiuendum, miſerrimum eſt. SVSTENTEM }, litterae ſuſtentant, aberrante animo a dolore; & memoria calamitatum: rerum geſtarum gloria ſolatium affert in miſeria, cum recordamur, non omnia tamen erepta nobis eſſe, manere gloriam, manſuramq. poſt obitum etiam, ab omni tutam iniuria. MIHI *uiuo numquam* } morbo tantum, perturbata memoria, uiuis eripi ſcientia poteſt: manente memoria, non poteſt. TVM *reip.*} cuius conſulebam ſaluti, cum pacem ſuadebam. QVEMQVAM } aut Caeſarem, aut quemuis alium. ep. ultima lib.V. Ego ſum, qui nullius uim plus ualere uolui, quam honeſtum otium. ALICVIVS *culpa* } Pompeius notatur: cuius affinitate Caeſar, quae uoluit, pro ſua potentia conſecutus eſt. quod ſaepe queritur Cicero in epiſtolis ad Atticum, & hic ep.1. & 6. lib.VI. et Coelius ep.14. lib.IIX. & omnes hiſtorici. VNVS, } quis hoc de Caeſare dici non uidet? VT *obſiſti non poſſet*, } quis enim obſiſteret habenti robuſtiſsimas legiones, nec petenti, niſi quod iam ei, latis legibus, populus conceſſerat? ut etiam honeſtae cauſſae ſpeciem quandam oſtenderet. ME. VOLVISSE *etiam rel. omn. &c.* } ita hunc locum diſtinximus, qui antea male diſtinctus erat. RELIQVIS *omnibus*; } facere finem belli. pacem enim, uicto Pompeio, ſuaſi: qua non probata, uſus ipſe meo conſilio ſum. ep.6. lib.IX. Erant nobis perirate, quaſi quidquam de noſtra ſalute decreuiſſemus, quod non idem illis cenſuiſſemus. RHODVM, *aut Mitylenas* } quo ſe, tamquam ad liberas ciuitates, nonnulli ex Pharſalico proelio, qui ſe uictori nollent, aut non auderent committere, contulerunt. ep.7. lib.IV. SED, *quia longius fiebat*, } ep.8. lib.IX. Sed, cum tu tardius faceres. VITVPERATORES *meos* } crimini dabant, quod a bello diſceſsiſſet. Eodem modo, Amatorem tuum, dixit ep.15. lib.IX. CVM *meus interitus nihil fuerit reip. profuturus*, } hoc interponit, ut ſuſpicionem timoris auertat; ne uideatur ob uiuendi cupiditatem boni ciuis officio defuiſſe. Mortem, inquit, non timui: ſed, cum ea nihil eſſet reip. profutura, mori cur mallem, quam uiuere? SI *me audiſſent*, } pacem ſuadentem. ſupra, & ep.1. lib.IV. & 21. lib.VI. QVAMVIS *iniqua pace*, } ep.6. lib.VI. Cum uel iniquiſsimam pace iuſtiſsimo bello anteferrem. HONESTE *tamen uiuerent*: } hoc dicit, ne quis obijciat, eum turpiter uiuere. non enim ſatis fuit, oſtendere, nihil reip. mortem ſuam fuiſſe profuturam: ſed uitam quoque ipſam nulla cum turpitudine coniunctam demonſtrat. NON *cauſſa*, } honeſte igitur uiuit, quicumque bene ſentit; nec honeſtatem uel afferunt arma uel eripiunt.

---

## Argumentum ep. 4.

*PRaemonet Marium de aduentu ſuo in Pompeianum. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Mario.* 4.

*AD IIX. Kal. in Cumanum ueni cum Libone tuo, uel noſtro potius: in Pompeianum ſtatim cogito: ſed faciam te ante certiorem. te cum ſemper ualere cupio, tum certe dum hic ſumus: uides enim quanto poſt una futuri ſumus. quare, ſi quod conſtitutum cum podagra habes, fac in alium diem differas. cura igitur, ut ualeas: & me hoc biduo, aut triduo exſpecta. Vale.*

## EXPLANATIO

CVM *Libone* } Scriboniae gentis, plebeiae. TVO, *uel noſtro potius*: } Similis loquendi modus ep.2. lib.IX. Caninius, idem tuus, & idem noſter. IN *Pompeianum* } uillam ſuam, prope opidum Pompeios. FACIAM *te ante certiorem*.} erat enim & Marius in Pompeiano ſuo. HIC } in uicinis praedijs. uterque enim uillas habebat in Pompeiano. ep.9. lib.2. ad Q. Fr. Illorum praediorum ſcito mihi uicinum Marium lumen eſſe. VIDES } ideo uides, quia Pompeianum prope Cumanum eſt. ep.13. lib.2. ad Att. QVANTO *poſt* } diſſentio ab ijs, qui, multo poſt, ſignificari putant: nam ſe breui cum eo futurum,

eo futurum, in extrema epiſtola Cicero demonſtrat. S i *quod conſtitutum*} libri aliquot ueteres habent, Si quid alij tamen, Si quod: quos ſequor: nam, conſtitutum, tranſijt in naturam nominis: ut ep. I. lib. XII. ad Att. Quincto Kal. igitur ad conſtitutum. Et pro Caecina: Qui ad conſtitutum experiundi iuris gratia uenisſent. Et pro Coelio: Cum ſit ijs confitendum, numquam ſe ne congreſſu quidem, & conſtituto coepiſſe de tantis iniurijs experiri. Apparet, uerbum iuris eſſe. Si tu, inquit, curare podagram his diebus conſtituiſti; differ in alium diem; ut interea ſimul coenare aliquanto hilarius poſsimus.

# Argumentum ep. 5.

*C. Trebatium Teſtam, iuriſconſultum, familiarem ſuum, commendat C. Caeſari, Galliarum proconſuli. Scripta Domitio & Appio cos. quod ex epiſt. 14. lib. 2. ad Q. fratrem intelligitur.*

## *M. Cicero S. D. C. Caeſari imp. 5.*

VIDE, *quam mihi perſuaſerim, te me eſſe alterum, non modo in ijs rebus, quae ad me ipſum, ſed etiam in ijs, quae ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram, quocumque exirem, mecum ducere, ut eum meis omnibus ſtudijs, & beneficijs quam ornatiſſimum domum reducerem. ſed poſtea, quã et Pompeij commoratio diuturnior erat, quam putaram; & mea quaedam tibi non ignota dubitatio aut impedire profectionem meam uidebatur, aut certe tardare: uide, quid mihi ſumpſerim: coepi uelle ea Trebatium exſpectare a te, quae ſperaſſet a me: neque mehercule minus ei prolixe de tua uoluntate promiſi, quam eram ſolitus de mea polliceri. caſus uero mirificus quidam interuenit, quaſi uel teſtis opinionis meae, uel ſponſor humanitatis tuae. nam, cum de hoc ipſo Trebatio cum Balbo noſtro loquerer accuratius domi meae, litterae mihi dantur a te, quibus in extremis ſcriptum erat: M. Irſium, quem mihi commendas, uel regem Galliae faciam, uel hunc Leptae delega: ſi uis tu, ad me alium mitte, quem ornem. Suſtulimus manus & ego, & Balbus: tanta fuit opportunitas, ut illud neſcio quid non fortuitum, ſed diuinum uideretur. Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, ut initio mea ſponte, poſt autem inuitatu tuo mittendum duxerim. hunc, mi Caeſar, ſic uelim omni tua comitate complectare, ut omnia, quae per me poſſis adduci ut in meos conferre uelis, in unum hunc conferas. de quo tibi homine hoc ſpondeo, non illo uetere uerbo meo, quod, cum ad te de Milone ſcripſiſſem, iure luſiſti, ſed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem uirum, pudentiorem eſſe neminem. accedit etiam, quod familiam ducit, in iure ciuili ſingularis memoria, ſumma ſcientia. huic ego neque tribunatum, neque praefecturam, neque ullius beneficij certum nomen peto: beneuolentiam tuam, & liberalitatem peto: neque impedio, quo minus, ſi tibi ita placuerit, etiam hiſce eum ornes gloriolae inſignibus. totum denique hominem tibi trado de manu, ut aiunt, in manum tuam iſtam, & uictoria, & fide praeſtantem. ſumus enim putidiuſculi, quam per te uix licet: uerum, ut uideo, licebit. Cura ut ualeas: & me, ut amas, ama.*

## EXPLANATIO

VIDE, *quam mihi perſuaſerim, &c.*} facilius impetratur, impetrandi ſpe propoſita. parit enim beneuolentiam humanitatis commemoratio. quo hic artificio utitur Cicero. QVOCVMQVE *exirem,*} legatione non frumentaria, ut nonnulli putarunt, ſed Hiſpanienſi, cum Pompeio proconſule: cui lege Trebonia, ut omnes hiſtoriae narrant, utriuſque Hiſpaniae adminiſtratio in quinquennium demandata erat. COMMORATIO} ad urbem, numquam enim Pompeius iuit in prouinciam: quae belli ciuilis origo fuit. ep. 6. lib. VI. Eundum in Hiſpaniam cenſui. quod ſi feciſſet, ciuile bellum nullum omnino fuiſſet. Hic autem de curatione frumentaria qui poteſt intelligi, cum ea iam ante biennium demandata Pompeio eſſet; nec ea res tam diuturnam Pompeij commorationem ferret? quin etiam, frumenti comparandi cauſſa, iuit Pompeius in Sardiniam, & Africam, Marcellino & Philippo cos. ut ep. 9. lib. I. demonſtrat. at haec ad Caeſarem, ſcripta biennio poſt, nondum ab urbe Pompeium diſceſsiſſe oſtendit. praeterea ep. 17. eandem manifeſte rem attingens, ait: Quoad opinatus ſum me in prouinciam exiturum. Ire in prouinciam non opinor diceret, ſi frumentariam ad curationem iturus eſſet. DVBITATIO}. uerebatur, ne Clodius abſenti negotiũ faceſſeret. Eadẽ legatio ſignificatur ep. ult. lib. V. ad Att. & ep. I. lib. 3. ad Q. fr. EXSPECTARE *a te, quae ſperaſſet a me:*} plus eſt exſpectare, quã ſpectare. nam in ſpe dubitatio uidetur ineſſe aliqua, in exſpectatione nulla. parem igitur ſibi, quod ad iuuandi Trebatij uoluntatem attinet, Cicero Caeſarem facit: ſic enim exorſus eſt epiſtolam: Vide, quam mihi perſuaſerim, te me eſſe alterum: ſuperiorem autem in opibus agnoſcit, quia longe maiorem, cum utramque Galliam proconſul adminiſtraret, ornandi, augendiq. Trebatij facultatem haberet. PROLIXE} liberaliter. ep. 8. lib. III. prolixam, beneficamq. Appij naturam uocat. MIRIFICVS} mirificus, mirus, mirandus, admi-

randus, mirabilis, admirabilis, ſynonyma ſunt. QVASI} quia, quod hominum eſt, ad caſum tranſtulit, ideo, Quaſi, dixit. TESTIS *opinionis meae,*} cuius teſtimonio comprobaretur id, quod ego de te exiſtimaram. SPONSOR *humanitatis tuae.*} cui, tamquam ſponſori, de tua credendum humanitate uideretur. CVM *Balbo noſtro.*} hic eſt L. Cornelius Balbus, Gaditanus, Caeſaris & Ciceronis amiciſsimus, pro quo exſtat oratio. peruenit Caeſaris beneficio ad maximas diuitias, & conſulatum poſtremo eſt adeptus. Plinius lib. VII. cap. 43. M. IRFIVM,} antiquos libros inſpexi multos. alij habent, M. Irfium: alij, M. iffium: alij, Mirfium: alij Idfium: quidem, m.u. fiuium: nonnulli, M. ilfinium: uel, m. Itifium: uel, M. Infium: uel M. Infinium: uel, M. Lifium: uel, Marcum Rufum: alij aliter: nullus, Orfium: quod tamen nonnullis placuit, opinantibus eum eſſe, de quo in ep. 13. lib. 2. ad Q. fr. fit mentio. qua de re ſcripſi olim, tempora non congruere: nam hunc, qui nominatur in hac epiſtola, fuiſſe ad Caeſarem, conſtat, ante Trebatium, illum autem poſt; cum in ea ſit epiſtola in extremo: Trebatium ut ualde ames, uehementer te rogo. Hic a coniectura ſubſidium quaerunt; & aiunt poſſe fieri, ut Orfius in Galliam antea ſit profectus; deinde, ſui negotij cauſſa, uel ab ipſo Caeſare miſſus, Romam uenerit; unde cum litteris Ciceronis ad Q. fratrem in Galliam redierit. haec facile poſſunt excogitari: ſed nihil cogimur credere, niſi quod ratio perſuadeat: nam illa uerba, quae ſunt in ea ad Q. fratrem epiſtola, Eſt tribunus mil. in exercitu ueſtro: mihi quidem argumentum afferre non uidentur, cur ille Orfius antea fuerit in exercitu Caeſaris. fortaſſe etiam contrarium ſignificant. nam ſi fuerat antea tribunus mil. in exercitu Caeſaris: cur, quaſi de homine ignoto, ſcriberet ad fratrem Cicero, Eſt tribunus mil. in exercitu ueſtro? quis putet a legato legionis Quincto ignoratum eſſe tribunum mil. cuiuſcumque legionis? Dicit igitur Cicero, ut opinor, hoc: uenit ad Caeſarem tribunus mil. creatus. Non enim ſoli imperatores tribunos mil. creabant, ut ijdem credunt; ſed ea poteſtas populi quoque fuit. Tribunorum militarium, inquit Aſconius, duo genera, primum eorum, qui Rufuli dicuntur. hi in exercitu creari ſolent. alij ſunt Comitiati; qui Romae comitijs deſignantur. Idem legitur apud Feſtum. idem & a Liuio lib. IX. ſignificatur. Erat igitur Orfius e comitiatis. quo refellitur illud argumentum: non potuiſſe Ciceronem diuinare tribunum mil. Orfium a Caeſare creatum iri: itaque antea creatum eſſe, & in exercitu fuiſſe. VEL *regem Galliae faciam,*} hoc non faciam, ergo id, quod cupis. Modus loquendi, cum, uel hoc, uel illud promittentes, alterutrum nos facturos eſſe, credi uolumus. excluditur enim difficilius. LEPTAE *delega:*} uideo ſcriptum eſſe, Dilegam, in quattuor antiquis libris, in alijs omnibus, Delega. utroque modo locus, ut arbitror, mendo non uacat: nec ipſe mihi in coniectura ſatisfacio. SVSTVLIMVS *manus*} ob admirationem. manus enim tollere conſueuimus, aliquid admirantes. in Acad. Hortenſius, uehementer admirans: quod quidem perpetuo, Lucullo loquente, fecerat, ut etiam manus ſaepe tolleret. Catullus: Admirans ait haec, manusq. tollens: Dij magni, ſalicippiũ diſertum. NESCIO *quid*} ſic malo, quam Neſcio quod: idq. uidetur uſus poſtulare Latinae linguae. utrũq. habent ueteres libri. NON *fortuitum, ſed diuinum*} fortuitis diuina praeſtant. nam, quae a fortuna ſunt, ratione carent. Deus autem ſumma ratio eſt. Non igitur caſu, inquit, accidiſſe uidebatur, ut eo tempore litterae mihi abs te darentur, cum de hoc ipſo Trebatio cum Balbo noſtro loquerer; ſed ita, Deo uolente, factum, ut opinio mea de tua erga me uoluntate confirmaretur. INVITATV *tuo*} inuitatus, inuitatio; permiſſus, permiſsio; conceſſus, conceſſio; conſenſus, conſenſio; diſceſſus, diſceſsio; aliaq. ſimiliter dicuntur. PER *me*} non propter me; (non enim ſe ponit ut cauſſam, quo ſpectetur) ſed, mea opera, & commendatione: ut ſit ipſe cauſſa efficiens. Sic ep. 8. lib. XIII. Magna me affeceris non modo laetitia, ſed etiam gloria, ſi P. Sextius homini maxime neceſſario per me ſatisfecerit. IN. MEOS} non modo propinqui, ſed amici etiam ſignificantur. ep. 10. lib. XVI. de Curione non propinquo dixit: Curio meus illum incitabat. & ep. 3. de ſolis propinquis non ſcripſit illud: Ego cum meis, (ſi quidquam nunc cuiuſquam eſt) etiam in meis eſſe uolui. SPONDEO,} ita promitto, ut me ſponſorem conſtituam, & in me ipſum recipiam, ſi ſecus acciderit. ep. 6. lib. I. ad Att. Tulliola tuum munuſculum flagitat, & me, ut ſponſorem, appellat. mihi autem abiurare certius eſt, quam dependere. Sponſor, praes, uas in quo differant, oſtendit Varro lib. V. de Lin. Lat. VETERE. VERBO. MEO,} quo antea uſus eram in Milone commendando. Cum infra uideam ſubiungi, Sed more Romano; &, more Romano commendare, ſit exquiſite laudare, & praeſtanti quodam uti genere commendationis; quod hic locus demonſtrat; & illa in ep. 18. Ego te Balbo more Romano commendabo: facile poſſum conijcere, frigidum fuiſſe uerbum illud Ciceronis, quod ſcriptum de Milone Caeſar luſerat. itaque ſequitur minime frigida laudatio, Probiorem hominem, meliorem uirum, pudentiorem eſſe neminem. DE. MILONE} hoc anno P. Clodium nondum occiderat Milo. qua porro in cauſſa eum Caeſari Cicero commendauerit, ſuſpicari difficile eſt. in magiſtratus petitione, non puto. nam praeturam non petijt Milo; ſed, ea omiſſa, conſulatum petijt Caluino & Meſſalla cos. cum aedilitatem geſsiſſet biennio poſt tribunatum, ideſt Pompeio & Craſſo iterum cos. fortaſſe igitur Milonem in aliqua contentione, quae illi cum Clodio eſſet, eum Cicero commendauit. nam Caeſar, licet abſens, gratia, & opibus in urbe plurimum ualebat. MORE. ROMANO,} grauiſsime. ep. 17. Sic te ei tradidi, ut grauiſsime, diligentiſsimeq. potui. Ep. 18. Ego te Balbo more Romano commendabo. QVO *modo homines non inepti loquuntur,*} ineptorum igitur hominum eſt, frigide laudare: ſiquidem non inepti exquiſite laudant. PROBIOREM *hominem, meliorem uirum,*} coniuncta notentur: probus homo, bonus uir, potius, quam, bonus homo, probus uir. PVDENTIOREM} ep. 7. Multum in eo te, frater adiuuabit meus, multum Balbus, ſed, mihi crede, tuus pudor, & labor plurimum. QVOD *familiam ducit,*} non ad ipſum Trebatium refero; ut dicatur, ſuos habere ſectatores; uerum ad eius excel-

lentem

lentem in iure ciuili memoriam, atque ſcientiam. cum enim laudare Trebatium Cicero coepiſſet, adiunxit ea, quae in eius laudibus ita prima ſunt, ut quaſi familiam ducere, & excellere uideantur. laudatur enim, & neceſſaria in primis eſt, in iuriſconſulto memoria: ſine qua ſcientia non conſiſtit: nec tamen memoria ſola laudem habet, ſed ita, ſi cum intelligentia coniungatur: ex utraque enim fit ſcientia. itaque poſt memoriam adiunxit Cicero ſcientiam; ut optimum iuriſconſultum deſcriberet. Quod ad loquendi genus attinet, confirmatur exemplo lib. IV. de Fin. Primum, inquit, illud uide, grauiſsimam illam ueſtram ſententiam, quae familiam ducit; honeſtum quod ſit, id eſſe ſolum bonum; honeſteq. uiuere, bonorum finem; communem fore uobis cum omnibus, qui in una uirtute conſtituunt bonorum finem. Et Phil. V. Lucius, frater eius, utpote qui peregre depugnarit, familiam ducit. Tranſlatio ab ijs, qui ceteros ducunt, quia poteſtate, aut honore, ſcientia ue antecellunt. IN *iure ciuili ſingularis memoria*,} neceſſariam eſſe iuriſconſultis memoriam, & eorum maxime propriam, oſtendit lib. I. de Orat. cum ait: In oratore autem acumen dialecticorum, ſententiae philoſophorum, uerba prope poetarum, memoria iuriſconſultorum, uox tragoedorum, geſtus paene ſummorum actorum eſt requirendus. TRIBVNATVM,} militum. qui, poſt conſulem, & legatos honor in caſtris erat maximus, & poſt eum praefectura equitum, de qua ſequitur mentio, uide quae de tribunis mil. diximus ep. 20. lib. V. CERTVM *nomen*} modeſtiam ſeruat, quia nihil petit nominatim: & plus tamen petit, quam ſi nominatim peteret: quia nihil eſt, quod a Caeſaris beneuolentia, & liberalitate exſpectari non poſsit. PETO:} repetit hoc uerbum elegantiae cauſſa, ſimiliter ut ep. 15. ad Att. lib. V. Denique hoc non deſidero: lucem, forum, urbem, domum, uos deſidero. GLORIOLAE} quaſi non omnino uerae, ac ſolidae gloriae ſint inſignia uel tribunatus, uel praefectura, ſed aliquam tamen gloriae imaginem habeant. DE *manu, ut aiunt, in manum tuam iſtam*,} curam ſuam, & cupiditatem ornandi Trebatij ſignificat; quia, non contentus eo, quod dixerat, Mitto ad te Trebatium, ſubiungit, Totum hominem tibi trado; plus eſt enim tradere, quam mittere. idq. etiam atque etiam magis exprimitur hoc addito, De manu, ut aiunt, in manum tuam. quod uero intulit, Iſtum, ex laude Caeſaris beneuolentiam quaerit: quod ipſum Trebatij cauſſa facit. Ingenioſe autem, quia dixerat, In manum tuam, de uictoria, & fide ſubiunxit: manus enim & uictoriam parit, & fidem promittit. quod utrumque oſtenditur in oratione pro Deiotaro. Per dexteram te iſtam oro, quam regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti, iſtam, inquam, dexteram, non tam in bellis, & in proelijs, quam in promiſsis, & fide firmiorem. Terentius de fide, in Andr. Quod ego te per hanc dexteram oro, & ingenium tuum. Nec ab re fides hic in Caeſare laudatur: ſed exigitur quodam modo, ut, quem ad ſe mitti uoluerit, eum pro ſua fide tractet. ſcripſerat enim, Si uis tu, ad me alium mitte, quem ornem. SVMVS *enim putidiuſculi*,} excuſat ſe, quod in Trebatio commendando plura uerba conſumpſerit, quam Caeſaris humanitas patiatur. Putidum appellat Cicero, in quo nimia diligentia reprehendi poſsit; ut de Orat. lib. III. Nolo exprimi litteras putidius, nolo obſcurari diligentius. Et de Off. lib. I. Litterae neque expreſſae, neque oppreſſae: ne aut obſcurum eſſet, aut nimis putidum. Vidi ſcriptum in quibuſdam antiquis libris, Blandiuſculi: ſed in pleriſque, Putidiuſculi: quod magis probo. & fortaſſe, Blandiuſculi, gloſſema fuit. QVAM PER *te uix licet*:} non uis me tam diligentem eſſe in eo commendando, quem & ſcis diligi a me nõ mediocriter, & uides mitti ad te inuitatu etiam tuo. dicit autem, Vix licet: quod quaſi medium eſt inter licet, &, non licet. ita excuſat ſuam diligentiam, & eam tamen parum neceſſariam oſtendit. VERVM, *ut uideo, licebit*} accipies in bonam partem officium meum: non tibi moleſtiam afferet haec noſtra, quamuis nimia, in Trebatio commendando diligentia.

---

# Argumentum ep. 6.

*TRebatium, deſiderium urbis uix ferentem, hortatur, ut urbis, urbanitatisq. curam, & memoriam, quaſi quaſdam ineptias, abijciat; operamq. det, ut, quod ei ab urbe diſcedenti propoſitum fuerat, id aſsiduitate, & uirtute conſequatur. Eodem anno.*

## *M. Cicero S. D. C. Trebatio. 6.*

*IN omnibus meis epiſtolis, quas ad Caeſarem, aut Balbum mitto, legitima quaedam eſt acceſſio commendationis tuae, nec ea uulgaris, ſed cum aliquo inſigni indicio meae erga te beneuolentiae. tu modo ineptias iſtas, & deſideria urbis, & urbanitatis depone: &, quo conſilio profectus es, id aſſiduitate, & uirtute conſequere. hoc tibi tam ignoſcemus nos amici, quam ignouerunt Medeae, quae Corinthum, arcẽ altam, habebant, matronae opulentae optimates: quibus illa manibus gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi uitio illae uerterent, quod abeſſet a patria.*

*,, Nam multi ſuam rem bene geſſere, & publicam*
*,, patria procul:*
*,, Multi, q domi aetatẽ agerẽt, ꝓpterea ſunt ĩprobati.*

quo

*quo in numero tu certe fuiſſes, niſi te extruſiſſemus. Sed plura ſcribemus alias. Tu, qui ceteris cauere didiciſti, in Britannia ne ab eſſedarijs decipiaris, caueto. &, quando Medeam agere coepi, illud ſemper memento:* Qui *ipſe ſibi ſapiens prodeſſe nequit, nequidquam ſapit. Cura ut ualeas.*

# EXPLANATIO

LEGITIMA} uſitata, ut quae lege fiunt. CVM *aliquo inſigni indicio meae erga te beneuolentiae.*} id, More Romano commendare, dicitur ep. 5. & 18. VRBANITATIS} hic urbanitas non eſt uirtus, ſed pro rebus urbanis accipitur, quarum deſiderio Trebatius flagrare ſe ſignificauerat. ep. 17. Mihi interdum leuis in urbis, urbanitatiſq. deſiderio uidebare. QVO *conſilio profectus es,*} profectus erat eo conſilio, ut beneuolentiam Caeſaris aſsiduitate, & uirtute adipiſceretur. MEDEAE,} hunc locum uir excellentis ingenij Angelus Politianus primus illuſtrauit. nam illud, Quae Corinthum, arcem altam, habebant; &, Matronae opulentae optimates; & quae ſequuntur; recte uidit ex Ennio poeta, uerborum ordine nonnihil immutato, eſſe ſumpta. Graecos etiam uerſus Euripidis, ab Ennio conuerſos, adduxit: quos hic ſubſcribere uiſum eſt.

Κορίνθιαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων·
Μή μοί τι μέμψησθε. οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
Σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο,
Τοὺς δ' ἐν θυραίοις. οἱ δ' ἀφ' ὑσήχου ποδὸς
Δύσκλειαν ἐκτήσαντο, καὶ ῥαθυμίαν.

CORINTHVM, *arcem altam,*} urbs ipſa, Achaiae caput, quam cepit, euertitq. L. Mummius, Corinthus dicta, arx uero Acrocorinthus; quod editiore loco exſtructa immineret urbi. hic tamen eodem, quo urbs, nomine appellatur; quia ſcilicet pars urbis eſt arx; & poteſt, quod in toto, idem in parte nomen uſurpari. Medeam cum uiro ſuo Iaſone Corinthum exſulem deueniſſe, demonſtrat hic locus; & ex ipſa, quae exſtat, Euripidis tragoedia cognoſcitur. habitaſſe ibi diutius, Pindari ſignificat interpres. nam, ἐν τῷ ᾄδειν τῆς Ὀλυμπ. ubi Xenophon Corinthius laudatur, ad illa uerba, καὶ τὰν πατρὸς ἀντία Μήδειαν θεμέναν τὸν γάμον αὐτᾷ, interpres haec affert: Μηδείας μέμνηται, ὅτι ἐν Κορίνθῳ κατῴκει, καὶ ἔπαυσε Κορινθίους, λιμῷ κατεχομένους, θύσασα Δήμητρι, καὶ νύμφαις Λημνίαις. Alia quoque, ut Pindari uerba explanet, adducit idem interpres, ut ſolet obſcuris in locis eſſe uarius: uerum ea referri ad exſulem Medeam, de qua hic ſermo eſt, mihi non uidentur. nam Euripides, & eum ſecutus Ennius, ueniſſe Corinthum Medeam exſulem, oſtendunt: interpres autem ille, Corinthum Aeaetae, Medeae patris, fuiſſe patriam ait, ideoq. in laudibus Corinthi Medeam nominari. quod ego abſurdum puto. Plutarchus etiam in Theſeo, ueniſſe Medeam Corintho Athenas, auctor eſt. HABEBANT,} pro, habitabant. Plautus in Bacchidibus: Quis iſtic habet? Et Varro lib. IV. de Lin. Lat. Ciſpius mons, ubi aeditumus habere ſolet. Et Digeſtorum lib. IIX. tit. 2. Quidam Iberus, qui habet poſt horrea mea. OPTIMATES:} nobiles, principum uirorum uxores. Optimatem, Cicero deſcribit in oratione pro Sextio, qui ſe ita gerit, ut ſua conſilia optimo cuique probet; quiq. nec natura improbus eſt, nec furioſus, nec malis domeſticis impeditus. hic propter opes, & claritatem familiae dicuntur Optimates. MANIBVS *gypſatiſſimis*} uerbum opinor Ennianum, pro candidiſsimis. nam Ciceronem ita locutum, numquam crediderim. in hac quidem, quae exſtat, Euripidis Medea gypſatarum manuum nulla mentio. NE *ſibi uitio illae uerterent, quod abeſſet a patria.*} quaerit excuſationem apud mulieres Corinthias Medea, quod egreſſa domo ſit, ideſt quod patriam reliquerit. id enim ſequentes duo uerſus indicant. utrum autem Euripidis uerba, unde hoc Ennius tranſtulit, id ipſum ſignificent, an errauerit Ennius, & eum ſecutus Cicero; dubitari fortaſſe poteſt, e doctorum hominum ſententia. nos tamen, qui Ciceronem interpretamur, diſputare de Euripidis mente non debemus: illud quidem, Ἐξῆλθον δόμων, de patria, non de priuatis aedibus, Ciceronem intellexiſſe, ſatis conſtat: quemadmodum & ep. 5. Vt eum meis omnibus ſtudijs, & beneficijs quam ornatiſsimum domum reducerem. Et ep. 17. Domum redire properabas. Et ep. 30. Nec hortor, nec rogo, ut domum redeas. Iam illud, Domi foriſq. Domi militiaeq. quam ſaepe dicatur, omnes norunt. Nec ſane uideo, ſi, ἐξῆλθον δόμων, de priuatis aedibus accipiatur; cur mulieres Corinthias Medea rogaret, ut ſibi ignoſcerent, quia prodijſſet; cum eorum nomine, ut prodiret, rogata iam eſſet. Apte uero dicitur: ne mihi uitio detis, quod ex patria diſceſsi: quando, idem qui fecere, multi gloriam ſunt aſſecuti. ut uerbum, σεμνοὺς, Ennius uerterit, Qui rem ſuam & publicam bene geſſere: recte fortaſſe: cum, σεμνὸν, tam ad laudem, quam ad infamiam referatur: ut exempla, non modo quae Suidas collegit, uerum alia quoque non pauca demonſtrant. nam, quod in hoc ipſo Euripidis loco, σεμνοὺς, idem Suidas accepit pro ὑπερηφάνους, ideſt arrogantes: equidem, quod ad me attinet, ſequor libentius ueterem poetam Ennium, quam recétiorem grammaticum Suidam: cum praeſertim Cicero noſter, qui Euripidis uerba & uidere potuit, &, opinor, uidit, Ennij ſententiam probauerit.

„ NAM. MVLTI *ſuam rem bene geſſere, & publicam patria procul:*
„ *Multi, qui domi aetatem agerent, propterea ſunt improbati.*}

Duo uidentur eſſe uerſus: nec tamen, quae menſuraſit, apparet. itaque uir acuti ingenij diſtinguendum ita cenſuit:

„ -- Nam multi ſuam

Rem

Rem bene geſſere, & publicam patria procul:
Multi, domi qui aetatem egerunt, propterea
Sunt improbati. -- in quo aſſentirer, niſi uiderem ſcriptum eſſe in omnibus antiquis libris, Qui domi aetatem agerent; non ,, Domi qui aetatem egerunt. itaque tentare uolui, an alia ſit probabilior, ideſt ab antiquis libris minime diſſentiens, diſtinguendi ratio. occurrit autem haec:

,, Nam multi ſuam rem bene geſſere, & publicam
,, Patria procul: multi, qui domi aetatem age-
,, Rent, propterea ſunt improbati.

primi uerſus pes ſecundus, Ti ſuam, ſpondeus eſt, more ſatis noto, ex tragicorum, comicorumq. conſuetudine. in ſecundo uerſu extremam ſyllabam transfero ad menſuram tertij: quemadmodum dixit Virgilius lib. I. Georg. Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem: tranſlata ad ſequentem uerſum poſtrema ſyllaba. & Catullus Quaenam te mala mens, miſelle Rauide, Agit praecipitem in meos iambos? Et Horatius in Ode ſecunda, Vxorius amnis: cum primam ſyllabam, Vi, transferri neceſſe ſit ad ſuperiorem uerſum: quod apud comicos, ac tragicos, quorum eſt maior licentia, uſitatum fuiſſe, negari non poteſt. Nam illud in eodem uerſu, Qui domi, dactylum eſſe, nemo, opinor, ignorat: licet in uerbo, Domi, ſecunda ſyllaba produci ſoleat. hic enim idem accidit, quod in illo Virgilij uerſu ecl. 8. ,, Credimus, an, qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt? quo loco non modo omittitur ſynaloephe, uerum etiam, quae ſua natura producitur ſyllaba, ob ſequentem poſterioris uerbi uocalem contrahitur; & fit dactylus, An quia. Sic idem poeta lib. I. Georg. ,, Conati ter ſunt imponere Pelio Oſſam. Et lib. v. Aen. Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto. Et lib. VI. Nomen & arma locum ſeruant: te, amice, nequiui conſpicere. Antiquior etiam poeta Lucretius lib. v. dixit: Pectora terrarum qui in orbi ſancta tuetur. Nec ſimplices modo uocales, ſed diphthongi quoque naturam mutant, ut lib. I. Georg. Flerunt Rhodopeiae arces. Et lib. III. Aen. Inſulae Ionio in magno. CETERIS CAVERE} cum iuriſconſultus ſis: iuriſconſultorum enim, alijs cauere. Idem iocus ep. 10. In re militari multo es cautior, quam in aduocationibus. Et ep. I. lib. III. L. Valerium iuriſconſultum ualde tibi commendo, ſed ita etiam, ſi non eſt iuriſconſultus. melius enim ei cauere uolo, quam ipſe alijs ſolet. Et ad eundem Trebatium in Topicis: Tu mihi, meisq. ſaepe cauiſti. Et Off. lib. I. Cauere in iure, conſilio iuuare, atque hoc ſcientiae genere prodeſſe quampluritnis, uehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. DIDICISTI,} a legibus, & iure ciuili. IN BRITANNIA} iuiſſe Trebatium, uel iturum cum Caeſare in Britanniam, Cicero arbitrabatur. non iuiſſe conſtat ex ep. 10. & 14. AB ESSEDARIIS} ijs, qui pugnant ex eſſedis. epiſtola ſequenti: Eſſedum aliquod ſuadeo rapias. Ep. 10. Spectare eſſedarios uoluiſti. Et Caeſar de Britannis ita loquitur lib. v. Illi equitatu, atque eſſedis, ad flumen progreſsi, proelium committere coeperunt. Et paullo poſt: Equites hoſtium, eſſedarijq. acriter proelio cum equitatu noſtro conflixerunt. Videntur & apud Belgas eſſeda fuiſſe. Virgilius Georg. lib. IV. Eſſeda uel molli melius feret eſſeda collo. Romae quoque, ut peregrina per luxum ſaepe amamus, eſſedo utebantur ditiores. Phil. 2. Vehebatur eſſedo tribunus pl. DECIPIARIS} turpe eſt iuriſconſulto decipi; cum ipſe, ne alij decipiantur, ſua ſcientia praeſtare ſoleat. caue igitur, ne te laedant. QVI IPSE *ſibi ſapiens prodeſſe nequit, nequidquam ſapit.*} Quaerendum eſt, cuius poetae Latini ſit hic uerſus, ex quo poeta Graeco tranſlatus, ex qua fabula. Verſus eſt Ennij. dixit enim Cicero lib. III. Off. Haec eſt illa pernicies, quod alios bonos, alios ſapientes exiſtimant: ex quo Ennius, Nequidquam ſapere ſapientem, qui ſibi ipſi prodeſſe nequiret. Graecum autem Euripidis uerſum conuertit Ennius, recitatum a Cicerone in epiſtola ad Caeſarem, lib. XIII. Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Ex Medea tragoedia ſumptam eſſe hanc ſententiam, quis dubitet? cum dicat Cicero: &, quando Medeam agere coepi, illud ſemper memento: Qui ipſe ſibi &c. Nunc ſcrupulus remanet, ſane moleſtus, & difficilis. nam in hac, quae exſtat, Euripidis Medea non reperitur hic uerſus: ut neceſſe omnino uideatur, uel ex altera eiuſdem Euripidis Medea ſumptum eſſe, uel duos Euripides fuiſſe, qui Medeam conſcripſerint. Duas fuiſſe eiuſdem Euripidis Medeas diſerte nemo dixit, quod equidem ſciam: contra, potius unam fuiſſe, oſtendit Suidas, cum de Nephrone ait: οὔ φασιν εἶναι Εὐριπίδου Μηδείαν. Praeterea, ſi duas idem ſcripſiſſet, notaſſet utramq. inſcriptione diuerſa, ut in Iphigenia fecit, & Sophocles in Oedipo, Aeſchylus etiam in Prometheo. Interpres etiam Ariſtophanis in eo loco eius comoediae, quae inſcribitur, Εἰρήνη, Εἶτα μονῳδεῖν ἐκ Μηδείας: ὀλόμαν, ὀλόμαν ἀποχηρωθεὶς: unam uidetur legiſſe Euripidis Medeam, quae exſtat. ſubiungit enim: Μήποτε ἐκ τῆς Εὐριπίδου Μηδείας παραγράφει ἐκεῖνα: ὢ δύστηνος ἐγώ, μελέα τε πόνων, πῶς ἂν ὀλοίμαν; Rurſus, oritur coniectura de duabus, non modo, quia non eſt, ut dixi, uerſus hic in ea, quae nunc eſt in manibus, Medea; ſed etiam, quia Stobaeus Euripidem bis appellat in Medea, recitatq. uerſus, qui ab hac abſunt tragoedia, quam nouimus, quos etiam ſubſcribam. πολλ' ἐν κακοῖσι θυμὸς εὐνηθεὶς ὁρᾷ. Μεγαλόσπλαγχνος δυσκατάπαυστος ψυχὴ δηχθεῖσα κακοῖσι. Et alio loco: τὸ θρέψαι δ' ἐν βροτοῖσι πολλάκις Πλέω πορίζει φίλτρα τοῦ φῦσαι τέκνα. Latini quoque ueteres Grammatici modo Ennij Medeam ſimpliciter, modo Medeam exſulem appellant. in quo quaerendum, ſi ſunt duae Medeae, utra ſit, quae uocatur Exſul. Sane Nonij teſtimonio exſul uidetur ea, quam ab Euripide ſcriptam habemus. quis enim non uidet, duos illos uerſus,

Antiqua herilis, fida cuſtos corporis, Quid ſic ante aedes exanimata eliminas?

quos ex Ennij Medea exſule recitat Nonius, ex illo Euripidis loco tranſlatos eſſe? παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς Τί πρὸς πύλαισι τάσδ' ἄγουσ' ἐρημίαν, Ἕστηκας, αὐτὴ θρεομένη σαυτῇ κακά. Ecce aliud eiuſdem Nonij de Medea exſule, ab Ennio conſcripta, teſtimonium: Nam ter ſub armis malim uitam cernere, Quam ſemel modo parere. Eadem ſententia legitur in Euripide, his elata uerbis: Τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα

Στῆναι

Στῆναι θέλοιμ᾽ ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ. Accedit Probus,& Eclogarum Virgilij antiquiſsimus,& idem eruditiſsimus interpres. is ex Ennij exſule Medea adducit hos uerſus: Iuppiter, tuq. adeo ſumme Sol, qui res omnes inſpicis, Quiq. tuo lumine, mare, terram, ac caelum cõtines, inſpice Hoc facinus: priuſquam fiat, prohibe ſcelus. Quod ex Euripide, mutatione quadam, Ennio uſitata, conuerſum eſt: ait enim chorus: ἰὼ γᾶ τε, καὶ παμφαὴς ἀκτὶς Ἀελίου, κατίδετε, ἴδετε τὰν ὀλομέναν γυναῖκα, πρὶν φοινίαν τέκνοις προσβαλεῖν χέρ᾽ αὐτοκτόνον. Praeterea uidetur Iaſon, poſt interfectum a filiabus, fraude Medeae, Peliam, Theſſaliae regem, Corinthum una cum Medea profugiſſe, ibiq. aliquandiu, tamquam exſulem uixiſſe. atque ipſe querenti Medeae, quod, ſe repudiata, Glaucam, Creontis filiam, Corinthij regis, duxiſſet, uxorem, factũ ſuum excuſat his uerbis: Τί τοῦδ᾽ ἂν εὕρημ᾽ εὗρον εὐτυχέστερον, Ἢ παῖδα γῆμαι βασιλέως, φυγὰς φεύγων. Medeae quoque nutrix, initio fabulae, exſulium herae ſuae nominat, haec dicens: ἁνδάνουσα μὲν φυγῇ πολιτῶν, ὧν ἀφίκετο χθόνα. Et alibi. Argumentum igitur Medeae, quae exſtat, poſt ipſius Medea fugam, ex Theſſalia, natum uidetur, ut exſul uere nuncupari poſsit. Quod ſi haec Euripidis Medeae, quam omnes norunt, exſul eſt: cur eadem non uocatur exſul a Donato, & Priſciano, uerſus illos ex Ennij Medea recitantibus? Vtinam, ne in nemore Pelio ſecuribus Caeſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes. & quae ſequuntur. Qui uerſus hanc aggredientibus legere occurrunt primi. Et apud Nonium appellatur Ennius in Medea, exſulis cognomine praetermiſſo: uerbaq. illa ipſius Medeae ſubiunguntur ſuos liberos ad complexum inuitantis: Saluete, optima corpora: cette manus ueſtras, measq. accipite. Quem locum ex illo Euripidis conuerſum eſſe, licet non plane Graecis Latina reſpondeant, ſatis liquet. προσειπεῖν βούλομαι· δότ᾽ ὦ τέκνα, δότ᾽, ἀσπάσασθε μητρὶ δεξιὰν χέρα. Quare in exſulis Medeae cognomine, modo addito, modo omiſſo, cum tamen eadem tragoedia ſignificetur, ualde conturbor. Quod ſi obſcura, difficiliq. in re ſententiam licet dicere: crediderim omnino, duas fuiſſe, quas conuertit Ennius, Graece ſcriptas Medeas, non ab eodem Euripide, ut ſatis iam uideor probaſſe, ſed unam ab Euripide maiore, quae exſtat, alteram ab Euripide minore, qui ex maioris fratre natus eſt. nam Suidas haec prodidit: Εὐριπίδης, τραγικὸς, τοῦ προτέρου ἀδελφιδοῦς, ὡς Διονύσιος ἐν χρονικοῖς. δράματα αὐτοῦ ταῦτα, Ὀρέστης, Μήδεια, Πολυξένη. Et Cicero, cum illum uerſum Μισῶ σοφιστὴν, tribuit Euripidi, de poſteriore alterius Euripidis Medea, quae deſideratur, locutus eſt: quam cum uideret, Euripidis nomine inſcriptam, non quaeſiuit homo, ad maiora natus, duone, an unus, fuiſſet Euripides; & utrum, quae tunc erant duae Medeae, ab uno maiore Euripide, an a duobus factae eſſent: ſatis habuit, Euripidem nominare, cuius erat ille uerſus. Sunt igitur duae Medeae Graece ſcriptae, quarum alteram habemus integram; ex altera, quae amiſſa eſt, uerſus quoſdam, praeter proxime nominatum, ponit Stobaeus: duae item Latinae, utraque ab Ennio conuerſa: quarum ex priore ſunt illi uerſus: Nam multi ſuam rem bene geſſere, & publicam, Patria procul; multi, qui domi aetatem agerent, propterea ſunt improbati. & illi, Vtinam, ne in nemore Pelio: & quos praeterea iam recitaui: qui reperiuntur omnes in Euripidis Graeca peruulgata. Ex poſteriore autem, praeter illum, Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe nequit, nequidquam ſapit; qui de Graeca, quam nobis ademit temporis iniuria, tranſlatus eſt, alij quoque ſunt, ut ille apud Varronem, & Diomedem, Quis tu es mulier, quae me inſueto nuncupaſti nomine? & ille, quem idem Varro ponit, Contempla, & Cereris templum ad laeuam adſpice. & qui eſt in Nonio, Sol qui candentem in caelo ſublimat facem. et qui apud eundem: Vtinam, ne umquam me de cordis cupido corde pedem extuliſſe. et alio loco: Fructus uerborũ aures aucupauit. Item alibi: Adſta, atque Athenas, antiquum, opulentum opidum, contempla. Qui uerſus cum in Ennij Medea nominentur, ab hac tamen Medea Graeca, quae integra legitur, abſunt omnes. Hic poſſet aliquis credere, unam ab Ennio Medeam de Graeco in Latinum ſermonem tranſlatam, alteram uero ab ipſo confictam. ideoq. uerſus illos non reperiri in Graeca, quae hodie in manibus eſt. Infirmat hanc opinionem illa ratio, quod is Ennij uerſus, Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe nequit, nequidquam ſapit, tamquam uerſus Euripidis agnoſcitur a Cicerone, ut ſupra docuimus. Medeam praeterea ſcripſere inter Graecos Euphorion, & Sophocles: de quibus Ariſtophanes grammaticus, πρῶτος, inquit, Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης. Scripſit & Neophion; ex qua luculentos admodum uerſus, ex perſona interfecturae filios Medeae, recitat Stobaeus: item Melanthius, ut interpres Ariſtophanis demonſtrat. De Latinis autem, praeter Ennium, Attius Medeam fecit, ſecutus fortaſſe Euphorionem, aut Sophoclem, aut Neophronem, aut minorem etiã Euripidem. nam, ut apparet, maiorem, cuius tragoediam habemus, in aliqua parte potuit imitari, in toto argumento certe non potuit: quippe cum hic a Glaucae nuptijs, & Medaee ira, Attius autem a profectione Argonautarum ſuam tragoediam ſit exorſus: recitat enim Cicero lib. 2. de Nat. De. uerſus illos Attianos de Argo naui, qua delecti heroes cum Iaſone, uellus aureum petente, uehebatur. Tanta moles labitur, Tremebunda ex alto, ingẽti ſonitu, & ſpiritu; Prae ſe undas uoluit; uertices ui ſuſcitat, &c. Ex qua Attij tragoedia ſint hi uerſus, Priſcianus oſtendit, quod omiſit Cicero: ait autem eſſe ex Medea. Quartam tragoediam de Medea ſcriptam a Pacuuio, nequis credat. nam, etſi apud Nonium ſaepe appellatur, in Medea: tamen ubique ueteres libri habent, In Medo: quod eſſe rectius, minime dubito. fuit enim filius Medeae Medus: tragoediaeque, de eo a Pacuuio conſcriptae, Feſtus ter, Cariſius bis, teſtimonium afferunt. Quod attinet ad menſionem uerſus: ego nihil deſidero: nec uideo cauſſam, cur non nulli legere maluerint, Prodeſſe non quit: cum praeſertim antiqui libri, quibus quidem utor, omnes, ſine ulla uarietate, habeant, Nequit. Eſt autem tetrameter catalecticus, e ſeptem pedibus, & una ſyllaba, quae trocheum, extremum pedem, ſequitur, hoc modo, Qui ip – ſpondens eſt. Se ſibi, tribrachus; ſapiens, anapaeſtus; prodes – ſpondeus; ſe nequit, anapaeſtus; nequid – ſpondeus; quam ſa – trocheus; pit, ultima ſyllaba, propter, quam Catalecticus dicitur uerſus. deeſt enim altera ſyllaba, quae ſi adeſſet, octonarius eſſet integer,

ſet integer, & diceretur, Acatalecticus. Sunt, qui diſtinguunt, leguntq. ſic: Qui ipſus ſibi Sapiens prodeſſe non quit, nec quidquam ſapit. Quos neque reprehendo, neque ſequor: hoc tantum dico, me nondum in ullo uetere libro, Ipſus, pro Ipſe, hoc in loco ſcriptum animaduertiſſe. Etiam illud confirmo: ubi ipſi legunt, Non quit, in meis antiquis eſſe, Nequit. At ſenarius eſſe non poteſt, ſi legatur, Nequit. Intelligo: & mutationis hanc opinor fuiſſe cauſſam. Sed in tragoedia, aut comoedia, non ſolis ſenarijs locus eſt. Eodem modo lib. 3. Off. dixit Cicero: Ex quo Ennius, Nequidquam ſapere ſapientem, qui ſibi ipſi prodeſſe nequiret. Sic enim eſt in libro uiri integerrimi, & incredibili quadam ingenuarum artium doctrina referti, Gulielmi Sirleti, non, Non quiret, ut ipſi dicunt eſſe in ſuis exemplaribus. Quod ſi ita eſſet in omnibus, non tamen admodum mouerer; nec putarem, fracti, & diſſoluti uerſus teſtimonio, mutationem in uerſu integro, beneq. conſtituto, qualis eſt in hac epiſtola, faciendam eſſe. Quod ad ſententiam attinet, ſimilem animaduertimus apud Iſocratem, ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα, περὶ τοῦ βασιλεύειν: Ο῾ μηδὲν ὢν αὑτῷ χρήσιμος, οὐδ᾽ ἂν ἄλλον φρόνιμον ποιήσειεν.

## Argumentum ep. 7.

*STudium ſuum in commendando Trebatio ſignificat: monet, ut aſſiduã Caeſari operam nauet, ab eius liberalitate exſpectet omnia. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Trebatio.* 7.

EGo *te commendare non deſiſto: ſed, quid proficiã, ex te ſcire cupio. ſpem maximam habeo in Balbo: ad quem de te diligentiſſime, & ſaepiſſime ſcribo. Illud ſoleo mirari, non me toties accipere tuas litteras, quoties a Q. fratre mihi afferuntur. In Britannia nihil eſſe audio neque auri, neque argenti. id ſi ita eſt; eſſedum aliquod ſuadeo rapias, & ad nos quamprimum recurras. ſin autem ſine Britannia tamen aſſequi id, quod uolumus, poſſumus: perfice, ut ſis in familiaribus Caeſaris. multum te in eo frater adiuuabit meus, multũ Balbus, ſed, mihi crede, tuus pudor, & labor plurimũ. imperatorem liberaliſſimum habes, aetatem opportuniſſimam, commendationem certe ſingularem: ut tibi unum timendum ſit, ne ipſe tibi defuiſſe uideare. Vale.*

## EXPLANATIO

IN. BRITANNIA} putat in Britanniam iuiſſe Trebatium, àut certe breui eſſe iturum. Idem exiſtimat ep. 8. non iuiſſe tamen cognoſcitur ex ep. 10. & 14. & 16. & 17. NIHIL *neque auri, neque argenti.*} ep. 17. lib. 4. ad Att. Illud iam cognitum eſt, neque argenti ſcrupulum eſſe ullum in illa inſula, neque ullam ſpem praedae, niſi ex mancipijs. AD. NOS *quamprimum recurras.*} iocatur. nam omnino uult ab ipſo Caeſare Trebatium exſpectare omnia: quod ex epiſtolae clauſula cognoſcitur. SIN. AVTEM} dubitatio uidetur: ſed affirmatio eſt per dubitandi ſpeciem inducta. quaſi dicat: Cum uero ſine Britannia id, quod uolumus, aſſequi poſsimus; perfice &c. TVVS. PVDOR,} ep. 5. Pudentiorem eſſe neminem. Et ep. 17. Saepe etiam, id quod a te alieniſsimum eſt, ſubimpudens uidebare. IMPERATOREM} de hoc nomine ſupra diximus. infra etiam imperator Caeſar uocatur, ep. 17. AETATEM *opportuniſſimam,*} rebus gerendis, & conciliandae tibi imperatoris beneuolentiae. SINGVLAREM:} uel totum, quo uſus eſt in multis ad Caeſarem litteris, officium ſignificat: uel illam notat epiſtolam, qua Caeſari Trebatium more Romano commendauit. ep. 5. & 10. VNVM *timendum*} adſunt enim cetera. ep. 10. Quin tu urges iſtam occaſionem, & facultatem, qua melior numquam reperietur. Similis ſententia in ep. 17. IPSE *tibi defuiſſe*} ep. 9.

## Argumentum ep. 8.

*QVid Caeſar ad ſe de Trebatio ſcripſerit, quid ipſe Caeſari reſponderit, officioſe ſignificat. deinde Trebatium quaſi molli brachio reprehendit, quia delatum a Caeſare tribunatum mil. recuſauerit: hortaturq. ut in occaſione, & facultate optima ſibi ne deſit. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Trebatio.* 8.

*SCRIPSIT ad me Caeſar perhumaniter, nondum te ſibi ſatis eſſe familiarem propter occupationes ſuas, ſed certe fore. cui quidem ego reſcripſi, quam mihi gratum eſſet futurum, ſi quamplurimum in te ſtudij, officij, liberalitatis ſuae contuliſſet. ſed ex tuis litteris cognoui praeproperam quandam feſtinationem tuam: & ſimul ſum admiratus, cur tribunatus commoda, dempto praeſertim labore militiae, contempſeris. querar cum Vacerra, & Manilio. nam Cornelio nihil audeo dicere; cuius tu periculo ſtultus es: quando te ab eo ſapere didiciſſe profiteris. quin tu urges iſtam occaſionem, & facultatem, qua melior numquam reperietur? Quod ſcribis de illo Praetiano iuriſconſulto; ego te ei non deſino commendare. ſcribit etiam ipſe mihi te ſibi gratias agere debere. de eo quid ſit, cura ut ſciam. Ego ueſtras Britannicas litteras exſpecto. Vale.*

## EXPLANATIO

LIBERALITATIS} plus in officio, quam ſtudio, plus in liberalitate, quam officio, continetur. TRIBVNATVS} militum: quem Caeſar honorem, cum uacatione militarium onerum, Trebatio detulerat. Eſt autem, ut diximus iam, in caſtris prima dignitas conſulis, altera legatorum, tertia tribunorum mil. quarta praefectorum equeſtrium turmarum, quincta centurionum, deinceps minorum ordinum. VACERRA,} cognomen eſt Romanae familiae. Accuſabo te, inquit, apud amicos tuos. Videntur fuiſſe iuriſconſulti, Vacerra, Manilius, Cornelius: ut infra cognoſcitur. ep. 9. MANILIO.} ep. 10. CORNELIO} Q. Cornelio. ep. 17. NIHIL *audeo dicere:*} ne magiſtrum offendam, reprehenſo diſcipulo. A Cornelio ius ciuile Trebatius didicerat: ut, ſine praeceptoris culpa, ſtultus eſſe non poſſet. Digeſt. l. 1. tit. 2. SAPERE} tu autem ſtultus es. itaque nec magiſter uidetur ſapere. nam a ſapientibus magiſtris inſipientes diſcipuli fieri non ſolent. QVIN *tu urges*} cur non urges? modus loquendi Ciceroni familiaris. OCCASIONEM, *& facultatem,*} plus eſt facultas, quam occaſio. nam facultas, poſſe rem fieri, demonſtrat; occaſio ſuadere uidetur, ut fiat. DE. ILLO *Praeciano iuriſconſulto;*} qui erat apud Caeſarem, gratioſior, ut uidetur, quam Trebatius; cum ipſum Trebatium ei Cicero commendet. Praeciorum gens Romae fuit, unde Praecilij. fortaſſe hic ex Praecijs in aliam familiam adoptione tranſierat. GRATIAS *agere*} quia ſuo te iuuerit officio. quod cum ignoraret Cicero, ſubiunxit: De eo quid ſit, cura ut ſciam. VESTRAS} opinatur in Britanniam cum Caeſare iuiſſe Trebatium, ut ep. 7. non iuit tamen. ep. 10. 14. 16. 17. RRITANNICAS} litterae nominantur a loco, unde dantur: unde Olbienſis epiſtola, ad Q. fratrem lib. 2. Epiroticae litterae, ad Atticum lib. XII. Britannicae, ad Q. fratrem lib. III.

---

# Argumentum ep. 9.

*LItterarum officium a Trebatio requirit: monet, ne reditum in urbem praepropere cupiat.*

### *Cicero S. D. Trebatio.* 9.

*IAMDIV ignoro, quid agas: nihil enim ſcribis: neque ego ad te his duobus menſibus ſcripſeram. quia cum Quincto, fratre meo, non eras; quo mitterem, aut cui darem, neſciebam. cupio ſcire, quid agas, & ubi ſis hiematurus. equidem uelim, cum Caeſare: ſed ad eum propter eius occupationes nihil ſum auſus ſcribere. ad Balbum tamen ſcripſi. tu tibi deeſſe noli. ſerius potius ad nos, dum plenior. quod huc properes, nihil eſt, praeſertim Vacerra mortuo. ſed tibi conſilium non deeſt. quid conſtitueris, cupio ſcire. Cn. Octauius, an Cn. Cornelius quidem, tuus familiaris, ſummo genere natus, terrae filius, is me, quia ſcit tuum familiarem eſſe, crebro ad cenam inuitat. adhuc non potuit perducere: ſed mihi tamen gratum eſt. Vale.*

## EXPLANATIO

HIEMATVRVS,} hiemabant legiones diuerſis in locis, ut commodius, utiliusue putabat imperator. quod, Caeſaris commentarios qui legerit, animaduertet. PROPTER *eius occupationes*} ſoleo, quam maxime poſſum, ad antiquorum librorum teſtimonium opiniones meas accommodare. itaque olim, cum in nullo uetere libro hoc uerbum, Occupationes, reperirem; deſiderari Graecum aliquid, aut mendoſum eſſe locum exiſtimaui: quod etiam nunc arbitrarer, niſi uiderem in quattuor ueteribus libris diſerte ſcriptum eſſe, Occupationes. idq. rectum puto. notae ſunt autem, & nominantur ſaepe in his epiſtolis

occupationes

occupationes Caeſaris Gallico bello, omnium maximo. Nam, quod a multis hoc uerbum abeſt antiquis libris: non eſt, cur miremur. nota librorum uarietas eſt: ex uarietate autem, quod ſpeciem ueritatis maiorem praeſeferat, id eligimus in emendando; ſi modo ueritatem ipſam potius, quam coniecturas noſtras, amamus. Luctum, autem, quod uerbum alij ex ingenio repoſuerunt, in uetuſtis libris, cum paene innumerabiles uiderim, nondum inueni. AD. BALBVM} ut eius opera hiemares cum Caeſare. Id Cicero cupiebat, quo facilius in Caeſaris familiaritatem Trebatius perueniret. nam & ep. 7. Perfice, inquit, ut ſis in familiaribus Caeſaris. TV. TIBI *deeſſe noli.*} idem monet ep. 7. PLENIOR.} ditior. ſic Tenues dicuntur ij, qui domeſticam rem non habent. VACERRA} cum quo ſuauiter uiuere ſolebas. QVID *conſtitueris*,} de manſione, uel reditu. CN. OCTAVIVS, *an Cn. Cornelius quidem*,} notat hominis ignobilitatem, cuius prope certum nomen ignoretur. propterea cum ironia ſubiunxit, Summo genere natus: &, Terrae filius: quod in obſcuriſsimi loci homines confertur. itaque ep. 11. lib. 1. ad Att. Huic, inquit, terrae filio neſcio cui committere epiſtolam tantis de rebus nō audeo. Arnobius autem lib. IIX. ſic de Saturno: Terrae, & Caeli filius, quod apud Italos eſſet ignotis parentibus, proditus: ut in hodiernum inopinato uiſos, Caelo miſſos; ignobiles, & ignotos, Terrae filios nominamus. Omitto, quae alij, ut adagium confirmarent, exempla coniecerunt: ſunt enim in promptu. Luſit in eundem Octauium ep. 16. Oro te, quis tu es? CREBRO *ad cenam inuitat.*} ineptum hominem carpit, qui crebro Ciceronem, ſummis honoribus functum, homo ignotus ad cenam inuitaret, quia ſciret eſſe Trebatij, communis amici, familiarem. NON. POTVIT} in quo habuit Cicero rationem ſuae dignitatis, quam non habebat, cum eum crebro inuitaret, Octauius.

# Argumentum ep. 10.

*Obicijt haec Trebatio uitia per iocum, ambitionem, inſcitiam, paupertatem, timiditatem: deinde petit, ut quāprimum ſignificet, quid profecerint litterae ad Caeſarem de eo diligenter ſcriptae; & omnino de toto ſtatu ſuo, conſilijſq. omnibus certiorem ſe faciat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Trebatio.* 10.

LEGI *tuas litteras; ex quibus intellexi, te Caeſari noſtro ualde iureconſultum uideri. Eſt quod gaudeas, te in iſta loca ueniſſe, ubi aliquid ſapere uiderere. quod ſi in Britanniam quoque profectus eſſes; profecto nemo in illa tanta inſula peritior te fuiſſet. uerumtamen (rideamus licet: ſum enim a te inuitatus) ſubinuideo tibi, ultro te etiam accerſitum, ab eo, ad quem ceteri, non propter eius ſuperbiam, ſed propter occupationem, adſpirare non poſſunt. Sed tu in iſta epiſtola nihil mihi ſcripſiſti de tuis rebus: quae mehercule mihi non minori curae ſunt, quam meae. ualde metuo, ne frigeas in hibernis. quamobrem camino luculento utendum cenſeo. idem & Mucio, & Manilio placebat, praeſertim, qui ſagis non abundares. quamquam uos nunc iſtic ſatis calere audio. quo quidem nuncio ualde mehercule de te timueram. ſed tu in re militari multo es cautior, quam in aduocationibus, qui neque in Oceano natare uolueris ſtudioſiſſimus homo natandi, neque ſpectare eſſedarios, quem antea ne andabatam quidem defraudare poteramus. Sed iam ſatis iocati ſumus. Ego de te ad Caeſarem quam diligenter ſcripſerim, tute ſcis; quam ſaepe, ego. ſed mehercule iam intermiſeram; ne uiderer liberaliſſimi hominis, meiq. amantiſſimi uoluntati erga me diffidere. ſed tamen his litteris, quas proxime dedi, putaui eſſe hominem commonendum. id feci. quid profecerim, facias me uelim certiorem, & ſimul de toto ſtatu tuo, conſilijsq. omnibus. ſcire enim cupio, quid agas, quid exſpectes, quam longum iſtum tuum diſceſſum a nobis futurum putes. ſic enim tibi perſuadeas uelim, unum mihi eſſe ſolatium, quare facilius poſſim pati, te eſſe ſine nobis, ſi tibi eſſe id emolumento ſciam. ſin autem id non eſt; nihil duobus nobis eſt ſtultius; me, qui te non Romam attraham; te, qui non huc aduoles. una mehercule noſtra uel ſeuera, uel iocoſa congreſſio pluris erit, quam non modo hoſtes, ſed etiam fratres noſtri Aedui. quare omnibus de rebus fac ut quamprimum ſciam:*

„ *Aut conſolando, aut conſilio, aut re iuuero.*

# EXPLANATIO

VALDE *iureconſultum uideri.*} hoc ſignificauerant litterae Trebatij: in quo notat eius ambitionem Cicero. ALIQVID *ſapere*} quaſi nihil ſapere Romae uideretur, ubi peritiores plurimi eſſent. PERITIOR *te*} laudare uidetur, & uituperat. nam in Britannia iuris ciuilis nulla peritia. quis igitur eum laude dignum putet, qui ſapere uidetur inter ſtultos, aut eſſe doctus inter ignaros literarum? ea demū uera laus eſt, cuius praeſtantia cognoſcitur ex comparatione ſimilium. itaque nec Homerus Achillem cum ignauo, ſed cum omnium Troianorum fortiſsimo Hectore committit: & Virgilius certamē facit inter Ae-

neam, & Turnum; ut, ſuperato Turno, cui primas fortitudinis partes tribuit, magis Aenean extollat. Alterum igitur hoc eſt, in quo Trebatiũ, tãquam imperitũ irridet, A TE *inuitatus,*} dupliciter hoc accipi poteſt; uel quod in ſuis litteris aperte iocatus erat Trebatius; uel quod magni ſe a Caeſare aeſtimari dixerat: quo ſe ad ridendum eſſe inuitatum Cicero demonſtrat: quaſi eius gloriolam uidere merito poſſet. huic ſententiae congruunt ea, quae ſtatim ſequuntur VLTRO *te etiam accerſitum* } id ſcripſerat Trebatius: ideoq. iocans Cicero reſpondit, intellexi te Caeſari noſtro ualde iuriſconſultum uideri. Vltro & cum uerbis actionem ſignificantibus iungitur, ut, ultro ad me uenit, ultro ſe mihi obtulit; cuius generis exempla ſatis patent; & cum uerbis, quae patiendi notionem continent: quo modo dixit Cicero in Catilinam: Qui ſpem imperij, ultro ſibi a patricijs hominibus oblatam, neglexerunt. Et Caeſar Lib. v. bel. Gal. Ipſe Cicero, cũ tenuiſsima ualetudine eſſet, ne nocturnum quidem ſibi tempus ad quietem relinquebat; ur ultro militum concurſu, ac uocibus ſibi parcere cogeretur. Et Terentius in Adel. Niſi ſi me in illo crediditi eſſe hominũ numero, qui ita putant, Iniuriã ſibi ultro factã, ſi quã fecere ipſi. OCCVPATIONEM,} uenit in mentem nonnullis, legendum, Occupationes, contra ueteres omnes libros, & conſuetudinem Latinae linguae. nam occupatio, quanquam ſingularem nomen, multarum tamen rerum curam aeque complectitur, ut occupationes. ep. 17. Si qua te forte res aliquando offenderit, cum ille aut occupatione, aut difficultate tardior tibi erit uiſus, perferto. Lib. 5. ep. 12. Poteſt mihi denegare occupatio tua. ADSPIRARE *non poſſunt.*} Adſpirare, pertinet ad ea, quae conſequi nequimus. ep. 14. lib. 2. Caeſar Vettium in Roſtra produxit, eumq. in eo loco conſtituit, quo Bibulo conſuli adſpirare non liceret. In Bruto: Ex bellica laude adſpirare ad Africanum nemo poteſt. Eodem ſpectant reliqua Ciceronis exempla. NE *frigieas in hibernis.*} quia Trebatius hiemabat, hinc occaſionem iocandi ſumit Cicero. Frigere autem eſt, nihil agere: nam actio calefacit. Metuo, inquit, ne non optime tecum agatur; quandoquidem opera tua Caeſar in bello non utitur. Coelius in ep. Non dubito: Quod tibi ſupra ſcripſi, Curionem frigere: iam calet. CAMINO. LVCVLENTO *utendum cenſeo.*} caminus non idem apud nos eſt, qui apud ueteres. quae enim quaſi gula adſcendentem e foco ignem excipit, & extra tectum educit innocenter, is Caminus a nobis appellatur. illi modo pro fornace, cui caminus Latine reſpondet, modo pro hypocauſto, interdum pro igne uſurpabant. De fornace Virg. lib. III. Aen. Ruptis flammam exſpirare caminis. Iuuenalis ſat. 14. Sed creſcunt quocumque modo, maioraq. fiunt, Incude aſsidua, ſemperq. ardente camino. De hypocauſto accepiſſe uidetur Galenus lib. v. de ſanitate tuenda. De camino, quo homines calefiunt, hic Cicero. nã in caſtris, ubi Trebatius erat, fornacibus, aut hypocauſtis milites uſos eſſe, ueriſimile non uidetur. Et Cato de re. r. Ahena duo, haras decem focum ianuam maximam. Eodem ſenſu Horatius ſat. 5. Niſi nos uicina Triuici Villa recepiſſet, lacrumoſo non ſine fumo, Vdos cum folijs ramos urente camino. Et ep. ad Bullatium: Per brumam Tiberis, Sextili menſe caminus. De hoc tertio genere, quo caminus noſter uocabulo ſaltem refertur, nec multa, nec ita pauca dicam, ut, qui antiquitate capiuntur, aliqua ex parte contenti eſſe poſsint. Loco & forma differebant a noſtro. non enim, ut nunc, in excauato pariete, quo ſimul cum fumo ignis excipitur, ſed, ut monere uidentur exempla, in medio cubiculo hiberno, quod conclaue dicebatur, (nam in aeſtiuis, & exhedris focum non fuiſſe, colligitur ex Vitruuio lib. VII. cap. 3.) fieri ſolebant. propterea dixit Cato cap. 18. de re r. Focum purum circumuerſum, prius quam cubitum eat, habeat. Quo modo enim circumuerti focus poſſet, ſi fuiſſet, more noſtro, in excauato pariete? noſtri a lateribus uertuntur, a tergo nec poſſunt, nec opus eſt. Et cum ait Columella lib. 11. c. 1. Conſueſcat ruſticus circa larem domini, focumq. familiarem ſemper epulari: quid aliud ſignificat, niſi larem & focum, circa quem epularetur familia ruſtica, medium in conclaui locum tenuiſſe? Nunc agatur de forma. Exitum ignis caminus antiquus non habebat. itaque moleſtia fumi uacare non poterat, niſi uel ligna urerent, quod Cato docuit, amurca illita, uel apertis feneſtris uterentur: quorum alterum impenſae non minimae: alterum qui ferri poſſet, cum per feneſtras, hieme praeſertim, frigori, & uentis aditus pateret, non intelligo. Sed certe Horatius, Lacrumoſo non ſine fumo, cum dixit, exitu caminum caruiſſe demonſtrat. Clarior haec tota res fiet aliorum teſtimonijs: nam uno remanet obſcurior. Columella lib. 1. cap. 6. Oleo, quod minus prouenit, ſi congelatur, fraceſcit. Sed ut calore naturali eſt opus, qui contingit poſitione caeli, & declinatione: ita non eſt opus ignibus, aut flammis: quoniam fumo & fulgine ſapor olei corrumpitur. Palladius quoque Columellam, ut uidetur, imitatus, lib. 1. c. 20. de caella loquens, Olearia, ſiquis, inquit, maiori diligentiae ſtudet, ſubiectis hinc inde cuniculis pauimenta ſuſpendat, & ignem ſuggerat fornace ſuccenſa. ita purus calor olei caellam ſine fumi nidore uaporabit: quo ſaepe infectum colore corrumpitur, & ſapore. Si caminus noſtro ſimilis fuiſſet, quo ignis cum fumo, & fulgine excipitur: quid erat, cur ignem remouerent, ne fumus, & fuligo ſaporem olei corrumperent? Eodem loco ſubiunxit Columella de utilitate camini, qui uinarijs ſupponatur apothecis. Apothecae recte ſuperponentur ijs locis, unde plerumque fumus earum exoritur: quoniam uina celerius uetuſteſcunt, quae fumi quodam tepore praecoquem maturitatem trahunt. Et lib. IIX. c. 3. de gallinarijs: Iuncta ſint ea furno, uel culinae, ut ad auem perueniat fumus, qui eſt huic generi praecipue ſalutaris. Quo modo ex culina, fumus in gallinarium tranſit, niſi quia per caminum adſcẽſum ad ſuperiora non habet? Confirmat idẽ ſubiungens paullo poſt: Huic autem focus applicetur tam longus, ut nec impediat praedictos aditus, & ab eo fumus perueniat in utramq. caellam. Iam fuligo non inhaeret hodie quidem tecto, ſed camino. fit enim ex fumo: fumum autem caminum excipit. At Columella lib. XI. c. ult. tectis eam dicit inhaerere: nimirum quia fumus exitum non haberet. Fuligo, inquit, quae ſupra focos tectis inhaeret, colligi debet. Et quoniã, ſi fumo exitus non datur, ſequitur, ut nec igni: propterea culinam altam fieri in ruſtica uillae parte, ut contignatio careat incendij periculo, iubet idem Columella lib. 1. c. 6. Vitruuius quoque fumum, & fuliginem

in concla-

in conclauibus, ideſt in hibernis cubiculis, uitari non poſſe, lib. VII. c. 3. auctor eſt. Coronarum, inquit, aliae ſunt purae, aliae caelatae. Conclauibus, aut ubi ignis, aut plura lumina ſunt ponenda, purae fieri debent, ut eae facilius extergeantur. in aeſtiuis, & exhedris, ubi minime fumus eſt, nec fuligo poteſt nocere, ibi caelatae ſunt faciendae. & eiuſdem libri c. 4. Triclinijs hibernis non eſt utilis haec compoſitio, nec megalographia, nec camerarum coronario opere ſubtilis ornatus: quod ea & ab ignis fumo, & ab luminum crebris fuliginibus corrumpnntur. MVCIO,} iuriſconſulto, de quo Digeſt. lib. I. t. 2. MANILIO} & hic iurisconſultus erat. ep. 8. PLACEBAT,} ſic infra, ep. 17. Hoc, quemadmodum uos ſcribere ſoletis in ueſtris libris, Q. Cornelio uidebatur. Solebat enim iuriſconſultorum opinio, praeſertim in re dubia, aliorum teſtimonio comprobari. unde illa tit. Negot. geſt. cap. 9. Idq. & Labeo probat. Et tit. ad legem Aquil. cap. 11. Quod & Marcello uidetur, & eſt probabilius. Et tit. de pecul. cap. 47. Idq. & Iuliano uidetur. Et tit. de in diem addict. cap. 13. Celſus quoque lib. IIX. refert, Mucium, Brutum, Labeonem, Sabinum ita exiſtimaſſe. ipſe quoque idem probat cap. 13. & ita Labeoni, & Neruae placet. Et tit. de periculo, & comm. rei uend. cap. 1. Trebatius ait: Labeo contra, quod & uerum eſt. Et tit. locati & condu. cap. 19. Et ita Seruio, Labeoni, Sabino placuit. Et tit. de aedilicio edi. cap. 17. Coelius ait, & Labeo probant. Et tit. de acquirendo rerum domin. cap. 5. Trebatio placuit. SAGIS} Sagum ueſtitus militaris. itaque ſaepe in tumultu aliquo, perturbationeq. reip. togis depoſitis, Saga in urbe ſumpta. SATIS *calere*} plus habere negotij, quam uellem. hoc dicit propter allatum antea nuncium de hoſtibus in Britannia uehementer contra Caeſarem pugnantibus. CAVTIOR,} cauere alijs iurisconſulti dicebantur. ep. 6. & lib. III. ep. 1. QVAM *in aduocationibus*,} Et hic notatur inſcitia: quaſi non optime Trebatius caueret iis, quorum eſſet aduocatus. Quid autem Aduocatus, & Aduocatio ſit, Aſconius oſtendit his uerbis: Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, ſi orator eſt; aut aduocatus, ſi aut ius ſuggerit, aut praeſentiam ſuam commodat amico; aut cognitor, ſi praeſentis cauſſam nouit, & ſic tuetur, ut ſuā. Idem alio loco: Vel, uti conſulantur, conueniunt aduocati; uel, ut alterutri parti apud arbitros adſint, uel, ut ipſi iudices in rem aliquam capiantur. Ep. 11. Ego omnibus, unde petitur, hoc conſilij dederim, ut a ſingulis interregibus binas aduocationes poſtulent. Et ep. 14. Minus multi iam, te aduocato, cauſſa cadent. Poſterior aetas ad cauſſarum actores hoc uocabulum trāſtulit. Tacitus in prooemio dialogi de orat. Horū, inquit, temporum diſerti, cauſidici, & aduocati, & patroni, & quiduis potius, quam oratores, uocantur. IN *Oceano natare*} iocatur in Trebatij timiditatem, qui cum Caeſare in Britannia nauigare noluerit. ESSEDARIOS,} quorum impetum timuerat. NE *andabatam quidem*} luſus fuiſſe genus, quo clauſis oculis certaretur, exiſtimo. nec tamen, luſiſſe antea, ut andabatam, Trebatium, & id a Cicerone ſignificari, putemus. Sed hoc dicitur: antea ſpectare quidlibet uolebas: nunc eſſedariorum ſpectaculum uitaſti. Prouerbium, Ne andabatam quidem defraudare, uidetur in eos uſurpari ſolitum, qui omnia cernerent, ut nihil ijs, non ſi oculos quidem andabatarum more clauderent, occultum eſſe poſſet. Eodem modo dicitur in Trebatium, nullo eum ſpectaculo priuari uoluiſſe, quemadmodum andabatae, licet oculis clauſis, tamē interdum ludentes defraudari non poſſunt. Vſus eſt hoc prouerbio duobus in locis diuus Hieronymus, aduerſus Heluidiū, & contra Iouinianum. Nonius Varronem appellat in Andabatis. QVID *agas*,} hoc refertur ad illud, De ſtatu tuo. QVID *exſpectes*,} quid cōmodi. PVTES.} hoc ad illud pertinet, quod proxime dixerat, Conſilijſq. omnibus. ATTRAHAM;} plus eſt, quam, uocem. ADVOLES.} & hoc plus, quā, Venias. NON *modo hoſtes*,} non dicā, hoſtes: patet enim, congreſsionem noſtram eſſe iucundiſsimā, hoſtes autem formidabiles, & permoleſtos: ſed ipſi Aedui, fratres noſtri, quorū conſuetudine delectamur. Aedui fratres populi R. cognita eorum fide, uocati ſunt. ad Att. ep. 17. lib. I. Aedui, fratres noſtri, pugnant. Tacitus lib. XI. Primi Aedui ſenatorum in urbe ius adepti ſunt. datum id foederi antiquo, & quia ſoli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano uſurpant. Plutarchus in Caeſare. AVT *conſolando, aut conſilio, aut re iuuero.*} ſenarius integer, e Terentij Heautontimorumeno tranſlatus in hunc locnm. ſic enim in ea fabula cum Menedemo loquens Chremes inducitur:

Iſtuc, quidquid eſt, fac me, ut ſciam.
Ne retice, ne uerere: crede inquam mihi:
Aut conſolando, aut conſilio, aut re iuuero.

Terentius porro, ut opinor, a Plauto, paucis immutatis, accepit: apud quem in Pſeudolo, actu primo, ita loquitur Pſeudolus ſeruus:

-- Fac me certum, quid tibi eſt:
Iuuabo aut re, aut opera, aut conſilio bono.

Ad hunc Terentij uerſum reſpexit etiam ep. 6. lib. IX. ad Att. Eripe, inquit, mihi hunc dolorem, aut minue ſaltem, aut conſolatione, aut conſilio, aut quacumque re potes.

---

## Argumentum ep. II.

*PRimum iocatur, ut ſolet, occaſione ſumpta ab interregnis: deinde ſuadet, ut, ſi honeſtatem, facultatesq. ſuas auget, maneat apud Caeſarem; ſin minus, Romam ſe recipiat. Anno urbis* DCC *in interregno.*

*Cicero*

## *Cicero S. D. Trebatio.* II.

NISI *ante Roma profectus eſſes, nunc eam certe relinqueres. quis enim tot interregnis iurecon-ſultum deſiderat? ego omnibus, unde petitur, hoc con-ſilij dederim, ut a ſingulis interregibus binas aduoca-tiones poſtulent. Satis ne tibi uideor abs te ius ciuile didiciſſe? Sed heus tu, quid agis? ecquid fit? uideo enim te iocari per litteras. haec ſigna meliora ſunt, quam in meo Tuſculano. ſed quid ſit, ſcire cupio. conſuli quidem te a Caeſare ſcribis: ſed ego tibi ab illo conſuli mallem. quod ſi aut fit, aut futurum putas; perfer iſtam mi-litiam, & permane. ego enim deſiderium tui ſpe tuorum commodorum conſolabor. ſin autem iſta ſunt inaniora; recipe te ad nos. nam aut erit hic aliquid aliquando; aut, ſi minus, una mehercule collocutio noſtra pluris erit, quam omnes Samarobrinae. denique, ſi te cito retuleris; ſermo nullus erit: ſin fruſtra diutius abfueris; non modo Laberium, ſed etiam ſodalem noſtrum Valerium perti-meſco. mira enim perſona induci poteſt Britannici iure-conſulti. Haec ego non rideo, quamuis tu rideas: ſed de re ſeueriſſima tecum, ut ſoleo, iocor. Remoto ioco, tibi hoc amiciſſimo animo praecipio, ut, ſi iſtic mea com-mendatione tuam dignitatem obtinebis, perferas noſtri deſiderium; honeſtatem, & facultates tuas augeas: ſin autem iſta frigebunt; recipias te ad nos. omnia tamen, quae uis, & tua uirtute profecto, & noſtro ſummo erga te ſtudio conſequere.*

## EXPLANATIO

RELINQVERES.} ob interregna: quibus iudicia iacebant; cum nullus, qui ius diceret, in urbe magiſtratus eſſet. nam interrex non iuris dicendi cauſſa creabatur, ſed ut haberet comitia conſulibus rogandis. Interregnum Romae primum fuit, cum, Romulo mortuo, nondum Numa rex creatus eſſet. inde factum, liberata regio dominatu ciuitate, ut, cum in annum ſequentem extracta comitia eſſent, nec ulli creati curules magiſtratus, interrex habendorum comitiorum gratia proderetur. Liuius, Dionyſius, Plutarchus, alij. TOT. INTERREGNIS} quot interregna fuerint eo anno, facile inueniet, qui Dionem, & Pedianum attente legerit. quorum ille lib. XL ſcripſit, eo anno, quo Caluinus & Meſſalla con-ſulatum geſſere, urbem ſine magiſtratibus fuiſſe per ſex menſes: Pedianus autem interregni dies non plures quinque fuiſſe tradidit. ſunt igitur hac ratione interregna XXXVI in ſex menſibus. Duo ſunt praeterea, quae docet idem Pedianus, non omittenda, ut arbitror: unum, interregem non niſi a ſenatoribus patricijs & ipſum patricium, prodi ſolitum; quod & Cicero pro domo ſua dixit: alterum, ut ab eo, qui primus in-terrex eſſet proditus, comitia haberentur, moris non fuiſſe. DESIDERAT?} uere. nam interrex ius non dicit. ceſſat igitur opera iuriſconſultorum, & iuſtitium in urbe tamdiu eſt, quamdiu interregnum. Hactenus Cicero uere, & ſerio, reliqua iocans, ut infra demonſtrabo. VNDE. PETITVR,} Vnde petitur, dicebatur is, a quo pecunia in iudicio, tamquam debita, petebatur. non enim, unde petitur, & debitor, idem ſunt. nam quia uel interdum non debita pecunia petebatur; uel petebatur ante, quam eſſet coepta de-beri; propterea debitor dici non ſemper poterat is, unde petebatur; ſed tum uere, cum pecuniam debebat. Atque hunc loquendi modum antiquis iuriſconſultis, quorum ſcripta periere, familiarem arbitror fuiſſe. hodie quidem exempla habemus perpauca: quorum unum, ut mihi nunc in mentem uenit, ſubiungam. lib. I. de Orat. Nobis in tribunali Q. Pompeij, praetoris urbani, petentibus, homo ex numero diſertorum poſtulabat, ut illi, unde peteretur, uetus, atque uſitata exceptio daretur, Cuius pecuniae dies fuiſſet? quod petitoris cauſſa comparatum eſſe non intelligebat. BINAS *aduocationes poſtulent.*} quaſi beneficij loco. nam, cum interreges ſinguli per dies tantum quinque ſint, nec dies omnes faſti ſint quibus tantũ iudicia fieri licet: non eſſet litigantibus incommoda condicio, ſi binas aduocationes a ſingulis interregibus impetrare poſſent. Binarum autem aduocationum mentio unã & alteram cauſſae actionem ſignificat. cum enim a patronis agitur cauſſa, tunc adſunt aduocati iuriſconſulti, qui ius ſuggerant. SATIS *ne tibi uideor abs te ius ciuile didiciſſe?*} hic oſtenditur, ſuperiora per iocum eſſe dicta: quia ſcilicet de induſtria Cicero ita locutus eſt, ut ius ciuile parum didiciſſe uideretur. in quo autem haec deprehendi poſſit inſcitia, quaeren-dum eſt. mihi uidetur in eo, quod ſuadere ſe debitoribus dixit, ut binas aduocationes ab interregibus po-ſtulent. quo quid imperitius? non enim is, qui pecuniam debet, ſed is, cui debetur, a magiſtratu iudicium poſtulat eius exigendae pecuniae cauſſa. deinde, quis tam rudis in foro, tam ignarus iudiciorum eſt, qui neſciat ab interregibus aduocationes peti non ſolere? quippe, cum interreges non iuris dicundi, ſed tan-tum habendi comitia curam gerant. Mihi haec interim placebat ſententia, donec meliora quis attulerit. HAEC *ſigna*} ſigna, & indicia ſunt, & ſtatuae. hic iocus eſt in ambigua ſignificatione. IN *meo Tuſculano.*} quam uillam ſignis ornauerat. ep. 23. & ad Att. ep. 3. lib. I. CONSVLI *te a Caeſare*} Con-ſuli dicuntur iuriſconſulti, cum aliquis dubia in re quaerit, quid uerum ſit, optimum ue factu. In Bruto: Et conſulebatur plurimum Craſſus, & dicebat. ep. 13. TIBI *ab illo conſuli*} tuis commodis Caeſa-rem conſulere. Iocus eſt in uaria eiuſdem uerbi ſignificatione. Conſulere aliquem, & alicui, quid ſit, uel hic locus declarat. PERFER} quaſi grauem, quam Trebatius non libenter ferret. EGO *enim deſi-derium tui ſpe tuorum commodorum conſolabor.*} ep. 10. eadem ſententia, uerbis mutatis: Sic tibi perſua-deas uelim, unum mihi eſſe ſolatium, quare facilius poſſim pati te eſſe ſine nobis, ſi tibi eſſe id emolu-mento ſciam. SIN *iſta ſunt inaniora;*} infra: Sin iſta frigebunt. VNA *mehercule &c.*} ep. 10.

eadem

eadem ſententia. COLLOCVTIO} Congreſsio, dixit ep. 10. OMNES *Samarobrinae.*} non modo una, ſed omnes, quotquot eſſe poſſunt. Vrbs in Gallia inter Belgas, ubi tum uidetur cum Caeſare fuiſſe Trebatius. ep. 12. & 16. uide Caeſarem lib. v. LABERIVM,} qui timendus erat ut mimus. de hoc Suetonius in Caeſare, & Macrobius lib. 2. qui etiam praeclaros eius ſenarios, uictum ſe a Publio mimo conquerentis, recitat. Eius Mimi nominantur, quos reliquit, Rector, Salinator, Scripturae, apud Gellium; Aquae, Aries, Augur, Caeculi, Creuus, Tuſcus, apud Cariſium; Annales, Aquae Caldae, Aulularia, Belbum, Calli, Carcer, Catularium, Centenarium, χαῖρε, Cithera, Compitalia, Cropium, Finalia, Fullonica, Imago, Lacus Auernus, Macchus, Nuptiae, Panilica, Paupertas, Primum, Sedigitus, Sorores, Tucca, Tuſcus, Virgo, apud Nonium. Horatius Laberij mimos non probat. ait enim ſat. ult. lib. 2.

" Nec tamen, hoc tribuens, dederim quoque cetera. nam ſic
" Et Laberi mimos, ut pulchra poemata, mirer.

VALERIVM} non opinor ſignificari Q. Valerium Catullum poetam, ſed L. Valerium iuriſconſultum, quem Cicero ep. ult. lib. I. & ep. I. lib. III. commendat. magis enim credendum, cum ſodalem Cicero uocet, eum ſignificari, qui utrique familiaris erat, quam Catullum poetam, quem nec Ciceronis, nec Trebatij ſodalem, aut familiarem fuiſſe, quiſquam ſcripſit. Praeterea, uel notam praenominis, quod eis diuerſum fuit, Lucius, Valerio iuriſconſulto, Caius, Valerio Catullo poetae, adiungi oportuit; uel, ſi modo poeta ſignificabatur, cognomen apponi, quod iuriſconſulto nullum fuit; aut etiam ſolum cognomen nominari: quod fecit Nepos in Attici uita, Quinctilianus lib. x. Gellius lib. VII. cap. 20. qui omnes Catulli non modo nomen, uerum etiam praenomen omiſere, ſolo cognomine contenti. MIRA} ad riſum excitandum. PERSONA} ut in ſcenam inducuntur ab hiſtrionibus perſonae diuerſorum. BRITANNICI. IVRECONSVLTI.} ipſius Trebatij, qui noluerat in Britanniam cum Caeſare proficiſci. Rideri igitur duabus cauſsis poterat Trebatius: tum quia iuriſconſultus in militiam iuerat; cum ceteri ſuam in urbe, magna cum laude, ſcientiam exercerent; tum quia, cum in militiam iuiſſet, Caeſarem tamen ex Gallia in Britanniam tranſeuntem ſequi noluerat. in hoc metus, in illo iuris ciuilis inſcientia deſcribitur. NON. RIDEO,} non contemno, etſi iocor, ut ſoleo: ne me tamen putes haec parui facere. TVAM *dignitatem obtinebis,*} iſtic eris cum ea, qua te decet eſſe, dignitate. HONESTATEM,} honorem, & exiſtimationem: ut ep. 17. Quae ego tibi & iucunda, & honeſta praeſtabo. ſic Honeſtus pro honoratus, ep. 15. lib. 2. Caeſarem honeſtum eſſe cupio. FACVLTATES} paullo latius accipio, quam pro re domeſtica: ut Off. lib. III. Facultates, & copiae ſingulorum, diuitiae ſunt ciuitatis. Et ep. 2. lib. XI. ad Att. Illam miſeram tueare meis opibus, ſi quae ſunt, tuis, quibus tibi moleſtum non erit, facultatibus. STVDIO} quo fit, ut te Caeſari uehementer commendemus.

---

# Argumentum ep. 12.

*IOcatur more ſuo, & in ioco reprehendit opiniones Epicureorum, ipſumq. Trebatium; quem Epicureum eſſe factum, ex Panſa cognouerat. Eodem anno, in interregno.*

## *Cicero S. D. Trebatio.* 12.

*MIRABAR, quid eſſet, quod tu mihi litteras mittere intermiſiſſes. indicauit mihi Panſa meus, Epicureum te eſſe factum. o caſtra praeclara: quid tu feciſſes, ſi te Tarentum, & non Samarobrinam miſiſſem? iam tum mihi non placebas, cum idem intuebare, quod & Titius, familiaris meus. Sed quonam modo ius ciuile defendes, cum omnia tua cauſſa facias, non ciuium? Vbi porro illa erit formula fiduciae, VT inter bonos bene agier oportet? quis enim eſt, qui facit nihil, niſi ſua cauſſa? Quod ius ſtatues communi diuidundo, cum commune nihil poſſit eſſe apud eos, qui omnia uoluptate ſua metiuntur? Quo modo autem tibi placebit Iouem Lapidem iurare, cum ſcias Iouem iratum eſſe nemini poſſe? Quid fiet porro populo Vlubrano, ſi tu ſtatueris πολιτεύεσθαι non oportere? Quare, ſi plane a nobis deficis; moleſte fero: ſin, Panſae aſſentari, commodum eſt; ignoſco: modo ſcribe aliquando ad nos, quid agas, et a nobis quid agi, quid fieri, aut curari uelis. Vale.*

## EXPLANATIO

INDICAVIT} litteris e Gallia miſsis. PANSA} C. Vibius Panſa, qui conſul poſtea fuit cum Hirtio. MEVS,} pronomen amorem indicans, ut Curio meus ep. 10. lib. XVI. Epiſtolarum libri Ciceronis ad Panſam appellantur a Nonio, & Priſciano. TARENTVM,} mollem ciuitatem, nequitiaeq. deditam. Horatius 2. Serm. ſat. 4. Pectinibus patulis iactat ſe molle Tarentum. Athenaeus lib. IV.

ſolitos

ſolitos dicere Tarentinos ait, alijs laborioſam uitam, ſibi uoluptariam placere. ET. TITIVS} ſic antiquus liber. ex quo fortaſſe legendum, Et Titus: ut ſignificetur T. Pomponius Atticus, Ciceronis familiaris, idemq. Epicureus. alij libri uarie, Etitius, Eticius, Ericius, Etrius, Ehiceres, Eticirus, Ethejus. in nullo, Zeius, eſſe uideo: quod alijs placuit, ex auctoritate ueteris libri. Romanae familiae nomen eſſe poteſt: mihi tamen ignotum. CVM *omnia tua cauſſa facias*,} ex Epicuri ſententia. Pertinet ad hunc locum illud ex oratione pro Sextio: Philoſophos neſcio quos praeclare dicere aiebat: Sapientes omnia ſua cauſſa facere; remp. capeſſere hominem bene ſanum non oportere; nihil eſſe praeſtabilius otioſa uita, & plena, & conferta uoluptatibus. NON. CIVIVM?} hoc non habent mei duo ueteres libri: & fortaſſe additum ex ingenio, ſententia non requirente. VT *inter bonos bene agier oportet?*} haec formula bis ponitur lib. III. Off. omiſſo uerbo, Oportet: ſecundo loco, Vt: in Topicis, item ut hic, legitur, Vt inter bonos bene agier oportet. Vnus omnino antiquus liber hic non habet Vt. Sententia non obſcura, ſiue Vt retineatur, ſiue deleatur: bene agi oportere inter bonos: uel, ita bene agi oportere, tamquam inter bonos res agatur. QVIS *enim eſt, qui facit nihil, niſi ſua cauſſa?*} & abeſt hoc totum a duobus antiquis libris; & mihi quidem ſatis frigidum uidetur. iam cum ſuperioribus formulae uerbis qui cohaeret? COMMVNI *diuidundo*,} titulus eſt apud iuriſconſultos. IOVEM *Lapidem iurare*,} ſuperiora in iuriſconſultum proprie, hoc in omnes communiter conuenit. euenit enim, ut iuremus fidei faciendae gratia. at Epicurei cur iurent, non eſt. deos enim iratos non timent, quos aiunt non curare mortalia, neque ipſos habere moleſtiae quidquam, neque cuiquam inferre. Hunc morem, Iouem Lapidem iurandi, ſatis oſtendimus in illo loco, Si ſciens fallo, ep. I. huius libri. POPVLO. VLVBRANO,} qui erat in Trebatij clientela. ep. 18. Vlubrae autem non colonia, non municipum, ſed praefectura fuit, ut haec uetus inſcriptio, ab egregio iuriſconſulto, & cum humanitate, tum omni liberali doctrina politiſſimo, Ioanne Turritiano ad me miſſa, declarat.

C. OPPIVS. SP. F. COL.
RVFVS. PAGI. MAGISTER
IDEM. PRAEFECTVS. VLVBRIS
IVRE. DICVNDO

Praefecturae autem ius Romanae ciuitatis habebant, Romaniſq. tum legibus, tum magiſtratibus utebantur, uel a populo creatis, uel a praetore urbano delectis. Πολιτεύεσθαι} remp. adminiſtrari: ut eadem de re dixit in oratione pro Sextio. ſed hic maluit Graece loqui, fortaſſe ut ipſum Epicuri, Graeci hominis, uerbum referret. Vide hac de re ſententiam Epicureorum lib. 2. de Orat. SI. PLANE. A. NOBIS. DEFICIS;} ſi non ficte, ut aſſenteris Panſae, ſed uere, & ex tua ſententia Epicureus factus es. *A nobis*: qui Epicurei non ſumus, & honeſtum rebus omnibus anteponimus. PANSAE. ASSENTARI,} Epicuri ſectam, & inſtituta perſequenti. ep. 19. lib. XV. COMMODVM. EST;} ere tua eſt. MODO. SCRIBE} ſi dixiſſet, Modo ſcribas, hortaretur: cum dicat, Modo ſcribe, hortatur ſimul, & imperat. ALIQVANDO} quaſi hoc Trebatius aut numquam, aut non nuper, ſed multo antea ſcripſiſſet. iam enim, ut prima epiſtolae uerba ſignificant, litteras mittere intermiſerat. QVID *agas, & a nobis quid agi, quid fieri, aut curari uelis*.} Quaeri poteſt, cum dixerit iam, Agi, cur ſubiungat, Fieri. Sciendum, non idem utroque ſignificari. nam Agere; quaſi genus eſt; Facere, tamquam ſpecies. non enim, qui cogitat, aut loquitur, proprie dicitur facere, ſed agere: cum tamen, quidquid fiat, id etiam agi dicatur. qua de re ſubijciemus uerba Varronis ex lib. v. de Lingua Latina; quae ſignificant actionis nomine tria comprehendi, cogitare, dicere, facere. Actionum, inquit, trium primus cogitatus mentis; quod primum ea, quae ſumus acturi, cogitare debemus, deinde tum dicere, ac poſtremo facere. de his rebus minime putat uulgus eſſe actionē cogitationē: tertium, in quo, quid facimus, id maximum. ſed & cū cogitamus, quid & in eam rem cogitamus, in mente agimus; &, cum pronunciamus, agimus. itaque ab eo orator dicitur agere cauſſam: & augures agere augurium dicuntur, cum in eo plura dicant, quam faciant. His uerbis oſtendit Varro, agere, genus eſſe; facere autem ſpeciem. Idem infra, ſubtilius haec diſtinguens, diuerſam utriuſque uerbi ſignificationem demonſtrat. Tertium, ait, gradum agendi dicunt, ubi quid faciunt. in eo, propter ſimilitudinem agendi, & faciendi, & gerendi, quidam error ijs, qui putant eſſe unum. poteſt enim aliquis facere, & non agere: ut poeta facit fabulam, & non agit; contra actor agit, & non facit. & ſic a poeta fabula fit, & non agitur; ab actore agitur, & non fit. Contra, Imperator, qui dicitur res gerere, in eo neque agit, neque facit, ſed gerit, ideſt ſuſtinet. Proprio nomine dicitur facere a facie; quod rei, quam facit, imponit faciem: a qua facie diſcernitur, ut dici poſsit aliud eſſe ueſtimentum, aliud uas. Qui quid adminiſtrat, cuius opus non exſtat, quod ſub ſenſum non ueniat; ab agitatu, magis agere, quam facere, putatur. Sed quod magis his promiſcue, quam diligenter, conſuetudo eſt uſa; tranſlaticijs utimur uerbis. nam & quidem, facere uerba, dicimus, & qui aliquid agit, non eſſe inficientem. Haec Varro: quibus conſtat, & genus, & ſpeciem eſſe poſſe. nec deſunt generis exempla. de ſpecie autem ſic Cicero in epiſtola ſuperiore: Quid agis? ecquid fit? Et lib. III. de Fin. Eſt eius generis actio quoque quaedam, & quidem talis, ut ratio poſtulet agere aliquid, & facere etiam. Et in Lucullo: Idem in ſimilibus artibus continget: quarum omne opus eſt in faciendo, atque agendo. Et Terentius Adelph. act. v. ſc. III. Hei mihi, quid faciam? quid agam? Et ibidem ſc. O 5. noſter, quid fit, quid agitur? Graeci quoque πράττειν, & ποιεῖν diſtinguunt, illud pro agere, hoc pro facere uſurpantes. horum uerborum differentia in artium quoque diſtinctione cognoſcitur. aliae enim uocantur πρακτικαὶ, cum poſt actionem opus non remanet, ut ſaltandi, uel canendi ſcientia; aliae ποιητικαὶ, cum opus remanet, ut

quae

quae ab Ariſtotele ναυπηγικὴ, & quae χαλινοποιητικὴ nominatur. quamquam Ariſtoteles uidetur uſur paſſe τὸ ποιεῖν ἀντὶ τοῦ πράττειν, initio artis Poeticae. Sed hoc ei uſitatum eſt, uerba paullo liberius accipere, uel antequam ea definierit, ut cum pro mutatione motum accepit Phyſ. lib. III. licet motus, & mutatio non idem ſint, quae poſtea definiuit lib. v. uel cum ſingulorum uerborum exquiſitam proprietatem ſententia non requirit. Idem tamen Polit. lib. I. Διαφέρει, ait, ἡ ποίησις εἴδει, καὶ ἡ πρᾶξις: ὁ δὲ βίος, πρᾶξις, οὐ ποίησίς ἐστι. Et Rhet. lib. I. Καὶ τὰς ἀρετὰς δὲ ἀνάγκη ἀγαθὸν εἶναι. κατὰ γὰρ ταύτας εὖ τε διάκεινται οἱ ἔχοντες, καὶ ποιητικαὶ τῶν ἀγαθῶν εἰσὶ, καὶ πρακτικαί. Hanc diſtinctionem comprobat lib. 2. cap. 18. Quinctilianus his uerbis: Cum ſint artium aliae poſitae in inſpectione, ideſt, cognitione, & aeſtimatione rerum, qualis eſt Aſtrologia, nullum exigens actum, ſed ipſo rei, cuius ſtudium habet, intellectu contenta, quae θεωρητικὴ uocatur; aliae in agendo, quarum in hoc finis eſt, & in ipſo actu perficiutur, nihilq. poſt actum operis relinquunt, quae πρακτικὴ dicitur, qualis eſt Saltatio; aliae in effectu, quae operis, quod oculis ſubijcitur, couſummatione finem accipiunt, quam ποιητικὴν appellamus, qualis eſt Pictura: fere iudicandum eſt, Rhetoricen in actu conſiſtere. hoc enim, quod eſt officij ſui, perficit. Quod igitur Cicero dixit, Quid agi, uel tamquam genus, uel tamquam ſpeciem accipiamus hoc uerbum: genus, ut ſe paratum ad omnia, quae Trebatius uellet, oſtenderet: quod apertius indicauit, diuidendo mox genere in ſpecies, fieri, & curari, ſpeciem, ut tribus uerbis, agi, fieri, curari, tria diuerſa demonſtrentur. aliud enim eſt, agi, & fieri; aliud, curari, ut aliquid agatur, aut fiat. Tenuia fortaſſe uidentur haec, neque digna ſatis, in quibus elaboretur. nos, quod ad uſum Latinae linguae pertineret, nihil umquam contempſimus. nec paenitet conſilij. nam, ſi ueteribus illis in ſcribendo ſimiles eſſe cupimus; ponderanda ſingula ſunt, ut ex multis partibus, apte conuenientibus, egregium illud, quod quaerimus, uniuerſum fiat.

---

# Argumentum ep. 13.

*INtermiſsionis litterarum cauſſam exponit: quam non agnoſcente Trebatio, inde occaſionem arripit liberius iocandi. Scripta eodem anno, & in interregno: quia dies adſcripta, III non. Mart. interregnum autem ſex menſibus hoc anno fuiſſe, iam diximus.*

## *Cicero S. D. Trebatio.* 13.

*ADEO ne me iniuſtum eſſe exiſtimaſti, ut tibi iraſcerer, quod parum mihi conſtans, & nimium cupidus decedendi uiderere, ob eamq. cauſſam me arbitrarere litteras ad te iamdiu non miſiſſe? mihi perturbatio animi tui, quam primis litteris perſpiciebam, moleſtiam attulit: neque alia fuit ulla cauſſa intermiſſionis litterarum. Hic tu me etiam inſimulas, nec ſatisfactionem meam accipis. audi, mi Teſta: utrum ſuperbiorem te pecunia facit, an quod te imperator conſulit? moriar, ni, quae tua gloria eſt, puto te malle a Caeſare conſuli, quam inaurari. ſi uero utrumque eſt; quis te feret, praeter me, qui omnia ferre poſſum? Sed, ut ad rem redeam, te iſtic inuitum non eſſe, uehementer gaudeo: &, ut illud erat moleſtum, ſic hoc eſt iucundum. tantum metuo, ne artificium tuum tibi parum proſit. nam, ut audio, iſtic*

*,, Non ex iure manu conſertum, ſed magis ferro*
*,, Rem repetunt.*

*Et tu ſoles ad uim faciundam adhiberi? Neque eſt, quod illam exceptionem in interdicto pertimeſcas, quod tu prior ui hominibus armatis non ueneris. ſcio enim te non eſſe procacem in laceſſendo. Sed, ut ego quoque te aliquid de noſtris cautionibus admoneam; Treuiros uites cenſeo. audio capitales eſſe. mallem, auro, argento, aere eſſent. Sed alias iocabimur. Tu ad me de iſtis rebus omnibus ſcribas uelim quamdiligentiſſime.* D. IV. *non. Mart. Vale.*

## EXPLANATIO

ADEO *ne me iniuſtum exiſtimaſti*, } ſimile principium ep. 8. lib. 2. Quid tu me hoc tibi mandaſſe exiſtimas, &c. Sic & Coelius non ſemel orditur lib. IIX. PRIMIS *litteris* } ep. 17. Primorum menſiũ litteris ſuis uehementer commouebar. &c. SATISFACTIONEM } excuſationem. ep. 13. lib. IIX. Poſtea quam illum, ne cui ſatisfaceret quidem, me dignum habere ſenſi. Et ep. 13. lib. IIX. Quinctus mihi per litteras ſatisfacit, multo aſperioribus uerbis, quam cum accuſabat, TESTA: } cognomen Trebatij. ep. 21. 22. QVAE *tua gloria eſt*, } quae ambitio tua. Interdum gloriae nomen pro inani quodam gloriae ſtudio ſumitur. ARTIFICIVM *tuum* } ſcientia iuris ciuilis. NON *ex iure manu conſertum*, } Enniani uerſus ex octauo Annali, quos lib. xx. cap. 19. recitat Gellius, hi ſunt:

,, Pellitur e medio ſapientia: ui geritur res:
,, Spernitur orator bonus: horridu' miles amatur.

,, Haud doctis dictis certantes, nec maledictis,
,, Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes.
,, Non ex iure manu conſertum: ſed mage ferro
,, Rem repetunt, regnumq. petunt, uadunt ſolida ui.

Eoſdem uerſus ponit Cicero in oratione pro Murena, diuus Auguſtinus epiſt.8. lib. xv. Seruius in ultima ecl. Virg. Iſtic, ait, non litibus, ut Romae, ſed armis res geritur: itaque metuo, ne fructum ex artificio tuo paruum capias. Manum conſerere, & Manu conſertum uocare, non idem eſſe, Gellius loco ſupra nominato ſatis oſtendit. Ex iure, inquit, manu conſertum, uerba ſunt ex antiquis actionibus: quae, cum lege agitur, & uindiciae contenduntur, dice nunc quoque apud praetorem ſolent. Et infra: De qua re diſceptabatur in iure praeſenti, ſiue ager, ſiue quid aliud eſſet, cum aduerſarij ſimul manu prehenderent; correptio manus in re, atque in loco praeſenti, apud praetorem ex xii tabulis fiebat. ſed poſtquam praetores propagatis Italiae finibus, paciſci, uindiciarum dicendarum cauſſa, longinquas res grauabantur; inſtitutum eſt contra xii tabulas tacito ſenſu, ut litigantes non ex iure apud praetorem manum conſererent, ſed ex iure manu conſertum uocarent; atque profecti ſimul in agrum, de quo litigabatur, terrae aliquid ex eo, uti unam glebam, in ius in urbem ad praetorem deferrent, & in ea gleba, tamquam in toto agro, uindicarent. Iccirco Ennius, ſignificare uolens bellum, non, ut ad praetorem ſolitum eſt, legitimis actionibus, neque ex iure manu conſertum, ſed bello, ferroq. & uera ui, atque ſolida uadi, uidetur dixiſſe, conferens uim illam ciuilem, & feſtucariam, quae uerbo diceretur, non quae manu fieret, cum ui bellica, & cruenta. Haec Gellius. Illud moneo, placere mihi, quod alijs quoque placuiſſe uideo, coniuncte legi, & unico uerbo, Manuconſertum. alioqui legendum uideretur, Manus conſertum, uel, Manum conſertum. Si enim manus conſerebatur; quod Gellius aperte demõſtrat: certe, Manum conſertum, ideſt, ad manum conſerendam, ut Gellius, idem interpretatur, non, Manu conſertum, dici debuit. eſt etiam uetus apud me liber, in quo legitur unico uerbo, Manuconſertum. Sed *magis ferro* } abijcitur. S. in Magis, metri cauſſa. quod qui ignorabant, fecere, Mage, ut in Gellio, & in oratione pro Murena. in hac quidem epiſtola ſcripti libri omnes, nulla uarietate, habent, Magis. Et tu *ſoles ad uim faciundam adhiberi?* } nonnulli ueteres libri, Facundiam adhibere: mendoſe: factum enim ex, Faciundam, Facundiam: & ut facile ruit, quod inclinare ſemel coepit, mutatum eſt Adhiberi in Adhibere: ut eſſet, adhibere facundiam ad uim. ſic deformata maculis pulcherrima ſententia ſuam uenuſtatem amiſerat. habet enim leporem haec interrogatio, Et tu ſoles ad uim faciundam adhiberi? in quo timiditatis arguitur Trebatius; qui, cum facienda uis eſſet, non adhiberetur. quod infra quoque demonſtratur in iis uerbis: Scio te non eſſe procacem in laceſſendo. Neque *eſt, quod illam exceptionem in interdicto pertimeſcas, quod tu prior ui hominibus armatis non ueneris.* } omnes antiqui libri, Non ueneris. quod ideo dictum uolui, nequis, propter obſcuritatem ſententiae, mutandi licentiam arripiat. Interdictum quid ſit, docuere multi. eſt autem praetoris actio, cum aliquem in eam poſſeſsionem, unde ui deiectus eſt, reſtitui iubet, donec iudicio planum fiat, uter poſsidere debeat: exceptionem tamen his fere uerbis addere conſueuit: Niſi ſi, qui reſtitui poſtulat, prior ui hominibus armatis praeſentem poſſeſſorem deiecit. Iocatur hic Cicero cum Trebatio, tamquam cum homine bellica certamina libenter uitante: Numquam, ait, ad te pertinebit illa exceptio, qua praetor in interdicto uti ſolet, quod tu prior ui hominibus armatis quemquam de poſſeſsione deieceris. facit enim tua timiditas, ne quem prior laedas. Huic ſententiae uidetur illud, Non ueneris, aduerſari: nam exceptio illa non ſolebat in eum fieri, qui prior ui hominibus armatis non ueniſſet, ſed qui prior ueniſſet. Vidit hoc olim Bernardinus Rutilius, putauitq. legendum, Conueneris. Alij poſtea, non diſcedendũ a ueteribus libris, recte conſueuerunt: ſententiam tamen Ciceronis non omnino, ut arbitror, ſunt aſſecuti. nam, quod aiunt Ciceronem hoc dicere, non eſſe Trebatio pertimeſcendam exceptionem illam, qua utuntur illi ad praetorem, qui cum confeſsi ſint ſe deieciſſe, clamant tamen ſe non interdicto teneri, nec debere reſtituere; nam ſe prius ab aduerſarijs ui hominibus armatis deiectos eſſe: ego non arbitror exceptione illa eos ad praetorem uti ſolitos, qui aliquem de poſſeſsione deiecerant; ſed ipſum praetorem, cum eum, qui deiectus erat, interdicto reſtiui iuberet, excipere ſolitum eſſe, niſi is, qui poſtularet interdictum, prior ui hominibus armatis aduerſarium deieciſſet. quod ſi probaretur, interdictum ei nullam opem ferebat; ſed uetus poſſeſſor, donec bis ad exitum perueniſſet, in ſuo ſtatu permanebat. Non dubium eſt autem, cum ait Cicero, Quod tu prior ui hominibus armatis non neneris, uſitata eum exceptionis uerba recitare: ſed particulam, Non, addit de ſuo, ioci cauſſa; & immutat exceptionis morem, ut Trebatio timiditatis notam inurat: quaſi minime prior ueniſſet ui hominibus armatis. Eadem licentia, cum iocaretur, peruertit hiſtoriã Cicero, ſiue fabulam potius, in epiſtola ultima lib. i. Nam, cum dicturus eſſet, Tamquam Vlyſſes cognoſcerisa tuorum nemine; (id enim Vlyſsi contingit, nec eum, praeter canem, quiſquam cognouit) repente mutauit, & dixit, Tamquam Vlyſſes cognoſces tuorum neminem? ita, quod uolebat, obiecit ignobilitatem Valerio, & paucitatem propinquorum: quam obijcere non poterat, ſi dixiſſet, Cognoſceris a tuorum nemine. Cum haec legiſſet, admodum probauit egregius iuriſconſultus, a recentiorum iuriſconſultorum barbarie longe remotus, quodq. multo pluris facio, moribus, & probitate excellens, uetere mihi neceſsitudine coniunctus, Octauianus Populus Mediolanenſis. Non *eſſe procacem* } hoc addit Cicero, quaſi ſenſum exceptionis iam expreſsiſſet: quem tamen oſtendimus ioci cauſſa eſſe immutatum. Ego *quoque* } licet iuriſconſultus non ſim. nam iuriſconſultorum eſt, alijs cauere. ep. 6. & lib. iii. ep. i. De nostris *cautionibus* } pro, e noſtris cautionibus. Noſtris, inquit, iocans: quia iuriſconſultorum cautiones erant: & oratorem cauere iuriſconſulto, mirum uidetur. Treviros } Galliae populos, Rheno flumini finitimos: qui, accerſitis Gallorum auxilijs, cum Labienum, Caeſaris legatum, obſediſſent, ab eo caſtris erumpente fuſi,

fugatiq.

fugatiq. ſunt. Caeſar comm. lib.v. CAPITALES} exitium ferentes, caput petere ſolitos. Philipp. v. Ad quendam Septimium, capitalem hominem, collegam ſuum, miſerat. Et de Fin. lib. IV. Capitalis aduerſarius. Iocatur hic Cicero in uerbo Capitales, quia Romae triumuiri capitales erant. MALLEM, *auro, argento, aere eſſent.*} Treuiri erant, ut diximus, in Gallia: Treuiri item Romae, qui Monetales dicebantur, quia monetae praerant, id eſt auro, argento, aeri, tum flando, tum feriundo: quod illa ueterum nummorum inſcriptio declarat, A. A. A. F. F. qua de re editam olim a nobis Petri Bembi, uiri plane ſingulis, epiſtolam hic ſubſcribemus.

## *Petrus Bembus Bernardino Sandro S.*

*QVOD bodie mane quaerenti tibi a me de illis Ciceronis ad Trebatium uerbis: Treuiros uites cenſeo: audio capitales eſſe: mallem, auro, argento aere eſſent: reſpondi, iocum eſſe & multiplicem, & feſtiuum: qui quidem iocus in antiquis & nummis, & ſcriptoribus deprehenderetur: itaque, quoniam eramus in uia, ut neque libros, neque nummos haberemus, reieci te in alium diem; id, ne te diutius torqueat, eſt eiuſmodi, ut ioci cauſſa, quod quidem Cicero ad illum ſcribens more ſuo fere ſemper facit, & Treuiri, & capitales in ambigui genere ſint poſita. nam, cum uideatur monere illum, ut uitet Treuiros Galliae populos, qui capitales, bellicoſiq. ſint; ludit cum in Treuirorum, tum in capitalium uerbo. erat enim Romae magiſtratus, Triumuiri capitales, qui etiam Treuiri dicebantur. ſed, quoniam hoc ipſum Triũuirum nomen iterum in ambiguo poni poterat, cum eſſent etiam apud Romanos Triumuiri pecuniae cudendae: quos ita inſcribebant,* A. A. A. F. F. *hoc eſt, Auro, argento, aere flando, feriundo: iocatur iterum in hoc uerbo, luditq. Cicero, ut mihi quidem uidetur, belliſſime, addens, mallem Treuiros iſtos eſſe pecunioſos, quam bellicoſos; ut, Caeſare eos uincente, tu diteſceres. itaque infert, mallem eſſe Treuiros auro, argento, aere, quam ſcilicet capitales. Triumuiros autem Treuiros ſolitos dici, Liuius ſatis locuples eſſe teſtis poteſt: cuius ſunt haec in libro* XL. *Colonia Grauiſcae eo anno deducta eſt in agrum Etruſcum, de Tarquinienſibus quondam captum. quina iugera agri data. Treuiri deduxerunt C. Calpurnius Piſo, P. Claudius Pulcher, C. Terentius Hiſter. Quod uero Triumuiri pecuniae ſic, ut dixi, inſcriberentur; eſt apud me nummus aereus perantiquus ita inſcriptus,* C. PLOTIVS. III VIR. A. A. A. F. F. *ſunt & alij nummi aliorum nominum, eiuſdem tamen tituli; quos inſpicies, cum uoles. Haec ad te ſcripſi, cum domum rediſſem, & nummos, ac librum ſumpſiſſem, amore tui admonitus. Vale. Pridie idus Iun.* M. D. XXXII.

# Argumentum ep. 14.

F*Amiliariter, & iocoſe Trebatium, qui litteras nullas miſerat, obiurgat. Eodem fortaſſe anno.*

## *Cicero S. D. Trebatio.* 14.

CHRYSIPPVS *Vettius, Cyri architecti libertus, fecit, ut te non immemorem putarem mei: ſalutem enim mihi uerbis tuis nuntiauit. ualde iam lautus es, qui grauere litteras ad me dare, homini praeſertim prope domeſtico. quod ſi ſcribere oblitus es; minus multi iam te aduocato cauſſa cadent. ſi noſtri oblitus es; dabo operam, ut iſtuc ueniam ante, quam plane ex animo tuo effluam. ſin aeſtiuorum timor te debilitat; aliquid excogita, ut feciſti de Britannia. Illud quidem perlibenter audiui ex eodem Chryſippo, te eſſe Caeſari familiarem. ſed mehercule mallem, id quod erat aequius, de tuis rebus ex tuis litteris quamſaepiſſime cognoſcere. quod certe ita fieret, ſi tu maluiſſes beneuolentiae, quam litium iura perdiſcere. Sed haec iocati ſumus & tuo more, & non nihil etiam noſtro. Te ualde amamus; nosq. a te amari tum uolumus, tum etiam confidimus. Vale.*

## EXPLANATIO

CHRYSIPPVS} architectus. ep. 9. lib. XIV. ad Att. CYRI} & hic libertus fuit ab architectura nobilis: de quo ep. 3. lib. 2. ad Att. & ep. 2. lib. 2. ad Q. fratrem. hic obiit eo anno, quo P. Clodius occiſus eſt, ipſumq. Clodium, & Ciceronem reliquit heredem: ut ex oratione pro Milone intelligitur. LIBERTVS,} ergo & Cyrus Vettius, a quo nomen Chryſippus acceperat. SCRIBERE} uidetur loqui ſimpliciter; ſed, ut ſolet, per iocũ unico uerbo duas res attingit. ſimul enim de iuriſconſultorum ſcriptione ſignificat: quod ſequentibus uerbis oſtenditur. & Pomponius l. 2. circa finem de orig. iuris, Aut iudicibus, ait, ipſis iuriſconſulti ſcribebãt; aut teſtabantur, qui illos conſuluerant. Pro Murena: Hanc urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cauendi. ſcribebant formulas ſponſionum, ſtipulationum, actionum, teſtamentorũ etiam. Nam lib. 2. de Orat. non longe a principio: Si tu Scaeuola omnium teſtamenta ſcripſeris. Eſt igitur, ut cauere, ſic ſcribere, iuriſconſultorum. TE ADVOCATO} alibi Aduocatus eſt is, qui praeſentiam, ut

ait Aſconius, reo commodat: hic eſt is, qui, per formulas, praeſcripta litigandi forma, cauet ijs, a quibus conſulitur. unde illud in ep. 10. In re militari multo es cautior, quam in aduocationibus. CAVSSA *cadent.*} litem amittent. qui enim ſcriptis tuis freti litigabant, cadebant cauſſa. nunc id non accidet: quia, ſi ſcribere oblitus es, nemo tuis in ſua re ſcriptis utetur. AESTIVORVM *timor*} timor futuri belli, quod aeſtate renouabatur. DEBILITAT;} ſic afficit, ut litteras ad amicos mittere non poſsis. ALIQVID *excogita,*} caue tibi quoquo modo ab armorum periculo, ut cauiſti ab eſſedarijs Britannicis, cum in Britanniam tranſire noluiſti. BENEVOLENTIAE,} cuius iura poſtulant, ut amicos de rebus noſtris nos ipſi certiores faciamus.

---

## Argumentum ep. 15.

*Declarat ſuum abſentis Trebatij deſiderium: gratulatur de C. Matij familiaritate. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Trebatio.* 15.

*QVAM ſint moroſi, qui amant, uel ex hoc intelligi poteſt. Moleſte ferebam antea, te inuitum iſtic eſſe: pungit me rurſus, quod ſcribis te eſſe iſtic libenter. neque enim, mea commendatione te non delectari, facile patiebar: & nunc angor, quidquam tibi ſine me eſſe iucundum. ſed tamen hoc malo nos ferre deſiderium, quam te non ea, quae ſpero, conſequi. Quod uero in C. Matij, ſuauiſſimi, doctiſſimiq. hominis, familiaritatem ueniſti; non dici poteſt, quam ualde gaudeam: qui, fac, ut te quammaxime diligat. mihi crede, nihil ex iſta prouincia potes, quod iucundius ſit, deportare. Cura ut ualeas.*

### EXPLANATIO

MOROSI,} moroſus eſt, cui non placet id, quod placere debet: uel, qui plus, quam oportet, exigit ab aliquo: uel, qui non fert, quod ferendum uidetur. In Oratore: Vſque eo difficiles, ac moroſi ſumus, ut nobis non ſatisfaciat ipſe Demoſthenes. EA, QVAE *ſpero,*} honeſtatem, & commoda. Ep. XI. C. MATII,} cuius exſtat grauiſsima epiſtola lib. XI. apud Caeſarē gratia ualuit, ut ep. 12. lib. VI. DOCTISSIMI} Quinctilianus, lib. XII. c. 6. ait Matium ante quaeſtoriam aetatem oraſſe. Columella lib. XII. c. 4. & c. 44. ſcripſiſſe eum de piſtore, coquo, & cellario libros tres. A Gellio quoque, & Macrobio laudari uideo doctrinam Cn. Matij. Sed ibi Cnaeus, hic Caius nominatur: ut uel duo Matij fuerint, diuerſo praenomine, uterque in primis eruditus: uel, ſi unus fuit, mendum ſit in alterutro praenomine.

---

## Argumentum ep. 16.

*Laudare Trebatium uidetur ut ſapientem, qui belli diſcrimina uitaret: ſed re uera notat ut timidum: quod ſaepe facit. adſcribit quaedam per iocum, de Cn. Octauio, de futuris Trebatij diuitijs, de eiuſdem ſuperbia: Scripta uidetur eodem anno: quod ex eo cognoſcitur, quia ſcribit Cicero & in Britanniam ire Trebatium noluiſſe, & adhuc quidem Samarobrinae eſſe; ubi eum fuiſſe, cum interreges crearentur, indicat ep.* XI.

### *Cicero S. D. Trebatio.* 16.

*IN Equo Troiano ſcis eſſe in extremo,* SERO SAPIVNT. *tu tamen, mi uetule, non ſero. primas illas rabioſulas, ſat fatuas dediſti. deinde, quod in Britannia non nimis φιλοθέωρον te praebuiſti, plane non reprehendo. nunc uero in hibernis iniectus mihi uideris: itaque te commouere non curas.* VSQVEQVAQVE *ſapere oportet. id erit telum acerrimum. Ego, ſi foris cenitarem, Cn. Octauio, familiari tuo, non defuiſſem: cui tamen dixi, cum me aliquoties inuitaret, Oro te, quis tu es? ſed mehercule, extra iocum, homo bellus eſt: uellem, eum tecum abduxiſſes. Quid agatis, & ecquid in Italiam uenturi ſitis hac hieme, fac plane ſciam. Balbus mihi confirmauit, te diuitem futurum. id utrum Romano more locutus ſit, bene nummatum te futurum, an, quo*

*modo*

*modo Stoici dicunt, omnes eſſe diuites, qui caelo, & terra frui poſſunt, poſtea uidero. Qui iſtinc ueniunt, ſuperbiam tuam accuſant, quod negent te percunctantibus reſpondere: ſed tamen eſt, quod gaudeas. conſtat enim inter omnes, neminem te uno Samarobrinae iuris peritiorem eſſe. Vale.*

# EXPLANATIO

IN *Equo troiano*} tragoediae nomen, ſed utrum Liuij Andronici, quem Nonius appellat in Opitula, an Naeuij, quem Macrobius lib. VI. Sat. ignoro. SERO *ſapiunt*.} Subaudi, Phryges: qui, cum Helenam initio belli reddere noluiſſent, poſtea, fractis iam eorum opibus, & ſpe ſalutis amiſſa uelle ſe eam reddere dixerunt. inde natum prouerbium: de quo Feſtus. MI. VETVLE,} amatorie, per iocum. RABIOSVLAS,} in quibus, teneri ſe urbis deſiderio, & cupere ſtatim aliquid auferre, atque a bello diſcedere, ſcripſerat Trebatius. id fuit primum argumentum, cur non ſero, ſed mature ſapere uiſus eſt. alterum, quod in Britanniam ire noluit. tertium, quod Samarobrinae diu manſit, nec ullam rei bellicae partem attigit. Inde iocandi materiam Cicero ſumpſit. SAT FATVAS,} quia, cũ iuiſſet in Galliam eo conſilio, ut Caeſaris beneuolentiam obſequio, officioq. ſuo conſequeretur, ita ſtatim auferre ab eo pecuniam, & domum redire properabat, quaſi non litteras commendaticias, uerum ſyngrapham ad eum attuliſſet. NON NIMIS φιλοθεώρον} non ualde cupidum ſpectandi: quia tranſire in Britanniam noluiſti, neque ſpectare eſſedarios. Hic locus alio loco ep. 6. illuſtratur. Secutus autem ſum Politiani correctionem: licet libri ueteres, pro Nimis, Minus, & pro, φιλοθεώρον, Quam Philoctetem, omnes habeant uno tantum excepto, in quo eſt, Non minus philotheorum, item ut eſſe in Mediceo libro Politianus idem ſcripſit. IN. HIBERNIS *iniectus mihi uideris*:} hibernorum tempus nondum erat: ſed hibernare Trebatius uidebatur, quia ſe Samarobrina non commouebat. ep. II. 12. & in hac, in extremo. VSQVEQVAQVE *ſapere oportet*.} ubique: quod tu facis: qui tibi optime caues, nec periclitari, quamquam ſis in bello, de uita uis. huius aduerbij uis eadem ſemper eſt. exempla & palam ſunt, & quaedam Cariſius quoque recitat, M. Catonis, C. Gracchi, Frontonis. TELVM} ſummum eſt in ſapientia praeſidium. Serio uidetur hoc dicere, ſed iocatur: quaſi dicat: nae tu rationem tuendae ſalutis tuae optimam iniuiſti: &, quod alij telis acerrimis, id tu ſapientia tua conſequeris. NON. DEFVISSEM:} non negaſſem: obſecutus eſſem. QVIS. TV. ES?} ineptum hominem ſignificat: qui Ciceronem, cui ne notus quidem eſſet, ad cenam inuitaret. ep. 9. HOMO. BELLVS} lepidus, quo uti iucunde quiuis poſsit. *Bellus*, ad formam non refertur, ſed ad quandam uenuſtatem, quae amorem conciliat. ABDVXISSES.} nondum a ioco diſcedit; quamquam dixerit, Extra iocum. nam Abduxiſſes, uidetur eſſe, tecum duxiſſes ut hominem bellum, uoluptatis & laetitiae tuae cauſſa: ſed ualet, ut hominem ineptum, quo minime delectamur. In hac autem ſtructura, Homo bellus eſt, uellem, eum tecũ abduxiſſes: ineſſe quiddam ſentio, quod capiat aures meas: nec id tamen, quale ſit, explicare ſatis queo: cuiuſmodi multa ſunt in Latina lingua, quae malim imitari, quam docere. Huic loco reſpondere uidetur ille ep. 28. lib. X. Quam uellem ad illas pulcherrimas epulas me idibus Mart. inuitaſſes: reliquiarum nihil haberemus. Et ad Att. ep. 22. lib. XV. Gratulor nobis, Quinctum filium exijſſe: moleſtus non erit. IN. ITALIAM} puto me iam dixiſſe, Italiam aliter iure naturae, aliter iuriſdictione terminari: iure naturae, alipibus: iuriſdictione, Rubicone amne: ultra quem incipiebat Ciſalpina Gallia; quae cum tranſalpina, & Illyrico erat in imperio Caeſaris. Dixit igitur Cicero, In Italiam, ideſt, in Ciſalpina Gallia, quo ſe Caeſar quotannis ad conuentus peragendos hieme conferre ſolitus erat. ipſe enim Commentariorum ſuorum lib. I. in extremo, de ſe ipſo ita ſcripſit: In citeriorem Galliam ad conuentus agendos profectus eſt. Et lib. 2. item in extremo: Legionibus in hiberna deductis, in Italiam profectus eſt. Et lib. V. primis uerbis: L. Domitio. Ap. Claudio cos. diſcedens ab hibernis Caeſar in Italiam, ut quotannis facere conſueuerat, legatis imperat, &c. Et lib. VI. in extremo: Vt inſtituerat, in Italiam ad conuentus agendos profectus eſt. Quibus exemplis utendum putaui, ut conſtaret, ab eodem Caeſare modo citeriorem Galliam, modo Italiam uocari eam imperij partem, quae alpibus, & Rubicone amne contineretur. VENTVRI. SITIS} uenerunt: ut Caeſaris uerba lib. VI. quae iam recitaui, demonſtrant. STOICI} qui ſapientis eſſe omnia confirmant: ut in Zenone Laertius oſtendit. Iocus in Trebatium, qui nummatus eſſe poſsit ſine nummis, more ſapientum. CAELO, *& terra frui*} fruuntur autem ſoli ſapientes. Huc illud pertinet ex lib. V. de Fin. Paupertas ſi malum eſt, beatus eſſe nemo poteſt. quamuis ſit ſapiens: at Zeno eum non beatum modo, ſed etiam diuitem dicere auſus eſt. POSTEA *uidero*.} modus loquendi, quo ſignificamus, nondum nobis conſtitutum, ac certum eſſe, quid aliqua de re ſentiamus. ſimile illud ep. 25. Praeter duo nos, loquitur iſto modo nemo: bene, male ne, uidero. Et in ep. 9. lib. IX. ad Att. Si hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, ſincere, temperate, prudenter, ualde uidero. Et lib. I. de leg. Cui tamen ego aſſentiar in omnibus, necne, mox uidero. SVPERBIAM. TVAM} non quod ſuperbus eſſet, ſed quod a nemine conſuleretur. idem iocus ep. 10. lib. I. Qui iſtinc nunc ueniunt, partim te ſuperbum eſſe dicunt, quod nihil reſpondeas, partim contumelioſum, quod male reſpondeas. Reſpondere dicuntur iuriſconſulti, cum ijs, a quibus conſuluntur, de iure oſtendunt, qualis eorum cauſſa ſit, quid uitandum, aut agendum. unde in Bruto: Rutilius magnum munus de iure reſpondendi ſuſtinebat. Et pro Murena: Reſponſa iuriſconſultorum. SED. TAMEN} quamquam nemo te conſulat; hoc tamen laetare, quod iſtuc ueneris, ubi ius ciuile melius, quam tu, nemo calleat. Iocus eſt: nam quae

laus,

laus, Samarobrinae bonum iuriſconſultum uideri? Eiuſdem generis illud ep. 10. Quod ſi in Britanniam quo que profectus eſſes; profecto nemo in illa tanta inſula peritior te fuiſſet. Et lib. I. ep. 10. Ibi, malis eſſe, ubi aliquo numero ſis quam iſtic, ubi ſolus ſapere uideare.

## Argumentum ep. 17.

*GRatulatur Trebatio, quod urbis, urbanarumq. rerum deſiderium aliquando depoſuerit: eumq. cohortatur, ut Caeſaris amicitiam plurimi faciat: quam fore fructuoſam promittit, in ſeq. ipſum recipit. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Trebatio.* 17.

*EX tuis litteris & Quincto fratri gratias egi, & te aliquando collaudare poſſum, quod iam uideris certa aliqua in ſententia conſtitiſſe. nam primorum menſium litteris tuis uehementer commouebar, quod mihi interdum (pace tua dixerim) leuis in urbis, urbanitatisq. deſiderio, interdum piger, interdum timidus in labore militari ſaepe autem etiam, quod a te alieniſſimum eſt, ſubimpudens uidebare. tamquam enim ſyngrapham ad imperatorem, non epiſtolam, attuliſſes, ſic, pecunia ablata, domum redire properabas: nec tibi in mentem ueniebat, eos ipſos, qui cum ſyngraphis ueniſſent Alexandriam, nullum adhuc nummum auferre potuiſſe. Ego, ſi mei commodi rationem ducerem, te mecum eſſe maxime uellem: non enim mediocri afficiebar uel uoluptate ex conſuetudine noſtra, uel utilitate ex conſilio, atque opera tua: ſed, cum te ex adoleſcentia tua in amicitiam, & fidem meam contuliſſes; ſemper te non modo tuendum mihi, ſed etiam augendum, atque ornandum putaui. itaque, quoad opinatus ſum me in prouinciam exiturum; quae ad te ultro attulerim, meminiſſe te credo. poſtea quam mea mutata ratio eſt: cum uiderem me a Caeſare honorificentiſſime tractari, & unice diligi, hominisq. liberalitatem incredibilem, & ſingularem fidem noſſem; ſic ei te commendaui, & tradidi, ut grauiſſime, diligentiſſimeq. potui. quod ille ita & accepit, & mihi ſaepe litteris ſignificauit, & tibi uerbis, & re oſtendit, mea commendatione ſeſe ualde eſſe commotum. Hunc tu uirum nactus, ſi me aut ſapere aliquid, aut uelle tua cauſſa putas, ne dimiſeris: & , ſi qua te forte res aliquando offenderit, cum ille aut occupatione, aut difficultate tardior tibi erit uiſus, perferto, & ultima exſpectato: quae ego tibi & iucunda, & honeſta praeſtabo. Pluribus te hortari non debeo: tantum moneo, neque amicitiae confirmandae clariſſimi ac liberaliſſimi uiri, neque uberioris prouinciae, neque aetatis magis idoneum tempus, hoc ſi amiſeris, te eſſe ullum umquam reperturum. hoc, quemadmodum uos ſcribere ſoletis in ueſtris libris, idem Q. Cornelio uidebatur. In Britanniam te non eſſe profectum, uehementer gaudeo: quod & tu labore caruiſti; & ego te de rebus illis non audiam. Vbi ſis hibernaturus, & qua ſpe aut condicione, perſcribas ad me uelim. Vale.*

## EXPLANATIO

QVINCTO, FRATRI} legato Caeſaris in Gallia. GRATIAS. EGI,} quod officijs te ſuis complectatur. LEVIS} quia, cum iuiſſet ad Caeſarem, ut honeſtatem augeret, facultatesq. ſuas, redire ſtatim ad urbem cupiebat. VRBANITATISQ.} non eſt hic Vrbanitas eadem, quae ep. 7. lib. III. in eo loco: Homo ſumma prudentia, multa etiam doctrina, addo urbanitatem, quae eſt uirtus, ut Stoici putant. Nam hic pro rebus urbanis accipitur. PIGER,} quippe tribunatum contempſerat. ep. 8. SYNGRAPHAM} Syngrapha eſt, in qua ſcribimus, certam nos eſſe alicui pecuniam ſoluturos. Pro Murena: Pergis ne tamquam ex ſyngrapha agere cum populo? AD IMPERATOREM,} ad Caeſarem, a quo pecuniam tamquam e ſyngrapha debitam exigeres, & ſtatim domum redires. ALEXANDRIAM,} ut a Ptolemaeo, Alexandrino rege, pecuniam ſuam, ei Romae creditam, exigerent. Iocatur Cicero in re uera: ut ex oratione pro Poſtumo, in qua etiam ſyngraphae in Albano Pompeij factae nominantur, ſatis conſtat. ijdem Ptolemaei creditores ſignificantur ep. I. lib. I. NVLLVM. NVMMVM} aliquot etiam ex ijs in uincula coniecti: & nudus, egensq. Poſtumus, qui non modo ſuam, ſed amicorum quoque pecuniam expulſo regi crediderat, e regno fugit: ut eadem docet oratio. SI *mei commodi rationem ducerem,*} quod Epicurei faciunt, qui ſuis commodis omnia metiuntur. ep. 12. & lib. III. ep. 9. AVGENDVM, *atque ornandum*} augendum, commodis; ornandum, honoribus. IN *prouinciam*} In Hiſpaniam cum proconſule Pompeio. hac de re uide ep. 5. VLTRO} quod ſummi eſt amoris argumentum. itaque ep. 55. lib. XIII. Cum, inquit, iamdiu diligerem M. Anneium; deq. eo ſic exiſtimarem, ut res declarat; quod ultro ei detulerim legationem, cum multis petentibus denegaſſem. Et in oratione pro Coelio: Puteolani ea non petenti Coelio detulerunt, quae multis petentibus denegarunt. ATTVLERIM,} multis rebus potuit Cicero, ſi legatus cum Pompeio in Hiſpaniam iuiſſet, Trebatio conſulere. quod ipſe ait ep. 5. Trebatium, inquit, cogitaram, quocumque exirem, mecum ducere; ut eum meis omnibus ſtudijs, & beneficijs quam ornatiſſimum do-

mum reducerem. MEA . MVTATA . RATIO} mutaui conſilium. Sic locutus ep. 5. lib. III. Tua ratio poſtea eſt commutata. HONORIFICENTISSIME} ep. 9. lib. I. Caeſaris humanitas, ac liberalitas, breui tempore & litteris, & officijs perſpecta nobis, & cognita. Et ibidem infra: Commemoranda quaedam, & diuina Caeſaris in me, fratremq. meum liberalitas. Et ep. ult. lib. V. ad Att. Perſpice meam cum Caeſare ſuauiſsimam cōiunctionem: qui quidem Quinctum meum, tuumq. dij boni, quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia: non ſecus, ac ſi ego eſſem imperator. INCREDIBILEM,} commemorandam, & diuinam uocauit ep. 9. lib. I. FIDEM} qui, quos ſemel in amicitiam ſuam recepit, numquam deſerit. COMMENDAVI,} ep. 5. ET . TRADIDI,} plus eſt, quam Commendaui. ep. 5. Totum denique hominem tibi trado, de manu, quod aiunt, in manum iſtam tuam, &c. GRAVISSIME,} grauiſsimis uerbis, ſummum amorem, ac ſtudium declarantibus. DILIGENTISSIMEQ.} ſic, ut nihil praetermiſerim. ACCEPIT,} ita te eſt complexus, ut ego te grauiter commendaui. HVNC *tu uirum nactus*,} ep. 7. Imperatorem habes liberaliſsimum. SI *me aut ſapere aliquid, aut uelle tua cauſſa putas*,} ſi me nec iudicio falli, & fideliter tibi ſuadere exiſtimas. DIFFICVLTATE} quae ſit in ea re, quam conſequi cupies. IVCVNDA, *& honeſta*} iucunda quaedam ſunt, ab honore ſeiuncta: ideo addidit, Et honeſta: ſicuti ep. XI. coniunxit honeſtatem, & facultates. iucunda igitur, & honeſta, pro, utilia, & honorifica. non enim hic, Honeſta, ualet, recta. PRAESTABO.} aliter tamen ſcripſit ad Q. fr. ep. I. lib. III. Trebatium, ait, ad Caeſarem miſi: qui mihi iam ſatisfecit: ſi ipſi minus, praeſtare nihil debeo. CONFIRMANDAE} iam enim eſt inſtituta, commendatione mea grauiſsima, ac diligentiſsima. VBERIORIS *prouinciae*,} hoc eſt, quod Suetonius de Caeſare ſcriptum reliquit: Ex omni prouinciarum copia Gallias potiſsimum elegit, cuius emolumento, & opportunitate idonea ſit materia triumphorum. AETATIS} ipſius Trebatij. ep. 7. Aetatem habes opportuniſsimam. HOC . SI . AMISERIS,} ep. 7. Vt tibi unum timendum ſit, ne ipſe tibi defuiſſe uideare. IN . VESTRIS . LIBRIS,} dixi iam, ſolitos eſſe ueteres iuriſconſultos ſuae ſententiae pondus addere, aliorum iuriſconſultorum adſcripto iudicio. uide ep. 10. Idem & Mucio, & Manilio placebat. Q. CORNELIO} Trebatij magiſtro. ep. 8. LABORE} militari, quem ſoles uitare tum pigritia, tum timore. Paullo ante in hac ipſa epiſtola dixit, Interdum piger, interdum timidus in labore militari. NON . AVDIAM.} gloriantem de rebus a te geſtis. Feſtiua iocatio. QVA . SPE, AVT . CONDICIONE,} ſpe, futuri; condicione, praeſentis commodi.

---

# Argumentum ep. 18.

*Laudat Trebatium, quod uideretur certa aliquando in ſententia conſtitiſſe, & uelle in militia permanere. Tum iocatur in eius parcimoniam, quia ſcripſerat in palimpſeſto. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Trebatio.* 18.

ACCEPI *a te aliquot epiſtolas uno tempore, quas tu diuerſis temporibus dederas: in quibus me cetera delectarunt: ſignificabant enim te iſtam militiam iam firmo animo ferre, & eſſe fortem uirum, & conſtantem: quae ego paulliſper in te ita deſideraui non imbecillitate animi tui, ſed magis ut deſiderio noſtri te aeſtuare putarem. quare perge, ut coepiſti: forti animo iſtam tolera militiam. multa, mihi crede, aſſequere: ego enim renouabo commendationem, ſed tempore. ſic habeto, non tibi maiori eſſe curae, ut iſte tuus a me diſceſſus fructuoſiſſimus tibi ſit, quam mihi. itaque, quando ueſtrae cautiones infirmae ſunt, Graeculam tibi miſi cautionem chirographi mei. Tu me uelim de ratione Gallici belli certiorem facias: ego enim ignauiſſimo cuique maximam fidem habeo. Sed, ut ad epiſtolas tuas redeam, cetera belle: illud miror: quis ſolet eodem exemplo plures dare, qui ſua manu ſcribit? Nam, quod in palimpſeſto, laudo equidem parcimoniam: ſed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, quam haec ſcribere: niſi forte tuas formulas: non enim puto te meas epiſtolas delere, ut reponas tuas. an hoc ſignificas, nihil fieri, frigere te, ne chartam quidem tibi ſuppeditare? iam iſta tua culpa eſt, qui uerecundiam tecum extuleris, & non hic nobiſcum reliqueris. ego te Balbo, cum ad uos profiſciſcetur, more Romano commendabo. Tu, ſi interuallum longius erit mearum litterarum, ne ſis admiratus. eram enim abfuturus menſe Apr. Has litteras ſcripſi in Pontino, cum ad uillam M. Aemilij Philemonis diuertiſſem: ex qua iam audieram fremitum clientium meorum; quos quidem tu mihi conciliaſti. nam Vlubris, honoris mei cauſſa, uim maximam ranunculorum ſe commoſſe conſtabat. Cura ut ualeas. VI. idus Apr. de Pontino.*

EPISTOLAM *tuam, quam accepi ab L. Arruntio, conſcidi innocentem: nihil enim habebat, quod non uel in concione recte legi poſſet. ſed & Arruntius ita te mandaſſe aiebat, & tu adſcripſeras. uerum illud eſto. nihil te ad me poſtea ſcripſiſſe, demiror, praeſertim tam nouis rebus.*

EXPLA-

# EXPLANATIO

DIVERSIS *temporibus*} eodem tamen omnes exemplo, ut infra cognoſcitur. CETERA *de-*
*lectarunt*:} hoc pendet uſque ad illud, quod eſt infra: Cetera belle: illud miror. FORTEM}
non, ut antea uidebare, timidum. ep. 17. AESTVARE} aeſtus eſt commotio uel in igne, uel in aqua, uel
per tranſlationem in animo. TEMPORE.} cum opus erit. Tempore, & Tempori, duobus caſibus,
dicitur; ut e Cicerone, Plauto, & alijs cognoſcitur. VESTRAE *cautiones infirmae ſunt*,} tuum iſtic
artificium tibi parum prodeſt: friget enim in bello ius ciuile. ep. 13. Tantum metuo, ne iſtic artificium
tuum tibi parum proſit. Et ep. 16. Qui iſtinc ueniunt, ſuperbiam tuam accuſant, quod negent te percun-
ctantibus reſpondere. Occaſionem dubitandi in uerbo, Cautiones, nonnulli attulerunt, affirmantes in
antiquis libris eſſe, Cauſationes. Ego in meis omnibus, qui ſunt undecim, plane uideo ſcriptum, Cau-
tiones. GRAECVLAM *cautionem chirographi mei*.} litteras commendaticias ad Caeſarem Graece
ſcriptas mea manu. ſic enim malo, quam, Graecis miſtas uerſibus. Cautionem appellat, quod ita utilis ei
futura eſſet illa commendatio, ut iuriſconſultorum cautiones ijs utiles eſſe ſolent, a quibus de iure conſu-
luntur. ſic ep. 13. Vt ego quoque, inquit, te de noſtris cautionibus admoneam; Treuiros uites, cenſeo.
GALLICI *belli*} uidetur iam abſolutum eſſe bellum Britannicum: de quo in ſuperioribus epiſtolis.
IGNAVISSIMO *cuique*} fortes enim rem gerunt: ignaui ſpectant, & ſingula notare ſolent: itaque
narrantibus ignauis maior habenda fides eſt, quam fortibus. CETERA *belle*:} redit ad id, quod
coeperat dicere, In quibus me cetera delectarunt. QVIS *ſolet eodem exemplo*} miror, inquit, cum
tua manu ſcribas, eodem exemplo plures a te epiſtolas mitti. Hinc licet conijcere, epiſtolas illas, quas Ci-
cero ſe diuerſis temporibus accepiſſe dixit, eodem exemplo omnes fuiſſe. IN. PALIMPSESTO,}
Palimpſeſtus, membrana fuit iterum abraſa, ut aliquid rurſus in ea ſcriberetur. unam autem ex illis epiſto-
lis, non omnes, in palimpſeſto ſcripſerat Trebatius. CHARTVLA} palimpſeſto. breuem epiſtolam
fuiſſe conſtat, quae ſcripta fuerat in palimpſeſto. QVAM. HAEC. SCRIBERE:} Cum in hoc loco
diuerſis temporibus innumerabiles prope inſpexerim ueteres libros, omnes tamen conſentire animaduer-
ti: quo magis adducor, ut diſſentiam a Bernardino Rutilio, qui primus legendum arbitratus eſt, Quam
haec non ſcribere. At ſententia poſtulare negantem particulam uidetur. Eſto: quis praeſtabit, numquam
falli nos in eo, quod uidetur? quod ſi mutandum; quod facile conceſſerim; & ego ipſe in emendandis li-
bris uti coniectura interdum ſoleo: mutatio modica ſit, quaeq. a litterarum ſimilitudine non diſcedat.
itaque crederem, non abſurde legi poſſe, Quam exſcribere. diuinat enim Cicero, quod ex illa chartula de-
letum ſit, exſcriptum non eſſe: ſiquidem, qui ſcribit in palimpſeſto, chartae laborat inopia: itaque delere
mauult, quam exſcribere. Haec ita opinabar, ut mihi ipſe nec placerem ualde, nec omnino diſplicerem.
FORMVLAS:} Formulae ſunt ea, quae iuriſconſulti litigantibus praeſcribunt, ne cauſſa cadant: quae
Cautiones etiam dicuntur. ſunt & quaedam quaſi normae iudiciorum, aeque omnibus obſeruandae, ut
formula fiduciae, ep. 12. & Aquillij formulae de dolo malo, lib. 2. Off. & dati damni formula, apud Pli.
lib. IX. cap. 59. Ex hoc genere non fuere Trebatij formulae, ſed ex illo ſuperiore, cum ſcribebantur, ho-
dieq. ſcribuntur, clientibus in re controuerſa. NON. ENIM. PVTO} per iocum ſignificat, pluris
eſſe epiſtolas ſuas, quam formulas Trebatij. FRIGERE. TE,} nullum te iſtic fructum capere e ſcien-
tia iuris ciuilis. ep. XI. Sin autem iſta frigebunt, recipias te ad nos. SVPPEDITARE?} neutrum
abſolutum, ut in oratione pro Scauro: Vndique mihi ſuppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quo-
cumque non modo mens, uerum etiam oculi inciderint. Et lib. I. Off. Studeat parare ea, quae
ſuppeditent & ad uictum, & ad cultum. Cum agendi uero ſignificatione notius eſt, quã ut exempla requiran-
tur. TECVM *extuleris*,} nam, ſi eam tecum non attuliſſes, ſiue uerecundia peteres: nunc, quia te pudor
a petendo deterret, nihil accipis. Haec quoque per iocum. nam ep. 5. pudorem in laude poſuit, cum dixit:
Meliorem uirum, pudentiorem eſſe neminẽ. Et ep. 7. Multum in eo te frater adiuuabit meus, multum Bal-
bus, ſed, mihi crede, tuus pudor, & labor plurimum. MORE *Romano*} grauiſsime, & diligentiſsime.
ep. 5. METRILII *Philemonis*} ueteres libri nonnihil diſſentiunt: alij enim, Metilli, alij Meuilij, alij
Metrinij, alij aliter habent. ſuſpicatus ſum adoleſcens, neque nunc muto ſententiam, legendum eſſe, M. Ae-
milij Philemonis: ut ſit libertus Aemiliae gentis, & is fortaſſe, de quo Pedianus haec in argumento oratio-
nis pro Milone: Munatius Plancus tribunus pl. produxerat in concionem M. Aemilium Philemonem, no-
tum hominem, libertum M. Lepidi. IAM *audieram*} quia non longe aberant. FREMITVM} cum
ad ſalutandum patronum ſuum Ciceronem ire uellent honoris cauſſa. CLIENTIVM *meorum*;} clien-
tes ſuos Trebatius, in Galliam proficiſcens, Ciceroni commendauerat. ideo ſequitur: Quos tu mihi con-
ciliaſti. & ep. 12. Quid fiet populo Vlubrano, ſi tu ſtatueris, πολιτεύεσθαι non oportere? VLVBRIS,}
Vlubrae, opidum non celebre. uicum deſertiſsimum appellat Porphyrio in ep. XI. lib. I. VIM *maximam*}
maximum numerum. nota ſignificatio. RANVNCVLORVM} quia paludes Vlubris propinquae, ra-
nunculos uocauit Vlubrarum incolas, iocans in Trebatij clientes. ARRVNTIO,} ſic ſcribitur hoc no-
men in antiquis lapidibus. INNOCENTEM:} cum in ea nihil ſcriptum eſſet, quod ſi efferretur, noce-
re tibi poſſet. TAM *nouis rebus*.} geſtis a Caeſare in Gallia: quae leguntur in ipſius Commentarijs.

# Argumentum ep. 19.

*Poſt obitum Caeſaris, M. Antonio, P. Dolabella coſ. cum ciuitas reſpiraſſe, & quaſi reuixiſſe reſp. uideretur; repente Kalendis Iun. Antonij conſulis culpa, ita mutata ſunt omnia, ut boni uiri tum de ſtatu reip. tum de ſua quiſque ſalute uehementer timere cogerentur. quae cum Cicero uidiſſet; deſperata libertate, conſilium cepit in Graeciam proficiſcendi, diſceſsitq. ea mente, ut adeſſet Kalendis Ian. quod initium cogendi ſenatus, Panſa & Hirtio conſulatum ineuntibus, fore uidebatur. hanc rem attingit Cicero ep. 1. lib. x. & ep. 25. lib. xii. & in Philippica i. & lib. iii. Off. Cum igitur in Graeciam proficiſcens Veliam perueniſſet; ab ipſa urbe, Trebatij amantiſsima, admonitus, Topicorum librum ſcripſit, de quo iam rogatus erat a Trebatio, cum in Tuſculano ſimul eſſent. id ſignificat in hac epiſtola: Topica uera ipſa obſcuriora eſſe dicit, nec legenda ſine interprete: exercitationem eſſe neceſſariam, ſi expeditam in quaeſtionibus habere doctrinam uelit. Hanc epiſtolam poſt ſequentem ſcriptam eſſe, adſcripta utrique dies oſtendit.*

## *Cicero S. D. Trebatio.* 19.

VIDE, *quanti apud me ſis. etſi iure id quidem: non enim amore te uinco. uerumtamen, quod praeſenti tibi prope ſubnegaram, non tribueram certe, id abſenti debere non potui. itaque, ut primum Velia nauigare coepi, inſtitui Topica Ariſtotelica conſcribere, ab ipſa urbe commonitus amantiſſima tui. eum librum tibi miſi Rhegio, ſcriptum quam planiſſime res illa ſcribi potuit. ſin tibi quaedam uidebuntur obſcuriora; cogitare debebis,* NVLLAM *artem litteris ſine interprete, & ſine aliqua exercitatione percipi poſſe. non longe abieris; num ius ciuile neſtrum ex libris cognoſci poteſt? qui quamquam plurimi ſunt, doctorem tamen, lumenq. deſiderant. quamquam tu, ſi attente leges, ſi ſaepius, per te omnia conſequere, ut certe intelligas. ut uero etiam ipſi tibi loci, propoſita quaeſtione, occurrant, exercitatione conſequere: in qua quidem nos te continebimus, ſi & ſalui redierimus, & ſalua iſta offenderimus. Vale. v. Kal. Sext. Rhegio.*

## EXPLANATIO

PRAESENTI *tibi*} in Tuſculano. uide prooemium Topicorum. PROPE *ſubnegaram, non tribueram certe,*} cum Trebatius diſciplinam, & rationem peteret inueniendorum argumentorum; hortatus eſt eum Cicero, uel ut Ariſtotelis Topica per ſe ipſe legeret, uel ut a doctiſsimo quodam rhetore totam illam rationem acciperet. Hoc eſt, quod ait: Prope ſubnegaram. Vide prooemium Topicorum. DEBERE *nō potui.*} id uolui perſoluere. Quod ab amicis petitur, id, donec tribuamus, deberi a nobis dicimus: cum uero, id omnino a nobis tribuendum, ſignificare uolumus, deberi non poſſe dicimus. exemplum eſt hac ipſa de re in Topicorum prooemio, & ep. 2. lib. iv. ad Att. Oratio iuuentuti noſtrae deberi non poteſt. Et lib. iii. de Orat. An me tam impudentem eſſe exiſtimatis, ut hoc praeſertim munus putem diutius poſſe deberi? Et Tuſc. 2. in extremo: Sed tibi hoc uideo non poſſe deberi. ARISTOTELICA} quod in eum librū praecepta Ariſtotelis multa tranſtulit. nonnulla tamen addidit de ſuo. AB IPSA *urbe commonitus,*} ſimiliter ep. xi. lib. 2. Mihi magnae curae eſt aedilitas tua. ipſa dies me admonebat. ſcripſi enim haec ipſis Megalenſibus. Quo loco uide quae diximus. AMANTISSIMA *tui.*} uel quod Trebatius Veliae notus: uel quod ibi poſſeſsiones, a patre relictas, haberet. RHEGIO,} ſcribendum cum adſpiratione: dictum enim ἀπὸ τῶ ῥαγῶναι, ait Strabo, lib. vi. LITTERIS} ex ipſis tantum litteris, & quaſi muto libro. NON *longe abieris.*} non longe petantur exempla, DOCTOREM *tamen, lumenq.*} qui doceat, & illuſtret ea, quae obſcuriora ſunt. Dixit iam: Sin tibi quaedam uidebuntur obſcuriora. Et cum negauerit ullam artē ſine interprete, & ſine exercitatione aliqua litteris poſſe percipi: hic pro interprete doctorem nominat: de exercitatione autem ſubiunget iis uerbis: Vt uero etiam ipſi tibi loci, propoſita quaeſtione, occurrant, exercitatione conſequere. Veteres libri non conſentiunt. duo habent, Lumenque, quos ſecutus ſum: alij uarie, Viuumque, Vnumquemque, Nonnumquam. PER TE} ſine doctore. VT CERTE} ſi non omnia,

Pp hoc

hoc certe,ut intelligas, conſequere. Notanda uis uocabuli,quam & Ter.indicat in Andr. Atque aliquis di-
cat: nihil promoueris. Multum: moleſtus certe ei fuero, atque animo morem geſſero. Ipsi *loci*} ſedes
argumentorum. In Topicis: Vt earum rerum, quae abſconditae ſunt, demonſtrato & notato loco facilis
inuentio eſt: ſic,, argumentum aliquod perueſtigare cum uolumus, locos noſſe debemus. Sic enim appella-
tae ab Ariſtotele ſunt eae quaſi ſedes, unde argumenta promuntur. itaque licet definire, locum eſſe argu-
menti ſedem; argumentum autem, rationem, quae rei dubiae faciat fidem. Nos *te continebimus*,} poſt
oppreſſam remp. contulit ſe Cicero ad domeſticas exercitationes; ne facultas dicendi, ante parta in foro,
exareſceret.ep.18. lib.ix. Redierimvs,} e Graecia: cogitabat enim adeſſe Romae Kalendis Ian.
Salva *iſta*} res urbanas, quas peſsime affectas relinquebat; ut in argumento oſtendimus. Rhegio.}
unde diſcedens, librum Topicorum Trebatio mittebat. dixit enim: Eum librum tibi miſi Rhegio.

## Argumentum ep. 20.

*SCribit de amore Velienſium in Trebatium: & hortatur, ne paternas poſ-ſeſsiones uendat, quae, tam miſeris temporibus, perfugium eſſe poſsint. Adſcripta dies indicat, ante ſuperiorem datam eſſe.*

### *Cicero S. D. Trebatio.* 20.

AMabilior *mihi Velia fuit, quod te ab ea ſenſi amari, ſed quid ego dicam te, quem quis non amat? Rufio medi ſfi lius tuus ita deſiderabatur, ut ſi eſſet unus e nobis. ſed ego te non reprehendo, qui illum ad aedificationem tuam transduxeris. quamquam enim Velia non eſt uilior, quam Lupercal: tamen iſtuc malo, quam haec omnia. tu, ſi me audies, quem ſoles, has paternas poſſeſſiones tenebis, (neſcio quid enim Velienſes uerebantur) neque Heletem, nobilem amnem, relinques; nec Papirianam domum deſeres: quamquam illa quidem habet lucum, a quo etiam aduenae teneri ſolent: quem tamen ſi excideris, multum proſpexeris. ſed in primis opportunum uidetur, his praeſertim temporibus, habere perfugium primum eorum urbem, quibus carus ſis, deinde etiam tuam domum, tuoſq. agros, eaq. remoto, ſalubri, amoenoq. loco: idq. etiam mea intereſſe, mi Trebati, arbitror. ſed ualebis; meaq. negotia uidebis; meque, dijs iuuantibus, ante brumam exſpectabis. Ego a Sex. Fabio, Niconis diſcipulo, librum abſtuli* Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. *O medicum ſuauem, meq. docilem ad hanc diſciplinam. ſed Baſſus noſter me de hoc libro celauit; te quidem non uidetur. Ventus increbeſcit. Cura ut ualeas.* XIII. *Kal. Sext. Velia.*

## EXPLANATIO

RVfio *tuus*} Rufionem Trebatij gentilem fuiſſe, didici ex hoc antiquo lapide, qui eſt Romae ad portam Latinam.

C. VIBIVS. C. F. MACER. C. TREBATIVS. RVFIO. FACIVND. CVRAVERVNT

Aedificationem *tuam*} aedificabat Trebatius in regione Lupercali proxima. Lvpercal:} locus, ubi lupa Romulum & Remum aluit infantes. Heletem,} ueteres libri omnes, Haletem: ſed Strabone lib.vi.& ep.6.lib.xvi.ad Att. apparet legendum eſſe, Heletem. Nobilem *amnem*,} quia Veliam ab eo nomen accepiſſe traditum eſt. Strabo. Papirianam} emptam de Papirio quodam a Trebatio, uel ab eius patre. Lvcvm,} ſunt, qui Lucum, ideo male legi credant, quod neque luci capax eſſet priuata domus; & luci, quia ſacri, non ſine ſcelere incidi poſſent. Vtraque ratio parum firma. primum enim, lucum illum non intra aedes Trebatij, ſed ante eas fuiſſe, licet exiſtimare: deinde, ne Cicero putetur impie ſenſiſſe, qui eum a Trebatio caedi uellet; docet M. Cato, quo modo recte, & ſine piaculo caedi lucus poſsit. Quod attinet ad ueteres libros; unum tantum uidi, in quo eſt, Lacum. reliqui omnes habent, Locũ. ex quo, Lotum, quidam legere maluerunt. quam coniecturam probare non poſſum; cum proxime ſequatur, A quo: quod certe ad arborem lotum referri poſſe, nemo dixerit. Praeterea, luco magis, quam unius arboris umbra, uel forma teneri aduenas, credibile eſt. quod ideo dico, quia ſequitur, A quo etiam aduenae teneri ſolent. Iam illud, Multum proſpexeris, aptius pertinere arbitror ad lucum, quam ad arborẽ. magis enim proſpectum lucus impedit, quam arbor: cum praeſertim, Proſpexeris, intelligendum uideatur, e totis aedibus, non ex uno tantum cubiculo, aut una aedium parte. Videbis;} pro, curabis. ep. 1. lib.5. ad Att. Statius anteceſſerat, ut prandium nobis uideret. Diis *iuuantibus*,} ſic locutus, & in Phil.3. Ante *brumam*} cogitabat eſſe Romae Kalendis Ian. Phil.1. Ea mente diſceſsi, ut adeſſem Kalendis Ian. quod initium ſenatus cogendi fore uidebatur. Bruma dictus eſt breuiſsimus Decẽbris menſis dies, ſolis hiemale ſolſtitium. Feſtus. Niconis} medici. Abstvli} Veliae. Περὶ πολυφαγίας:} de edacitate. Docilem} in illo, opinor, libro, documenta inerant, quo modo, incolumi ualetudine,

plurimum

plurimum edi poſſet. INCREBESCIT.} flare incipit uehementius. creber enim uenti ſpiritus magis intendit uela, quam rarus. Quaeſtio eſt, utrum dici debeat, Increbeſco, an Increbreſco, & Increbuit, an Increbruit. Ego ſequor ſimilitudinem. nam quia ruber, & creber eodem plane modo deſinunt; & a ruber fit uerbum rubeo; a cuius deinde ſecunda perſona, addita ſyllaba co, fit rubeſco: ſic a creber deductum eſt inuſitatum hodie uerbum, crebeo; a cuius item ſecunda perſona factum eſt crebeſco, unde Increbeſco. non enim me mouent nigreſco, & macreſco: quia deducuntur a nigreo, & macreo: cum rubeſco non a rubreo, ſed a rubeo deriuetur; & cum rubeſco, & erubeſco maiorem habeat ſimilitudinem cũ increbeſco, quam cum ceteris uerbis, quippe cum a ſimillimis nominibus, creber, & ruber deducantur. Nam, quod aiunt uiri docti, ideo ſcribendum, increbreſco, quod a nominibus ijs, quorum patrius caſus exit in ri, ut integri, ſacri, fiat integrare, ſacrare: oſtendi iam, ſic excipi ab hac regula increbeſco, ut excipitur erubeſco. Quod autem ijdem affirmant, rubeſco, unde fit erubeſco, non a rubro, ſed a rubore formari, ut palleſco a pallore, puteo a putore, feteo a fetore, candeo a candore, caleo a calore: argumentum componitur ex diſsimilibus. nam illa, puteo a putore, feteo a fetore, candeo a candore, caleo a calore, ſimilia ſunt, & recte dicuntur: at, palleſco a pallore, non eodem modo recte dicitur. fit enim palleſco a palleo, palles: & palleo a pallore. itidẽq. rubeſco, a rubeo, rubes: & rubeo a rubore. VELIA.} cum in Graeciam iret.

---

## Argumentum ep. 21.

*Silij, cauſſam, uiri optimi, amici ſui, Trebatio commendat. Incertus uidetur annus epiſtolae: ego tamen ſuſpicor eſſe ſcriptam, quo anno Caeſar necatus eſt. Suſpicor autem ex mentione Q. Caepionis praetoris: qui, niſi fallor, eſt M. Brutus, is, qui in Caeſarem coniurauit. geſsit enim praeturam eo anno, ut ex hiſtoricorum libris, & ep. 2. & 3. lib. 2. cognoſcitur: & Q. Caepio uocatur in Phil. x. quod erat, ut arbitror, adoptatus ab auunculo Q. Seruilio Caepione; quem nominat Plutarchus in Catone Vticenſi.*

### *Cicero S. D. Trebatio.* 21.

SILII *cauſſam te docui. is poſtea fuit apud me. cum ei dicerem tibi uideri, ſponſionem illam nos ſine periculo facere poſſe,* SI *bonorum Turpiliae poſſeſſionem Q. Caepio praetor ex edicto ſuo mihi dedit: negare aiebat Seruium tabulas teſtamenti eſſe eas, quas inſtituiſſet is, qui factionem teſtamenti non habuerit: hoc idem Offilium dicere: tecum ſe locutum negabat: meq. rogauit, ut ſe, cauſſamq. ſuam tibi commendarem. Nec uir melior, mi Teſta, nec mihi amicior P. Silio quiſquam eſt, te tamen excepto. gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi ad eum ultro ueneris, eiq. pollicitus eris, ſed, ſi me amas, quamprimum. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

SILII} ad quem ſunt epiſtolae lib. XIII. SPONSIONEM *illam*} ne boni uiri litibus iniuſtis pro aliena libidine uexarentur; cogebatur & is, qui de aliqua re, tamquam ſibi debita, uerbi gratia de hereditate, litem intenderet, & is, qui infitiaretur, promittere, ſe daturum, niſi iudicio uinceret, certam pecuniam aduerſario: ut, eo metu iniecto, reprimeretur litigando libido. haec actio uocabatur Sponſio: quia Spondere eſt promittere. Simile erat, non tamen idem, ſacramento contendere. nam pecunia utrimque deponebatur apud pontificem: ut is, qui cauſſa cecidiſſet, duplici damno afficeretur, primum amiſſae litis, deinde pecuniae litis cauſſa depoſitae. qui uicerat, ſuam pecuniam auferebat: uicti pecunia in rebus diuinis conſumebatur. In ſponſione ſimiliter pecunia deponebatur: ſed exitus non idem, qui in ſacramento, erat. nam, qui ſponſione uicerat, non modo ſua, ſed aduerſarij quoque pecunia potiebatur. in ſacramento autem ſuam tantum pecuniam uictor auferebat: uicti redibat ad aerarium, ut ait Varro. Sed de ſacramento infra, in ep. 32. SPONSIONEM *illam*} quae ſequitur, Si bonorum Turpiliae, &c. NOS.} Silium. Nos, dicit, tamquam ageretur de ſua re. SINE *periculo*} quod enim is, qui litem infert, probari a ſe poſſe putat, id in ſponſione pronunciat. itaque uidendum, quibus uerbis ſponſionem faciat. SI *bonorum Turpiliae poſſeſsionem Q. Caepio praetor ex edicto ſuo mihi dedit:*} hereditatem ſibi a Turpilia relictam Silius ex edicto praetoris acceperat. uocatus in iudicium a Turpilio propinquo, eandem hereditatem repetente, quia Turpiliae factionem teſtamenti fuiſſe negaret, ſponſionem facere cogebatur: de qua conſuluit peritiſſimos iuriſconſultos, Ser. Sulpicium, & Offilium: &, cum Trebatij quoque ſententiam ſcire uellet, Ciceronis opera uſus eſt. Videtur autem pro, Si, legendũ Ni: ut ita ſponderet Silius: Ni bonorum Turpiliae poſſeſsio-

nem Q. Caepio praetor ex edicto ſuo mihi dedit, ſpondeo me daturum aduerſario tantum pecuniae, quantum in ſponſionibus promitti ſolet. Reliquae quoque ſponſiones eodem modo incipiebant, ut illa in oratione in Piſonem: Cum ego eum Coelimontana porta introiſſe dixiſſem, ſpõſione, me, Ni Eſquilina introiſſet, homo promptus laceſsiuit. Et in Verrem lib. v. Rubrius Apronium ſponſione laceſsiuit, Ni Apronius dictitaret, te ſibi in decumis eſſe ſocium. Et alibi. SERVIVM} Sulpicium, principem iuriſconſultorũ, ut ait Cicero in Bruto. INSTITVISSET} feciſſet. FACTIONEM *teſtamenti*} ius faciendi teſtamenti. Ita locutus in Topicis. Et Digeſt. lib. XXIIX. tit. qui teſtamentum facere poſſunt, l. 3. Teſtamenti factio, inquit Labeo, non priuati, ſed publici iuris eſt. OFFILIVM} clarum iuriſconſultum, de quo Pomponius de Origine iuris. TESTA,} cognomen Trebatij. ep. 13. 22. VENERIS,} in urbe uidetur fuiſſe Trebatius, extra urbem Cicero.

## Argumentum ep. 22.

*Probat auctoritate iuriſconſultorum, quod dixerat dubitari, poſſet ne heres, quod furtum antea factum eſſet, recte furti agere. Scriptam opinor eodem anno, quo ſuperiorem proximam.*

### *Cicero S. D. Trebatio.* 22.

ILLVSERAS *heri inter ſcyphos, quod dixeram controuerſiam eſſe, poſſet ne heres, quod furtum antea factum eſſet, recte furti agere. itaque, etſi domum bene potus, ſeroq. redieram: tamen id caput, ubi haec controuerſia eſt, notaui, & deſcriptum tibi miſi: ut ſcires, id, quod tu neminem ſenſiſſe dicebas, Sex. Aelium, M. Manilium, M. Brutum ſenſiſſe. Ego tamen Scaeuolae, & Teſtae aſſentior. Vale.*

## EXPLANATIO

ILLVSERAS *heri inter ſcyphos,*} Scyphus uas potorium fuit. Tibullus el. 10. lib. 1.

„ -- Nec bella fuerunt,
„ Faginus adſtabat cum ſcyphus ante dapes.

Macrobius lib. v. Herculis ait poculum fuiſſe, ut Liberi patris Cantharum: & Virgilium Graeca poculorum nomina poſuiſſe, carcheſia, cymbia, cantharos, ſcyphos. Scyphos aureos conuiuis appoſuit Claudius Caeſar. uitreis in priuata menſa Ciceronem, ac Trebatium uſos eſſe, credibile eſt. Incertae menſurae fuit: nam ſcyphos capaciores Horatius, & in Claudij uita Trebellius Pollio trilibres nominat duos Claudio a Galieno donatos. quo patet, minoris etiam menſurae fuiſſe. Vaſa autem uinaria menſurae fuerunt uel certae, uel incertae: certae, ut culeus, amphora, urna, congius, ſextarius, hemina, cyathus. culeus capit amphoras uicenas, amphora urnas duas, urna congios quattuor, congius ſextarios ſex, ſextarius heminas duas, hemina cyathos ſex, cyathus unciam & beſſem. quae ſi ad eorum uaſorum, quibus hodie Romae utimur, menſuram redigantur; culeus barilium decem erit; quae fortaſſe ueteris bottae Romanae menſura fuit: amphora dimidium barilis capiet: urna quartam barilis partem: congius buccalia duo: ſextarius tertiam partem buccalis: hemina foliettae duas tertias capit. Incertae menſurae dolium; unde in uaſa minora uinum diffundebatur; quo uſus commodior eſſet: nam dolia loco non mouebantur: item cadus, ſeria, cupa, lagena, (ſi tamen a lagyno differt, quod Athenaeus lib. XI. capere ait duodecim choas Atticas) praeterea, cirnea, crater, ſcyphus, calix, cymbium, culullus, patera, cantharus, alia. Bottis noſtratibus Romae olim non utebantur, ſed uina dolijs fictilibus aſſeruabant. circa Alpes tantum, frigidiſsima caeli plaga, ligneis uaſis, quae cingulis cingerentur, uinum condi ſolitum, Plinius ait. nam cupa lignea quidem, ſed inter minora uaſa uidetur fuiſſe, quibus non diu cuſtodiendum, ut dolijs, ſed aſsidue promendum, uinum reponeretur. quod illud Ciceronis in Piſionem declarat: Panis, & uinum a propola, atque de cupa. Et illud Naeuij apud Nonium: Duas cupas mero plenas exhauſit. quamquam aduerſari uidentur illa Plinij uerba lib. XXIII. c. 2. Vini faeci tanta uis eſt, ut deſcendentes in cupas enecet. Hinc enim licet opinari, magnum uas fuiſſe. nec diſſentit Lucanus, cum ait: Namque ratem uacuae ſuſtentant undique cupae. Vlpianus quoque dolia cum cupis ſimul nominat. Cupa uero, a Catone nominata, diuerſum quiddam eſt. RECTE *furti agere.*} haberet ne actionem aduerſus eum furem, qui furatus eſſet ante quam ipſe heres eſſet. ideo enim dubitari poteſt, quia non uidetur heres ea, tamquam ſua, poſſe repetere, quae nondum ad eum hereditario iure perueniſſent. Sed controuerſiam tollunt Paulli uerba, ueteris iuriſconſulti. Si dominium, inquit, rei ſubreptae quacumque ratione mutatum ſit, domino furti actio competit, ueluti, heredi, & bonorum poſſeſſori, & patri adoptiuo, & legatario. BENE *potus*,} Bene, pro ualde, ut ep. 16. Bene nummatum: & Aſinius ep. 32. lib. x. Bene peculiatus. SEX. *Aelium*,} acutum hominem: unde ab Ennio catus uocatus eſt in illo uerſu, Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus. lib. I. de Orat. ibidem lib. III. & in Bruto, & in Tuſc. I. & Varro lib. VI. & Pomponius de Origine iuris. M. MANILIVM,} opinor huius Manilij praenomen fuiſſe Manius, quod ita ſcribebatur, M'. unde fluxit error, ſimilitudine litterarum, & prae-

nominis

nominis ignoratione. In faſtis etiam. Capitolinis, anno 604. uideo conſulem eſſe M'. Manilium. nominatur lib. I. de Orat. & ibidem lib. III. & in Bruto, & apud Pomponiũ de Origine iuris, & alibi. M. BRVTVM} qui ſeptem libros, ut ait Pomponius, reliquit. SCAEVOLAE, *& Teſtae*} Trebatium ſuis cognominibus appellat. Teſta enim uocatur ep. 13, & 21. Scaeuola uero ep. 14. ad Att. lib. IX. Iocatur Cicero, & poſt uerbum, Scaeuolae, addit copulam, Et: ut uideatur de duobus loqui, cum de uno loquatur. Aut dic, P. Mucium ſignificari, quem & lib. I. de Fin. cum Manilio, & Bruto nominat: eoſque uocat principes ciuitatis. niſi ſi Mucium Scaeuolam illum notat, de quo ep. 10.

---

## Argumentum ep. 23.

*Signa quaedam Ciceroni, pictas potius tabellas cupienti, Gallus emerat. ex illis emptionibus nullam a ſe deſiderari, Cicero reſcribit. Tum ſubiungit, ſibi eſſe uehementer gratum, quod proximam domum cupiat conducere. Incertus epiſtolae annus. non enim ſcripta uideri poteſt eodem tempore, quo illae ad Atticum libro primo, in quibus item de ſignis agitur. nam illae ante conſulatum, quod probauimus olim in Commentarijs, haec uero poſt conſulatum ſcripta. quod, opinor, illa uerba ſatis oſtendunt: Martis uero ſignum, quo mihi, pacis auctori? Praeterea, de Tulliola, tamquam nupta, in hac mentio fit: illae uero, nondum nupta, ſcriptae ſunt. Accedit, quod in hac non de Xyſto, uerum de particula ornanda cogitare ſe oſtendit: in illis de Xyſto, qui porticus amplior fuit, atque etiam de palaeſtra, & gymnaſio.*

### *Cicero S. D. M. Fabio Gallo.* 23.

TANTVM *quod ex Arpinati ueneram, cum mihi a te litterae redditae ſunt: ab eodemq. accepi Auiani litteras: in quibus hoc erat liberaliſſimum, nomina ſe facturum, cum ueniſſet, quã ego uellem die. fac quaeſo, qui ego ſum, eſſe te. eſt ne aut tui pudoris, aut noſtri, primum rogare de die, deinde plus annua poſtulare? ſed eſſent, mi Galle, omnia facilia, ſi & ea mercatus eſſes, quae ego deſiderabam, & ad eam ſummam, quam uolueram. ac tamen iſtaec ipſa, quae te emiſſe ſcribis, non ſolum rata mihi erunt, ſed etiam grata. plane enim intelligo, te, non modo ſtudio, ſed etiam amore uſum, quae te delectarint, hominem, ut ego ſemper iudicaui, in omni iudicio elegantiſſimum, quaeq. me digna putaris, coemiſſe. ſed uelim maneat Damaſippus in ſententia. prorſus enim ex iſtis emptionibus nullam deſiderio. tu autem, ignarus inſtituti mei, quanti ego genus omne ſignorum omnium non aeſtimo, tanti iſta quattuor, aut quimque ſumpſiſti. Sed Bacchas iſtas cum Muſis Metelli comparas: quid ſimile? primum ipſas ego Muſas numquam tanti putaſſem: atque id feciſſem Muſis omnibus approbantibus. ſed tamen erat aptum bibliothecae, ſtudijsq. noſtris congruens. Bacchis uero ubi eſt apud me locus? at pulchellae ſunt. noui optime, & ſaepe uidi: nominatim tibi ſigna, mihi nota, mandaſſem, ſi probaſſem. ea enim ſigna ego emere ſoleo, quae ad ſimilitudinem gymnaſiorum exornent mihi in palaeſtra locum. Martis uero ſignum quo mihi, pacis auctori? gaudeo nullum Saturni ſignum fuiſſe. haec enim duo ſigna putarem mihi aes alienum attuliſſe. Mercurij, mallem, aliquod fuiſſet: felicius, puto, cum Auiano tranſigere poſſemus. Quod tibi deſtinaras Trapezephorum: ſi te delectat, habebis; ſin autem ſententiam mutaſti, ego habebo ſcilicet. iſta quidem ſumma nae ego multo libentius emerim diuerſorium Tarracinae; ne ſemper hoſpiti moleſtus ſim. omnino liberti mei uideo eſſe culpam, cui plane res certas mandaram; itemq. Iunij, quem puto tibi notum eſſe, Auiani familiarem. Exhedria quaedam mihi noua ſunt inſtituta in porticula Tuſculani: ea uolebam tabellis ornare. etenim, ſi quid generis iſtiuſmodi me delectat, pictura delectat. ſed tamen, ſi iſta mihi ſunt habenda, certiorem uelim me facias, ubi ſint, quando arceſſantur, quo genere uecturae. ſi enim Damaſippus in ſententia non manebit: aliquem pſeudoDamaſippum uel cum iactura reperiemus. Quod ad me de domo ſcribis iterum; iam id ego proficiſcens mandaram meae Tulliae. ea enim ipſa hora acceperam tuas litteras. egeram etiam cum tuo Nicia; quod is utitur, ut ſcis, familiariter Caſſio. ut redij autem, prius, quam tuas legi has proximas litteras, quaeſiui de mea Tullia, quid egiſſet. per Liciniam ſe egiſſe dicebat. ſed opinor Caſſium uti non ita multum ſorore. eam porro negare ſe audere, cum uir abeſſet, (eſt enim profectus in Hiſpaniam Decius) illo & abſente, & inſciente migrare. eſt mihi gratiſſimum, tanti a te aeſtimatam conſuetudinem uitae, uictuſq. noſtri, primum ut eam domum ſumeres, ut non modo prope me, ſed plane mecum habitare poſſes: deinde, ut migrare tantopere feſtines. ſed, ne uiuam, ſi tibi concedo, ut eius rei tu cupidior ſis, quam ego ſum. itaque omnia experiar. uideo*

*enim,*

*enim, quid mea interſit, quid utriuſque noſtrum. ſi quid*
*egero, faciam ut ſcias. tu & ad omnia reſcribes; &,*
*quando te exſpectem, facies me, ſi tibi uidebitur, cer-*
*tiorem. Vale.*

# EXPLANATIO

TANTVM . QVOD} tempus indicatur proxime praeteritum: quod alibi & ab ipſo Cicerone, & a
Terentio, Commodum, dicitur. AVIANI} ſtatuarij, qui nominatur ep. 2. lib. XIII. quo loco
uide, quae diximus. NOMINA *ſe facturum,*} accepti, & expenſi ratio in tabulas referebatur. quae
uocabantur Nomina; quia debitorum, & creditorũ nomina ſcribebantur. Nomina igitur facere, eſt, id,
quod Cicero pro hoc, uel illo ſigno deberet, in tabulas referre. QVA *ego vellem die.*} ut ſoluerem quan-
do uellem. FAC, *quaeſo, qui ego ſum, eſſe te.*} ep. 12. lib. III. Suſcipe paulliſper partes meas, & eum te
eſſe finge, qui ego ſum. PLVS *annua*} plus annua die. ep. 3. lib. XII. ad Atticum: Delegationem a
mancipe annua die. AD *eam ſummam,*} non pluris, quam uolueram. In delectu enim, & in pretio
peccauerat Gallus. Infra: Nae ego iſta ſumma, &c. IN *omni iudicio elegantiſſimum,*} qui nihil uulga-
re, nihil abiectum, aut ſordidum probare ſolitus es, quacumque de re iudicas. MANEAT *Damaſip-
pus in ſententia.*} Scripſerat, opinor, Gallus, empturum ea ſigna Damaſippum, ſi Ciceroni non place-
rent. Horatius Sat. 3. lib. 2.

„ Inſanit ueteres ſtatuas Damaſippus emendo.

EX *iſtis emptionibus*} e ſignis a te emptis. alia enim Cicero deſiderauerat. INSTITVTI *mei,*}
quod eſt huiuſmodi, ut omnia ſigna tanti non aeſtimem, quantum a te in iſta quattuor erogatum eſt. ISTA
*quattuor, aut quinque*} Bacchas tres, Martem quartum, Trapezephorum quinctum. BACCHAS}
Muſarum ſacerdotes. CVM *Muſis metelli*} cum ſignis Muſarum, quae erant apud Metellum. fortaſſe
Metellus ille Scipio. QVID *ſimile?*} idem loquendi modus ep. 15. lib. IX. Catulum mihi narras, &
illa tempora: quid ſimile? PRIMVM} lector exſpectat, deinde: ſed hic, ut etiam alibi, deſideratur:
ſententiae tamen nihil deeſt. nam quae uis in, deinde, eadem continetur in eo, quod ſequitur, Sed tamen.
uide illud ep. 9. lib. 2. Primum tibi, ut debeo, gratulor. TANTI} quanti emiſti Bacchas iſtas.
MVSIS *omnibus opprobantibus.*} ipſae Muſae, non aeſtimari ſe tanti, quanti a te iſtae Bacchae aeſti-
matae ſunt, non moleſte ferrent. Ioci genus eſt: Ipſas ego Muſas numquam tanti putaſſem: atque id fe-
ciſſem Muſis omnibus approbantibus. Similem in ſententia uenuſtatem quaeſiuit, cum dixit in libro de
Conſolatione: Te, omnium optimam, doctiſsimamq. approbantibus dijs immortalibus ipſis, in eorum
coetu locatam, ad opinionem omnium mortalium conſecrabo. Et ep. 25. lib. XIII. Cauſſam tuam egi
non inuita Minerua. etenim eo ipſo die ſenatus decreuit, ut Minerua noſtra, cuſtos urbis, quam turbo de-
iecerat, reſtitueretur. SAEPE *uidi:*} non illa ipſa, quae Gallus emerat, ſed ſimilia Baccharum ſi-
gna. Cum & nouerim, inquit, optime Bacchas iſtas, & ſaepe uiderim, nec tamen tibi, ut eas emeres, no-
minatim mandauerim: me non ijs delectari, poteras facile ſuſpicari. EA . ENIM . SIGNA . EGO .
EMERE . SOLEO, *quae, ad ſimilitudinem gymnaſiorum, exornent mihi in palaeſtra locum.*} quae ſic in-
palaeſtra uillae meae Tuſculanae locum exornent, ut publicis in gymnaſijs, praeſtantium uirorum, aut
deorum ſignis locus idem exornari ſolitus eſt. Gymnaſium, & Palaeſtra, diuerſo nomine, rem ean-
dem ſignificant. gymnaſium enim dictum, quod in eo nudi homines luctarentur: palaeſtra uero ἀπὸ τῆς
πάλης, ideſt a lucta, nomen accepit. In hac tamen opinione non nihil conturbor, quod in ep. 8. lib. I. ad
Att. palaeſtrae, & gymnaſij, tamquam diuerſarum rerum, mentionem fieri uideo. Si quod, inquit, οἰκεῖον
eius loci, quem non ignoras, reperies, & maxime, quae tibi palaeſtrae, gymnaſijq. uidebuntur eſſe. Et
Plautus in Rud. Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum pro exercitio gymnaſtico, & palaeſtrico. Et in
Amphitr. Omnes plateas perreptaui, gymnaſia, myropolia, Apud emporium, atque in macello, in palae-
ſtra, atque in foro. Rurſus idem Plautus in Bacchid. palaeſtram a gymnaſio non diſtinguit: ait enim: An-
te ſolem exorientem niſi in palaeſtram ueneras, Gymnaſij praefecto haud mediocres poenas penderes. Et
Quinctilianus lib. 2. Si quis palaeſtrae peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnaſium uenerit. Dubi-
tatio tolletur, ſi patere latius gymnaſij nomen, quam palaeſtrae, exiſtimemus. ut palaeſtra gymnaſij ſit
pars, in qua lucta exercetur: gymnaſium autem & palaeſtram, & alia loca complectatur: cum in eo diſpu-
tetur etiam, & deambuletur, & alia fiant. ita nomen gymnaſij, quamquam ab una re natum, ad alias pro-
ducitur: palaeſtrae non item. neque hanc ſententiam, ut opinor, exempla, quae attulimus, infirmant.
quis enim non intelligit, tranſire Ciceronem a parte ad totum, cum ait in epiſtola illa ad Atticum: Quae
tibi palaeſtrae, gymnaſijq. uidebuntur eſſe? Et hic, cum inquit, Exornent mihi in palaeſtra locum; de
gymnaſij parte, luctae dicata, loqui uidetur: in qua parte locum ſignis exornare cogitabat. AES *alienum*}
Martis enim, & Saturni ſigna nihil proſperum promittere, aſtrologi confirmant: ſtulte, qui diuinationem
rerũ futurarum, quae ſoli Deo notae ſunt, ad ſuam ſcientiam reuocent. MERCVRII,} cuius aſtrũ propi
tium putatur. FELICIVS,} in emptione ſignorum. is autem feliciter tranſigit, qui rem expetitam
paruo emit. Video eſſe, qui legendum putent, Facilius, pro Felicius. ego, cur mutetur, cauſſam nullam
uideo. nam & ſententia ſatis aperta: & omnes libri ueteres habent, Felicius. Porro, quod aiunt, nullam
felicitatem in hoc negotio reperiri potuiſſe: dixi iam, Feliciter tranſigere, quid ſit. Felicitatem autem in
emendis ab Auiano ſignis, non, ut ijdem arbitrantur, in uendendis poſt emptionem, hic ſignificari, no-
men Auiani demonſtrat, qui & ſupra tamquam uenditor ſignorum appellatus eſt. Praefuiſſe Mercurium
lucris,

lucris, docet Plautus in Amphitr. in principio. TRANSIGERE. POSSEMVS.} tranſactum iam erat, ut ſupra conſtat: conuenerat enim de ſumma inter Gallum, & Auianum: ſolutionis tamen dies definita non erat: ſed ſcripſerat Auianus, nomina ſe facturum qua Cicero die uellet. Dicit igitur, Poſſemus, in emptione: & praeteritum tempus reducit ad praeſens: ut ſi dicat: liceret nobis ab Auiano minoris emere, quam tu emiſti. DESTINARAS} aſsignaueras. Pro Sextio: Quis locus iam non erat alicui deſtinatus in toto orbe terrarum? TRAPEZOPHORVM} qui menſam fert. ueteres libri, Trapezephorum: ſed Graece, Τραπεζοφόρος, & τραπεζοποιός, cũ o in tertia ſyllaba, & γαζοφυλάκιον, ut in alijs ſimilibus. Suidas. DIVERSORIVM} de diuerſorio diximus ep. 19. lib. VI. TARRACINAE;} uetus nomen Anxur fuit, recentius Tarracina. Liuius lib. IV. Anxur fuit, quae nunc Tarracinae ſunt, urbs prona in paludes. Plinius lib. III. cap. 5. A Circeijs palus Pontina eſt, dein flumen Vfens, ſupra quod Tarracina opidum, lingua Volſcorum Anxur dictum. Horatius tamen praeter conſuetudinem dixit Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur, uerſus commoditatem quaerens ex antiquo nomine. Prius igitur nomen mutauit, deinde etiã locum, ſed infra aetatem Horatij. nam, cum dixit, Millia tum pranſi tria repſimus, atque ſubimus Impoſitum ſaxis l. c. a. Perſpicue demonſtrat, ſitam in monte Tarracinam fuiſſe. Et Porphyrio ſubiungit haec: Merito, Repſimus, inquit, &, Impoſitum ſaxis: quoniam illis temporibus adhuc Tarracinenſis urbs in altiſsimo monte erat, inde poſtea in aequiorem locum depoſita eſt: ut non ſolum ſint adhuc ueſtigia aedificiorum in monte, ſed & murorum. Tacitus lib. XX. municipium uocat. EXHEDRIA} loca in porticibus, ubi ſedentes diſputare ſoliti erant. Vitruuius, & Cicero. Exhedra tamen, muliebri genere, uſitatius. ſed, Exhedriam, inde factum, ὑποκοριστικῶς. NOVA} ergo erant & uetera, in porticula, ut haec, ſed in porticu ampliore, ideſt in xyſto, qui nominatur ep. 6. lib. I. ad Att. ARCESSANTVR,} ſi differunt Arceſſere, & Accerſere, ut Cariſio, & Diomedi placet; omnino hic legendum Accerſantur, non Arceſſantur. ſin autem ſequimur eos libros, qui uetuſtate excellunt: unicum dicemus eſſe uerbum, Arceſſere, duplici ſignificatione, pro accuſare, & pro uocare, uel uocatum ire. mihi, quid ſtatuam, non liquet. nam & Cariſij, ac Diomedis auctoritate moueor, quos de uerbo, Accerſere, non ſomniaſſe credibile eſt, ſed ueteres libros uidiſſe, in quibus ita ſcriptum eſſet: & rurſus antiquiſsimis exemplaribus, quae nunc habemus, multum tribuo: cõſentiunt enim ubique omnes in uerbo, Arceſſere. ut eam rationem omittam, quod, Arceſſo, unde formetur, apparet: Accerſo autem unde ducatur, non uideo: nam ſi duceretur ab Accio; Acceſſo eſſet, non Accerſo. praeterea, quae ſignificatio ponitur a grãmaticis in uerbo Accerſo; eadem mihi uidetur eſſe poſſe in Arceſſo. nam, qui accuſat, idem uocat in iudiciũ. quod ſi credimus; non ab Arceo, quod nihil ad uocandum pertinet, potiusq. contrarium oſtendit, ſed ab Accio, uel Adcio, deductũ Arceſſo, mutatione ſecundae litterae, arbitrabimur. PSEVDODAMASIPPVM} Damaſippi ſimilem: qui omnino ea ſigna emat: quod ſe Damaſippus facturũ oſtenderat. ſic PſeudoCato, lib. I. ad Att. & PſeudoPhilippus, lib. 2. de Leg. VEL *cum iactura*} uel ſi minoris uendenda ſint, quam tu emiſti. DE. DOMO} tibi prope me conducenda. PROFICISCENS} ab urbe in Arpinatem agrum, unde redierat paullo ante, quam has litteras daret. itaque dixit initio litterarum: Tantum quod ex Arpinati ueneram. NICIA;} grammatico. ep. 10. lib. IX. & Suetonius de claris grammaticis. CASSIO.} cum infra ſoror eius Licinia nominetur; poſſumus opinari, uel, Craſſo, legendum; quia Craſsi Liciniae gentis; & feminae gentilicio nomine appellabantur; uel ſororem eius quidem Liciniam, germanam tamen non fuiſſe: ut fratres quoque dicuntur, qui patrueles, conſobrini ue ſunt, itaque mutatio neceſſaria nõ putetur. QVAESIVI *de mea Tullia,*} ep. 6. lib. III. Quaeſiui ex Phania. PER *Liciniam ſe egiſſe*} ſi poteſtas tradendae domus penes Liciniam fuiſſet: non dixiſſet Cicero, Per Liciniam, ſed, Cum Licinia. Per Liciniam autem agere, eſt, Liciniae opera uti, ut cum alio agat, nimirum cum eius fratre Caſsio, earum aedium domino, quas Licinia habitabat: quae tamen, quod ad ipſam attinebat, audere ſe negabat, abſente & inſciente uiro migrare. DEXIVS} ſic in uetuſtioribus libris. alij recentiores uarie, Dextus, Deſius, Dixi. Dexiorum gentem nondum habeo cognitam. VITAE, *uictusq. noſtri,*} non eſt ſatis, una uiuere: ſed cõmunis uictus auget uitae iucunditatem. ep. 24. lib. IX. Moneo te, ut cum uiris bonis, iucundis, amantibus tui uiuas. nihil eſt aptius uitae, nihil ad beate uiuendum accommodatius. nec id ad uoluptatem refero, ſed ad communitatem uitae, atque uictus, remiſsionemq. animorum. Coniungi haec ſolent, ut lib. I. Off. Vita, uictuſq. communis in amicitijs uigent maxime. Et ad Att. Nunc plane nec ego uictum, nec uitam illam colere poſſum. Et in Bruto: Tuditanus omni uita, atque uictu excultus, atque exſpoliatus. PLANE *mecum habitare*} fortaſſe, quod paries communis eſſet: uel quod aedes illae ita Ciceronis aedibus uicinae, ut ad eum percommode Gallus itare poſſet. MIGRARE} in eas aedes. EXPERIAR.} ut hanc domum habeas.

# Argumentum ep. 24.

*EXponit, quam iniuſte ſibi Tigellius iraſcatur. Caeſare quartum conſule, ſine collega.*

## Cicero S. D. Gallo. 24.

*AMORIS quidem tui, quoquo me uerti, ueſtigia, uel proxime de Tigellio: ſenſi enim ex litteris tuis, ualde te laboraſſe. amo igitur uoluntatem. ſed pauca de re. Capius, opinor, olim, NON omnibus dormio: ſic ego non omnibus, mi Galle, ſeruio. etſi quae eſt haec ſeruitus? olim, cum regnare exiſtimabamur, non tam ab ullis, quam hoc tempore obſeruor a familiariſſimis Caeſaris omnibus, praeter iſtum. id ego in lucris pono, non ferre hominem peſtilentiorem patria ſua: eumq. addictum iam tum puto eſſe Calui Licinij Hipponacteo praeconio. at uide, quid ſuccenſeat. Phameae cauſſam ſuſceperam, ipſius quidem cauſſa: erat enim mihi ſane familiaris: is ad me uenit, dixitq. iudicem ſibi operam dare conſtituiſſe eo ipſo die, quo de P. Sextio in conſilium iri neceſſe erat. reſpondi, nullo modo me facere poſſe, cum uellem: alium diem ſi ſumpſiſſet, me ei non defuturum. ille autem, qui ſciret ſe nepotem bellum tibicinem habere, & ſat bonum unctorem, diſceſſit a me, ut mihi uidebatur, iratior. Habes Sardos uenales, alium alio nequiorem. cognoſti meam cauſſam, & iſtius Salaconis iniquitatem. Catonem tuum mihi mitte: cupio enim legere. me adhuc non legiſſe, turpe utrique noſtrum eſt. Vale.*

## EXPLANATIO

VESTIGIA.} Video, ſubauditur. VEL *proxime*} hoc ipſum, quod proxime de Tigellio feciſti, ueſtigiũ eſt amoris tui. De particula, Vel pro ueluti diximus ep.13.lib. 2. DE TIGELLIO:} M. Tigellio Hermogene liberto, quod Hermogenis cognomen indicat. eſt.n.is, de quo Horatius Sat.9.li.1.

—Inuideat quod & Hermogenes, ego canto.

& Sat.2.3.10. quibus locis oſtenditur, quod haec quoque declarat epiſtola, Tigellium canendi arte praeſtitiſſe. Quid autem de Tigellio ſcripſerit ad Ciceronem Gallus, cognoſcitur ex ep.47. lib.XIII. ad Att. De Tigellio, aic, ſi quid noui: qui quidem, ut mihi Gallus Fabius ſcripſit, μέμψιν ἀναφέρει mihi quandam iniquiſsimam, me Phamea defuiſſe, cum eius cauſſam recepiſſem. &c. CAPIVS, *opinor, olim,*} recte addidit, Opinor, ueritus, ne erraret in nomine: nam Cipium nominat Feſtus in huius adagij mentione, Non omnibus dormio. libri ueteres plerique habent, Citius, uel, Cicius: nonnulli, Caepio. OLIM,} ante Lucilium poetam. Feſtus. NON *omnibus dormio:*} qui hoc dixit, dormire ſe ſimulabat, quo liberius uxor moecharetur. Seruo autem pocula clam auferente, Non, inquit, omnibus dormio. Feſtus, & Plutarchus ἐν τῷ ἐρωτικῷ. NON *omnibus ſeruio.*} quibuſdam, apud Caeſarem gratioſis, temporum cauſſa ſeruio: non omnibus tamen ſeruire uolo: quorum in numero Tigellius eſt. OLIM,} ſtante rep. REGNARE} cum ita floreret gratia, & auctoritate, ob eloquentiam, ac uirtutem, ut regnare uideretur. Pro Sulla. Hic ait ſe ille regnum meum ferre non poſſe. OBSERVOR} ep.20. lib.IX. & ep.47. ad Att. lib.XIII. IN *lucris pono,*} ſimile illud ep.47. ad Att. lib.XIII. Eſt bellum, aliquem odiſſe libenter. PESTILENTIOREM *patria ſua:*} Tigellij patria Sardinia: de cuius peſtilenti caelo illud argumento eſt in ep.3. lib.2. ad Q. Fr. Quamquam eſt hiems, tamen Sardiniam iſtam eſſe cogites. Et Martialis:

Nullo fata loco poſsis excludere. cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt.

ADDICTVM} ſtudioſum eſſe coepiſſe eorum uerſuum, quos contra me ſcripſit Caluus Licinius, more Hipponactis poetae: de quo uide Plinium lib. XXXVI. cap. 5. & Solinum. CALVI *Licinij*} hic eſt C. Licinius Caluus, Ciceronis primum inimicus, quia patrem ſuũ Liciniũ Macrũ praetor damnauerat, ut ait Plutarchus, & Valerius Maximus, deinde etiam amicus, ut ex epiſtola ultima lib.XV. cognoſcitur. PRAECONIO.} ironia. nam acerbiſsimum poema ſignificat, ſimile Hipponactis uerſibus. Idem Caluus in C. Caeſarem famoſa ſcripſit epigrammata, ut in Suetonio legimus. PHAMEAE} liberti, cuius nepos Tigellius. libertorum autem cognomina, Phameas, & Hermogenes; quae prius nomina ſeruorum fuere. IPSIVS *quidem cauſſa:*} non propter Tigellium, eius nepotem, ſed ipſius cauſſa. ERAT *enim mihi ſane familiaris.*} ſcribit ad Atticum eadem de re ep. 47. lib. XIII. nec ſe adductum familiaritate ſuſcepiſſe cauſſam Phameae ſignificat, ſed quia petenti, ſibi conſulatum pollicitus erat per Atticum, ſi quid opus eſſet. quod tamen non repugnat: nam ex eius officij memoria familiaritas exorta. SIBI *operam dare*} cauſſam cognoſcere, patronos audire de controuerſia diſputantes. DE P. *Sextio*} quem ante multos annos reum de ui defenderat. accuſabatur hoc tempore lege Pompeia, ut ep.47. lib.XIII. ad Atticum oſtendit: utrum autem de ambitu, an de ui, (nam de utroque crimine Pompeius tertium conſul legem tulit) mihi nondum liquet: ſuſpicor tamen, de ambitu potius, quam de ui. nam Sextium, qui Pompeianus fuerat in bello ciuili, & in patriam, uenia a Caeſare impetrata, redierat, auſum deinde eſſe uim ullam facere, credibile non eſt. de ambitu autem fortaſſe poſtulatus, quia conſulatum petens pecuniam contra leges dederit. praetor enim fuerat ante bellum ciuile; Tictoreſq. in bello habuerat. poſt bellum etiam beneficio Caeſaris, ut ſupra diximus. IN CONSILIVM *iri*} cum iudices, de reo ſententias laturi, in unum coeunt, Ire in conſilium dicuntur. non enim eunt in conſiliũ, ut cauſſam audiant, ſed ut, cum audierint ſententias ferant. id adeo ex oratione C. Titij, qua legem Fanniam ſuaſit, potui intelligere. Veniunt, inquit, de iudicibus, in comitium triſtes: iubent dicere. quorum negotiũ eſt, narrant. iudex teſtes poſcit: ipſus it mictum. ubi redit, ait ſe omnia audiuiſſe: tabulas poſcit: litteras inſpicit: uix prae uino ſuſtinet palpebras. eunt in conſilium. ibi haec oratio: Quid mihi negotij eſt cum iſtis

nugatoribus?

nugatoribus? Haec Macrobius recitat. idem cognoſcitur ex oratione pro Cluentio. nam, audito Scamandri accuſatore Canutio, eiuſq. defenſore Cicerone, iudices iuere in conſilium, ut de reo pronunciarent. Et infra, ubi de iudicio agitur Oppianici. Itẽ in oratione pro Quinctio: Cum audiret cauſſam iudex Aquillius, Quoniam, inquit, tibi inſtat Hortenſius, ut eas in conſilium; a me poſtulat, ne dicendo tempus abſumam; queritur, priore patrono cauſſam defendente, numquam perorari potuiſſe; non patiar iſtam manere ſuſpicionem, nos rem iudicari nolle. N E C E S S E *erat.*} cur neceſſe eſſet, oſtendit ep. 47. ad Att. lib. XIII. Scis enim, inquit, dies illorum iudiciorum praeſtitutos fuiſſe. Lex Pompeia praefiniebat eos dies, quibus cauſſam agi oporteret. uide Pedianum in argumento Milonianae. N V L L O *modo me facere poſſe, cum uellem:*} in uoluntate obſequendi, facultatem deeſſe. Similiter locutus ep. 12. lib. XI. Saepe ad eum ſcripſi, non potuiſſe, cum cupiiſſem, ſermones hominum ſuſtinere. Nec diſsimile illud in oratione pro Flacco: Nihil dixit, quod laederet eum, cum cuperet. Videndum tamen, an rectius hoc ſit: Nullo modo me facere poſſe: quem uellet alium diem ſi ſumpſiſſet, me ei non defuturum. Sic enim habent quattuor ueteres libri: & eadem de re ſic plane ſcripſit Cicero ad Atticum, ep. 47. lib. XIII. Reſpondi, inquit, non ignorare eum, quid ego deberem Sextio: quem uellet alium diem ſi ſumpſiſſet, me ei non defuturum. Moueor etiam, quod antiquum librum, in quo ſit, Cum uellem, nullum uidi. alij enim habent, Quem uellem: alij, Quem uellẽt: nonnulli, Quem uellet. quod ego ſincerum exiſtimo, nec tamen ſtatuo quidquam, niſi conſentientibus eruditis. N E P O T E M} Tigellium. V N C T O R E M,} ſic habet unus omnino uetus liber: reliqui omnes, Victorem. ſi, quid ſententia poſtulet, attendimus, legendum putabimus, Cantorem. nam excelluiſſe Tigellium in cantu, Horatij teſtimonio iam probauimus: fuiſſe autem ob eam cauſſam Caeſaris familiariſsimum, cum idem Horatius oſtendit in his uerſibus:

„ — -- Sardus habebat
„ Ille Tigellius hoc. Caeſar, qui cogere poſſet,
„ Si peteret per amicitiam patris, atque ſuam, non
„ Quidquam proficeret.

tum uero haec ipſa demonſtrant, paullo ante dicta: Obſeruor a familiariſsimis Caeſaris omnibus, praeter iſtum. H A B E S *Sardos uenales,*} iocum quaeſiuit in Phameae patria, ex uſitato Prouerbio. Sardinia enim a Ti. Sempronio primum conſule capta, mancipiorum maximus numerus Romam eſt aduectus, & ex eorum uilitate natum eſt adagium, Sardi uenales. Liuius l. 41. & in lib. de uiris illuſtribus. Habes, inquit, de Phamea, & Tigellio: uides, quam non merito uterque mihi ſuccenſeat. & nimirum quod de Sardis uenalibus dici ſolitum eſt, alium alio nequiorem eſſe; id in Phameam, eiusq. nepotem Tigellium, qui & ipſi Sardi ſunt, conferri poteſt. Hoc Cicero feſtiue ſignificat, cum ait: Habes Sardos uenales, alium alio nequiorem. mentionem facit huius prouerbij Feſtus, & Plutarchus in Probl. & is, qui ſcripſit de uiris illuſtribus. De Phamea uero, deq. hac re tota, uide epiſt. 42. lib. XIII. ad Att. De Tigellio ſic Horatius ſat. 3. lib. I.

Omnibus hoc uitium eſt cantoribus, inter amicos
Vt numquam inducant animum cantare rogati;
Iniuſsi numquam deſiſtant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Caeſar, qui cogere poſſet,
Si peteret per amicitiam patris, atque ſuam; non
Quidquam proficeret: ſi collibuiſſet, ab ouo
Vſque ad mala citaret, Io Bacche, modo ſumma
Voce, modo hac reſonans, quae chordis quattuor ima.
Nil aequale homini fuit illi. ſaepe, uelut qui,
Currebat, fugiens hoſtem: perſaepe, uelut qui
Iunonis ſacra ferret. habebat ſaepe ducentos,
Saepe decem ſeruos. &c.

Quid mirum igitur, qui hoc ingenio fuerit, tam uario, tam inconſtanti, ſi is, praeſertim qui gratioſus apud Caeſarem eſſet, facile adductus eſt, ut Ciceroni, quaſi nepotem ſuum deſtituiſſet, iraſceretur? I S T I V S *Salaconis iniquitatem.*} Salaconem uocat, uel propter ſuperbiam, uel propter mollitiem, aut utramque. ſuperbiam e Suida cognouimus, qui ait eum, cũ eſſet pauper, ſe diuitem ſimulaſſe: mollitiem ex Ariſtophanis interprete: nam, cum poeta in comoedia, quae Σφῆκες inſcribitur, dixiſſet, Τρυφερόν τι διασαλακώνισον, ſubiunxit, ἁβρύνθητι, καὶ διαθρύφθητι. οἱ δὲ, διασαλακώνισον, ἀπὸ τοῦ σαλάκωνος μαλακοῦ, τοῦ αὐτολύκου πατρός. Heſychius: Σαλάκων, ὁ πτωχὸς ἀλαζών. Σαλακωνία, ἡ ἐν πενίᾳ ἀλαζονεία. Σαλακωνίσαι, σαλακωνεῦσαι ἔλεγον τοὺς διαθρυπτομένους. σαλάκωνας, ἀπὸ τοῦ ἁβρῶς καὶ μετὰ θρύψεως βαδίζειν. ὁ δὲ Θεόφραστος σαλακῶνα, φησὶν εἶναι τὸν δαπανῶντα ὅπου μὴ δεῖ. C A T O N E M. T V V M} non modo Gallus, ſed & Cicero ſcripſit de laudibus Catonis Vticenſis, ut patet ex epiſtolis ad Atticum, ex Oratore, ex lib. 2. de Diuin. ex Tacito lib. IV. Plutarcho in Caeſare, & Cicerone, Gellio lib. XIII. cap. 19. Macrobio lib. VI. Lactantio lib. I. cap. 2. Scripſit & eius ſororis filius, M. Brutus, ut ep. 45. lib. XIII. contra Catonem uero, Ciceroni reſpondens, ſcripſit Caeſar libros duos, eosq. Anticatones inſcripſit. teſtis Cicero in epiſtolis ad Atticum. Plinius ep. lib. III. Quinctilianus, Iuuenalis, Gellius lib. XIII. cap. 19. Suetonius, Plutarchus in Caeſare, & Cicerone, & Seruius Honoratus in Virgilium. Hirtius quoque, Caeſaris amicus, in eodem argumento ingenium exercuit: ut ep. 44. lib. XII. ad Att.

## Argumentum ep. 25.

*EPiſtolam Galli non conſciſſam ſignificat. Monenti, ut de Caeſare caute loquatur, & ſcribat, gratias agit. Hortatur, ne ſcribendi exercitationem intermittat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Gallo.* 25.

*QVOD epiſtolam conſciſſam doles, noli laborare: ſalua eſt domi: petes, cum libebit. Quod autem me mones, ualde gratum eſt: idq. ut ſemper facias, rogo. uideris enim mihi uereri, ne, ſi iſtum habuerimus, rideamus* γέλωτα σαρδώνιον. *Sed heus tu, manum de tabula: magiſter adeſt, citius, quam putaramus. uereor, ne in Catonem, Cato in nos. Mi Galle, caue putes quidquam melius, quam epiſtolae tuae partem ab eo loco, Cetera labuntur. ſecreto hoc audi: tecum habeto: ne Apellae quidē liberto tuo dixeris. praeter duo nos loquitur iſto modo nemo: bene, male ue, uidero: ſed, quidquid eſt, noſtrum eſt. urge igitur, nec tranſuerſum unguem, quod aiunt, a ſtylo. is enim eſt dicendi opifex, atque ego quidem aliquantum iam etiam noctis aſſumo. Vale.*

## EXPLANATIO

QVOD *epiſtolam conſciſſam doles*, } familiare principium epiſtolae, ut ep. 32. & 33. MONES, } ne iocemur in Caeſarem. ſequitur enim: Vereris, ne rideamus γέλωτα σαρδώνιον. NE, SI } omnes libri ueteres, Niſi. uerbum tamen, Vereris, poſtulat Ne. SI. ISTVM *habuerimus*, } ſi Caeſar dominabitur. RIDEAMVS γέλωτα σαρδώνιον. } riſus cum dolore coniungatur. Adagium in eos uſurpatum, qui, ſpecie boni, malum ſuſtinent; origine ducta uel ab herba, quae naſcitur in Sardinia, & guſtata mortem affert, ita mutato morientium uultu, ut ridere uideantur: uel a Sardone regione, in qua ſenes, annum LXX peaetergreſsi, Saturno immolabantur, ridentes a ridentibus: uel etiam, quod apud Sardoniam gentem parentes aetate confecti a filijs prope foſſam, in qua ſepeliendi erant, fuſtibus caeſi, atque praecipites deiecti, cum riſu perirent. Vide librū Adagiorum. HEVS. TV, } huc animum conuerte, hoc attende, audi me monentem. MANVM *de tabula*: } omittamus, quod coeptum eſt: ne ſcribamus, quod Caeſaris animum laedat. Sumptum a pueris pingendi artem diſcentibus prouerbium, qui, magiſtro abſente, aliquid in tabula pingunt: magiſtro ueniente, manum de tabula ſtatim tollunt; ne deprehenſi uerberentur. ideo iocatus eſt Cicero in magiſtri nomine: cum reuera non magiſtrum, qui docet, ſed Caeſarem ſignificet; qui dictator erat, ideſt magiſter populi. Feſtus. ADEST, } reuerſus ab Hiſpanienſi bello. VEREOR, *ne in Catonem, Cato in nos*. } uereor, ne nos in Catonem ſcribamus, ideſt cum ſcriptis noſtris laudemus; (ſcribere in aliquem, non in malam tantum, ſed in bonam quoque partem accipi, exemplis intelligitur) Cato autem exitio nobis ſit, Caeſare nos, quod eius inimicum laudemus, male multante. Liber Maffei, & Fuluij Vrſini ſic habent: alij autem, In Catonium Catoninos: ut ſit: Vereor, ne Caeſar Catoni deditos in Catonium demittat. Catonium autem pro triſti exitu poſſumus accipere, qualis Catonis fuit, qui ſua ſe manu interfecit. AB. EO. LOCO, } ab eo loco, in quo ſcripſerat Fabius, Cetera labuntur, uſque ad finem ita grauiter ſcripta erat epiſtola Fabij, ut nihil poſſet melius. APELLAE } liberto litterato, ut Tiro Ciceronis. DVO. NOS } pro, duos: ut Virgilius: Si duo praeterea tales Idaea tuliſſet Terra uiros. BENE, MALE VE, } ſic unus omnino uetus liber: reliqui, Bene, male ne. magis placet, Ve, quam, Ne: ut ſit: Bene, uel male. VIDERO: } nondum ſtatuo: mihi nunc incertum eſt. idem loquendi modus ep. 16. QVIDQVID *eſt, noſtrum eſt*. } ſiue bene, ſiue male loquimur, diſsimiles aliorum ſumus: nemo enim, praeter duo nos, iſto modo loquitur. VRGE } perge iſto modo, quantum potes. NEC *tranſuerſum unguem, quod aiunt, a ſtylo*: } ſubaudi, diſcedas. ad Att. lib. XIII. A recta conſcientia tranſuerſum unguem non oportere diſcedere. Et Acad. lib. 2. Ab hac regula mihi non licet tranſuerſum, ut aiunt, unguem diſcedere. Plautus in Aulul. Ex iſtoc loco digitum tranſuerſum, aut unguem latum ſi exceſſeris. Latum, & Tranſuerſum idem eſt. Dicitur autem eodem ſenſu, unguem, digitum, pedem non diſcedere, pro minimum diſcedere. In hac epiſtola tribus adagijs uſus eſt Cicero, Rideamus γέλωτα σαρδώνιον, Manum de tabula, Nec tranſuerſum unguem, quod aiunt, a ſtylo. quod in alia, ut opinor, non fecit. Prouerbijs autem locus magis uidetur eſſe, cum ad familiares familiariter ſcribimus. nam ad ſpectatos uiros, in re praeſertim graui, ſententijs quidem prouerbiorum ſimilibus, ut Homeri aliorum ue poetarum uerſibus, ſaepe utitur Cicero: quae uero prouerbia uere & plane ſunt, ea non ita frequenter attingit, arbitratus fortaſſe Romanae grauitatis non eſſe prouerbia inculcare: cum Graeci, minus de grauitate laborantes, aliter ſenſerint. nam Demetrius, Κάλλος, ait, epiſtolis πυκναὶ παροιμίαι: διότι δημοτικόν τί ἐστιν ἡ παροιμία, καὶ κοινόν. DICENDI OPIFEX. } qui ſtudet bene dicere, id agat prius, ut bene ſcribat. Stylus autem, quo ſcribebant ueteres, lib. I. de Orat. laudatur his uerbis, Stylus, optimus & praeſtantiſsimus dicendi effector, ac magiſter. neque

iniuria.

iniuria. nam, ſi ſubitam, & fortuitam orationem commentatio, & cogitatio facile uincit; hanc ipſam profecto aſsidua, ac diligens ſcriptura ſuperabit. Infra uero: Stylus ille tuus, quem tu uere dixiſti perfectorem dicendi eſſe, ac magiſtrum, multi ſudoris eſt. Et lib. III. Stylus & alia, & hoc maxime ornat, ac limat. ALIQVANTVM *iam etiam noctis aſſumo.*} cum dicat, Iam etiam, apparet epiſtolam ſcriptam eſſe in exitu aeſtatis, uel ineunte autumno, cum noctes incipiunt iam eſſe longiores. atque illud, Magiſter adeſt, quod de Caeſare dictum eſt, indicare uidetur ſcriptam eſſe menſe Sextili. nam ep. 46. ad Att lib. XIII. Caeſar, inquit, adeſt. illam uero ſcriptam Sextili menſe, cognoſcitur ex ea, quae proxima antecedit. Aliquid iam noctes te adiuuabunt, ſcripſit ad Sulpicium ep. 4. lib. IV.

---

# Argumentum ep. 26.

*SCribit ſe in morbum incidiſſe, quia ſuauiter conditas herbas parum caute comediſſet: ſibi tamen iam eſſe melius, & manſurum in Tuſculano, quoad ſe reficiat. Scripta uidetur epiſtola eo anno, quo P. Lentulus & Q. Metellus Nepos conſulatum geſſere. nam Lentuli filium, cuius auguris cena hic nominatur, eo anno augurem creatum, oratio pro Sextio declarat his uerbis: Video P. Lentulum in hoc miſero ſqualore, & ſordibus: cui ſuperior annus idem & uirilem patris, & praetextam populi iudicio togam dederit.*

## *Cicero S. D. Gallo. 26.*

*CVM decimum iam diem grauiter ex inteſtinis laborarem; neque iis, qui mea opera uti uolebant, probarem me non ualere, quia febrim non haberem: fugi in Tuſculanum; cum quidem biduum ita ieiunus fuiſſem, ut ne aquam quidem guſtarem. itaque, confectus languore & fame, magis tuum officium deſideraui, quam abs te requiri putaui meum. ego autem cum omnes morbos reformido, tum quod Epicurum tuum Stoici male accipiunt. quia dicat* δυσουρικὰ, ϗ δυσεντερικὰ πάθη *ſibi moleſta eſſe: quorum alterum morbũ edacitatis eſſe putant, alterum etiam turpioris intemperantiae. ſane* δυσεντερίαν *pertimuerã: ſed uiſa eſt mihi uel loci mutatio, uel animi etiam relaxatio, uel ipſa fortaſſe iam ſeneſcentis morbi remiſſio profuiſſe. attamen, ne mirere, unde hoc acciderit, quo modo ue commiſerim: lex ſumptuaria, quae uidetur* λιτότητα *attuliſſe, ea mihi fraudi fuit. nam, dum uolunt iſti lauti terra nata, quae lege excepta ſunt, in honorem adducere, fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil poſſit eſſe ſuauius. in eas cum incidiſſem in cena augurali apud Lentulum, tanta me* διάῤῥοια *arripuit, ut hodie primum uideatur coepiſſe conſiſtere. ita ego, qui me oſtreis, & murenis facile abſtinebam, a beta etiam, & malua deceptus ſum. poſthac igitur erimus cautiores. tu tamen cum audiſſes ab Anicio, (uidit enim me nauſeantem) non modo mittendi cauſſam iuſtam habuiſti, ſed etiam uiſendi. Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam. nam & uires, & corpus amiſi. ſed, ſi morbum depulero; facile, ut ſpero, illa reuocabo. Vale.*

## EXPLANATIO

EX. INTESTINIS} aluo profluente, dolor interdum fit in inteſtinis. MEA. OPERA} in forenſibus cauſsis. PROBAREM} perſuaderem. FEBRIM} Febrim, Tuſsim Sitim, accuſatiuo in Im exire, cetera uero omnia in Em, ſcripſit Plinius in libro de dubio ſermone: ſi Cariſio credimus, quod equidem miror. nam, hanc regulam non ualere exemplo Virgilij admonemur dicentis: Turrim in praecipiti ſtantem, non, Turrem. TVVM *officium*} ut me uiſeres. ABS. TE *requiri*} queſtus erat Gallus, Ciceronem officio defuiſſe, quod ipſe ab eo exſpectaſſet. TVM *quod Epicurum &c.*} non dubito, quin, Quo: rectius legatur, quam, Quod. Timet omnes morbos, ſed cum maxime, quo laborantem Epicurum Stoici uituperabant, quia diceret angi ſe ueſicae, uiſcerumq. doloribus. Epicuri uerba lib. 2. de Fin. recitantur ex eius epiſtola ad Idomeneum. Tanti autem morbi aderant ueſicae, & uiſcerum, ut nihil ad eorum magnitudinem poſſet accedere. *Δυσουρικὰ πάθη*, ſtranguriam Graeco uerbo, *δυσεντερικὰ*, tormina Cicero uocat Tuſc. 2. de Epicuro loquens. EDACITATIS} quae *δυσεντερίαν* gignit. TVRPIORIS *intemperantiae.*} ueneris immodicae, quamquam *δυσουρίαν* medici ad aliam cauſſam referant. SIBI *moleſta eſſe:*} cum ipſi dolorem non eſſe malum dicerent: quod ſi non malum, cur moleſtum? Epicurus tamen illa quidem ſibi eſſe moleſta, nec tamen uinci ſe dolore, aut ſuc-

cumbere dicebat . itaque deridens eum Cicero , Forticulum , inquit Tuſc. 2 . ſe in torminibus , & in ſtranguria ſua praebeat . Et in eadem ſupra : Epicurus ea dicit , ut mihi quidem riſus captare uideatur . affirmat enim quodam loco : ſi uratur ſapiens , ſi crucietur : exſpectas fortaſſe , dum dicat : patietur , perferet , non ſuccumbet : in Phalaridis tauro ſi erit, dicet : quam ſuaue eſt hoc : quam hoc non curo . Ergo , ſe quidem ſentire uim doloris , aiebat Epicurus , nec tamen ſuccumbere , & ex memoria ſuorum inſtitutorum conſolationem capere . Cur igitur , dicet aliquis , eum , dolori non ſuccumbentem , Stoici male accipiebant? uel quia cauſſas eorum morborum ſpectarent , unius edacitatem , alterius etiam turpiorem intemperantiam: quo in utroque culpa aegrotantis agnoſcitur: uel quia ne queri quidem eum de magnitudine doloris oportere dicerent : ſiquidem index moleſtiae querella eſt. PERTIMVERAM:} alium enim profluuium ſaepe exulceratio uiſcerum cum ſanguine conſequitur. LOCI . MVTATIO,} Tuſc. 4. Loci mutatione, tamquam aegroti non conualeſcentes, ſaepe curandus eſt. SENESCENTIS} iam enim decem dies ex inteſtinis laborauerat . ep. 6. lib. IV. Hoc tam graui uulnere , etiam illa, quae conſenuiſſe uidebantur , recrudeſcunt. REMISSIO} In Bruto : Cum remiſerant dolores pedum , non deerat in cauſſis. LEX *ſumptuaria , quae uidetur λιτότητα attuliſſe ,*} Cum infra dicat : Terra nata , quae lege excepta ſunt : ſignificare uidetur Liciniam legem: de qua lib. 2 . cap. 24. Gellius haec ſcripſit: Lex Licinia, cum certis diebus centenos aeris impendi permiſiſſet , nuptijs ducenos indulſit , ceteriſq. diebus ſtatuit aeris tricenos ; cum & carnis aridae , & ſalſamenti certa pondera in ſingulos dies conſtituerit ; ſed, quidquid eſſet natum e terra , uite , arboreque , promiſcue , atque indefinite largita eſt . Macrobius quoque Sat. lib. III. eadem Licinia lege, quod ex terra , uite, arbore ue natum eſſet , exceptum oſtendit . Omnino poſt Liciniam & Sulla dictator ſumptuariam legem , & , Sulla mortuo , aliam Lepidus conſul tulit , ut ijdem Gellius & Macrobius litteris mandarunt : ſed in neutra nominari uideo terra nata . Cogitaui , num eadem ſit lex , de qua in ep. 15 . lib. IX. Domum ſi habebo ; in denos dies , ſingulos ſumptuariae legis conferam . Et ep. ult. eiuſdem libri : Epulamur una non modo non contra legem , ſi ulla nunc lex eſt , ſed etiam intra legem . Sed opinari aliquis poſsit , diuerſas eſſe leges , & hanc , ut dixi , Liciniam eſſe , illam uero Iuliam , a C. Caeſare dictatore poſt bellum Africanum latam : de qua ſic ep. 7. lib. XIII. ad Atticum : Veniſſe a Caeſare narrabat litteras : hoc ſcribere , ſibi certum eſſe Romae manere : cauſſamq. eam adſcribere , ne ſe abſente leges ſuae negligerentur , ſicut eſſet neglecta ſumptuaria . Mihi tamen hoc argumentum non ſatis certum uidetur . non enim ex ijs uerbis , a Caeſare , potius quam a quouis alio latam eſſe legem illam ſumptuariam , licet conijcere . Addo illud , quod Suetonius , cum ait , Legem praecipue Sumptuariam exercuit , latorem eius legis Caeſarem non oſtendit , ſed cuſtodem , & obſeruatorem acerrimum . Nec uero eam legem praetermiſſuros fuiſſe Gellium , & Macrobium , cum ceteras omnes ſumptuarias nominarent , uериſimile eſt . Obijci tamen poteſt Dionis teſtimonium : cuius haec ſunt lib. XLIII. Τὰ ἀναλώματα τῶν τι ἐχόντων, ἐπὶ πλεῖστον ὑπ' ἀσωτίας ἐξηγμένα, οὐκ ἐν νόμῳ μόνον ἐμετρίασεν, ἀλλὰ τῷ ἔργῳ ἰσχυρῶς ἐν φυλακῇ ἐποιήσατο. ideſt : Sumptibus ditiorum, quos maxime luxus auxerat , non ſolum in lege modum ſtatuit , ſed re etiam obſeruari uehementer uoluit . Quod ego ſic interpretor : Caeſarem ueterem legem correxiſſe , non ipſum nouam tuliſſe : aut , ſi tulit , obſeruatam eſſe uſque ad Auguſtum dumtaxat ; deinde exoleuiſſe , Auguſto nouam ferente , quam Gellius appellat : ideoq. nec a Gellio , nec a Macrobio nominatam . Eſto : tulerit ſumptuariam legem dictator Caeſar : tamen haec eſſe non poteſt : ſiquidem , ſcriptam eſſe hanc epiſtolam aliquot annis ante ciuile bellum , perſpicue demonſtrat cooptatio Lentuli in augurum collegium . eſt enim hic Lentulus Lentuli Spintheris filius, qui conſul filium creari augurem uoluit, ut ait Dio lib. XXXIX. idem colligitur ex orationis pro Sextio extrema parte . Nec uero me illa uerba minimum mouent : Neque ijs , qui mea opera uti uolebant, probarem me non ualere . Suam enim operam Cicero poſt ciuile bellum in forenſibus cauſsis uel nemini , uel certe paucisſimis praebuit . huc ſpectat illud ep. 3 . lib. IV. Poſtea quam illi arti , cui ſtudueram , nihil eſſe loci neque in curia , neque in foro uiderim , omnem meam curam , atque operam ad philoſophiam contuliſſe . Et ep. 6. eiuſdem libri: Nihil in foro agere libebat . Et ep. 18. lib. IX. Sublatis iudicijs , amiſſo regno forenſi , ludum quaſi habere coepi . Et in eadem paullo poſt : Ipſe melior fio , primum ualetudine ; quam , intermiſſis exercitationibus , amiſeram : deinde , ipſa illa , ſi qua fuit in me , facultas orationis , niſi me ad has exercitationes retuliſſem , exaruiſſet . Et ep. 20. eiuſdem libri uitam ſuam ita deſcribit , ut , nihil ſe temporis dare iudicijs , & foro , non obſcure ſignificet . Praeterea libri eius tam multi de philoſophia poſt oppreſſam remp. ſcripti , ſatis indicare uidentur , agendis eum cauſsis impeditum non fuiſſe . Quod uero dictum eſt a me , fieri poſſe , ut paucis quibuſdam Cicero ſuam operam in foro nauauerit ; ideo dictum , quia in ep. 24. uideo P. Sextium ab eo defenſum eſſe . quod etiam ep. 47. lib. XIII. ad Att. ſcriptum eſt . nam Ligarij , & Deiotari cauſſam non in foro , ſed intra priuatos parietes ad unum Caeſarem egit . Λιτότητα : frugalitatem . EA *mihi fraudi fuit* . } Ea , uidetur abundare , nec tamen abundat ; ualet enim ad indicandum: ut ep. 28. lib. XIII. Illud, quod ſupra ſcripſi, id tibi confirmo. Idem obſeruauimus in Tuſc. 1 . & lib. 2 . de Nat. de. *Fraudi fuit* : non , decepit me : ſed , mihi nocuit . nam Fraudem pro poena & damno ueteres interdum uſurpabant , Vlpiano teſte : quod Ciceronis etiam declaratur exemplis . ep. ult. lib. V. ad Att. Fit gratia Bruti S. C. ut ne ue Salaminijs , ne ue qui eis dediſſet , fraudi eſſet . Et ep. ult. lib. VII. ad eundem : Ego me ducem in ciuili bello , quoad de pace ageretur , negaui eſſe : non quin rectum eſſet ; ſed quia , quod multo rectius fuit , id mihi fraudem tulit . Et Phil. V. Cenſeo , ut ijs , qui in exercitu Antonij ſunt , ne ſit ea res fraudi , ſi ante Kal. Febr. ab eo diſceſſerint . TERRA . NATA , } ut herbas , fungos , ſimilia . nam aues , piſces , quadrupedes, terra ipſa non naſcuntur , ſed generantur . HELVELLAS , } holera minuta : ut ait Feſti mutilator Paullus . CENA . AVGVRALI } augures,

gures, ſacerdotium ineuntes, collegis cenam dabant lautam in primis, atque opiparam. Varro lib. III. cap. 6. Primus pauones augurali cena poſuiſſe dicitur Q. Hortenſius. Eadem Adijcialis cena uocabatur. nam Plinius lib. X. cap. 20. Pauonem, ait, cibi gratia Romae primus occidit orator Hortenſius adijciali cena ſacerdotij. APVD. LENTVLVM,} Corneliae gentis patriciae, eius Lentuli filium, ad quem ſcribuntur epiſtolae lib. I. is adoptione tranſijt in gentem Manliam, ut augur fieri poſſet. uetabat enim lex duos eiuſdem gentis augures fieri. & erat eo tempore, cum auguratum petijt hic Lentulus, augur Fauſtus Cornelius, Sullae dictatoris filius. itaque facta legi fraus eſt. Dio lib. XXXIX. Διάῤῥοια} profluuium alui. MVRENIS} Murena duplex eſt, marina, & fluuiatilis: marina, ſine pinnis, paruis branchijs, ut ait Theophraſtus, ſerpens, non natans, extra minutis diſtincta maculis, intra ariſtis ualde obſita, ore, ut anguillae, in ſummo roſtro, ueterum expetita menſis: quod genus & C. Caeſar triumphalibus cenis dedit, ut ait Varro lib. III. de re ruſt. eumq. ſecuti Plinius, & Macrobius: & Cicero uidetur hic murenam, ut ſuauiſsimum piſcem, nominare. Feneſtella etiam primum in menſa locum murenis tribuit. Tripatinum, inquit, appellabatur ſumma cenarum lautitia. una erat murenarum, altera luporum, tertia myxonis. Nobis moleſtiam affert ariſtarum multitudo: ueteres artem callebant ariſtas detrahendi: quod uocabant Exoſſare. unde Plautus in Amphitr. Mirum, inquit, ni hic me quaſi murenam exoſſare cogitat. Accerſebantur ad Romanas piſcinas ab uſque freto Siculo, quod ibi eſſent omnium optimae. Graece πλῶται, Latinae flutae appellatae; quod in ſummo ſupernantes, ut ait Macrobius, torrefactae ſole, curuare ſe, & in aquam mergere non poſſent. recitat idem Macrobius ex libro Varronis, qui inſcribitur Gallus, qui hodie non exſtat, haec uerba: In Sicilia quoque, inquit, manu capi murenas flutas, quod hae in ſumma aqua prae pinguitudine fluitent. Exeunt interdum in ſiccum, ut tuto fetus edant. coire eas cum uiperis, uulgo creditum eſt: ſed Ariſtoteles, & Andreas, ab Athenaeo nominatus, hanc opinionem confutarunt. Fluuiatilem a marina Dorion apud Athenaeum diſtinguit: ait enim, unam dumtaxat ei ſpinam eſſe. quo ſigno, & praeterea uerſibus Auſonij infra ſcriptis adducor, ut eam exiſtimem eſſe, quae Lampreda dicitur, Muſtela etiam a ueteribus nuncupata.

„ Quaeq. per Illyricum, & ſtagna binominis Iſtri,
„ Spumarum indicijs caperis muſtela natantum,
„ In noſtrum ſubuecta mare; ne lata Moſellae
„ Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
„ Quis te naturae pinxit color? atra ſuperne
„ Puncta notant tergum, quae lutea circuit Iris.
„ Lubrica caeruleus perducit tergora fucus.
„ Corporis ad medium fartim pingueſcis: at illinc
„ Vſque ſub extremam ſqualet cutis arida caudam.

Fluuiatilium duo genera, unum, quod e mari ſubit flumina: quo de genere loquitur Auſonius. atque hae quidem maiores lampredae ſunt: quas nonnulli myrum atrum exiſtimarrunt. eſt enim & ſubrufus, ſuauitate inferior. Alterum genus in fluminibus & naſcitur, & degit. quod autem de fluuiatilibus, idem de lacuſtribus, dico. eaedem enim ſunt, his notis a marinis murenis diuerſae, primum, quod latas habent maculas in atro tergo, os infra roſtrum, pinnas, & branchias, has quidem ſeptenis foraminibus incluſas, illas non ab utroque latere, quibus ut remis alij piſces utuntur, ſed in extremo dorſo: itaque nec ſerpunt, ut marinae, quia pinnas habent; nec natant, ut reliqui piſces, quia non habent eas in lateribus, ſed feruntur, & corporis impetu, & nonnihil tamen pinnis adiuuantibus. VIDIT} ante quam Cicero in Tuſculanum iret. NAVSEANTEM} ob cruditatem, ex beta & malua.

---

# Argumentum ep. 27.

*INique Gallus Ciceronem litteris accuſauerat. uiciſsim igitur eum Cicero repungit. Incertus eſt huius epiſtolae annus. id tãtum conſtat, ſcriptam eſſe Caeſare dominante. quod illa uerba demonſtrant: Et ais fore, ut te Caeſar reſtituat. Quod ſi Gallus hic eſt P. Sextius, ut infra iudicabitur: ſcripta uideri poteſt uel quo anno Caeſar occiſus eſt, uel anno ſuperiore.*

## *Cicero S. D. Gallo.* 27.

*MIROR, cur me accuſes; cum tibi id facere non liceat. quod ſi liceret, tamen non debebas. EGO enim te in conſulatu obſeruaram. & ais fore, ut te Caeſar reſtituat. Multa tu quidem dicis, ſed tibi nemo credit. Tribunatum plebis dicis te mea cauſſa petiſſe. utinam ſemper eſſes tribunus: interceſſorem non quaereres. Negas me audere, quod ſentiam, dicere: quaſi tibi, cum parum pudenter me rogares, parum fortiter reſponderim.*

Haec

*Haec tibi ſcripſi, ut iſto ipſo in genere, in quo aliquid poſſe uis, te nihil eſſe cognoſceres. quod ſi humaniter mecum queſtus eſſes; libenter tibi me, & facile purgaſſem. non enim mihi ingrata ſunt, quae feciſti, ſed, quae ſcripſiſti, moleſta. Me autem, propter quem ceteri liberi ſunt, tibi liberum non uiſum, demiror. nam, ſi falſa fuerunt, quae tu ad me, ut ais, detuliſti; quid ego tibi debeo? ſin uera; tu es optimus teſtis, quid mihi populus R. debeat. Vale.*

## EXPLANATIO

GALLO.} alij credunt, hunc eſſe Q. Fabium Sangam, qui, de coniuratione Catilinae, quae ab Allobrogibus acceperat, ad Ciceronem detulit. ego illi cognomen Gallo fuiſſe non arbitror. itaque libentius crediderim, hunc eſſe P. Sextium, pro quo exſtat oratio, cui cognomē fuerit Gallo: fuiſſe enim hoc Sextiae gentis cognomen, intelligitur ex oratione pro Milone, ubi ita ſcriptum eſt: Sacrarium, quod eſt in fundo T. Sextij Galli. Tribunatum autem plebis & petijſſe Sextium Ciceronis reſtituendi cauſſa, & pro eius ſalute geſſiſſe, ex ipſius Ciceronis oratione notiſſimum eſt. quod item de Fabio Sanga dici non poteſt. neque enim is, quo tempore Cicero exſulauit, tribunus fuit. quod facile cognoſcitur ex oratione poſt reditū, in ſenatu habita: in qua nominantur octo tribuni pl. quorum ſtudio, atque opera Cicero ſit in patriam reſtitutus, T. Milo, P. Sextius, C. Sextilius, M. Ciſpius, T. Fadius, M. Curtius, C. Meſcinius, Q. Fabricius, nulla Q. Fabij Sangae mentio fit. Addo illud, & hunc exſulaſſe Gallum, quod illa uerba declarant, Ais fore, ut te Caeſar reſtituat; & P. Sextium, quem opinor eundem eſſe cum Gallo. accuſatum enim uideo ep. 24. & ad Att. ep. 47. lib. XIII. damnatum autem conijcio ex ep. I. lib. XIV. ad eundem. Iam uero illa uerba: Vt iſto ipſo in genere, in quo aliquid poſſe uis, te nihil eſſe cognoſceres: optime in Sextium conueniunt, qui ſalibus delectabatur. nam ep. 32. Ais enim, ut ego diſceſſerim, omnia omnium dicta, in his etiam Sextiana, in me conferri. Quod uero infra dicitur, Si falſa fuerunt, quae tu ad me detuliſti: quis non putet ſignificari ea, quae Sextius, C. Antonij conſulis quaeſtor, ad Ciceronem conſulem de ipſo Antonio, conſule ſuo, detulit? ſic enim in oratione pro eodem Sextio habita: Quaeſtor C. Antonij, collegae mei, fuit, ſorte, ſed ſocietate conſiliorum meus. impedior nonnullius officij, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam, quanta ad me detulerit. NON *liceat.*} non enim habes, cur me accuſes. NON *debebas.*} propter amicitiam. EGO *enim te in conſulatu obſeruaram.*} uerba ex epiſtola Galli. Obſeruare, minus eſt, quam colere. Phil. 2. Cultus ſum a te, tu a me obſeruatus in petitione quaeſturae. Eſt autem Obſeruare, cum ad aliquem honoris officij ue cauſſa ſaepe accedimus. quod & locus indicat ex Phil. 2. proxime recitatus, & illud in ep. I. lib. I. ad Att. Obſeruat L. Domitium maxime. Obſeruamus & animo: ut cum dicimus, Mea in te beneuolentia, & obſeruantia. RESTITVAT.} ab exſulio. MEA *cauſſa petiſſe.*} ut reſtitueres me. quod Sextius in tribunatu maxime curauit. uide orationem pro ipſo. INTERCESSOREM *non quaereres.*} me non rogares, ut pro te apud Caeſarem intercederem. tribunorū enim interceſſio eſt. Iocatur Cicero in ambiguo uerbo. quae dicitur ὁμωνυμία. NEGAS *me audere, quod ſentiam, libere dicere:*} contigit hoc Caeſare dominante. ep. 9. lib. IV. Dicere fortaſſe, quae ſentias, non licet. ME *rogares,*} per litteras. ep. I. lib. XIV. ad Att. Cum, Sextij rogatu, apud eum fuiſſem. Quibus ex locis exſulaſſe Sextium conſtat. rogauit enim Sextius abſens Ciceronem, ut de ſuo reditu Caeſari ſupplicaret. PARVM *fortiter*} ex hoc intelligitur, Gallo primum roganti Ciceronem negaſſe. ISTO *ipſo in genere,*} in acutis dictis. PVRGASSEM.} excuſationem attuliſſem, cur de tuo reditu cum Caeſare non egiſſem. QVAE *feciſti,*} in tribunatu, de meo reditu. QVAE *ſcripſiſti,*} quae exprobraſti. LIBERI *ſunt,*} Catilinae coniuratione patefacta, atque oppreſſa. TIBI *liberum non uiſum,*} negas enim me audere, quod ſentiam, libere dicere. DETVLISTI;} de C. Antonij, conſulis tui, conſilijs. QVID *mihi populus R. debeat.*} a me ſeruatus.

---

## Argumentum ep. 28.

*PRobat conſilium Curij, qui, rep. deſperata, in Graeciam ſe contulerit. & adiungit, ſe totum, poſtea quam libertatem amiſſam uiderit, litteris, & ſcriptioni tradidiſſe. Scripta Caeſare dominante, anno tamen incerto.*

### *M. Cicero S. D. Curio.* 28.

MEMINI, *quod mihi deſipere uidebare, quod cum iſtis potius uiueres, quam nobiſcum. erat enim multo domicilium huius urbis, cum quidem haec urbs, aptius humanitati, & ſuauitati tuae, quam tota Peloponneſus, nedum Patrae. nunc contra & uidiſſe mihi multum uideris, cum, prope deſperatis his rebus, te in Graeciam contuliſti; & hoc tempore non ſolum ſapiens, qui hinc abſis, ſed etiam beatus; quamquam quis, qui aliquid ſapiat, nunc beatus eſſe poteſt? ſed, quod tu, cui licebat, pedibus es conſecutus, ut ibi eſſes, ubi nec Pelopidarum: noſti cetera: nos idem propemodum conſequimur alia ratione. cum enim ſalutationi nos dedimus amicorum, quae fit hoc etiam frequentius, quam ſolebat, quod, quaſi auem albam, uidentur bene ſentientem*

*ciuem*

*ciuem uidere: abdo me in bibliothecam: itaque opera efficio tanta, quanta fortaſſe tu ſenties. intellexi enim ex tuo ſermone quodam, cum maeſtitiam meam, & deſperationem accuſares, domi tuae dicere te, ex meis libris animum meum deſiderare. ſed mehercule & tum remp. lugebam, quae non ſolùm ſuis erga me, ſed etiam meis erga ſe beneficijs erat mihi carior; & hoc tempore, quamquam me non ratio ſolum conſolatur, quae plurimum debet ualere, ſed etiam dies, quae ſtultis quoque mederi ſolet, tamen doleo ita communem rem eſſe dilapſam, ut ne ſpes quidem, melius aliquando fore, relinquatur. nec uero nunc quidem culpa in eo eſt, in cuius poteſtate omnia ſunt: niſi forte id ipſum eſſe non debuit: ſed alia caſu, alia etiam noſtra culpa ſic acciderunt, ut de praeteritis non ſit querendum. reliquam ſpem nullam uideo. quare ad prima redeo. ſapienter haec reliquiſti, ſi conſilio; feliciter, ſi caſu. Vale.*

## EXPLANATIO

CVRIO} hic eſt ille Curius, qui nominatur ep.17.& 50.lib.XIII.& ep.1.6.9.14. lib.XVI. & ad Atticum ep.2.3.lib.VII.& ep.5.6.lib.IIX. MEMINI, *quod mihi deſipere uidebare,*} cum in undecim ſcriptis libris uideam eſſe, Quod nō Cum, ut eſt in impreſsis; teſtimonium antiquitatis contemnendum nō putaui; &, Quod, repoſui, delui Cum. Porro, quia mutationis fortaſſe cauſſam, attulit inſcientia Latinae linguae; cum inuſitatum uideretur, Memini quod uidebare: non patiar hunc loquendi modum poſthac, quaſi barbarum, & ſordidum, reijci: & afferam illa, quae tum apud ipſum Ciceronem, tum apud alios, Romani ſermonis obſeruatione, collegi. ac primum a noſtro Cicerone ordiamur. Epiſtola 40. lib. XIII. Si ulla umquam apud te mea commēdatio ualuit; quod ſcio multas ualuiſſe plurimum; haec ut ualeat, rogo. Et epiſtola ultima lib.IX. ad Atticum: Aliquando ſententiam, ut nihil noui, niſi id, quod minimum uellem ſpiritum reliquum eſſe. Ad eundem ep.4. lib. X. Cum ſcripſiſſet, quod me cuperet ad urbem uenire. Lib.1. de Leg. Cum omne genus humanum ſociatum inter ſe eſſe intelligatur; illud extremum eſt, quod recte uiuendi ratio meliores efficit. Off.lib.1. Illud etiam animaduerto, quod, qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtris uocaretur. Lib.2. Videndum illud item, quod, ſi opulentum, fortunatumq. defenderis, in illo uno, aut forte in liberis eius maneat gratia. Et Coelius ep.6.lib.IIX. Illud mihi occurrit, quod inter poſtulationem, & nominis delationem uxor a Dolabella diſceſsit. Praeterea Varro lib.1. de re ruſt. Cato, gradatim praeponens, alium alio agrum meliorem dicit eſſe: & quod ſit primus, ubi uineae poſſunt eſſe bono uino, & multo; ſecundus, ubi hortus irriguus. Et lib.2. Facile eſt, quod habeant conſeruā in uilla. Liuius autem, lib. XLII. P. Licinius conſul S. C. recitari iuſsit: primum, quod bellum ſenatus Perſeo iuſsiſſet: deinde, quod ueteres centuriones quamplurimū ad id bellum ſcribi cenſuiſſet. Idem lib. XLV. Quam feliciter remp. adminiſtrauerim, & quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare uos, Quirites, arbitror. Suetonius in Veſpaſiano: Recordatus, ſuper cenam, quod nihil toto die cuiquam eorum praeſtitiſſet. Omnium autem antiquiſsimi, Plautus, & Cato Cenſorius, ille in Aſinaria, Equidem, inquit, iam ſcio, filius quod amet meus. Et in Trinummo: Minus quindecim dies ſunt, quod pro his aedibus minas quadraginta accepiſti a Callide. Cato autem in epiſtola ad Marcum filium, quam Plinius lib. XXIX. c. 1. recitat, Dicam, inquit, de iſtis Graecis, Marce fili, quid Athenis exquiſitum habeam; & quod bonum ſit, eorum litteras inſpicere, non perdiſcere. CVM *iſtis*} cum Graecis. Patris enim Curius negotiabatur: ut infra, & ep. 17. lib. XIII. & alibi. CVM *quidem haec urbs,*} ὑπερβολή, ex indignatione orta, & dolore libertatis amiſſae. nam ciuitas quidem, corruptis moribus, & ſtatu reip. mutato, deſinit eſſe quae fuit: urbs tamen eadem remanet. Hinc apparet, ipſa de ciuitate quid Cicero ſentiat: cum in urbem quoque, ſenſu carentem, inuehatur. NEDVM *Patrae.*} niſi uis, quae latet in ſingulis uerbis, perfecte cognoſcatur, tota profecto frigebit elocutio. quare, ſi nonnulla, quae uideri poſſunt humiliora, ꝓſequimur, aequus lector ignoſcere debebit. Nedum, hanc uim habet, ut neget ſemper, numquam affirmet. non enim dixeris: Diligo familiares omnes tuos, nedum te: quod eſſet affirmātis: nam hoc diceretur: non ſolum te, ſed familiares etiam tuos omnes diligo. Proprie uero ſic: Is ne propinquos quidem ſuos amat, nedum te. Huc ſpectant omnia Ciceronis exempla: quorum duo tantum, praeter hoc ad Curium, quod ſatis patet, afferemus. In Rullum: Homo priuatus uix facile ſeſe continet; nedum iſti non conquiſituri ſint aliquid ſceleris. Pro domo: Tamen in ſcelere religio non ualeret: nedum ualeat id, quod &c. Audiamus Terentium in Heaut. Satrapes ſi ſiet amator, numquam ſufferre eius ſumptus queat: nedum tu poſsis. Nec aliter Salluſtius in Cat. Secundae res ſapientum animos fatigant: nedum illi, corruptis moribus, uictoriae temperarent. Vnum uidetur opponi poſſe Ciceronis exemplum in ep.14. lib. VII. ad Att. Tu, quoniam quartana cares, & nedum morbum remouiſti, ſed etiam grauedinem, te uegetum nobis in Graecia ſiſte. Sed hic locus aliter legitur in antiquis libris: itaque; ſi quis eius utatur teſtimonio, parum probabit. Legitur autem hoc modo. Tu, quoniam quartana cares, & nouum morbum remouiſti. Quod ipſum carere mendo, non equidem affirmarim: ſed id, quod nunc agitur, affirmo. Nedum, in ullo non uidiſſe me uetere libro. VIDISSE *multum*} ſi conſilio haec potius, quam caſu, reliquiſti. Vide in extrema epiſtola, & ep. 30. PROPE *deſperatis his rebus,*} appropinquante ſe ciuili bello. SAPIENS} propter conſilium. non enim redire uis. BEATVS:} qui multis rebus, quibus nos caremus, tranquillo animo fruare. CVI LICEBAT,} tibi licebat hinc abire: nobis idem non licet. VBI *nec Pelopidarum:*} Pelopidas uocat malos ciues, qui remp. armis oppreſſerant. Subiungit autem, Noſti cetera: quia non eſt integer poetae locus. uerba omnia ponuntur ep.30. Cupio, inquit, aliquo peruenire, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. & ep.XI.

lib.XV.

lib.xv. ad Att. Etſi ne antea quidem dubitaui, tamen nunc eo minus, euolare hinc, idq. quamprimum, ubi nec Pelopidarum facta, neque famam audiam. Nec dubito, quin huc reſpexerit, cum dixit Phil.13. Mo- ueri ſedibus ſuis huic urbi melius eſt, atque in alias, ſi fieri poſsit, terras demigrare, unde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat, quam &c. IDEM *conſequimur*} abdo enim me in bibliothecam; ne Pelopida rum nomen, aut facta audiam. SALVTATIONI *amicorum*,} ſalutandis amicis, mane uidelicet: nã ep.20. lib.IX. Haec eſt nunc uita noſtra. mane ſalutamus domi & bonos uiros multos, ſed triſtes, & hos lae- tos uictores: qui me quidem perofficioſe, & peramanter obſeruant. ubi ſalutatio defluxit, litteris me inuol- uo: aut ſcribo, aut lego. QVASI *auem albam*,} quaſi nouum quiddam. prouerbium, ex eo natum, quia rarae aues albae. ABDO *me in bibliothecam*:} Litteris me inuoluo, dixit ep. 20. lib. IX. OPE- RA *efficio tanta*,} ne quis ex hoc loco putet, ſcripta alicuius quae dicuntur, eadem Opera dici poſſe. nã, opus generale nomen eſt earum rerum, quae poſt operam, & induſtriam remanent. ep.18. lib.XVI. An pan gis aliquid Sophocleum? fac opus appareat. Et epiſt. 4. ad Att. lib.2. Curabo, ut huius peregrinationis tibi opus exſtet. SENTIES.} iudicabis. EX MEIS *libris*} cum diceres, non eum me eſſe, qui uide- rer in meis libris. TVM} ante bellum ciuile, ſed rep. iam deſperata. NON *ſolum ſuis erga me, ſed etiã meis erga ſe*} alij, hunc locum eſſe mancum in omnibus, quos ipſi uiderint, paullo antiquioribus libris, affirmarunt. nos integrum uidemus eſſe in omnibus, quos habemus. DIES,} ep.5 lib.IV. Nullus do lor eſt, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. & ep.16. lib.V. Quod allatura eſt ipſa diu- turnitas, quae maximos luctus uetuſtate tollit. COMMVNEM *rem*} rempublicam. Siſenna hiſt. lib. IV. Quondam Sabini feruntur uouiſſe, ſi res communis melioribus locis conſtitiſſet, ſe uer ſacrum facturos. NVNC *quidem*} quo modo res habet, ut nunc quidem eſt. IN EO} in Caeſare. IN CVIVS *poteſtate omnia ſunt*:} hoc uarie dixit ep.7. 8.9.13. lib.IV. ID IPSVM} ut in eius poteſtate eſſent omnia. NOSTRA *culpa*} ep.6. lib.IX. Haec in uoluntate fuerunt. AD PRIMA *redeo*.} ad pri- mam epiſtolae partem: in qua dixit, cum & uidiſſe multum, cum in Graeciam ſe contulit; & beatum eſſe, qui abeſſet, non modo ſapientem. quam ſententiam iterauit ſequentibus uerbis: Sapienter haec reliqui- ſti, ſi conſilio; feliciter, ſi caſu. ep.20. lib.I. ad Att. Vt ad prima illa redeam. FELICITER. *ſi caſu*.} ſi non ideo diſceſsiſti, quod haec putares euentura. Caſus, & Conſilium opponuntur. ep.2. lib. V. Huius ego temeritati ſi uirtute, atque animo non reſtitiſſem: quis eſſet, qui me in conſulatu non caſu potius exiſtima- ret, quam conſilio, fortem fuiſſe? Poteſt igitur felicitas eſſe in aliqua re ſine conſilio, in omni re non poteſt.

---

# Argumentum ep. 29.

*MEmoriam declarat accepti a Cicerone beneficij, & commendaticias ab eo literas petit ad Sulpicij ſucceſſorem. Scripta eo anno, quo primũ Caeſar quartum conſul fuit ſine collega, deinde Q. Fabius cum C. Trebo- nio, ut patet ex epiſtola ſequenti.*

## *Curius M. Ciceroni ſuo S.* 29.

*SI uales, bene: ſum enim* χρήσει μὲν *tuus,* κτήσει δὲ *Attici noſtri. ergo fructus eſt tuus, mancipium illius. quod quidem ſi inter ſenes coemptionales uenale proſcripſerit, egerit non multum. at illa noſtra prae- dicatio quanti eſt? nos, quod ſimus, quod habea- mus, quod homines exiſtimemur, id omne abs te ha- bere. quare Cicero mi perſeuera conſtanter nos cõſeruare: & Sulpicij ſucceſſori nos de meliore nota commenda, quo facilius tuis praeceptis obtemperare poſſimus; teq. ad uer lubentes uidere, & noſtra defigere, deportareq. tuto poſſimus. Sed, amice magne, noli hanc epiſtolam At tico oſtendere: ſine eum errare, & putare me uirum bo num eſſe, nec ſolere duos parietes de eadem fidelia deal bare. ergo patrone mi bene uale, Tironemq. meum ſaluta noſtris uerbis. D. A. D. IV. Kal. Nou.*

## EXPLANATIO

SVM. ENIM *χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici noſtri.*} uſu quidem tuus, poſſeſsione autem Atti- ci. Eandem ſententiam lepide expreſsit Lucretius lib. III. Vitaq. mancipio nulli datur, omnibus uſu. MANCIPIVM} poſſeſsio ipſa, &, ut ita loquar, ius dominij. QVOD *quidem ſi inter ſenes coemptiona- les uenale proſcripſerit*,} Non opinor hoc dici: ſi me Atticus, mancipium ſuum, uenale proſcripſerit inter ſenes, qui coemant, ſed, inter ſenes, qui coemptiones faciant. aliud eſt enim coemere, aliud coemptionem facere. coemere, notam habet ſignificationem: coemptionem facere, eſt, cum mulier in manum uiri conue- nit ſollemni quadam ſtipulatione, qua ſe inuicem coemebant. quo facto, ſibi inuicem ſuccedebant: ut etiam domeſtica ſacra, mulierum tamen, non uirorum, interirent. non enim uir in mulieris poteſtatem, ſed mu- lier in poteſtatem uiri coemptionis iure tranſit: itaque amittit paterna ſacra. qua de re iuris conſultos Cicero

exagitat

exagitat in oratione pro Murena . Mulieres , inquit, omnes propter infirmitatem conſilij maiores in tuto-
rum poteſtate eſſe uoluerunt: hi inuenerunt genera tutorum , quae poteſtate mulierum continerentur . ſa-
cra interire illi noluerũt : horum ingenio ſenes ad coemptiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſſa
reperti ſunt. in omni denique iure ciuili, aequitatem reliquerunt , uerba ipſa tenuerunt : & quia in alicuius
libris exempli cauſſa id nomen inuenerant , putauerunt omnes mulieres, quae coemptionem facerent, Ca-
ias uocari. Quod ſi quis roget, qui nam ſint hi ſenes, quos ait Cicero, coemptionum faciendarum cauſſa, iu
riſconſultorum ingenio repertos: dicam eſſe tutores illos, quibus paterfamilias eam poteſtatem teſtamento
reliquerunt, ut filiae ſuae, cum nuberent, coemptionem ſine eorum auctoritate facere non poſsint . id col-
ligere licet ex oratione pro Flacco, in qua ſunt haec. In manum, inquit, conuenerat. Nunc audio: Sed quae-
ro, uſu, an coemptione. uſu non potuit: nihil enim poteſt de tutela legitima ſine omnium tutorum aucto-
ritate diminui. coẽptione? Omnibus ergo auctoribus: in quibus certe Flaccum fuiſſe non dices. Ad hoc ſpe
ctat illud, quod lib. I . de Orat. ſcriptum eſt. Nam neque illud eſt mirandum , qui, quibus uerbis coemptio
fiat, neſciat, eundem eius mulieris, quae coemptionem fecerit, cauſſam poſſe defendere. In eam igitur coem
ptionem, tutorum omnium, ut oſtendimus iam, conſenſu & auctoritate fieri ſolitam, iocari Curius uoluit,
cum de ſe, tamquam mancipio, uendendo loqueretur. ad uerbum autem potius , quam ad ſententiam , re-
ſpexit. nam reuera coemptio illa, a mulieribus facta, nihil ad coemptionem mancipiorum attinebat. Liuius
lib. III . in extremo: Scaptio ne hoc, coemptionali ſeni; aſsignaturos putarent finitimos populos? E GE-
RIT *non minimum.* Lucri parum fecerit. in quo ſe ipſum Curius modeſte extenuat; quaſi uilis & contemnen
da ſit Attici poſſeſsio, fructus autem Ciceronis magni pretij: ſubiungit enim, At illa noſtra praedicatio quan
ti eſt? QVOD *ſimus, quod habeamus , quod homines exiſtimemur, id omne abs te habere.* } Simile illud Plan
ci ep. 24. lib. X. Quod uiuit Antonius hodie; quod Lepidus una eſt; quod exercitus habent non conte-
mnendos; quod ſperant; quod audẽt; id omne Caeſari acceptum referre poſſunt. Et illud Ciceronis ep. I2.
lib. I. ad Atticum: Se, quod eſſet ſenator, quod ciuis, quod liber, quod uiueret, mihi acceptum referre. Nec
diſsimile illud Philipp. 2. Senatui ſic placuit, ut eſſet nemo, qui mihi non ut parenti gratias ageret, qui mihi
non uitam ſuam, fortunas, liberos, remp. referret acceptam. SVLPICII *ſucceſſori* } Acilio. quod e ſe-
quenti epiſtola cognoſcitur. DE *meliore nota* } diligentiſsime. tranſlatio a dolijs, quibus diuerſae inu-
rutur notae, ut internoſcatur uina. Eodẽ modo Catullus ad Manliũ: Quare, quod ſcribit Veronae turpe Ca
tullo Eſſe, quod hic quiſquam de meliore nota Frigida de feno tepefecit membra cubili . TVIS *praeceptis* }
hac epiſtola Curius non reſpondet ſuperiori Ciceronis epiſtolae : in qua praeceptum nullum eſt eiuſmodi,
ut ad urbem Curius redeat , ſed potius , ut Patris maneat. PRAECEPTIS igitur aliarum litterarum,
quas ad eum Cicero ſcripſerat ante bellum ciuile . nam poſtea mutatis temporibus, ſententiam mutauit. un-
de illud in epiſtola proxima: Memini, quod mihi deſipere uidebare, quod iſtic potius uiueres, quam nobiſ-
cum. NOSTRA } fortunas noſtras. Patris enim negotiabatur. ep. I7. & 50. lib. XIII. DEFIGERE, }
aliquot enim annos uixerat Patris , & ibi ſuas res ita conſtituerat , ut fixae uiderentur. TVTO } con-
cedente Sulpicij proconſule. DVOS *parietes de eadem fidelia dealbare.* } putabat Atticus Curium eſſe
omnino ſuum, & fructu, & mancipio. haec epiſtola aliter oſtendit . uenditant enim ſe Ciceroni Curius,
& uidetur duorum ſimul eſſe uelle , uſu quidem Ciceronis , mancipio autem Attici . Adagium eſt a fabris
natum, duos, uel plures etiam unica fidelia parietes dealbantibus . TIRONEM Q. *meum* } Patris aegrum
Tironem Curius familiariter cognouerat. ep. I. 6. 7. lib. XVI. & ad Att. epiſt. 2. 3. lib. VII.

# Argumentum ep. 30.

*IMprobat ea, quae Caeſaris ex uoluntate fiunt, contra leges, moremq. maiorum: ſuam ab urbe diſcedendi cupiditatem ſignificat: Caninium, Q. Fabio pr. Kal. Ian. mortuo, conſulem in eius locum eſſe ſurrogatum , ut in magiſtratu eſſet uſque ad Kal. Ian. Addit de litteris commendaticijs ad Aciliũ, Sulpicij ſucceſſorem, ſcriptis. Caeſare quinctum, & M. Antonio cos. quo anno, idibus Mart. Caeſar eſt interfectus.*

## *Cicero S. D. Curio.* 30.

EGO *uero iam te nec hortor , nec rogo , ut domum redeas : quin hinc ipſe euolare cupio , & aliquo per uenire . ubi nec Pelopidarum nomen , nec facta audiam. incredibile eſt, quam turpiter mihi facere uidear , qui his rebus interſim. nae tu uideris multo ante prouidiſſe, quid impenderet , tum, cum hinc profugiſti . quamquam enim haec etiam auditu acerba ſunt: tamen audire tolerabilius eſt , quam uidere . in campo certe non fuiſti , cum hora ſecunda, comitijs quaeſtorijs inſtitutis, ſella Q . Maximi, quem illi conſulem eſſe dicebant, poſita eſſet. quo mortuo*

*nunciato, ſella ſublata eſt. ille autem, qui comitijs tributis eſſet auſpicatus, centuriata habuit, conſulem hora ſeptima renunciauit, qui uſque ad Kal. Ian. eſſet, quae erant futurae mane poſtridie. ita Caninio conſule ſcito neminem prandiſſe. nihil tamen eo conſule mali factum eſt. fuit enim mirifica uigilantia, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non uiderit. Haec tibi ridicula uidentur: non enim ades: quae ſi uideres, lacrumas non teneres. quid, ſi cetera ſcribam? ſunt enim innumerabilia generis eiuſdem: quae quidem ego non ferrem, niſi me in philoſophiae portum contuliſſem, & niſi haberem ſocium ſtudiorum meorum Atticum noſtrum. cuius quando proprium te eſſe ſcribis mancipio & nexu, meum autem uſu & fructu: contentus iſto ſum.* I D . E N I M *cuiuſque eſt proprium, quo quiſque fruitur, atque utitur. Sed haec alias pluribus. Acilius, qui in Graeciam cum legionibus miſſus eſt, maximo meo beneficio eſt. bis enim eſt a me iudicio capitis, rebus ſaluis, defenſus: & eſt homo non ingratus, meq. uehementer obſeruat. ad eum de te diligentiſſime ſcripſi: eamq. epiſtolam cum hac coniunxi: quam ille cum acceperit, ecquid tibi pollicitus ſit, uelim ad me ſcribas. Vale.*

# E X P L A N A T I O

EGO . V E R O } initio epiſtolarum, Vero, ſecundo loco poſitum, uel negationem demonſtrat, ut hic, uel aſſenſum, ut ep. 6. lib. IV. ep. 5. lib. IX. ep. 12. 22. lib. XVI. I A M *te nec hortor,* } ut hortabar antea. Reſpondet ad eam partem epiſtolae Curij, in qua ſcripſerat, Quo facilius tuis praeceptis obtemperare poſsimus, teq. ad urbem lubentes uidere. N E C *Pelopidarum nomen, nec facta audiam.* } Senarius ex uetere poeta, cũ aliqua uarietate in ep. XI. lib. XXV. ad Att. ſic pronunciatus: Nec Pelopidarum facta neque famam audiam. Ad hunc uerſiculum ſpectauit in illa ſententia in Antonium, Phil. 13. Moueri ſedibus ſuis huic urbi melius eſt, atque in alias, ſi fieri poſsit, terras demigrare, unde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat, quam illos intra haec moenia uidere. A V D I R E *tolerabilius eſt, quam uidere.* } ep. I. lib. VI. Oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miſerijs cogitationem ſinunt. I N . C A M P O } Martio, ubi comitia habebantur. H O R A *ſecunda,* } ſcire oportet, dierum plura genera fuiſſe, uel ab exortu ſolis ad exortum, ut Babylonijs; uel ab occaſu ad occaſum, ut Athenienſibus; uel a meridie ad meridiem, ut Vmbris; uel a luce ad tenebras, ut uulgo; uel a media nocte ad mediam, ut Aegyptijs, & Romanis: quem Plinius, Gellius, Macrobius ciuilem diem uocant. Hic dies, lucem, tenebrasq. complexus, XXIV horarum fuit, ſic, ut lucem duodenae ſemper, totidemq. noctem horae metirentur, diurnae circa ſolſtitium longiſsimae, nocturnae breuiſsimae, contra uero circa brumam. Erat igitur initium ciuilis diei, poſt mediam noctem: quod quamquam luce careret, mane tamen Cicero per iocum appellat a ſimilitudine uulgaris diei, cuius initium mane dicitur, Conſulem, ait infra, hora ſeptima renunciauit, qui uſque ad Kal. Ian. eſſet, quae erant futurae mane poſtridie. Et Virgilius lib. VI. Torquet medios nox humida curſus: Et me ſaeuus equis oriens afflauit anhelis. Aliud igitur erat, dies nominare, ut Kalendas, nonas, idus: aliud, horas, ut primam, ſecundam, tertiam. qui diem nominabat, ſpatium illud horarum XXIV, quod a media nocte ad mediam proximam eſt, totum complectebatur: qui horam, non a media nocte, ideſt ab initio ciuilis diei, numerabat, ſed ab ortu ſolis, unde uulgaris dies incipit, & occaſu deſinit. quod ſpatium fuit, ut diximus, duodecim horarum, quacumque anni parte. inde licet intelligere, cum dicitur hora ſecunda, non eam horam ſignificari, quae poſt mediam noctem, ſed eam, quae poſt ſolis ortum ſecunda eſt. ea uero ſi ad horarum noſtrarum conſuetudinem referatur, quae pridie Kal. Ian. quindecim fere ſunt ab oriente ſole ad occidentem, incidit in horae tertiae dimidium. nam, ut hora ſecunda ſextam partem notat duodecim ueterum horarum: ſic tertiae dimidium ſexta pars eſt noſtrarum quindecim. eadem ratione, quae ſeptima a Cicerone nominatur, nobis incipit ab octauae dimidio, deſinit in tertia nonae parte. Sic Martialis, cum dixit, Incipit exſtructos frangere nona toros; ea ueteres hora cenare ſolitos demonſtrat, quae poſt ortum ſolis nona, ante occaſum quarta eſſet, aeſtate pariter & hieme. inde fluxit ante cenam prandendi mos, poſt cenam comiſſandi: ut cibus tamen in prandio leuis, & facilis caperetur; quod Plinij iunioris ad Marcum epiſtola teſtatur; comiſſatio autem honeſta parum haberetur. C O M I T I I S *quaeſtorijs* } ut quaeſtores anni ſequentis crearentur, comitia, Quinctili menſe fieri ſolita, in menſem Decembrem ideo protracta erant, quia Caeſar abfuerat, Hiſpanienſi bello impeditus: poſt reditum autem triumphare prius uoluit, quam haberet comitia. Ex hoc loco, niſi fallor, licet intelligere, poſtrema omnium comitiorum quaeſtoria fuiſſe. quae enim ſuperſunt, cum haec ultimo anni die habeantur? I N S T I T V T I S , } a Caeſare, cum iam conſularia habuiſſet, quibus ipſe, & M. Antonius deſignati conſules erant. Q. M A X I M I , } Q. Fabij conſulis: quem Suetonius trimeſtrem conſulem uocat: quia Caeſar, ex Hiſpania reuerſus, abdicauit, eumq. cum Trebonio conſulem ſuffecit. Plutarchus in Caeſare, & Tacitus lib. XIX. I L L I } qui erant in campo. D I C E B A N T , } cum illum putarent uiuere. P O S I T A *eſſet.* } ut intereſſet comitijs. I L L E *autem,* } Caeſar conſul, collega Q. Maximi, qui tunc mortuus eſt. habebat autem ideo Caeſar comitia, quia conſul priore loco creatus erat. quod quia Ciceroni quoque contigerat, ut ipſe gloriatur in oratione contra Piſonem, propterea conſularia comitia habuit, quibus Murenam conſulem renunciauit. quod oratio pro ipſo Murena habita declarat. C O M I T I I S *tributis* } creabantur comitijs tributis minores magiſtratus, aedilis pl. quaeſtor, tribunus pl. aedilis cur. centuriatis autem maiores, praetor, conſul, cenſor. utraque a conſule haberi ſolita, & locus hic, & ep. 3. lib. IV. ad Att. declarat. A V S P I C A T V S , } quando auſpicatus, ſi hora ſecunda inſtituit comitia? ante lucem ſcilicet: nam poſt mediam

noctem

noctem auſpicari licebat: exorto autem ſole id agebant, ſuper quo auſpicati erant: auſpicatiq. eſſe, & egiſſe eodem die dicebantur. Hunc ego morem iam ex Gellio, & Macrobio cognoueram: ſed acceſsit poſtea Plinij iunioris teſtimonium in epiſtola ad Marcum, in qua ſcripſit haec de auunculo ſuo: Lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, non auſpicandi cauſſa, ſed ſtudendi ſtatim, a nocte multa, hieme uero ab hora ſeptima, uel, cum tardiſsime, octaua, ſaepe ſexta. Iam, Metellus Nepos conſul, aedilicia comitia habiturus, in campum ante ſolis ortum ueniebat, ut auſpicaretur primum, deinde, orto ſole, comitia haberet. ep. 3. lib. IV. ad Att. CENTVRIATA} ut in locum Fabij conſulem ſufficeret in paucas horas. CONSVLEM} C. Caninium Rebilum, qui Caeſaris legatus bello Gallico fuerat. HORA *ſeptima*} poſt exortum ſolem. RENVNCIAVIT,} qui conſul comitia habebat, ſequentis anni conſules renunciabat. pro Murena: Quae precatus ſum a dijs immortalibus, iudices, more, inſtitutoq. maiorum, illo die, quo auſpicato comitijs centuriatis L. Murenam conſulem renunciaui. NEMINEM *prandiſſe.*} conſul enim renunciatus eſt hora ſeptima, ideſt poſt horam prandij: quod a cena non minus tribus horis diſtabat. SOMNVM *non uiderit.*} poſteriores enim ſex horae noctis, habita ciuilis diei ratione, pertinent ad Kal. Ian. ideſt ad ſequentis anni conſules: priores uero, quae pertinent ad pridie Kal. qui conſulatus ultimus dies eſt, inſomnes ab accupato praeſertim conſule ducuntur. itaque perbelle Cicero, iocum quaerens, breuitatem conſulatus ad uigilantiae laudem conuertit. uide Macrobium lib. 2. Sat. Plut. in Caeſare, Dionem lib. XLIII. Tacitum lib. XIX. PHILOSOPHIAE *portum*} a quo qui abſunt, iactari eos aſsidue rerum [illegible] ibus neceſſe eſt. MANCIPIO, *& nexu*,} hic locus Boetij uerbis explanabitur [illegible] Topicis Ciceronis interpretaretur; Abalienatio eſt eius rei, quae mancipi eſt, aut traditio [illegible], aut in iure ceſsio, inter quos ea ciuili iure fieri poſſunt: haec ſubiunxit: Omnes res, quae abalienari poſſunt, ideſt a noſtro ad alterius dominium tranſire, mancipi dictae ſunt. Mancipi uero res ueteres appellabant, quae ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus ſollemnitatem fieret. Nexus uero eſt quaedam iuris ſollemnitas, quae fiebat eo modo, quo in Inſtit. Caius exponit: cuius haec uerba ſunt: Mancipatio eſt imaginaria quaedam uenditio: quod ipſum ius Romanorum eſt ciuium: eaq. res ita agitur. adhibitis non minus quinque teſtibus, ciuibus Romanis, puberibus, & praeterea alio eiuſdem condicionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens, is, qui mancipium accipit, aes tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritum meum eſſe aio: iſq. mihi emptus eſt hoc aere, aeneaq. libra. deinde aere percutit libram: iſq. aes dat ei, a quo mancipium accipit, quaſi pretij loco. quaecumque igitur res lege XII tabularum aliter niſi per hanc ſollemnitatem abalienari non poterat. Plura Sigonius in Ciue Romano. ACILIVS,} hic eſt Sulpicij ſucceſſor, cui commendari Curius optabat. ep. 29. IN. GRAECIAM} cui praefuerat Sulpicius. Ep. 6. lib. VI. Caſsium ſibi legauit: Brutum Galliae praefecit, Sulpicium Graeciae. Alibi prouinciam Sulpicij Cicero uocat Achaiam, ut ep. 4. lib. IV. ep. 26. 28. lib. XIII. CVM. LEGIONIBVS} non enim omnes in prouincias ibant cum legionibus. MAXIMO *meo beneficio eſt:*} maximum a me beneficium habet: ut cum dicitur, Summo ingenio eſt: & ep. 3. lib. III. ad fr. Cicero tuus, noſterq. ſummo ſtudio eſt Paeonij ſui rhetoris. Quae ſi quis [illegible] iudicat: accipiat, Eſt pro, Viuit. locum certe ſimillimum, qui hunc maxime confirmet, oſtendemus. nam Phil. IIX. ita dixit Cicero: Negat, ſe illi amicum eſſe debere: cum ſuo magno eſſet beneficio, ueniſſe eum contra ſe. IVDICIO. CAPITIS} iudicium capitis illud eſt, quo damnatus uel ciuitatem, uel libertatem amittebat. nam uita non niſi perduellionis crimine adimi potuit. qua de re affatim diximus in libro noſtro de Legibus. REBVS. SALVIS} Aut, rep. incolumi, ut ep. 1. lib. IV. Vtinam, ſerui, ſaluis rebus colloqui potuiſſemus inter nos. Et Acad. lib. 2. Deli fuiſſe multos accepimus, ſaluis rebus illis, qui gallinas alere permultas quaeſtus cauſſa ſolerent. Aut, Rebus ſaluis, nullo ſuo damno: eſt enim abſolutus. QVAM *ille cum acceperit, ecquid tibi pollicitus ſit,*} nonnulli ueteres libri, Quo modo acceperit, & quid. alij, Quando acceperit, quid. Mihi omnino rectius uidetur, Cum acceperit, ecquid. nam pro, Cum, ſcribebant ueteres, Quom: unde factum, Quo modo. eodemq. errore ab, Ecquid, fluxit Et quid.

---

# Argumentum ep. 31.

*INuitat eum ad officia mutua: & , ad urbem ut redeat, ueteris urbanitatis tuendae cauſſa, rogat. Scripta eodem anno.*

## *Cicero S. D. Curio.* 31.

FACILE *perſpexi ex tuis litteris, quod ſemper ſtudui, & me a te plurimi fieri, & te intelligere, quam mihi carus eſſes. quod quando uterque noſtrum conſecutus eſt: reliquum eſt, ut officijs certemus inter nos: quibus aequo animo uel uincam te, uel uincar abs te. Acilio non fuiſſe neceſſe meas dari littteras, facile patior. Sulpicij tibi operam intelligo ex tuis litteris non multum opus fuiſſe, propter res tuas ita contractas, ut, quemadmodum ſcribis, nec caput, nec pedes. equidem uellem uti pedes haberent, ut aliquando redires: uides enim*

*exaruiſſe iam ueterem urbanitatem, ut Pomponius noſter ſuo iure poſſit dicere, Niſi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam. ergo is tibi, nos ei ſuccedimus. ueni igitur, quaeſo; ne tantum ſemen urbanitatis una cum rep. intereat. Vale.*

## EXPLANATIO

AEQVO *animo uel uincam te,*} ep. 7. lib. v. Nulla re tam laetari ſoleo, quam meorum officiorum conſcientia. quibus ſi quando non mutuo reſpondetur; apud me plus officij reſidere, facillime patior. NON *fuiſſe neceſſe*} quia diſceſſurus eſſes. PROPTER *res tuas ita contractas,*} nam, ſi diſperſa, ac diſsipata eius negotia fuiſſent, indiguiſſet opera Sulpicij proconſulis: ſed ea, cum diſceſſum cogitaret, iam contraxerat. NEC *caput, nec pedes.*} habeant. prouerbium eſt. quae enim coacta in unum ſunt, carere capite, & pedibus uidentur. EXARVISSE} defeciſſe, exſtinctam eſſe. Ad Paetum ep. 18. lib. IX. Ipſa illa, ſiqua fuit in me, facultas orationis, niſi me ad has exercitationes retuliſſem, exaruiſſet. In Bruto: Galbae orationes exaruerunt, uix iam ut appareant. Tranſlatio ab agris, qui cum exaruere fruges non ferunt. VETEREM *urbanitatem,*} quattuor nominibus ep. 15. lib. IX. urbanitatem appellat. ſales, leporem, facetias, feſtiuitatem. *Veterem*, qua excelluere olim ij, qui nominantur in eadem ep. C. Laelius ſapiens, Africani minoris amicißimus, Lucilius poeta ſatyricus, L. Craſſus orator, Granius praeco: praeterea is, qui lib. 2. de Orat. diſputat de ridiculis, aequalis Craſsi C. Iulius Strabo. POMPONIVS *noſter*} Atticus, utriuſque amicißimus. nam ep. 29. dixit Curius: Sum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici noſtri. SVO. IVRE} quia, cum excellat facetijs, iure ſuo poteſt hanc ſibi laudem uindicare, idq. dicere, quod interdum dicit, & uere dicit, exaruiſſe ueterem urbanitatem, niſi nos pauci gloriam illam breuiter & acute dictorum, quae praeter ceteros olim floruere Athenienſes, retineamus. GLORIAM *antiquam Atticam.*} haec uerba non carent feſtiuitate quadam: & uelle Cicero uidetur, dum loquitur de urbanitate, non inurbans eſſe. *Gloriam antiquam Atticam*: magnifica uerba ſunt: nec tamen laudatur quidquam, praeter ſales. blanditur igitur Cicero, dum humilem rem extollit, Curio ſimul & Attico; qui ſalibus mire delectabantur. Fortaſſe etiam ipſa Attici uerba refert. quod ſi ita eſt, hoc ipſo iocatur: quaſi Atticus gloriam antiquam Atticam in ridiculis poneret, & eam crederet per tres homines poſſe retineri. ſales autem Attici omnibus praeſtabant: quamquam Cicero, ut aſſentaretur Paeto, Romanos praefert, ep. 15. lib. IX. ERGO *is tibi, nos eis ſuccedimus.*} cum hoc ſatis conſtet, ueterem urbanitatem amiſſam eſſe, niſi nos eam pauci reuocemus: ſequitur illud, ut primus in ea tibi locus, Attico ſecundus, mihi tertius debeatur. ep. 2. lib. VII. ad Att. natiuam ait eſſe in Curio urbanitatem. NE *tantum ſemen urbanitatis una cum rep. intereat.*} urbanitas ipſa exaruit, ſemen tantum remanet. ueni igitur, ſaltem ut ſemen conſeruetur: tantum ne ſemen ipſum amittatur. Sunt qui pro, Tantum, legant, Tamen: mei decem antiqui libri, duoq. praeterea Fuluij Vrſini, Tantum, habent: nec inſulſa, ut mihi uidetur, elicitur ſententia. eſt autem lapſus ab uno uerbo ad alterum facillimus: quia, Tantum, quandoque ſcribitur ſic, Tm̃: tamen ſic, Tn̄.

---

# Argumentum ep. 32.

*SCripſit hanc epiſtolam, cum proconſul Ciliciae praeeſſet, Marcello & Sulpicio cos. tribuno pl. deſignato Curione. Prima pars de dictis eſt, ſecunda de iudicijs, tertia de rep. poſtrema de Dolabella, nondum genero. Sulpicio, & Marcello cos.*

### *Cicero S. D. Volumnio.* 32.

*QVOD ſine praenomine familiariter, ut debebas, ad me epiſtolam miſiſti: primum addubitaui, num a Volumnio ſenatore eſſet, quocum mihi eſt magnus uſus. deinde εὐτραπελία litterarum fecit, ut intelligerem tuas eſſe. quibus in litteris omnia mihi periucunda fuerunt, praeter illud, quod parum diligenter poſſeſſio ſalinarum mearum a te procuratore defenditur. ais enim, ut ego diſceſſerim, omnia omnium dicta, in his etiam Sextiana, in me conferri. quid? tu id pateris? non ne defendis? non reſiſtis? equidem ſperabam ita notata me reliquiſſe genera dictorum meorum, ut cognoſci ſua ſponte poſſent. ſed, quando tanta faex eſt in urbe, ut nihil ſit tam ἀκύθηρον, quod non alicui uenuſtum eſſe uideatur: pugna, ſi me amas, niſi acuta ἀμφιβολία, niſi elegans ὑπερβολὴ, niſi παράγραμμα bellum, niſi ridiculum παρὰ προσδοκίαν, niſi cetera, quae ſunt a me in ſecundo libro de Oratore per Antonij perſonam diſputata de ridiculis, ἔντεχνα, & arguta*

*apparebunt,*

*apparebunt, ut ſacramento contendas mea non eſſe. Nam, de iudicijs quod quereris, multo laboro minus. trahantur per me pedibus omnes rei: ſit uel Selius tam eloquens, ut poſſit probare ſe liberum: non laboro. Vrbanitatis poſſeſſionem, amabo, quibuſuis interdictis defendamus: in qua te unum metuo, contemno ceteros. Deriderite putas? nunc demum intelligo te ſapere. Sed mehercule, extra iocum, ualde mihi tuae litterae facetae, elegantesq. uiſae ſunt. Illa quamuis ridicula eſſent, ſicut erant, mihi tamen riſum non mouerunt. cupio enim noſtrum illum amicum in tribunatu quamplurimum habere grauitatis, idq. cum ipſius cauſſa: (eſt enim mihi, ut ſcis, in amoribus) tum mehercule etiam reip. quam quidem, quamuis in me ingrata ſit, tamen amare non deſinam. Tu, mi Volumni, quando & inſtituiſti, & mihi uides eſſe gratum, ſcribe ad me quamſaepiſſime de rebus urbanis, de rep. iucundus eſt mihi ſermo litterarum tuarum. praeterea Dolabellam, quem ego perſpicio, & iudico cupidiſſimum eſſe, atque amantiſſimum mei, cohortare, & confirma, & redde plane meum. non mehercule quo quidquam deſit, ſed quia ualde cupio, non uideor nimium laborare. Vale.*

# EXPLANATIO

VOLVMNIO.} hic eſt P. Volumnius Eutrapelus, qui Cytheridem mimam dilexit. ep. 26. lib. IX. Praefectum fabrum Antonij fuiſſe ciuili bello, Nepos ait in Attici uita. Sulpicio, & Marcello cos. SINE *praenomine*} praenomen ei Publio fuit. uide in Attici uita. VOLVMNIO *ſenatore*} cui Lucio cognomen fuit. Varro de re ruſt. lib. 2. cap. 4. Conſtat autem ex hoc loco, Volumnium hunc, ad quem ſcribit Cicero, equitem fuiſſe, non ſenatorem. Εὐτραπελία} feſtiuitas, lepor, urbanitas: unde illi cognomen Eutrapelo. ep. 26. lib. IX. ad Att. ep. 8. lib. XV. Philippica 12. Plutarchus in Bruto mimum uocat. SALINARVM *mearum*} ſuos ſales uocat Salinas per iocum, quia dixerat, Poſſeſsio. Infra: Vrbanitatis poſſeſsionem quibuſuis interdictis defendamus. Salinae autem loca ſunt, ubi ſal fit. Plinius lib. XXXI. cap. 7. PROCVRATORE} & hic iocatur. Solent enim procuratores abſentiũ res defendere. VT EGO *diſceſſerim*,} iturus in prouinciam. Ergo ſcripta eſt epiſtola paullo poſt, quam Cicero procul in Ciliciam profectus eſt, ideſt M. Marcello, Ser. Sulpicio cos. DICTA,} ioca. quae & Dicteria uocata, ſcripſit ad Cornelium Nepotem: ut apud Macrobium lib. 2. legitur. SEXTIANA,} P. Sextij, pro quo exſtat oratio. uide quae diximus ep. 27. IN ME *conferri*.} mea dici: ut ex meo nomine inſulſis quoque dictis accedat auctoritas. DICTORVM *meorum*,} Macrobius lib. 2. Animaduerto duos, quos eloquentiſsimos antiqua aetas tulit, comicum Plautum, & oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum uenuſtatem ceteris praeſtitiſſe. Cicero quantum in ea re ualuerit, quis ignorat, qui uel liberti eius libros, quos is de patroni iocis compoſuit, quos quidam ipſius putant eſſe, legere curauit? Non multo poſt, haec ſubiungit. Iocos hoc genus ueteres noſtri Dicteria dicebant. teſtis enim Cicero, qui in libro epiſtolarum ad Cornelium Nepotem ſecundo ſic ait: Noſtri, cum omnia, quae dixiſſemus, dicta eſſent, quae facete, & breuiter, & acute locuti eſſemus, ea proprio nomine appellari Dicteria uoluerunt. SVA SPONTE} ſua uenuſtate: etiam ſi non diceretur, hoc Ciceronis eſt. TANTA *faex eſt in urbe*,} ita hebeti ſunt homines ingenio, ut, quod inuenuſtum prorſus eſt, uenuſtum tamen eſſe uideatur. Ἀκύθηρον,} quod uenere caret, uenuſtatis expers. nomen a Venere deductum, quae Graecis κυθήρεια nuncupatur. VENVSTVM} Quinctilianus lib. VI. cap. 3. Apparet, inquit, uenuſtum eſſe, quod cum gratia, & uenere dicatur. Ἀμφιβολία,} ambigua oratio: cum ad ſententias diuerſas eadem uerba accommodari poſſunt: ut illud ep. 20. lib. XI. Te dixiſſe, laudandum adoleſcentem, ornandum, tollendum. Et lib. 2. de Orat. Perpuſillum rogabo. Quod referri poteſt & ad perpuſillum teſtem, & ad perpuſillam interrogationem. Et illud Neronis de Claudio, deſiſſe eum inter homines morari. Et: Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. Ὑπερβολή,} ſuperatio, uel exſuperantia, cum ſententia ſupra ueritatem extollitur: ut in ſuaſione legis Maniliae: Plura bella geſsit, quã ceteri legerunt: plures prouincias confecit, quam ceteri concupiuerunt. Et Virgilius: Qui candore niues anteirent, curſibus auras. Fit etiam minuendi gratia, ut, Teſtudine tardior. Παράγραμμα} agnominatio: cum unius litterae mutatio diuerſam ſignificationem affert: ut pro Tiberius Claudius Nero, Biberius Caldius Mero. Et lib. 2. de Orat. Eamus deambulatum. Quid opus fuit de? Immo uero, quid opus fuit te? Et Philipp. 13. Cum in gremijs minarum mentum, mentemq. deponeres. Et Afranius apud Gellium: Qui nõ modo uinoſus, ſed uiroſus quoque ſit. Et Terentius in Andr. Inceptio eſt amentium, haud amantium. Παρὰ προσδοκίαν} praeter exſpectationem: ut illud ep. ult. lib. IX. An tu id melius, qui etiam in philoſophum irriſeris? cum ille, ſi quis quid quaereret, dixiſſet, cenam te quaerere a mane dixeris? ille baro te putabat eſſe quaeſiturum, unum caelum eſſet, an innumerabilia. Simile illud lib. 2. de Orat. Dic de L. Manlio. Virum bonum, inquit, egregiumq. ciuem eſſe arbitror. Mire delectat Horatius Sat. 1. lib. 2. cum dixiſſet:

—Scaeuae uiuacem crede nepoti
Matrem: nil faciet ſceleris pia dextera: intulit:
Sed mala tollet anum uitiato melle cicuta.

Similiter Cicero pro Scauro apud interpretem Horatij Porphyrionem: Libertus patronum non occidit, ſed duobus digitulis gulam oblifit. Hoc de genere ſic ait Cicero: Natura nos delectat error noſter: ex quo cum quaſi decepti ſumus exſpectatione, ridemus. Et alio loco: Ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod eſt praeter exſpectationem: cuius innumerabilia ſunt exempla. PER *Antonij perſonam*} legerem, C. Iulij. Is enim libro ſecundo de Oratore loquitur de ridiculis. Niſi ſi quis lapſum memoria Ciceronem dicat. quod uix credibile uidetur: ſalibus enim excelluiſſe non M. Antonium, ſed C. Iulium, optime nouerat: nec ita multo ante libros de Oratore

compoſuerat, ut perſonarum partes obliuiſci deberet: cum praeſertim eos ipſos, quos in oratorijs libris lo-
quentes induxerat, omnes, nullo errore, commemoret ep. 19. lib. XIII. ad Att. Ἔντεχνα} artificioſa. hoc
uerbum complectitur ἀμφιβολίαν, ὑπερβολὴν, παράγραμμα, παρὰ προσδοκίαν, & cetera, quibus riſus
excitatur. SACRAMENTO *contendas mea non eſſe.*} uel pecunia depoſita litiges, ut probes mea dicta
non eſſe. Similiter Catullus ad Fundum: Quouis Sabinum pignore eſſe contendunt. Sacramentum quid ſit,
Varro lib. v. docet his uerbis: Ea pecunia, quae in iudicium uenit in litibus, Sacramentum a ſacro. Qui pe-
tebat, & qui infitiabatur de alijs rebus uterque quingentos aeris ad pontificem deponebant: de alijs rebus
item certo alio legitimo numero aſsium. qui iudicio uicerat, ſuum ſacramentum a ſacro auferebat: uicti ad
aerarium redibat. Feſtus paullo latius: Sacramentum, inquit, aes ſignificat, quod poenae nomine penditur.
ſiue quis interrogatur, ſiue contenditur. id in alijs rebus quinquaginta aſſium eſt, in alijs rebus quingento-
rum, inter eos, qui iudicio inter ſe cōtenderent. qua de re lege L. Papirij tribuni pl. ſanctū eſt his uerbis: Qui-
cumque praetor poſthac factus erit, qui inter ciues ius dicet, tres uiros populum rogato: ijq. tres uiri ſacra-
menta exigunto, iudicantoq. eodemq. iure ſunto, uti ex legibus, plebeiq. ſcitis exigere, iudicare, eſſeq. opor
tet. Sacramenti autem nomine id aes dici coeptum eſt, quod & propter aerarij inopiam, & ſacrorum publi
corum multitudinem conſumebatur in rebus diuinis. Hunc morem attigit Aſconius in Orat. 3. contra
Verrem. Cum in rem aliquam, inquit, agerent litigatores, & poena ſe ſacramenti peterent, poſcebant iudi-
cem, qui dabatur poſt trigeſimum diem. Cicero lib. I. de Orat. Agerent tecum lege Pythagorei omnes, at-
que Democritici, uindicarentq. ornati homines in dicendo, & graues: quibuſcum tibi iuſto ſacramento
contendere non liceret. Valerius Max. lib. VII. cap. 7. Sacramento cum adoleſcentulo contendere auſi non
ſunt. Ibidem c. 8. Aphronia cum ſorore ſacramento contendere noluit. QVERERIS,} Queſtus erat
Volumnius, dominari in iudicijs, abſente Cicerone, homines infantiſsimos. MVLTO *laboro minus.*}
quam de tuenda ſalinarum poſſeſsione: ideſt: de dictis meis, ut agnoſcantur, laboro: de iudicijs non item.
TRAHANTVR *pedibus*} uel ſi mala illis omnia eueniant, non laboro. ep. 16. lib. IV. ad Att. Fratrem
meum, & te ſi habeo, per me iſta pedibus trahuntur. VEL *Selius*} non bonus orator. SE *liberum:*}
ergo, liberum non eſſe, opinio fuit: ideo dixit, Vt poſsit probare, quaſi rem difficilem. INTERDICTIS}
quia poſſeſsio praetorijs interdictis defendi ſolebat; propterea, cum ageret de poſſeſsione urbanitatis defen
denda, iudiciale uerbum lepide uſurpauit. TE VNVM} qui omnes urbanitate uincis. TE *ſapere.*}
quia falſas laudes non agnoſcis. ILLA} de Curionis tribuni pl. ingenio ad nouitatem propenſo. quod
poſtea res ipſa comprobauit: nam Caeſaris cauſſam oppugnauit primum, deinde defendit. ep. 6. lib. IIX.
NOSTRVM *illum amicum*} C. Curionem, tribunum pl. in locum Seruij deſignatum: ut ep. 4. lib. IIX.
Iure autem Cicero uerebatur, ne non ſatis grauem Curio ſe praeberet in tribunatu. leuiſsime enim ab opti
matum cauſſa ad Caeſarem tranſijt: ut ep. 6. lib. IIX. & ep. 13. lib. 2. GRAVITATIS,} quam non
habuit. ep. 6. lib. IIX. & ep. 13. lib. 2. IN AMORIBVS} in delicijs. QVAMVIS *in me ingrata ſit,*}
dicit hoc propter iniquam aeſtimationem rerum ſuarum. uide ep. 2. lib. IV. ad Att. DOLABELLAM,}
P. Cornelium Dolabellam, poſtea Ciceronis generum. REDDE *meum.*} ep. 19. lib. XVI. Demetrium
redde noſtrum. DESIT} amori illius erga me. NON *uideor nimium laborare.*} cum ualde tamen
laborem.

---

# Argumentum ep. ult.

*Afflicta rep. ſublata exercitatione forenſi, retulit ſe Cicero ad declamationes, auditoribus Hirtio, Caßio, Dolabella. quibus quod non intereſſet, angi ſe ſcripſerat Volumnius, & Hirtio propemodum inuidere. Cicero Hirtij laudat eloquentiam, ſibi detrahit potius, quam arrogat. Volumnium uero inuitat ad eadem ſtudia: deliberatum ſibi iam ſignificans, abdere ſe totum in litteras, Caeſare permittente. Scripta uidetur poſt bellum Africanum, Caeſare* III. *& Lepido cos.*

## *Cicero S. D. Volumnio.* 33.

QVOD *declamationibus noſtris cares, damni nihil facis. Quod Hirtio inuideres, niſi eum amares: non erat cauſſa inuidendi: niſi forte ipſius eloquentiae magis, quam quod me audiret, inuideres. nos enim plane, mi ſuauiſſime Volumni, aut nihil ſumus, aut nobis quidem ipſis diſplicemus, gregalibus illis, quibus, te plaudente, uigebamus, amiſſis: ut, etiam ſi aliquando aliquid dignum noſtro nomine emiſimus, ingemiſcamus, quod haec pennigero, non armigero in corpore tela exerceantur, ut ait Philoctetes apud Attium abiecta gloria. ſed tamen omnia mihi erunt, ſi tu ueneris, hilariora: quamquam uenies, ut ipſe intelligis, in maximarum*

*marum quaſi concurſum occupationum: quas ſi, ut uolumus, exceperimus; ego uero multam ſalutem & foro dicam, & curiae; uiuamq. tecum multum, & cum communibus noſtris amatoribus. nam & Caſſius tuus, & Dolabella noſter, uel potius uterque noſter, ſtudijs ijſdem tenentur, & meis aequiſſimis utuntur auribus. opus eſt huc limatulo, & polito tuo iudicio, & illis interioribus litteris meis, quibus ſaepe uerecundiorē me in loquendo facis. mihi enim iudicatum eſt, ſi modo hoc Caeſar aut patietur, aut uolet, deponere illā iam perſonā, in qua me ſaepe illi ipſi probaui, ac me totum in litteras abdere, tecumq. & cum ceteris earum ſtudioſis honeſtiſſimo otio perfrui. Tu, uellem, ne ueritus eſſes, ne pluribus legerem tuas litteras, ſi mihi, quemadmodum ſcribis, longiores forte miſiſſes. ac uelim poſthac ſic ſtatuas, tuas mihi litteras longiſſimas quaſque gratiſſimas fore. Vale.*

## EXPLANATIO

DECLAMATIONIBVS *noſtris*} cur ſe ad declamandum Cicero contulerit, cauſſa exponitur in ep. 18. lib. IX. NIHIL *ſumus*,} in arte oratoria. DISPLICEMVS,} etiam ſi aliquid ſimus. GREGALIBVS} ſocijs, praeſtantibus uiris, ciuili bello amiſsis. Pro domo: Catilinae gregales. De haruſp. reſp. Neque Clodius, neque quiſquam de gregalibus eius. EMISIMVS,} loquitur de libris ſuis. PENNIGERO, *non armigero in corpore*} non dubium eſt intelligi de auibus, Quas Philoctetes configebat tardus celeres, ſtans uolantes. Alij tamen, Pinnigero, legere maluerunt, contra Quinctiliani ſententiam, qui Pinnas de auibus dici non uult. Pennigero etiam eſt in meis ueteribus libris. Lib. V. de Fin. Philoctetes cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen uitam aucupio ſagittarum; configebat tardus celeres, ſtans uolantes; ut apud Attium eſt; pennarumq. contextu corpori tegumenta faciebat. Ingemiſcebat Cicero, quod ingenium ſuum non, ut antea, in agendis cauſsis, aut in tuenda rep. ſed in declamationibus illis excerceret. EXCEPERIMVS;} tranſlatum uerbum, quia dixerat, Concurſum. qui enim concurrentes occupationes ita excipit, ut ab ijs ne proſternatur; iuſtam, atque ab omnibus conceſſam facultatem habet in otium diſcedendi. MVLTAM *ſalutem & foro dicam, & curiae;*} relinquam forum, & curiam: neque cauſſas in foro agam, neque ſententiam in ſenatu dicam: quae mihi antea curae erant. Modus loquendi de Graeco fonte deriuatus. ep. 8. lib. IIX. ad Att. Πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens, pergit Brundiſium. Plato in epiſtola ad Perdiccam, & in Critone, Euripides, alij. COMMVNIBVS *noſtris amatoribus.*} ſimiliter dixit, Amatorem tuum, ep. 15. lib. IX. CASSIVS} C. Caſsius, qui poſtea Caeſarem occidit. DOLABELLA} qui & ipſe declamare ſolitus erat audiente Cicerone: itaque diſcipulus uocatur ep. 7. 14. 18. lib. IX. uide Quinctilianum lib. XII. cap. XI. MEIS *aequiſſimis utuntur auribus.*} libenter eos audio declamantes. OPVS. EST. HVC} ad haec noſtra ſtudia requirimus iudicium, & doctrinam tuam. LIMATVLO, *& polito*} tranſlatio ab operibus, quae limantur primum, deinde etiam poliuntur, ut magis placeant. INTERIORIBVS} reconditis, non uulgaribus. ep. 10. lib. III. & in Bruto: Erant in eo plurimae litterae, nec eae uulgares, ſed interiores quaedam, & reconditae. MEIS,} quibus ego maxime delector; amoribus, & delicijs meis. VERECVNDIOREM *me in loquendo facis.*} iocari Ciceronem non dubito: cum ipſe potius, eloquentia longe omnibus antecellens, maximeq. litteris interioribus inſtructus, uerecundiores alios in loquendo faceret. IVDICATVM} deliberatum, conſtitutum. PATIETVR,} mihi optanti concedat. VOLET,} uel ſi ipſe non optem. DEPONERE *illam perſonam*,} cauſſas non agere, nec in ſenatum uenire. Supra: Multam ſalutem & foro dicam, & curiae. Tranſlatio ab hiſtrionibus, qui uarias perſonas ſuſcipiunt, & modo ſenem agunt, modo iuuenem, modo herum, modo ſeruum. ep. 3. lib. V. IAM} cupiditatem indicat haec particula perſonae deponendae. PROBAVI,} ut hiſtriones populo ſe probant, cum ſuas egregie partes agunt: ita ego me Caeſari ſatis iam probaui; cum & in ſenatum uenerim, & cauſſas apud eum egerim, ut pro Deiotaro, pro Ligario. AC *me totum in litteras abdere*,} ep. 20. lib. IX. Litteris me inuoluo. NE. PLVRIBVS *legerem*} quamquam obſcura ſententia eſt: conſenſum tamen omnium antiquorum librorum non uideo, cur contemnam. Perinuitus, pro Pluribus, placeret, ſi uel unius libri ueteris teſtimonio comprobaretur; aut, ſi mutatio quamminima fieret: quod in coniecturis probare maxime ſoleo. nam, quod ad ſententiam attinet, recte opponerentur, Perinuitus legerem, Gratiſsimas fore.

IN. EPI-

# IN . EPISTOLARVM QVAE FAMILIARES VOCANTVR LIBRVM . OCTAVVM QVI . EST M . COELII . RVFI AD . CICERONEM

## PAVLLI . MANVTII COMMENTARIVS

ANTE QVAM Coelij epiſtolas interpretemur, uitam eius breui oratione complecti non alienum putauimus. Ac primum, de honoribus, quos geſsit; tum, de eius eloquentia; tertio loco, de moribus; poſtremo, de obitu; quae uel Cicero in ſuis libris, uel annalium litterae loquuntur, agendum uidetur.

M. COELIVS Rufus, plebeij generis, patre equite R. Puteolis natus, ſumpta uirili toga, id eſt annum aetatis ingreſſus XVII, a patre continuo ad Ciceronem deductus eſt, nondum praetorium, ſed eloquentia iam, & probitatis opinione clarum: a quo etiam lectiſsimus adoleſcens appellatus eſt libro quarto in Verrem, qui, De ſignis inſcribitur. In illo aetatis flore cum artibus honeſtiſsimis erudiretur, M. Craſsi domum frequentauit. poſtea fuit aſsiduus cum Cicerone praetore, candidatumq. aſſectatus eſt in petitione conſulatus. anno ſequenti iterum petenti conſulatum Catilinae ſtuduit. tribunatum pl. geſsit. Pompeio tertium conſule, Milonemq. ob necem P. Clodij de ui reum, ſtudioſiſsime defendit. qua de re ſic in oratione pro Milone: Caedi uidiſtis populum Romanum, concionem gladijs diſturbari; cum audiretur ſilentio M. Coelius tribunus pl. uir fortiſsimus, & in ſuſcepta cauſſa firmiſsimus, & bonorum uoluntati, & auctoritati ſenatus deditus, & in hac Milonis ſiue inuidia, ſiue fortuna, ſingulari, diuina, & incredibili fide. In libro de claris oratoribus: Coelius, quam diu auctoritati meae paruit, talis tribunus pl. fuit, ut nemo contra ciuium perditorum popularem, turbulentamq. dementiam a ſenatu, & a bonorum cauſſa ſteterit conſtantius. Nominant & Appianus, & Dio tribunum pl. quamquam apud utrumque mendoſe legitur Caecilius. Aedilis curulis fuit L. Paullo, & C. Marcello cos. praetor C. Caeſare II, & P. Seruilio cos. Orto ciuili bello, quaeſtor in Africa fuit C. Curionis, ut apud Caeſarem lib. 2. ci. bel. ſcriptum eſt. Eloquentiae in primis operam dedit, locumq. inter ſummos oratores conſecutus eſt. itaque & Cornelius Tacitus, & Quinctilianus inter eos oratores, qui nouiſsimis

reip.

reip. temporibus maxime floruerint, Coelium referunt, ſua cuique tributa laude, Ciceroni, Caeſari, Coelio, Caluo, Bruto, Aſinio, Meſſallae. Coelij tamen ſcripta paullo aſperiora, & antiquitatem redolere uiſa ſunt. de quo ſic Tacitus in dialogo de oratoribus: Galba, & Carbo horridi, impoliti, rudes, & informes, & quos utinam imitatus non eſſet Caluus, aut Coelius, aut ipſe Cicero. & aliquanto poſt: Quid ex Coelianis orationibus? nempe hae placent, in quibus nitorem, & altitudinem horum temporum agnoſcimus. Sordes autem uerborum, & hians compoſitio, & inconditi ſenſus redolent antiquitatem, nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus eſt. Item infra: Apud nos Cicero ceteros eorundem temporum diſertos anteceſsit. Caluus autem, & Aſinius, & Caeſar, & Coelius, & Brutus, ſic iure & prioribus, & ſequentibus anteponuntur. nec refert, qui inter ſe ſpecie differant, cum genere conſentiant. at triſtior Caluus, numeroſior Aſinius, ſplendidior Caeſar, amarior Coelius, grauior Brutus, uehementior, & plenior, & ualentior Cicero. omnes tamen eandem ſanitatem eloquentiae ferunt. Quinctilianus autem haec lib. x. Multum ingenij in Coelio, & praecipue in accuſando, multa urbanitas: dignus uir, cui & mens melior, & uita longior contigiſſet. Subiungit paullo poſt in eodem libro: Quid noceret, uim Caeſaris, aſperitatem Coelij, diligentiam Pollionis, iudicium Calui quibuſdam in locis aſſumere? Et lib. xi. Coelij uerba recitat ex oratione, quam de ui reus pro ſe ipſo habuit: de qua & Suetonius meminit in libro de claris rhetoribus, & Feſtus mentionem facit. Illa quoque notauimus apud eundem lib. xii. Vim Caeſaris, indolem Coelij, ſubtilitatem Calidij, grauitatem Bruti, acumen Sulpicij, acerbitatem Caſsij, diligentiam Pollionis, dignitatem Meſſallae, ſanctitatem Calui. Sed audiamus Velleium hiſtoriae ſuae lib. 2. Dum, inquit, in acie Pharſalica, Africaq. de ſumma rerum Caeſar dimicat, M. Coelius, uir eloquio, animoq. Curioni ſimillimus, ſed in utroque perfectior, nec minus ingenioſe nequam.

Plus tamen ei facultatis in accuſando fuiſſe, quam in defendendo, Quinctilianus oſtendit lib. vi. cum ait M. Coelium, quia melius obijceret crimina, quam defenderet, bonam dextram, malam ſiniſtram appellari a Cicerone ſolitum eſſe. idq. confirmat ipſe Cicero his uerbis in libro de claris oratoribus: Coelij actionem & ſplendida, & grandis, & eadem in primis faceta, & perurbana commendabat oratio. graues eius conciones aliquot fuerunt, acres accuſationes tres, eaeq. omnes ex reip. contentione ſuſceptae. defenſiones, etſi illa erant in illo meliora, quae dixi, non contemnendae tamen, ſaneq. tolerabiles. Tres eius accuſationes, quas Cicero appellat, fuere, prima in C. Antonium de maieſtate, qui conſulatum cum Cicerone geſſerat: ſecunda in Sempronium Atratinum de ambitu: & utramque ſignificat Cicero in oratione, qua eum defendit: tertia, ut opinor, in C. Laelium; ut ex Quinctiliani uerbis, quae lib. vi. leguntur, mihi uideor poſſe conijcere. Scripſit etiam concionem de aquis, quam Frontinus lib. 2. de Aquae ductibus nominat. eam fuiſſe non dubito contra aquarios, & tabernarios: nam ipſe ep. 9. Niſi ego, inquit, cum tabernarijs, & aquarijs pugnarem, ueternus ciuitatem occupaſſet. Mores in eo minime cum ingenio conferendi. iracundiſsimum appellat Seneca lib. iii. de ira. Quinctilianus ait: Dignus uir, cui & mens melior, & uita longior contigiſſet. Cicero: M. Coelium praetereundum non arbitror; quaecumque eius in exitu uel fortuna, uel mens fuit. Nequam, & prodigum fuiſſe, ex his Velleij uerbis intelligitur. Coelius, cum ne a dijs quidem ſeruari poſſet; quippe peior illi res familiaris, quam mens erat; in praetura nouarum tabularum auctor exſtitit. Eodem pertinent illa Quinctiliani lib. i. Etymologia habet aliquando uſum neceſſarium, quoties interpretatione res, de qua quaeritur, eget; ut cum M. Coelius ſe eſſe hominem frugi uult probare, non quia abſtinens ſit, (nam id ne mentiri quidem poterat) ſed quia utilis multis, id eſt fructuoſus, unde ſit dicta Frugalitas. Impudicum, & laſciuum oſtendit oratio Ciceronis. Saltandi artem diligenter didicit, ingenuis indecoram, atque inhoneſtam. itaque reprehendit eam Scipio Aemilianus in oratione contra legem iudiciariam Ti. Gracchi: cuius haec uerba lib. iii. Sat. recitat Macrobius. Docentur praeſtigias inhoneſtas: cum cinaedulis, & ſambuca, pſalterioq. eunt in ludum hiſtrionum: diſcunt cantare, quae maiores noſtri ingenuis probo ducier uoluerunt: eunt, inquam, in ludum ſaltatorium inter cinaedos, uirgines, pueriq. ingenui. haec cum mihi quiſquam narrabat, non poteram animum inducere, ea liberos ſuos nobiles homines docere: ſed, cum ductus ſum in ludum ſaltatorium, plus mediusfidius in eo ludo uidi pueris uirginibusq. quingentis, in his unum, quo me reip. maxime miſertum eſt, puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis ſaltare, quam ſaltationem impudicus ſeruulus honeſte ſaltare non poſſet. Idem in eodem libro ſic: Vno eodemq. tempore tribus nobiliſsimis ciuibus, non modo ſtudium ſaltandi, ſed etiam, ſi dijs placet, peritia, qua gloriarentur, fuit, Gabinio conſulari, Ciceronis inimico, & M. Coelio, noto inter turbas uiro, quem Cicero defendit, & Licinio Craſſo, Craſsi eius, qui apud Parthos exſtinctus eſt, filio. Inconſtantis ingenij fuit. primum, tribunus pl. quo anno P. Clodius a Milone occiſus eſt, optimatum partes defendit. qua de re ſic Cicero in Bruto: Talis tribunus pl. fuit, ut nemo contra ciuium perditorum popularem, turbulentamq. dementiam a ſenatu, & a bonorum cauſſa ſteterit conſtantius. Mox, orta inter Caeſarem & Pompeium diſcordia, neutram in partem inclinare uiſus eſt. id ſignificat Cicero ep. 15. lib. 2. In rep. inquit, non ualde te iactas. diſtrictus enim mihi uideris eſſe, quod & bonus ciuis, & bonus amicus es. Deinde, mutata ſententia, Caeſaris ad partes tranſijt. ex quo illud Ciceronis in Bruto: Hic, cum ſumma uoluntate bonorum aedilis curulis factus eſſet, neſcio quo modo diſceſſu meo diſceſsit a ſeſe, ceciditq. poſtea, cum eos imitari coepit, quos ipſe peruerterat. Profectum ad Caeſarem cum C. Curione, ut eum ad ciuile bellum incitaret, ſcripſit Dio lib. xli. Demum a Caeſare ipſo deſciuit: idq. cum ipſe declarat ep. ultima lib. iix. tum uero Velleius his uerbis: Accito Annio Milone, qui, non impetrato reditu, Iulianis partibus infeſtus erat, in urbe ſeditionem, aut magis occulte bellicum tumultum mouens, primo ſummotus a rep. mox conſularibus armis au-

ctore ſenatu circa Turios oppreſſus eſt. Caeſar autem planiſsime lib.III. de bello ci. cuius uerba ſubſcribemus: Romae M. Coelius Rufus praetor, cauſſa debitorum ſuſcepta, initio magiſtratus tribunal ſuum iuxta C. Trebonij, praetoris urbani, ſellam collocauit; &, ſiquis appellauiſſet de aeſtimatione, & de ſolutionibus, quae per arbitrium fierent, ut Caeſar praeſens conſtituerat, fore auxilio pollicebatur. ab hoc profectus initio, ne fruſtra ingreſſus turpem cauſſam uideretur, legem promulgauit, ut ſex penſionibus, ſine uſuris, creditae pecuniae ſoluantur. cum reſiſteret Seruilius conſul, reliquiq. magiſtratus; & minus opinione ſua efficeret; ad hominum excitanda ſtudia, ſublata priore lege, duas promulgauit, unam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donauit, aliam tabularũ nouarum: impetuq. multitudinis in C. Trebonium facto, & non nullis uulneratis, eum de tribunali deturbauit. de quibus rebus Seruilius conſul ad ſenatum retulit; ſenatusq. Coelium ab rep. remouendũm cenſuit. hoc decreto eum conſul ſenatu prohibuit, & concionari conantem de Roſtris deduxit. ille, ignominia, & dolore permotus, palam proficiſci ſe ad Caeſarem ſimulauit, clam nuncijs ad Milonem miſsis, qui, Clodio interfecto, eius nominis erat damnatus; atque eo in Italiam reuocato, quod, magnis muneribus datis, gladiatoriae familiae reliquias habebat, ſibi coniunxit. De obitu ſic idem Caeſar in eodem loco: Coelius, profectus, ut ipſe tunc dictitabat, ad Caeſarem, peruenit Turios. ubi, cum quoſdam eius municipij ſollicitaret, equitibusq. Caeſaris Gallis, atque Hiſpanis, qui eo praeſidij cauſſa miſsi erant, pecuniam pollicitaretur, ab his eſt interfectus. Et Velleius: In urbe ſeditionem, aut magis occulte bellicum tumultum mouens, primo ſummotus a rep. mox conſularibus armis auctore ſenatu circa Turios oppreſſus eſt. Dio autem lib. XLII. eadem fere, quae Caeſar, de eius defectione, & nece prodidit. At Epitome Liuiana his uerbis lib.CXI. M. Coelius Rufus praetor, cum ſeditiones in urbe quam maxime concitaret, nouarum tabularum ſpe plebe ſollicitata, abrogato magiſtratu, pulſus urbe, Miloni exſuli, qui fugitiuorum exercitum contraxerat, ſe coniunxit. uterque, cum bellum molirentur, interfecti ſunt.

# Argumentum ep.I. lib.IIX.

EX DVPLICI *haec epiſtola conſtat argumento, morali, & negotiali. quatenus enim excuſatione utitur Coelius, quod alteri curam, & laborem colligendi, ac perſcribendi res urbanas delegauerat, morale genus eſt: reliqua narratio negotialis. Primum igitur, ut arrogantiae culpam uitet, excuſat ſe, quod rerum urbanarum commentarium aliena opera conficiendum curauerit: deinde ſubiungit haec: de comitijs tranſpadanorum Romae rumorem nullum eſſe: de ſucceſſione Galliarum nihil relatum: de Pompeio cupere ſe aliquid cognoſcere: de Caeſare uaria diſſipari: de Domitio, de Q. Pompeio, de Planco, de Politicis Ciceronis libris. Scripta eſt, quo anno in prouinciam Cicero profectus eſt, Ser. Sulpicio, & M. Marcello cos. Reſpondit Cicero ijs litteris, quae lib. 2. leguntur hoc initio, Quid? tu me &c.*

## *M. Coelius Rufus S. D. M. Ciceroni.* I.

QVOD *tibi decedens pollicitus ſum, me omnes res urbanas diligentiſſime tibi perſcripturum: data opera paraui, qui ſic omnia perſequeretur, ut uerear, ne tibi arguta nimium haec ſedulitas uideatur. tametſi tu ſcio quam ſis curioſus, & quam omnibus peregrinantibus gratum ſit, minimarum quoque rerum, quae domi gerantur, fieri certiores. tamen in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiae condemnes, quod hunc laborem alteri delegaui: non quin mihi ſuauiſſimum ſit & occupato, & ad litteras ſcribendas, ut tu noſti, pigerrimo, tuae memoriae dare operam: ſed ipſum uolumen, quod tibi miſi, facile, ut ego arbitror, me excuſat. neſcio cuius otij eſſet, non modo perſcribere haec, ſed omnino animaduertere. omnia enim ſunt ibi* S. C. *edicta, fabulae, rumores. quod exemplum ſi forte minus te delectarit; ne moleſtiam tibi cum impenſa mea exhibeam, fac me certiorem. ſi quid in rep. maius actum erit, quod iſti operarij minus commode perſequi poſſint: & quemadmodum actum ſit, & quae exiſtimatio conſecuta, quaeq. de eo ſpes eſt, diligenter tibi perſcribemus. Vt nunc eſt, nulla magnopere exſpectatio eſt. nam & illi rumores de comitijs tranſpadanorum Cumarum tenus caluerunt. Romam cum ueniſſem, ne tenuiſſimam quidem auditionem de ea re accepi. praeterea Marcellus quidem adhuc nihil retulit de ſucceſſione prouinciarum Galliarum. in Kal. Iun. ut mihi ipſe dixit, eam diſtulit relationem. ſanequam eos ſermones repreſſit, qui de eo tum fuerant, cum Romae nos eſſemus. Tu, ſi Pompeium, ut uolebas, offendiſti; qui tibi uiſus ſit, & quam orationem habuerit tecum, quamq. oſtenderit uoluntatem, (ſolet enim aliud ſentire, & loqui, neque tamen tantum ualere ingenio, ut non appareat, quid cupiat) fac mihi perſcribas. Quod ad Caeſarem attinet, crebri, & non belli de eo rumores, ſed ſuſurrationes dumtaxat ueniunt. alius, equitem perdidiſſe; quod opinor certe factum: alius, ſeptimam legionem uapulaſſe, ipſum apud Bellouacos circumſideri, intercluſum ab reliquo exercitu. neque adhuc certi quidquam eſt: neque haec incerta tamen uulgo iactantur, ſed inter paucos, quos tu noſti plane, ſecreto narrantur. at Domitius, cum manus ad os appoſuit? Te ad* IX. *Kal. Iun. ſubroſtrani, quod illorum capiti ſit, diſſiparant periſſe: ita ut in urbe, ac foro toto maximus rumor fuerit, te a Q. Pompeio in itinere occiſum. ego, qui ſcirem Q. Pompeium Baulis embaeneticam facere, & uſque eo, ut ego miſererer eius eſuriei, non ſum commotus; & hoc mendacio, ſi qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur optaui. Plancus quidem tum Rauennae eſt; &, magno congiario donatus a Caeſare, nec beatus, nec bene inſtructus eſt. Tui politici libri omnibus uigent. Vale.*

# EXPLANATIO

DECEDENS} unde? ab ipſo Cicerone, quem in prouinciam euntem proſecutus erat.ſic
proficiſcentem Appium in Ciliciam, ſic Valerium Cicero proſecutus eſt: ut ep. 10.lib.
III. & ep.6.l.XIII. Ipſe Coelius hoc iter ſignificat, ſubiungens: Romam cũ ueniſſem.
Decedere autem ſimpliciter accipit Coelius pro diſcedere, ut epiſtola 10. Mei officij
eſt, meminiſſe, qua obteſtatione decedens mihi, ne paterer fieri, mandaris.Vſitatius ta-
men eſt de magiſtratibus e prouincia decedentibus: licet priuatis quoque accommo-
detur, ut in oratione pro Quinctio: Decedit ex Gallia Romam Naeuius. DATA
*opera paraui,*} ſtudioſe paraui: operam dedi, ſtudium adhibui, ut pararem, qui ſic omnia colligeret,atque
in commentarium referret, ut uerear, ne tu meam ſedulitatem nimis etiam diligentem exiſtimes. Argutum
enim ueteres interdum uocabant, quod ſummam diligentiam argueret. id cognoſcitur ex epiſt.5. lib VI. ad
Att. Velim,inquit, obuias mihi litteras quamargutiſsimas de omnibus rebus crebro mittas. Et lib.I.de Di-
uin. Argutiſsima exta, quae maxime ſignificant. Libro autem 3. de leg. Oculi nimis arguti, quod arguant,
& quaſi loquantur, quemadmodum animo affecti ſumus. Manus minus arguta, lib. III. de Oratore, quaſi
minus actuoſa, quae ſubſequi digitis, non quae uerba exprimere uideatur. CVRIOSVS,} Curioſi ſunt,
quorum nimio, & ut Coeliano more loquar,ita arguta ſedulitas eſt,ut uel minima quaeque curent. DE-
PRECOR,} Deprecari, interdum eſt, precari, ut aliquid habeamus,ut, pacem deprecari,ep.24.lib. XII.
&, Te lacrumae fratris deprecantur, ep.7. lib.IV. interdum contra,ne habeamus, ut deprecari exſulium,poe
nam, & ſimilia:quod Ciceroni & alijs frequentiſsimum eſt. DELEGAVI:} mihi a te legatum. Eſt enim,
Delegare, non, ſimpliciter aliquid alicui mandare, ſed id mandare, quod is, qui mandat, facere ipſe debe-
bat. hoc ſignificant loca Ciceronis a me diligenter obſeruata. in oratione pro Domo, Delegaui,inquit, ami
co locupletiori. Et ep.3. lib.XII. ad Att. Delegationem a mancipe. Et ibidem, ep.13. Balbi regia condicio
delegandi. Et lib.2. de Orat. Quae nunc ad me delegare uis, ea ſemper in te eximia, & praeſtantia fuerunt.
TVAE *memoriae dare operam:*} ea tractare, quae tui me obliuiſci non ſinant. amici enim cauſſa, qui ali-
quid agit, eius memoriae operam dat. EDICTA,} conſulum, & praetorum. FABV-
LAE,} in ſcena recitatae. In Bruto: Docuit primus fabulam Liuius. QVOD *exemplum*}
Exemplum eſt imago rei. uocat igitur exemplum commentarium rerum urbanarum, quod in eo
quaſi quaedam ciuitatis imago eſſet. MOLESTIAM EXHIBEAM,} ſic ep. 30. lib. XII. No-
li impudens eſſe, nec mihi moleſtiam exhibere. MINVS COMMODE} minus apte, non
ut oportet. ſic lib. I. de Oratore: Oratio commode ſcripta. EXISTIMATIO} opinio: ut in oratio-
ne pro Coelio: Nam,quod de pietate dixiſtis, eſt quidem iſta noſtra exiſtimatio, ſed iudicium certe paren-
tis. quid nos opinemur, audiemus ex iuratis: quid parentes ſentiãt, lacrumae matris,ſqualor patris,luctuſq.
declarat. VT NVNC *eſt,*} pro, quomodo nunc ſe res habet. ita locutus eſt Att. epiſt.4. lib.VII. & ad
eundem ep.28. lib.XII. Similiter ad eundem ep.2.lib.XIII. Quo modo nunc eſt. Et Acad.4. Vt quidem ſe
nunc cauſſa habet. Terentius autem in Heaut. Vt diei tempus eſt. DE COMITIIS *tranſpadanorum*} ut
quattuoruiri, q; ſummus erat in municipijs magiſtratus, crearẽtur.In Gallia trãſpadana, Caeſaris prouinciae
parte, Latinae coloniae erant oẽs, iure Latij, ut Pedianus docet, lege Pompeia accepto. Caeſar ijs iam ante,
quam aedilis eſſet, ciuitatem dari uoluit: de quo Suetonius his uerbis: Colonias Latinas,de petenda ciuita-
te agitantes, adijt: & ad audendum aliquid concitaſſet, niſi conſules conſcriptas in Ciliciam legiones paul-
liſper ob id ipſum retinuiſſent. Hoc autem anno, quo Coelius hanc epiſtolam ſcripſit, in municipiorum for
mam tranſpadanas colonias redigi, creatis quattuoruiris, qui erant idem in municipijs, quod Romae con-
ſules, aut ſtuduit Caeſar, aut ſtudere creditus eſt. municipia uero ciuitatem ſine ſuffragio primis tempori-
bus, hoc tempore ſuffragij ius cum ciuitate habebant. huius rei ueſtigium exſtat ep.2.lib.V.ad Att.Erat,in-
quit, rumor de tranſpadanis, eos iuſſos quattuoruiros creare. quod ſi ita eſt, magnos motus timeo.Hac to-
ta de re Sigonius egregie, lib.III. de antiquo iure Italiae. CVMARVM *tenus*} Cumas uſque perue-
nerunt, ultra progreſsi non ſunt. ultra Cumas nihil de tranſpadanorum comitijs auditum eſt. AVDI-
TIONEM *accepi.*} durior, & horridior interdum Coelius eſt in explicanda ſententia. quis enim ſic lo-
quatur, Ne tenuiſsimam quidem auditionem de ea re accepi, pro, nihil prorſus audiui? fortaſſe hoc illud
eſt, cur in eo ſordes uerborum Tacitus appellet, & ſubiungat, Amarior Coelius; & Quinctilianus aſperita-
tem ei tribuat in dicendo. MARCELLVS} conſul cum Sulpicio. iam erumpebat inter Caeſarem, &
Pompeium diſcordia, ſero nimis opes Caeſaris timente Pompeio: qui proximo anno cõſul tertium pugna-
uerat, ut abſens Caeſar conſulatum petere poſſet; contra quam legibus cautum erat. ep. 6. lib. VI. & ad Att.
ep.1.lib.VII. & ep.3. lib. IIX. DE SVCCESSIONE *Galliarum.*} ut Caeſari ante legitimum diem
ſuccederetur. erat enim hic octauus Caeſaris annus in adminiſtratione Galliarum, imperio decem annorũ
ei conceſſo, quinquennio uno lege Vatinia, ipſo Caeſare cum Bibulo conſulatum gerente; altero lege Tre-
bonia, Pompeio, & Craſſo cos. quam Pompeij & Craſsi legem, quod eam ex conſulum uoluntate Trebo-
nius tribunus pl. tulerat, Hirtius uocat lib. IIX. belli Gal. Marcellus,inquit, proximo anno,cum impugna-
ret Caeſaris dignitatem, contra legem Pompeij, & Craſsi retulerat ante tempus ad ſenatum de Caeſaris pro-
uincijs. IN KAL. IVN.} S. C. de Gallis, non Kalendis Iun.ſed pridie Kal.Oct. referente Marcello, fa-
ctum, miſit Ciceroni Coelius. ep. 8. DISTVLIT} Epiſtola ſequenti, Marcelli impetus reſederunt,

non

non inertia, ſed, ut mihi uidebatur, conſilio. SERMONES *repreſsit*,} cum, eum ſtatim de Gallijs relaturum, homines loquerentur. Sermones retundere, dixit ep. 6. Sed, Reprimere, Ciceronianum eſt. ep. 8. lib. III. OFFENDISTI;} offendit eum Tarenti, & cum eo decem dies fuit. ep. 2. lib. IIX & ep. 6. lib. V. ad Att. ALIVD *ſentire, & loqui*,} de ſimulatione Pompeij, ep. 5. lib. I. & ep. 9 lib. IV. ad Att. & ultima lib. III. ad fratrem: Velit nolit, ſcire difficile eſt. PERSCRIBAS.} perſcribere noluit Cicero: reſcripſit enim, Cum Pompeio nullis in alijs, niſi de rep. ſermonibus uerſatus ſum: quae nec poſſunt ſcribi, nec ſcribenda ſunt. tantum habeto, ciuem egregium eſſe Pompeium, & ad omnia, quae prouidenda ſunt in rep. & animo, & conſilio paratum. SVSVRRATIONES} incertis auctoribus. nam, ſi quid eſſet certius, ſuſurrationes non eſſent, quae paucorum ſermones ſunt, ſed rumores inter omnes. Paullopoſt: Haec inter paucos ſecreto narrantur. APVD *Bellouacos*} cum quibus hoc anno bellum Caeſar geſsit. Hirtius lib. IIX. bel. Gal. NEQVE *haec incerta*} neque tamen haec, quae ſunt incerta, uulgo iactantur, ſed narrantur inter paucos, male in Caeſarem animatos. Paulio ante: Suſurrationes dumtaxat ueniunt. VVLGO *iactantur*,} quibus de rebus diſsipatus rumor eſt, eae res uulgo iactari dicuntur. Liuius lib. IX. Ob haec uulgo iactata populus Romanus bellum fieri Aequis iuſsit. & lib. XXXIIX. Iactata ſermonibus res apud Romanos. Eodem uerbo in eadem ſententia Caeſar uſus eſt lib. I. de bel. Gal. Suetonius autem ſaepiſſime. QVOS *tu noſti*} Caeſaris inimicos, Bibulum Catonem, Domitium, praecipuos optimatum duces contra Caeſaris Pompeijq. potentiam. quamquam Pompeius, qui Caeſaris opes auxerat eaſdem ſero timens, de reuocando ex Gallijs Caeſare cum optimatibus coeperat cogitare. AT DOMITIVS} L. Domitius Ahenobarbus, conſularis, acerrimus Caeſaris aduerſarius. In praetura conatus eſt, quae conſul Caeſar egerat, infirmare. quod cum obtinere nequiuiſſet, biennio poſt conſularis candidatus palam minatus eſt, conſulem ſe effecturum, quod praetor non potuiſſet, ademturumq ei exercitus. quo metu Caeſar operam dedit, ac perfecit, ut, detrudendi Domitij cauſſa, Pompeius, & Craſſus, conſulatum peterent. Suetonius. MANVS *ad os appoſuit*?} eorum more, qui ſecreto aliquid narrant. Subaudiendum uidetur, quam haec libenter narrat. SVBROSTRANI} infimi ordinis homines, ſub Roſtris uerſari ſoliti. Liuius humillimam plebem, forenſem factionem, ac turbam uocat lib. IX. A Q. POMPEIO} Rufo, Sullae dictatoris ex filia nepote, P. Clodij familiariſsimo. tribunus pl. anno proximo cum T. Munatio Planco, & C. Salluſtio collegis, inimiciſsimas de Milone, ob Clodij necem, conciones habuerat, Ciceroni etiam, quod Milonem defenderet, inuidiam concitarat. damnatus eſt ipſe primum, deinde Plancus, quod eorum concionibus incenſa plebs, Clodij corpore in curiam illato, curiam ipſam cremaſſet: quo igne Porcia quoque baſilica flagrauit: ex quo non modo Sex. Clodium, eius auctorem ſeditionis, uerum & multos ex factione Clodiana, praecipue vero Q. Pompeium, & T. Plancum lege Pompeij Magni de ui condemnatos eſſe, Dio, Pedianusq. declarant. Illud quaſi ἐν παρέργῳ addam, Latinam Dionis uerſionem emendandam, in qua Pompeius hic Sullae ſororis filius uocatur: cum dixerit Dio, σύλλα θυγατριδοῦς, ideſt Sullae ex filia nepos. idq. Pedianus, & epitome Liuiana lib. LXXVII. confirmat. pater eius, Q. Pompeij Rufi, Sullae in conſulatu collegae, filius, in ſeditione, a tribuno pl. P. Sulpicio excitata, occiſus eſt. BAVLIS} ubi Romanis exſulibus per leges licebat eſſe. hoc enim ius teſte Polybio, foederatae ciuitates habebant; in quibus fuiſſe Bauli uidentur, cum ab eo Neapolis, Praeneſte, Tibur, propinqua Baulis opida, nominentur. EMBAENETICAM *facere*,} ἐμβαίνειν eſt nauem conſcendere: ex quo, Embaeneticam facere, pro conſcendendi artem exercere. maritima fortaſſe mercatura uictum ſibi Pompeius exſul comparabat, ad inopiā redactus, ut ex eo, quod ſequitur, liquet, Vt ego miſerer eius eſuriei. Sunt, qui malint, Embaticam: ut maritimum Pompeij latrocinium ſignificetur: ἀπὸ τοῦ ἐμβαίνειν: unde ἐμβάτης, ſicut ἐπιβάτης, & ἀναβάτης: & inde ἐμβατικός potius, quam ἐμβαινετικός. Turnebus legebat, Empinacticam, a uerbo πεινᾶν, quod eſt eſurire: ut Q. Pompeium dicat eſuriendi artem facere. VT EGO *miſererer eius eſuriei*,} ita miſertus eſt, ut cum in iudicio aduerſus Corneliam, eius matrem, defenderit: quod eo laudabilius fuit, quia Q. Pompeius, hoc ipſo Coelio accuſante damnatus, exſulabat. Vide Valerium Max. lib. IV. cap. 2. HOC *mendacio ut defungeremur*} pro, Defungereris. amoris enim cauſſa, quod unius Ciceronis erat, ſibi quoque communicat, ex uetere prouerbio, Amicorum omnia communia. Defungitur autem is, qui euadit, & periculo liberatur. Pro Roſcio Amerino, pro Sextio: & Virgilius lib. VI. O tandem magnis pelagi defuncte periclis. Optaui, igitur, ut defungeremur, ut tuti iam eſſemus ab omnibus, ſi quae tibi impenderent pericula: ut hoc mendacium finis, & quaſi defunctio eſſet omnium periculorum. PLANCVS. TVVS} ingenio Coelius fuit ad iocandum procliui: quod & Quinctilianus animaduertit in eius orationibus, & omnes, quae nunc leguntur, ab eo ſcriptae ad Ciceronem epiſtolae demonſtrant. Tuus, hic dixit, cum ironia: quod Plancus Burſa Ciceronis eſſet inimiciſsimus, nec iniuria, quod eo accuſante, ut Dio tradidit, de ui condemnatus eſſet. Vel, Tuus, quod Ciceronem, in quem inueheretur, delegerat. operaepretiū eſt, legere, quae de eo ad Marium ſcripſerit, ep. 2. lib. VII. & ep. 10. lib. IX. & Philippica 13. frater fuit L. Planci oratoris, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolae, & ipſius ad Ciceronem, lib. X. Pedianus in argumento Milonianae. RAVENNAE} Vmbrorum colonia fuit, Strabone teſte lib. V. in Gallia ciſpadana, quae Caeſaris prouinciae pars fuit; extra Italiae terminos. nam Galliae prouinciae initium ad ſuperum mare Rauenna fuit, ad inferum Luca, ipſa quoque colonia, ut oſtendit Velleius. Vt igitur Q. Pompeio Baulis, in foederata ciuitate, ſic Planco Rauennae, quae colonia Latina fuit, non ciuium Romanorum, eſſe licuit. Latinae enim coloniae ſuis legibus, iiſdem ſcilicet, quibus uetus Latium, Romanae uero Romanis utebantur. CONGIARIO} munere. nam, quia congij menſura muneri populo primis temporibus datum eſt, hinc ad omnia munera, etiam pecuniaria, Congiarij nomen tranſiit. Quod Ciceronis, Suetonij, Plinij, aliorum exem-

pla

pla ſignificant. A CAESARE,} quod L. Planci frater eſſet, Caeſaris in Gallia legati.lib.1.& 5.de bel
Gal. NEC *beatus,*} quod aeris alieni tantum antea contraxiſſet, ut, accepto magno congiario, mini-
me tamen abundaret. Locupletes interdum Beatos & Cicero, & alij appellant. NEC *bene inſtructus*}
tantum abeſt, ut beatus, ut nec bene inſtructus ſit. Erat igitur ſimilis duorum exſulum, Ciceronis ini-
micorum, conditio; cum illum eſurire, hunc bene inſtructum non eſſe, Coelius dicat. POLITI-
CI. LIBRI} ſex libri, in quibus formam Cicero expreſsit eius reip. quae, ut apud Auguſtinum
in libris de ciuitate Dei ſcriptum animaduerti, a ſecundo Punico bello ad Ti. Gracchi tribunatum, ideſt
ad Africani minoris interitum floruerat: ipſumq. Africanum cum C. Laelio, M'. Manilio, P. Furio Phi-
lo, conſularibus uiris, diſputantem de optimo ſtatu ciuitatis induxit; probauitq. ceteris rebus publicis
ideo Romanam antecellere, quod ex triplici genere, regio, optimatum, populari, temperata, nullam neque
domeſticae iuſtitiae, neque bellicae rei partem deſideraret: cum in ſingulis generibus aliquid ineſſet ui-
tioſum, quod exitium ciuitatibus afferre poſſet: confuſis autem omnibus, perfectum quiddam exſiſteret,
quo reip. ſalus, & incolumitas conſeruaretur. Appellat eos, de optimo ciuitatis ſtatu, in primo de legi-
bus: de optima rep. in tertio. Scripſit eos ab exſulio reſtitutus, poſt Appium, & Domitium cos. in extre-
ma epiſtola 9. lib. I. ubi ſua ſcripta commemorat, nullam omnino de his libris mētionem facit: puto, quod
abſoluti non eſſent: inſtitutos enim eo anno, uidetur indicare epiſtola 5.lib. III. ad fratrem. Horum libro-
rum fragmenta, quaſi tabulas naufragio diſiectas, collegit diligentiſsime, natus ad illuſtrandam antiquita
tem, omniq. prorſus ingenij, ac probitatis laude cum ipſa antiquitate conferendus, merito mihi & ſua uir-
tute, & ſingulari erga me ſtudio cariſsimus, Carolus Sigonius: cuius etiam induſtriae, atque doctrinae nō
ſolum argumenta cuiuſque de rep. libri, ſed etiam obſcurorum locorum, quicumque in omnibus Fragmen
tis doctorem, lumenq. requirebant, explanationem ueriſsimam, ac diſertiſsimam debemus. OMNIBVS
*uigent.*} Attico maxime: ad quem ep. I. lib. VI. Cicero ita ſcripſit: Sex libris, tamquam praedibus, me ip-
ſe obſtrinxi: quos tibi tam ualde probari gaudeo. Et ad eundem, ep. 3. ibidem: Reliqua plena adhuc &
laudis, & gratiae, digna ijs libris, quos tu dilaudas.

## Argumentum ep. 2.

*M. Valerius Meſſalla ante annum conſul fuerat cum Cn. Domitio Caluino, creatus ex interregno, per ambitum, ſeptimo anni menſe, ut ex Dione, & Appiano cognoſcitur. accuſatus de ambitu eſt, abſolutusq. anno ante quam conſul fieret: de quo ſic in epiſtola ultima lib.* III. *ad Quinctum: Meſſallam, reliquosq. moleſtia leuatos, uehementer gaudeo: eumq. quod certum conſulem cum Domitio numeratis, nihil a noſtra opinione diſſentitis. Rurſus eodem crimine in iudicium uocatus, euaſit incolumis Hortenſio defendente. qua de re in ep.*12. *lib.* IV. *ad Att. in libro autem de claris oratoribus ita loquitur Brutus: Hortenſium magnum oratorem ſemper putaui, maximeq. probaui pro Meſſalla dicentem, cum tu abfuiſti. Sic ferunt, inquam: idq. declarat totidem, quot dixit, ut aiunt, ſcripta uerbis oratio. Et Valerius lib.* V. *cap.* 9. *ſic: Hortenſius Meſſallam, ſuae ſororis filium, heredem habiturus, ambitus reum defendens, iudicibus dixit; ſi illum damnaſſent, nihil ſibi, praeter oſculum nepotum, in quibus acquieſceret, ſuperfuturum; hac ſcilicet ſententia, quam etiam editae orationi inſeruit, filium potius in tormento animi, quam in uoluptatibus, reponens. Idem poſtea retractus in iudicium damnatus eſt: quod epiſtola Coelij quarta ſignificat. De abſolutione igitur, quam nemo exſpectauerat, de exſibilato Hortenſio, Meſſallae patrono, de Marcelli conſulis impetu ſedato, de conſularibus comitijs, de ſuis in aedilitate competitoribus, de pantheris, de ſyngrapha Sittiana, de commen-*

*commentarijs rerum urbanarum, breuiſsime ad Ciceronem Coelius, &, ſuo more, familiariſsime ſcribit. Tota negotialis eſt epiſtola.*

## *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 2.

*CERTE, inquam, abſolutus eſt. me repraeſentante pronunciatum eſt, & quidem omnibus ordinibus, ſed ſingulis in unoquoque genere ſententijs. uide modo, inquis. non mehercules: nihil enim umquam tam praeter opinionem, tam quod uideretur omnibus indignum, accidit. quin ego, cum pro amicitia ualidiſſime fauerem ei, & me iam ad dolendum praeparaſſem; poſtquam factum eſt, obſtupui, & mihi uiſus ſum captus eſſe. quid alios putas? clamoribus ſcilicet maximis iudices corripuerunt; & oſtenderunt plane eſſe, quod ferri non poſſet. itaque relictus lege Licinia, maiore eſſe periculo uidetur. acceſſit huc, quod poſttridie eius abſolutionis in theatrum Curionis Hortenſius introijt: puto, ut ſuum gaudium gauderemus. hic tibi Strepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & rudentum ſibilus. hoc magis animaduerſum eſt, quod intactus a ſibilo peruenerat Hortenſius ad ſenectutem. ſed tum ita bene, ut in totam uitam cuiuis ſatis eſſet, & paeniteret eum iam uiciſſe. De rep. quod tibi ſcribam, nihil habeo. Marcelli impetus reſederunt, non inertia, ſed, ut mihi uidebatur, conſilio. De comitijs conſularibus incertiſſima eſt exiſtimatio. Ego incidi in competitorem nobilem, & nobilem agentem: nam M. Octauius Cn. F. & C. Hirrus mecum petit. hoc ideo ſcripſi, quod ſcio te acriter propter Hirrum nuncium noſtrorum comitiorum exſpectaturum. tu tamen, ſimul ac me deſignatum audieris; ut tibi curae ſit, quod ad pantheras attinet, rogo. Syngrapham Sittianam tibi commendo. Commentarium rerum urbanarum primum dedi L. Caſtrinio Paeto, ſecundum ei, qui has litteras tibi reddet. Vale.*

## EXPLANATIO

CERTE, *inquam*, } quod inopinata res acciderat, quam uix Cicero crediturus eſſet, qui Meſſallam corruptis pecunia comitijs factum eſſe conſulem plane noſſet, ab affirmatione orditur. ME, *repraeſentante* } ſic aliquot antiqui libri: alij, Me repraeſentare: nonnulli, Me prehenſante: quod non diſplicet. putat aliquis, Matre prehenſante: quae fuit ſoror Hortenſij oratoris. ego nihil affirmo. PRONVNCIATVM. EST, } latis ſententijs, pronunciabat ex lege praetor, quod iudicum maior pars iudicaſſet. maiore ſententiarum numero uel abſoluebatur, uel condemnabatur reus: ſi par erat, nihilominus abſoluebatur: quod oratio docet pro Cluentio. ex pronunciatione igitur praetoris, abſolutum ſententijs omnibus Meſſallam, cognitum eſt. ORDINIBVS, } Aurelia lege, quam Hortenſio, & Metello coſ. tulit L. Aurelius Cotta praetor, tres ordines iudicare coeperunt, ſenatores, equites, tribuni aerarij: cum equites antea lege Cornelia L. Sullae per annos decem turpiter iudicaſſent. Pedianus, & in noſtro de Romanis legibus libro copioſe. VIDE *modo, inquis.* } dum nimis amat breuitatem Coelius, obſcurat ſaepe ſententias: quod in Thucydide uitium Cicero notauit. uidetur tamen fingere dicentem Ciceronem: Vide modo, Coeli: non de Meſſalla bene homines exiſtimant? non eius patet innocentia? Reſpondet Coelius: Non mehercules. &c. VALIDISSIME } pro, Valdiſsime. nam, Valde fit a Valide. Vnicum adhuc inuenimus exemplum, quod recitat Cariſius ex D. Hadriani orationum XII. A uobis, inquit, P. C. peto, & impetratum ualidiſsime cupio, ut proxime imaginem Auguſti argenteum potius clupeum, ſicut Auguſto, ponatis. AD. DOLENDVM } ut eius uicem dolerẽ, eiq. dolorem meum uultu & uerbis declararem: quod officium amicitia poſtulat. CAPTVS } ut ijs, qui capiuntur, itidem mihi, rei nouitate, & huiuſce non exſpectato iudicij euentu, perculſus, affectusq. animus eſt. prorſus me ſtupor oppreſsit. CORRIPVERVNT: } reprehenderunt. ſic locutus ep. 9. RELICTVS *lege Licinia*, } de ambitu abſolutus, cui poenam irrogabat Licinia lex. MAIORE *periculo* } elapſus enim priore iudicio non ſua innocentia, ſed iudicum ſordibus, accuſabitur de corruptis iudicijs, maiore periculo, quam de ambitu. damnatum oſtendit epiſtola quarta. POSTTRIDIE. EIVS *abſolutionis* } Poſttridie eius diei, dixit Sulpicius ep. 12. lib. IV. & Caeſar lib. I. bel. Gal. Poſttridie ludos, Cicero ad Atticum: Poſttriduo, pro Poſttridie, Plautus: Poſttridie, ſimpliciter, Cicero. THEATRVM *Curionis* } non erit huius theatri, quod in funebri patris munere Curio dedit, iniucunda cognitio. ſic enim a Plinio deſcribitur lib. XXXVI. cap. 15. Theatra duo iuxta fecit ampliſsima, e ligno, cardinum ſingulorum, uerſatili ſuſpenſa libramento: in quibus utriſque, antemeridiano ludorum ſpectaculo edito, inter ſeſe auerſis, ne inuicem obſtreperent ſcenae, & repente circumactis, ut contra ſtarent, poſtremo iam die deſcendentibus tabulis, & cornibus inter ſe coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula edebat. HORTENSIVS } quo defendente impunitatem Meſſalla erat aſſecutus. auunculum eius fuiſſe, & Valerius oſtendit lib. V. cap. 9. & Plutarchus in Sulla. VT. SVVM *gaudium gauderemus.* } ut ſua laetitia laetaremur. ſic & Saltare ſaltationem, in oratione Scipionis Aemiliani contra Ti. Gracchum, apud Macrobium lib. III. Sat. & Dolere dolorem, & ſimilia. HIC. TIBI. } pro, Tunc. nam, Tibi, ornamenti cauſſa poſitum, ut ep. 2. lib. IX. TONITRVVM, } cum e ſtrepitu, fremitu, clamore quiddam tonitrui ſimile fieret. RVDENTVM } rudere, aſinorum more, homines ſolent, cum aliquem contumelioſo ludibrio uexant. SIBILVS. } cum & ruderent ſimul, & exſibilarent Hortenſium. fortaſſe autem, Rudentum ſibilus, ideo coniunxit

Coelius

Coelius, quod illud Pacuuij memoria teneret, Rudentiſibilus, notatum a Varrone lib. IV. de lingua Lat. antiquitatem enim paullo etiam magis, quam decuit, imitari Coelio placuit: quod a Tacito, & Quinctiliano reprehenſum uidemus. INTACTVS *a ſibilo*} ingredientes in theatrum ſibilo excipiebantur ij, de quibus bene populus non exiſtimaret: de quo in oratione pro Sextio: Qui rumore, & fauore populi tenetur, & ducitur, plauſum immortalitatem, ſibilum ei mortem uideri neceſſe eſt. Et ad Att. ep. 19. 21. lib. 2. VICISSE.} obtinuiſſe, ut Meſſalla abſolueretur. MARCELLI} conſulis. IMPETVS} de ſucceſſore Caeſari in Gallias mittendo. ep. 1. RESEDERVNT,} quieuerunt, ſedati ſunt. Tumor animi reſedit, in Tuſculana 3. CONSILIO.} quod, aduerſari ſuis conſilijs alterum conſulem Sulpicium cum intelligeret, exitum rei deſperaret. ait enim in Iulio Suetonius: Summa ope Marcello reſtitit, partim per Ser. Sulpicium, alterum conſulem, partim per interceſſores tribunos. Et Epitome Liuiana lib. CVII. Contentiones inter conſules de ſucceſſore C. Caeſari mittendo. Hirtius autem lib. IIX. de bello Gallico: Cum de Caeſaris prouincijs Marcellus ad ſenatum retuliſſet: ſenatus eum diſceſsionem facientem frequens reliquit. Cicero etiam ep. 1. 2. 3. lib. IV. ait eum defenſorem pacis in conſulatu fuiſſe. INCERTISSIMA *eſt exiſtimatio*.} prorſus ignoratur, qui conſules futuri ſint. EGO} petebat hoc anno Caelius, & obtinuit aedilitatem. NOBILEM,} C. Hirrum, qui nondum aedilicius auguratum cum Cicerone conſulati petere auſus erat. NOBILEM *agentem*:} non uere nobilem, ſed qui ſe nobilem fingeret. M. OCTAVIVS} qui cum Coelio aedilis curulis uidetur creatus. epiſt. 21. lib. V. ad Att. CN. F.} patris nomen addit, ut eum Cicero agnoſcat. ex quo patet, de eo dici, non de Hirro, Nobilem agentem. C. HIRRVS} Lucceiae gentis. nominatur in ſenatus conſulto, ep. 8. PROPTER *Hirrum*} cuius repulſae nuncium auide a te exſpectari ſcio: cur? quia Ciceronis competitor fuerat in auguratu. ep. ſequenti, & 9. PANTHERAS} quas e Cilicia mitti a Cicerone cupiebat, ut eas populo ſuis ludis daret. binos ludos aediles dabant, Megaleſia, & Romanos: in quibus uaria beſtiarum genera, maximeq. ſi poſſent, inuſitata, quo populus iucundiore ſpectaculo frueretur, offendebant. in ijs pantherae fuere, Africanae, & Graecae, ideſt ex ijs regionibus aduectae, quarum incolae Graece loquerentur: in quibus Cilicia, Ciceronis prouincia fuit. ideo ep. 6. Turpe, inquit, tibi erit, pantheras Graecas me non habere. ep. 4. 6. 8. 9. & ep. XI. lib. 2. & ep. ultima lib. V. ad Att. prima lib. 6. ad eundem. SYNGRAPHAM *Sittianam*} ex qua exigeretur a Sittio pecunia, quam in aedilitatis impenſas Coelius erogaret. ep. 4. 8. 9. COMMENDO.} ne ſolutio differatur.

---

# Argumentum ep. 3.

*PRincipium epiſtolae morale eſt. ſignificat enim Coelius & ſuam in ſcribendo diligentiam, & quo Ciceronis abſentis deſiderio teneatur. Deinde ad negotia ſermonem conuertit. Se certiorem Hirro candidatum eſſe ait. Philotimum abſenti Miloni ſatisfacturum: ualde ſibi gratum fore, ut eum ſuis Cicero ſcriptis ornet.*

## *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 3.

*EST ne? uici, & tibi ſaepe, quod negaras diſcedens curaturum, litteras mitto? eſt, ſiquidem perferuntur, quas do. atque hoc eo diligentius factito, quod, cum otioſus ſum, plane, ubi delectem otiolum meum, non habeo. tu cum Romae eras, hoc mihi certum, ac iucundiſſimum uacanti negotium erat, tecum id otij tempus conſumere: idq. non mediocriter deſidero: ut non modo mihi ſolus eſſe, ſed Romae, te profecto, ſolitudo uideatur facta: & qui, quae mea negligentia eſt, multos ſaepe dies ad te, cum hic eras, non accedebam, nunc, quotidie non eſſe te, ad quem curſitem, diſcrucior. maxime uero, ut te dies, noctesq. quaeram, competitor Hirrus curat. quo modo illum putas, auguratus tuum competitorem, dolere, & diſſimulare me certiorem, quam ſe, candidatum? de quo, ut, quem optas, quamprimum nuncium accipias, tua mediusfidius magis, quam mea cauſſa cupio. nam mea, ſi fio, forſitan cum locupletiore referam: ſed hoc uſque eo ſuaue eſt, quod, ſi acciderit, tota uita riſus nobis deeſſe non poterit. ſed tanti? ſed mehercules. non multum M. Octauius eorum odia, quae Hirrum premunt, quae permulta ſunt, ſubleuat. Quod ad Philotimi liberti officium, & bona Milonis, attinet: dedimus operam, ut & Philotimus quamhoneſtiſſime Miloni abſenti, eiuſq. neceſſarijs ſatisfaceret; & ſecundum eius fidem, & ſedulitatem aeſtimatio tua conſeruaretur. Illud nunc a te peto, ſi eris, ut ſpero, otioſus, aliquod ad nos, ut intelligamus nos tibi curae eſſe, σύνταγμα conſcribas. qui tibi iſtuc, inquis, in mentem uenit, homini non inepto? aliquid ex tam multis tuis monumentis exſtare, quod noſtrae amicitiae memoriam poſteris quoque prodat. cuiuſmodi uelim, puto quaeris. tu aptius, qui omnem noſti diſciplinam, quod maxime conueniat, excogitabis, genere tamen, quod & ad nos pertineat, & διδασκαλίαν quandam, ut uerſetur inter manus, habeat. Vale.*

EXPLA-

# EXPLANATIO

EST. NE?} quam acuto, atque urbano Coelius ingenio fuerit, ex epiſtolarum principijs intelligitur: ſalis enim aliquid omnia fere habent. Eſt ne? inquit: non id praeſto, quod tibi diſcedenti promiſeram, quod tu fore negabas, ut crebro litteras mitterem? VICI,} quaſi contentio fuerit inter eos, cum Coelius de litterarum crebritate affirmaret, Cicero negaret. DELECTEM *otiolum meum,*} qua ratione, quod uacui temporis conceditur, iucunde traducam, non habeo. Otiolum uocauit, ut occupationes oſtenderet ſuas, de quibus etiam in ep. I. VACANTI} non occupato, cum uacarem a negotijs, cum uacuus eſſem. ſic Cicero in ep. 30. lib. XII. ID. OTII. TEMPVS} id temporis, dum otioſus eram. SED. ROMAE,} ut non mihi ſoli, ſed uniuerſae ciuitati, te abſente, ſolitudo uideatur eſſe. ET. QVI, *quae mea negligentia eſt, multos ſaepe dies ad te, cum hic eras, non accedebam, nunc, quotidie non eſſe te, ad quem curſitem, diſcrucior.*} Plautina ſententia in Capt. Tum denique omnes noſtra intelligimus bona, Cum, quae in poteſtate habuimus, ea amiſimus. CVRAT.} argute. nam, quia cum Cicerone coram de Hirro iocari, eiuſq. ineptias, ac ſtultitias ridere cupiebat, ideo Curat, inquit, Hirrus, ut te dies, nocteſq. quaeram. Plus autem eſt, Curat, quam, Facit, aut cauſſa eſt: quaſi dicat: in hac petitione ita multa agit inepte, ita ſtulte, ut curare de induſtria uideatur, ut ego tecum ſim, quo illum ridere poſsimus. AVGVRATVS} augur Cicero fieri noluit ante exſulium ſuum: reuerſus in patriam, ne calamitas dignitatem eius minuiſſe uideretur, ſtuduit quam ornatiſsima ſenatus, populiq. Romani de ſe iudicia intercedere: quod ipſe ad Catonem ſcribit ep. 4. lib. XV. Augur autem in locum P. Craſſi, Marci filij, a Parthis interfecti, creatus eſt, Plutarcho teſte: nominatus, de more, a duobus auguribus, Pompeio Magno, & Q. Hortenſio oratore. Philippica 2. & in Bruto. qui fuit annus urbis DCC, Domitio, & Meſſalla cos. NAM. MEA,} nam mea quidem cauſſa ideo minus cupio, quam tua, quia, ſi aedilis fiam, forſitan cum locupletiore referam: ideſt, cum aliquo fiam, qui diuitijs Hirrum ſuperet. quod e re mea non erit, opibus enim certandum erit in ſumptu ludorum, Aediles cur. ludos dabant magnificentiſsimos. lib. 2. Off. & pro Murena: & Valerius Max. HOC} ut ille repulſam ferat. SED. TANTI?} tanti ne, dices, hoc eſt, ut, ſi acciderit, propterea nobis tota uita riſus deeſſe non poſsit? mehercule tanti eſt. ita enim multa, quae merito rideantur, quotidie committit, ut inde nobis perpetuam ridendi materiam capere liceat. EORVM *odia, quae Hirrum premunt,*} ſi dixiſſet, Ea odia, uſitate dixiſſet: cum uero dixerit, Eorum; Latini ſermonis ratio, Qui, poſtulat, potius quam, Quae. Sed eſt hoc Coelianum dicendi genus, id eſt plane durum, & aſperum, notatum etiam, ut iam oſtendimus, a Quinctiliano, & Tacito. Eandem ſoloeciſmi ſpeciem agnoſco in epiſtola ſequenti, cum dixit: In euitandis his conſilijs, qui ſe intenderant aduerſarios in eius tribunatum. Quo in loco poſtulabat uſus Latinae linguae, In euitandis eorum conſilijs. Verum, qui ea legerit, quae de Coelij eloquentia, ante huius libri interpretationem, ex antiquorum teſtimonio praefati ſumus, accuratam a Coelio dictionem ualde non exſpectabit. SVBLEVAT.} licet Octauius gratia non ualeat non ideo tamen fit, ut ea, quae Hirrum premunt, odia minuantur. optabile ſolet eſſe, ut competitorem non gratioſum habeamus, quo facilius ad nos populi ſtudium inclinet. hoc Hirro contigit, ut inops ab amicis, & exiſtimatione ſit Octauius: nec tamen ideo, quae Hirrum premunt, odia leuantur. AD. PHILOTIMI. LIBERTI} T. Annius Milo, quo tribuno pl. praeter ceteros adiuuante in patria ab exſulio Cicero redierat, anno proximo de ui reus ob necem P. Clodij, cum legis poenam, id eſt exſulium, bonorumq. omnium publicationem timeret, cepit hoc, auctore in primis Cicerone, conſilium, ut, ſi iudicio damnaretur, quam damnationem publicatio bonorum ſequebatur, eius bona Philotimus, Terentiae Ciceronis libertus, in auctione emeret, ea condicione, ut, ſi quando ipſe recuperandi facultatem nactus eſſet, Philotimus reſtitueret, ipſiq. Philotimo tantum pro fide, ac ſedulitate, quaſi mercedis loco, Milo perſolueret, quantum Cicero aeſtimaſſet. quod Coelius a ſe curatum ſcribit, Ciceronis, opinor, litteris rogatus, ex itinere miſsis. nam Brundiſij cum eſſet, hac ipſa de re ſic ad Atticum ſcripſit ep. 8. l. v. Romae acceperam litteras, Milonem meum queri per litteras iniuriam meam, quod Philotimus ſocius eſſet in bonis ſuis. id ego ita fieri uolui, de C. Duronij ſententia, quem amiciſsimum Miloni perſpexeram. Et paullo poſt: Philotimus, ut ego ei coram dixeram, mihiq. ille receperat, ne ſit inuito Milone in bonis. Nunc ad Coelij uerba ueniamus. LIBERTI: Terentiae, Ciceronis uxoris. ep. 4. & 5. lib. VI. ad Att. & alibi. OFFICIVM,} in conſeruandis Milonis bonis magna fide, ac ſedulitate. BONA. MILONIS} ut Miloni reſtituerentur: quod & ad Atticum antea, ut oſtendi, &, opinor, ad Coelium ſcripſerat. DEDIMVS OPERAM,} tum, ut Ciceroni obſequeretur, id per litteras roganti; tum etiam, quia Milonem ipſe diligebat: quem antea tribunus pl. de ui reum, ob necem Clodij, defendit acerrime. Cicero pro Milone, Pedianus. QVAM HONESTISSIME} fuit enim honeſtiſsimum, ac maxime decuit, ab eo ſatisfieri Miloni abſenti, id eſt ea reſtitui, quae, cum Milonis damnati bona in auctione uenirent, emerat. ſic lib. 2. Off. Exiſtimaui, honeſtiſsime moleſtias deponi poſſe, ſi me ad philoſophiam retuliſſem. MILONI. ABSENTI,} Maſſiliae exſulabat. Pedianus, Dio, & alij. EIVSQ. NECESSARIIS} ad quos Milo ſcripſerat, ut a Philotimo ſua bona redimerent. uide epiſt. 8. l. v. ad Att. ex qua epiſtola ſatis conſtat, ipſum etiam Ciceronem partem Milonis bonorum, emptam in auctione, poſſediſſe: de qua parte recuperanda non uidetur Milo laboraſſe, uel amicitiae cauſſa, uel quod pecunijs, ut ar-

Tt bitror,

bitror, non abundaret. Aestimatio. tua} aeſtimauerat Cicero, quantum Philotimo pro eius fide, ac ſedulitate Milo daret: idq. ipſe Philotimo promiſerat; itaque ſic ad Atticum ſcribit: Statues, ut ex fide, fama, req. mea uidebitur. quo in loco uide quae diximus in Commentario. Aliqvod σωύταγμα}} ſi Latine uertas, proprie σωύταγμα compoſitio eſt, a σωυτάττω. liber ſignificatur accurate ſcriptus. nam ὑπόμνημα, Latine commentarius, ex tem pore, & ſine ſtudio conficitur. ep. 44 lib. xii. ad Att. Ego hic duo magna σωυτάγματα abſolui. Quo loco duos Academicos, & quinque de Finibus libros indicat. Et Simplicius ἐν τῷ α τῶν ἐξανῶ, ἀκροαματικά, καὶ σωνταγματικά, ait eſſe σπουδαιότερα. Homini non inepto?} cum ioco dixit: quaſi, qui aliena induſtria ſui nominis famā quaerat, non ineptus omnino ſit. Monvmentis} ſcriptis. alibi, Litterarum monumenta, annalium monumenta. Exstare,} ſubauditur, in mentem uenit: ideſt, ideo uenit hoc in mentem, ut exſtaret aliquod e ſcriptis tuis, quod poſteris etiam noſtram amicitiam declararet. Nostrae amicitiae}. artificium, ut impetret. non inquit, me gloriae ſtudium, ſed teſtificandae apud poſteros amicitiae noſtrae cupiditas in hanc mentem adduxit. Omnem *noſti diſciplinam,*} omnem doctrinam ſcientia comprehendiſti. Genere} quod argumentum deligas, monendus non es: genus tamen id ſit, quod nec a mea perſona alienum uideatur, & aliquid doceat, quo libentius legatur.

# Argumentum ep. 4.

*Varium eſt, ſi ſpectentur ſententiae, huius epiſtolae argumentum: ſi genus, totum negotiale. nam de Meſſalla damnato, quem ante ſcripſerat abſolutum, de C. Marcello conſule deſignato, M. Claudio abſoluto, Dolabella* xv. *uiro creato, Lentulo repulſo, condemnato Seruio tribuno pl. deſignato, Curione eius locum petente, Coelius ſignificat. adiungit de comitijs & praetorijs, & ſuis aedilicijs: quid actum ſit in ſenatu, quem in Caeſarem Pompeius animum oſtenderit. claudit epiſtolam commendatione rerum ſuarum.*

## *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 4.

Invideo *tibi: tam multa quotidie, quae mirere, iſtoc perferuntur: primum illud, abſolutum Meſſallam, deinde eundem condemnatum: C. Marcellum conſulem factum: M. Claudium a repulſa poſtulatum a Gallis duobus: P. Dolabellam* x v *uirum factum. hoc tibi non inuideo, caruiſſe te pulcherrimo ſpectaculo, & Lentuli Cruris repulſi uultum non uidiſſe. at qua ſpe, quam certa opinione deſcenderat? quam ipſo diffidente Dolabella? & hercules, niſi noſtri equites acutius uidiſſent, paene concedente aduerſario ſuperaſſet. illud te non arbitror miratum, Seruium, tribunum pl. deſignatum, condemnatum: cuius locum C. Curio petijt. ſanequam multis incutit, qui eum, facilitatemq. eius non norunt, magnum metum. ſed, ut ſpero, & uolo, & ut ſe fert ipſe, bonos, & ſenatum malet. totus, ut nunc eſt, hoc ſcaturit. huius autem uoluntatis initium, & cauſſa eſt, quod eum non mediocriter Caeſar, qui ſolet infimorum hominum amicitias ſibi qualibet impenſa adiungere, ualde contempſit. qua in re mihi uidetur illud perquam uenuſte cecidiſſe, quod a reliquis quoque uſq. eo eſt animaduerſum; ut Curio, qui nihil conſilio facit, ratione, & inſidijs uſus uideretur in euitandis his conſilijs, qui ſe intenderant aduerſarios in eius tribunatum: Laelios, & Antonios, & id genus ualentes dico. Has ego tibi litteras eo maiore miſi interuallo, quod comitiorum dilationes occupatiorem me habebant, & exſpectare in dies exitum cogebant, ut, confectis omnibus, te facerem certiorem. ad Kal. Sext. uſque exſpectaui. praetorijs morae quaedam inciderunt. mea porro quem euentum ſint habitura, neſcio: opinionem quidem, quod ad Hirrum attinet, incredibilem aedilium pl. comitijs nacta ſunt. nam M. Coelium Vicinianum mentio illa fatua, quam deriſeramus olim, & promulgatio de dictatore ſubito deiecit, & deiectum magno clamore inſecuta eſt. inde Hirrum cuncti iam, non faciendum, flagitare. ſpero te celeriter, & de nobis, quod ſperaſti, & de illo, quod uix ſperare auſus es, auditurum. De rep. iam noui quidquam exſpectare deſieramus. ſed, cum ſenatus habitus eſſet ad Apollinis ad* x i. *Kal. Sext. & referretur de ſtipendio Cn. Pompeij; mentio facta eſt de legione ea, quam expenſam tulit C. Caeſari Pompeius, quo numero eſſet, quo appeteretur: cum, ex Gallia, coactus eſt dicere Pompeius, ſe legionem abducturum, ſed non ſtatim ſub mentionem, & conuicium obtrectatorum. inde interrogatus de ſucceſſione C. Caeſaris. de qua, hoc eſt de prouincijs, placitum eſt, ut quamprimum ad urbem reuerteretur Cn. Pompeius; ut coram eo de ſucceſſione prouinciarum ageretur. nam Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus, & ſtatim ijt. puto idibus Sext. de ea re factum iri. profecto aut tranſigetur aliquid, aut turpiter intercedetur. nam in diſputando coniecit illam uocem Cn. Pompeius, omnes oportere ſenatui dicto audientes eſſe. ego tamen*

*ſic nihil*

*ſit nihil exſpecto, quo modo Taullum cos. des primum ſententiam dicentem. Saepius te admoneo de ſyngrapha Sittiana: cupio enim te intelligere, eam rem ad me ualde pertinere. item de pantheris, ut Cibyratas accerſas, cureſq. mihi ut uehantur. Praeterea nuncia tum nobis, & pro certo iam habetur, regem Alexandrinum mortuum. quid mihi ſuadeas, quo modo regnum illud ſeſe habeat, quis procuret, diligenter mihi perſcribas. Kal. Sext. Vale.*

## EXPLANATIO

MESSALLAM,} dequo epiſt.2. Cognomen a Meſſana capta: ideo ſcribitur geminata l, quod lapi des Capitolini ueteres, praeterea nummi ſeruant: idq. poſtulat analogia: Sic enim a Meſſana deducitur Meſſalla, ut a Corona Corolla, Catena Catella, Fiſcina Fiſcella. CONDEMNATVM:} ideo dixit epiſt.2. Relictus lege Licinia, maiore eſſe periculo uidetur. C. MARCELLVM} M. Marcelli, ut ait Suetonius, fratrem patruelem; quem nemo conſulem exſpectabat. ex quo illud in epiſt.2. De comitijs conſularibus incertiſsima exiſtimatio eſt. M. CLAVDIVM} M. Claudius conſul erat hoc anno cum Ser. Sulpicio. itaque nec in eum repulſae, nec accuſationis mentio conuenit. niſi ſi alium M. Claudium putemus intelligi. quod ſi ita eſſet, omnino diſtinguendi gratia, uel cognomen, uel patris praenomen, uel notam aliquam Coelius addidiſſet. placet igitur, quod Corradus ſenſit, Calidium, pro Claudio, & Gallijs, pro Gallis. ut ſit M. Calidius orator, a duobus fratribus Gallijs accuſatus. quod eo ueriſimilius uidetur, quia ipſe quoque eorum alterum Q. Gallium, accuſauerat, quem Cicero defendit. conſtat ex libro de claris oratoribus: in quo ſunt haec: Memini, cum M. Calidius in accuſatione ſua Q. Gallio crimini dediſſet, ſibi eum uenenum parauiſſe, idq. a ſe eſſe deprehenſum. idem legimus in Valerio lib. IIX. cap. 10. idem hic epiſtola 9. Coelius ſignificat his uerbis: Calidius in defenſione ſua fuit diſertiſsimus, in accuſatione ſatis frigidus. Sunt, qui legant, A Gallijs duabus: & M. Claudium putant ab ulteriore, & citeriore Gallia accuſatum, in quo primum diſcedunt & a Mediceo, & plane a ſcriptis omnibus libris, in quibus eſt, Duobus, non Duabus: deinde nulla nituntur hiſtoria. nam, ſi accuſatur a prouincijs, certe repetundarum. utrique igitur Galliae praefuerit, neceſſe eſt, quod nemo prodidit. nec omnino cuiquam, ante C. Caeſarem, adminiſtrationem utriuſque Galliae mandatam exiſtimo. POSTVLATVM} reum factũ. ep 6.8.12. A REPVLSA} poſt repulſam conſulatus. praetor enim Calidius fuerat Lentulo & Metello cos. oratio demonſtrat in ſenatu habita poſt reditum. POSTVLATVM} fortaſſe de ambitu: Siquidem poſt repulſam poſtulatus eſt. DOLABELLAM} Corneliae gentis, patriciae; qui poſtea gener fuit Ciceronis. accuſauit Appium de ambitu. ep. 6. XV VIRVM} XV uiri cuſtodiebant libros Sibyllinos, a Cumaea Sibylla, Priſco regnante, Romam allatos. fatales uocabantur, quod fata, ideſt immutabilem Iouis uoluntatem, praedicerent. ad eos, quaſi ad Oraculum, XV uiri adibant, cum dij immortales publice conſulendi eſſent. hiſtoriam Gellius lib. I. cap. 9. ex antiquis annalibus expoſuit. Dio lib. 39. Sacerdotes nominat cuſtodes horũ uerſuum, Cicero interpretes, lib. I. de Diuin. Quo in loco decemuiri, non quindecimuiri, appellantur. ſed ueritatem aperit diſtinctio. nam ſuperioribus temporibus decemuiri Sibyllinos libros cuſtodiebant, Ciceronis aetate, atque etiam poſt aliquot ſaecula quindecimuiri. quod Auſonij poetae in Grypho, uerſibus conſtat: Atque trifatidicae nomen commune Sibyllae, Quarum tergemini fatalia carmina libri, Quos terquinorum ſeruat cultura uirorum. Suetonius fatales libros uocat. LENTVLI *Cruris*} fortaſſe is eſt, qui anno ſequenti conſul deſignatus eſt. potuit enim & Crus, & Cruſcellus nominari. DESCENDERAT?} in campum Martium, ubi comitia creandis ſacerdotibus lege Atia fiebant: cum eam poteſtatem T. Atius Labienus a collegijs ad populum tranſtuliſſet. qua tota de re diximus in libro de Legibus. NOSTRI *equites*} quorum ſtudia Coelius amiciſsimo ſuo Dolabellae adiunxit. Noſtri, autem, quia Coelius, & Cicero equeſtri loco nati, ideſt parentibus, qui ſupra equeſtris ordinis gradum, ideſt ad ſenatoriam dignitatem numquam adſcendiſſent. TRIBVNVM *pl. deſignatum*,} ergo comitia tribunicia ante praetoria, & aedilicia fiebant; quae nondum eſſe facta, paullo poſt manifeſtum eſt. ante conſules etiam deſignabãtur tribuni pl. quod epiſtola prima ad Atticum teſtatur. primiq. omnium magiſtratum inibant IV. id. Dec cum reliqui omnes magiſtratus Kal. Ian. CONDEMNATVM:} de ambitu, quod tribunatum pl. largitione conſecutus eſſet. MAGNVM *metum*.} quod inquieto eſſet ingenio, et ab eloquentia paratus. Coelius tamen, eum propter amicitiam excuſans, ait: Qui eum, facilitatemq. eius non norunt. VT SE *fert ipſe*,} ut ſe oſtendit, ut uidetur. BONOS, *& ſenatum*} quos primo tribunus pl. defendit: mox ad Caeſaris partes tranſijt, corruptus, Appiano teſte, amplius ∞ D talentis ep.6. VT NVNC EST,} ſic Cicero, ad Atticum: Si manebunt: &, ut nunc eſt, manſurae uidentur. HOC *ſcaturit*.} quaſi ebullit hanc rem, ut Seruij locum obtineat. proprie ſolum ſcatere fontibus dicitur: ſed cum accuſandi caſu ueteres interdum uſi ſunt. Plautus in Per. Id tuus ſcatet animus. Lucretius & cum genitiuo uſus eſt lib. V. Terra ſcatet ferarum. Similiter lib. V. de Fin. Cicero; Dixerit hoc quidem Epicurus, ſemper beatum eſſe ſapientem: quod quidem ſolet ebullire nonnumquam. INITIVM, *& cauſſa*} ideo tribunatum pl. petit, ut contra Caeſarem agat, a quo contemptus eſt: cum antea tribunatum minime cogitauerit. quod Cicero ſignificat ep. 6. lib. 2. in eo loco, Cum te tribunum pl. iſto anno fore non putarem. INFIMORVM *hominum*} plebem ſibi, tribunoſq. pl. Caeſar adiunxit, quod intelligeret optimates cum Pompeio ſentire. ep. 14. In hac diſcordia, inquit, uideo Cn. Pompeium ſenatum, quiq. res iudicant, ſecum habiturum; ad Caeſarem omnes, qui cum timore, aut mala ſpe uiuant, acceſſuros. Quamquam non infimos tantum homines, uerum etiam ſequentis anni conſulem L. Aemilium Paullum magna pecuniae ui, qua baſilicam Aemiliam exſtru-

xit, ad ſuam cauſſam traduxit. VALDE} cum dixerit, Non mediocriter, cur ſubiungit, Valde? fortaſſe, ut magis augeat: ut cum dicebant, uehementer etiam, atque etiam. CONTEMPSIT.} maiore impenſa, Curione tribuno pl. cum eum quoque, minime cum infimis conferendum ſibi poſſet adiungere. PERQVAM *uenuſte cecidiſſe,*} omnes libri ueteres, etiam Mediceus, Ceciniſſe. unus tantum, Cediſſe. placet, Cecidiſſe: ex more Latine loquendi. VSQVE EO} uidetur dictum pro, uehementer. NIHIL *conſilio facit,*} fuit enim ingenio turbulento. de quo Velleius: Curio eloquẽs, audax, ſuae, alienaeq. & fortunae, & pudicitiae prodigus, ingenioſiſsime nequam, facundus malo publico. huius animo, uoluptatibus, uel libidinibus, neque opes ullae, neque cupiditates ſufficere poterant. Et Suetonius uiolentiſsimum tribunorum appellat. RATIONE, *& inſidijs &c.*} ſi uel unus ſuffragaretur antiquus liber, legerem libenter: Ratione, & conſilio uſus uideretur in euitandis eorum inſidijs. Quo modo locutus eſt lib. VII. in Verrem: Laborem itinerũ facilem ſibi, & iucundum ratione, conſilioq. reddidit. HIS *conſilijs,*} cum ſequatur, Qui, rectius uideretur, Eorum conſilijs. quid agas? Coelianum eſt. Similiter dixit in proxima epiſtola, Eorum odia, quae Hirrum premunt: pro, Qui Hirrum premunt. ADVERSARIOS} poſtea, cum ab optimatibus ad Caeſarem Curio deſciuiſſet, ita in gratiam rediere, ut Curionis maxime tribuni pl. opera auguratum Antonius obtinuerit. de quo in Philippica 2. LAELIOS, *& Antonios,*} cum de Caeſarianis loquatur, qui Curioni, Caeſaris inimico, (ut quidem tunc aut erat, aut uidebatur) in petitione tribunatus aduerſarentur; malim, Lollios, pro Laelios. nam Laelij Pompeiani: quod ex libris Caeſaris de bel. ci. cognoſcitur. Antonius autem quaeſtor Caeſaris erat in Gallia, & poſt annum tribunus pl. acerrime Pompeianis Caeſarem oppugnantibus, reſtitit, interceſsitq. ne S.C. de Galliarum ſucceſsione fieret. Noſtram opinionem de Laelijs in Lollios mutandis adiuuat locus epiſtolae 3. lib. V. nam ubi, Lollium, legitur, non deſunt ſcripti libri, qui habeant, Laelium, errorem creante nominis ſimilitudine, & quod notiores Laelij, quam Lollij. ID. GENVS *ualentes*} pro, eius generis. Valentes autem uocat, animo, & uigilantia praeſtantes. IN. DIES} deſignatis enim iam tribunis pl. & conſulibus, reliquorum creatio magiſtratuum duci ualde non poterat. PRAETORIIS} praetoria comitia fieri ſtatim poſt conſularia ſolita ſunt: ſed obſtitit neſcio quid. auſpicia quidem impedimento eſſe non potuere: cum praetoria, ut lib. XIII. c. 14. docet Gellius, ijſdẽ, quibus conſularia, fierent; conſularia uero facta iam eſſent. MEA. PORRO *comitia quem euentum ſint habitura,*} ſic antea in orationibus impreſsis. nos uocem, Comitia, ſuſtulimus: quae ſubintelligitur; ut etiam cum dicit, Praetorijs morae quaedam inciderunt. OPINIONEM *incredibilem*} optima ſigna uidimus propenſae in me, alienae autem ab Hirro populi uoluntatis. AEDILIVM PL.} qui ante curules ideo creabantur, quod quaſi tribunorum pl. miniſtri ab initio eſſent inſtituti, ut Dionyſius, & alij teſtantur. quod ſi tribunorum pl. cauſſa creati; conſentaneum eſt, ut ſtatim poſt eos crearentur, ideſt ante conſules, & reliquos magiſtratus. NACTA *ſunt.*} quia candidati, antequam ſua comitia fierent, aliorum quoque magiſtratuum comitijs prenſabant, ut populi uoluntatem elicerent; qua perſpecta, uel confirmarentur in ſpe, uel, ſi quid eſſe aduerſum intelligerent, aliqua ratione mederentur: propterea comitijs tribunicijs, qui candidati conſulares erant, prenſarunt Galba, Antonius, Cornificius: quod in epiſtola ad Atticum prima ſcriptum eſt. Sic igitur & Coelius, Hirruſq. cum aedilitatem curulem peterent, aedilium pl. tamen comitijs prenſarunt. COELIVM *Vicinianum*} adoptatum in Coeliam gentem; cum ex Vicinia natus eſſet. uerum, ne celem quod ſentio, Licinianum, una tantum littera immutata, potius quam Vicinianum, legendum exiſtimo, adductus in hanc opinionem primum hoc argumento, quod hic, qui de dictatore Pompeio cogitauit, uarie nominatur, Lucilius a Plutarcho, Vinicianus ab Hirtio lib. IV. de bello Alexandrino, Craſſus Iunianus ab ipſo Cicerone ep. 8. lib. III. ad Q. fr. & in Sigonij uetere libro, Memmianum, non Vicinianum, legi uideo: ut ipſa uarietas mendi ſuſpicionem afferat: deinde, quod, cum Craſſus Iunianus a Cicerone appelletur, & Craſſus Liciniae gentis cognomen fuerit, licet intelligere, uel eum ex Licinia gente, uel in Liciniam adoptatum, unde Craſsi cognomen acceperit. In Liciniam, qui poteſt? cum Coelius appelletur: non enim duarum familiarum nomina ſimul ponuntur. ergo ex Licinia in Coeliam: ut fiat Coelius Licinianus Craſſus, uetere cognomine conſeruato: ut Scipionis cognomen retinuit is, qui Magni Pompeij ſocer una cum eo conſulatum geſsit; cum tamen, a Q. Caecilio Metello Pio, ut Dio ſcripſit, adoptatus, ab adoptiuo patre praenomen, nomen, cognomen ſumpſiſſet. itaque in S.C. quod Coelius ep. 8. Ciceroni miſit, Q. Caecilius Metellus Pius Scipio uocatur. & M. Lucullus, Lucij Luculli, qui de Mithridate, ac Tigrane triumphauit, frater conſobrinus, qui conſul fuit cum C. Caſſio Varo, cum ex Licinijs in Terentios tranſiſſet, uetere cognomine Lucullus, nouo autem Varro nuncupatus eſt. Sed, ut nouo praenomine ſemper, uetere abiecto, ſic uetere cognomine non illi quidem ſemper, ſed frequentius, quam nouo, utebantur. exemplo ſunt, ne alios quaeramus, ij duo, quos proxime nominauimus: quorum alterum ſemper Lucullum, numquam Varronem, alterum ſaepiſsime Scipionem unico cognomine, interdum gemino Metellum Scipionem, numquam Metellum ſimpliciter uocatum meminimus. Accedit ratio temporum, ut idem eſſe uideatur, qui nunc aedilitatem cum Hirro petit, & qui tribunus pl. cũ eodem deſignatus eſt in ea ad Quinctum epiſtola. Ergo & hic, Coelium Licinianum, non Vicinianum, & in epiſtola ad Quinctum, Craſſum Licinianum, non Iunianum, rectius legi crediderim. aequis tamen iudicibus tum hoc, tum omnia, quae a noſtra proficiſcuntur induſtria, libenter committimus. Cum haec ſcripſiſſem, oſtendit mihi uir eruditiſsimus Fuluius Vrſinus nummum argenteum, in quo mentio fit Coelij Viniciani: alterum, in quo P. Craſsi Iuniani. fortaſſe poteſt hic eſſe P. Coelius Craſſus Iunianus, qui ex Iunia Craſſorum gente adoptionis iure tranſierit in Coeliam. PROMVLGATIO *de dictatore*} Domitio, & Appio coſ. cum magnis candidatorum conſularium contentionibus extracta in annum ſequentem

comitia

comitia eſſent, deſperata propemodum concordiae ſpe ortus eſt de dictatore ſermo : quod unicū difficillimis reip. temporibus remedium maiores inuenerant. nec dubium, quin Pompeius crearetur, honoribus, & rerum geſtarum gloria clariſsimus. de quo ſic ep.8.l.III. ad fratrem : Res prolatae: ad interregnum comitia adducta: rumor dictatoris, iniucundus bonis. Pompeius plane ſe negat uelle. antea ipſe mihi non negabat. uelit, nolit, ſcire difficile eſt. Dictaturam tamen ab eo recuſatam, Dio ſignificat lib. XL. Appianus eum, ſuo more diſsimulantem, uerbis quidem dictaturam recuſaſſe, re ipſa cupijſſe, lib.2. de bellis ci. narrat. idem & Plutarchus. SVBITO *deiecit*,} ſubaudiendum, aedilitate: ut in oratione pro Murena, Praetura deiectus: & in Verrem, Si me aedilitate deieciſſes. Hoc enim dicit : Coelium Licinianum, cum petere coepiſſet, reuocata legis ab eo de dictatore promulgatae memoria, ſtatim aedilitate deiecit. INSECVTA *eſt*.} numquam ita Cicero loqueretur. quid enim hoc eſt? promulgatio de dictatore deiectum magno clamore inſecuta eſt. cum hoc ſignificet: primum populus ei petenti uulgo negauit: deinde magni clamores in eundem conſecuti. Et ſane, cum hic Coelius, qui Lucilius in Plutarchi Pompeio mendoſe, ut puto, nominatur, rogationem de dictatura Pompeio mandanda ferre conaretur, incurrit in odium ciuitatis ; nec longe abfuit, quin magiſtratu ſe abdicare coactus ſit. Plutarchus. NON *faciendum*,} Alij, Ad non faciendum: eadem ſententia. Deiecto, inquit, Coelio, cuncti flagitare Hirrum coeperunt, ne faceret, id eſt ne peteret aedilitatem. haec eſt enim illa incredibilis opinio, quam proxime dixit ſua comitia nacta eſſe aedilium pl. comitijs. FLAGITARE.} hiſtorico more, pro Flagitabant. QVOD *ſperaſti*,} me deſignatum aedilem. DE ILLO, *quod uix ſperare auſus es*,} non modo illum non eſſe deſignatum, quod ſperaſti, ſed etiam, quod uix ſperare auſus es, turpiſsime deiectum. Vrbane, & perfacete ad hunc iocum Cicero reſpondit ep.10. lib. 2. luſit enim in uerbo, Illum; &, cum eandem ſententiam referret, inquit: De te, quia, quod ſperabam: de Hillo, (balbus enim ſum) quod non putabam. De Hillo, dixit, ioco, ut opinor, duplici. nam & Hirrum, balborum more, mutatione, litterarum pronunciauit: & alluſit ad Coelij uerba, qui ſcripſerat, De illo : pro quo retulit, De Hillo. quod a Graecis inter ea, quae riſum excitant, παράγραμμα uocatur. ep.32. lib. VII. AD. APOLLINIS} ἀττικισμὸς: pro, aedem Apollinis. ep. 2. lib. XIV. Valerius ad me ſcripſit, quemadmodum a Veſtae ad tabulam Valeriam ducta eſſes. Et pro Milone: Cum falcibus ad Caſtoris, cum gladijs toto foro uolitarunt. DE *ſtipendio Cn. Pompeij*;} quod legionibus perſolueret, quas partim habebat in Hiſpanijs cum tribus legatis, Afranio, Petreio, Varrone, partim Arimini: ſequitur enim paullo poſt, Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus. hac de re ep.14. Caeſari quoque decretum ſtipendium, dixit ep. 7. lib. I. EXPENSAM *tulit*} tradidit. nam, Expenſum ferre, eſt, in tabulas referre, quod expenſum ac datum alicui ſit. ſic in Philippica 2. Quis umquam inuentus eſt, qui Antonio mille nummum ferret expenſum? Exemplorum alibi ſatis eſt. C. CAESARI} cum Caeſar in Gallia, ſaepe acie uictor, maiorem tamen motum, ut inquieta illius erant nationis ingenia, multis de cauſsis exſpectaret, ab Cn. Pompeio proconſule petijt, quoniam ipſe ad urbem cum imperio reip. cauſſa maneret, quos ex ciſalpina Gallia conſulis ſacramento rogauiſſet, ad ſigna conuenire, & ad ſe proficiſci iuberet. quod Pompeius, & reip. & amicitiae tribuit. Hoc apud eum totidem uerbis lib. VI. de bel. Gal. ſcriptum eſt. Hirtius autem ſic lib. IIX. Fit ſenatus conſultum, ut ad bellum Parthicum legio una a Cn. Pompeio, altera a C. Caeſare mitterentur. neque obſcure hae duae legiones uni Caeſari detrahuntur. nam Cn. Pompeius legionem primam, quam ad Caeſarem miſerat, confectam ex delectu prouinciae, Caeſari eam tamquam ex ſuo numero dedit. Caeſar tamen, cum de uoluntate aduerſariorum ſe exſpoliari nemini dubium eſſe, Cn. Pompeio legionem remiſit. Plutarchus etiam in Pompeio repetitam eam legionem ait ſimulatione belli Parthici. quod a Dione quoque lib. XL. traditum eſt. QVO. NVMERO. ESSET,} poſt C. Marium, ſena millia peditum ſummus in legione numerus fuit, minor interdum; quod aliquam ob cauſſam legio eſſet infrequentior. ideo facta mentio eſt, quo numero eſſet ea, quam Caeſari Pompeius commodauerat. ſed in ea peditum ſena millia fuiſſe, ex Plutarcho perſpicuum fuit, qui M. Catonem de Pompeio queſtum eſſe narrat, quod ſex millia militum ad Caeſarem ſine ſenatus auctoritate in Galliam miſiſſet. QVO. APPETERETVR:} quo numero tribui deberet. Sigonij liber unus, Appeteret: quod non placuit. COACTVS. EST} nam ipſe libenter ſimulabat: ideo non niſi coactus dixit, ſe ex Gallia legionem eam abducturum. ep. 5. lib. I. Noſti hominis tarditatem, & taciturnitatem. SVB *mentionem*,} poſt mentionem de ea legione factam. CONVICIVM} efflagitationem. nam conuicium non modo maledictum eſt, ſed etiam uehementior ſine intermiſsione poſtulatio. unde illud in ep. 10. lib. 2. ad fratrem : Epiſtolam hanc conuicio efflagitarunt codicilli tui. Et in oratione pro Archia: Quaeris a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectamur? Quia ſuppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures conuicio defeſſae conquieſcant. Conuicio, pro multis uocibus, multoq. clamore, dixit. OBTRECTATORVM.} fortaſſe Cato, Bibulus, Domitius Ahenobarbus, Caeſaris inimici, Pompeio ob eam cauſſam obtrectabant, quod Caeſari legionem de ſuo exercitu commodaſſet. non enim, obtrectatores hic appellari Caeſaris amicos, ueriſimile uidetur : qui certe de remouenda ab eo legione mentionem numquam intuliſſent. HOC. EST DE *prouincijs*,} gloſſema non puto: ſed actione de prouincijs Gallias quoque, actione autem de Gallijs contineri ſimul & comprehendi prouincias omnes, docet. PLACITVM. EST,} antique, pro, Placuit: ut Licitum eſt, pro, licuit: Puditum eſt, pro, puduit. Cicero lib. IV. in Verrem : Nego ullam picturam neque in tabulis, neque textilem fuiſſe, quin quaeſierit, inſpexerit; quod placitum ſit, abſtulerit. Et D. Brutus ep. I. lib. XI. Placitum eſt mihi, ut poſtularem legationem liberam. Et Pompeius in epiſtola ad conſules, lib. IIX. ad Att. Placitum eſt mihi, ut Brundiſium ducerem hanc copiam. Muliebri ge-

nere Terentius in Andr. Poſtquam me amare dixi, cum placita eſt tibi. Eodem modo, Puditum eſſet, pro
puduiſſet, dixit Cicero pro Flacco. & lib. 2. de Fin. Quos non eſt ueritum ponere: pro: qui non ueriti ſunt
ponere. Terentius in Andria: Dum licitum eſt illi, dumq. aetas tulit, amauit. Quo loco Donatus, Vete-
res, inquit, & Placitum, & Puditum dicebant: quae nos, placuit, puduit. CORAM. EO} quo
modo, coram eo, cum Pompeius, quia cum imperio erat, urbem introire non poſſet? Scien-
dum, eos, qui cum imperio erant, petijſſe interdum a ſenatu, & obtinuiſſe, ut, ſaluis legibus.
ingredi urbem poſſent. itaque laudauit Sextium, de ui reum, praeſens Pompeius, cum iudicium
in foro fieret, Marcellino, & Philippo cos. quo anno eum fuiſſe cum imperio, ſuſcepta annonae cu-
ra, notum eſt. ep. 9. lib. 1. Non numquam etiam, ut ijs, qui ad urbem cum imperio erant, liceret inter-
eſſe, extra urbem ſenatus habebatur, ut biennio poſt, belli ciuilis initio: quod a Caeſare lib. 1. de bel. ci.
ſcriptum legimus. ARIMINVM} ſitum in extrema Italia, non ea, quam alpes cingunt, qui naturae
terminus eſt, ſed ea, quam a Gallia ciſalpina populus Romanus Rubicone fluuio diſiunxit. citra Rubico-
nem autem primum opidum Romam euntibus, ultimum in Galliam, Ariminum occurrit. AD. EXER-
CITVM} cuius ipſe imperator erat. manebat enim ad urbem reip. cauſſa cum imperio; quod Caeſar
lib. VI. alijq. tradiderunt: per legatos abſens Hiſpanias adminiſtrabat, mandatas ei lege primum Trebonia
in quinquennium, deinde altera, quam ipſe tertium conſul tulit, in alterum quinquennium prorogatas.
Dio lib. XL. Plutarchus, alij. FACTVM. IRI.} uſitatius erat, Actum iri. quo modo & ipſe de
eadem re locutus eſt ep. 9. De prouincijs, inquit, quod tibi ſcripſeram, idibus Sext. actum iri; interpellat
iudicium Marcelli conſulis deſignati. Nec paucis praeterea confirmatur exemplis. AVT. TRANSIGE-
TVR. ALIQVID,} aut S. C. fiet de imperio ijs, qui prouincias obtinent, finiendo, idq. potiſsimum
Caeſaris cauſſa: aut a tribunis pl. Caeſarianis turpiter intercedetur. interceſſum autem a quattuor tribunis
pl. in ep. 8. demonſtratur. Et cum ait, Turpiter, ſentire ſe pro optimatibus iudicat. ſed anno ſequenti,
cum aedilitatē gereret, ſe mutauit, uel Appij cenſoris odio, uel Curionis tribuni pl amicitia. ep. 12. 13. 17.
ILLAM. VOCEM,} ex qua intellectum eſt, uel tranſactum iri aliquid, uel tribunos pl. interceſſu-
ros eſſe. OMNES} ergo & Caeſarem: ſi ſenatus ei ſuccedendum cenſuiſſet. SENATVI *dicto au-
dientes eſſe.*} pro, Senatui parere. ſic pro Deiotaro: Vt audiens dicto eſſet huic ordini. Et Philippica VII.
Scilicet legatos ad eum miſimus, non ut pareret, & dicto audiens eſſet huic ordini, ſed ut condiciones fer-
ret. NIHIL. EXSPECTO,} proxime, ſe non exſpectare nihil, affirmauit his uerbis: Profecto
aut tranſigetur aliquid, aut turpiter intercedetur. quid igitur, an ſecum pugnat Coelius? diuerſa ſenten-
tia eſt. nam hic ait, Nihil exſpecto, pro, Caeſarem ſenatui dicto audientem fore nequaquam puto.
PRIMVM} primi conſules deſignati ſententiam rogabantur: eorum autem prior, qui priore loco de-
ſignatus erat. ideo Marcellinus, conſul deſignatus, primus ſententiam rogatur. ep. 1. lib. 2. ad patrem,
ſecundo autē loco Philippus, eius collega quod ſecundo loco deſignatus eſſet. SYNGRAPHA. SIT-
TIANA:} de qua diximus in ep. 2. ne ſaepius eadem iterentur. VALDE *pertinere.*} ut pecunijs
ex ea ſyngrapha exactis alerentur, ac Romam deportarentur pantherae, quas dare ſuis ludis anno ſequen-
ti Coelius cogitabat. uide ep. 9. DE *pantheris,*} ep. 2. CIBYRATAS} uenandi peritam gen-
tem. ep. 9. & ep. 1. lib. VI. ad Att. REGEM *Alexandrinum:*} Ptolemaeum, quadriennio ante a Ga-
binio Syriae proconſule reſtitutum. diximus ep. 1. lib. 1. QVID *mihi ſuadeas,*} fortaſſe curam ſibi a
ſenatu eius regni inuiſendi, atque aliquandiu procurandi mandari cupiebat. QVIS *procuret,*} pro-
curabat Ptolemaei pueri, annum XIII. agentis, nutricius eius, eunuchus, nomine Photinus, is, cuius
conſilio Pompeius Magnus, cum Peluſium acceſsiſſet, necatus eſt. Caeſar lib. III. de bel. ci. Appianus
lib. 2. de bel. ci. Dio lib. 41. Plutarchus in Pompeio. PERSCRIBAS.} nec enim ei de regni ſtatu
difficilis cognitio erat, cum Ciliciae praeeſſet, cui prope in conſpectu Aegyptus eſt.

# Argumentum ep. 5.

*PRior epiſtolae pars moralis eſt, quia profectum a beneuolentia metum Coelij ſignificat, ne cum Parthorum copijs congreſſus Ciceronis exercitus profligetur: poſterior, quia de ſucceſsione prouinciarum agit, negotialis. Haec epiſtola quo die ſcripta ſit, non apparet: ſed uidetur ſuperiorem proximam paucis diebus conſecuta. nam, neque iterauit Coelius de pantheris, quia ſcilicet paullo ante ſcripſerat: neque Curionem deſignatum eſſe tribunum pl. ſignificat, quem in proxima dixit petere: quoq. magis moueor, huic, & ſuperiori Cicero una reſpondet epiſtola, quae decima eſt lib. 2.*

## *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 5.

*QVA tu cura ſis, quod ad pacem prouinciae tuae, finitimarumq. regionum attinet, neſcio. ego quidem uehementer animi pendeo. nam, ſi hoc moderari poſſemus, ut pro uiribus copiarum tuarum belli*

*quoque*

*quoque exſiſteret magnitudo; &, quantũ gloriae, triumphoq. opus eſſet, aſſequeremur; periculoſam, & grauem illam dimicationem euitaremus: nihil tam eſſet optandum. nunc ſi Parthus mouet aliquid, ſcio non mediocrem fore contentionem. tuus porro exercitus uix unum ſaltum tueri poteſt: hanc autem nemo ducit rationem: ſed omnia deſiderantur ab eo, (tamquam nihil denegatum ſit ei, quo minus quamparatiſſimus eſſet) qui publico negotio praepoſitus eſt. Accedit huc, quod ſucceſſionem futuram propter Galliarum controuerſiam non uideo. tametſi hac de re puto te conſtitutum, quid facturus eſſes, habere: tamen, quo maturius conſtitueres, cum hunc euentum prouidebam; uiſum eſt, ut te facerem certiorem. noſti enim haec translaticia. de Gallijs conſtituetur: erit, qui intercedat: deinde alius exſiſtet, qui, niſi libere liceat de omnibus prouincijs decernere ſenatui, reliquas impediat. ſic multum, ac diu ludetur, atque ita diu, ut plus biennium in his tricis moretur. Si quid noui de rep. quod tibi ſcriberem, haberem; uſus eſſem mea conſuetudine, ut diligenter, & quid actum eſſet, & quid ex eo futurum ſperarem, perſcriberem. ſane tamquam in quodam incilicia omnia adhaeſerunt. Marcellus idem illud de prouincijs urget: ſed neque adhuc frequentem ſenatum efficere potuit. hoc ſi praeterito anno Curio tribunus, & eadem actio de prouincijs introibit: quam facile nunc ſit omnia impedire, & quam hoc Caeſari, qui, ſua cauſſa, remp. non curent, ſuperet, non te fallit. Vale.*

# EXPLANATIO

FINITIMARVMQ. *regionum*} quas nonnumquam incurrentes Parthi uexabant. primam uero, quam, traiecto Euphrate, qui terminus Romani imperij fuit, inuadebant Parthi, Syriam fuiſſe, ex epiſtolis I. II. III. IV. cognoſcitur. ceterae uero regiones uel Romanis parebant, uel in earum ſocietate, clientelaq. erant, poſſeſſae a regulis, tyrannisq. aut ſuis legibus libere uiuentes. ANIMI *pendeo*.} in ſollicitudine ſum. notum loquendi genus. Pendemus animis, dixit Cicero Tuſc. I. ſed uſitatius, animi. SI HOC *moderari poſſemus*,} ſi liceret nobis, quod ad Parthicum bellum attinet, ita rem moderari, & hoc modo corrigere, ut cum uiribus copiarum tuarum bellum aequaretur; nihil tam eſſet optandum. Dixit, Hoc, pro hac ratione, hoc modo: uel, Hoc, accuſandi caſu: ideſt, id, quod mihi timorem inijcit. Sigonij liber habet, Hoc more moderari poſſemus, & pro uiribus copiarum &c. TRIVMPHOQ.} ad triumphum ſatis erat, hoſtium quinque millia una acie occidiſſe: de quo Valerius Max. lib. 2. cap. 3. Reſpondit Cicero: Velles, tantummodo ut haberem negotij, quod eſſet ad laureolam ſatis. GRAVEM *illam dimicationem*} cum omnes utrimque copiae concurrunt. PARTHVS} pro Parthi, hiſtorico more. ſic Liuius ſaepe, & alij, Poenus, &, Romanus; pro, Poeni, Romani. VIX. VNVM *ſaltum*} qua tranſire in prouinciam Ciceronis Parthi conarentur. Vix autem, quia duas tantum legiones Cicero habebat, ut ep. 15. lib. V. ad Att. Plutarchus ait fuiſſe duodecim millia peditum, equites MMDC. id quod oſtendit, in ſingulis legionibus ſena millia peditum fuiſſe. equitum autem numerum, uix crediderim, in Plutarcho uacare mendo. nam ſingulis legionibus tercenos adiunctos equites fuiſſe, ſatis liquet. quod ſi accedant auxiliares, tantus tamen numerus non efficitur. niſi ſi, quod ualere Parthos equitatu conſtabat, ideo numerus equitum auctus eſt. CONTROVERSIAM} referente enim ad ſenatum Marcello conſule de prouinciarum ſucceſsione, eo conſilio, ut Galliae Caeſaris eandem condicionem ſubirent; uidet Coelius, id quod euenit, interceſſum iri a tribunis pl. quia legitimum prouinciae Caeſaris tempus Vatinia primum, deinde Trebonia lege datum, expletum nondum eſſet. quae igitur interceſsio, Galliarum cauſſa, S. C. de prouincijs impediet, eadem, ne ceteris prouincias obtinentibus ſuccedatur, efficiet. QVID *facturus eſſes*,} quem prouinciae decedens praeficere uelles. epiſt. 9. Quantum diuino, relinquendus tibi erit, qui prouinciam obtineat. nam non expeditur ſucceſsio: quando Galliae, quae habent interceſſorem, in eandem condicionem, quam ceterae prouinciae, uocantur. TRANSLATICIA.} uſitata, uſu tranſlata: ut ep. 8. lib. III. Hoc uero, inquit, ex quo ſuſpicio nata eſt, me exquiſiuiſſe aliquid, in quo te offenderem, tranſlaticium eſt. CONSTITVETVR:} in ſenatu. conſtituetur autem decreto generali de omnium prouinciarum ſucceſsione. ERIT,} tribunus pl. amicus Caeſari: ut interceſſerunt quattuor. ep. 8. ALIVS} tribunus pl. Pompeij, ideſt optimatum, fautor: qui cum impediri Gallias uiderit, expediri reliquas non patietur: eo ſcilicet conſilio, ut uel omnibus, qui prouincias obtinent, uel nemini ſuccedatur. DE *omnibus prouincijs*} conſularibus, & praetorijs: de quibus conſul M. Marcellus, primum de cõſularibus, mox de praetorijs, ſeparatim uerba fecit. ep. 8. PLVS *biennium*} non fallitur. numquam enim res, niſi ciuili bello, ad exitum deducta. Plus biennium, pro, Plus biennio: ut ep. 6. lib. VI. ad Att. Plus annum prouinciam obtinere. MORETVR.} paſsiue dixit, antiquo more. ſic in agraria II. Excipere nominatim agrum, qui publicus eſſe fateatur. MEA *conſuetudine*,} id enim promiſit ep. I. IN *quodam incilicia omnia*} ſic Mediceus liber, & qui fuit Vbaldini. Sigonij unus, In quodam incililia omnia: Ioannis Scalae, In quodam omnia in Sicilia: Maffeorum, In quodam uictilicra omnia. Mendum patet: nec diſpliceret, In quodam incili iam omnia: quod olim placuit. Incilia foſſae ſunt, in quas ex foſsis aquae deriuãtur. ADHAESERVNT.} in actione de prouincijs, tamquam in quodam incili, urgente M. Marcello conſule idem illud, quod antea, ut ijs, qui prouincias obtinent, ſuccedatur. VRGET:} ergo, reſediſſe impetus eius, falſo putauit Coelius: id enim ſcripſit ep. 2. Et cum dicat, Idem illud urget; antea ſcriptum eſſe ab eo de hac Marcelli actione, & aliquot Coelij ad Ciceronem epiſtolas deſiderari, ſatis conſtat. NEQVE *adhuc frequentem ſenatum efficere potuit*} Neque, hic uſurpatur pro Ne quidem. hac ſententia: Tantum abeſt, ut Marcellus S. C. efficere de prouinciarum ſucceſsione, ut ne ſenatum quidem adhuc frequentare potuerit.

tuerit. ſic ep.4. lib.1. ad Att. Neque hoc neglexi. Non diſsimile illud ep.10. lib.ix. Quod altera epiſtola
purgas te, non diſſuaſorem mihi emptionis Neapolitanae fuiſſe, ſed auctorem commorationis urbanae:
neque ego aliter accepi: intellexi tamen idem, &c. In frequenti autem ſenatu fieri S. C. leges uetabant. qua
de re diximus ep.9. lib.1. in eo loco, Mihi eſt ſenatus aſſenſus, ut idibus Maij, frequẽti ſenatu, de agro Cam
pano referretur. CVRIO *tribunus*,} ex his uerbis, nondum eſſe deſignatum tribunum Cu-
rionem, conijcio. INTROIBIT:} introiuit, neque ſolum anno poſtero, Curione tribuno, ſed etiam
eo, qui conſecutus eſt, M. Antonio, & Q. Caſsio Longino tribunis pl. qui S.C. de prouincijs interceſſerũt.
QVAM *facile nunc ſit*} Nunc, pro tunc: ut futurum tempus repraeſentet; quo magis rem oculis ſubij-
ciat. uel, Nunc, hoc in ſtatu, cum & Curio tribunus pl. ſit, & de prouincijs agatur. IMPEDIRE,} Im-
pedimento enim erunt Caeſariani Pompeianis, ne fiat S. C. de prouinciarum ſucceſsione: Pompeiani au-
tem, niſi libere liceat de omnibus prouincijs decernere ſenatui, reliquas impedient. ep.5. QVI, *ſua cauſſa,*
*remp. non curent,*} ſic plane in plerisque antiquis libris. mihi uidetur, cum de uno Caeſare ſermo habea-
tur, legendum, Curet. nam is, ſuae potentiae cauſſa, remp. non curabat. Adiuuat & confirmat opinionẽ
noſtram Fuluij Vrſini liber, in quo eſt, Qui ſua cum rep. non curet. SVPERET,} ſuperſit, reliquum ſit:
ideſt, quantum in hoc Caeſar negotij ſit habiturus. ſic lib.v. de Fin. De eo, quod ipſis ſuperat, alijs gratifi-
cari uolunt. & ad Att. lib.XIII. Si quid aere meo alieno ſuperabit.

# Argumentum ep. 6.

*SCribuntur haec: Appium, qui cum Cicerone in gratiam redierat, a Do-
labella eſſe accuſatum: cauendum Ciceroni, ne, ſi Appio non ſtuduerit, pa
rum ſimpliciter, & candide inimicitias depoſuiſſe uideatur: uxorem a Do-
labella diſceſsiſſe: poſſe ei Tulliolam, Ciceronis filiam, collocari: Pompeium
ualde pro Appio laborare: ſummam eſſe conſulum negligentiam: totam otio-
ſam eſſe ciuitatem: Bibulum in Syriam male pugnaſſe: Curionem tribunum
pl. mutata uoluntate, ab optimatibus ad Caeſaris partes tranſiiſſe: Appij
gratiam ſe cupere: Dolabellae affinitas ſi probetur, celandum: niſi pantheras
Graecas habeat, turpe Ciceroni futurum. Tota negotialis eſt epiſtola: ſcripta
Paullo, & Marcello cos. Reſpondit Cicero epiſt.13. libri 2.*

## *M. Coelius S. D. M. Ciceroni. 6.*

NON *dubito, quin perlatum ad te ſit, Appium a Dolabella reum factum: ſanequam non ea, qua exiſtim ueram, inuidia. neque enim ſtulte Appius; qui, ſimul atque Dolabella acceſſit ad tribunal, introierat in urbem, triumphiq. poſtulationem abiecerat. quo facto retudit ſermones; paratiorq. uiſus eſt, quam ſperauerat accuſator. is nunc in te maximam ſpem habet. ſcio tibi eum non eſſe odio. quam uelis eum obligare, in tua manu eſt: cum quo ſimultates ſi tibi non fuiſſent, liberius tibi de tota re eſſet. nunc ſi ad illam ſummam ueritatem legitimum ius exegeris: cauendum tibi erit, ne parum ſimpliciter & candide poſuiſſe inimicitias uidearis. in hanc partem porro tutum tibi erit, ſi quid uolueris, gratificari. nemo enim neceſſitudine, & amicitia te deterritum ab officio dicet. Illud mihi occurrit, quod inter poſtulationem, & nominis delationem uxor a Dolabella diſceſſit. quid mihi diſcedens mandaris, memini; quid ego tibi ſcripſerim, te non arbitror oblitum. non eſt iam tempus plura narrandi. unum illud monere te poſſum: ſi res tibi non diſplicebit, tamen hoc tempore nihil de tua uoluntate oſtendas; & exſpectes, quemadmodum exeat ex hac cauſſa: ne qua inuidioſum tibi ſit, ſi emanarit. porro ſignificatio ulla ſi interceſſerit, clarius, quam deceat, aut expediat, fiat. neque ille tacere eam rem poterit, quae ſuae ſpei tam opportuna acciderit, quaeq. in negotio conficiendo tanto illuſtrior erit: cum praeſertim is ſit, qui, ſi pernicioſum ſciret eſſe, loqui de hac re, uix tamen ſe contineret. Pompeius dicitur ualde pro Appio laborare: ut etiam putent alterutrum de filijs ad te miſſurum. hic nos omnes abſoluimus. & hercules confecta, omnia foeda, & inhoneſta ſunt. Conſules aũt habemus ſumma diligentia. adhuc S. C. niſi de ferijs Latinis, nullum facere potuerunt. Curioni noſtro tribunatus conglaciat. ſed dici non poteſt, quo modo hic omnia iaceant. niſi ego cum tabernarijs, & aquarijs pugnarem, ueternus ciuitatem occupaſſet. ſi Parthi uos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigeſcimus. tamen, quoquo modo hic omnia iaceant, potuit ſine Parthis. Bibulus in Amano neſcio quid cohorticularum amiſit. hoc ſic nunciatum eſt. Quod tibi ſupra ſcripſi, Curionem frigere: iam calet: nam feruentiſſime concerpitur: leuiſſime enim, quia de interKalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Caeſare loqui coepit, legemq. uiariam, non diſſimilem agrariae Rulli, & alimentariam, quas iubet*

*aediles metiri, iactauit. hoc nondum fecerat, cum priorem epiſtolae partem ſcripſi. Amabo te, ſi quid, quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratiam. De Dolabella integrũ tibi reſerues, ſuadeo. & huic rei, de qua loquor, & dignitati tuae, aequitatisq. opinioni hoc ita facere expedit. Turpe tibi erit, pantheras Graecas me non habere. Vale.*

# EXPLANATIO

APPIVM} quem e prouincia Cilicia redeuntem Dolabella, qui poſtea gener Ciceronis fuit, de maieſtate accuſauit. quamquam & de ambitu poſtulatum eſſe abſolutumq. utroque crimine, ſignificant epiſtolae duae, undecima, & duodecima libri 3. DOLABELLA} Corneliae gentis patriciae; qui ad plebem poſtea tranſijt ut tribunus pl. fieri poſſet, quo in magiſtratu legem ferre de tabulis nouis conatus eſt, ut aere alieno, quod grauiſsimum contraxerat, leuaretur. REVM *factum:*} fuit hoc apud Romanos in more poſitum, ut adoleſcentes, gloriae comparandae cauſſa, uiros nobiles, honoribuſq. functos, accuſarent. Sic L. Craſſus ille princeps in eloquentia C Carbonem, conſularem, ſic Cicero C. Verrem praetorium, ſic M. Coelius ipſe C. Antonium conſularem, Ciceronis *collegam*, accuſauerat. erat autem hoc Romae glorioſum, propterea quod, qui ab alijs rationem uitae repoſcerent ij legem ſibi ipſi innocẽtiae, continentiae, uirtutumq. omnium indicere uiderẽtur. de quo praeclare, ut omnia, Cicero noſter in prooemio actionis ultimae in C. Verrem. Reum facere, non eſt accuſare, ſed poſtulare, ideſt petere ſibi actionem in aliquem: de quo plenius infra. pro Scauro Reus, inquit, eſt factus a Caepione quod ab accuſatione ipſa diuerſum eſſe, Aſconij oſtendit interpretatio. INVIDIA.} aduerſa hominum uoluntate: ut alibi. AD TRIBVNAL,} praetoris. crimen enim de maieſtate publicum fuit: publicis autem iudicijs praetores praefuiſſe, oſtendimus in libro de legibus. TRIVMPHI *poſtulationem abiecerat.*} urbem enim nemo cum imperio introibat, praeter eos, qui trimphabant: quorum cauſſa lex ferebatur, ut imperium retinerent eo tantum die, quo triumphantes inueherentur. exemplis nota res eſt. Appius autem, abiecto triumphandi conſilio, ſtatim urbem ingreſſus eſt, ut obſiſteret accuſationi. ep. 10. lib. III. Illud plane moleſte tuli, quod certiſsimum, & iuſtiſsimum triumphum hoc inuidiorum cõſilio eſſe tibi ereptum uidebam. RETVDIT} repreſsit, ſedauit eorum ſermones, qui de Appij damnatione loquebantur. IN TE} ſucceſſore ſuo: qui ſi contuleris in eum ſtudia, & officia tua, proderis plurimum. Accuſatus erat Appius ob ea, quae in prouincia contra maieſtatem populi Romani commiſerat. itaque ep. 10. lib. x. De me, inquit ſic conteſtans omnes Deos promitto atque confirmo; me pro tua dignitate in hac prouincia, cui tu praefuiſti, rogando deprecatoris, laborando propinqui, auctoritate cari hominis, ut ſpero, apud ciuitates, grauitate imperatoris ſuſcepturum officia, atque partes. TIBI *enim non eſſe odio.*} minus eſt, quam, eum a te diligi. quaſi dicat: cum in gratiam cum eo redieris; cum eius filiarum una Cn. Pompeij filio, altera M. Bruto nupſerit; haec, ne tibi odio ſit, efficiunt: amare autem fratrem inimiciſsimi tui non potes. Cicero, non eum modo a ſe diligi, ſed ualde etiam diligi, reſpondit. ep. 13. lib. 2. IN TVA *manu eſt:*} cum eam prouinciam, cui praefuit Appius, & unde teſtes in eum excitari poſſunt, adminiſtres. SIMVLTATES} ſimultates Ciceroni cum Appio, inimicitiae uero fuerunt acerbiſsimae cum eius fratre P. Clodio. Simultas autem & mediocre odium eſt, & ſimulatione tectum. AD ILLAM *ſummam ueritatem*} ſic antiqui libri, nec opinor, mẽdoſe. Si legitimo, inquit, iure uti uolueris, nihil ut pro Appio, niſi quod ſumma ueritas, id eſt ſumma iuſtitia praeſcribit, agendum tibi exiſtimes: ſuſpicionem ficte reconciliatae gratiae fortaſſe aliquam dabis. Expreſsit Cicero alijs uerbis eandem ſententiam ep. 12. lib. III. Vetus, inquit, noſtra ſimultas antea ſtimulabat me, ut cauerem, ne cui ſuſpicionem ficte reconciliatae gratiae darem. Ea de re ſententiam egregiam recitat Hieronymus in Apologia aduerſus Rufinum, ex Ciceronis oratione pro Gabinio. Ego cum omnes amicitias tuendas ſemper putaui, ſumma religione, & fide, tum eas maxime, quae eſſent ex inimicitijs reuocatae in gratiam: propterea quod integris amicitijs officium praetermiſſum, imprudentiae, uel etiam (ut grauius interpretemur) negligentiae excuſatione defenditur: poſt reditum in gratiam ſi quid eſt commiſſum, id non neglectum, ſed uiolatum putatur, nec imprudentiae, ſed perfidiae aſsignari ſolet. LEGITIMVM *ius*} ſummum ius antiqui ſummam putabant crucem: ut ait Columella lib. I. cap. VII. & Summum ius, ſummam iniuriam: & Cicero lib. I. Off. IN HANC *partem*} hoc quaſi antitheti loco poſuit, quia dixerat, Ad illam ſummam ueritatem. In hanc, igitur, partem, leniorem, quae a ſummo illo iure diſtat. NEMO *enim &c.*} ſi quid Appij cauſſa facies, dicent omnes te nõ eſſe deteriorẽ ab officio neceſsitudine, & amicitia, quae tibi cũ Dolabella intercedit. POSTVLATIONEM, *& nominis delationem*} prima igitur poſtulatio, ſecunda nominis delatio, poſtrema accuſatio fuit. poſtulabatur primum, ut accuſare aliquem liceret: deinde, hoc impetrato, nomen eius deferebatur: poſtremo accuſabatur. In tabula Aenea Torquati Bembi, Petri filij: De ea re eius petitio, nominiſq. delatio eſto. Pro domo: Sex. Propertij nomen detulit: accuſare propter calumniae metum non eſt auſus. Interdum, Poſtulare, pro accuſare accipitur. VXOR} ut cum uxore uir, ita cum uiro diuortium faciebat uxor. exemplum ep. 10. MANDARIS,} mandauerat, ut collocandae filiae ſuae curam ſuſciperet. de quo in epiſtola ad Appium, lib. III. ipſe ſe excuſat his uerbis: Non uereor, ne tu parum perſpicias, ea, quae geſta ſunt, ab illis eſſe geſta, quibus ego ita mandaram, ut, cum tam longe abſuturus eſſem, ad me ne referrent, agerent quod probaſſent. QVID *ego tibi ſcripſerim,*} ſcripſerat fortaſſe, magnam eſſe proborum adoleſcentium paenuriam, quibus Tullia collocari poſſet. nam de Dolabella, a quo diſceſſuram uxorem conijcere non potuerit; nunc primum

facto diuortio, ſcribit. RES} ut ei nubat filia tua. INVIDIOSVM} ne infamiae tibi ſit, quod affinitatẽ cum eo iungere uolueris, cum quo, depoſitis inimicitijs, in gratiam antea redieris, quique tibi, cum augur ſit uterque ueſtrum, ab ipſa collegij coniunctione commendetur. SI EMANARIT.} ſi quid homines de matrimonio reſcierint. DECEAT,} pro reconciliata cum Appio gratia. EXPEDIAT,} Appium enim offendes: quod utile non erit: cum amicis, propinquis, affinibuſq. floreat. filiam enim Appius Cn. Pompeij filio, alteram M. Bruto, tertiam Lentulo, in matrimonium locauerat. ep. 4. & 8. lib. III. Hinc illud Ciceronis huic epiſtolae reſpondentis: Cur mihi non ſit in optatis, complecti hominem florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis, collegam meum praeſertim, & in ipſa collegij laude, ac ſcientia ſtudioſum mei? SPEI} de Appio damnando. nam affinitatis famam ſuis conſilijs opportunam, utilemq. fore ſperabit. NEGOTIO} quod agit contra Appium. TANTO *illuſtrior*} affinitas haec ob accuſationem Appij multo erit illuſtrior, ac notior. quo ſtudioſius eam Dolabella peruulgauit. POMPEIVS} cuius filio nupta erat Appij filia. ep. 4. lib. III. AD. TE} ut auctoritatem, gratiamq. tuam ad Appij ſalutem conferas. teſtes enim ex ea prouincia, cui ſucceſſor Appij Cicero praeerat, uel reum opprimere, uel periculo liberare poterant omnes. ABSOLVIMVS.} Appium: id eſt, abſolutum iri omnes putamus. quod ita contigit, defendentibus eum genero M. Bruto, & Hortenſio oratore. quod in Bruto ſcriptum eſt. CONFECTA,} ſic olim emendaui, ſecutus antiquum Petri Bembi librum, & alrerum Ioannis Scalae, ideo non omnino diſerte, Confecta, ut in Bembi libro, ſed, Conſecta legebatur. poſtea in Alberti Ferri libro, Confecta, animaduerti. Confecta, inquit, adhuc a Dolabella, foeda omnia ſunt, & inhoneſta: ut odium potius, quam ueritatem ullam, praeſeferant. Quid tamen, ſi, Conficta, legatur? ut ſit, Conficta omnia, foeda, & inhoneſta ſunt. Quid etiam, ſi hoc totum non de uno Appio, ſed de omnibus reis uniuerſe dicatur? hoc modo. Nos hic reos omnes abſoluimus: & hercules confecta iudicia, foeda omnia, & inhoneſta ſunt. Confirmare uidetur hanc opinionem, quod ſequitur de conſulum negligentia: quod ipſum non ſatis apte cum Appij accuſatione, cum publica uero iudiciorum turpitudine aptiſsime connectitur. Sigonij liber & alij, Conſepta omnia foedera. unus, Conſcripta. Mediceus, Conſepta omnia fodera. Io. Baptiſtae Titio placet: Conſaepta: quaſi, munita: quod reos, nemo condemnet. tuta igitur culpa, ueluti ſaepta moenibus. Proxime dixit: Hic nos omnes abſoluimus. CONSVLES} L. Paullus, C. Marcellus. DE FERIIS *Latinis*,} ſingulis annis in Albano monte, populi Romani Latinorumq. conuentu, ſacrificium fiebat, diſtributa ſingulis populis immolatarum hoſtiarum carne. Latiar uocabatur, quod Latiali Ioui fieret: conuentus autem ille, Feriae latinae: quarum auctor Superbus rex fuit, uno ijs die dicato: poſt reges eiectos alter additus: tertius poſt foedus cum Latinis ictum, Sp. Caſsio conſule: anno CCCXCVI. quartus. Dionyſius, Liuius, Plutarchus, Cicero, alij. NVLLVM} quibus de rebus ad ſenatum retulerunt, de ijs nullum omnino ſenatus conſultum factum eſt. nihil igitur auctoritate, nihil eloquentia ualent. De ferijs autem Latinis ſi ſenatus conſultum fecerunt, uſitatum eſt: nō ideo probatur eorum diligentia. CONGLACIAT.} Frigere dicimus eos, qui nihil agendo tempus traducũt. hoc magis eſt: nam glacie ſummum frigus indicatur. ſumma igitur Curionis ignauia. ep. 13. lib. 2. NISI *ego cum tabernarijs, & aquarijs pugnarem*,} Aquarum publicarum cura ad aediles cur. pertinebat; propterea Coelius, qui aedilis cur. erat, cum tabernarijs, & aquarijs, publicas aquas ad priuatum uſum conuertentibus, pugnabat. qua de re Frontini uerba ex lib. I. de Aquaeductibus recitabo, quae magnam huic loco lucem afferunt. Cauſſa eſt, inquit, fraus aquariorum, quos aquas ex publicis ductibus in priuatorum uſum deriuare deprehendimus. ſed & plerique poſſeſſorum, & quorum agris aquae circumducuntur, fraude formas riuorum perforant: unde fit, ut ductus publici hominibus priuatis uel ad hortorum uſum ſubſeruiant, uel ad itinera ſuſpendant. ac de uitiis eiuſmodi nec plura, nec meliora dici poſſunt, quam a Coelio Rufo dicta ſunt in ea concione, cui titulus eſt, de aquis. quae nunc nos omnia, ſimili licentia uſurpata, utinam non per offenſas probaremus. irriguos agros, tabernas, cenacula, & corruptelas denique omnes perpetuis ſalientibus inſtructas inuenimus. Haec Frontinus. Aquarij erãt, quibus deducendi in urbem publicas aquas cura mandabatur. quod & recitata proxime, & illa praeterea eiuſdem Frontini uerba lib. I. ſatis oſtendunt: Aquarij noſtri partem maximam Crabrae ſemper in ſupplementum Iuliae uindicauerunt, nec ut Iuliam augerent, qnam hauriebant largiendo compẽdii ſui gratia. Ab hac forſitan aſſectandae, & perducendae aquae ſimilitudine dicti ſunt Aquarioli, qui mulieres impudicas, ut ait Feſtus, aſſectarentur. & Aquarioli in ſtupris uxorum conniuentes, ut aquarij in deriuationibus aquarum publicarum. Tabernarios uocat Coelius non omnes omnium mercium inſtitores, uerum eos tantum, quorum in tabernas cibi gratia homines diuertunt. nam hi publicas aquas in uſum ſuum conuertebant. Differt autem Taberna ab Officina, & Apotheca. Officina tempore prior eſt utraque. nam in ea fiunt, quae poſtea uel in apothecam cuſtodienda, uel in tabernam uendenda deferantur. Apotheca eſt, quae multas capit cuſtoditq. merces, ut deinde ad tabernas miſſa proſtent uenalia. hodie, corrupto uocabulo, ab apothecis nomen acceperunt ea loca, quae a ueteribus tabernae dicebantur. Taberna tantum habet, quae minutatim uendantur: cui qui praeſt, Inſtitor uocatur: qui autem apothecae, Mercator. ſunt & tabernae, in quibus habitant pauperes. unde Horatius: Pauperum tabernas, regumq. turres. VETERNVS} morbus ex ignauia contractus, qui ſomnum inducit. Plautus in Men. Num eum ueternus, aut aqua intercus tenet? & Virg. lib. I. Georg. Nec torpere graui paſſus ſua regna ueterno. ep. 13. lib. 2. CALFACIVNT,} exercent, illato bello. nam ex bello motus, ex motu calor. ep. 10. lib. VII. Vos nunc iſtic ſatis calere audio. & ep. 19. lib. VII. ad Att. Te ipſum calere puto. cum animi perturbationem ſignificet. FRIGORE} otio: ex quo frigus inducitur, ut exercitatione corporis calor. POTVIT *ſine Parthis*.} etſi frigemus hic, tamen, calfieri uos a Parthis, non optamus. commodũ

fuit,

fuit, uos eſſe ſine Parthis, nullum uobis a Parthis negotium exhiberi. BIBVLVS} qui Syriae praeerat AMISIT.} de hoc detrimento ſic ep. 20. lib. v. ad Att. Bibulus in Amano cohortem primam totam perdidit. Sane plagam odioſam acceperat cum re, tum tempore. SIC} poteſt aliter eſſe, ſed nunciatum ſic eſt. SVPRA. SCRIPSI,} plures igitur dies hanc epiſtolam Coelius in manibus habuit. FERVENTISSIME} uehementer. calere igitur eum, mirum non eſt. Sic ep. 7. De damnatione feruenter lo qui eſt coeptum. Sic ep. 23. lib. x. Feruentes latrones, pro uehementes, iracundiaeq. impetu concitatos, dixit. CONCERPITVR:} carpitur, mouetur: a quo? a ſe ipſo, ſuis actionibus pro Caeſare, nouiſq. legibus, uiaria, & alimentaria. Iure ſordes uerborum in Coelio damnauit antiquitas. quid enim hoc eſt, Feruentiſsime concerpitur? DE. INTERKALANDO} de die producenda, ut ea, quae pro Caeſaris cauſſa cogitabat, commodius poſſet ad exitum perducere. ſic enim Dio narrat lib. XL. NON. OBTINVERAT,} a collegio pontificum. id enim Dionis oſtendit hiſtoria. & interkalandi poteſtatem penes eos fuiſſe, qui faſtis praeerant, Macrobius lib. I. Sat. docet his uerbis: Dies ille, quo abundare annum diximus, eorum eſt permiſſus arbitrio, qui faſtis praeerant; ut, cum uellent, interkalarent. Et paullo poſt: Fuit tempus, cum, propter ſuperſtitionem, interkalatio omnis amiſſa eſt; non numquam uero per gratiam ſacerdotum, qui cum publicanis proferri, uel imminui, conſulto anni dies uolebant, modo auctio, modo retractio dierum proueniebat. Sacerdotes autem, quos Macrobius ait faſtis praefuiſſe, pontifices fuere: quod Liuij uerba teſtantur lib. IX. Ciuile ius, inquit, repoſitum in penetralibus pontificum, euulgauit; faſtoſq. circa forum in albo propoſuit; ut, quando lege agi poſſet, ſciretur. Et pontificem, cum interkalationem petijt, Curionem ipſum fuiſſe, ex Dione cognoſcitur. TRANSFVGIT} deſertor optimatum, quos antea defenderat. ep. 8. VIARIAM,} de ſternendis, muniendiſq. uijs. Appianus. NON *diſſimilem agrariae Rulli*,} quid hoc ſit, mihi uideor ab Appiano didiciſſe lib. 2. de bel. ci. ut enim P. Seruilius Rullus in ea lege, quam de agris diuidendis in tribunatu ferre conatus eſt, hoc potuit, ut ipſe primus decemuir, qui agros diuideret, crearetur; item Curio, cum uiariam legem ferret, eam ſibi ipſi curationem in quinquenniũ petebat. quod per leges non licere, Cicero in agraria 2. declarat his uerbis. Quos decemuiros creari uult? ſe primum. qui licet? leges enim ſunt ueteres, neque eae conſulares. ſed tribuniciae Licinia, atque Aebutia, quae non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione, ac poteſtate, ſed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea poteſtas, curatio ue mandetur. ALIMENTARIAM,} fortaſſe de frumento plebi gratis diuidendo, ut infimorum hominum ſtudia ſibi compararet. quod antea quoque ſeditioſi tribuni pl. primum C. Gracchus, deinde Saturninus, poſtremo P. Clodius, Ciceronis inimicus, tentauerat. oratio pro Sextio, epitome Liuiana lib. LX, lib. I. ad Herennium, Pedianus. QVAS} fortaſſe, Qua. ut alimentaria ſua lege iuberet Curio aedilis metiri frumentum plebi. IACTAVIT.} palam dictitauit ſe laturum eſſe. PONITO *me in gratiam*.} in gratiam, & in gratia, utroque modo dicitur. ep. 6. lib. VI. HVIC *rei*,} matrimonio Tulliae, ac Dolabellae. DIGNITATI *tuae*,} dixit iam: Significatio ulla ſi interceſſerit, clarius, quam deceat, fiat. AEQVITATIS} iniquior enim uideberis, affinitate cum eo iuncta, qui Appium, nouum amicum tuum, in iudicium uocet. ſuadeo igitur iudicij finem exſpectes. TVRPE *tibi erit*,} quem te mihi amiciſsimum eſſe, & iſtic imperandi poteſtatem habere, omnes ſciunt. GRAECAS} non modo prouincia Ciceronis, uerum etiam omnis Aſia, non quã orbis terrae partem tertiam dicimus, ſed ea, quae regis Attali fuerat, Graece loquebatur. ep. 4. 6. 7.

## Argumentum ep. 7.

*Breuis epiſtola; quia pridie ſcripſerat pluribus uerbis, nec deinde noui quidquam acciderat, praeter Cornificij, & Oreſtillae filiae nuptias, Paullae diuortium, Ocellae adulteria. Morale principium, quia timet amoris cauſſa, ne Parthi aliquid moueant: quae ſequuntur, ad negotiale genus pertinent.*

### *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 7.

QVAM *cito tu iſtinc decedere cupias, neſcio: ego quidem eo magis, quo adhuc felicius rem geſſiſti. dum iſtic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hunc riſum meum metus aliqui perturbet. Breuiores has litteras properanti publicanorum tabellario ſubito dedi. tuo liberto pluribus uerbis ſcriptas pridie dederam. Res autem nouae nullae ſane acciderunt: niſi haec uis tibi ſcribi, quae certe uis. Cornificius adoleſcens Oreſtillae filiam ſibi deſpondit. Paulla Valeria, ſoror Triarij, diuortium ſine cauſa, quo die uir e prouincia uenturus erat, fecit. nuptura eſt D. Bruto. nondum retulerat. multa in hoc genere incredibilia, te abſente, acciderunt. Ser. Ocella nemini perſuaſiſſet ſe moechum eſſe, niſi triduo bis deprehenſus eſſet. quaeris, ubi? ubi hercules ego minime uellem. relinquo tibi, quod ab alijs quaeras. neque enim diſplicet mihi, imperatorem ſingulos percunctari, cum qua ſit aliquis deprehenſus. Vale.*

## EXPLANATIO

FELICIVS} re bene geſta in Amano monte. acceperat, opinor, Coelius eam Ciceronis epiſtolam, in qua ſcripſit haec: Cum meis copijs omnibus uexaui Amanienſes, hoſtes ſempiternos: multi occiſi, capti: reliqui diſsipati: caſtella munita, improuiſo aduentu, capta, & incenſa. ita uictoria iuſta imperator appellatus apud Iſſum. Deinde ſequitur de opugnatione Pindeniſsi. RISVM} laetitiam, ob rem a te proſpere geſtam. ALIQVI} pro, Aliquis: antique: ut ep. 18. lib. XII. Quo iſte, neſcio qui, Caecilius Baſſus erumperet. PVBLICANORVM} eius ſocietatis, quae Aſiana uectigalia redemerat. plures enim erant publicanorum ſocietates. ep. 9. lib. XIII. NISI *haec uis tibi ſcribi,*} lepida, & urbana inductio rerum, quae ſcriptione parum dignae uideantur. CORNIFICIVS *adoleſcens Oreſtillae filiam*} hic eſt fortaſſe eius filius, quem Ciceronis collegam in augurata fuiſſe, inſcriptio epiſtolarum ad eum lib. XII. ſignificat. Oreſtilla Catilinae uxor fuerat. Sigonij liber, Cornificius adoleſcentiorem ille ſibi filiam. ego ex hac uarietate, neſcio quam uere, certe non longe ab antiquis ueſtigijs, hoc elicio: Cornificius adoleſcentiorem Sullae filiam ſibi deſpondit. altera enim Sullae maior filia, Fauſta, Miloni nupſerat: quod ignorat nemo. ita de Cornificio intelligendum erit, ad quem ſunt epiſtolae lib. XII. PAVLLA} raro quidem cognominibus mulieres utebantur: ſed, numquam, qui putarunt, plane falluntur. id quod, ut Plutarchi teſtimonium omittam, uel hic locus oſtendit. Sullae uero filiam, quam Miloni nupſiſſe proxime diximus, quis neſcit Corneliam fuiſſe, cum eadem tamen Fauſta uocaretur? quid Oreſtilla, a Coelio, & Salluſtio, quid Laterenſis a Valerio Max. lib. IIX. cap. 2. nominata, non aperte cognomen eſt? nam a nominibus omnes appellatas, ut Valeria, Terentia, Tullia, ſatis inter omnes conſtat. Haec uero Paulla eadem eſt, quae Polla uocatur ep. 8. lib. XI. VALERIA,} cum ſit ſoror Triarij, Valeriae gentis eſſe eam oportuit. TRIARII,} hic eſt P. Valerius Triarius, qui Scaurum accuſauerat Cicerone defendente, eius Triarij filius, qui legatus L. Luculli bello Mithridatico male rem geſſerat. Sed hic eloquentia ualuit, & in Bruto praeclare laudatur his uerbis: Me quidem admodum delectabat etiam Triarij in illa aetate plena litteratae ſenectutis oratio. quanta ſeueritas in uultu, quantum pondus in uerbis: quam nihil non conſideratum exibat ex ore. Libro etiam de Finibus I. teſtimonium ei doctrinae tribuitur. Perijt ciuilibus armis. quod in eodem Bruto legitur. D. *Bruto.*} qui cum M. Bruto, & C. Caſsio Caeſarem occidit. haec eſt illa Polla, quae nominatur ep. 8. lib. XI. ſic Olla pro Aulla. NONDVM *retulerat.*} nondum retulerat, ad quos referendum erat, de nouis nuptijs. nam de diuortio retuliſſet, ante quam fieret. MINIME. VELLEM.} in amici igitur domo. IMPERATOREM} quem de adulterijs percunctari cum non deceat; mihi tamen, inquit, Coelius per iocum, hoc non diſplicet. Imperator apud Iſſum, parta de Amanienſibus uictoria, Cicero appellatus erat.

---

## Argumentum ep. 8.

*Priuata primum narrat, de iudicijs: deinde ſubiungit publica, de S.C. de Pompeio, Caeſare, Curione: poſtremo, iterum de priuatis agit, quae ad ipſum pertinent, ideſt de pantheris, de ſyngrapha Sittiana, de liberto Philone, & Diogene Graeco.*

### *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 8.

*ETSI de rep. quae tibi ſcribam, habeo: tamen nihil, quo magis gauiſurum te putem, habeo, quam hoc. ſcito C. Sempronium Rufum, Rufum, mel, ac delicias tuas, calumniam maximo plauſu tuliſſe. quaeris, qua in cauſſa? M. Tuccium, accuſatorem ſuum, poſt ludos Romanos reum lege Plotia de ui fecit, hoc conſilio, quod uidebat, ſi extraordinarius nemo reus acceſſiſſet, ſibi hoc anno cauſſam eſſe dicendam. dubium porro illi non erat, quid futurum eſſet. nemini hoc deferre munuſculum maluit, quam ſuo accuſatori. itaque ſine ullo ſubſcriptore deſcendit, & Tuccium reum fecit. at ego, ſimul atque audiui, inuocatus ad ſubſellia rei accurro: ſurgo, neque uerbum de re facio: totum Sempronium uſque eo perago, ut Veſtorium quoque interponam, & illam fabulam narrem, quemadmodum tibi pro beneficio dederit, ſi quid iniurijs ſuis eſſet, quod Veſtorius teneret. Haec quoque magna nunc contentio forum tenet. M. Seruilius, poſtquam, ut coeperat, omnibus in rebus turbarat, nec, quod non uenderet cuiquam, reliquerat; maxima nobis traditus erat inuidia: neque Laterenſis praetor, poſtulante Pauſania, nobis patronis, quo ea pecunia perueniſſet, recipere uoluit. quod Pilius, neceſſarius Attici noſtri, de repetundis eum poſtulauit; magna illico fama ſurrexit, & de damnatione feruenter loqui eſt coeptum. quo uento proijcitur Appius minor, ut indicet, pecuniam ex bonis paternis perueniſſe ad Seruilium, praeuaricationisq. cauſſa diceret depoſitum* H-S LXXXI. *admiraris amentiam. quid, ſi*

*actiones*

actiones ſtultiſſimas, quid, ſi nefarias patris confeſſiones audiſſes? mittit in conſilium eoſdem illos, qui litis aeſtimarant, indices. cum aequo numero ſententiae fuiſſent, Laterenſis, leges ignorans, pronunciauit quid ſinguli ordines iudicaſſent: & ad extremum, ut ſolent, Non redigam. poſtquam diſceſſit, & pro abſoluto Seruilius haberi coeptus; legisq. unum & centeſimum caput legit, in quo ita erat; QVOD eorum iudicum maior pars iudicarit, id ius, ratumq. eſto: in tabulas abſolutum non retulit, ordinũ iudicia perſcripſit. poſtulante rurſus Appio, cum L. Lollio tranſegit, & ſe relaturum dixit. ſic nunc neque abſolutus, neque damnatus Seruilius, de repetundis, ſaucius, Pilio tradetur. nam, de diuinatione, Appius, cum calumniam iuraſſet, contendere auſus non eſt, Pilioq. ceſſit; & ipſe de pecunijs repetundis a Seruilijs eſt poſtulatus, & praeterea de ui reus a quodam ſuo emiſſario eſt factus. recte hoc par habet. Quod ad remp. pertinet, omnino multis diebus, exſpectatione Galliarum, actum nihil eſt. aliquando tamen, re ſaepe relata, & grauiter acta, & plane perſpecta Cn. Pompeij uoluntate in eam partem, ut eum decedere poſt Kal. Mart. placeret, S. C. quod tibi miſi, factum eſt, auctoritatesq. perſcriptae. S. C. auctoritas. Pridie Kal. Oct. in aede Apollinis, ſcribendo affuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Caecilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Lucceius C. F. Pup. Hirrus, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Ateius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina.

Quod M. Marcellus cos. V. F. de prouincijs conſularibus: D. E. R. I. C. uti L. Paullus, C. Marcellus cos. cum magiſtratum iniſſent, a. d. ex x. Kal. Mart. quae in ſuo magiſtratu futurae eſſent, de conſularibus prouincijs ad ſenatum referrent, neue quid prius ex Kal. Mart. neue quid coniunctim de ea re referretur a conſulibus: utiq. eius rei cauſſa per dies comitiales ſenatum haberent, S. Q. C. facerent: & cum de ea re ad ſenatum referretur a conſulibus, qui eorum in CCC. iudicibus eſſent, ſex abducere liceret: ſi quid de ea re ad populum, plebem ue lato opus eſſet, ut Ser. Sulpicius, M. Marcellus cos. praet. trib. pl. quibus eorum uideretur, ad populum, plebem ue ferrent: quod ij non tuliſſent, uti quicumque deinceps eſſent, ad populum, plebem ue ferrent.

I. V. Pridie Kal. Oct. in aede Apollinis, ſcribendo affuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Caecilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Ateius L. F. An Capito, M. Oppius M. F. Terentina. Quod M. Marcellus cos. V. F. de prouincijs: D. E. R. I. C. ſenatum exiſtimare, neminem eorum, qui poteſtatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quo minus de rep. quamprimum ad ſenatum referri, S. Q. C. fieri poſſit: qui impedierit, eum ſenatum exiſtimare contra remp. feciſſe: ſi quis huic S. C. interceſſerit; ſenatui placere, auctoritatem perſcribi, & de ea re ad ſenatum, populumq. referri. Huic S. C. interceſſit C. Coelius, L. Vicinius, P. Cornelius, C. Vibius Panſa. Item ſenatui placere, de militibus, qui in exercitu C. Caeſaris ſunt, qui eorum ſtipendia emerita, cauſſas, quibus de cauſſis miſſi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, cauſſaeq. cognoſcantur. ſi quis huic S. C. interceſſerit; ſenatui placere, auctoritatem perſcribi, & de ea re ad hunc ordinem referri. Huic S. C. interceſſit C. Coelius, C. Panſa trib. pl. Itemq. ſenatui placere, in Ciliciam prouinciam, inq. IIX reliquas prouincias, quas praetorij propraetores obtinerent, eos, qui praetores fuerunt, neque in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in prouincias propraetores mitti placere: ſi ex eo numero, quos S. C. in prouincias ire oporteret, ad numerum non eſſent, qui in eas prouincias proficiſcerentur; tum, uti quodque collegium primum praetorium fuiſſet, neque in prouincias profecti eſſent, ita ſorte in prouincias proficiſcerentur: ſi ad numerum ij non eſſent; tunc deinceps proximi cuiuſque collegij, qui praetores fuiſſent, neque in prouincias profecti eſſent, in ſortem conijcerentur, quoad is numerus effectus eſſet, quem ad numerum in prouincias mitti oporteret: ſi quis huic S. C. interceſſiſſet, auctoritas perſcriberetur. Huic S. C. interceſſit C. Coelius, C. Panſa trib. pl. Illa praeterea Cn. Pompeij ſunt animaduerſa, quae maxime confidentiam attulerunt hominibus; ut diceret, ſe ante Kal. Mart. non poſſe ſine iniuria de prouincijs Caeſaris ſtatuere, poſt Kal. Mart. ſe non dubitaturum. Cum interrogaretur, ſi qui tum intercederent; dixit, hoc nihil intereſſe, utrum Caeſar ſenatui dicto audiens futurus non eſſet, an pararet, qui ſenatum decernere non pateretur. Quid ſi, inquit alius, & conſul eſſe, & exercitum habere uolet? at ille, quam clementer: Quid, ſi filius meus fuſtem mihi impingere uolet? his uocibus, ut exiſtimarent homines Pompeio cum Caeſare eſſe negotium, effecit. itaque iam, ut uideo, alterutram ad condicionem deſcendere uult Caeſar; ut aut maneat, neque hoc anno ſui ratio habeatur; aut, ſi deſignari poterit, decedat. Curio ſe contra eum totum parat. quid aſſequi poſſit, neſcio. illud uideo, bene ſentientem, etſi nihil effecerit, cadere non poſſe. Me tractat liberaliter; & mihi ſuo munere negotium impoſuit. nam, ſi mihi non dediſſet eas, quae ad ludos ei aduectae erant Africanae; potuit ſuperſedere. nunc, quando dare neceſſe eſt; uelim tibi curae ſit, quod a te ſemper petij, ut aliquid iſtinc beſtiarum habeamus: Sittianamq. ſyngrapham tibi commendo. libertum Philonem iſtuc miſi, & Diogenem Graecũ, quibus mandata, & litteras ad te dedi. eos tibi, & rem, de qua miſi, uelim curae habeas. nam, quam uehementer ad me pertineat, in ijs, quas tibi illi reddent, litteris deſcripſi. Vale.

## EXPLANATIO

RVFVM, *Rufum*,} iterat Rufi nomen, ut indicet magis, de quo loquatur: quaſi hoc dicat, Rufum illum, qui tibi tam iucundus eſt. nec abeſt iocus. Hic Rufus, quod habuerit cũ Veſtorio controuerſiam, ut infra quoque licet conijcere, uocatur Rufio Veſtorianus ep. 14. ad Att. lib. XIV. nominatur etiam ep. 2. ad eundem, lib. 2. MEL,} ſic appellamus ea, quibus mire delectamur. Plautus in Curc. Si abſim, haud recuſem, quin mihi male ſit, mel meum. DELICIAS. TVAS,} ſic locutus ep. 1. lib. VII. Deliciae tuae, noſter Aeſopus. CALVMNIAM *tuliſſe*:} ad accuſandum deſcendiſſe. Infra:

Cum

Cum calumniam iuraſſet. Maximo . Plavsv} omnibus approbantibus: cum laetarentur, quod
accuſaret accuſatorem ſuum. Tvlisse.} pro, Detuliſſe: accuſaſſe de calumnia, praeſertim accuſa-
torem ſuum. unde ſequitur: Nemini hoc deferre munuſculum maluit, quam ſuo accuſatori. Lege
*Plotia de ui*} cauſſae de ui ante alias extra ordinem agebantur. quod etiam ex oratione pro Coelio, quem
de ui accuſatum Cicero defendit, ſatis liquet. fuere autem de ui leges duae, una tribunicia Plotia, altera
conſularis Lutatia: de quibus in libro noſtro de Legibus. Dvbivm *illi non erat*,} non erat ei dubium,
quin condemnaretur. quod ut effugeret, de accuſando accuſatore ſuo conſilium cepit, eoq. crimine, quo
cauſſam ab eo extra ordinem dicendam uidebat. ſperabat enim, eo damnato, prorſus omni ſe periculo,
omniq. moleſtia liberatum. Deferre *munuſculum*} neminem accuſare maluit, quam ſuum accu-
ſatorem. ſic locutus ep. 13. Svbscriptore} erant, qui ſubſcriberent accuſantibus, opemq. fer-
rent, ut reus omnino damnaretur. Cicero in Diuinat. in Verrem, pro Cluentio, ep. 1. lib. III. ad fratrem.
Vsqve . eo . perago,} ita cum oratione exagito, ita uexo, ut Veſtorij quoque mentionem fa-
ciam. cum quo negotij quiddam Sempronio fuiſſe, cognoſcitur ex ep. 2. lib. VII. ad Att. Fabvlam}
non, fictam rem, quales fabulae ſunt, ſed quod, tamquam fabula, rideri poſsit. Tibi *pro beneficio de-
derit*,} collatum in te beneficium exiſtimari uoluerit. Si qvid *iniurijs ſuis eſſet, quod Veſtorius tene-
ret*.} cum ſit huius loci mihi quidem perdifficilis intelligentia, a duobus ueteribus libris, uno Sigonij,
altero meo, diſcedendum non putaui: ut ſit, quo niti coniectura poſsit, ſi quis ingenio ueritatem ueſti-
gare uoluerit. quod ſi ex his uerbis aliquam omnino cogar elicere ſententiam, interpretabor hoc modo:
Tibi pro beneficio dedit, ſi quid eſſet iniurijs ſuis, ideſt, ſi quid eſſet ſuo damno, ſuaq. iniuria, quod Ve-
ſtorius teneret. quaſi ademptum ſibi aliquid, ac teneri a Veſtorio diceret, quod aliqua eius iniuria fieret.
nam ut, Iniuria, interdum aduerbij loco ponimus, ut, Iniuria facis hoc: ſic uidetur pronomen addi poſſe,
ut dicatur, Iniuria mea facis hoc: quemadmodum, Ingratijs, &, Ingratijs tuis, Merito, & Merito meo
ueteres dicebāt. Paullo aſperius hoc eſt, aliquis dicet. quis negat? uerum hanc aſperitatem Coelius amauit:
ut in eius uita iam oſtendimus. Tres praeterea minime recentes libri pro, Si quid, habent, Si quod: duo,
Quo Veſtorius. Quod autem pro, Iniurijs ſuis, in quo mei quidem ſcripti libri omnes conſentiunt, non-
nulli repoſuere, Iuris ſui: commenticium ſuſpicor, & eo magis, quod ijdem, Iniurijs ſuis, eſſe in ſuo il-
lo peruetere libro, editis antea, ut ipſi uocarunt, caſtigationibus indicauerant: nec tamen huius poſtea
mutationis cauſſam oſtenderunt. Tvrbarat,} Turbare, & Conturbare, decoctorum eſt: nec de-
ſunt apud Ciceronem exempla, ep. 7. lib. IV. ad Att. & in oratione pro Plancio. Qvod *non uenderet
cuiquam*,} Quiſquam, tribus modis uidetur uſurpari: cum dubitamus, ut, ſi quiſquam ita ſentit: cum
negamus, ut, ne quiſquam putet: cum interrogamus, ut, quiſquam tam impudens reperietur? Coelius
tamen hic neque dubitat, neque negat, neque interrogat, ſed affirmat. & puto ueteres ita locutos, quo-
rum ſcripta ſine delectu Coelius imitatus eſt. confirmatur hoc exemplum altero Aemiliani Scipionis exem-
plo: cuius uerba, ex oratione contra legem iudiciariam Ti. Gracchi, a Macrobio recitata cum legerem,
hoc animaduerti: Haec cum mihi narrabat quiſquam, non poteram animum inducere, ea liberos ſuos no-
biles homines docere. Liber Sigonij habet, Quo inquam; orta occaſione mendi, quia priſcis temporibus
Quoiquam, pro Cuiquam, ſcribebatur. Nobis} ſeipſum intelligit, Seruilij cauſſam defendentem.
Invidia:} cum inuiſus eſſet omnibus. Sigonij liber, Maxime qui nobis traditus erat inuidiae. minor
igitur mutatio fieret, ſi legeretur hoc modo: Maximaq. nobis traditus erat inuidia. etſi uideo ſententiam
claudicare: ſed in Coelio ferenda ſunt omnia. Laterensis} Iuuentiae gentis. Postvlan-
te} non accipio pro, accuſante. nam accuſator Seruilij in cauſſa repetundarum Pilius fuit, non Pauſa-
nias. Poſtulante igitur eſt, petente, ut agere liceret contra eos, ad quos ea pecunia perueniſſet. unus
fortaſſe fuit de creditoribus Seruilij, aut etiam amicus, qui, excuſata eius inopia, poſtularet a prae-
tore, ut, ad quos credita Seruilio pecunia perueniſſet, quaereretur; quando Seruilius ipſe ſoluendo non
eſſet. quod impetratum a praetore non eſt; non quod uſitatum non eſſet; uerum, quia Seruilius ei odio
erat. confirmat enim Coelius his uerbis, quod proxime dixerat, Maxima nobis traditus erat inuidia. Li-
cuiſſe autem per leges in cauſſa repetundarum agere aduerſus eos, ad quos ea pecunia perueniſſet, Cicero-
ne teſte probabimus. Eſt, inquit in oratione pro Rabirio, haec cauſſa, quo ea pecunia peruenerit, quaſi
quaedam appendicula cauſſae iudicatae, atque damnatae. ſunt lites aeſtimatae A. Gabinio nec praedes da-
ti, nec ex eius bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, a populo recipi, lex aequa eſt. iubet lex Iulia perſequi
ab ijs, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus ſit, peruenerit. ſi eſt hoc nouum in lege Iulia,
ſicuti multa ſunt ſeuerius ſcripta, quam in antiquis legibus, & ſanctius iudicata: ſane etiam conſuetudo
huius generis iudiciorum noua. Sin hoc totidem uerbis tranſlatum caput eſt, quot fuit non modo in Cor-
nelia, ſed etiam ante in lege Seruilia: per deos immortales, quid agimus iudices, aut quem hunc morem
nouorum iudiciorum in remp. inducimus? erat enim haec conſuetudo nota uobis quidem omnibus, ſed,
ſi uſus magiſter eſt optimus, mihi debet eſſe notiſsima. accuſaui de pecunijs repetundis: iudex ſedi: prae-
tor quaeſiui: defendi plurimos: nulla pars, quae aliquam facultatem dicendi afferre poſſet, non mea fuit.
ita contendo, neminem umquam, quo ea pecunia perueniſſet, cauſſam dixiſſe, qui in aeſtimandis litibus
appellatus non eſſet. Venit etiam in mentem, Poſtulante, de accuſatore Pauſania dictum eſſe: quia ſequi-
tur, Nobis patronis. quod ſi ita eſt, bis de repetundis poſtulatum Seruilium dicemus, primum a Pauſa-
nia, & damnatum; licet hic de exitu iudicij mentio nulla fiat; ſed ex his uerbis intelligitur, Quo ea pecu-
nia perueniſſet: quae actio damnationem profecto conſequitur: deinde a Pilio: quod iudicium nondum
eſſe factum, manifeſte infra demonſtrant ea uerba, De repetundis, ſaucius, Pilio tradetur. ſed aduerſatur
ea ratio,

ea ratio, quod, ſi accuſatus eſſet antea de repetundis, abijſſet in exſulium, nec alterum de eodem crimine iudicium exſpectaſſet. ATTICI . NOSTRI,} cuius uxor Pilia fuit, ſaepe in epiſtolis ad eum nominata. FERVENTER} ualde, non frigide: ut ep. 9. Feruentiſsime concerpitur. LOQVI? paſſionem tribuit uerbo, actionem potius requirenti. Sed antiquum fuit, ideſt Coelianum. QVO . VENTO *projicitur*} qua fama ualde commotus eſt Appius, uſque eo, ut eundem Seruilium de praeuaricatione accuſarit. APPIVS . MINOR,} duos fratres Claudiae gentis nominat Pedianus in argumento orationis pro Milone, filios C. Clodij, qui P. Clodij frater fuerat. utrique praenomen Appio fuit; ſed, ut internoſcerentur, Appius maior, & Appius minor, aetatis ratione habita, uocabantur, ut feminae, ante quam nuberent, cum duae ſorores eſſent, maior, & minor appellabantur. itaque duas Octauias, maiorem, & minorem, Suetonius nominat in Auguſto. Pediani uerba ſunt hae: Poſtulauerunt apud Pompeium, familiam Milonis exhibendam, duo adoleſcentuli, qui Appij Claudij ambo appellabantur, qui erant C. Claudij filij, qui frater fuerat Clodij. de quibus infra quoque idem Pedianus mentionem facit. Quaero igitur, cum duo fuerint Appij fratres, maior, & minor, C. Clodij filij, primum, cur neuter eorum patris praenomine ſit uſus; deinde, cur uterque Appius eodem praenomine. Veriſimile eſt, adoptatos eſſe ab eorum patruo Ap. Claudio, qui Ciliciam rexit ante Ciceronem, & ab eo praenomen accepiſſe; quod fieri ſolitum eſt; deinde, ut diſtinguerentur, maiorem, & minorem eſſe nominatos. Accedit ad hanc rationem altera, ut ego arbitror, aliquanto firmior, quod in hac epiſtola uiuere patrem eorum Coelius oſtendit: infert enim, Quid, ſi nefarias patris confeſsiones audiſſes? at eorum patrem naturalem C. Clodium iam deceſsiſſe, Pedianus uidetur ſignificare, cum dicat, Qui erant C. Claudij filij, qui frater fuerat Clodij. ex quo ſequitur, ut de patre adoptiuo ſit intelligendum. qui cum & ipſe Ap. Claudius uocetur, quem nam putemus eſſe, praeter Appium illum, qui conſul cum L. Domitio fuit & poſt conſulatum Ciliciam adminiſtrauit? Nec mirum uideatur, eodem praenomine duos fratres eſſe uſos. nam hoc uſitatum in gente Claudia, ex hiſtoria cognouimus. Appius enim Claudius, cognomento Caudex, qui conſulatum geſsit anno V. C. CDXXCIX. frater fuit Appij Claudij Caeci, teſte Gellio lib. XVII. uideo etiam apud Liuium lib. XXXIII. duos Labeones fratres eodem praenomine appellari. EX *bonis paternis*} a patre ſuo datam Seruilio, eius accuſatori, ut praeuaricaretur. DICERET} aut hoc abundat, cum, Indicet, dixerit: aut mendoſum uidetur: cum, Dicat, ad uerbum, Indicet, rectius accommodetur. DEPOSITVM} ab Appio patre, quod Seruilio daretur, ſi praeuaricatus eſſet; in quo ſpem locabat abſolutionis ſuae. Sigonij liber, Poſitum. H-S LXXXI prorſus hoc deprauatum ſuſpicor. nam neque ſatis magna conficitur pecunia ad emendam praeuaricationem: & perfectum potius numerum in ueterum libris nominatum animaduerti. ac poteſt ex ignoratione antiquarum notarum fluxiſſe mendum, & factum eſſe LXXXI ex eo, quod fortaſſe fuit, CCCIↃↃↃ, quae ſeſtertiorum erunt centum millia, ideſt pecuniae noſtratis tria millia ſcutatorũ. quamquã ne haec quidẽ corrupto accuſatori merces pro rei magnitudine ſatis ampla mihi uidetur. AMENTIAM.} qui flagitiũ aperiat patris ſui, a quo reo indicet datã Seruilio pecuniam, ut praeuaricaretur. ACTIONES} in perſequẽda accuſatione. quid enim ſtultius, quã in conſilium mittere eoſdem illos iudices, qui lites aeſtimarant? NEFARIAS} nefas enim, pecunia ſalutem emere, accuſatore corrupto. MITTIT *in conſilium*} poſt auditã cognitamq. cauſſam, ut ſentẽtias de Seruilio ferrẽt: cum eos reijcere deberet, ut ſuſpectos. Mittebat iudices in conſilium accuſator, ut hic & pro Cluentio: Cur eum, cum in conſilium iretur, Cluentius, & Canutius abeſſe patiebantur? cum in conſilium mittebant, Stalenum iudicem, cui pecuniam dederat, non requirebant? Et apud Valerium Max. lib. VI. cap. 2. Cn. Piſo, Manilij accuſator, interroganti Pompeio, cur ſe quoque non accuſaret, Da, inquit, uades reip. te, ſi poſtulatus fueris, ciuile bellum non excitaturum: iam de tuo prius, quam de Manilij capite in conſilium iudices mittam. Praetoris quoque, mittentis in conſilium iudices, exemplum habemus in Aſconio. Cato praetor, inquit, in conſilium de calumnia accuſatorum miſit. QVI *litis aeſtimarant,*} qui de repetundis iudicauerant. in cauſsis enim repetundarum lites aeſtimabantur: ut, quantum a reo damnato eſſet exigendum, cognoſceretur. Hinc licet intelligere, accuſatum Appium patrem a Seruilio de repetundis, eoq. praeuaricante abſolutum. nec dubito, quin repetundarum crimen ob Sardiniam auare adminiſtratam obiectum Appio ſit: nam eam praetor rexerat: quod apud Plutarchum in Caeſare legimus. Iudices autem, qui eum abſoluiſſent, numquam omnino accuſatum ab Appio minore Seruilium damnaſſenr: ne, ſi praeuaricationem crederent, ſuum de Appij abſolutione iudicium damnare uiderentur: quem abſolutum propter innocentiam uideri uolebant, non quod Seruilius praeuaricator cauſſam prodidiſſet. Stulte igitur Appius minor eos iudices in conſilium miſit, ut ſententias de Seruilio ferrent. Hic ne quis miretur, quod, cum dixerit poſtulatum a Pilio Seruilium de repetundis, iudicium factum de praeuaricatione prius, quam de repetundis, demonſtret. nam praeuaricationis cauſſa tamquam appendix eſt rei iudicatae: itaque extra ordinem ſtatim agitur. Qui autem de repetundis, ijdem de corruptis iudicijs iudicabant: & ad crimen corrupti iudicij praeuaricatio pertinuit. itaque mirum non eſt, qui iudices in Appij cauſſa repetundarum fuerant, eoſdem in Seruilij praeuaricationis cauſſa ſediſſe. Pro Cluentio: An, ut praeuaricaretur? iam id quoque ad corrumpendum iudicium pertinet. Et in eadem infra: Fidicularius quid feciſſe dicebatur? accepiſſe a Cluentio H-S CCCC. cuius erat ordinis? ſenatorij. qua lege in eo genere a ſenatore ratio repeti ſolet? de pecunijs repetundis. Quod autem, Litis, pro Lites, ſcriptum ſit; antiquae conſuetudinis eſt. Priſcianus lib. VII. Lites, & Litis: Cicero in frumentaria: Sedaſti etiam litis illorum. AEQVO *numero*} aequo ſententiarum numero reus abſoluebatur. habendam ſcilicet humanitatis rationem ueteres illi legum latores cenſuerunt; ut, in re dubia, ad miſericordiam inclinatio fieret. teſtem habeo Ciceronem in oratione

pro

pro Cluentio. In conſilium, inquit, ituri erant iudices triginta, & duo. ſententijs decem, & ſex abſolutio confici poterat. Confirmat in Mario Plutarchus: Παραλόγως ἀπέφυγεν, ἴσων τῶν ψήφων γενομένων. Hoc Laterenſis ignorans, cum abſolutum Seruilium, ob ſententiarum paritatem pronunciare deberet, non pronunciauit abſolutum, neque de ſententiarum numero mentionem fecit, ſed, cum tres ordines, ſenatus, equites, tribuni aerarij lege Aurelia iudicarent, ordinum iudicia expoſuit; quibus abſolutum Seruilium, haec infra uerba demonſtrant, Pro abſoluto Seruilius haberi coeptus. in quo geminus Laterenſis error agnoſcitur, primum, quod aequo ſententiarum numero abſolui reum ignorauit; deinde, quod in abſoluendo, aut condemnando habendam ordinum rationem arbitratus eſt; ut, quem ordines duo abſoluiſſent, aut damnaſſent, is abſolutus, aut damnatus putaretur: cum non intelligeret accidere poſſe, ut, a duobus ordinibus abſolutus reus, tamen damnaretur, ex uniuerſo ſententiarum numero, quarum maior pars uel ſalutem reo, uel poenam afferebat. exempli gratia, ſenatores reum abſoluunt, item equites, ſed utrique paucis ſententijs: tribuni aerarij omnes, aut plerique condemnant. quis non uidet abſolui reum, ſi ordinum potius, quam ſententiarum, ratio ducatur? contra tamen accidit: nam ſententiae numerabantur, ſeparatim quidem primo cuiuſque ordinis, ſed ut mox ſumma fieret ex omnibus: quarum maiorem numerum uel abſolutio rei, uel calamitas conſequebatur. quod ne putetur a coniectura ductum, quae ſaepe, tamquam in lubrico poſita, ad falſa prolabitur: praeclarum contra ordines (ut ita loquar) pro ſententijs habemus exemplum in utiliſſimo Pediani commentario: in quo damnatus a duobus ordinibus L. Saufeius, ex numero tamen ſententiarum impunitatem aſſequitur. uerba recitemus. Defenderunt Saufeium M. Cicero, M. Coelius; obtinueruntque, ut una ſententia abſolueretur. condemnauerunt ſenatores decem, abſoluerunt octo: condemnauerunt equites noue, abſoluerunt octo: ſed ex tribunis aerarijs decem abſoluerunt, ſex condemnauerunt. Alterum ſuccurrit exemplum in ep. 5. lib. 2. ad fratrem. nam de Sex. Clodio abſoluto ſignificans, Tres, ait, ei ſententiae taeterrimae in conſilio defuerunt. Subiungit autem: Senatorum urna copioſe abſoluit: equitum adaequauit: tribuni aerarij condemnarunt. Ex quo patet, ſi ordines conſiderentur, dubium eſſe iudicij exitum; cum unus abſoluat, alter condemnet, tertius aequo ſententiarum numero nihil decernat. numeratis autem ſenatorum, ac tribunorum ſententijs, (nam equitum pares fuere) uicit tribus ſententijs ea pars, quae abſoluebat: qui ſenatores fuere: dixit enim, Senatorum urna copioſe abſoluit. Quid? ipſe Coelius non idem oſtendit uerbis ex legis capite uno, & centeſimo recitatis? Quod eorum iudicum maior pars iudicarit, id ius, ratumq. eſto. VT. SOLENT,} ut ſolent praetores, poſtea quam, quid iudices ſenſerint, pronunciarunt. NON *redigam*.} antiqui moris ignoratione ſententia nobis obſcuratur. abſolutionem quidem ſignificari, e ſequentibus uerbis intelligo. PRO *abſoluto*} cum eum ab ordinibus abſolutum praetor pronunciaſſet. LEGIS} de iudicijs. IN *tabulas*} in quas reorum omnium abſolutiones, damnationesq. referebantur. ABSOLVTVM *non retulit*,} primum ex ordinum iudicijs Laterenſis abſoluendum Seruilium putauerat: mox inſcitiam ſuam deprehendit, lecto legis capite CI, in quo, numerandas iudicum ſententias, plane cognoſcebatur, omiſſa ordinum mentione. ſed hic etiam lapſus eſt, opinatus ideo non abſolutum Seruilium, quia iudicum pars maior pro eo non iudicaſſet: cum par ſententiarum numerus ad abſoluendum ſufficeret. ORDINVM *iudicia perſcripſit*.} haerebat Laterenſis. pronunciauerat iam, ab ordinibus abſolutum Seruilium: ex quo referre in tabulas abſolutum oportuit. rurſus, cum eum a maiore iudicum parte non eſſe abſolutum uideret, putauit ſe contra legem facere, ſi abſolutum ſcriberet: itaque, ne uel contra ſuam pronunciationem, uel contra legem committeret, (cum ex pronunciatione abſoluendus, ex lege damnandus ei uideretur) neque abſolutum, neque damnatum in tabulas retulit: ſcripſit, quid ſinguli ordines iudicaſſent. POSTVLANTE} de repetundis. nam eodem crimine poſtulare non licebat. TRANSEGIT,} uel amicus Laterenſis fuit Lollius, cum quo de abſoluendo Seruilio conſilium cepit, uel ipſius Seruilij patronus. RELATVRVM} in tabulas abſolutum. DE. REPETVNDIS, *ſaucius*,} ſaucius, & laeſus iudicio praeuaricationis, (ſiquidem neque abſolutus, neque damnatus eſt) de repetundis accuſandus Pilio tradetur. NAM, *de diuinatione*,} cauſſam exponit, cur, cum ab Appio, & Pilio poſtulatum Seruilium dixiſſet, unum poſtea Pilium nominarit. Quod ad diuinationem, inquit, attinet, Appius contendere cum Pilio non eſt auſus, uter accuſare Seruilium deberet. Diuinatio dicebatur oratio, in qua de accuſatore diligendo diſputabatur; uel quod non de facto, ſed de futuro coniectura quaereretur; uel quod iniurati iudices in ea cauſſa ſederent, &, quod uellent, praeſentire de utroque poſſent; uel quod res ageretur ſine teſtibus, & ſine tabulis, &, his remotis, argumenta ſola ſequerentur iudices, & quaſi diuinarent. ſic enim putauit Aſconius, cum Ciceronis Diuinationem in Verrem explanaret. uidendus & Gellius lib. 2. cap. 4. CVM *calumniam iuraſſet*,} Iurare calumniam, eſt, iureiurando profiteri ſe accuſatorem, in cauſſa tamen haud quaquam iuſta. Liuius lib. XXXIII. Romanos in Hannibalem, & ipſos cauſſam odij quaerentes, inſtigabant. itaque, diu repugnante Scipione Africano, quia parum ex dignitate ſua ducebat, ſubſcribere odijs, accuſationibuſq. Hannibalis, & factionibus Carthaginienſium inſerere publicam auctoritatem; nec ſatis habere, bello uiciſſe Hannibalem, niſi uelut accuſatores calumniam in eum iurarent, ac nomen deferrent: tandem peruicerunt, ut legati Carthaginem mitterentur, qui apud ſenatum eorum arguerent, Hannibalem cum Antiocho rege conſilia belli faciendi inire. Pedianus in commentario Cornelianae: Huc illud pertinet, cum iuraſſe dixit, ſemel priuatim, & iterum legatum, ſcilicet cum in Curionem calumniam iurauit. Supra quoque in hac ipſa epiſtola, Calumniam maximo plauſu tuliſſe, pro, ad accuſandum deſcendiſſe. SERVILIIS} propinquis M. Seruilij. EMISSARIO *eſt factus*.} in antiquo libro Mediceae bibliothecae, & in duobus praeterea, Petri Bembi, & Vbaldini Bandinelli, legitur, Emiſſa ruſtetio factus. fortaſſe corrigendum,

rigendum, Emiſſario, S. Tettio factus: ut exiſtimat amiciſsimus meus. Tettios autem & libertos, & amicos Claudiorum fuiſſe, in qua gente erat Appius, oſtendit Aſconius, ubi in oratione pro Milone illum locum explanat: Haec inſidiata Pompeio eſt. quamquam ibi tantum de Damione Clodij liberto loquitur. ſed Damionem Tettiae gentis fuiſſe oſtenditur in lib. IV. ad Att. ep. 3. itaque hic Coelius, de Appio loquens, Accuſatus, inquit, eſt a quodam ſuo emiſſario Sex. Tettio. nam cum, Sextus, antiqui ſignificare uolebant, uel Sex. ſcribebant, uel S. ita patebit & uera lectio, & ſententia. quo quidem eo magis inclino, quod etiam in libro peruetere Caroli Sigonij ſcriptum uideo, Omiſſa ruſtetio: ut in hac uarietate augeatur mendi ſuſpicio, & ad ueritatem indagandam quaſi latior uia paetfiat. RECTE *hoc par habet.*} praeclare componuntur hi duo: cum emiſſarius eum ipſum reum faciat, a quo in alios emitti ſolitus erat. Par gladiatorum, dixit Cicero de optimo genere oratorum: quam uocauit compoſitionem ep. 8. lib. 2. EVM} Caeſarem. POST. KAL. MART.} pugnare uidetur hic Coelij locus cum Ciceronis loco ep. 3. lib. IIX. ad Att. in quo, Pompeium M. Marcello conſuli, finienti prouincias Gallias Kal. Mart. reſtitiſſe, diſerte ſcriptum eſt. Nec tamen aut Coelium, aut Ciceronem mentiri, credibile eſt. de Pompeij potius leuitate, & inconſtantia cogimur ſuſpicari, qui, cum reſtitiſſet Marcello conſuli, contra Caeſarem agenti, poſtea cum eodem Marcello conſenſerit de ſucceſſore Caeſari mittendo. epiſtola quidem huius libri decima, hoc ſenſiſſe oſtenditur, ne S. C. ullum fieret: quod erat, ne Caeſari ſuccederetur, contra Marcelli conſulis relationem. AVCTORITATESQ. *perſcriptae.*} auctoritates dicebantur ſenatus conſulti, nomina ſenatorum, qui ſcribendo affuiſſent: quod auctoritatem, & quaſi pondus adderent ſenatus conſulto. Praeſcriptae autem, non Perſcriptae, mihi placere, oſtendi iam ep. 2. lib. V. in eo loco, Illud ſenatus conſultum ea praeſcriptione eſt. AVCTORITAS.} ſic liber Sigonij, & alij: mihi potius arrideret, Auctoritates: cum & Coelius proxime dixerit, Auctoritateſq praeſcriptae; & Cicero lib. III. de Oratore, Eundem, id quod in auctoritatibus praeſcriptis exſtat, ſcribendo affuiſſe. IN AEDE *Apollinis.*} ſenatus habebatur uel in ſacris aedibus, uel in templis non ſanctis, ut in curia Hoſtilia. templorum enim alia ſancta, alia non ſancta, ut ait Varro lib. 6. de lingua Lat. SCRIBENDO *affuerunt,*} imminutum eſt: & ſubaudiendum, ſenatus conſulto. ſic enim tunc loquebantur. exempla uide, ep. 6. lib. XV. ep. 1. lib. VII. ad Att. de Oratore lib. III. Integrum autem poſuit, ſenatus conſulto ſcribendo Lamiam affuiſſe, ep. 29. lib. XII. Ponor ad ſcribendum, pro, Ponor affuiſſe ſcribendo, dixit ep. 15. lib. IX. Lampridius in Heliogabalo: Mater eius cum ueniſſet uocata ad conſulum ſubſellia, ſcribendo affuit: id eſt, S. C. conficiendi teſtis. L. DOMITIVS. CN. F.} ſcitu dignum eſt, quod in Nerone ſcripſit Suetonius. Perſeuerauerunt, inquit, omnes in eodem cognomine. ac ne praenomina quidem ulla, praeter quam Cnaei, & Lucij, uſurparunt, eaq. ipſa inſigni uarietate, modo continuantes unumquodque per trinas perſonas, modo alternantes per ſingulas. nam primum, ſecundumq. ac tertium Ahenobarborum Lucios, rurſus ſequentes tres ex ordine Cnaeos accepimus: reliquos non niſi uiciſsim, tum Lucios, tum Cnaeos. Hic autem, qui ſcribendo affuit, conſul fuerat cum Appio Claudio, Caeſaris inimiciſsimus, quem praetor abeuntem conſulatu, quem aduerſus auſpicia legeſq. geſsiſſe exiſtimabatur, ad diſquiſitionem ſenatus uocauit: mox conſul imperatorem ab exercitibus Gallicis retrahere tentauit: ſucceſſorq. ei per factionem nominatus, principio ciuilis belli ad Corfinium captus eſt. unde dimiſſus, Maſsilienſes, obſidione laborantes, cum aduentu ſuo confirmaſſet, repente deſtituit: acieq. demum Pharſalica occubuit: uir neque ſatis conſtans, & ingenio truci, quippe qui, conſultante Cn. Pompeio de medijs, ac neutram partem ſequentibus, ſolus cenſuit hoſtium numero habendos. De hoc, ut oratore, Cicero ſic in Bruto: L. Domitius nulla ille quidem arte, ſed Latine tamen, & multa cum libertate dicebat. Cnaeus autem pater eius, hic nominatus, is eſt, qui in tribunatu pontificibus offenſior, quod alium, quam ſe, in patris ſui locum cooptaſſent, ius ſacerdotum ſubrogandorum a collegijs ad populum tranſtulit: ac in conſulatu, Allobrogibus, Aruerniſq. ſuperatis, Elephanto per prouinciam uectus eſt, turba militum quaſi inter ſollemnia triumphi proſequente. in hunc dixit Licinius Craſsus orator, non eſſe mirandum, quod aeneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum eſſet. Haec Suetonius. Addit Pedianus, ab eo tribuno pl. quod in augurum collegium a M. Scauro, principe ciuitatis, cooptatus non eſſet, diem ei dictam ad populum, & multam irrogatam, quod eius opera ſacra multa populi Romani deminuta eſſe diceret. Notatur ut perfidius a Valerio Max. lib. IX. cap. 6. quod Bituitum, regem Aruernorum, per colloquij ſimulationem acceſſitum, hoſpitioq. exceptum, uinxiſſet, ac Romam naue deportandum curaſſet. quod an uere ſcriptum ſit a Valerio, poteſt ambigi: cum Liuius libro LXI. Q. Fabium, Domitij ſucceſſorem, aduerſus Bituitum feliciter pugnaſſe tradiderit. Idemq. Oroſius lib. V. cap. XIV. ſcriptum reliquit. AHENOBARBVS,} ut diſtinguatur a Caluinis. nam, ut idem Suetonius in eodem loco, ex gente Domitia duae familiae claruerunt, Caluinorum, & Ahenobarborum. Ahenobarbi auctorem originis, itemq. cognominis habent L. Domitium; cui rure quondam reuertenti, iuuenes gemini, auguſtiore forma, ex occurſu imperaſſe traduntur, nunciare ſenatui, ac populo uictoriam, de qua incertum adhuc erat; atque in fidem maieſtatis adeo permulſiſſe malas, ut e nigro rutilum, aeriq. aſsimilem capillum redderent. quod inſigne manſit & in poſteris eius, ac magna pars rutila barba fuerunt. Confirmatur idem a Plutarcho, in Paulli uita, de huius origine cognominis. Quod autem, Ahenobarbus, non, Aenobarbus, maluerim ſcribere, ſi quis lapides Capitolinos inſpexerit, non mirabitur. Deductum uidetur, non ab, aeneus, aenea, aeneum, ſed ab, ahenus, ahena, ahenum. quod Gellius, adſpiratione inter duas uocales interiecta, ſcribere ueteres conſueuiſſe demonſtrat lib. 2. cap. 3. Q. CAECILIVS} hic eſt Scipio ille, Magni Pompeij ſocer, eiuſdemq. in tertio conſulatu collega, qui, afflictas Pharſalico proelio partes Pompeianas, in Africa rur-

ſus, ope Iubae regis excitauit, uictuſq. a Caeſare, ne uictoris in poteſtatem ueniret, ipſe ſibi mortem conſciuit. Tranſijt autem a Cornelijs in Caecilios, aſſumpto patris adoptiui cognomine Pio, quod eum Q. Metellus Pius, Numidici filius, pontifex Max. adoptauerat. id quod in Dionis historia legimus lib. XL. Hunc Cicero Naſicam uocat ep. I. lib. 2. ad Att. quod eius patris, maiorumq. cognomen fuerat. Dio eodem libro. Idem tamen uetere praenomine, quod a naturali patre acceperat, Publius appellatur interdum, ut a Cicerone in oratione pro domo, & in epitome Liuiana, & apud Eutropium. Pater autem eius, ut eodem loco Dio ſcripſit, fuerat Scipio Naſica, auus item Naſica, quem nominat Cicero in Bruto. VILLIVS} antiqua familia, primis fere temporibus a Liuio nominata. Annales dicti, ab eo, qui legem tulit, quo anno magiſtratus capere liceret. Villium Annalem Cicero etiam memorat in oratione pro Fundanio apud Priſcianum lib. 6. Antea in omnibus impreſsis, Iulius. primi nos repoſuimus, Villius. POM.} tribus Pomptina fuit. nam ex XXXV tribubus, aliquam, ut inquit Pedianus, neceſſe erat, cuiuſcumque eſſet ordinis, ciuis Romanus obtineret. is autem oſtendebatur a praenomine ſuo, a nomine, (nomine autem familia ſignificatur) a patris praenomine, a tribu, a cognomine, ut Philippica IX. Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus. Lemonia enim tribus eſt ablatiui caſus: ut ſit, ex Lemonia, ut inquit Aſconius. in lapidibus autem antiquis fere ſemper, in libris aliquando prioribus tantummodo litteris ſignificari tribus animaduertas, ut in hoc S. C. ubi enim legitur, Pom. ſciendum eſt, Pomptinam intelligi: ubi Pop. Popilliam: ubi Pup. Pupiniam: ubi An. Anienſem: quod cum antea non eſſet exploratum, alij pro An. Capito, duabus uocibus coniunctis legebant Ancapito: Bernardinus autem Rutilius in ſuis anotationibus credidit, antiquas notas fuiſſe, quae ſignificarent, Ateij nepos. in quo quam deceptus ſit, non attinet dicere. ſi enim ab auo oſtendendus aliquis erat, non ab eius nomine, ſed a praenomine oſtendebatur. ſed incidit in errorem, quia tribum Anienſem non agnouit, quae duabus modo litteris, ut iam dixi, ſcripta fuerat. quae me ratio mouit, ut ubi, Puphirrus, uno tantum uerbo antea legebatur, duobus in noſtro libro ſcriberem, Pup. Hirrus, ideſt Pupinia Hirrus. tribus enim ante cognomen ponebatur, ut & hic, & alibi licet uidere. Quoniam autem hanc tribuum cognitionem non ita facilem eſſe perſpicimus, (nam & Volaterranus, & Alexander, qui dies Geniales ſcripſit, & alij, quos non neceſſe eſt commemorare, parum uidentur in ſuis libris earum numerum, & nomina tenuiſſe) ſtudioſis nō fore prorſus inutile, aut iniucundū arbitramur, ſi, quae in hanc rationem diſperſa in ueterū monumentis leguntur, coacta huc afferamus. quae cum olim ſcripſerim adoleſcens, cum haec noua uidebantur; nunc eadem, correctione quadam, breuiſsime colligam.

Fuerunt igitur Romanae tribus omnino XXXV. quarum nomina infra ſcripſimus, & ſcriptores aliquot, qui de ijs locuti ſunt, appoſuimus, ut inde facilior earum, ac certior unicuique cognitio ſit.

AEM. uel, AEMI. Aemilia. Cicero ad Att. lib. II. Liuius lib. XXXIIX. antiquae urbis inſcriptiones 75:

ANI. Anienſis. Cicero pro Plancio, Liuius lib. X. antiquae urbis inſcr. 160: 175: & in lib. Petri Appiani de inſcriptionibus antiquis totius orbis, 93.

ARN. uel, ARNIEN. Arnienſis. Cicero in agraria II. in Rullum, Liu. lib. VI. & lib. XXIX. ubi corrupte legi putamus Narnienſis. nam lapis antiquus, quem Vulſinijs in templi parietibus uidimus, expreſſam Arnienſis mentionem continet.

CLA. Claudia. Liuius lib. II. Virg. lib. VII. Dionyſius Halic. lib. V. antiquae urb. inſ. 75: 84. 114. liber Appiani 479.

CLV. uel, CLVST. Cluſtumina. Cicero pro Plancio, pro Balbo, antiquae urb. inſcr.

COL. Collina. Varro lib. IV. de ling. Lat. Plinius lib. XIIX. cap. 3. Feſtus. antiquae urb. inſcr. 27. 99. 120. liber Appiani 110.

COR. Cornelia. Liuius lib. XXXIIX. antiquae urb. inſcr. 29.

ESQ. uel, EXQ. Eſquilina. Varro lib. IV. de ling. Lat. Plinius lib. XIIX. cap. 3. Feſtus, antiquae urb. inſcr. 75: Eſt praeterea in aedibus uiri optimi, ualdeq. eruditi, Gentilis Delphinij Romani fragmentum antiqui lapidis cum hac tribu.

FAB. Fabia. Horatius epiſt. VI. lib. I. Suetonius in Auguſto, antiquae urb. inſcr. 61. 73. 74: 76. & Petri Appiani lib. 62. 66. 335. 343. 500.

FAL. Falerina. Liuius lib. IX. in libro Appiani 105. 120. & Neapoli antiquus lapis eſt ita inſcriptus: C. PISTORIO. C. F. FAL. FIRMO. AEDIL. IIVIR. CVRATORI. OPER. PVBLICOR. item Ioſephus ἐν τῷ τῆς ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγῳ ιγ, κεφαλῇ ιξ.

GAL. Galeria. Liu. lib. XXVII. Plinius lib. VII. cap. 49. etſi, pro Galeria, legitur Galerius. ſed corrigendus locus eſt ex antiquo libro auunculi mei Franciſci Aſulani. & antiquae urb. inſcr. 89. 142: 159: liber Appiani 14. 15. 16. 19. 21. 22.

HOR. uel, HORAT. Horatia. Scriptum in libris de hac tribu nihil eſt: in lapidibus tamen ſaepe nominatur. deductam ſatis conſtat a uetere familia patricia, ut alias non paucas.

LEM. Lemonia. Cicero pro Plancio, Phil. IX. Feſtus. antiquae urb. inſ. 91: 151:

MAEC. Maecia. hanc in antiquis lapidibus duobus inuenimus: C. OCTAVIO. C. F. MAEC. VERO. C. HERBACIO. MAEC. ROMANO. in libris quinquies nominatam obſeruauimus, a Tullio lib. IV. ad Att. ep. 14. a Liuio lib. IIX. & XXIX. a Valerio Max. lib. 2. cap. IV. a Feſto.

MEN. Mentina. Cicero lib. XIII. ep. fam. Ioſephus ἐν τῷ τῆς ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγῳ ιγ, κεφαλῇ ιζ. cum quibus lapides tres conſentiunt: C. VALERIO. C. F. MEN. DOLVTIO. MARCIANO.

A. MVNIO. A. F. MEN. EVARISTO.

C. CATIO. C. F. MEN. BALBO. C. CATIVS. C. F. MEN. GALLVS. & hic epiſt. 9. lib. XIII.

Puto

Puto tamen hanc tribum fuiſſe Meneniam potius, quam Mentinam, & corruptum eſſe Ioſephi locum. deducetur enim ab antiqua familia patricia, ut aliae octo, Aemilia, Claudia, Cornelia, Fabia, Horatia, Papiria, Sergia, Veturia. nam Publilia nomen accepit a plebeia gente.

OVF. Ovfentina. Liuius lib.IX. Feſtus. antiquae urbis inſcript.86.133. in libro Appiani 27.28.30.51. 63.71.79.84.85.86. & in lib. Veronenſium antiquitatum ſic: Q. EVFEMVS. Q. F. OVF. LVCVLLIVS.

PAL. uel, PALAT. Palatina. Cicero in Verrem. Pedianus 18: Varro lib.IV. de ling. Lat. Plinius lib.XIIX. c.3. Liuius lib.XX. Feſtus. antiquae urbis inſcr.29.34.39:62:116.155.176: liber Appiani 17.22.34.64.

PAP. uel, PAPIR. Papiria. Liuius lib.IIX. Feſtus. antiquae urbis inſcr.72.135.

POB. Poblilia, quae deinde Publilia ſcripta eſt. ſicuti ex Poblius Publius factus eſt. reperitur in lapidibus & PVB. & PVBL. & PVBLIL. & POB. Liuius lib.VII. antiquae urb. inſcr.10. liber Appiani 252. & in libro Veronenſium antiquitatum ſaepe. Exempla Publiliae, per u ſcriptae, quinque habemus, duo in antiquae urb. inſcr.66.81. tria in App. lib.65.105.352. Puto hanc eſſe, quam Feſtus Popilliam nominat: de qua Valerius lib.IX. cap.10. liber Appiani 297.

POL. Pollia. Liuius lib.XXIX. Valerius Max. lib.II. cap.4. & lib.IX. cap. 10. antiquae urbis inſcriptiones 110.113.147: liber Appiani 18.

POM. uel, POMP. Pomptina. Cicero ad Atticum lib.IV. Liuius lib.VII. Feſtus. antiquae urb. inſc.114. 177. liber Appiani 141.484.

PVP. Pupinia. Cicero ad Q. fratrem lib.III. Liuius lib.XXVI. Feſtus. duo antiquorum lapidum exempla exſtant. alterum Capuae, D. VIBIDI. D. F. PVP. NIGRI; alterum Patauij, CLAVSIO. C. F. PVP.

QVI. uel, QVIR. Quirina. Cicero pro Quinctio. Aſconius 61. Feſtus. antiquae urb. inſcr. 15.34.44: 115. liber Appiani 14.17.18.19.103.

ROM. Romilia. Cicero in Verrem, idemq. in agraria I. Aſconius 18: Varro lib.IV. de ling. Lat. Feſtus. Seruius in comment. III. Aeneidos antiquae urbis inſcr. 165: in libro Veronenſium antiquitatum 51. L. GALLIO. L. F. ROM. Eſt etiam Ferrariae ſemifractus lapis, in imis ſummi Templi parietibus inſtratus, in quo ita ſcriptum uidimus, -ITIO. T. F. ROM.

SAB. Sabatina. Liuius libro VI. Feſtus. Lapis antiquus Romae in aedibus eximij Cardinalis Carpenſis; CN. CORNELIO. CN. F. SAB. MVSAEO. MANCIPI. VIAE. APPIAE.

SCA. uel SCAP. uel, SCAPT. Scaptia. Liuius lib.IIX. Suetonius in Auguſto, Feſtus. Lapidis antiqui exemplum Romae exſtat in regione Pantheonis: C. AVFELIVS. C. F. SCA. SEVERVS. & item aliud, C. GRANTANIVS. SCAPTIA. MACER.

SER. uel, SERG. Sergia. Aſconius 61. antiquae urb. inſcr.61.63: 81: 165: eſt etiam in eodem libro 63: quattuor litteris SERG.

STEL. Stellatina. Liuius lib.VI. antiquae urb. inſcr.110. & duabus litteris. ST. 239.

SVB. Suburana. Varro lib.IV. de ling. Lat. Cicero etiam in agraria II. quo in loco uidetur corrupte legi, Ab Ocriculana: cum in quinque antiquis libris legatur, ab uſura nam. unde mihi orta coniectura eſt, legi poſſe, a Suburana, mutatione fere nulla. Plinius lib.XIIX. cap.3. Feſtus. antiquae urb. inſcr.117. & alibi.

TER. Terentina. Cicero pro Plancio. Liuius lib.X. antiquae urb. inſcr. 140.199. liber Appiani 105.336.

TRO. uel, TROMEN. Tromentina. Feſtus. Liuius etiam lib.VI. ſcripſit, Tromentina, ut opinor, non, ut impreſſum eſt, Promentina. antiquae urb. inſcr.207: liber Appiani 16.177. & in lapide, qui Caietae eſt, L. ATILIO. L. F. TROMEN.

VEIEN. Veientina. pro Plancio.

VEL. Velina. Cicero ad Att. lib.IV. & in Bruto. Horat. ep.VI. lib.I. Perſius, antiq. urb. inſcr.162. liber Appiani 19.

VET. Veturia, hoc lapide notata, C. CASSIVS. C. F. VET. & hoc, SEX. APVSIVS. SEX. F. VET. & hoc, SEX. CALPVRNIVS. SEX. F. VETVRIA.

VOL. uel, VOLT. uel, VOLTIN. Voltinia. Cicero pro Plancio. antiq. urb. inſcr. 155. & in antiquo lapide, qui eſt Venetijs in turri S. Vitalis, CN. NVMERIVS. CN. F. VOL. FRONTO. Eſt & quattuor litteris VOLT. in Appiani lib.484. alibi VOLTIN. & integrum VOLTINIA.

Ex hoc numero quattuor tantum urbanae fuerunt, Palatina, Eſquilina, Collina, Suburana, in quas, ut inquit Plinius, transferri ignominiae eſſet, dictae a partibus urbis, in queis habitabant. reliquae omnes ruſticae, laudatiſsimae, eorum, qui rura haberent: quae proprie ingenuorum erant; cum urbanae libertinorum eſſent: ut in Aſconio, & in epitome Liuiana lib. XX. Aſconium autem, ubi illud in Verrem explanat, V. & XXX. tribus, cur de nominibus Sabinarum plures tribus eſſe factas dixerit, mirari non ſatis poſſum; cum a Sabinis non tribus, ſed curiae nomina acceperint ut inquit Liuius lib.I. & Sex. Pompeius. C. LVCCEIVS} C. Lucius antea legebatur in omnibus uulgatis libris: quod etiam in antiquis uideo ſcriptum eſſe. uerum non indiligenter a nobis obſeruata Romanorum nominum ratio mendum olim patefecit. non enim duo praenomina, Caius & Lucius, ſimul eſſe poſſunt: & omnino familiae nomen poſteriore loco requiritur: nec uideo, quid commodius pro, Lucius, reponi poſsit, quam, Lucceius. quod cum mihi placuiſſet multis abhinc annis; poſtea cum ab alijs probatam eſſe coniecturam noſtram intellexerim, confirmor aliquanto magis in uetere ſententia. HIRRVS,} & cognomen, Hirrus, & praenomen, Caius, indicant eum eſſe, quem ſuum in aedilitate competitorem nominauit Coelius ep.2. Et, ut aliud ex alio, ſuſpicor, quem legimus Vlcillem Hirrum apud Caeſarem lib.I. de bel. ci. mutandum eſſe in, Lucceium Hirrum. Hic in ſequen-

tibus ſenatus conſulti partibus, quibus interceſſum eſt, non affuit ſcribendo, fortaſſe quod aliter ſentiret, aut ne Caeſarem offenderet; in quem fieri praeiudicium uideret: ideoq. etiam interceſſum eſt. Cvrio,} tribunus pl. deſignatus: quo tempore fauere Pompeio contra Caeſarem uidebatur: idq. tum hiſtoriae narrant; tum etiam argumento eſt, quod affuit ſcribendo ſenatus conſulto, pro optimatibus, id eſt pro Pompeio contra Caeſarem facto. adeſſe enim ſcribendo ſoliti ſunt, qui ſenatus conſultum fieri uellent. quod oſtendit ep.6.lib.xv. Capito,} cognomen eſt & gentis Ateiae, ut hic, & ep.29.l.xiii. cognoſcitur; & Fonteiae, teſtimonio Plutarchi, & Horatij: quorum ille in Antonij uita Fonteium Capitonem, hic eundem ſat. v.lib.i. nominat. M. Marcellvs . consvl} nam Sulpicius collega aequior in Caeſarem fuit, nec ei ante abſolutum decem annorum ſpatium, Vatinia primum, deinde Trebonia lege datum, ſuccedendum putauit: ne cauſſa belli ciuilis oriretur. itaque, cum ad eum ſcriberet Cicero ep... lib.iv. Cognoram, inquit, iam abſens, te, haec mala multo ante prouidentem, defenſorem pacis, & in conſulatu tuo, & poſt conſulatum fuiſſe. Et ep.2. eiuſdem libri: Omnia utriuſque conſilia ad concordiam ſpectauerunt. Et ep.3. Abſens cognoſcebam, quae eſſet tua in hoc peſtifero bello cauendo, & praedicendo ſententia: & ipſe affui primis temporibus tui conſulatus, cum accuratiſsime monuiſti ſenatum, collectis omnibus bellis ciuilibus, ut & illa timerent, quae meminiſſent; & ſcirent, cum ſuperiores, nullo tali exemplo antea in rep. cognito, tam crudeles fuiſſent, quicumque poſtea remp. oppreſsiſſet armis, multo intolerabiliorem futurum. quare meminiſſe debes, eos, qui auctoritatem, & conſilium tuum non ſunt ſecuti, ſua ſtultitia, occidiſſe, cum tua prudentia ſalui eſſe potuiſſent. Legimus etiam in Suetonio, M. Marcello conſuli Caeſarem reſtitiſſe, partim per Ser. Sulpicium alterum conſulem, partim per interceſſores tribunos pl. V.F.} uſitatus loquendi modus in oſtendenda relatione. nam, V.F. quod eſt, uerba fecit, idem ualet, quod, retulit. apud Frontinum de aquae ductibus. De *prouinciis conſularibus*:} ut ſuccederetur ijs, qui conſulares prouincias obtinebant: quod generale uidebatur: ſed prouincia Caeſaris utraque Gallia maxime petebatur. duas autem quotannis prouincias ijs decerni, qui conſules fuiſſent, lex Sempronia iubebat: qua de re fit mentio in orationibus pro domo, & de prouincijs, & ep. 7. lib. i. Retulit igitur primum conſul Marcellus de conſularibus prouincijs, mox de omnibus uniuerſe. prior relatio ualuit: quia nemo interceſsit: ex quo factum eſt ſenatus conſultum: de uno dixit Coelius, Senatus conſultum, quod tibi miſi, factum eſt. poſterior autem relatio, tres partes complexa, quas paullopoſt oſtendemus, infirma fuit: quia ſingulis partibus tribuni pl. interceſſerunt. ideo factum de ijs ſenatus conſultum non eſt, (non enim hoc nomen ad ea ſenatus decreta pertinet, quibus interdicitur) ſed ſenatus tantum auctoritas remanſit: quae quid a ſenatus conſulto differat, demonſtratum eſt epiſt.2. libri i. D.E.R.I.C.} de ea re ita cenſuerunt. Sic enim Probus interpretatur. eaedem litterae in ſenatus conſultis a Frontino recitatis in libello de aquae ductibus leguntur. & apud hunc noſtrum oratione iix. in Antonium: Quod L. Opimius conſul uerba fecit de rep. de ea re ita cenſuerunt. L. Pavllvs,} hic initio conſulatus acerrime Caeſaris cauſſam oppugnauit: ut legitur ep.xi. poſtea ſilentium Caeſari uendidit, acceptis M D talentis. Plutarchus in Caeſare. nota etiam ex alijs hiſtoria. Ad hunc epiſtolas Ciceronis habemus lib.xv. C. Marcellvs} patruelem fuiſſe M. Marcelli conſulis, ait Suetonius: Dio, patruelis fuerit, an frater, ambigit. ad hunc etiam ſcripſit Cicero lib.xv. eſt autem is, qui Octauiam, Octauij, poſtea feliciſsimi Romanorum imperatoris, ſororem, in matrimonio habuit, ex qua Marcellum ſuſcepit, eum, quem primo adoleſcentiae flore extinctũ, Virgilius celeberrimo carmine deplorauit. Inissent,} inibant Kalendis Ian. quod inſtitutum eſt anno urbis DXCVII, cum iniſſent antea Kalendis Mart. Ad ex x. *Kal. Mart.*} ſic eſt in tribus meis antiquis libris, & in uno Sigonij, & in Mediceo. ſuſpicor tamen locum non carere mendo, & legendum fortaſſe, A. d. ex Kal.Mart. uel potius, Ex a.d. Kal.Mart. quod ualet, Ex ante diem Kal.Mart. nam ueteres conſueuiſſe dicere, Ex ante diem, non, Ante diem ex, animaduerti. exempla ſubiungam. ep.17.lib.iii. ad Att. Nuncij nobis triſtes, nec uarij, uenerant ex ante diem non. Iun. Varro lib. i. de re ruſt. Ex ante diem vii. id. Febr. ex ante diem vii. id. Mai. ex ante diem iii. id Sext. ex ante diem iii. id. Non. Liuius lib. xlv. Supplicatio pro concione populi indicta eſt ex ante diem V.id.Oct. cum eo die in quinque dies. Accedit Colotiani lapidis teſtimonium.

M . AEMILIVS . M . ANTONIVS . IMP . CAESAR . III . VIR . R . P . C.
EX . A . D . V . K . DEC . AD . PR . K . IAN . SEX .

Vt alias omittam ueteres inſcriptiones, quas in unum collegit Aldus filius. Quod autem, Ex a.d. Kal.Mart. malo legere, quam, Ex ad. x. Kal. Mart. infirmis in eo rationibus moueri non arbitror. Kalendas enim Martias omnino deſignari, non x. Kal. Mart. ex eo quod proxime ſupra dictum eſt, intelligitur: Perſpecta Cn. Pompeij uoluntate in eam partem, ut eum decedere poſt Kal. Mart. placeret. Maxime autem confirmat opinionem noſtram id, quod ſequitur paucis interiectis uerbis: Ne ue quid prius ex Kal. Mart. ne ue quid coniunctim referretur a conſulibus. Idem dies, eadem res ep. 3. lib. iix. ad Att. oſtenditur: M. Marcello conſuli finienti prouincias Gallias Kal. Mart. reſiſtit. quod attinet ad modum loquendi, Ante diem, ualet Ad: non enim hoc loquendi genere mutatur is dies, qui deinde nominatur. itaque quod eſt ep.22. lib.xii. Ad xiii. Kal. Ian, ſenatus frequens mihi eſt aſſenſus: in Philip.14. eſt, Memoria tenent, me ante diẽ xiii. Kal.Ian. principem reuocandae libertatis fuiſſe. Et ep.5. lib. xvi. qui dies ſequitur nonas Non. appellatur ante diem iix. id Nou. quem iix. id. eſſe conſtat. Gellius quoque lib.xv.cap.28. Cicero non dixit eſſe natum ante diem iii. non.Ian. is uero dies iii. non.Ian. uocatur ep. 5. lib. vii. ad Att. Saepe autem imperiti librarij, cum a. d. non intelligerent, ſcripſerunt ad. quod mendum irrepſit in libros, in lapides non potuit;

nec

nec multorum utemur teſtimonio: unum uidimus apud familiarem noſtrum, uirum optimum, & eruditiſſimum, Fuluium Vrſinum, ita inſcriptum.

CN . CINNA . MAGNO
L . VALERIO . VOLESO . COS .
A . D . XIII . K . APRILIS
AD . MONVMENTVM . SOCIORVM
IN . CONVENTV . HABENDO . CVRATORE
C . PETRONIO . C . F . FAL . VARIA . ACTVM . EST
ET . ITA . DECREVERVNT . LOCVM . L . SEMPRONI
Ɔ . L . HILARI . ET . OLLAS . V . DARI . ADSIGNARI
C . PETRONIO . C . F . FAL . VARIAE . CVRATORI
OB . PIVM . OFFICIVM . INDVSTRIAM . ERGA . SOCIOS
EIVS . MONVMENTI . ET . SOCIVMQ . EVM . ADSCIVER

QVAE *in ſuo magiſtratu futurae eſſent,*} cum proxime dictum ſit, Cum magiſtratum iniſſent, cur addatur, Quae in ſuo magiſtratu futurae eſſent? quaſi eſſet ignotum, Kalendas Mart. in eorum magiſtratu futuras. plane hoc ſuſpicor ex margine libri, interpretationis loco appoſitum, irrepſiſſe in uerba S. C. ualde enim mendoſe totum hoc S. C. in antiquis libris etiam in Mediceo, ſcriptum eſt. REFERRENT,} retulit Marcellus: Paullus, a Caeſare emptus, tacuit. EX . KAL . MART .} ex his uerbis liquet, paullo ante legendum eſſe, Ex ante diem Kal. Mart. non, ut mendoſe ſcriptum eſt in omnibus antiquis libris, A. d. ex x. Kal. Mart. CONIVNCTIM} cum enim plura ſimul ad ſenatum referebantur, non facile omnia ſenatus maior pars comprobabat. ita ſaepe fiebat, ut una res repudiata reliquas, quae omnino placerent, impediret. nam, cum dixiſſet ſenator, Diuide ſententiam, ut de ſingulis rebus referretur; orta contentione dies conſumebatur, lege permittente ſenatoribus, qua quiſque de re uellet, quamq. diu uellet, dicere. itaque Feſtus inter impedimenta ſenatus conſulti numerat hoc in uerbo Numera, cum ſenator diuiſionem poſtulabat earum rerum quae referebantur. VTIQ . *eius rei cauſſa*} antiquum eſt, Vtiq. pro, & ut. ideoq. in ſenatus conſultis ex uetere conſuetudine uſurpatum. Phil. IX. & XIV. in utriuſque extremo. Sic & Piſo apud Gelliũ lib. VI. cap. 9. DIES *comitiales*} per quos haberi ſenatum leges uetabant. ep. 2. lib. 2. ad Quinctum fr. Conſecuti ſunt dies comitiales, per quos ſenatus haberi non poterat. Et eodem libro, epiſtola Riſi: Comitialibus diebus, qui Quirinalia ſequuntur, Appius interpretatur, non impediri ſe lege Pupia, quo minus habeat ſenatum. Ad Lentulum autẽ, ep. 4. lib. 1. ijdem dies ſignificantur ijs uerbis: Senatus haberi ante Kal. Febr. per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt. QVI . EORVM} Qui ſenatorum. Sic infra. ſic locutus & Liuius lib. XXXIIX. & Cato cap. 145. IN . CCC . *Iudicibus*} dixi iam, tres ordines lege Aurelia, ſenatum, equites, tribunos aerarios iudicaſſe. Sed omnes ſenatores, qui iudicabant, a iudicijs in ſenatum conuenire, ideo ſenatus uoluit, ne per infrequentiam, quod ſaepe accidit, fieri S.C. non poſſet. certum enim ſenatorum numerum faciendo S.C. lex definiebat. Feſtus, & Dio: quorum teſtimonio hac ipſa de re iam uſi ſumus. Iudicijs autem implicati tenebantur ſenatores multi: itaque ille, qui ſcripſit ad C. Caeſarem de rep. ordinanda, cuius exſtat epiſtola, cum Salluſtij fragmentis edita: Duabus, inquit, rebus confirmari poſſe ſenatum puto: ſi numero auctus per tabellam ſententiam feret. tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine, & praeſidij plus, & uſus amplior eſt. nam fere, tres tempeſtatibus, alij iudicijs publicis, alij priuatis ſuis, atque amicorum negotiis implicati, haud ſane reip. conſilijs affuerunt: neque eos magis occupatio, quam ſuperba imperia, diſtinuere. Trecentos autem ordinis ſenatorij iudices Plutarchus nominat in Graccho: ſed hoc tempore trecenti ſexaginta, electi a Pompeio tertium conſule, iudicabãt. docet hoc Velleius lib. 2. & Plutarchus in Pompeio. itaque miror trecentos dumtaxat nominatos. niſi ſi perfecti numeri potius, quam imperfecti, placuit appellatio: ut in Piſonem dixit Cicero, Quadraginta annis, pro triginta ſex. quo loco Aſconius uſitatum ait fuiſſe Ciceroni, ut, omiſſa ſubtiliore annorum cõputatione, ſummatim tempus comprehenderet: recitatq. illa in Catilinam, Vigeſimum iam diem patimur hebeſcere aciem horum auctoritatis: cum octauus decimus dies eſſet. Aut igitur falſum iudicum numerum hac ratione tueamur: aut deeſſe, LX, cenſeamus: ut omnino ſint, qui a Velleio, & Plutarcho nominantur, CCC LX . SEX} malim, Eos. ut omnes a iudicijs abducti adeſſent in ſenatu. Sic infra locutus: Quos eorum ex S.C. cum imperio in prouincias propraetores mitti oporteret, eos ſortito in prouincias mitti placere. ABDVCERE} & ſententia, & Latini ſermonis uſus, Abducere, uidetur probare, non, ut, habent omnes etiam ſcripti libri, Adducere. AD . POPVLVM , *plebemue*} ad plebem ferre, non ad populum, tribunus pl. dicebatur; quia ius conuocandi patricios non habebat: ad populum autem conſules, & praetores, quibus omnes ciues edicto conuocare licuit. Liuius lib. 2. Gellius lib. x. cap. 20. LATO *opus eſſet*,} contracte ſcribebant hoc totum, S . Q . D . E . R . A . P . P . V . L . O . E . quod Probus explanat, Si quid de ea re ad populum, plebem ue lato opus eſſet. Sic Liuius lib. XLIV. Senatum conſulerent, ſi qua re conſulto opus eſſet. TRIBVNI PL.} horum cauſſa additum eſt, Ad plebem. DEINCEPS} poſt eos, anno ſequenti. nam eodem anno, praeter eos, legem ferre nemini licuit, non aedilibus, non quaeſtoribus, non alijs magiſtratibus. I . V .} antiquus Sigonij liber, I . N . ex quo mihi uenit in mentem, non incommode legi poſſe, I N . coniunctis duabus illis litteris, I, & N. ut hoc ſignificetur, Interceſſum. nam, quae ſequuntur eiuſdem relationis capita, conſenſu quidem ſenatus approbata, ſed, tribunis pl. intercedentibus, ſenatus conſulti, ui, & nomine caruerunt. cum enim ſenatus decreuiſſet, ut

ſet. ... P... as, & C. Marcellus cos. ex ante diem Kal. Mart. de prouincijs conſularibus ad ſenatum referret; cauere uoluit, ne quis moram afferret; adiunxitq. alterum caput, ſi quis impediſſet, eum contra remp. facturum. Tertium caput fuit de imminuendo Caeſaris exercitu, honeſta praeſcriptione, ut a bello diſcederent emeriti milites, quique cauſſas, cur miſſi fieri deberent, oſtendiſſent. Quarto capite quaſi praeiudiciũ fiebat de Gallis Caeſari adimendis, quippe cum ſenatus Ciliciam, quae conſularis erat, praetoriam faceret; ut duae tantum reliquae conſulares, Gallia, & Syria, in ſortem coniectae, ijs, quibus obueniſſent, traderentur: quod ita factum eſt. uerum haec ſingula debilitauit, ac ſuſtulit interceſsio: primum caput ualuit, ut anno ſequenti de prouincijs conſularibus ad ſenatum referretur: cum interceſsionem neceſſariam Caeſaris amici non putarent, qui non huic ſenatus conſulto, quo actio de prouincijs cõſularibus ſequentis anni conſulibus mandabatur, ſed ei potius, quod ſequentes conſules de ſucceſsione prouinciarum poſtea facerent, intercedendum intelligerent. QVI *poteſtatem habent*} tribunos pl. maxime deſignat, quorum erat interceſsio: quamquam licuiſſe omnibus intercedere, qui eadem poteſtate, qua ij, qui S. C. facerent, maiore ue eſſent, ſcripſit Gellius lib. XIV. cap. 7. INTERCEDENDI, *impediendi*,} ſatis erat, Impediendi: quo uno uerbo & interceſsio, & quidquid impedimento poteſt eſſe, continetur. nam & paullo poſt ſubiunxit, Qui impedierit, non, Qui interceſſerit, impedierit. itaque ſuſpicatus quandoque ſum, Intercedendi, abundare. Sed hoc & dubium eſt, & parui refert: itaque magnopere nec affirmo nec, ſi quis contra uelit diſputare, contenderim: liberum cuique iudicium relinquatur. QVAMPRIMVM *ad ſenatum referri*,} a quo quamprimum referri? an ab eodem, quo referente hoc decernitur? at is iam retulerat, ſenatuſq. cenſuerat, ut ſequentis anni conſules ex ante diem Kal. Mart. de conſularibus prouincijs ad ſenatum referrent. de ceteris autem prouincijs, id eſt de Cilicia, deq. octo reliquis prouincijs, quas praetorij pro praetore obtinerent, cum ab eodem M. Marcello relatum eſſet, decretum eſt quod infra legitur. quare hoc de ſequentis anni conſulibus accipio, non ut quamprimum, cum magiſtratum iniſſent, ſed quamprimum poſt Kalend. Mart. de quo die facta mentio eſt in priore relatione, ad ſenatum referrent. CONTRA *remp. feciſſe*:} hoc in ſenatus conſultis uerſiculo utebantur, ut ab impediendo deterrerent. HVIC. S. C.} ſenatus conſulti partes ſenatus conſultum uocat, ut Legem pro legis capite in oratione pro Cluentio. AVCTORITATEM *perſcribi*,} hoc quale fuerit, iam oſtendimus. iterare eadem non placent. DE EA RE} de interceſsione. REFFERI.} a conſulibus, praetoribus, tribunis pl. quibus eorum uideretur. CORNELIVS,} plebeius, cum ſit tribunus pl. Patricij vero Cornelij Lentuli, Scipiones, Dolabellae, alij. plura diximus ep. I. lib. I. C. VIBIVS *Panſa*.} antea, Iulius mendoſe. qui conſul, mortuo Caeſare, fuit cum A. Hirtio. STIPENDIA *emerita*,} emeriti ſtipendia milites dicebantur, qui per annos decem militaſſent: tuncq. ſacramento exſoluebantur, ut oneribus militiae uacarent. CAVSSAS,} ut morbum, infirmitatem ualetudinis, aut aliquam rei domeſticae difficultatem; quas ob cauſſas abeſſe domo nõ liceret. Liuius l. 34. Cum milites, qui in legionibus urbanis erant, frequentes tribunos pl. adiſſent, uti cauſſas cognoſcerent eorum, quibus aut emerita ſtipendia, aut morbus cauſſae eſſent, quo minus militarent. HVNC} qui haec cenſuit, ac decreuit. RATIO *habeatur*,} cura ſuſcipiatur. IN. CILICIAM} ſi habetur eorum ratio, qui prouincias obtinent, Cilicia conſularis eſt, cum a uiro conſulari Cicerone adminiſtretur: ideoq. non in hoc S.C. ſed in eo, quod de prouincijs conſularibus factum eſt, nominari debuit. uerum, quia fit praetoria, cum decernat ſenatus, ut in eam proficiſcatur qui praetor, non qui conſul fuerit; ꝓpterea in hoc S.C. reiecta, ſed reliquas ꝓuincias, quas praetorij obtinebant, aggregatur. erat enim poteſtas ſenatui, quos uellet, in prouincias mittendi, ſiue conſulares, ſiue praetorios: &, in quas praetorij mittebantur, praetoriae; in quas conſulatu functi, conſulares prouinciae uocabantur. id ex hoc ipſo primũ cognoſcitur S. C. quo praetorius, non conſularis in Ciliciam, cui praeerat hoc anno Cicero conſularis, mittitur: deinde confirmatur oratione de prouincijs. potuit tamen tribunus pl. hanc poteſtatem eripere ſenatui, & conſularem prouinciam, lata rogatione ab homine conſulari ad praetorium transferre. quod objicit Clodio Tullius factumq. extra ordinem queritur in oratione pro domo. Sed ut redeam ad Ciliciam, cogitanti mihi, cur praetoria nunc fiat, quae cõſularis antea fuerat, adminiſtrata per annos aliquot a tribus conſularibus, Lentulo, Appio, Cicerone, uiſum eſt hoc a Pompeianis aſtuto conſilio factum, ut conſularium prouinciarum numerus, una exempta, fieret anguſtior; eoq. certior ſpes eſſet adimendi Gallias Caeſari: cum duas tantum conſulares prouincias lege Sempronia decerni per ſenatum oporteret. quod orationes pro domo, & de prouincijs, & Caeſar lib. I. de bel. ci. docet: Conſulares autem, id eſt a conſularibus hoc anno adminiſtratae, quattuor eſſent, Hiſpaniae, Cilicia, Galliae, Syria: (nam Macedonia, a quo tempore L. Piſoni conſulari Q. Ancharius praetorius ſucceſſit, praetoria fuit) nec in Hiſpanias mitti quiſquam poſſet, cum eas lege Trebonia conſul iterum Pompeius in quinquennium, poſteaq. tertium conſul altera lege in alterum quinquennium, ut ait Dio, uel, ut Plutarchus, in quadriennium accepiſſet. reliquae tres erant: e quibus duas tantum decerni oportuit lege Sempronia. inuenta ratio eſt, ut ex tribus una tolleretur; praetoriamq. ſenatus Ciliciam facere conatus eſt. Sed tribuni pl. Pompeianorum arte cognita, interceſſerunt. Poſt alterum tamen annum, Lentulo, & Marcello cos. hoc arbitror ſenatus conſultum, ſpreta tribunorum pl. interceſsione, renouatum, Ciliciamq. praetoriam eſſe factam: cum apud Caeſarem lib. I. de bel. ci. mentionem fieri uideam de prouincijs duabus conſularibus, Gallia, & Syria, in ſortem coniectis, quarum Gallia L. Domitio, Syria Scipioni obuenit. quamquam in eo loco de una tantum Gallia ulteriore intelligendum: nam citeriorem ſenatus praetoriam fecit. id ex ep. XI. ad Tironem, lib. XVI. cognoui, ſcribente Cicerone, ulteriorem Domitio Galliam, Conſidio autem, quem ſcimus conſulem non fuiſſe, citeriorem obtigiſſe. IIX. RELIQVAS. *prouincias*,} praetoriae octo prouinciae ſunt, Macedonia, Ionia,

Aſia,

Aſia, Sicilia, Sardinia, Bithynia, Creta. octauam opinor fuiſſe Mauritaniam: cuius partem Iuba rex poſsidebat: alteram partẽ Romanis paruiſſe cur non putem? cum Caeſar lib.1.de bello ci. ita ſcripſerit: Ad ſenatum refertur, tota ut Italia delectus habeatur, Fauſtus Sulla pro praetore in Mauritaniam mittatur. Africae uero partem illam, in qua Carthago fuit, Pompeio cum utraque Hiſpania traditam eſſe, Plutarchus narrat. Pontus cum Bithynia, Corſica cum Sardinia coniungebatur. PRAETORII *propraetores*} cum imperio tamen omnes: quod belli gerendi cauſſa neceſſarium fuit: de quo Caeſar his uerbis lib. 1. de bel.ci. In reliquas prouincias praetorij mittuntur: neque exſpectant, quod ſuperioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum feratur. Et hic proxime ſequitur, Neque in prouincia cum imperio fuerunt. In uulgatis, Praetorij propraetore. fortaſſe legendum, Praetorij pro praetoribus. quod poſtulare uidetur uſus Latinae linguae. & a contracta ſcribendi ratione manare mendum facile potuit. COLLEGIVM *primum*} ſignificantur qui proxime praetores fuerunt: qui, ſi praeteriti numerentur, primi occurrunt. malim tamen, Proximum: quomodo locutus eſt infra. IS. NVMERVS} nouem, qui proficiſcerentur in octo prouincias praetorias, & unam Ciliciã, quae hoc anno regebatur a Cicerone conſulari. CONFIDENTIAM} ut confiderent homines, uelle Pompeium potentiae Caeſaris obſiſtere, contra quam antea fecerat: nam anno proximo tertium conſul contenderat, ut decem tribuni pl. legem ferrent, ut abſenti Caeſari conſulatum petere liceret: quod antiquis legibus interdictum erat. ANTE *Kal.Mart.*} quo die primum ut ſequentis anni conſules de prouincijs conſularibus referre inciperent, ſenatus decreuerat: ut e S.C. proxime recitato cognoſcitur. SINE *iniuria*} fieret enim iniuria, ſi ante Kal.Mart. quem diem relationi primum ſenatus conceſſerat, de prouincijs conſularibus, in quibus erant Galliae, ſtatueret. iam enim oſtendi, cum de ſucceſsione conſularium prouinciarum referretur, duas tantum ſignificari, Gallias, & Syriam, cupientibus optimatibus Hiſpaniarum imperium Pompeio conſeruari; Caeſaris autem opes, adeptis Gallijs, imminui. SE. NON *dubitaturum*.} quod hominibus confidentiam attulit. his enim uerbis animo ſe contra Caeſarem egregie paratum oſtendebat. INTERCEDERENT;} interceſſum eſt a Curione tribuno pl. quod iniquum uideretur, ei ſucceſſorem mitti ante tempus ep. 12. HOC *nihil intereſſe*,} oſtendit, ſi quis interceſſerit S.C. quod anno ſequenti de prouincijs conſularibus factum iri conſtabat, id Caeſaris opera factum iri: quod idem fore, ac ſi Caeſar parere ſenatui nollet. iam enim antea coniecerat illam uocem in diſputando, omnes oportere ſenatui dicto audientes eſſe. ep. 4. INQVIT *alius*,} tentabant ſenatores Pompeij potentiam his interrogationibus; cum eius uoluntatem, naturali ſimulationis inuolucro tectam, elicere uellent. EXERCITVM *habere*} & Gallias retinere cum exercitu, & eodem tempore conſul deſignari: quod anno proximo, ipſo Pompeio tertium conſule pro Caeſare pugnante, populus iuſſerat. CLEMENTER:} leniter, & placide. opponi enim a Cicerone uideo Clementer, & Iracunde, lib.2. de Fin. Etſi ſatis, inquit, clemens ſum in diſputando, tamen interdum ſoleo ſubiraſci. Non enim Pompeius iracunde reſpondit, quamquam interrogaretur ſatis arroganter: cum non eſſet ad iracundiam natura propenſus. FVSTEM *mihi impingere*} quod eſſe turpiſsimum nemo negabit. tale igitur quiddam Caeſar committet, ſi & conſul eſſe, & exercitum retinere uolet. qui enim conſul eſſe uult, exercitum dimittit, priuatuſq. urbem ingreditur. Improbat hic Pompeius eam legem, quae ut ferretur, anno proximo conſul ipſe operam dederat, ut abſentis Caeſaris in petitione conſulatus ratio haberetur. ep. 6. lib. VI. ESSE *negotium*,} eſſe, quod ageret cum Caeſare, id eſt contra Caeſaris uoluntatem. VT. AVT *maneat*,} in Gallia, prorogato ultra decennium imperio. quod ſi concederetur; nolle ſe conſulatum petere affirmabat, nec abſentis ſui rationem haberi; quod tamen ei lex dederat. Sin hanc Pompeiani conditionem recuſarent, eumq. omnino uellent non modo expleto decennio, lege conceſſo, ſed etiam ante, decedere: ipſe pariter hoc, ut iniquum, recuſabat, ferebatq. alteram condicionem, ut, ſi conſul deſignatus eſſet, tum decederet. utraque autem condicione Caeſar imperij perpetuitatẽ quaerebat, qui uereretur id, quod inimicos ei mirari ſolitos Tranquillus refert, ne, ſimul ac priuatus eſſet, ob res in conſulatu contra leges, moremq. maiorum actas in iudicium uocatus opprimeretur. Tranquillus ſic: Timuiſſe dicunt, ne eorum, quae primo conſulatu aduerſus auſpicia, legesq. & interceſsiones geſsiſſet, rationem reddere cogeretur: cum M. Cato identidem, nec ſine iureiurando, denunciaret, delaturum ſe nomen eius, ſimul ac primum exercitum dimiſiſſet: cumq. uulgo fore praedicaret, ut, ſi priuatus rediſſet, Milonis exemplo, circumpoſitis armis, cauſſam apud iudices diceret. quod probabilius facit Aſinius Pollio, Pharſalica acie caeſos, profligatoſq. aduerſarios proſpicientem, haec eum ad uerbum dixiſſe referens, Hoc uoluerunt: tantis rebus geſtis C.Caeſar condemnatus eſſem, niſi ab exercitu auxilium petijſſem. Idem confirmat Coelius ep. 14. cum ait: Caeſari perſuaſum eſt, ſe ſaluum eſſe non poſſe, ſi ab exercitu receſſerit. HOC. ANNO} quo anno? an, hoc, quo ſcribitur epiſtola? non petebat Caeſar, neque legitimus hic erat ad petendum annus: cum inter duos conſulatus decem anni interponerentur. quod a Sulla dictatore ad Caeſarem dictatorem ſeruatum eſt, excepto anno, cum, ob ſeditiones domeſticas, Pompeius tertium conſul ſine collega creatus eſt. Ergo, Hoc anno, interpretor, eo, qui & imperij Gallici, & poſt primum conſulatum Caeſari decimus erat: quo quidem anno, quia neceſſe erat, ut e Gallia decederet conſulatus petendi cauſſa, quem abſentibus petere nõ licebat; ideo curauerat, atque effecerat, ut decem tribuni pl. Pompeio III. conſule legem ferrent, ut abſentis Caeſaris in petitione conſulatus ratio haberetur. atque hoc Pompeius ipſe, ignarus ea lege ſibi perniciem ſtrui, uehementer laborauit. ep. 6. lib. VI. & 3. lib. VII. ad Atticum. CVRIO} deſignatus tribunus pl. tunc quidem, ut uidebatur, bene erga remp. animatus: de quo ſcriptum eſt ep. 4. Vt ſpero, & uolo, & ut ſe fert ipſe, bonos, & ſenatum malet. Poſtea tamen Caeſaris cauſſam ita defendit acriter, ut auctor in primis, & origo belli ciuilis exſtiterit. CADERE *non poſſe*.} fortaſſe non aſſequetur, quod uult: nihil tamen, cum

bene

bene de rep. ſentiat, ſuae dignitatis amittet. SVO *munere negotium impoſuit.*} quia benignus, & liberalis Curio fuit in Coelium, negotium ei, ideſt grauem curam ludorum dandorũ ſuo munere impoſuit. Similiter Plautinus ille ſenex in Trin. In benignitate hoc reperi negotium. AD. LVDOS} quos iam Curio dederat patri mortuo: itaque, cum Africanis amplius non egeret, donauit eas Coelio aedili cur. deſignato, ad ſequentis anni Romanos ludos. AFRICANAE;} donauit ei Curio decem Africanas pantheras, & decem Graecas, ideſt e Cilicia miſſas a Patiſcho. Africanas hic tantum Coelius nominat, quia formoſiores: utraſque in epiſtola nona. POTVIT *ſuperſedere.*} ſic antiqui libri, non, ut impreſsi, Superſederi. oportuit, inquit, ſuperſedere a ludis dandis. nam, Potuit, pro oportuit, interdum Cicero dixit, ut epiſt. 9. lib. 2. ad Atticum: Orbis hic in rep. eſt conuerſus, citius, omnino, quam potuit. Et ad eundem epiſt. 15. eiuſdem libri: Potuerit intercedi, nec ne, nihil ad ſe pertinere. BESTIARVM} pantherarum. SYNGRAPHAM} de qua epiſtola 2. 4. 6. 11. PERTINEBAT,} miſerat eos Coelius, ut e ſyngrapha Sittiana pecuniam exigerent. ep. 4. & 6.

## Argumentum ep. 9.

*GLoriatur aedilem ſe deſignatum, Hirrum repulſum: de rep. nihil actum ſignificat: pantheras petit: Feridium commendat: addit de Pompeij, ac Scipionis in Caeſarem animo: diſertum in ſua defenſione Calidium, in accuſatione frigidum appellat. Tota, praeter Feridij commendationem, quae ab officio proficiſcitur, negotialis eſt epiſtola.*

### *M. Coelius S. D: M. Ciceroni.* 9.

*SIC tu, inquis, Hirrum tractaſti? immo, ſi ſcias, quam facile, quam ne contentionis quidem minimae fuerit; pudeat te, auſum illum umquam eſſe incedere tamquam tuum competitorem. poſt repulſam uero riſus facit: ciuem bonum ludit, & contra Caeſarem ſententias dicit: exſpectationẽ corripit: Curionem prorſus non mediocriter obiurgatus. hac repulſa ſe mutauit. praeterea, qui numquam in foro apparuerit, non multum in iudicijs uerſatus ſit, agit cauſſam liberalis, ſed raro poſt meridiem. De prouincijs quod tibi ſcripſeram idibus Sext. actum iri, interpellat iudicium Marcelli conſulis deſignati. in Kal. reiecta cauſſa eſt. ne frequentiam quidem efficere potuerant. has litteras ad VI. non. Sept. dedi, cum ad eam diem ne profligatum quidem quidquam eſſet. ut uideo, cauſſa haec integra in proximum annum transferetur: &, quantum diuino, relinquendus tibi erit, qui prouinciam obtineat. nam non expedietur ſucceſſio: quando Galliae, quae habent interceſſorem, in eandem condicionem, quam ceterae prouinciae, uocantur. hoc mihi non eſt dubium: quo tibi magis ſcripſi, ut ad hunc euentum te parares. Fere litteris omnibus tibi de pantheris ſcripſi. turpe tibi erit, Patiſchum Curioni decem miſiſſe, te non multis partibus plures: quas ipſas Curio mihi, & alias Africanas decem donauit: ne putes illum tantum praedia ruſtica dare ſcire. tu, ſi modo memoria tenueris, & Cibyratas accerſieris, itemq. in Pamphyliam litteras miſeris: (nam ibi plures capi aiunt) quod uoles, efficies. hoc uehementius laboro nunc, quod ſeorſum a collega puto mihi omnia paranda. Amabo te, impera tibi: hoc cura: ſoles libenter, ut ego, maiorem partem nihil curare. in hoc negotio nulla tua, niſi loquendi, cura eſt, hoc eſt imperandi, & mandandi. nam, ſimul atque erunt captae; qui alant eas, & deportent, habes eos, quos ad Sittianam ſyngrapham miſi. puto, etiam ſi nullam ſpem mihi litteris oſtenderis, me iſto miſſurum alios. M. Feridium, equitem Romanum, amici mei filium, bonum, & ſtrenuum adoleſcentem, qui ad ſuum negotium iſtuc uenit, tibi commendo: & te rogo, ut eum in tuorum numero habeas. agros, quos fructuarios habent ciuitates, uult tuo beneficio, quod tibi facile, & honeſtum factu eſt, immunes eſſe. gratos, & bonos uiros tibi obligaris. Nolo te putare Fauonium a columnarijs praeteritum. optimus quiſque eum non fecit. Pompeius tuus aperte; Caeſarem prouinciam tenere cum exercitu, & conſulem eſſe: tamen hanc ſententiam dixit, nullum hoc tempore S. C. faciendum: Scipio hanc, ut Kal. Mart. de prouincijs Gallijs, neu quid coniunctim, referretur. contriſtauit haec ſententia Balbum Cornelium: & ſcio eum conqueſtum eſſe cum Scipione. Calidius in defenſione ſua fuit diſertiſſimus, in accuſatione ſatis frigidus. Vale.*

## EXPLANATIO

HIRRVM *tractaſti?*} iocoſum, & familiare principium, de Hirri repulſa in aedilitate curuli. QVAM *facile,*} cum ſuperauerim. QVAM *ne contentionis quidem minimae fuerit;*} Hirrum deijcere, ne minimae quidem contentionis fuit. TVVM. COMPETITOREM.} in augurata. ep. 3. RISVS *facit:*} riſus mouet: quia ciuem bonum ludit, & agit ea, quae ante repulſam non agebat: quaſi

aliam

aliam ex repulſa mentem ſumpſerit. LVDIT,} quaſi ludendo repraeſentat: nam, ſi bonus uere ciuis eſſet, iam antea ſignificationem aliquam dediſſet. itaque non agit ſerio, ſed ludit. CONTRA *Caeſarem*} ut bene ſentire uideatur. nam optimatibus, ideſt uniuerſo fere ſenatui, inuiſus erat Caeſar, quod extraordinaria ſemper appetijſſet imperia. SENTENTIAS *dicit*:} ut ei quamprimum ſuccedatur: nec exſpectandum cenſet. CORRIPIT:} reprehendit. eodem uerbo uſus eſt ep. 2. CVRIONEM} cur obiurgat Hirrus, contra Caeſarem ſententias dicens, bene de rep. ſentientem Curionem, & hoc quidem tempore Caeſaris inimicum? fortaſſe, quia Coelium Curio ſumme diligeret. OBIVRGATVS.} pro Obiurgauit: ut, Iuratus, Pro Iurauit; & Rebellatos, pro Rebellauiſſe, dixit Valerius Max. lib. IX. cap. 10. Interdum tamen orta mihi de mendo ſuſpicio eſt: quod fortaſſe ſcripſerit Coelius: Obiurgat. ſcilicet hac repulſa ſe mutauit. &, Scilicet unica ſcriptum littera S, occaſionem dederit loci deprauandi. omnes tamen libri ueteres in, Obiurgatus, conſentiunt. itaque poteſt antiquum eſſe, & ideo Coelianum. IN. FORO} cuius in ea parte, quae Comitium uocabatur, iudicia fiebant. CAVSSAM} pro cauſſas. LIBERALIS,} quia facilis eſt in recipiendis cauſsis. RARO *poſt meridiem*.} & ante meridiem, & poſt cauſſae agebantur. epiſt. ultima lib. 2. ad fratrem: Poſt meridiem Vatinium aderam defenſurus. Hirri autem patrocinio ita pauci utebantur, ut raro poſt meridiem cauſſas ageret. SCRIPSERAM} ep. 4. INTERPELLAT} impedit, ob affinitatem: nam erat Octauiae maritus. quae neptis fuit Iuliae, Caeſaris ſororis. initio etiam ciuilis belli, cum prouinciarum ſortitio fieret, priuato conſilio praeteritus eſt, quaſi propenſior eſſet ad Caeſaris cauſſam. lib. I. comm. de bel. ci. DESIGNATI.} de quo ſcripſit ep. 4. Sigonij liber habet, Deſignatio. IN. KAL.} Septembris. quo tamen die factum non eſt S. C. ſed pridie Kal. Oct. ut indicat epiſtola proxima. CAVSSA} hoc uerbum & a Sigonij libro, & ab alijs non nullis abeſt. NE *frequentiam quidem*} tantum abeſt, ut Kal. Sept. conſules de prouincijs ad ſenatum retulerint, ut ne frequentem quidem ſenatum cogere potuerint. in frequenti autem ſenatu fieri ſenatus conſultum non licebat: qua de re diximus ep. 9. lib. I. NE *profiigatum quidem*} plus eſt, quam coeptum; minus, quam confectum. cognoſcitur exemplis. nam ep. 30. lib. 12. Profligato, inquit, bello, ac paene ſublato, renouatum bellum gerere conamur. Et Tuſc. 5. Profligata iam haec, & paene ad exitum adducta quaeſtio eſt. In oratione autem de prouincijs: Si in Capitolium inuehi uictor cum illa inſigni laurea geſtiret; uos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata ſunt, confici nolle. Eſt igitur Profligatum, quod in eadem oratione Affectum Cicero uocauit. Quid eſt, inquit, cur Caeſar in prouincia commorari uelit; niſi ut ea, quae per eum affecta ſunt, perfecta reip. tradantur? INTEGRA} falſum. nam pridie Kal. Oct. factum eſt S. C. de prouincijs conſularibus. niſi ſi, Integra, uere dictum ideo putemus, quia nihil in eo S. C. de ſucceſsione prouinciarum decretum eſt, ſed in annum ſequentem actio illa tranſlata. RELINQVENDVS} reliquit C. Coelium quaeſtorem. ep. 15. lib. 2. & ad Att. ep. 6. lib. VI. INTERCESSOREM,} intercedetur enim ab aliquo tribuno pl. cum de ſucceſſione conſularium prouinciarum, quarum una erunt Galliae, S. C. fiet. IN *eandem condicionem*,} ut, quemadmodum in ceteras prouincias, ſic in Gallias ſucceſſor mittatur. VOCANTVR.} a Pompeianis, quorum factio in ſenatu dominabatur. PATISCHVM} hominem uenandi peritum. ep. XI. lib. 2. CVRIONI} quas populo oſtenderet funebribus ludis, quos patri mortuo reuerſus e prouincia dedit, Caluino & Meſſalla cos. MVLTIS *partibus plures*:} multo plures. uide ep. 2. lib. I. ET *alias Africanas*} nam Graecas miſerat Patiſchus: ut ex ep. 9. intelligitur. Varro lib. III. rei ruſt. Non minus formoſum ſpectaculum, quam in circo maximo aedilium, non ſine beſtijs Africanis cum fiunt uenationes. Daturus erat Coelius aedilis cur. ludos Romanos in circo: alioqui pātheris Africanis non eguiſſet. docet enim Plinius lib. 8. cap. 17. uetus fuiſſe S. C. ne liceret Africanas in Italiam aduehere: contra tuliſſe ad populum Cn. Aufidium tribunum pl. permiſiſſeq. circenſium gratia importare. PRAEDIA *ruſtica*} Praedium generale nomen eſt, rerum poſſeſſarum uel in urbe, uel extra. ideo diſtinguuntur, cum dicimus, praedia urbana, praedia ruſtica. Coelius hic urbanis ruſtica, tanquam fructuoſiora, uidetur anteferre. quae ſunt haec, arua, uineta, prata, oliueta, ſiluae. nemora enim, etſi a ſiluis differunt, e ſiluis tamen, & pratis conſtant. itaque partim caeduntur, ut ſiluae, partim armentis, ut prata, pabulum praebent. urbana uero praedia ſunt domus, areae, horti, & quidquid omnino ſoli, aut in ſolo aedificatum, intra pomerium poſſidetur. CIBYRATAS} apud quos pantherae capiebantur. epiſt. 4. SEORSVM} nam, ſi coniunctim ludi darentur, minor utriuſque ſumptus. C. Caeſar, & M. Bibulus, aediles curules, communi ſumptu ludos dederant: alij ſeparatim. Dio lib. XXXIX. A COLLEGA} qui non nominatur: ſed M. Octauium puto: cum & Hirrus repulſam tulerit; & Coelium Vicinianum promulgatio de dictatore deiecerit. alios praeterea competitores, quod quidem ex his epiſtolis cognoſci liceat, non habuit. OMNIA} quae ad ludos pertinent. IMPERA. TIBI:} imperare ſibi dicitur is, qui, quod libenter non agit, agere tamen cōſtituit: ut ep. 12. Cum homo auarus, ut ea ſolueret, ſibi imperare nō poſſet. Et ad Att. ep. 24. lib. XI. Quod me mones de uultu, & oratione ad tempus accommodanda: & ſi difficile eſt, tamen imperarem mihi, ſi mea quidquam intereſſe putarem. Et Terentius in Eun. Imperaui egomet mihi, omnia aſſentari. MAIOREM *partem*} pro, Ex maiore parte: ut ep. 15. lib. IX. Mihi licere, res has non omnino quidem, ſed magnam partem relinquere. Et alibi ſaepius. Et Caeſar lib. IV. de bel. Gal. Maximam partem lacte, atque pecore uiuunt. Et Lucretius lib. III. Non minimam partem mortis formidine aluntur. AD SITTIANAM *ſyngrapham*} ut e ſyngrapha Sittiana pecuniam iſtic exigant. NVLLAM. SPEM} Alij, Vllam ſpem. quod uidetur apertius, hoc modo: Puto etiam, ſi ullam de pantheris mihi ſpem oſtendes, me iſto miſſurum alios. Sigonij tamen liber habet, Nullam. quod ita defendi poteſt: puto, licet nul-

 Iam adhuc de pantheris mihi ſpem oſtenderis, me iſto miſſurum alios. FERIDIVM,} commendaticiae litterae, pro negotiorum uarietate, uarias quoque partes, easq. modo plures, modo pauciores habent. ſed uſitata, & quaſi legitima, cum aliquid, aut aliquem commendamus, tria ſunt; commendationis cauſſa; rei narratio; memoris animi, & gratae uoluntatis uel ab eo, qui commendatur, uel a nobis etiam ipſis promiſsio. Commendationis cauſſa hic eſt illa; Amici mei filium, bonum, & ſtrenuum adoleſcentem: rei narratio; Agros, quos fructuarios habent ciuitates, uult tuo beneficio immunes eſſe: memoris animi promiſsio; Gratos, & bonos uiros tibi obligaris. EQVITEM *Romanum,*} non omnes equites dicebantur equites Romani, ſed ij tantum, qui equo publico merebant, in centurias deſcripti: quod duae in Antonium orationes, ſexta, & ſeptima, declarant. qui enim equo priuato militabant, equites quidem erant, ſed nec equites Romani, nec equeſtris ordinis uocabantur. ſocietates autem publicanorum, quae multae erant, quia multorum locorum uectigalia ſeparatim locabantur, ex equitibus Romanis conſtabant. & erat equeſtris ordo ſenatoribus dignitate proximus, anulo aureo, & equo publico a plebe diſtinctus. quocirca deduxit Cicero commendandi cauſſam ab honeſtate, cum Feridium equitem Romanum appellauit. BONVM, ET. STRENVVM} quae bonitati laus debetur, ea fit maior, cum ad bonitatem accedit induſtria. recte igitur, Bonum, & ſtrenuum, coniuncta ſunt. eſt autem ſtrenuus, promptus & induſtrius in agendo. AGROS, *quos fructuarios habent ciuitates,*} ita legitur in duobus uetuſtis libris, Io. Scalae, & in libro Petri Bembi, etiam in uno Caroli Sigonij. itaque nihil muto, cum ſit aperta ſententia. QVOS *fructuarios habent ciuitates,*} qui ciuitatibus annuum uectigal pendunt. FACILE,} cum imperium habeas. HONESTVM} fortaſſe, quia uectigal magnum non eſt. alioqui, cur honeſtum ſit, imminuere uectigalia ciuitatum, non intelligo. GRATOS, *& bonos uiros*} patrem, & filium. FAVONIVM} ciuem optimum, M. Catonis imitatorem, qui, C. Trebonio tribuno pl. legem ferente de Syria Craſſo, utraque autem Hiſpania Pompeio in quinquennium mandandis, acerrime cum Catone reſtiterat. Dio lib. 39. Aedilis fuit Caluino & Meſſalla cos: ut Plutarchus in Catone ſignificat. itaque hic annus, quo ſcripta eſt epiſtola, ad petendam praeturam, quae, biennio interpoſito, aedilitatem ſequebatur, ei legitimus eſt. petijt autem, & obtinuit. propterea Velleius, Pompeio, poſt Pharſalicam pugnam fugienti, comites ait fuiſſe duos Lentulos conſulares, & Fauonium praetorium. Eodem pertinent, quae ſequuntur, A columnarijs praeteritus. nam, praeteriri, eſt repulſam ferre: ut in oratione pro Plancio: Populus non numquam dignos praeterire ſolet. Et Tuſc. v. Cum ſapiens, & bonus uir ſuffragijs praeteritur. Quod ſi quis dixerit, incertum eſſe, utrum hoc anno, an ſequenti praetor Fauonius creatus ſit; quia, cum Velleius eum praetorium appellauit, praetorem quidem fuiſſe oſtenderit, praeturae tamen annum in dubio reliquerit: ita reſpondebimus, tranſeunti in Graeciam Pompeio magiſtratus eos, qui bene de rep. ſentire uiderentur, comites fuiſſe: quos cum nominari uideamus ep. 6. lib. IX. ad Att. conſules duos, & tribunos pl. nulla cuiuſquam praetoris mentione facta: ſatis conſtat, Fauonium, quo anno Pompeius Italiam reliquit, ideſt Lentulo & Marcello cos. praetorem non fuiſſe: ex quo ſequitur, fuiſſe anno ſuperiore, Paullo & Marcello cos. ideoq. deſignatum Sulpicio & Marcello, quibus conſulatum gerentibus Coelius haec ſcripſit. Fauonium hunc uſque ad triumuiratum Octauiani, Antonij, Lepidi uitam perduxiſſe, oſtendit Suetonius his uerbis in Auguſto: Ceteri, & in his M. Fauonius, ille Catonis aemulus, cum catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice ſalutato, hunc foediſsimo conuicio coram proſciderunt. Eiuſdem in eo libertas agnoſcitur, quod a Valerio ſcriptum eſt libro 6. cap. 2. nam Pompeio, candida faſcia crus alligatum habenti, Non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema: exigui panni cauillatione, regias eius uires exprobrans. A COLVMNARIIS} non eſt praeteritus a columnarijs, ſed a uiris bonis: quorum numerus minor eſt. Columnarios dici puto uiles, & improbos homines, qui ad columnam Maeniam in iudicium ſaepe uocarentur. Vide Pedianum in Diuin. & orationem pro Cluentio. Nam qui, Colonarijs, contra ueteres omnes libros legendum exiſtimarunt, eorum iam exploſa ſententia eſt. NON. FECIT.} praetorem. APFRTE,} dictitat. CONSVLEM. ESSE:} ſubaudiendum, Velle. in epiſtola proxima, quae tamen poſt hanc ſcripta eſt: Quid ſi & conſul eſſe, & exercitum habere uolet? TAMEN} tamen in ſententia, quam dixit, non omnino infenſus Caeſari uiſus eſt. SENTENTIAM. DIXIT,} in ſenatu extra urbem habito: nam in urbe Pompeio, qui erat cum imperio, eſſe non licebat: quod & Caeſar ſcripſit lib. I. de bel. ci. NVLLVM *hoc tempore S. C. faciendum:*} opinor, hoc eſſe, quod queritur Cicero ep. 3. lib. IIX. ad Att. Pompeium M. Marcello conſuli finienti prouincias Gallias Kal. Mart. reſtitiſſe. SCIPIO} Pompeij ſocer, nominatus in S. C. Q. Caecilius Metellus Pius Scipio, quod a Metello Pio eſſet adoptatus. ep. proxima. GALLIIS,} nominatim: quod iniquum erat: itaque pridie Kal. Oct. de prouincijs conſularibus, non de Gallijs nominatim, S. C. factum eſt. ep. 7. De hac autem ſententia Scipionis audierat Cicero, cum ad Atticum ep. 20. lib. 7. ita ſcripſit: Eſt totum, quid Kalendis Martij futurum ſit. BALBVM *Cornelium:*} Gaditanum, Caeſaris amantiſsimum, pro quo exſtat Ciceronis oratio. CVM. SCIPIONE.} gentiles enim erant. CALIDIVS} eloquentia clarus, de quo ep. 4. DEFENSIONE} cum accuſaretur a Gallis duobus. ep. 4. ACCVSATIONE} cum accuſaret Q. Gallium, Cicerone defendente: ut eſt in libro de claris oratoribus.

## Argumentum ep. 10.

*QVid C. Caſsius, quid rex Deiotarus de Parthorum tranſitu ſcripſerint, qui ex eo ſermones excitati, quae de Caſsio ſuſpicio, ſignificat. Subiungit de rep. quae putet actum iri anno ſequenti. Concludit epiſtolam officio ſuo; cum ſe praeſtaturum promittat, ne quid ei temporis in prouinciali munere prorogetur.*

### *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 10.

SANEQVAM *litteris C. Caſſi, & Deiotari ſumus commoti. nam Caſſius, cis Euphratem copias Parthorum eſſe, ſcripſit; Deiotarus, profectas per Commagenem in prouinciam noſtram. ego quidem praecipuum metum, quod ad te attinebat, habui, qui ſcirem quam paratus ab exercitu eſſes, ne quod hic tumultus dignitati tuae periculum afferret. nã de uita, ſi paratior ab exercitu eſſes, timuiſſem. nunc haec exiguitas copiarum, receſſum, non dimicationem mihi tuam praeſagiebat. hoc quo modo acciperent homines, quam probabilis neceſſitas futura eſſet; uereor etiam nunc, neque prius deſinam formidare, quam tetigiſſe te Italiam audiero. ſed de Parthorum tranſitu nuncij uarios ſermones excitarunt. alius enim, Pompeium mittendum; alius, ab urbe non remouendum; alius, Caeſarem cum ſuo exercitu; alius, conſules; nemo tamen, ex* S. C. *priuatos. conſules autem quia uerentur ne illud* S. C. *fiat, ut paludati exeant; & contumelioſe praeter eos ad alium res transferatur, omnino ſenatum haberi nolunt: uſque eo, ut parum diligentes in rep. uideantur. ſed honeſte, ſiue negligentia, ſiue inertia eſt, ſiue ille, quem propoſui, metus, latet ſub hac temperantiae exiſtimatione, nolle prouinciam. a te litterae non uenerũt: &, niſi Deiotari ſubſecutae eſſent, in eam opinionem Caſſius uenerat; quae diripuiſſet ipſe, ut uiderentur ab hoſte uaſtata, finxiſſe bellum, & Arabas in prouinciam immiſiſſe, eosq. Parthos eſſe ſenatui renunciaſſe. quare tibi ſuadeo, quicumque eſt iſtic ſtatus rerum, diligenter, & caute perſcribas; ne aut uelificatus alicui dicaris, aut aliquid, quod referret ſcire, reticuiſſe. Nunc exitus eſt anni: nam ego has litteras ad* XIV. *Kal. Dec. ſcripſi. plane nihil uideo ante Kal. Ian. agi poſſe. noſti Marcellum, quam tardus, & parum efficax ſit, itemq. Seruium, quam cunctator. cuiuſmodi putas hos eſſe? aut quam id, quod nolint, conficere poſſe, qui, quae cupiunt, tamen ita frigide agunt, ut nolle exiſtimentur? nouis magiſtratibus autem, ſi Parthicum bellum erit, haec cauſſa primos menſes occupabit. ſin autem aut non erit iſtic bellum, aut tantum erit, ut uos, aut ſucceſſores, paruis additis copijs, ſuſtinere poſſint: Curionem uideo ſe dupliciter iactaturũ; primum, ut aliquid Caeſari adimat; inde, ut aliquid Pompeio tribuat, quoduis, quamlibet tenue munuſculum. Paullus porro non humane de prouincia loquitur. huius cupiditati occurſurus eſt Furnius noſter. plures ſuſpicari non poſſum. Haec noui. alia, quae poſſunt accidere, non cerno. multa tempus afferre, & praeparata multa ſcio: ſed intra fines hos, quaecumque acciderint, uertentur. Illud addo, ad actiones C. Curionis, de agro Campano: de quo negant Caeſarem laborare, ſed Pompeium ualde nolle; ne uacuus aduenienti Caeſari pateat. Quod ad tuum deceſſum attinet, illud tibi non poſſum polliceri, me curaturum, ut tibi ſuccedatur: illud certe praeſtabo, ne quid amplius prorogetur. tui conſilij eſt, ſi tempus, ſi ſenatus coget, ſi honeſte a nobis recuſari non poterit, uelis ne perſeuerare. mei officij eſt meminiſſe, qua obteſtatione decedens, mihi, ne paterer fieri, mandaris. Vale.*

## EXPLANATIO

C. CASSII,} quaeſtoris M. Craſsi, a Parthis interfecti: qui reliquias exercitus Antiochiam reduxerat. ep. 10. lib. 2. Caſsius noſter feliciter ab Antiochia hoſtem reiecerat. Et ep. 18. lib. v. ad Att. Parthi, inquit, Euphratem tranſiuerunt, duce Pacoro, Orodis regis Parthorum filio; cunctis referto copijs. Caſsius in opido Antiochiae cum omni exercitu. Et ep. 20. eiuſdem libri: Rumore aduentus noſtri, & Caſſio, quid Antiochia tenebatur, animus acceſsit, & Parthis timor iniectus. itaque eos cedentes ab opido Caſsius inſecutus, rem bene geſsit. qua in fuga, magna auctoritate Oſaces dux Parthorum uulnus accepit, eoq. interijt paucis poſt diebus. De hac uictoria ſignificatur in epiſtola 14. lib. xv. accedit Velleius lib. 2. Iuſtinus lib. XLII. DEIOTARI} Gallograeciae regis; qui amicitiam, ac ſocietatem populi Romani, quam diu uixit, ſtudioſiſsime coluit; in hoc autem Parthico tumultu cum omnibus ſuis copijs ad Ciceronem acceſsit. ad Att. epiſt. 20. lib. v. & ep. 1. lib. VI. EVPHRATEM} terminum imperij Romani. PER *Commagenem*} Aſiae regionem, quam Euphrates interfluit. ep. 1. lib. xv. Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nunciarunt, Parthorum magnas copias Euphratem tranſire coepiſſe. Et in eodem libro, ep. 3. 4. PROVINCIAM *noſtram.*} nam Commagene non erat populi Romani, ſed regis Antiochi. Syriam ſignificat: quod ex epiſtola 1. lib. xv. & ad Att. ep. 18. lib. v. cognoſcitur. QVAM *paratus ab exercitu*} Quam, non auget hic, ſed minuit: ut paullo poſt: Sin autem aut non erit iſtic bellum, aut tantũ

erit, ut uos, aut ſucceſſores, paruis additis copijs, ſuſtinere poſsint. Et ep. 7. Ea, quae ſcripta eſt, auctori-
tas, tantam uim habet, ut magis iratorum hominum ſtudium, quam conſtantis ſenatus conſilium eſſe ui-
deatur. Dixit igitur, Quam paratus, pro, quam male paratus. quod oſtendit ſequentibus uerbis, Si para-
tior ab exercitu eſſes. Sic locutus Plancus ep.8.lib.x. Cum ab omni re ſimus paratiores. Et Cicero ep.4. lib.
xv. Adoleſcens & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus. SI *paratior ab exercitu eſſes*,} fretus enim
exercitu, cum Parthis proelium committeres. NECESSITAS} tua, recedendi, ob exiguitatem co-
piarum. POMPEIVM} qui erat ad urbem cum imperio, decreta illi in quinquennium utraque Hiſpa
nia. MITTENDVM;} ad bellum Parthicum. AB. VRBE *non remouendum*;} ut eſſet reip. prae-
ſidio. hoc ſentiebant ij, quibus iam tum ſuſpecta erat Caeſaris potentia. itaque Cicero, cum audijſſet Pom-
peium in Hiſpaniam iturum, ſcripſit ad Appium his uerbis ep.8.lib.III. Velim ad me ſcribas de omni reip.
ſtatu: de quo ſum ſolicitus eo magis, quod ex tuis litteris cognoui Pompeium noſtrum in Hiſpaniam itu-
rum. CAESAREM} qui bellum in Gallia gerebat. CONSVLES;} huius anni, M. Marcellum,
& Ser. Sulpicium. EX *ſenatus conſulto*} nemo putat, priuatos ad bellum Parthicum ex S. C. tantum
eſſe mittendos, uerum rogationem ad populum ferendam eſſe: ſicuti lata erat antea de belli Mithridatici cu
ra priuato Pompeio demandanda. exſtat pro ea lege, quam Manilius trib.pl. tulit, Ciceronis oratio. Priua-
tos oppoſuit Pompeio, & Caeſari, qui extra urbem imperium habebant, & conſulibus, qui in urbe. NE
ILLVD *S.C. fiat*,} quod interdum, in tumultu bellico, fieri ſolitum eſt. VT *paludati exeant*,} non
tam ipſi, quam alij fortaſſe, quibus Parthicum bellum ſenatus mandandum decerneret. hanc ſententiam
quae proxime ſequuntur uerba confirmant. Paludamentum ueſtis ducum in bello, & ad bellum ex urbe
profiſciſcentium. ep.17. lib.xv. uide Feſtum. CONTVMELIOSE} eſſet enim eorum contumelia, ſi
ad bellum ire nollent, & ad alium res transferretur. SIVE *negligentia, ſiue inertia eſt*,} diſtinguit, ut
diuerſa. negligentia enim uoluntatis eſt, inertia etiam inſcientiae: unde illud ep. 20. lib. XII. Laceſſam; nec
tua ignauia, etiam inertiam afferet. IN. EAM *opinionem*} male enim audiebat auaritiae nomine. Plu-
tarchus in Bruto. ARABAS} qui cum eſſent finitimi, non numquam in populi Romani prouinciam
impetum facere ſoliti ſunt. ep. 8. lib. III. De Parthis quod quaeris, fuiſſe nullos puto. Arabes qui fuerunt,
admiſto Parthico ornatu, dicuntur omnes reuertiſſe. VELIFICATVS} aſſentando gratificatus. ut
enim uela nauium ad uentorum adſpirationes aptatur, ſic orationem ſaepe noſtram ad aliorum uoluntatem
accommodamus. ALICVI} Caſsio: cuius litteras, caue, gratiae cauſſa tuarum litterarum teſtimonio
confirmes. REFERRET} reip. RETICVISSE.} quod ſi faceres, nec dignitati tuae, nec reip.
conſuleres. ANTE *Kal. Ian.*} quo die noui conſules, inito magiſtratu, de rep. referent. NOSTI
*Marcellum, quam tardus*,} ſic locutus ep.1.lib.IV. Rem uides, quo modo ſe habeat. HAEC *cauſſa*}
deliberabitur, quis ad Parthicum bellum eat. TANTVM *erit*,} eiuſmodi erit. nam hic, Tantum,
minuendi uim habet, non augendi. uide ep.7.lib.I. Tantam uim habet. IACTATVRVM;} cum inie-
rit magiſtratum. nunc enim erat deſignatus tribunus pl. PAVLLVS} conſul deſignatus. DE *pro-
uincia*} Caeſaris, quam omnino ei adimendam dictitabat. nondum ſcilicet a Caeſare M D talenta, quibus
addictus eſt, acceperat. OCCVRSVRVS} intercedet enim S. C. tribunus pl. erat: quod ex ep. 18. lib.
xv. ad Att. liquet. ad hunc ſunt epiſtolae duae lib. x. PLVRES} acceſsit Curio, ingenti mercede a
Caeſare corruptus: quo nemo pro Caeſaris cauſſa ſtetit audacius. FINES. HOS,} quos oſtendi. ſcri
pſit enim proxime de Parthico bello, de conſule Paullo, tribunis pl. Curione, & Furnio. AD *actiones*}
Ad actiones Curionis hoc addo, de agro Campano. praeter cetera, Curio illud aget ſequenti anno, ut ager
Campanus, ante Caeſaris aduentum, ex ipſius Caeſaris lege diuidatur. qua de re ſatis copioſe dictum eſt ep.
9. lib.I. ad eum locum: Vt de agro Campano frequenti ſenatu referretur. LABORARE,} diuidatur, nec
ne. VALDE *nolle*;} Non placet, a uerbo, Negant, pendere uerbum Nolle. durius enim uidetur, Ne-
gant Pompeium ualde nolle: pro, Pompeium aiunt ualde uelle. Libentius interpretor: Pompeium aiunt ual
de nolle: ideſt, nolle diuiſionem omitti; ne, ſi non diuidatur, uacuus aduenienti Caeſari pateat, & ab eo
uel ipſius militibus, uel plebi diuidatur. Nam, quod ex uerbo, Negant, affirmationē elicio; nouum nō eſt.
conſideretur illud. ep.15. lib.VII. ad Atticum: Plerique negant Caeſarem in condicione manſurum; poſtula-
taq. haec ab eo interpoſita eſſe, quo minus, quod opus eſſet ad bellum, a nobis pararetur. Et illud ep. 30.
lib. XII. ad Cornificium: Noli impudens eſſe, nec mihi moleſtiam exhibere. Sed eſt apud me uetus liber, a
quo, Nolle, abeſt: nec diſplicet: fiet enim haec ſententia: Negant Caeſarem laborare, Pompeium autem
ualde: ut ex eodem uerbo, Negant, primum negatio, deinde etiam educatur affirmatio. Cupijſſe autem
Pompeium diuidi ſtatim agrum Campanum, ſatis intelligitur e ſequentibus uerbis, Ne uacuus aduenienti
Caeſari pateat. diuiſoribus enim gratiae plurimum acquirebatur apud eos, qui poſſeſſuri erant. PRO-
ROGETVR.} ut annua tantum prouinciae ſit adminiſtratio. quod ab eo Cicero petierat ep.7.8.10.lib.2.
TVI *conſilij eſt*,} tu ſtatue, quid agendum tibi ſit, uelis ne in prouincia remanere, an, finito anno, diſce-
dere contra ſenatus uoluntatem. TEMPVS,} propter bellum Parthicum: quo urgente, diſcedendum
non uidetur ante, quam ſuccedatur. Ep.17. lib.2. Quin ad diem decedam, nulla cauſſa eſt, praeſertim ſub-
lato metu Parthico. SENATVS} facto S. C. de proroganda prouincia: quod Cicero timebat. de bien
nio quidem ſenſit Hortenſius, ut eſt in ep.8.lib.III. MEI *officij eſt*} ego, quod eſt officij mei, id prae-
ſtabo. DECEDENS,} pro, diſcedens, cum iret Cicero in prouinciam. Sic ep. I. Quod tibi decedens
pollicitus ſum. FIERI,} prouinciae tempus prorogari.

## Argumentum ep. 11.

*CVm Cicero, litteris ad ſenatum miſſis, ſupplicationes pro re in Amano monte bene geſta poſtulaſſet; C. Curio, tribunus pl. Ciceronis cupidiſſimus, iratus ſenatui, quod ei poteſtas agendi cum populo eriperetur, fieri ſenatus conſultum de ſupplicationibus non patiebatur. poſtremo uentum eſt ad pactionem, permittente Curione ſenatus conſultum fieri; modo nullae praeterea in reliquum annum ſupplicationes eriperentur. qua tota de re, & de cuiusque ſententia, ac uoluntate diligenter Coelius perſcribit. De rep. narrat contentiones inter Pompeium, & Curionem de ſucceſſore Caeſari mittendo. Mittit commentarium rerum urbanarum. Sittianum negotium commendat.*

### *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* II.

*NON diu, ſed acriter nos tuae ſupplicationes torſerunt. incideramus enim in difficilem nodum. nam Curio, tui cupidiſſimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat ſe ullo modo pati poſſe, decerni ſupplicationes; ne, ſi quid furore Paulli adeptus eſſet boni, ſua culpa uideretur amiſiſſe, & praeuaricator cauſſae publicae exiſtimaretur. itaque ad pactionem deſcendimus: & confirmarunt conſules, ſe his ſupplicationibus in hunc annum non uſuros. plane, quod utriſque conſulibus gratias agas, eſt; Paullo magis certe. nam Marcellus ſic reſpondit ei, ſpem in iſtis ſupplicationibus non habere; Paullus, ſe omnino in hunc annum non edicturum. Renunciatum nobis erat, Hirrum diutius dicturum. prendimus eum: non modo non fecit, ſed, cum de hoſtibus ageretur, & poſſet rem impedire, ſi, ut numeraretur, poſtularet, tacuit: tantum Catoni aſſenſus eſt; qui, de te & locutus honorifice, non decrerat ſupplicationes. tertius ad hos Fauonius acceſſit. quare pro cuiuſque natura, & inſtituto gratiae ſunt agendae; his, quod tantum uoluntatem oſtenderunt pro ſententia; cum impedire poſſent, non pugnarunt; Curioni uero, quod de ſuarum actionum curſu tua cauſſa deflexit. nam Furnius, & Lentulus, ut debuerunt, quaſi eorum res eſſet, una nobiſcum circumierunt, & laborarunt. Balbi quoque Cornelij operam, & ſedulitatem laudare poſſum. nam cum Curione uehementer locutus eſt: & eum, ſi aliter feciſſet, iniuriam Caeſari facturum dixit: tum eius fidem in ſuſpicionem adduxit. decrerant, qui inique tranſigi nolebant, Domitij, Scipiones. quibus hac re ad interceſſionem euocandam interpellantibus, uenuſtiſſime Curio reſpondit, ſe eo libenter non intercedere, quod quoſdam, qui decernerent, uideret confici nolle. Quod ad remp. attinet, in unam cauſſam omnis contentio coniecta eſt: de prouincijs inquam adhuc eſt. incubuiſſe cum ſenatu Pompeius uidetur, ut Caeſar ante id. Nou. decedat. Curio omnia potius ſubire conſtituit, quam id pati: ceteras ſuas abiecit actiones. noſtri porro, quos tu bene noſti, ad extremum certamen rem deducere non audent. ſcena rei totius haec. Pompeius, tamquam Caeſarem non impugnet, ſed quod illi aequum putet, conſtituat, ait Curionem quaerere diſcordias. ualde autem non uult, & plane timet, Caeſarem conſulem deſignari prius, quam exercitum, & prouinciam tradiderit. accipitur ſatis male a Curione: & totus eius ſecundus conſulatus exagitatur. hoc tibi dico: ſi omnibus rebus prement Curionem, Caeſar defendetur: interceſſorem ſi, quod uidentur, reformidabunt, Caeſar, quoad uolet, manebit. Quam quiſque ſententiam dixerit, in commentario eſt rerum urbanarum: e quo tu, quae digna ſunt, ſelige: multa tranſi, in primis ludorum exploſiones, & funerum, & ceterarum ineptiarum plura habet inutilia. denique malo in hanc partem errare, ut, quae non deſideras, audias, quam quidquam, quod opus eſt, praetermittatur. Tibi curae fuiſſe de Sittiano negotio, gaudeo: ſed, quando ſuſpicaris minus certa fide eos tibi uiſos: tamquam procurator ſic agas, rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

CVRIO,} tribunus pl. COMITIALES} dies: quibus agere cum populo licebat. ERIPIEBANTVR,} quo modo? auſpicijs: dum enim ſeruabatur de caelo, quae ſpectio uocabatur, agere cum populo non licebat. de caelo autem ſeruabant, non augures, ſed magiſtratus: quod Cicero demonſtrat in II. Philippica, & Varro apud Nonium. Conſules igitur, alter, amboue, de caelo ſeruabant, ne Curio comitialibus diebus agere cum populo poſſet. erat autem haec impediendi pernicioſis tribunorum rogationibus praeclara, & utilis admodum reip. ratio: qua etiam Lentulus Marcellinus conſul aduerſus leges C. Catonis tribuni pl. uſus eſt: de quo ſic ep. 5. lib. 2. ad fr. Conſul eſt egregius Lentulus, non impediente

collega:

collega : dies comitiales exemit omnes . ſic legibus pernicioſiſsimis obſiſtitur, maxime C. Catonis . Dies agendi cum populo, in eadem epiſtola infra uocat Cicero. NEGABAT} ut par pari referret. conſules de caelo ſeruabant, ne Curio poſſet agere cum populo : Curio intercedebat, ne decernerentur ſupplicationes. PAVLLI} conſulis, nondum a Caeſare corrupti. ADEPTVS *eſſet boni,*} Paullus conſul, ne quid Curio agere cum populo poſſet, de caelo ſeruabat : quem Curio furorem appellabat : & ex eá ſibi illata iniuria hoc ſe bonum adeptum dicebat, quod iuſtam haberet cauſſam impediendi, ne quid decernere ſenatus poſſet . quod ſi ſenatus conſultum de ſupplicationibus fieri pateretur, amittere ſibi uidebatur bonũ illud, quod furore Paulli adeptus eſſet. PRAEVARICATOR} proditor. CAVSSAE *publicae*} quia, cum ei comitiales eriperentur, nec agere cum populo poſſet, impediri, ac laedi cauſſa publica uideretur : cuius ſe patronum profitebatur, oppugnante Paullo. HIS} quae poſtulari ſolent. NON *uſuros.*} exceptis ijs, quae Ciceroni decernerentur. SPEM,} quaſi nihil reip. prodeſſent, aut a dijs immortalibus minime curarentur. Non eſt igitur, quod Marcello magnopere gratias agas : qui Curioni promiſit, ſe in hunc annum nullis praeterea ſupplicationibus uſurum, non quo facilius de tuis impetraret, ſed quia ſpem omnino in iſtis ſupplicationibus non haberet. NON *edicturum.*} ſupplicationes. DIVTIVS *dicturum.*} ut diem dicendo conſumeret; ne S. C. fieri poſſet. quo de more diximus ep.4.lib.1. PRENDIMVS} rogauimus. ductum ab eo, quia prendimus, & prenſamus, (utroque enim modo loquebantur ueteres) a quibus impetrare aliquid cupimus. NON *modo non fecit,*} Sigonij liber, Non modo fecit. quod neque probo, neque condemno . uide locum ep.9.lib.1. Non modo praemijs. DE *hoſtibus*} non dabantur ſupplicationes, niſi ob iuſtam uictoriam, caeſis hoſtibus certo quodam numero . ideo Cicero ep. 10.lib.2. Victoria iuſta, inquit, imperator appellatus apud Iſſum. Id confirmat ipſe Coelius, cum ſubiungit, potuiſſe Hirrum impedire, ſi, ut numeraretur, poſtulaſſet . quis autem caeſorum numerus obtinendis ſupplicationibus ſufficeret, praeciſe ſcriptum non inueni : unum hoc dicam, ſi mille hoſtium caeſi eſſent, Ciceronis aetate ſatis fuiſſe . id ex ijs Ciceronis uerbis Philipp.2. cognoſcitur : Si quis Hiſpanorum, aut Gallorum mille, aut duo millia occidiſſet, non eum hac conſuetudine, quae increbuit, imperatorem appellaret ſenatus? triumphum quidem, qui ſupplicationes fere ſequebatur, niſi qui quinque millia hoſtium una acie cecidiſſet, nemini per leges impetrare licuiſſe, Valerius lib.2.cap.3. tradidit . ſed hoc etiam, ut opinor, deprauauit ambitio. Quidam, Hoſtijs, legunt : quam recte, alij iudicent : ego ſequor & hiſtoriae teſtimoniũ, & antiquos libros, Sigonianum, & meum. POSSET *rem impedire,*} falſo igitur Cicero illud ſcripſerat ep.10. lib.2. Victoria iuſta imperator appellatus ſum. De eadẽ re ep.1.lib.7.ad Att. VT *numeraretur,*} ut oſtenderetur, quo caeſi hoſtes numero eſſent. CATONI} M.Porcio Catoni, optimo uiro, cius in ſentẽtiã, Cicerone conſule, factum erat S. C. de Catilinae ſocijs in carcere necandis . is praetor fuerat L.Domitio, Ap. Pulchro coſ. repulſam tulerat in petitione conſulatus, quo anno Ser. Sulpicius, & M. Marcellus deſignati ſunt, ideſt biennio ante, quam haec epiſtola ſcriberetur. ASSENSVS *eſt;*} licet iratus eſſet, ut ad Atticum Cicero ſcripſit, cuius uerba proxime recitaui : iratus autem, quia ſuperatus eſſet ab eo in petitione auguratus. ep.3.& 6. hac de re ſic in eadem epiſtola : Coeperas Hirrum mihi placare : perfice. Habes Scrofam : habes Siluium . ad eos ego antea ſcripſi, & ad ipſum Hirrum . locutus enim erat cum ijs, commode ſe potuiſſe impedire, ſed noluiſſe; aſſenſum tantum eſſe Catoni, amiciſsimo meo, cum is honorificentiſsimam in me ſententiam dixiſſet; nec me ad ſe ullas litteras miſiſſe, cum ad omnes mitterem. DE . TE *& locutus honorifice,*} particulam, Et, ſuperuacaneam eſſe cur non putem? feratur tamen, ut in Coelio, cuius χαρακτὴρ a puriſsimo, & ornatiſsimo Ciceronis ſermone quam longe diſtet, omnes intelligunt. quod etiam critici ueteres, quorum teſtimonia iam recitauimus, facile iudicarunt. Quod Coelius ſignificat, hoc eſt : De te licet locutus honorifice, tamen non decreuerat ſupplicationes . laudauit enim Cato Ciceronem in ſua ſententia, ſupplicationem non decreuit . cur ita ſenſerit, exponit ipſe in epiſtola, quae exſtat, lib. XV. cui Cicero reſpondens, dixit, ſe tanti facere Catonis illam laudationem, ut cum ea nullum triumphum eſſe conferendum exiſtimet . & ad Att. ep. 1. lib. VII. confirmat idem his uerbis : Triumphum uideo, niſi reip. tempora impedient, εὐπόριστον. iudico autem cum ex litteris amicorum, tum ex ſupplicatione; quam qui non decreuit, plus decreuit, quam ſi omnes decreuiſſet triumphos. ei porro aſſenſus eſt unus, familiaris meus, Fauonius, alter iratus Hirrus. Cato autem & ſcribendo affuit, & ad me de ſententia ſua iucundiſsimas litteras miſit. Sed tamen gratulans mihi Caeſar de ſupplicatione, triumphat de ſententia Catonis . nec ſcribit quid ille ſententiae dixerit. ſed tantum, ſupplicationem eum mihi non decreuiſſe. NON . DECRERAT} quid cauſſae fuit, cur non decreuerit, cum & amiciſsimus eſſe uideretur, & res ſupplicatione dignas Cicero geſsiſſet, iuſta uictoria imperator apud Iſſum appellatus? obſtitit inuidia : cum nobiles homines, ex antiquiſsimis orti familijs, nouum hominem Ciceronem in principibus quidem eſſe facile paterẽtur, altius autem euolare nequaquam uellent. quod in epiſtolis interdum queritur Cicero, & aperte quidem ad Att. lib. VII. his uerbis : Cato in me turpiter fuit maleuolus : dedit integritatis, iuſtitiae, clementiae, fidei mihi teſtimonium, quod non quaerebam : quod poſtulabam, negauit. itaque Caeſar ijs litteris, quibus mihi gratulatur, & omnia pollicetur, quo modo exſultat, Catonis in me ingratiſsimi iniuria. at hic idem Bibulo dierum uiginti . ignoſce mihi, non poſſum haec ferre, nec feram. Et ad eundem, ep. 3. eiuſdem libri : Bibulum cum ornauit Cato, declarauit ijs ſe ſolis non inuidere, quibus nihil, aut non multum ad dignitatem poſſet accedere. FAVONIVS} Catonis imitator, aedilis curulis hoc anno. ACCESSIT.} Cato ſententiam dixerat : aſſenſi ſunt Hirrus, & Fauonius, ſententiam non dixerunt. PRO *cuiuſque natura, & inſtituto*} pertinet hoc ad Catonem, hominem ſeueriſsimum, naturaq. & conſuetudine ualde parcum in tribuendis honoribus.

noribus. HIS,} non Catoni, qui ſententiam dixit honorificam, ſed Hirro, & Fauonio, qui ſententiam quidem non dixerunt, ſed uoluntatem oſtenderunt pro ſententia, cum Catoni aſſenſi ſint. uel, *His*, tribus nominatis, quibus hoc nomine debentur gratiae, quod uoluntatem dumtaxat oſtenderunt non decernendae ſupplicationis; pro ſententia uero, ut omnino non decerneretur, pugnare noluerunt, cum impedire tamen poſsint. quae ſi recipitur interpretatio, mihi quidem ſatis probata; diſtinguendum erit hoc modo: Voluntatem oſtenderunt; pro ſententia, cum impedire poſſent, non pugnarunt. TANTVM} pro ſaltem, ut ep. 31. lib. VII. Veni igitur, quaeſo; ne tantum ſemen urbanitatis una cum rep. intereat. CVM *impedire poſſent,*} ſi, ut numeraretur, poſtularent. DE *ſuarum actionum curſu*} iratus enim Paullo conſuli, qui comitiales ei dies eripiebat, induxerat animum ſupplicationes omnes impedire. FVRNIVS,} tribunus pl. Ciceronis cupidiſsimus. ep. 14. lib. XV. & ad Att. ep. 18. lib. XV. is eſt, ad quem leguntur epiſtolae aliquot lib. X. LENTVLVS,} cum Lentuli eſſent multi, ſumma inter Ciceronem, & P. Lentulum Spintherem amicitia facit, ut de Spinthere accipiendum exiſtimem. CIRCVMIERVNT,} prenſarunt, abierunt. qui enim ambit, circumit: ut ipſa uerbi compoſitio declarat. BALBI. CORNELII} Gaditani. ep. 6. SI *aliter feciſſet,*} ſi ſupplicationes Ciceronis impediſſet. CAESARI} cui ſe addixerat, accepta ingenti mercede. EIVS *fidem in ſuſpicionem adduxit.*} cum diceret, ei cauendum eſſe, ne ficte reconciliatus cum Caeſare uideretur, ſi Ciceronis honorem impediſſet, quem ſciret a Caeſare non uulgariter diligi. DECRERANT,} non equidem is ſum, qui diuinationibus, praeſertim quae ſola coniectura nitantur, facile acquieſcam: uerumtamen, ubi nec ſententia repugnat, & mutatio leuis eſt, cur libertatem ingenijs eripiam? Hoc quidem in loco, qui nunc in manibus eſt, cum antiqui libri plerique haberent, Deerant; non nulli, Deſerant; alij aliter; ex hac uarietate ſum adductus, ut probarē, Decrerant: qua ſententia, nunc exponam. L. Domitius Ahenobarbus, & P. Scipio, Pompeij ſocer, uterque Caeſaris inimicus, cum inique ferrent tranſigi de ſupplicationibus Ciceronis, easq. Curionis tribuni pl. interceſsione cuperent impediri; ſimulatione beneuolentiae ſupplicationes decreuerunt, ut ea re Curionem, omnibus Pompeianorum actionibus acriter aduerſari ſolitum, ad intercedendum elicerent. Accedit Coeliani ſermonis cōſuetudo. paullo enim ante dictum eſt, Non decrerat ſupplicationes. Et in Verrem dixit Cicero, Decreſſet. HAC. RE} quod ſupplicationes decernerent. AD *interceſſionem euocandam*} ut Curionem, optimatibus infenſum, ad intercedendum elicerent. INTERPELLANTIBVS,} crebro inſtantibus, ut ſupplicationes decernerentur. VENVSTISSIME} pulcherrime, ductum a Venere, cui pulchritudinem fabulae poetarum tribuunt. ADHVC *eſt.*} addidi uerbum, Eſt, ex antiquis libris, approbante ſententia. adhuc, inquit, de prouincijs contentio eſt. ANTE *idus Nou.*} ante tempus ei decem tribunorum lege conceſſum. NOSTRI} optimates. BENE *noſti,*} imbecillitas eorum ſignificatur. SCENA *rei totius*} in ſcena dantur fabulae. Coelius tranſtulit ad ſignificationem rerum omnium, de quibus contentio eſſet: ut, quemadmodum ſcena fabulas, item id, quod dicturus eſt, omnia contineat. QVOD *illi aequum putet,*} aequum putabat, ſenatui dicto audientem Caeſarem eſſe. de quo ſic ep. IV. In diſputando coniecit illam uocem Cn. Pompeius, omnes oportere ſenatui dicto audientes eſſe. Eodem ſpectat illud in ep. 8. Dixit, hoc nihil intereſſe, utrum Caeſar ſenatui dicto audiens futurus non eſſet, an pararet, qui ſenatum decernere non pateretur. Specie igitur probabilis, & aequa erat actio Pompeij: ſed iniquum contra uidebatur, populi beneficium, Caeſari lege tributum, ſine cauſſa eripi: quod tamen ſenatus decreuit, Pompeij, eiusq. amicorum ſtudio. CONSVLEM *deſignari prius,*} quod Caeſar cogitabat: ideoq. ferri legem a decem tribunis pl. uoluerat, ut eius abſentis in petitione conſulatus ratio haberetur. ACCIPITVR *ſatis male*} contumelioſe, & acerbe tractatur. SECVNDVS *conſulatus*} in quo Pompeius iterum conſul operam dederat, auctorq. fuerat, ut Trebonius tribunus pl. de Galliarum imperio Caeſari in alterum quinquennium prorogando legem ferret. quod beneficium nunc idem Pompeius conabatur eripere, cum eum ante idus Nou. uellet decedere. EXAGITATVR.} reprehenditur. ſic ep. 1. lib. 1. Rebus palam a conſularibus exagitatis, & in ſummam inuidiam adductis. CAESAR *defendetur:*} ab amicis: ne cogatur ante legitimam diem decedere. SENTENTIAM} de prouincijs. LVDORVM *exploſiones.*} quos populus oderat, eos ad ludorum ſpectacula accedentes excludebat. de ijs in commentario ſcripſerat Coelius: praeterea de funeribus, & leuia queadam, quas ipſe ineptias fatetur eſſe. DE. SITTIANO *negotio,*} de ſyngrapha Sittiana. ep. 2. 4. 6. 7. EOS} a quibus exigenda pecunia eſt. nam ſyngrapha Sittiana facultatem dabat exigendae pecuniae. TAMQVAM *procurator*} eo ſtudio, quo ſolent ij, qui aliena negotia procurant. AGAS,} etſi patet ſententia; de mendo tamen ſuſpicor; cum in omnibus antiquis libris, Agros, non, Agas, ſcriptum eſſe uideam. omnes etiam pro, Quando, habent Quō: id eſt, Cum: quod ueteres uſurpabant pro, Quoniam, uel, Quando.

## Argumentum ep. 12.

*QVeritur de Appij Claudij, qui cum L. Piſone cenſuram gerebat, non ingrato ſolum animo, ſed grauiſsima etiam iniuria: quem cum inimicum ſibi eſſe, accuſationemq. cogitare comperiſſet, anteuertit ipſe, eumq. lege Scantinia poſtulauit.*

## *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 12.

PVDET *me tibi confiteri, & queri de Appij, hominis ingratiſſimi iniurijs; qui me odiſſe, quia magna mihi debebat beneficia, coepit: &, cum homo auarus, ut ea ſolueret, ſibi imperare non poſſet; occultum bellum mihi indixit, ita occultum tamen, ut multi mihi renunciarent, & ipſe facile animaduerterem male eum de me cogitare. poſtea quam uero comperi eum collegium tentaſſe, deinde aperte cum quibuſdam locutum, cum L. Domitio, ut nunc eſt, mihi inimiciſſimo homine, deliberare uelle, hoc munuſculum deferre Cn. Pompeio: ipſum reprehenderem, & ab eo deprecarer iniuriam, quem uitam mihi debere putarem, impetrare a me non potui. quid ergo eſt? tamen quaſi aliquid, amicis, qui teſtes erant meorum in illum meritorum, locutus ſum: poſtea quam illum, ne cui ſatisfaceret quidem, me dignum habere ſenſi; malui collegae eius, homini alieniſſimo mihi, &, propter amicitiam tuam, non aequiſſimo, me obligare, quam illius ſimiae uultum ſubire. id poſtquam reſciјt, incanduit; & me cauſſam inimicitiarum quaerere clamitauit; ut, ſi mihi in pecunia minus ſatisfeciſſet, per hanc ſpeciem ſimultatis eum conſectarer. poſtea non deſtitit accerſere palam Seruium accuſatorem, inire cum Domitio conſilia. quibus cum parum procederet, ut ulla lege mihi ponerent accuſatorem; compellari ea lege me uoluerunt, qua dicere non poterant. inſolentiſſimi homines ſummis Circenſibus ludis meis poſtulandum me leges Scantinia curant. uix hoc erat Pola elocutus, cum ego Appium cenſorem eadem lege poſtulaui. quod melius caderet, nihil uidi. nam ſic eſt a populo, & non infimo quoque approbatum, ut maiorem Appio dolorem fama, quam poſtulatio, attulerit. praeterea coepi ſacellum, in domo quod eſt, ab eo petere. Conturbat me mora ſerui huius, qui tibi litteras attulit. nam, acceptis prioribus litteris, amplius quadraginta manſit. Quid tibi ſcribam, neſcio. Scis Domitio diem timori eſſe? exſpecto ualde, & quamprimum uidere cupio. A te peto, ut meas iniurias proinde doleas, ut me exiſtimas et dolere, & ulciſci tuas ſolere. Vale.*

## EXPLANATIO

PVDET} non ſemper culpam ſequitur pudor. uir bonus a uitio ſic abhorret, ut alienis etiam flagitijs pudore afficiatur, neque ſolum cum ea cernit, ſed etiam cum audit. Pudet, inquit Clodius, quod ita ingratus in me fuerit, ita ſe turpiter, & inique Appius geſſerit. Vel: Pudet me tibi confiteri, & queri de iniurijs Appij: cum eum tibi antea laudauerim. QVIA *magna mihi debebat beneficia,*} odij cauſſam ponit beneficia ſua: uere fortaſſe: nam debitor creditorem nō amat, adſpectum quaſi metuens fugit: putat enim ſe, cum beneficia non referat, non amari: quae opinio facit, ut nec ipſe amare poſsit. porro qui non amat, quauis non modo re, ſed ſuſpicione etiam adducitur, ut odiſſe incipiat? qua tamen labe non inficitur animus boni uiri, qui alios ex ingenio ſuo metitur: nec putat ullius commodi, praemijue ſpe beneficium tribui. mercatura enim quaedam eſſet, non liberalitas. improbi autem ſaepe benigni ſunt, non modo ut eandem gratiam recipiant, ſed ut aliquid etiam, fenerantium more, lucrentur. SIBI *imperare*} imperare ſibi dicitur, qui aliter agere ita ſolitus eſt, ut non libenter a conſuetudine diſcedat. Appius autem auarus: ideo ſibi, ut beneficia ſoluat, imperare non poteſt. Sic locutus ep. 6. Impera tibi: hoc cura. COLLEGIVM} augures, (erat enim Appius augur) ut aliquid contra Coelium molirentur. Alij ex coniectura, parum neceſſaria, contra ueteres omnes libros legendum putant, Collegam, ideſt Piſonem cenſorem: quod hoc tempore cenſuram gerebat Appius. DOMITIO,} qui cum eo conſulatum geſſerat. HOC *munuſculum deferre Cn. Pompeio:*} negotium dare Pompeio, ut me accuſaret. Niſi hoc dicit Coelius, quid aliud ſignificet, non uideo. Scrupulum tamen ſentio. primum, uериſimile non uidetur ita deſipere Appiū, ut Cn. Pompeium, uirum grauiſsimum, principem ciuitatis, qui cum imperio ad urbem erat, adduci poſſe ad ſuſcipiendam accuſationem exiſtimet: deinde, munuſculum deferre, non eſt apud Coelium accuſandi curam committere, ſed accuſare: ut ep. 7. Nemini hoc deferre munuſculum maluit, quam ſuo accuſatori. poſtremo, genus loquendi, etſi multa in Coelio diſsimulanda non ignoro, tamē hoc quidem ferre uix poſſum, Impetrare a me non potui, ipſum reprehenderem. quis enim non uidet, Vt, deſiderari? Quae cum intueor, libenter ad eam deducor coniecturam, ut hoc modo legendum, & diſtinguendum putem: Hoc munuſculum deferre, Cn. Pompeio ipſum reprehendente: ut ab eo deprecarer iniuriam; &c. nec tamen hanc opinionem nihil adiuuat ſcriptus liber, qui eſt apud me, in quo eſt, Vt ab eo, non, ut uulgo legitur, Et ab eo. Erit autem, Munuſculum deferre, accuſare: quo ſenſu uſurpatum etiam eſt, ut dixi, ep. 7. Quod ſi quis libros typis impreſſos malit approbare, accipiat, Reprehenderem, non pro Obiurgarem, quod abſurdum hic quidem eſſet, ſed pro, Prenderem: id eſt, rogarem, ut accuſandi conſilium abijceret. QVID *ergo eſt?*} quaſi aliquis eum interroget: hoc tibi faciendum non putaſti, quid igitur feciſti? Et uidetur hoc loquendi genus poſt negationem, id eſt, ubi quid improbauimus, inferri. Non placuit mihi, ait Coelius, iniuriam ab Appio deprecari: quid igitur placuit? alloqui communes amicos, teſtes meorum in illum meritorum. Sic Liuius lib. XLIV. Non ſum is, qui non exiſtimem admonendos duces eſſe: immo eū, qui de ſua unius ſententia omnia gerat, ſuperbum iudico magis, quam ſapientem. quid ergo eſt? primum a prudentibus, & proprie rei militaris peritis, & uſu doctis monendi imperatores ſunt. TAMEN,} ab ipſo quidem ut iniuriam deprecarer, impetrare a me non potui: tamen feci, ut amicos alloquerer. QVASI *aliquid,*} praeclara, niſi fallor, emendatio. mendum autem, quod in uulgatos libros irrepſit, ſententiae peperit ignoratio.

ratio. nam, Quaſi aliquid, ualet, quaſi hoc aliquid futurum eſſet: quod tamen apud Appium eſſe nihil ſenſi. praeterea, ſcriptum ita uideo in uetere Sigonij libro. quidam, Quaſi aliquot amicis, malunt: in quo & ab antiquis libris, &, ut puto, a Coelij mente diſcedunt. AMICIS *locutus ſum.*} de Appij iniuria. uſurpat & Cicero hoc uerbum cum dandi caſu ep. I. lib. VI. ad Att. Haec non noram tum, cum Democrito tuo locutus ſum. & Plautus in Men. Loquere inquit, mihi tuum nomen. NE CVI *ſatisfaceret quidem*,} ſatisfacit, qui ſe uerbis excuſat. exempla ſunt, ep. I3. lib. VII. Hic tu me etiam inſimulas, nec ſatisfactionem meam accipis. Et Philipp. 2. Acceperam Caeſaris litteras, ut mihi ſatisfieri paterer a te. Et Caeſar lib. I. bel. ci. Per tribunos mil. egerunt, uti Caeſari ſatisfacerent. Et alibi. COLLEGAE *eius*,} L. Piſonis, contra quem exſtat Ciceronis oratio. is cenſuram cum Appio gerebat. Caeſar lib. I. bel. ci. Dio lib. XL. AMICITIAM *tuam*,} quia Cicero eiectus a Clodio, conſentiente conſule Piſone, poſtea, ut ulciſceretur iniuriam, orationem habuit de conſularibus prouincijs, ut Piſo e Macedonia, quam proconſul regebat, reuocaretur. quod ſenatus decreuit. SIMIAE} Sic Cicero ep. 2. lib. VII. Hic ſimiolus me, in quem inueheretur, delegerat. & ep. Io. lib. V. & Horatius Sat. Io. lib. I. Serm.

— Quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit, neque ſimius iſte.

VVLTVM *ſubire*.} quod ſupplicis eſt. ita in peroratione pro Quinctio: Denique ipſius inimici uultum ſuperbiſsimum ſubijt. INCANDVIT;} pro, excanduit; uehementi commotus eſt iracundia. quo motu uultus excandeſcit. Alij, Scanduit. Ego librum Sigonij, & meum ſequor. & omnino magis placet, Incanduit, quam Scanduit. quid enim eſt, Scanduit? tolerabilius erat, Canduit: quod ad iratorum uultus pertinet. uerum, Incanduit, ſi habeo, comprobatum teſtimonio duorum librorum, qui nodum in ſcyrpo quaeram? HANC *ſpeciem ſimultatis*} quod eum in infamiam uocarem ficta ſimultatis cauſſa. PALAM *Seruium*} nihil muto: uideant tamen eruditi, an ſit rectius, quod monui adoleſcens in ſcholijs noſtris, Polam Seruium, quem Cicero nominat, ut accuſatorem, lib. 2. ad fr. ep. 2. & Coelius ipſe paullo poſt: Vix hoc erat Pola elocutus. INIRE *cum Domitio conſilia*.} conſilia capere, ſimul conſiderare. ep. 24. lib. IX. Conſilia ſunt inita de me. Et Liuius lib. VI. Conſilia inire cum genero coepit. COMPELLARI} accerſi, in iudicium uocari. Ad Att ep. 2. lib. 2. Nigidium minari, in concione ſe iudicem, qui non fuerit, compellaturum. Et Philip. 3. Fratris mei filium compellat edicto. Et Suetonius in Iulio: In carcerem conijcit Nonium quaeſtorem quod compellari apud ſe maiorem poteſtatem paſſus eſſet. DICERE *non poterant*.} nihil erat, quod obijcere mihi poſſent. SVMMIS *Circenſibus*} extremis diebus Circenſium ludorum meorum: binos enim ludos aediles curules dabant, Megalenſes, & Romanos, ut oſtendit Dio lib. XXXIX. & Pedianus in commentario Cornelianae. hic de Romanis intelligendum: qui dabantur in circ. menſe Sept. per quinque dies: quod faſti dierum ueteres demonſtrant. Scripta enim epiſtola paullo ante, quam Cicero e prouincia decederet: cum dicat Coelius in clauſula, Exſpecto te ualde, & cupio quamprimum uidere. nam Cicero deceſsiſſe uidetur menſe Octobri: quod ex epiſt. 3. ad Tironem, lib. XVI. licet conijcere. Megalenſes autem initio anni dabantur, id eſt multis menſibus ante Romanos: inquit enim Cicero ep. XI. lib. 2. Mihi magnae curae eſt aedilitas tua. ipſa dies me admonebat: ſcripſi enim haec ipſis Megalenſibus. Praeterea, cur de Megalenſibus accipiam, cum non in circo, ſed in Palatio darentur? de quibus Cicero in oratione de haruſpicum reſponſis: Quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio noſtri maiores ante templum, in ipſo matris Magnae conſpectu, Megalenſibus fieri, celebrariq. uoluerunt? Idem Liuius confirmat lib. XXXVI. LEGE *Scantinia*} de nefando marium concubitu, quae poenam irrogabat decem millia nummum. Quinct. lib. IV. cap. VII. capitale crimen poſtea fecit Iulia lex. ep. I4. Iuuenalis Satyra VI. Suetonius in Domitiano. POLA *elocutus*,} uix hoc Pola Seruius accuſator dixerat. Antea, Praelocutus. ego, cum in antiquis libris uiderem, Pole locutus, legendum putani, Pola elocutus poſſet etiam, Polae locutus: ideſt, uix Polae dixerat Appius, cupere ſe mihi accuſatorem ponere. nam & paullo ante Coelius cum dandi caſu idem uerbum coniunxit, Amicis, inquit, locutus ſum. QVOD *melius caderet*,} quam cenſorem, qui moribus praeeſt, & magiſter morum appellatur, lege Scantinia in iudicium uocare. A POPVLO, *& non infimo quoque*} addidit, Non infimo quoque, ut oſtenderet, nobiles etiam homines id probaſſe: qui, licet populi nomine comprehendantur, permiſti tamen in multitudine non ſatis internoſcuntur. FAMA,} cum increbeſceret, cenſorem, corrigendis moribus praepoſitum, tam turpi crimine poſtulaui. COEPI *ſacellum, in domo quod eſt, ab eo petere.*} Cenſorum erat curare, ut ſacella non in domo cuiuſquam eſſent, ſed populo paterent. itaque Liuius lib. XL. ubi loquitur de Lepido, & Fuluio cenſoribus, Complura, inquit, Sacella, publicaq. ſacra, occupata a priuatis, ut paterent, eſſentq. populo, curarent. Coelius autem, ut oſtenderet, Appium cenſorem officio ſuo deeſſe, petere coepit ab eo, ut ſacellum in domo priuata ne relinqueretur: cuius rei cura Appij, qui cenſor erat, eſſe debuerat. ſed libentius intellexerim de ſacello, quod ipſe Appius occupaſſet: ex quo grauior ei concitata eſſet inuidia, occupatis rebus a cenſore, quas cenſor, ab alijs occupatas, populo reſtituere deberet. AMPLIVS *quadraginta manſit*.} quid eſt hoc? an, Quadraginta litteras? Latinum non eſt. quadragenas enim litteras, potius quam quadraginta, & quadraginta epiſtolas, potius quam quadragenas, Latini ſermonis conſuetudo poſtulat: niſi, ſi ſcripſerit Coelius, XL, ex quo imperitus librarius deſcripſit, quadraginta. uerum, quid haec attinet colligere? cũ in antiquo Sigonij libro diſerte ſcriptũ ſit, Quadraginta diebus miſit. quamquã in uerbo, Miſit, librarius peccauit: quod meus liber, alijq. corrigunt. SCIS *Domitio diem timori eſſe?*} ſimiliter locutus ep. I4. Scis Appium cenſorem hic oſtenta facere? ſed cum obſcura ſententia eſt: tum ita diſcrepant inter ſe ueteres libri, ut, obſcuro per ſe loco, maiores etiam tenebras offundant. In uno meo ſcriptum eſt hoc modo, Diem timor eſt exſpectatio ualde, & quamprimum in uno

Sigonij, Diem tu morare exſpecto, & quamprimum: in altero eiuſdem, Timor eſt exſpecto ualde & quamprimum. In nullo quidem uidi, Timori eſſe. PROINDE} pro, Perinde: quod ſaepe Terentius, & Lucretius uſurparunt. DOLERE,} meas, tuas autem ulciſci ſolere. VLCISCI} mirus enim contra Clodianos Milonis defenſor in tribunatu fuerat: quod ſignificat Cicero ep.9. lib.2. Te, inquit, mi Rufe, diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meae, ultorem non modo inimicorum, ſed etiam inuidorum meorum.

# Argumentum ep. 13.

*GRatulatur affinitate Dolabellae, qui Tulliam, Ciceronis filiam, uxorem duxerat: de Curionis tribuni pl. interceſsione, de prouincijs quid actum ſit exponit: Hortenſij oratoris interitum ſignificat.*

## *M. Coelius S. D: M. Ciceroni.* 13.

GRATVLOR *tibi affinitate uiri mediusfidius optimi. nam hoc ego de illo exiſtimo. cetera porro, quibus adhuc ille ſibi parum utilis fuit, & aetate iam ſunt decurſa; & conſuetudine, atque auctoritate tua, pudore Tulliae, ſi qua reſtabunt, confido celeriter ſublatum iri. non eſt enim pugnax uitijs, neque habes ad id, quod melius ſit, intelligendum. deinde, quod maximum eſt, ego illum ualde amo. Vides Cicero Curionem noſtrum lautum interceſſionis de prouincijs exitum habuiſſe? nam tum de interceſſione referretur; quae relatio fiebat ex* S. C. *primaq. M. Marcelli ſententia pronunciata eſſet, qui agendum cum tribunis pl. cenſebat: frequens ſenatus in alia omnia ijt. ſtomacho eſt ſcilicet Pompeius Magnus nunc ita languenti, ut uix id, quod ſibi placeat, reperiat. tranſierant illuc, ut ratio eſſet eius habenda, qui neque exercitum, neque prouincias traderet. quemadmodum hoc Pompeius laturus ſit, cum cognoſcat, quidnam reip. futurum ſit, ſi aut * non curet, uos ſenes diuites uideritis. Q. Hortenſius, cum has litteras ſcripſi, animam agebat. Vale.*

## EXPLANATIO

VIRI *medius fidius optimi.*} Dolabellae, a quo uxorem diſceſsiſſe, ſcripſit, ep. 9. is poſtea cum Tullia diuortium fecit: quod & ex epiſtolis ad Atticum, & ex conſolatoria Sulpicij lib. IV. cognoſcitur. SIBI *parum utilis*} temeritatis Dolabellam arguit, quod Appium accuſaſſet. id ex ea, qua Cicero reſpondit, epiſtola licet intelligere. PVDORE *Tulliae,*} Cicero reſpondit his uerbis ep. 15. libri 2. Dolabellam a te gaudeo primum laudari, deinde etiam amari. nam ea, quae ſperas, Tulliae meae prudentia temperari poſſe, ſcio cui epiſtolae tuae reſpondeant. LAVTVM} pulchrum, egregium. INTERCESSIONIS} Curio interceſſerat, ne S. C. fieret de ſucceſsione prouinciarum. de ea interceſsione conſules ad ſenatum retulerunt, ut decerneretur, quid agendum, contemnenda ne interceſsio, an eius habenda ratio more maiorum. Cenſuit ſenatus interceſsioni parendum. EXITVM} quia ualuit interceſsio, contra quam M. Marcellus ſenſerat. EX S. C.} eo, quod miſit Coelius cum epiſt. 7. in quo ita ſcriptum eſt: Si quis huic S. C. interceſſerit, ſenatui placere, auctoritatem perſcribi, & de ea re ad ſenatum, populumq. referri. PRIMAQ.} cur prima? fortaſſe ſtudio & opera C. Marcelli conſulis, eius patruelis. MARCELLI} qui conſul fuerat anno proximo. AGENDVM *cum tribunis pl.*} ut interceſsio tolleretur. IN *alia omnia ijt.*} frequens a Marcello diſſenſit. probauit igitur Curionis interceſsionem. atque hoc reprehendit Cicero his uerbis ep. 7. lib. VII. Senatum bonum putas, per quem ſine imperio prouinciae ſunt? nũquam enim Curio ſuſtinuiſſet, ſi cum eo agi coeptum eſſet: quam ſententiam ſenatus ſequi noluit. de hoc genere loquendi uide, quae diximus ep. 2. lib. I. STOMACHO *eſt ſcilicet Pompeius Magnus*} dixi olim, Scilicet Pompeius, mihi uideri eſſe gloſſema ad uerbum Magnus: nec aliter nunc uidetur. ITA *languenti,*} Pompeij hoc erat ingenium, ut uoluntatem ſuam occultaret. ſtomachi uitium tranſtulit Coelius ad animum Pompeij nihil in rep. probantis, quippe qui neque Caeſarem in Gallia diutius manere uellet, nec ſuam tamen uoluntatem ſatis auderet oſtendere: quandoquidem, ipſo auctore, in ſecundo, ac tertio conſularu, duae leges latae fuerant, una de Galliarum imperio in alterum quinquenniũ prorogando; altera, ut in petitione conſulatus abſentis Caeſaris ratio haberetur. TRANSIERANT. ILLVC,} id probauerant. VT *ratio eſſet eius habenda,*} hoc totum ita legitur in antiquis libris: Vt ratione eius habenda, qui exercitum, neque prouincias tradere. quod ita mendoſum eſt, ut omnis mihi quidem ad correctionem aditus intercludatur. relinquo non inuitus, quod alii quaerant. ſententia quidem haec uidetur eſſe: Tranſierant ſenatores in alia omnia, id eſt probauerant Curionis interceſsionem, improbantes M. Marcelli ſententiam; tamquam ratione illius habenda, qui neque exercitum, neque prouincias traderet. Hoc, ut dixi, arbitror ſignificari. ſed addere uerbum, Neque, contra ueteres

libros

libros non audeo: niſi ſi, ut eſt omnino aſper duruſq. Coelij ſermo, ſcriptum ab eo putemus, Qui exercitum, neque prouincias traderet; pro, Qui neque exercitum, n. p. t: ut, Neque, tam ad exercitum, quam ad prouincias referatur. Venit etiam in mentem, hoc dumtaxat a Coelio ſcriptum, Tranſierant illluc, ut ratione eius habenda: gloſſam autem eſſe id, quod ſequitur, additam ab interpretante pronomen illud, Eius: cum hoc pronomine Coelius Caeſarem ſignificare ſolitus ſit: dixit enim ep. VII. Perſpecta Cn. Pompeij uoluntate in eam partem, ut eum decedere poſt Kal. Mart. placeret. Cum Caeſarem ſignificet, minime tamen antea nominatum. LATVRVS *ſit, cum cognoſcat,* } unus Sigonij liber, & meus, Laturus eſt iſte, cum cognoſcam: alter eiuſdem Laturus, cum iſte cognoſcam: itaque ſubeſſe uitium ſuſpicor. FVTVRVM } uideo, quid dicatur: ſed ex ingenio emendatum exiſtimo: nam ueteres omnes libri, Futurus, habent: quod uidetur ad Pompeium referri. SI *ut non curet,* } ſic antiqui libri. mutilus locus eſt, aut certe deprauatus. VOS *ſenes diuites* } quorum intereſt maxime, remp. in ſuo ſtatu permanere. ANIMAM *agebat.* } in exitu uitae crebro ſpiritus ducitur, & reducitur. id ueteres, agere animam, dicebant. Tuſc. I. Et agere animam, & efflare dicimus. Plautus in Trin. per ſimilitudinem dixit: Res cum iam animam agebat, tum eſſe offuſam oportuit. Liuius, Trahere animam dixit, lib. III. ab Vrbe: Mortuus Aebutius erat Romanus conſul, collega eius Seruilius exigua in ſpe trahebat animam.

---

# Argumentum ep. 14.

*MVlta complectitur haec epiſtola: de L. Domitij Ahenobarbi repulſa in auguratu; de Saturnino, ab Cn. Domitio Caluino in iudicium uocato; de Pompeij, Caeſariſq. diſcordia; de Appij ridicula in emendandis ciuitatis moribus diligentia.*

## *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 14.

TANTI *non fuit Arſacen capere, Seleuceam expugnare, ut earum rerum, quae hic geſtae ſunt, ſpectaculo careres. numquam tibi oculi doluiſſent, ſi in repulſa Domitij uultum uidiſſes. magna illa comitia fuerunt: & plane ſtudia ex partium ſenſu apparuerunt. perpauci, neceſſitudinem ſecuti, officium praeſtiterunt. itaque mihi eſt Domitius inimiciſſimus, ut ne familiarem quidem ſuum quemquam tam oderit, quam me; atque eo magis, quod per iniuriam ſibi putat ereptum, cuius ego auctor fuerim. nunc furit tam gauiſos homines ſuum dolorem, unumq. me ſtudioſiorem Antonij. Nam Cn. Saturninum adoleſcentem ipſe Cn. Domitius reum fecit, ſanequam ſuperiore a uita inuidioſum. quod iudicium nunc in exſpectatione eſt, etiam in bona ſpe, poſt Sex. Peducaei abſolutionem. De ſumma rep. ſaepe tibi ſcripſi me annum pacem non uidere: &, quo propius ea contentio, quam fieri neceſſe eſt, accedit; eo clarius id periculum apparet. propoſitum hoc eſt, de quo, qui rerum potiuntur, ſunt dimicaturi: quod Cn. Pompeius conſtituit non pati, C. Caeſarem conſulem aliter fieri, niſi exercitum, & prouincias tradiderit: Caeſari autem perſuaſum eſt, ſe ſaluum eſſe non poſſe, ſi ab exercitu receſſerit. fert illam tamen condicionem, ut ambo exercitus tradant. ſic illi amores, & inuidioſa coniunctio non ad occultam recedit obtrectationem, ſed ad bellum ſe erumpit. neque, mearum rerum quid conſilij capiam, reperio: quod non dubito, quin te quoque haec deliberatio ſit perturbatura. nam mihi cum hominibus his & gratia, & neceſſitudo eſt. tum cauſſam illam, non homines, odi. illud te non arbitror fugere,* QVIN *homines, in diſſenſione domeſtica debeant, quam diu ciuiliter ſine armis certetur, honeſtiorem ſequi partem; ubi ad bellum, & caſtra uentum ſit, firmiorem; & id melius ſtatuere, quod tutius ſit. In hac diſcordia uideo Cn. Pompeium ſenatum, quiq. res iudicant, ſecum habiturum; ad Caeſarem omnes, qui cum timore, aut mala ſpe uiuant, acceſſuros: exercitum conferendum non eſſe. omnino ſat ſpatij ſit ad conſiderandas utriuſque copias, & ad eligendam partem. Prope oblitus ſum, quod maxime fuit ſcribendum. Scis Appium cenſorem hic oſtenta facere? de ſignis, & tabulis, de agri modo, de aere alieno acerrime agere? perſuaſum eſt ei, cenſuram lomentum, aut nitrum eſſe. errare mihi uidetur. nam ſordes eluere uult; uenas ſibi omnes, & uiſcera aperit. curre, per deos atque homines; & quamprimum haec riſum ueni: legis Scantiniae iudicium apud Druſum fieri: Appium de tabulis, & ſignis agere. crede mihi, eſt properandum. Curio noſter ſapienter id, quod remiſit de ſtipendio Pompeij, feciſſe exiſtimatur. ad ſummam quaeris, quid putem futurum? ſi alteruter eorum ad Parthicum bellum non eat, uideo magnas impendere diſcordias: quas ferrum, & uis iudicabit. uterque & animo, & copijs eſt paratus. ſi ſine ſummo periculo fieri poſſet, magnum, & iucundum tibi fortuna ſpectaculum parabat. Vale.*

# EXPLANATIO

ARSACEN *capere,* } Seruius in VI. Aen. haec ſcripſit: Omnes reges Albani ab Siluio, filio Aeneae, & Lauiniae, Siluij ſunt dicti; ſicut Romani Imperatores, Auguſti uocantur; Aegypti, Ptolemaei;

Perſae, Arſacidae. Eſt igitur Arſaces, generale nomen regum omnium apud Parthos, deductum ab eo, qui Parthorum regnum primus conſtituit. hoc quidem tempore Parthorum rex erat Orodes, nominatus ep. I. lib. XV. & 18. & 21. lib. V. ad Att. ut hiſtoricos omittam. Sed de Arſace rege, & de reliquis, qui ei ſucceſſerunt, quae collegimus ex Iuſtino lib. XLI. & XLII. fortaſſe hic adſcribere operaepretium fuerit. Arſaces, uir incertae originis, ſed uirtutis egregiae, ſolitus latrocinio, & rapto uiuere, regnum apud Parthos primus conſtituit, cum aliarum antea gentium regibus paruiſſent. ita, non minus memorabilis Parthis, quam Perſis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura ſenectute deceſsit: cuius memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes deinde reges ſuos Arſacis nomine appellarint. Huic ſucceſsit filius, & ipſe Arſaces dictus. Tertius Parthis rex fuit Pampacius, & ipſe Arſaces cognomine, ut reliqui omnes reges: ſicuti Romani, Caeſares Auguſtosq. cognominarunt. Pampacio ſucceſsit filius Phraates. Phraati, frater eius Mithridates, qui Parthorum imperium a monte Caucaſo, multis populis in ditionem redactis, uſque ad flumen Euphratem protulit; nec minor Arſace proauo, glorioſa ſenectute deceſsit. Ei ſucceſsit Phraates filius: Phraati patruus eius Artabanus: Artabano Mithridates filius, cuius res geſtae Magni cognomen dedere. Quo, propter crudelitatem, a ſenatu Parthico eiecto, regnum occupauit frater eius Orodes; qui fratrem ſuum Mithridatem, ultro ſe in poteſtatem eius tradentem, in conſpectu ſuo trucidari iuſsit: hic eſt Orodes ille, qui M. Craſſum, cum filio, & omni exercitu Romano deeluit. cui ſucceſsit filius Phraates ex pellice, a patre uiuo rex conſtitutus; qui ſtatim & patrem ipſum, & fratres triginta trucidauit, Auguſto imperante. SELEVCEAM} regiam Parthorum, a Nicatore Seleuco exaedificatam, uno ex ducibus Alxandri, quem Arſaces deuicit, ut Ammianus lib. XXIII. prodidit. Seleuceas tres, Pieriam, ad Euphratem, ad Belum, Ptolemaeus facit. OCVLI *doluiſſent*,} ſic apud Terentium in Phormione: Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nauſiſtrata, & quod tuo uiro oculi doleant. IN. REPVLSA} cum auguratum peteret, in locum Hortenſij mortui, quem augurem fuiſſe, & Philipp. 2. & prooemium libri de claris Orat. demonſtrat. COMITIA} non centuriata, ſed tributa: quod ex Philipp. 2 & alijs praeterea locis intelligitur. augures enim hoc tēpore populus creabat, lege lata a T. Atio Labieno, tribuno pl. antea creabantur ab ipſo collegio. diximus copioſe in libro de Legibus. STVDIA} & quidem tanta, ut multi poſtea de ui condemnati ſint. quia nimis Antonij ſtudioſi fuiſſent. NECESSITVDINEM *ſecuti*,} officium, inquit, perpauci praeſtiterunt: amicitiae habita ratio eſt. uerum hoc ita Coelius implicauit, ut ex ipſis non facile uerbis exprimatur. nam, Neceſsitudinem ſecuti, non eſt unde pendeat, niſi referatur ad, Perpauci. quod ſi fit, perpauci uidebuntur neceſsitudinem ſecuti: cum tamen contraria ſit ſententia. conſtat enim dici, Perpaucos officium praeſtitiſſe, quia plerique neceſsitudinem ſecuti ſint. NE *familiarem quidem ſuum*} notat ingenium Domitij, cui familiares etiam odio eſſent. PER. INIVRIAM} quod ſibi, uiro conſulari, M. Antonius, qui nondum tribunatum pl. adeptus erat, in auguratu praelatus eſſet. EREPTVM,} id, quod petebat auguratum. CVIVS *ego auctor fuerim*.} quid mirum? cum amiciſsimus Curioni eſſet Coelius, Curio autem uehementer Antonio faueret. quod ei obijcit Cicero Philipp. 2. An, inquit, cum es factus augur, unam tribum ſine Curione ferre potuiſſes? cuius etiam familiares de ui condemnati ſunt, quod tui nimis ſtudioſi fuiſſent. Plutarchus etiam, Curionis praecipue opera, tribunatum hoc anno gerentis, Antonium augurem creatum narrat. GAVISOS *ſuum dolorem*,} ep. 2. dixit, Gaudium gauderemus. VNVMQ. *me ſtudioſiorem Antonij*.} me potiſsimum Antonij ſtudioſiorem, quam ipſius fuiſſe. de Antonio, augure creato legimus in Philipp. 2. apud Hirtium lib. IIX. de bello Gallico. apud Plutarchum in eius uita, & hic ep. 22. lib. XII. ſuum collegam Cicero appellat. IPSE *Cn. Domitius*} Lucij filius. de quo illa ſuperiora ſcripta ſunt. Docet Suetonius, Domitiam gentem duobus tantum praenominibus uſam eſſe, Lucio, & Caio. huic autem, qui Saturninum accuſauit, Lucij, qui cum Ap. Claudio conſul fuerat, filio, quem in auguratu repulſam eſſe paſſum Coelius oſtendit, praenomen fuiſſe Cnaeo, ex Dione cognoſcitur. REVM *fecit*,} reum facere, non eſt, in iudicio accuſare; ſed, poſtulare. ſic ep. 6. dixit, Appium a Dolabella reum factum, cum de poſtulatione intelligeret, ut ibidem patet. SVPERIORE *a uita*} alij legunt, Superiore uita: non diuerſa ſententia. ego, ne diſcedam a ueteribus libris, in quibus eſt, Superior ea uita, legendum duxi, Superiore a uita. NVNC *in exſpectatione eſt*,} ubicumque ſcriptos libros, praeſertim & multos, & uetuſtiores, diſſentire uideo ab impreſsis; operaepretium puto, lectorem admoneri. nam, etſi perſpicue patet ſententia, uidendum tamen, eius ne ſit, qui librum compoſuit, an eius, qui deſcripſit, aut emendare conatus eſt. Hic antiqui libri, quos quidem ego uiderim, omnes, in omnibus uerbis aliter habent, atque in uulgatis legitur: Non, pro Nunc: In, non habent: Exſpectationem, pro Exſpectatione: Ineſt, pro Eſt. SEX. *Peducaei*} amiciſsimus Pomponij Attici fuit. Nepos in Attici uita, Cicero in epiſtolis. ABSOLVTIONEM.} ſignificat, cum nocentiſsimus eſſet, tamen abſolutum. quo exemplo bene ſperandum omnibus reis. NECESSE. EST,} non enim erat inter Pompeium, & Caeſarem neceſſaria, ſed uoluntaria contentio. RERVM *potiuntur*,} auctoritate, gratia, opibus in ciuitate plurimum poſſunt, alij pro Caeſare, alij pro Pompeio ſentientes. ſic locutus ep. 8. lib. I. CONSVLEM *aliter fieri*,} aut non peti a Caeſare conſulatum, aut a praeſente peti, exercitu & Gallijs ſucceſſori traditis, Pompeius uolebat. SE *ſaluum eſſe non poſſe*,} timebat, ne priuatus in iudicium uocaretur ab inimicis ob ea, quae conſul contra auſpicia, interceſsionesq. pro ſua potentia fecerat. Suetonius. AMBO *exercitus tradant*.} aequa condicio uidebatur: ſed hoc ſperabat Caeſar, dimiſsis ab ipſo, & a Pompeio exercitibus, ſe tamen, cum uellet, facile ſuos milites, qui cum eo per tot annos uixerant, reuocare poſſe. quod Pompeio de ſuis, nouo delectu coactis, non item ſperare licuit. & ob hanc fortaſſe cauſſam, (ut aliae ſileantur) oblatam a

Caeſare

Caeſare condicionem Pompeius recuſauit. Hirtius lib. IIX. de bel. Gal. C. Curio tribunus pl. cum Caeſaris cauſſam, dignitatemq. defendendam ſuſcepiſſet, ſaepe erat ſenatui pollicitus, ſi quem timor armorum Caeſaris laederet, & quoniam Pompeij dominatio, atque arma non minimum terrorem foro inferrent, diſcederet uterque ab armis, exercitumq. dimitteret: fore eo facto liberam, & ſui iuris ciuitatem. neque hoc tantum pollicitus eſt, ſed etiam per ſe diſceſsionem facere coepit. quod ne fieret, conſules, amiciq. Pompeij iuſſerunt. Id etiam ad ſenatum a Caeſare ſcriptum eſſe, & hanc ab eo, poſt belli ciuilis initia, condicionem eſſe delatam, ipſe demonſtrat lib. I. de bel. ci. Proficiſcatur, ait, Pompeius in ſuas prouincias; ipſi exercitus dimittantur, diſcedant in Italia omnes ab armis; metus e ciuitate tollatur. Idem confirmat Appianus, Plutarchus, & alij. ILLI. AMORES,} qui fuerunt inter Caeſarem, & Pompeium, praeſertim poſt nuptias Iuliae, Caeſaris filiae, Pompeio collocatae. INVIDIOSA} inuiſa, quam improbarunt omnes boni. SE. ERVMPIT.} ſic liber Sigonij, & recte: ut cum proximo uerbo, Recedit, congruat: nam ſi, Erupit, legatur, ut eſt in pleriſque antiquis libris, reponendum erit, Recidit, pro Recedit, contra ueterum librorum auctoritatem. Erumpit, & Erumpit ſe, ueteres dicebant. Caeſar lib. 2. bel. ci. Portis ſe foras erumpunt. Virg. lib. I. Georg.

Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diuerſi erumpunt radij. &lib. IV. ibidem:
Et caput unde altus primum ſe erumpit Enipeus. Et lib. III. Aen.
Interdumq. atram prorumpit ad aethera nubem. Lucretius lib. IV.
Tandem ubi ſe erupit neruis coniecta cupido, Parua fit ardoris uiolenti pauſa parumper.

Attius Epigono, apud Nonium: Imperitus ſtupiditate erumpit ſe, impos conſilij. Erumpere ſtomachum, dixit Cicero ad Att. lib. XVI. Lege arcano conuiuis tuis, ſed, ſi me amas, hilaris, & bene acceptis: ne in me ſtomachum erumpant, cum ſint tibi irati. Et Terentius Eun. Iam ne erumpere licet hoc mihi gaudium? Sic, Emergit, & Emergit ſe, probauit antiqua conſuetudo. Cicero de haruſp. reſp. Tum ſe emergit, & fertur illuc. Nepos in Attici uita: Quibus ex malis ut ſe emerſerat. NON. REPERIO:} reſpondit ad hanc ſententiam Cicero his uerbis ep. 15. lib. 2. In rep. non ualde te iactas: diſtrictus enim mihi uideris, quod & bonus ciuis, & bonus amicus es. QVOD *non dubito*,} Modus loquendi, parum fortaſſe animaduerſus. nam, Quod, ualet Sed: ut ep. 4. lib. XIV. Quod utinam minus uitae cupidi fuiſſemus. Et Philippica x. Quod qui ab illo abducit exercitum; & reſpectum pulcherrimum, & praeſidium firmiſsimum adimit reip. Et Caeſar lib. 2. bel. ci. Quod ubi hoſtes uiderunt ea. Et lib. III. Quod cum eſſet animaduerſum, coniunctã eſſe flumini. Varro lib. VI. lin. Lat. Quod cum dicunt conſpicionem, addunt cortumionem. Liuius lib. XLI. Quod cum milites conſulis imperio dicto audientes eſſe dicerent, cum is more maiorum, ſecundum uota in Capitolio nuncupata, lictoribus paludatis profectus ab urbe eſſet. Plinius lib. XIIX. cap. 23. Quod ut hanc quoque curam determinemus. CVM *hominibus his*} cum Pompeianis. CAVSSAM *illam*,} Caeſaris, extraordinariam potentiam quaerentis, qui ſenatui dicto audiens eſſe nollet. NON *homines*,} amabat enim Curionem, Antonium, Dolabellam, Caeſaris cauſſam acerrime tuentes. de Antonio paullo ante in hac ipſa epiſtola: de Curione ſaepe: de Dolabella ep. 13. ID. MELIVS *ſtatuere, quod tutius ſit*.} quemadmodum ipſe ſtatuit. QVIQ. *res iudicant*,} iudices: quos Pompeius tertium conſul CCCLX legerat. ſupra. Docemur exemplis, ueteres dixiſſe, Qui res iudicãt, cum iudices ſignificarent. lib. 2. de Orat. Philipp. I. & V. & Q. Cicero in de petitione conſulatus, & Pedianus in Piſonem. QVI *cum timore, aut mala ſpe uiuant*,} qui uel iudicia metuant ob delicta, uel, hoc reip. ſtatu, nihil ſperent. Idem Cicero confirmat ep. 3. lib. VII. ad Att. Hoc, inquit, uideo, cum homine audaciſsimo, paratiſsimoq. negotium eſſe; omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione, ignominiaq. dignos illac facere, omnem illam urbanam, ac perditam plebem, omnes, qui aere alieno premantur. SCIS *Appium cenſorem hic oſtenta facere?*} modus loquendi, cum aliquid uix credibile ſignificamus. ep. 13. Scis Domitio diem timori eſſe? Et ep. 4. lib. IIX. ad Att. Sulmone C. Atium Paelignum aperuiſſe Antonio portas, cum eſſent cohortes quinque, Q. Lucretium inde effugiſſe ſcis? & ep. 9. lib. IX. ad eundem: Lentulum noſtrum ſcis Puteolis eſſe? Cenſor Appius fuit cum L. Piſone, anno urbis DCCIII. ep. ultima lib. III. Dio lib. XL. de Diuin. lib. I. & in declamatione in Salluſtium. Oſtenta facere uidebatur, cum bonum uirum ſimularet. ſignis enim, ac tabulis qui ſummopere delectetur, is ſi alios ab eiuſmodi ſtudio, ac ſumptu deterreat, non oſtentum eſt? Appium autem ſigna, & tabulas, ornamentum quod ſuperfuit in fanis, & communibus locis, tota e Graecia, atque inſulis omnibus abſtuliſſe, ſcripſit Cicero in oratione pro domo: & in eadem paullo poſt furem appellat: Imaginem, ait, meretricis, a fure ſublatam, a ſacrilego collocatam. DE *agri modo*,} ſic malui, contra ueteres omnes libros, quam, De agris modo. quam enim ſententiam habet, De agris modo? at, ſi legamus, De agri modo, hoc ſignificabitur, egiſſe acerrime Appium cenſorem de moderãda agrorum poſſeſsione: quod maiorum memoria fecerant C. Licinius, & L. Sextius tribuni pl. lege lata de agrorum modo, ne quis ultra D iugera agri poſsideret. Liuius lib. VI. & Epitome lib. LIIX. Eandem rem ſignificat, & eodẽ modo locutus eſt Varro lib. I. de re ruſt. Licinij Stolonis, inquit, maiores de modo agri legem tulerunt. Cicero etiam in epiſtola ad Atticum lib. XIII. de modo agri mentionem facit, ut alia eiuſdem, & aliorum exẽpla praetermittam. DE *aere alieno*} fortaſſe, ne debitores uſuris exhaurirentur. cui malo ijdem tribuni pl. proxime nominati, lege mederi conati ſunt, hoc modo, ut, deducto de capite quod uſuris pernumeratum eſſet, id, quod ſupereſſet, triennio aequis portionibus perſolueretur. Liuius lib. VI. ACERRIME *agere?*} non, ut legem ferat: neque enim ius ferendi leges cenſores habebant. quod etiam diximus in libro de Legibus: ſed, ut auctoritate cenſoria ſumptus moderetur, qui fiunt in ſigna, & tabulas; agrorum

autem

autem poſſeſsionibus modum faciat, quibus de rebus acerrime Appius agebat in ſenatu, ut conſules referent. ad Att. ep. ultima lib. VI. CENSVRAM *lomentum, aut nitrum eſſe,*} cenſuram ita ſordes poſſe aut obtegere, ut lomentū rugas tollit; aut eluere, ut nitro e ueſtibus eluuntur maculae: ideſt, putat ſe cenſurae diligentia, & ſeueritate infamiam poſſe tollere eorum uitiorum, quibus antea ſe turpiter inquinauit. Philipp. I. Vt quiſque ſordidiſsimus uidebitur, ita libentiſsime ſeueritate iudicādi ſordes ſuas eluet. Maculas autem nitro tolli ſolitas, uel illud Hieremiae prophetae indicat, cap. 2. Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam bouis: maculata es in iniquitate tua coram me dicit Dominus deus. Quem locum attingens B. Hieronymus ep. 47. Cauenda inquit macula quae nullo nitro, ſecundum Hieremiam, nulla fullonum herba elui poteſt. VISCERA. APERIT} tantum abeſt, ut ueterem de ſuis uitijs opinionem hominum deleat, ut eam hac ſeueritate uehementius etiam commoueat. APVD. DRVSVM} Liuium Druſum, praetorem, quo nemo magis contra legem Scantiniam commiſit. fortaſſe is eſt, qui ep. 16. lib. IV. ad Att. nominatur; & qui Liuiae, quae Auguſto poſtea nupſit, mater fuit. APPIVM} male audientem earum rerum cauſſa, de quibus acerrime agit. CVRIO} tribunus pl. REMISIT *de ſtipendio Pompei,*} hoc tempore optimatibus, & Pompeio acerrimus Curio erat aduerſarius. intercedebat igitur, ne S. C. fieret de ſtipendio, Pompeij legionibus perſoluendo. ep. 4. PARTHICVM BELLVM} Craſſo enim cum legionibus Romanis caeſo, finitimis Romanorum prouincijs Parthi minabantur: contra quos uel Caeſar, uel Pompeius, qui rei bellicae gloria eminebant, mittendus uidebatur. ep. 8. & ep. ultima lib. VII. ad Att. IVDICABIT.} quaſi, armorum iudicio, ac ſententia dirimentur eorum diſcordiae. Meus liber habet, Vindicabit: unus Sigonij, Vindicauit. SINE *ſummo periculo*} nec obſcura eſt, nec abſurda ſententia. diligenter tamen conſiderandum cenſeo, cur in omnibus plane ueteribus libris pro, Summo, ſcriptum ſit, Suo. ex quo nonnullis arbitror coniecturam, eſſe ortam, Tuo, legendum eſſe. quod eſt in quibuſdam libris Tranſalpinis. IVCVNDVM} nullum inter ciues iucundum bono uiro certamen eſſe poteſt, uel ſi ſine periculo ſit: ſed loquitur Coelius ex ingenio ſuo.

## Argumentum ep. 15.

*Prima pars epiſtolae Pompeium uituperat, Caeſarem laudat. orto enim ciuili bello, tutiorem partem, non honeſtiorem, Coelius elegerat: ut re ipſa comprobaret, quod ſcripſerat epiſtola proxima, his uerbis: Illud te non arbitror fugere, quin homines in diſſenſione domeſtica debeant, quam diu ciuiliter ſine armis certetur, honeſtiorem ſequi partem; ubi ad bellum, & caſtra uentum ſit, firmiorem; & id melius ſtatuere, quod tutius ſit. Subiungit de ſua cupiditate conueniendi, & alloquendi Ciceronis: de itinere ad Alpes: de Domitio, Caeſaris hoſpite, interfecto. Scripſit autem hāc epiſtolam anno ſequenti poſt ſuperiores, ideſt, Lentulo, & Marcello cos. Meminit enim in extrema epiſtola de Domitio Ahenobarbo, Corfinij a Caeſare capto, & dimiſſo.*

### *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 15.

ECQVANDO *tu hominem ineptiorem, quam tuum Cn. Pompeium, uidiſti, qui tantas turbas, qui tam nugax eſſet, commorit? ecquem autem Caeſare noſtro acriorem in rebus gerendis, eodem in uictoria temperatiorem aut legiſti, aut audiſti? quid eſt? nunc tibi noſtri milites, qui duriſſimis, & frigidiſſimis locis, taeterrima hieme, bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis eſſe paſti uidentur. quid? iam, inquis, glorioſe omnia. ſi ſcias, quam ſollicitus ſum, tum hanc meam gloriam, quae ad me nihil pertinet, derideas. quae tibi exponere, niſi coram, non poſſum: idque celeriter fore ſpero. nam me, cum expuliſſet ex Italia Pompeium, conſtituit ad urbem uocare: id quod iam exiſtimo confectum: niſi maluit Pompeium Brundiſij circumſedere. peream, ſi minima cauſſa eſt properandi iſto mihi, quod te uidere, & omnia intima conferre diſcupio. habeo autem quam multa. hui uereor, quod ſolet fieri, ne, cum te uidero, omnia obliuiſcar. ſed tamen quodnam ob ſcelus iter mihi neceſſarium retro ad alpes uerſus incidit? adeo, quod Intemelij in armis ſint, neque de magna cauſſa. Bellienus, uerna Demetrij, qui ibi cum praeſidio erat, Domitium quendam, nobilem illic, Caeſaris hoſpitem, a contraria factione nummis acceptis, comprehendit, & ſtrangulauit. ciuitas ad arma ijt. eo nunc cohortibus mihi per niues eundum eſt. Vſquequaque, inquis, ſe Domitij mali dant. Vellem quidem Venere prognatus tantum animi habuiſſet in ueſtro Domitio, quantum Pſecadenatus in hoc habuit. Ciceroni F. S. D. Vale.*

EXPLA-

# EXPLANATIO

INEPTIOREM,} qui nihil prudenter, nihil ſtrenue agat. & ſane bene ciuilis initio multa Pompeius peccauit, ſed illud maxime, quod urbem reliquit, diſſentiente Cicerone, qui ſcripſit haec ad Tironem ep.xi.lib.xvi. Vrbem reliquimus; quam ſapienter, aut quam fortiter, nihil attinet diſputare. Et ad Marcellum ep.7.lib. iv. Idem etiam illa uidi, neque te conſilium ciuilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeij, nec genus exercitus probare, ſemperq. ſumme defendere: qua in ſententia me quoque fuiſſe, memoria tenere te arbitror. ad Att. autẽ lib.vii. Ducem ἀςρατήγητον, id eſt imperitũ militandi uocat Pompeium.& ſaepe queritur de urbe relicta. TANTAS *turbas*,} is enim remp. perturbauit, cum ea Caeſari conaretur eripere, quae ut ei tribuerentur, idem in ſecundo, tertioq. conſulatu laborauerat, atque effecerat. Tumultum illum domeſticum, & Cicero Turbas appellauit ep.10. lib.xvi. TAM *nugax*} contemnens enim Caeſarem, eiuſq. legiones, dixerat id, quod Plutarchus litteris mandauit: Cum terram Italiae pede pulſabo, ſcatebunt peditum equitumq. copiae. quod cum non praeſtitiſſet, allato nuncio de Caeſaris aduentu, omnibus in urbe trepidantibus, Fauonius ad Pompeium conuerſus, Nunc, inquit, terram pede pulſa, &, quas promiſiſti, copias coge. ACRIOREM *in rebus gerendis*,} ſummam Caeſaris in omnibus bellis uigilantiam, ac celeritatem uel inimici eius laudare cogebantur: & Cicero ipſe, cum Pompeio faueret, Caeſari eſſet infenſus, tamen illud ſcripſit ad Att.lib.iix. Hoc τέρας horribili uigilantia, celeritate, diligentia eſt plenum. Et ad eundem lib. vii. Cum homine audaciſsimo, paratiſsimoq. negotium eſſe uideo. Ad Tironem autem ep.10.lib.xvi.Numquam improbi ciues habuerunt paratiorem ducem. IN VICTORIA *temperatiorem*} hoc dicit, quia Caeſar, Corfinio capto, omnibus pepercerat, in ijs Domitio Ahenobarbo, inimiciſsimo ſuo: quod ante demonſtratum eſt. Plutarchus, Appianus, Dio, ipſe Caeſar lib.1.de bel.ci. & alij. DVRISSIMIS, *& frigidiſsimis locis*,} circa Corfinium, in Paelignorũ regione ſitum. TAETERRIMA *hieme*,} quid hieme taetrius, ob imbres, niues, procellas, frigora, uiarum difficultates, agri uaſtationem? AMBVLANDO} Pompeianorum negat ignauiam; cum Caeſaris milites bellum, quaſi ludendo, ambulando confecerint. CONFECERVNT,} loquitur de bello Corfinienſi.nam Pompeius, nondum uictus, Brundiſium ſe cum exercitu contulerat. MALIS *orbiculatis*} optimo alimento. Laudantur a Varrone lib.1. de re ruſt.& Columella lib. v. Confirmat idem ep. 17. Noſtri milites facile algere, & eſurire cenſuerunt. IAM, *inquis, glorioſe omnia*.} dices: Iam uobis omnia glorioſe ſucceſſerunt. AD. ME *nihil pertinet*,} me nihil tangit, minime delectat. dixit enim: Si ſcias, quam ſollicitus ſum: ne uideatur optimatum cauſſam, quam Cicero probabat, libenter oppugnare. ideoq. ſubiungit: Quae tibi exponere, niſi coram, non poſſum. EXPVLISSET} *ex Italia*} quod fecit. Caeſaris autem nomen hic ſubaudiri, ſatis conſtat ut ep.19.lib.vi. In qua ille ſe dediſſe beneficium putabit.& ep.6. lib.ix. CONFECTVM:} pulſum Italia Pompeium. NISI *maluit*} quaſi ſit in Caeſaris poteſtate, uel expellere Pompeium Italia, uel Brundiſij maritimis, terreſtribuſq. copijs circumſedere. PEREAM, *ſi minima cauſſa eſt*} peream, niſi maxima cauſſa eſt. DISCVPIO.} uehementer cupio. Plautinum uerbum, quo etiam Catullus uſus eſt. QVOD *ſolet fieri*,} qui enim uehementer amant inter ſe, tantam, adſpectu mutuo, iucunditatem percipiunt, ut cetera ſaepe obliuiſcantur omnia. SED *tamen*} quamquam, ad urbem uenire, tua maxime cauſſa, diſcupiam, tamen caſu quodam factum eſt, ut retro ad alpes uerſus ire cogar. QVODNAM *ob ſcelus*} quid ego commiſi, quod eſt meum delictum, cur ire nunc, quo minime uellem, cogar? Quaſi hoc peccati alicuius poena ſit. AD ALPES *uerſus*} ita ueteres loquebantur. Caeſar lib vi.bel.G.Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum uerſus proficiſci iubet.Salluſtius in Iugurthino: Metellus animaduertit fugam ad ſe uerſum fieri. Hirtius de bello Africano: Salluſtium praetorem ad Cercinnam inſulam uerſus cũ parte copiarum ire iubet. Liuius lib. 1. In lapide ad meridiem uerſus conſedit. Feſtus: Eam partem Eſquiliarum, quae iacet ad Vicum patricium uerſus. ADEO,} ob eam cauſſam. nec enim aliud hic, Adeo, uidetur ſignificare. INTEMELII} Intemelium opidum Plinius citra alpes conſtituit, & inter Ligurum gentes nominat lib. iii. cap. 5. VERNA} olim uerna: nunc autem Intemelij cum praeſidio erat. Vernae ſunt ſerui, ex ancillis nati. COHORTIBVS} pro, Cum cohortibus. Sic enim interdum locutos eſſe ueteres animaduerti. Quidam legunt, Cum cohortibus: quibus fortaſſe aſſentirer, ſi, Cum, in ullo antiquo libro reperirem. Sed additum fortaſſe a rudibus Latinae linguae, quos offenderet minus obſeruata loquendi ratio. exempla aliquot afferam. Cicero Philippica ultima: His uiginti cohortibus, nullo equitatu, conflixit. Liuius lib. 1. Egreſſus omnibus copijs, partem militum locis circa denſa obſita uirgulta obſcuris ſubſidere inſidijs iuſsit. Et lib. xxci. Eodẽ decem nauibus C. Furius, duumuir naualis, uenit. Et Q.Curtius lib.iv.Vachas peruenit, ubi excepere eum Graecorũ quattuor millia, quibus ad Euphratem contendit. SE. DOMITII *mali dant*.} uidetur ſignificare: Domitij omnes male ſe habere: quoniam & Domitius Ahenobarbus paullo ante Corfinij captus erat a Caeſare. Sed hoc loquendi genus, Se Domitij mali dant, inuſitatum & aſperum eſt. QVANTVM *ipſe cadenatus*} ante multos annos in omnibus uulgatis libris legebatur, Ipſe catenatus. Octauius Pantagathus, uir bonis omnibus ob inſignem probitatem, & doctrinam iure cariſsimus, cultus a me ſemper optimi parentis loco, legendum primus exiſtimauit, Pſecade natus: ut ſignificetur Bellienus uerna. Pſecas enim ancilla eſt: uernas autem eos eſſe, qui ancillis naſcantur, iam diximus. Si Bellienus, ait Coelius, ancilla natus, Domitium comprehendere, & ſtrangulare non dubitauit: quid Caeſari, Venere prognato, in ueſtro Domitio faciendum fuit? Commendat

mendat

mendat igitur, ac ualde probat Pantagathi opinionem antithetorum gratia; ( nam Coelius Coeliano illo more, hoc eſt perargute, Pſecade natus, & Venere prognatus, oppoſuit ) confirmat ueterum librorum auctoritas, in quibus fere omnibus eſt: Ipſe cadenatus: ut, una detracta litterula, i, ſuus loco nitor, ſuaq. reddatur integritas. De Pſecade ſi quis exempla quaerit, Iuuenalem legat Sat. VI. & Ouidium libro III. Met.

---

# Argumentum ep. 16.

*PVlſo ex Italia Pompeio, ſuadet Ciceroni Coelius, ne afflictam fortunam ſequatur, ſed in aliquem locum a bello uacuum ſecedat. Suaſio eſt ab utili contra honeſtum. caſtris enim Pompeij, & conſulum defendi reſp. uidebatur.*

## *M. Coelius S. D. M. Ciceroni.* 16.

EXANIMATVS *ſum tuis litteris, quibus te nihil, niſi triſte, cogitare oſtendiſti: neque, id quid eſſet, perſcripſiſti: neque non tamen, quale eſſet, quod cogitares, aperuiſti. has ad te illico litteras ſcripſi. Per fortunas tuas, Cicero, per liberos te oro, & obſecro, ne quid grauius de ſalute, & incolumitate tua conſulas. nam deos, hominesque, amicitiamq. noſtram teſtificor, me neque temere tibi praedixiſſe, neque temere monuiſſe, ſed, poſtquam Caeſarem conuenerim, ſententiamq. eius, qualis futura eſſet parta uictoria, cognouerim, te certiorem feciſſe. Si exiſtimas eandem rationem fore Caeſari in dimittendis aduerſarijs, & condicionibus ferendis, erras. nihil, niſi atrox, & ſaeuum, cogitat, atque etiam loquitur: iratus ſenatui exijt: his interceſſionibus plane incitatus eſt. non mehercules erit deprecationi locus. quare, ſi tibi tu, ſi filius unicus, ſi domus, ſi ſpes tuae reliquae tibi curae ſunt; ſi aliquid apud te nos, ſi uir optimus gener tuus ualet; quorum fortunas non debes uelle conturbare: ut eam cauſſam, in cuius uictoria ſalus noſtra eſt, odiſſe, aut relinquere cogamur; aut impiam cupiditatem contra ſalutem tuam habeamus. denique illud cogita; quod offenſae fuerit, in iſta cunctatione te ſubiſſe. nunc te contra uictorem facere, quem dubijs rebus laedere noluiſti, & ad eos fugatos accedere, quos reſiſtentes ſequi nolueris, ſummae ſtultitiae eſt. uide, ne, dum pudet te parum optimatem eſſe, parum diligenter, quid optimum ſit, eligas. quod ſi totum tibi perſuadere non poſſum: ſaltem, dum, quid de Hiſpanijs agamus, ſcitur, exſpecta: quas tibi nuncio aduentu Caeſaris fore noſtras. quam iſti ſpem habeant amiſſis Hiſpanijs, neſcio: quod porro tuum conſilium ſit ad deſperatos accedere, non mediusfidius reperio. hoc, quod tu, non dicendo, mihi ſignificaſti, Caeſar audierat, ac ſimul atque, haue, mihi dixit, ſtatim, quid de te audiſſet, expoſuit. negaui me ſcire: ſed tamen ab eo petij, ut ad te litteras mitteret, quibus maxime ad remanendum commoueri poſſes. me ſecum in Hiſpaniam ducit. nam, niſi ita faceret, ego prius, quam ad urbem accederem, ubicumque eſſes, ad te percurriſſem, & hoc a te praeſens cōtēdiſſem, atq. omni ui te retinuiſſem. Etiā, atq. etiā, mi Cicero, cogita, ne te tuoſq. omnes funditus euertas: ne te ſciens, prudensq. eo demittas, unde exitum uides nullum eſſe. quod ſi te aut uoces optimatium commouent; aut non nullorum hominum inſolentiam, & iactationem ferre non potes; eligas, cenſeo, aliquod opidum uacuum a bello, dum haec decernuntur, quae iam erunt cōfecta. id ſi feceris; & ego te ſapienter feciſſe iudicabo; & Caeſarem non offendes. Vale.*

## EXPLANATIO

EXANIMATVS} tranſlato uerbo dolor incredibilis oſtenditur. ep. 15. lib. IX. Miraris me tanta perturbatione ualetudinis tam grauiter exanimatum fuiſſe? TVIS *litteris,*} quae non exſtant. multas enim periſſe conſtat. Tiro libertus, quas reperit, in uolumina retulit: quae ad aetatem noſtram peruenerunt. APERVISTI.} non perſcripſiſti, quid eſſet, quod cogitares: ſignificatione tamen quadam oſtendiſti. PER *fortunas tuas,*} uſurpatur hic loquendi modus cum dolore, aut certe cum ſumma cupiditate obſecrantis, ut ep. I. lib. XIV. Per fortunas miſeras noſtras, uide, ne puerum perditum perdamus. Et ad Att. ep. 20. lib. III. Per fortunas, incumbe, ut facis. Et ad eundem ep. XI. & 13. lib. V. NE QVID *grauius de ſalute tua conſulas.*} ne quid ſtatuas, quod ſaluti tuae non expediat. QVALIS *futura eſſet*} explanat hoc id, quod ſequitur, Nihil, niſi atrox, & ſaeuum, cogitat. Huic ſententiae reſpondit Cicero his uerbis, ep. 16. lib. 2. Nec me iſta terrent, quae mihi a te ad timorem fidiſsime, atque amantiſsime proponuntur. EANDEM *rationem fore Caeſari*} ita lenem fore Caeſarem in ſalute aduerſarijs tribuenda, ut fuit in condicionibus de pace. tulerat enim illam condicionem, ut ipſe, & Pompeius exercitus tradant. ep. 14. IRATVS *ſenatui*} quia non obtinuiſſet, ut legati ad Pompeium de pace mitterentur: & quod, quaſcumque res agere inſtituerat, L. Metellus tribunus pl. intercedens, omnes impedierat: de quo ſcripſit Caeſar lib. I. de bel. ci. & Plutarchus in eius uita. EXIIT:} urbe, iturus in Hiſpaniam contra Pompeij legatos, ip-

ſo iam

ſo iam Italia pulſo. INTERCESSIONIBVS} L. Metelli tribuni pl. de quo ſic lib. I. de bel. ci. Subijcitur L. Metellus tribunus pl. ab inimicis Caeſaris, qui hanc rem diſtrahat, reliquasq. res, quaſcumque agere inſtituerat, impediat. cuius cognito conſilio, Caeſar, fruſtra diebus aliquot conſumptis, ne reliquum tempus omittat, infectis ijs, quae agere deſtinauerat, ab urbe proficiſcitur. Interceſsionis cauſſam, quam referre Caeſar in ſuos Commentarios noluit, exponit Dio lib. XLI. quod, cum ferretur lex, ut promere pecuniam ex aerario Caeſari liceret, interceſsit L. Metellus tribunus pl. qui cum interceſsionem uideret, aerarij ianuã cuſtodire cepit. Sed milites, effracta ſera, aditum ad pecunias Caeſari dederunt. Plutarchus Caeſarem obſiſtenti Metello, ne pecunias ex aerario ſumeret, mortem minitatum eſſe tradit. Subſcribit Appianus. nec aliter Cicero ep. 4. lib. x. ad Att. Iracundia elatum, inquit, uoluiſſe occidi Mettellum. SI . TIBI *tu, ſi filius unicus,*} hanc partem, miſerabiliter ſcriptam, non ſine magno fletu lectam eſſe a duobus pueris Ciceronibus Attico ſignificauit his uerbis lib. x. Lacrumae meorum me interdum molliunt, precantium, ut de Hiſpanijs exſpectetur. M. Coeli quidem epiſtolam, ſcriptam miſerabiliter, quae hoc idem obſecraret, ut exſpectarem, ne fortunas meas, ne unicum filium, ne meos omnes tam temere proderem, non ſine magno fletu legerunt pueri noſtri. DOMVS,} Domum poſuit pro domeſticis: ut ep. 12. lib. IV. ad Att. Domus te tota ſalutat. SI . ALIQVID *apud te nos,*} rogo te pro eo, quanti apud te ſum. GENER *tuus*} Dolabella, qui apud Caeſarem erat. VT *eam cauſſam,*} cauſſam Caeſaris. uerum in hoc uerborum ambitu deſiderari aliquid uidetur. Sed Coelius rationes perſequitur, uerborum ſtructuram non attendit. SALVS *noſtra*} mea, & Dolabellae. IMPIAM *cupiditatem*} nam, ſi cupimus eam uictoriam, in qua ſalus noſtra poſita eſt; ſimul perniciem cupimus eorum, qui Pompeium ſequuntur. quorum in numero ſi fueris; cogemur impie cupere contra ſalutem tuam. QVOD *offenſae fuerit,*} ſi uereris, ne, in Italia ſi remanſeris, Pompeium offendas: cogita, te, cum nondum ad eum tranſieris, hac eum cunctatione iam offendiſſe. quidquid eſſe potuit apud eum offenſae, id ſubijſti, quia cunctatus es, nec ad eum ſtatim acceſiſti. Quod hic Coelius, idem Atticus exiſtimauit, ut ad eum ep. 2. lib. IX. ſcriptum eſt. VICTOREM} Caeſarem. DVBIIS *rebus*} cum adhuc Pompeius in Italia conſiſteret. FVGATOS} iam in Graeciam Pompeius fugerat. PARVM *optimatem eſſe,*} parum officio fungi boni ciuis. QVID *optimum ſit,*} quid tuae, tuorumq. ſaluti plurimum conducat. TOTVM} ne omnino ad Pompeium tranſeas. DE . HISPANIIS} eiecto Italia Pompeio, ſtatim ad urbem, deinde in Hiſpanias contra eius legatos profectus eſt Caeſar. HOC,} uelle te ad Pompeium nauigare. HAVE,} Haue, matutina ſalutatio fuit; Salue, ueſpertina: ut in Hadriano ſcripſit Dio. AD . TE *litteras mitteret,*} miſit: quae ſunt lib. x. ep. ad Att. OPTIMATIVM} Ciceronem reprehendentium, quod Pompeium, & conſules, ideſt ipſam remp. deſeruiſſet. uide ep. 16. lib. IIX. ad Att. & ep. 2. lib. IX. ad eundem. INSOLENTIAM,} quorundam Caeſarianorum, qui, quaſi iam parta uictoria, ita ſe inſolenter efferant, ut ferre uix poſsis. Cicero reſpondit: Noſti non modo ſtomachi mei, ſed etiam oculorum in hominum inſolentium indignitate faſtidium. ep. 16. lib. 2. IACTATIONEM} qui ſe inſolenter iactant, quaſi deuictis Pompeij partibus. VACVVM *a bello,*} idem ſuaſit gener eius Dolabella, ep. 9. lib. IX. DVM *haec decernuntur,*} dum haec armis diiudicantur, ad exitum perducuntur. Sic Virgilius, Decernere bello. QVAE *iam erunt confecta. id ſi feceris;*} libri ueteres inter ſe diſſentiunt. locum emendauimus ex altero eiuſdem epiſtolae exemplo, epiſtolis ad Att. inſerto lib. x. CAESAREM *non offendes.*} qui etiam ad Ciceronem ſcripſit, nihil ei neque honeſtius, neque tutius eſſe, quam ab omni contentione abeſſe. ad Att. lib. x. Quanto aequior, quam Pompeius, qui ab urbe diſcedens in ſenatu dixerat, eodem ſe habiturum loco, qui Romae remanſiſſent, & qui Caeſaris in caſtris fuiſſent. Caeſar lib. I. de bel. ci.

---

## Argumentum ep. ult.

*QVo tempore bellum in Pharſalia Caeſar, iterum conſul, contra Pompeium gerebat, Romae praetor Coelius, rerum nouarum cupidus, uel quia praetori Trebonio mandatam urbanam iuriſdictionem inique ferret, uel quod graui aere alieno premeretur, magnas turbas commouit; quibus eum Seruilius conſul remouendum a rep. cenſuit. quae dum in urbe agitantur, ſcripſit Coelius hanc epiſtolam, doloris, & iracundiae plenam: in qua ſe Curionis amore, & Appij odio ab optima mente deſciuiſſe, Caeſarisq. partes potius, quam Pompeij, ſecutum eſſe, conqueritur: eiuſq. mutationis culpam in fortunam quoque confert, quae effecerit, ut in Hiſpania eſſet, quo tempore Cicero ad Pompeium in Graeciam profectus eſt. Leuiter*

*etiam ipſum Ciceronem accuſat, quod amici officium neglexerit, paſſusq. ſit eum cum Caeſare coniungi.*

## *M.Coelius S. D. M.Ciceroni.* 17.

ERGO *me potius in Hiſpania fuiſſe tum, quam Formijs, cum tu profectus es ad Pompeium? quod utinam aut Ap. Claudius in iſta parte, aut C. Curio:* ★ *cuius amicitia me paullatim in hanc portam cauſſam impoſuit. nam mihi ſentio bonam mentem iracundia, & amore ablatam. Tu porro, cum ad te, proficiſcens noctu Ariminum, ueniſſem, dum mihi pacis mandata das ad Caeſarem, & mirificum ciuem agis, amici officium neglexiſti, neque mihi conſuluiſti. Neque haec dico, quod diffidam huic cauſſae: ſed, crede mihi, perire ſatius eſt, quam hos uidere. quod ſi timor ueſtrae crudelitatis non eſſet; eiecti iampridem hinc eſſemus. nam hic nunc, praeter feneratores paucos, nec homo, nec ordo quiſquam eſt, niſi Pompeianus. equidem iam effeci, ut maxime patres, &, qui antea noſter fuit, populus ueſter eſſet. cur hoc, inquis? immo reliqua exſpecta: uos inuitos uincere coegero. arruntanum me Catonem. uos dormitis; nec haec adhuc mihi uidemini intelligere, qua nos pateamus, & qua ſimus imbecilli. atque hoc nullius praemij ſpe faciam, ſed quod apud me plurimum ſolet ualere doloris, atque indignitatis cauſſa. quid iſtic facitis? proelium ex ſpectatis, quod firmiſſimum eſt? ueſtras copias non noui: noſtri ualde depugnare, & facile algere, & eſurire conſuerunt. Vale.*

## EXPLANATIO

ERGO *me potius*} indignatio. Ergo, inquit, ita accidit, quod nunc uehementer doleo, ut, cum tu ad Pompeium profectus es, ego in Hiſpania potius cum Caeſare, quam Formijs fuerim. nam omnino tecum in Graeciam nauigaſſem. A Formijs autem orae maritimae praefuerat Cicero: ut ep.XI.lib.XVI. IN. HISPANIA} in qua contra Pompeij legatos, Afranium, & Petreium, Caeſar bellum geſſerat. ep. proxima, Me ſecum, inquit, in Hiſpaniam ducit. AP. CLAVDIVS} Coelij inimiciſsimus. ep. 12. IN. ISTA. PARTE,} in qua tu es. Verum totus hic locus obſcuratur mendo. Mediceus liber: Quod utinam aut Ap. Claudius in iſta parte, C. Curio. unus Sigonij: Cum Curio: cetera eodem modo. alter eiuſdem: Vt C.Curio: cetera eadem. Tres mei: Quod utinam aut Ap. Claudius in iſta parte prohibuiſſet, aut C. Curio. In tanta perturbatione uideant eruditi homines, an emendare locum poſsint: ego ne conari quidem audeo. uarietatem antiquorum exemplarium fideliter oſtendi. C. CVRIO:} Coelij familiaris: ut ep. 7. Fuerat eius quaeſtor Coelius in Africa, cum in acie Curio perijt. Caeſar lib. 2. bel. ci. IN *hanc portam cauſſam*} ſic & Mediceus liber, & quidam alij: meus unus, Partem cauſſam: Sigonij, Parte cauſſam: alter eiuſdem, Partem cauſſae: quod ſententia non reſpuit. IMPOSVIT.} collocauit. IRACVNDIA, *& amore*} iracundia in Appium, amore in Curionem. Iracundiae uitio laboraſſe Coelium, uenuſte docet Seneca lib. III. c. 8. de Ira. Coelium oratorem, inquit, fuiſſe iracundiſsimum conſtat: cum quo, ut aiunt, cenabat in cubiculo lectae patientiae cliens: ſed difficile erat illi, in crapulam coniecto rixam eius, cum quo edebat, effugere: optimum iudicauit, quidquid dixiſſet, ſequi, & ſecundas agere. Non tulit Coelius aſſentientem, ſed exclamauit: Dic aliquid, ut duo ſimus. TV PORRO,} ſic lego ex duobus antiquis libris, niſi ſi Tu tu porro, placet: ut geminato pronomine maior oſtendatur iracundia. in quo liber Petri Pagani cum Mediceo conſentit. ARIMINVM *ueniſſem,*} Arimini, habet unus Sigonij liber. Placuit, Ariminum, ut eſt in altero eiuſdem, atque etiam in meo. poſtulat enim ſententia, & uſus Latinae linguae, Ariminum, potius, quam, Arimini. Veteres aliquot libri, in quibus eſt Mediceus, habent, Veniſſent: mendoſe. NEQVE *mihi conſuluiſti.*} nullam mei curam ſuſcepiſti. ep. 2. lib. III. Proſpicies, & conſules rationibus meis. Fortaſſe ſcripſit Coelius, Mi, non Mihi; quod ideo dico, quia tum in Mediceo libro, tum in ceteris omnibus, Me, ſcriptum eſt. E autem, & I, quam facile commutentur, periti antiquitatis intelligunt. QVOD *diffidam huic cauſſae:*} quod belli exitum timeam: quod uereri mihi ueniat in mentem, ne Caeſar a Pompeio uincatur. SATIVS *eſt,*} melius eſt, praeſtat. ad Att. lib. VII. Video cum altero uinci ſatius eſſe, quam cum altero uincere. VESTRAE *crudelitatis*} minatus enim erat Pompeius, ab urbe diſcedens, hoſtium ſe loco habiturum eſſe, qui in Italia remanſiſſent. atque hanc Pompeianorum crudelitatem Cicero ſignificat ep. 9. lib. IV: An tu, inquit, non uidebas mecum ſimul, quam illa crudelis eſſet futura uictoria? Et ep. 14. ibidem: Si ij uiciſſent, ad quos ego, pacis ſpe, non belli cupiditate adductus, acceſſeram; intelligebam tamen, & iratorum hominum, & cupidorum, & inſolentium quam crudelis eſſet futura uictoria. Et ep. 6. lib. IX. Victoriam etiam illorum timebam, ad quos ueneramus, crudeliter enim otioſis minabantur. Et ep. 6. lib. XI. ad Att. Omnes, qui in Italia remanſerant, hoſtium numero habebantur. legimus idem in Caeſare lib. I. bel. ci. FENERATORES *paucos,*} uictoriam Pompeij timentes, quia praeter ceteros pecunijs abundarent. NEC *homo, nec ordo*} latius patet, Homo, quam, Ordo. itaque ſatis erat, Homo: aut dicendum fuit, Nec ordo, nec homo. ſed excuſat Coelium iracundia, qua perturbatus haec ſcripſit. NISI *Pompeianus.*} omnes antiqui libri, etiam Mediceus: Niſi eſt Pompeianus. PLEBS} cum Populi nomen plebem quoque contineat; & de populo ſequatur mentio; miror hic Plebem nominari: & omnino mendum olere locus uidetur.

detur. quam ſuſpicionem auget uarietas ueterum librorum. tres habent, Partes: cum quibus Sigonianus unus conſentit: alter habet, Pios. unus, Pius. Mediceus, Pies. Hic ego me non explico: exitum fortaſſe reperiet aliorum induſtria. quod ſi mutare liceat; malim, Patres, quam, Plebs: ut ſenatores eos, qui, neutram in partem animo propenſi, in urbe remanſerant, opera ſua Pompeianos factos eſſe dicat: tum de populo ſubiungat. Nec temeraria mutatio uideri poteſt, ſi ex, Partes, fiat, Patres, praeſertim adiuuante ſententia. POPVLVS} popularis maxime Caeſar fuit, optimates aduerſarios habuit. VESTER *eſſet.*} populum ſibi Coelius addixit promulgatis legibus, una, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donabat; altera de tabulis nouis. Caeſar lib. III. bel. ci. RELIQVA *exſpecta:*} ualde hic & ab impreſsis, & inter ſe diſſentiunt ſcripti libri. Mediceus, & duo praeterea, Reliquas exſpectant. alij, Reliqui exſpectant, Reliqua exſpectant, Reliquos exſpectant. Mihi non diſplicet Reliqua exſpectant: ut dicat Coelius, populum reliqua exſpectare, ideſt, ut aliquam ipſe Coelius in urbe ſeditionem commoueat. ARRVNTANVM *me Catonem.*} ſic Mediceus liber, ſic reliqui fere omnes: mendoſe: tamen lectorem ueſtigio ſaltem ueritatis fraudandum non putaui: ut eruditis hominibus liberior, ac facilior coniectura detur, cognito ueterum librorum teſtimonio. M. Catonem, pro, Me Catonem, eſt in uno Sigonij libro. DOLORIS,} huius doloris cauſſam Dio narrat lib. XLII. quod Caeſar Trebonio praetori urbanam iuriſdictionem mandaſſet, quam Coelius expetebat. INDIGNITATIS} quod ſuae dignitatis rationem Caeſar non habuiſſet, Trebonio praelato. ISTIC} in Graecia. nam poſt bellum Hiſpanienſe, quo confecto ſtatim Caeſar in Graeciam contra Pompeium nauigauit, hanc epiſtolam ſcriptam eſſe conſtat. QVOD *firmiſſimum eſt?*} ex parte Caeſaris. Mediceus liber, & alter Petri Pagani, Haec, non Eſt. in quo ſi conſentirent reliqui; legendum, & diſtinguendum ſic arbitrarer: Quod firmiſsimum? nec ueſtras copias non noui. ideſt: nec ueſtras copias ignoro minime cum noſtris conferendas. Verum duo libri habent, Eſt: quod placet. DEPVGNARE,} plus eſt, quam, Pugnare. auget enim, De, in compoſitione. FACILE} nullo incommodo. ALGERE, *& eſurire*} quae diuturnis bellis perferri neceſſe eſt. Caeſaris autem milites nouem annos, Caeſare imperatore, in Gallia pugnauerant. Reſpondet hoc illis uerbis ep. 15. Noſtri milites, qui duriſsimis, & frigidiſsimis locis, taeterrima hieme, bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis eſſe paſti uidentur. CONSVERVNT.} parui refert, utrum, Conſuerunt, an, ut eſt in tribus antiquis libris, Conſueuerunt, legatur. Coelianum potius uidetur, Conſuerunt. amat enim Coelius, ut in ſententijs breuitatem, ſic in uerbis contractionem. itaque ep. XI. Decrerat, maluit, quam, Decreuerat.

IN . EPISTOLARVM

# M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . NONVM

AD . VARRONEM . ET . ALIOS

# PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

---

NON eſt inſtituti noſtri, qui uir, quantusq. M. Terentius Varro fuerit, quamq. multis ueterum teſtimonijs eius eruditio praedicetur, oſtendere. Quinctiliani tantum uerba recitabo, quae ſunt lib. x. Terentius Varro, uir Romanorum eruditiſsimus, plurimos libros, & doctiſsimos compoſuit, peritiſsimus Latinae linguae, & omnis antiquitatis, & rerum Graecarum, noſtrarumq. plus tamen ſcientiae collaturus, quam eloquentiae. Vixit annos centum: quod Valerius lib. IIX. cap. 7. docet. Ante quam duodecimam annorum hebdomadam expleuiſſet, compoſitos a ſe libros ſeptingentos, ipſe ſcripſit in primo libro de imaginibus numeri ſeptenarij. Gellius lib. III. cap. 10.

## Argumentum ep. I. lib. IX.

VARRONIS *aduentum expetit; quod in eius potiſsimum conſuetudine, & ſermone ſpem doloris leniendi, quem capiebat e rerum publicarum interitu, aliquam repoſuerit. Scripta Caeſare tertium, & Lepido cos.*

## *M. Cicero S. D. M. Terentio Varroni.* 1.

EX IIS *litteris, quas Atticus a te miſſas mihi legit, quid ageres, & ubi eſſes, cognoui: quando autem te uiſuri eſſemus, nihil ſane ex eiſdem litteris potui ſuſpicari. in ſpem tamen uenio, appropinquare tuum aduentum: qui mihi utinam ſolatio ſit. etſi tot, tantiſq. rebus urgemur, ut nullam alleuationem quiſquam non ſtultiſſimus ſperare debeat. ſed tamen aut tu potes me, aut ego te fortaſſe aliqua re iuuare. ſcito enim me, poſtea quam in urbem uenerim, rediſſe cum ueteribus amicis, id eſt cum libris noſtris, in gratiam. etſi non iccirco eorum uſum dimiſeram, quod iis ſuccenſerem, ſed quod eorum me ſuppudebat. uidebar enim mihi, cum me in res turbulentiſſimas, infideliſſimis ſociis, demiſiſſem, praeceptis illorum non ſatis paruiſſe. ignoſcunt mihi: reuocant in conſuetudinem priſtinam; teque, quod in eo permanſeris, ſapientiorem, quam me, dicunt fuiſſe. quamobrem, quando placatis his utor, uideor ſperare debere, ſi te uiderim, & ea, quae premant, & ea, quae impendeant, me facile tranſiturum. quamobrem, ſiue in Tuſculano, ſiue in Cumano ad te placebit, ſiue, quod minime uelim, Romae; dummodo ſimul ſimus, perficiam profecto, ut id utrique noſtrum commodiſſimum eſſe uideatur. Vale.*

## EXPLANATIO

ATE MISSAS} ſic antiqui libri ſeptem. nec mutationis cauſſam uideo. TVVM *aduentum:*} abfuit igitur ab urbe Varro diutius, quam Cicero, poſt deuictum in Pharſalia Pompeium. NON *ſtultiſſimus*} ſtultiſsimum eſſe oportet, qui, tam graui reip. tempore, alleuationem ullam ſperare poſsit. IN. VRBEM} cum Caeſar, confecto Alexandrino bello, reuerſus Ciceroni, qui Pompeium ſecutus erat, pepercisſet, eiq. permiſiſſet, ut in urbem ucniret. IN. RES *turbulentiſſimas,*} in bellum ciuile. INFIDELISSIMIS *ſociis,*} Pompeianis, de quorum in remp. atque in me uoluntate nihil mihi certum poſſem polliceri. PRAECEPTIS *illorum*} praecipiunt enim libri, non temere credendum. unde illud Epicharmi, ep. 17. ad Att. lib. 2.

Νῆφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Et ep. 20. ad Att. lib. 2. Pragmatici homines omnibus hiſtoricis praeceptis, uerſibus denique cauere iubent, & uetant credere. IN. EO} ſic ueteres libri omnes. fortaſſe refertur ad, Vſum. dixit enim: Eorum uſum dimiſeram. quod tamen diſtat longius. Vel, In eo: quod praeceptis illorum parueris: in quo ego non permanſi. quamquam hoc falſum uidetur. nam & Varro Pompeium ſecutus eſt, fuitq. una cum Cicerone, & M. Catone Dyrrhachii, cum in Pharſalicis campis dimicarunt Caeſar, & Pompeius. lib. 1. de Diuin. itaque malim accipere, In eo, ideſt in eorum uſu, quem ego dimiſi. ut intelligatur illud tempus quod Pharſalicam pugnam conſecutum eſt. tunc enim Brundiſii Cicero in maerore iacuit, nullo librorum uſu, uictorem Caeſarem timens, cuius ex Alexandrino bello aduentus exſpectabatur. Varro autem, uicto in Pharſalia Pompeio, uidetur in Italiam rediſſe, ut ex epiſtola ſexta colligitur, nec ſe maerori, ut Cicero, ſed litteris dediſſe: quod ex hac epiſtola licet conijcere. QVAE *premant,*} ſupra: Tot, tantisq. rebus urgemur. Tranſlata ſunt, Premant, Impendeant, Tranſiturum. IMPENDEANT,} poſt Africanum bellum; quod Caeſar tunc gerebat. TRANSITVRVM.} tranſeuntes uitamus ea, quae impendent. tranſire etiam dicuntur ea, quae impendent, ut ep. 21. ad Att. lib. 2. AD. TE} ſubaudi, uenire. &, Ad te, pro ad uillam tuam, ſiue in Tuſculano, ſiue in Cumano. ep. 2. 4. 6. PERFICIAM} mutuo ſermone, & ſtudiis communicandis. VIDEATVR.} ſic placet, & ita legitur in duobus antiquis libris. alij habent, Videbitur: uel, Diuidetur: quod utrumque perſpicue mendoſum. alij, Iudicetur: quod minus probauimus. Nonnullis placuit, Dijudicetur: quos ſequi noluimus.

---

## Argumentum ep. 2.

D*Iutius retentae epiſtolae cauſſam exponit: ſuadet, quod ſibi quoque ſtatutum affirmat, ut hominum frequentiam uitet, dum gratulatio, quae propter Africanae uictoriae nuncium fiebat, deferueſcat: cauſſam affert, cur in urbe maneat: ſuumq. iuuandae quoquo modo reip. deſiderium declarat. Scripta eodem anno.*

## *Cicero S. D. Varroni.* 2.

CANINIVS, *idem tuus, & idem noſter, cum ad me peruesperi ueniſſet, & ſe poſtridie mane ad te iturum eſſe dixiſſet; dixi ei me daturum aliquid mane, &, ut peteret, rogaui. conſcripſi epiſtolam noctu: nec ille ad me reddidit. attamen eam ipſam epiſtolã miſiſſem per meos, niſi audiſſem ex eodem, poſtridie te mane e Tuſculano exiturum. at tibi repente paucis poſt diebus, cum minime exſpectarem, uenit ad me Caninius mane; proficiſci ad te ſtatim, dixit. etſi erat ἕωλος illa epiſtola, praeſertim tantis poſtea nouis rebus allatis: tamen perire meam lucubrationem nolui, & eam ipſam Caninio dedi: ſed cum eo, & homine docto, & amantiſſimo tui, locutus ea ſum, quae pertuliſſe illum ad te exiſtimo. Tibi autem idem conſilij do, quod mihimet ipſi; ut uitemus oculos hominum, ſi linguas minus facile poſſumus. qui enim uictoria ſe efferunt, quaſi uictos nos intuentur: qui autem uictos eſſe noſtros moleſte ferunt, nos dolent uiuere. Quaeres fortaſſe, cur, cum haec in urbe ſint, non abſim, quemadmodum tu. tu enim ipſe, qui & me, & alios prudentia uincis, omnia, credo, uidiſti: nihil omnino te fefellit. Quis eſt tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat? nuſquam incurrat? Ac mihi quidem iampridem uenit in mentem, bellum eſſe, aliquo exire, ut ea, quae agebantur hic, quaeq. dicebantur, nec uiderem, nec audirem. ſed calumniabar ipſe: putabam, qui obuiam mihi ueniſſet, ut cuique commodum eſſet, ſuſpicaturum, aut dicturum etiam, ſi non ſuſpicaretur: Hic aut metuit, & ea re fugit; aut aliquid cogitat, & habet nauem paratam. denique, leuiſſime qui ſuſpicaretur, & qui fortaſſe me nouiſſet optime, putaret me iccirco diſcedere, quod quoſdam homines oculi mei ferre non poſſent. Haec ego ſuſpicans, adhuc Romae maneo: & tamen λελυθότως conſuetudo diuturna callum iam obduxit ſtomacho meo. Habes rationem mei conſilij. tibi igitur haec. Cenſeo latendum tantiſper ibidem, dum deferueſcat haec gratulatio, & ſimul dum audiamus, quemadmodum negotium confectum ſit: confectum enim eſſe exiſtimo. magni autem intererit, qui fuerit uictoris animus, qui exitus rerum. quamquam, quo me coniectura ducat, habeo: ſed exſpecto tamen. te uero nolo, niſi ipſe rumor iam raucus erit factus, ad Baias uenire. erit enim nobis honeſtius etiam, cum hinc diſceſſerimus, uideri ueniſſe in illa loca ploratum potius, quam natatum. Sed haec tu melius: modo ſtet nobis illud, una uiuere in ſtudijs noſtris, a quibus antea delectationem modo petebamus, nũc uero etiam ſalutem: non deeſſe, ſi quis adhibere uolet non modo ut architectos, uerum etiam ut fabros ad aedificandam remp. potius libenter accurrere: ſin nemo utetur opera, tamen & ſcribere, & legere πολιτείας; & ſi minus in curia, atque in foro, at in litteris, & libris, ut doctiſſimi ueteres fecerunt, nauare remp. & de moribus, ac legibus quaerere. Mihi haec uidentur. tu quid ſis acturus, & quid tibi placeat, pergratum erit, ſi ad me ſcripſeris.*

## EXPLANATIO

CANINIVS, *idem tuus, & idem noſter,* } ſic aliquot libri ueteres. quod placuit, nam eodem modo locutum eſſe Ciceronem lib. 2. de Diuin. animaduerti. Marcellus, inquit, idem imperator, idem augur. Sic Varro Seſquiulyſſe: Idem ſenatus, idem populi caput. Alius liber, Caninius tuus, & idem noſter: non male. nam & infra, ep. 17. Ego uir fortis, idemq. philoſophus. Ceteri libri, Caninius idem & idem noſter. quod probare nullo modo poſſum: quamquam alij probarint; qua ratione ducti, non equidem uideo. miror etiam, eoſdem negare, Tuus, in ueteribus libris eſſe. ALIQVID} litterarum. AT. TIBI} Tibi, ornatus gratia & hic, & alibi addidit Cicero. ep. 6. ad M. Brutum, ep. 14. lib. x. ad Att. & Coelius ep. 2. lib. IIX. Ἕωλος} obſoleta, non recens. TANTIS *nouis rebus*} uictoriam Caeſaris Africanam ſignificat. PERIRE *meam lucubrationem nolui,* } perire laborem illum nolui, quem in elucubrãdo ſuſceperam. Ne quis, Lucubrationem meam, pro epiſtolam meam, accipiat. non enim Lucubratio eſt id, quod remanet poſt nocturnam operam, ſiue epiſtola, ſiue oratio, ſiue aliud; ſed actus ille, ut ita dicam, operaq. illa, quae ponitur in elucubrando; quantum quidem nobis exemplorum obſeruatione colligere licuerit. Nam, quod ſubiungitur, Et eam ipſam Caninio dedi: ad epiſtolam refertur. LOCVTVS *ea ſum,* } fortaſſe litteris non committenda. VITEMVS *oculos hominum,* } qui uitari in urbe non poſſunt. NOS *dolent uiuere.* } uide ep. 5. TAM *lynceus,* } lynceum ea uidiſſe, quae longiſsime diſtabant, memoriae proditum eſt. unde adagium, Lynceo perſpicacior. QVI *in tantis tenebris nihil offendat?* } ad metaphoram haec omnia pertinent, lynceus, tenebris, offendat, incurrat. Inde Liuius lib. XXXV. Si in re nauali, cuius eſſet ignarus, offendiſſet. &c. CALVMNIABAR} ſuſpicabar ea, quae fortaſſe falſa ſunt. QVOSDAM *homines*} uictores Caeſarianos. OCVLI *mei ferre non poſſent.* } ep. 16. lib. 2. Noſti oculorum meorum in hominum inſolentium indignitate faſtidium. Λελυθότως} ſenſim. CALLVM *iam obduxit ſtomacho meo.* } ut ea minus aliquanto ſentiat, quibus angebatur antea. Tuſc. 2. Ipſe labor quaſi callum quendam obducit dolori. Ep. 5. lib. IV. In illis rebus exercitatus animus callere iam debet. Et ep. 18. ad Att. lib. 2. De Statio manumiſſo, & nonnullis alijs rebus, angor equidem, ſed iam prorſus occallui. DEFERVESCAT} quaedam res, cum in ſummo ſunt, feruere dicuntur: unde in oratione pro Quinctio, Feruet auaritia. eaedem deferuere, cũ imminui coeptae ſunt: ut, Ira deferueſcit, Tuſc. 4. Cupiditates deferueſcunt, pro Coelio. GRATVLATIO, } ob res a Caeſare in Africa contra Scipionem, Pompeij Magni ſocerum, & Iubam, Mauritaniae regem, proſpere geſtas. MAGNI *intererit,* } noſtra, diuerſum enim conſilium, pro uictoris in uictos uel clementia, uel crudelitate, capiemus. QVO

me

*me coniectura ducat*,} quid conijciat Cicero de Caeſaris animo, non facile eſt exiſtimare: clementem tamen eum potius, quam crudelem, fore, ut arbitror, opinatur: itaque ſubiungit, Sed exſpecto tamen. RVMOR} de uictoria Caeſaris. RAVCVS *erit factus*,} raucorum uox minus clara eſt. inde ſumptum, ut raucum rumorem dicat eſſe, cum homines ea de re, quae in ore omnium fuerat, minus iam loquantur. AD BAIAS *uenire*.} ad aquas Baianas: quo ibant oblectationis, & ualetudinis cauſſa. In oratione pro Coelio. VIDERI} nam nunc, ſi eamus ad Baias, recenti adhuc nuncio de Africana Caeſaris uictoria, uidebimur iuiſſe natatum laetitiae cauſſa. quod turpe nobis erit. ſin exſpectamus, donec rumor ſit imminutus: non natandi, ſed plorandi cauſſa Baias ueniſſe uidebimur. quod erit honeſtius. STET *nobis illud*,} ita ſtatuamus uiuere in ſtudijs noſtris, ut ſententiam ne mutemus. ANTEA} ſtante rep. NVNC *uero*} afflicta rep. cum nulla in re alia acquieſcamus. Vide eandem ſententiã ep. 3. lib. IV. & 13. lib. V. & 12. lib. VI. VT *architectos*,} tamquam principes ciues, quales olim fuimus. VT *fabros*} non ut conſilio, & ſententia, ſed opera tantum opem reip. feramus. AEDIFICANDAM} quae nunc euerſa iacet. Verbo tranſlato uſus eſt, quia dixerat iam, Architectos, & Fabros. POTIVS *libenter accurrere*:} non modo non deeſſe, uerum etiam libenter accurrere. Omnes mei libri ueteres habent, Et potius. unus, Et, non habet: quod elegantius uidetur. Πολιτέας;} libros de regenda rep. IN *curia*,} dicenda in ſenatu ſententia. IN *foro*,} agendis cauſsis, ut olim ſolebam. NAVARE *remp.*} ſic duo ueteres libri, mendoſe; mihi non diſpliceret, Iuuare remp. quod omnino ſententia poſtulat. certe enim, quae de optimi ciuis officio ſcribuntur, utilia ſunt reip. quod niſi ita eſſet; quorſum & ſcribere, & legere πολιτέας Cicero cogitaret? In reliquis antiquis libris, Grauare, eſt, non Nauare, mendo manifeſto. Quidam opinantur, legi poſſe, Gubernare: alij, uerbo addito, Nauare operam reip.

## Argumentum ep. 3.

*Iturum ſe ad Varronem ſignificat: quamquam fore uideat, ut ab hominibus uterque reprehendatur: quaſi turpe ſit, miſerrima ciuitate, uillarum amoenitatem quaerere. ſe tamen contemnere ait ſermones hominum indoctorum, & in ſtudijs omnino cum Varrone uicturum.*

### *Cicero S. D. Varroni.* 3.

ETSI, *quid ſcriberem, non habebam: tamen Caninio ad te eunti non potui nihil dare. quid ergo potiſſimum ſcribam? quod uelle te puto, cito me ad te eſſe uenturum. etſi uide, quaeſo, ſatis ne rectum ſit, nos, hoc tanto incendio ciuitatis, in iſtis locis eſſe. dabimus ſermonem ijs, qui neſciunt nobis, quocumque in loco ſimus, eundem cultum, eundem uictum eſſe. quid refert? tamen in ſermonem incidemus. ualde id, credo, laborandum eſt, ne, cum omnes in omni genere & ſcelerum, & flagitiorum uolutentur, noſtra nobiſcum, aut inter nos ceſſatio uituperetur. ego uero, neglecta barbarorum inſcitia, te perſequar. quamuis enim haec ſint miſera, quae ſunt miſerrima: tamen artes noſtrae neſcio quo modo nunc uberiores fructus ferre uidentur, quam olim ferebant: ſiue quia nulla nunc in re alia acquieſcimus: ſiue quod grauitas morbi facit, ut medicinae egeamus, eaq. nunc appareat, cuius uim non ſentiebamus, cum ualebamus. Sed quid ego haec ad te, cuius domi naſcuntur, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας? nihil ſcilicet, niſi ut, reſcribens aliquid, me exſpectares. ſic igitur facies. Vale.*

## EXPLANATIO

CANINIO} ordo poſtulat, ut haec ſit huius libri ſecunda epiſtola: eſt enim illa, quam Caninio ſe laturum, ſi petijſſet, dixit in proxima ſuperiore. ſunt apud me duo ueteres libri, in quibus plane ſcriptum eſt, Caninio. itaque coniectura nihil opus eſt in re praeſenti, atque ante oculos poſita. quod ideo dixi, ne quis excogitatam putet, ideoq. minus certam, correctionem; quia mendoſe in quibuſdam libris, & in Mediceo quoque illo, quem ceteris emendatiorem eſſe quidam arbitrantur, legitur, Animo: ex quo ijdem legendum putarunt, Caninio. INCENDIO} calamitatem publicam uocat Incendium. nondum autem, cum haec ſcribebat, Africanae Caeſaris uictoriae nuncius allatus erat. quod ſignificatur in eo loco ep. 2. Et ſi erat ἔωλος illa epiſtola, praeſertim tantis poſtea nouis rebus allatis. RECTVM} non conſiderat hic Rectum tamquam honeſtum, ſed tamquam id, quod fieri oporteat. quaſi dicat: uide, quaeſo, debeamus ne in iſtis locis eſſe, hoc tam miſero ſtatu reip. quod homines reprehendent. IN ISTIS LOCIS} in amoeniſsimis uillis. EVNDEM *cultum, eundem uictum eſſe*.} mutatione loci neque cultum, neque uictum mutamus: quid igitur habent, cur de nobis loquantur? Cultus omnia ſignificat, excepto uictu, quibus utuntur homines uel commodi, uel ornamenti, uel uoluptatis etiam gratia. De Di-

uin.

uin. lib. I. Cultus, atque uictus ſalubris, & moderatus. De Off. lib. I. Studeat parare ea, quae ſuppeditent & ad cultum, & ad uictum. Caeſar lib. VI. Germani eodem uictu, & cultu corporis utuntur. QVID *refert? tamen in ſermonem incidemus.*} modus loquendi; ut Phil. VII. Quam turpe eſt, legiones ad ſenatū legatos mittere, ſenatum ad Antonium? quamquam illa legatio non eſt, denunciatio eſt, paratum illi exitium niſi paruerit huic ordini. quid refert? tamen opinio eſt grauior. CREDO,} ironia. Spernendus, inquit, eſt hominum ſermo, praeſertim eorum, qui honeſtum otium uituperent, cum eorum actiones flagitioſiſſimae ſint. Ep. 5. lib. IV. An illius uicem, credo, doles? ET *ſcelerum & flagitiorum*} geminata copula diuerſitatem indicat. omne enim ſcelus flagitium eſt, non contra: & minor in aliquo flagitio culpa, quam in ſcelere. VOLVTENTVR,} hoc uerbum actionem continet; & poſitum eſt de induſtria, ut inferiori uerbo, Ceſſatio, opponeretur. NOBISCVM, *aut inter nos*} bona correctio. nam poterat aliquis obijcere, ceſſare eos etiam cum alijs: ſi quidem in urbe non uiuerent. Ceſſamus, inquit, inter nos, non inter alios; quia remoti a multitudine uiuimus. BARBARORVM} indoctorum. De Orat. lib. I. Haec turba, & barbaria forenſis dat locum uitioſiſsimis oratoribus. ARTES *noſtrae*} litterarum tractatio. GRAVITAS *morbi*} ſeruitus reip. in qua, tamquam in morbo, ad litterarum remedia confugimus. CVM *ualebamus.*} incolumi reip. ſtatu. Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας?} uide ep. 3. lib. VI. ME EXSPECTARES.} poſtea ſuam commorationem excuſauit in ep. ſuperiore; quam poſt hanc ſcriptam eſſe, iam dixi.

# Argumentum ep. 4.

*DE Varronis aduentu, ex Diodori dialectici ſententia, iocatur. nam in libro de Fato, Diodori opinionem improbans, Chryſippo aſſentitur. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Varroni.* 4.

*Περὶ δυνατῶν me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. quapropter, ſi uenturus es, ſcito, neceſſe eſſe te uenire: ſin autem non es, τῶν ἀδυνάτων eſt te uenire. nunc uide, ★ utra te κρίσις magis delectet, Chryſippias haec, quam noſter Diodotus non concoquebat. ſed de his etiam rebus, otioſi cum erimus, loquemur. hoc etiam eſt κατὰ Χρύσιππον δυνατόν. De Coſtio mihi gratum eſt: nam id etiā Attico mandaram. Tu ſi minus ad nos, nos accurremus ad te. ſi hortum in bibliotheca habes, nihil deerit. Vale.*

## EXPLANATIO

Περὶ δυνατῶν} de rebus, quae fieri poſſunt: de poſsibilibus. hoc enim uerbo, quod uitaſſe Cicero uidetur, Plautus in Sticho uſus eſt. & Quinctilianus, quod graece δυνατόν, Latine dici Poſsibile, quamquam appellatione duriore, auctor eſt lib. III. c. 8. Κατὰ Διόδωρον κρίνειν.} ex Diodori ſententia iudicare. Quid ſentiret Diodorus, oſtendit Cicero in libro de Fato, his uerbis: Maxime tibi Chryſippe cum Diodoro certamen eſt. ille enim id ſolum fieri poſſe dicit, quod aut ſit uerum, aut futurum ſit: &, quidquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe: &, quidquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe. tu, & quae non ſint futura, poſſe fieri dicis: ut, frangi hanc gemmam, etiam ſi id numquam futurum ſit: neque neceſſe fuiſſe, Cypſelum regnare Corinthi; quamquam id milleſimo ante anno Apollinis oraculo editum eſſet. VENTVRVS} in urbem. τῶν ἀδυνάτων} ex ijs rebus, quae fieri non poſſunt. VTRA TE *κρίσις magis delectet,*} utrum malis, κατὰ Διόδωρον, an κατὰ Χρύσιππον iudicare. Chryſippi ſententiam ideo non exponit Cicero, quia notam Varroni ſciebat, homini eruditiſsimo. CHRYSIPPIAS. HAEC,} mendoſum locum eſſe conſtat. quidam ueteres libri, An Chryſippias haec. uetuſtiores autem omnes, An, non habent. ex quo nobis orta coniectura eſt, mendum tolli poſſe unius litterae mutatione: ut legatur hoc modo, Chryſippi, an haec. NOSTER *Diodotus*} Stoicus. Acad. lib. 2. Diodoto quid faciam Stoico? quem a puero audiui: qui mecum uiuit tot annos: qui habitat apud me: quem & admiror, & diligo. De nat. de. lib. I. Cum minime uidebamur, tum maxime philoſophabamur. quod & orationes declarant, refertae philoſophorum ſententijs; & doctiſsimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus noſtra floruit; & principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Poſidonius, a quibus inſtituti ſumus. Vide in Bruto. NON *concoquebat.*} non probabat: cum Cicero ipſe probaret: dixit enim, Περὶ δυνατῶν me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. A cibis tranſlatio: quorum alij reijciuntur a ſtomacho non concoquente, alij, concoctione facta, in ſuccum, & ſanguinem conuertuntur. Lib. III. ad Q. fr. A Vatinio ita me obſeruari ſcio, ut eius iſta odia non ſorbeam ſolum, ſed etiam concoquam. DE *his etiam rebus,*} de utraque κρίσει. HOC *etiam eſt κατὰ Χρύσιππον δυνατόν.*} ita fieri hoc poteſt, ut neceſſe non ſit. quod eſt e Chryſippi ſententia. HORTVM *in bibliotheca*} illatum, non ibi natum.

Argu-

## Argumentum ep. 5.

*PRobat & diem, quo conuenturi ſint, & ſuum, Varroniſq. conſilium, quod, ſemel a Caeſare uicti, ab armis diſceſſerint. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Varroni.* 5.

MIhi *uero, ad nonas, bene maturum uidetur fore, neque ſolum propter remp. ſed etiam propter anni tempus. quare diem iſtum probo: itaque eundem ipſe ſequar. Conſilij noſtri, ne ſi eos quidem, qui id ſecuti non ſunt, non paeniteret, nobis paenitendum putarem. ſecuti enim ſumus non ſpem, ſed officium; reliquimus autem non officium, ſed deſperationem. ita uerecundiores fuimus, quam qui ſe domo non commoue-runt; ſaniores, quam qui, amiſſis opibus, domum non reuerterunt. ſed nihil minus fero, quam ſeueritatem otioſorum: &, quoquo modo res ſe habet, magis illos uereor, qui in bello occiderunt, quam hos curo, quibus non ſatisfacimus, quia uiuimus. Mihi ſi ſpatium fuerit in Tuſculanum ante nonas ueniendi, iſtic te uidebo: ſin minus, perſequar in Cumanum; & ante te certiorem faciam, ut lauatio parata ſit. Vale.*

## EXPLANATIO

MIhi. vero,} ſic incipit ep. 6. lib. iv. 30. lib. vii. 12. 22. lib xvi. Ad. nonas,} ut nonis una ſimus in Cumano. Propter. remp.} exſpectandum enim, & ibidem latendum uidebatur, dum deferueſceret gratulatio. alioqui praeſentem reip. ſtatum odiſſe uiderentur. ep. 2. Propter *anni tempus.*} fortaſſe uitandi caloris cauſſa non propinquam diem probabat. Consilii *noſtri, ne ſi eos quidem, qui id ſecuti non ſunt, non paeniteret, nobis paenitendum putarem.*} erant, qui Ciceronem, Varronemq. reprehenderent, quod ſtatim, poſt deuictum in Pharſalia Pompeium, ab armis diſceſsiſſent. huius noſtri conſilij, inquit Cicero, ne tum quidem nobis paenitendum putarem, ſi eos, qui id ſecuti non ſunt, non paeniteret. cum uero eos paeniteat, quod in bello remanſerint: multo minus nobis, qui ſaniores fuimus, paenitendum puto. Libri omnes ueteres habent, Niſi, ſed mendoſe, ut ſatis liquet. itaque recte Hieronymus Ferrarius reſtituit, Ne ſi. a quibus particulis, cum praeponuntur, ad uerbum infra poſitum uis negandi transfertur. quod ſi uerbum praeponatur, altera negatio cum eo coniungitur. id exemplo fiet illuſtrius. hoc quidem in loco, Ne ſi, uerbo praeponuntur, & in eo tamen uerbo ineſt uis negandi. nam illud, Nobis paenitendum putarem, ualet, non putarem, quia reſpicit ſuperiores particulas, Ne ſi. quae ſi poſtponantur, addenda erit eidem uerbo altera negatio, ut ita dicatur: Nobis paenitendum non putarem, ne ſi eos quidem. &c. Prioris generis exemplum habemus illud ep. 10. lib. xiii. ad Att. Purgat Caeſarem de interitu Marcelli: in quem, ne ſi inſidijs quidem ille interfectus eſſet, caderet ulla ſuſpicio. pro, non caderet. Et in Oratore: Nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere uocales conceditur. pro, non conceditur. Alterum genus agnoſcitur ep. 22. lib. xii. ad Att. Enitar, ut, praeter me, nemo dolorem meum ſentiat, ne tu quidem. Et ibidem, ep. 35. Non habeo, ne me quidem ipſum, qui cum tam audacter communicem, quam te. Non *ſpem,*} uincendi. uictoriam enim deſperabam. ep. 7. lib. iv. & iii. lib. vii. Officium;} ep. 1. lib. vi. Quoddam nobis officium iuſtum, & pium, & debitum reip. uidebatur. Et ep. 6. eiuſdem libri: Vel officio, uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut in fabulis Amphiaraus, ſic ego prudens & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus. Desperationem.} ep. 3. lib. vii. Non putaui, cum integri pares non fuiſſemus, fractos ſuperiores fore. Et ep. 7. lib. iv. Amissis *opibus,*} uicti Pharſalico proelio; quo uires amiſerunt. Severitatem *otioſorum:*} eos, qui cum ſe domo non commouerint, nos tamen, quia domum, relictis armis, rediuimus, ſeuere admodum reprehendunt: abſurde: nam neque reprehendendi omnino ſumus; &, ſi eſſemus, non ab iſtis otioſis, uerum ab ijs potius, qui perſequi belli ciuilis extrema uoluerunt. Qvoqvo *modo res ſe habet,*} paenituiſſe eos, iam ſignificauit, qui ab armis non diſceſſerint. nunc igitur, cum eos quaſi laudare uelit, dicturus, Vereor, correctione quadam prius utitur, & ait, Quoquo modo res ſe habet: ideſt, quamquam parum ſapienter fecerint, qui, ſemel uicti, rurſus tamen pugnare noluerint. Vereor,} uereri dicimur parentes, & ſeniores, & qui ſunt in honore aliquo, aut dignitate conſtituti. uerebatur igitur nonnihil Cicero Pompeianos quoſdam uel mortuos, quaſi ei poſſent exprobrare, quod domum reuertiſſet: illos autem, qui domi remanſerant, nequaquam curabat. In. bello} Africano: nam in Pharſalico ipſe etiam affuit, licet in acie non fuerit. non enim erat, cur uereretur eos, quibuſcum in bello fuerat, ſed eos, quos deſeruiſſe uideri poterat, qui poſtea in Africano bello occiderunt. Hos} quidam otioſi, qui domi manſerant, Pompeianis partibus fauentes, dolebant eos uiuere, qui poſt Pharſalicam pugnam domum redierant. Ep. 2. Qui uictos eſſe noſtros moleſte ferunt, nos dolent uiuere. Ante. nonas} quem diem probare ſe dixit. Lavatio} in balneo. Infra: Balneum calfacias oportebit. Veteribus admodum familiaris, & paene quotidiana lauatio fuit.

## Argumentum ep. 6.

*CAeſaris ex Africano bello reuertentis aduentum ſignificat : belli ciuilis culpam Pompeio potius , quam Caeſari , tribuit : Varronem laudat, quod ſe ab armis ad ſtudia , quaſi a tempeſtate in portum , contulerit . Eodem anno .*

### Cicero. S . D. Varroni. 6.

*CANINIVS noſter me tuis uerbis admonuit, ut ſcriberem ad te , ſi quid eſſet , quod putarem te ſcire oportere . Eſt igitur aduentus in exſpectatione. neque tu id ignoras . ſed tamen , cum ille ſcripſiſſet , ut opinor, ſe in Alſienſe uenturum , ſcripſerunt ad eum ſui, ne id faceret : multos ei moleſtos fore, ipſumq. multis: Oſtiae , uideri commodius , eum exire poſſe . id , ego non intelligebam , quid intereſſet : ſed tamen Hirtius mihi dixit , & ſe ad eum , & Balbum , & Oppium ſcripſiſſe, ut ita faceret , homines , ut cognoui , amantes tui . hoc ego iccirco noſſe te uolui , ut ſcires , hoſpitium tibi ubi parares , uel potius utrubique . quid enim ille facturus, incertum eſt . & ſimul oſtentaui tibi, me iſtis eſſe familiarem , & conſilijs eorum intereſſe . quod ego cur nolim, nihil uideo . NON enim eſt idem , ferre , ſi quid ferendum eſt ; & probare , ſi quid probandum non eſt . etſi , quid non probem quidem , neſcio, praeter initia rerum . nam haec in uoluntate fuerunt . uidi enim, (nam tu aberas) noſtros amicos cupere bellum , hunc autem non tam cupere , quam non timere . ergo haec conſilij fuerunt , reliqua neceſſaria . uincere autem aut hos, aut illos , neceſſe eſt. Scio te ſemper mecum in luctu fuiſſe ; cum uideremus , quam illud ingens malum alter utrius exercitus ex ducum interitu: tum uero, extremum malorum omnium eſſe ciuilis belli uictoriam : quam quidem ego etiam illorum timebam , ad quos ueneramus . crudeliter enim otioſis minabantur : eratq. ijs & tua inuiſa uoluntas , & mea oratio . nunc uero ſi eſſent noſtri potiti , ualde intemperantes fuiſſent : erant enim nobis perirati : quaſi quidquam de noſtra ſalute decreuiſſemus , quod non idem illis cenſuiſſemus ; aut quaſi utilius reip. fuerit , eos etiam ad beſtiarum auxilium confugere, quam uel mori , uel cum ſpe ſi non optima, at aliqua tamen uiuere . At in perturbata rep. uiuimus . quis negat ? ſed haec uiderint ij , qui nulla ſibi ſubſidia ad omnes uitae ſtatus parauerunt . huc enim ut uenirem, ſuperior longius, quam uolui, fluxit oratio . cum enim te ſemper magnum hominem duxi ; tum , quod his tempeſtatibus es prope ſolus in portu , fructusq. doctrinae percipis eos, qui maximi ſunt , ut ea conſideres, eaq. tractes, quorum & uſus , & delectatio eſt omnibus iſtorum & actis, & uoluptatibus anteponenda . equidē hos tuos Tuſculanenſes dies inſtar eſſe uitae puto : libenterq. omnibus omnes opes conceſſerim , ut mihi liceat , ui nulla interpellante , iſto modo uiuere . quod nos quoque imitamur , ut poſſumus , & in noſtris ſtudijs libentiſſime conquieſcimus . QVIS enim hoc non dederit nobis , ut, cum opera noſtra patria ſiue non poſſit uti , ſiue nolit , ad eam uitam reuertamur , quam multi docti homines, fortaſſe non recte , ſed tamen multi , etiam reip. praeponendam putauerunt ? quae igitur ſtudia , magnorum hominum ſententia , uacationem habent etiam publici muneris , ijs , concedente rep. cur non abutamur ? Sed plus facio , quam Caninius mandauit . is enim , ſi quid ego ſcirem, rogarat , quod tu neſcires : ego tibi ea narro, quae tu melius ſcis , quam ipſe, qui narro . faciam ergo illud, quod rogatus ſum , ut eorum , quae temporis huius ſunt, quae tua audiero . ne quid ignores . Vale.*

## EXPLANATIO

ADVENTVS} Caeſaris ex Africa. ALSIENSE} Alſienſem agrum, ab Alſio, quod in ſuperi maris litore Plinius, & Ptolemaeus conſtituunt. SVI,} Hirtius, Balbus, Oppius. MVLTOS} cum ibi eſſent multorum uillae ob regionis amoenitatem. VBI} non in Alſienſi , ſed Oſtiae . ſcripſerant enim ad Caeſarem eius familiares, uideri commodius, eum Oſtiae exire poſſe. VTROBIQVE} ex uerbo Scires , apte non pendet . quid enim eſt, Vt ſcires , utrubique tibi hoſpitium parares . nam Vtrubique non ſignificat, utro in loco, ſed utroque in loco: at hic uidetur Cicero ſignificare , utro in loco: cum incertum eſſet, quid Caeſar facturus eſſet, utrum in Alſienſe uenturus, an Oſtiae exiturus. permittit enim Varroni , qui Caeſari obuiam ire cogitabat , ut ſtatuat ipſe utro in loco ſibi hoſpitium paret . cui ſententiae non ſeruit, Vtrubique, quod affirmationem habet utriuſque loci, ſed potius Vtrubi, quod dubitationem oſtendit utrius loci. hoc autem uerbum ideo fortaſſe mutatum eſt, quod eius exempla non facile inuenirentur in Latina lingua. Nos, ueteres Grammaticos, ut interdum ſolemus otioſi, peruolutantes, Naeuium ita locutũ in Tarentilla, apud Cariſium obſeruauimus . Vtrubi, inquit, cenaturi eſtis, hiccine, an in triclinio? Idem M. Catonis haec uerba recitat ex oratione pro Hiſpanis : De frumento, utrubi bona , utrubi mala gratia capiatur, utrinde iras, utrinde factiones tibi pares . Dixit etiam Plautus in Sticho : Vtrubi accumbo ? Sa. Vtrubi tu uis. Et Vlpianus lib. XLIII. Dio tit. 31. l. 1. Praetor ait : Vtrubi hic homo, de quo agitur , maiore parte

huiuſce

huiuſce anni fuerit, quo minus is eum ducat, uim fieri ueto. Ac me quidem, iam pridem de mendo ſuſpicantem, hanc in coniecturam illa quoque ratio deduxit, quod in nullo uetere libro, cum prope innumerabiles inſpexerim, ſcriptum eſt, Vtrubique, ſed in omnibus fere, Vtar ubique. ET. SIMVL} ſcripſi ad te duabus de cauſsis ea, quae mihi Hirtius dixit, primum ut ſcires, hoſpitium tibi ubi parares, deinde ut oſtentarem tibi, me iſtis eſſe familiarem, & conſiliorum participem fieri. NON *enim eſt idem,*} arguta ſententia. Fero, inquit, quae ferenda ſunt: (quis enim cum tempore neceſsitate pugnet?) non ideo tamen probo, quae probanda non ſunt. Simile illud ep.3.lib.x. Si te ea, quae patiebare, probaſſe etiam arbitrarer. ETSI, *quid non probem quidem, neſcio, praeter initia rerum.*} Veteres libri: Et ſi quid non probem? quid enim iam ſcio, praeter initia rerum? Vt hoc dicatur: quid enim iam ſcio, quod non probem, praeter initia rerum? Vetus liber unus: Etſi quid non probem. quid iam neſcio praeter initia rerum. Ex quo libro, & ex alijs, uidetur haud inepte legi poſſe: Etſi, quid non probem quidem, iam neſcio, praeter initia rerum. Initia uero rerum, quae non probabat in Caeſare, illa, ut opinor, fuerant, quod conſul Caeſar leges multas contra auſpicia tulerat: quod a populo prouinciam inuito ſenatu acceperat: quod abſens conſulatum petere uoluerat: & ſimilia. HAEC} quae poſtea conſecuta ſunt: quae nobis uitare licuit. ABERAS} Pompeij legatus in Hiſpania, cum Afranio, & Petreio. Caeſar lib.2.de bel.ci.& Dio lib.XLI. NOSTROS *amicos*} Pompeianos. CVPERE *bellum,*} ep.I. lib. IV. Incideram in hominum pugnandi cupidorum inſanias. & ep. 21. lib. VI. & XI. lib. XVI. HAEC *conſilij fuerunt,*} uoluntatis: nos haec uoluimus. NECESSARIA.} neceſſe enim fuit, ut ex bello calamitates orirentur, & alterutra pars uinceret. non igitur haec, quaſi facta Caeſaris, improbanda, quae bellorum natura peperit. DVCVM} ſiue Caeſar, ſiue Pompeius obijſſet. EXTREMVM *malorum omnium*} ep.9.lib. IV. Omnia ſunt miſera in bellis ciuilibus: ſed miſerius nihil, quam ipſa uictoria; quae, etiam ſi ad meliores uenit, tamen eos ipſos ferociores, impotentioreſq. reddit. CRVDELITER *enim otioſis minabantur:*} uide ep. 14.lib. IV. & ult.lib.IX. & ad Att.ep.6.lib.XI.& Caeſ. lib. I. de bel. ci. INVISA} quia propenſior ad pacem: cum ipſi bellum cuperent. MEA *oratio.*} uel in ipſo bello pacem Cicero ſuaſit. ep.3.lib.VII. Quae cum uidiſſem, deſperans uictoriam, primum coepi ſuadere pacem, cuius fueram ſemper auctor. NVNC *uero*} Africano bello. AD *beſtiarum auxilium*} ad Iubae regis elephantos: quos in aciem contra Caeſarem duxit. ep.7. ad Att.lib.XI. Ex omnibus nihil magis deſideratur, quam quod in Africam non ierim. iudicio hoc ſum uſus, non eſſe barbaris auxilijs fallaciſsimae gentis remp. defendendam, praeſertim contra exercitum ſaepe uictorem. VEL. MORI,} mori praeſtitit, quam ad beſtiarum auxilium confugere. Neque hoc dicit Cicero, quod ex ijs, qui ſe poſt Pharſalicam pugnam Caeſari crediderunt, quiſquam ab eo ſit interfectus: ſed ut oſtendat, etiam ſi id accidiſſet, minus tamen detrimenti remp. fuiſſe paſſuram, quam Africano bello, ſpe beſtiarum ſuſcepto. VEL *cum ſpe ſi non optima, at aliqua tamen uiuere.*} ſpe ſi non omnino, ſaltem aliqua ex parte reſtituendae reip. qua cum ſpe nos uiuimus. NVLLA *ſibi ſubſidia*} quae nobis magna parata ſunt. nam ſtudia ſolatium, & ſalutem afferunt in aduerſis rebus. ep.2. SVPERIOR} ad illud reſpicit: Quod ego cur nolim, non uideo. ideo enim fluere coepit oratio. HIS *tempeſtatibus es prope ſolus in portu,*} quia, cum omnes fere moleſtijs, miſerijſq. uexentur, tu tamen in ſtudijs iucundiſsime conquieſcis. Ep.I. Teque, quod in eo permanſeris, ſapientiorem, quam me, dicunt fuiſſe. Huc ſpectat & illud ex ep.2. Tu enim ipſe, qui & me, & alios prudentia uincis, omnia, credo, uidiſti: nihil omnino te fefellit. VT. EA *conſideres, eaq. tractes,*} hi ſunt fructus doctrinae maximi. ISTORVM} Caeſarianos dici conſtat; qui ob uictoriam laetiſsimi erant. INSTAR *eſſe uitae puto:*} tanti aeſtimandos puto, quanti uitam quiſque ſuam aeſtimat. Similis, ac illuſtrior etiam illa ſententia in Piſonem: Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, quo in patriam redij. Nec diſsimile illud pro Sextio: Ei, qui pendet a rebus leuiſsimis, plauſum immortalitatem, ſibilum mortem uideri neceſſe eſt. Inſtar mortis, lib. 2.de Off. Et Virg.lib.2. Aen. Inſtar montis equum. EAM *uitam*} remotam ab actione rerum, cum ſtudijs, & litterarum tractatione coniunctam. DOCTI *homines,*} ut Plato, Theophraſtus, alij, qui ſe totos, omiſſa reip. cura, contemplationi dediderunt. FORTASSE *non recte,*} quia multis actio prodeſt, uni tantum, aut paucis contemplatio. Quod autem hic dicit, Fortaſſe non recte: nec affirmare uoluit, rectum non eſſe; quia, ſublata reip. procuratione, Caeſare dominante, probanda magis contemplatio uidebatur: alibi, non eſſe rectum, & actionem contemplationi praeferendam, plane dixit: ut lib. III. Off. Cognitio, contemplatioq. naturae manca quodam modo, atque inchoata ſit, ſi nulla actio rerum conſequatur. ea uero actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur. Pertinet igitur ad ſocietatem generis humani. ergo haec cognitioni anteponenda eſt. atque id optimus quiſque re ipſa oſtendit, & iudicat. Hanc Ciceronis opinionem, in eius fortaſſe libris de Rep. notatam, Lactantius ita refert lib. III. c. 6. Recte Tullius ciuiles uiros, qui remp. gubernant; qui urbes aut nouas conſtituant, aut conſtitutas aequitate tueantur; qui ſalutem, libertatem ciuium, uel bonis legibus, uel ſalubribus conſilijs, uel iudicijs grauibus conſeruent, philoſophiae doctoribus praefert. ETIAM *reip.*} quae nunc nulla eſt. quo magis nos amplecti ſtudia debemus, eorum exemplo, qui etiã reip. ſtudia praepoſuerunt. MAGNORVM *hominum*} doctos proxime uocauit. ETIAM *publici muneris,*} etiam cum reſp. non concedere uidetur, ut otioſi ſimus; cum ſcilicet, rebus ſaluis, quae nunc perditae ſunt, officium, atque operam a ciuibus exigit. CONCEDENTE} quia libere adminiſtrari non poteſt, ideo concedit nobis, ut in litteris uiuamus. ABVTAMVR?} non accipio in malam partem, ſed quaſi dictum ſit, utamur arbitratu noſtro. QVAE *tua audiero,*} ſic omnes libri ſcripti. rectius, Quaeq. audiero. alioqui ſubeſſe mendum uidetur.

# Argumentum ep. 7.

*Maturum iam eſſe ait, ut ab urbe diſcedat: & de Caeſaris, ex Africano bello redeuntis, itinere rumores diuerſos nunciat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D: Varroni.* 7.

CENABAM *apud Seium, cum utrique noſtrum redditae ſunt a te litterae. Mihi uero iam maturum uidetur. nam, quod antea te calumniatus ſum, indicabo malitiam meam. uolebam prope alicubi eſſe te, ſi quid bonae ſalutis* σύν τε δύ' ἐρχομένω. *nunc, quando confecta ſunt omnia, dubitandum non eſt, quin equis uiris. nam, ut audiui de Lucio Caeſare filio, mecum ipſe: Quid hic mihi faciet patri? itaque non deſino apud iſtos, qui nunc dominantur, cenitare. quid faciam? tempori ſeruiendum eſt. Sed ridicula miſſa, praeſertim cum ſit nihil, quod rideamus.*
,, *Africa terribili tremit, horrida terra, tumultu. Itaque nullum eſt* ἀποπροηγμένον, *quod non uerear. Sed, quod quaeris, quando, qua, quo, nihil adhuc ſcimus: iſtuc ipſum de Baijs: non nulli dubitant, an per Sardiniam ueniat. illud enim adhuc praedium ſuum non inſpexit: nec ullum habet deterius, ſed tamen non contemnit. ego omnino magis arbitror per Siciliam: uel iam ſciemus: aduentat enim Dolabella. eum puto magiſtrum fore.*
,, πολλοὶ μαθηταὶ κρέσσονες διδασκάλων.
*ſed tamen, ſi ſciam quid tu conſtitueris, meum conſilium accommodabo potiſſimum ad tuum: quare exſpecto tuas litteras. Vale.*

## EXPLANATIO

MATVRVM} ut eamus obuiam Caeſari. QVOD *antea te calumniatus ſum,*} abundare, Te, ſemper putaui, nunc eo magis, quod, opinionem meam qui comprobaret, ueterem librum inueni. Coniecturam meam inde ducebam, quia Cicero numquam Varronem calumniatus erat, ſed ipſe ſecum, ea cogitans, uel potius ea ſe cogitare ſimulans, (hoc enim oſtendunt, illa uerba, Indicabo malitiam meam) quae nullo modo cogitabat. quae Calumnia recte dicitur, ut ep. I. & 4. lib. I. Significat autem illa, quae ſcripſit ep. 2. Sed calumniabar ipſe: &c. VOLEBAM. PROPE. ALICVBI. ESSE TE,} omnes libri ueteres, Eſſet, uno excepto, in quo eſt, Eſſe. quo librorum conſenſu, ut legendum arbitrarer, Eſſe te, ſum adductus. Vel, ſi legamus, Eſſe, ſubaudiendum, Te. Non diſpliceret, Eſſes; quod uideo placuiſſe nonnullis; ſi uel unum antiquum librum, qui ſuffragaretur, inuenirem. SI QVID. BONAE. SALVTIS} ſi de Pompeianorum uictoria nuncius afferretur. timebat enim eos Cicero, ſi uiciſſent. itaque in ep. 6. Nunc uero, ait, ſi eſſent noſtri potiti, ualde intemperantes fuiſſent. erant enim nobis perirati. Quod ſi ad eos uterque ſimul iuiſſent; aliquanto minus timendum exiſtimauerat. Poteſt etiam intelligi, Si quid bonae ſalutis, ſi ſalus noſtra tutior eſſet, utroque ſimul ad Caeſarem eunte. Verum haec ſententia ideo mihi non probatur, quia ſequitur, Quando confecta ſunt omnia. quod omnino pertinere uidetur ad Caeſaris uictoriam; de qua antea cum ſubdubitaſſet, licet allato nuncio, malitioſe calumniatus erat, non ueras morandi cauſſas afferens, in ep. 2. in qua etiam dixit, Rumor ipſe: ut incertum adhuc eſſe oſtenderet. nunc uero moras tollit, affirmatq. obuiam omnino eundum Caeſari. Σύν τε δύ' ἐρχομένω.} utroque ſimul eunte. ſumptum ex Homero, lib. x. Il. quod etiam uſurpatum eſt ep. 6. lib. IX. ad Att. QVANDO} ſic duo ueteres libri: alij, Quoniam; nonnulli, Quom. nihil reijcio: ſed, Quando, libentius retineo. CONFECTA *ſunt omnia,*} in Africa, afflictis omnino Pompeianis. EQVIS *uiris.*} omni conatu, manibus pedibuſq. ſubaudi, Caeſari obuiam eamus. Tranſlatio a militari certamine, quo contenditur equis, uiriſq. inde manauit prouerbium. cum uero celeritas indicatur, Equis, uelis, dicitur, fugientium ſimilitudine, terra mariq. L. CAESARE *filio,*} quem Caeſar occiderat. Suetonius: Nulli periiſſe, niſi in proelio, reperientur, exceptis dumtaxat Afranio, & Fauſto, & L. Caeſare iuuene: ac ne hos quidem uoluntate ipſius interemptos putant. quorum tamen & priores, poſt impetratam ueniam, rebellauerant: & L. Caeſar, libertis, ſeruiſq. eius ferro & igni crudelem in modum enectis, beſtias quoque, ad munus populi comparatas, contrucidauerat. Dio tamen lib. XLIII. iuſſu Caeſaris occulte interemptū oſtendit, quia perpetuo contra ipſum pugnaſſet. Huius Caeſaris pater fuit L. Caeſar, uir optimus, auunculus M. Antonij. ep. I. & lib. XII. ep. 2. 5. QVID *hic mihi faciet patri?*} Si L. Caeſarem, propinquum ſuum, necauit: quid mihi faciet? Sumpſit ex Andria. Terentij. APVD *iſtos,*} ut eorum gratia tuear me apud Caeſarem. Significat in primis Hirtium, Balbum, Oppium, Matium, alios. MISSA,} ſubaudi, ſint: uel, faciamus. ep. 12. lib. VI. AFRICA *terribili tremit, horrida terra, tumultu.*} Ennij uerſus. Africa, inquit, afflicta bello eſt. itaque nihil eſt tam reiectum, quod non timeam. Hic libet Feſti uerba recitare. Metonymia, inquit, eſt tropos, cum ab eo, quod continet, ſignificatur id, quod continetur: ut Ennius, cum ait: Africa terribili tremit horrida terra tumultu. aut ab eo, quod continetur, id quod continet: ut cum dicitur epota amphora uini. QVANDO, *qua, quo;*} quando ſit Caeſar uenturus, qua uia, ad quem locum,

cum. De tempore Cicero reſpondit, Nihil adhuc ſcimus: de uia, Nonnulli dubitant, an per Sardiniam: de loco, Iſtuc ipſum de Baijs. Hinc opinor hanc epiſtolam, in qua nihil certi de Caeſaris aduentu Cicero ſignificat, ante ſuperiorem proximam ſcriptam eſſe, in qua Caeſaris aduentum exſpectari dicit, & exiturum uel Oſtiae, uel in Alſienſe. ISTVC *ipſum*} quod dicitur: eum ſcilicet Baias ire uelle. PER *Sardiniam*} per quam eum ueniſſe, ſcriptum eſt apud Hirtium. PRAEDIVM *ſuum*} Per iocum Sardiniam uocat Caeſaris praedium: quaſi prouinciae populi R. Caeſaris eſſent praedia. NON *inſpexit*:} cum cetera praedia, ideſt ceteras prouincias, inſpexiſſet. primum enim contra Pompeij legatos in Hiſpania bellum geſſerat, deinde in Theſſalia contra ipſum Pompeium, poſtremo in Africa, quo per Siciliam traiecit, contra Scipionem, & Iubam regem. quibus in bellis ditionem fere omnem inſpexit populi R. nam Gallias ante ſubegerat. DETERIVS,} ob inſalubre caelum. ep. 24. lib. VII. NON *contemnit*.} cum ioco dictum. praediorum enim domini, quae non contemnunt, inſpiciunt. PER *Siciliam*:} Per Sardiniam uenit, ut iam diximus. DOLABELLA.} P. Cornelius Dolabella, qui fuerat Ciceronis gener. is ex Africano bello redibat, Caeſare mox uenturo. Phil. 2. Ter depugnauit Caeſar cum ciuibus, in Theſſalia, Africa, Hiſpania. omnibus affuit his pugnis Dolabella. MAGITSRVM} docebit me, qua ratione amiſſam Caeſaris gratiam recuperem: cum ego eum in arte oratoria docere ſolitus ſim. Iocatur Cicero, ut ep. 46. lib. XIII. ad Att. Dolabella ſcribit, ſe ad me poſttridie iduum. O magiſtrum moleſtum. ep. 16. lib. VII. ep. ult. de Dolabella, diſcipulo Ciceronis, mentio fit.

„ *Πολλοὶ μαθηταὶ κρέττονες διδασκάλων*.} multi diſcipuli meliores magiſtris. Senarius eſt ueteris poetae. Vtilior, inquit, erit mihi illius doctrina, quam illi mea. CONSTITVERIS,} de obuiam itione. uterque enim reuertenti ex Africa Caeſari obuiam ire cogitabat. quo ſpectat illud, Dubitandum non eſt, quin equis, uiris.

---

# Argumentum ep. 8.

*PRomiſerat Varro, quoſdam libros Ciceroni ſe eſſe dicaturum. Cicero eum promiſsi admonet, miſsis quaſi admonitoribus quattuor libris Academicis. Caeſare quartum conſule, ſine collega.*

## *Cicero S. D. Varroni.* 8.

*ETSI, munus flagitare, quamuis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus: tamen ego exſpectatione promiſſi tui moueor, ut admoneam te, non ut flagitem. miſi autem ad te quattuor admonitores, non nimis uerecundos. noſti enim profecto os eius adoleſcentioris Academiae. ex ea igitur media excitatos miſi: qui, metuo, ne te forte flagitent: ego autem mandaui, ut rogarent. exſpectabam omnino iamdiu, meq. ſuſtinebam, ne ad te prius ipſe quid ſcriberem, quam aliquid accepiſſem; ut poſſem te remunerari quamſimillimo munere: ſed, cum tu tardius faceres, id eſt, ut ego interpretor, diligentius; teneri non potui, quin coniunctionem ſtudiorum, amorisq. noſtri quo poſſem litterarum genere declararem. feci igitur ſermonem inter nos habitum in Cumano, cum eſſet una Pomponius. tibi dedi partes Antiochinas; quas a te probari, intellexiſſe mihi uidebar; mihi ſumpſi Philonis. puto fore, ut, cum legeris, mirere id nos locutos eſſe inter nos, quod numquam locuti ſumus: ſed noſti morem dialogorum. poſthac autem, mi Varro, quamplurima, ſi uidebitur, & de nobis, & inter nos: ſero fortaſſe; ſed ſuperiorum temporum fortuna reip. cauſſam ſuſtineat: haec ipſi praeſtare debemus. atque utinam, quietis temporibus, atque aliquo, ſi non bono, at ſaltem certo ſtatu ciuitatis, haec inter nos ſtudia exercere poſſemus. quamquam tum quidem uel aliae quaepiam rationes honeſtas nobis & curas, & actiones darent. nunc autem quid eſt, ſine his cur uiuere uelimus? mihi uero cum his ipſis uix, his autem detractis, ne uix quidem. Sed haec coram, & ſaepius. Migrationem, & emptionem feliciter euenire uolo: tuumq. in ea re conſilium probo, Cura ut ualeas.*

## EXPLANATIO

OSTENDERIT,} ſignificauerit ſe daturum. ep. 1. Se acerrimum tui defenſorem fore oſtendit. & ep. 41. lib. XIII. Ea, quae initio oſtendiſti. Munus declarare, idem eſt. uide ep. 2. lib. 2. PROMISSI. TVI} fortaſſe libros de lingua Lat. ſignificat, quos poſtea Varro ad Ciceronem miſit. QVATTVOR *admonitores*,} quattuor libros Academicos: quorum primus dumtaxat exſtat: reliqui tres deſiderantur. eiuſdem argumenti libros duos antea ſcripſerat, Catulum, & Lucullum: ſic enim inſcripſerat. Catulus interijt, ſupereſt Lucullus. poſtea diſputationem illam ad Catonem, Brutumq. tranſtulit: poſtremo ad Varronem, Attici admonitu. qua de re uide lib. III. ad Att. ep. 12. 13. 14. 16. 18. 19. 22. 23. 24. 25. 26. 35. 43. NON *nimis uerecundos*.} itaque metuo, ne promiſſum tuum efflagitent. NOSTI} hoc dicit, quia ueterem, non nouam Academiam Varro probabat, cum Antiochi Aſcalonitae, ma-

tae, ma-

tae, magiſtri fui, ſententiam ſequeretur. ad Att. ep. 12. 16. 19. lib. XII. Os} impudentiam: cum au-
derent affirmare, nihil poſſe percipi: quam uocabant ἀκαταληψίαν: eiuſq. Academiae princeps Arceſilas
contra omnia ſemper diceret, ut eſt lib. v. de Fin. Os autem ideo ſumitur pro impudentia, quia pudoris in-
dicium exortus in ore rubor eſt: qui uero nihil commouetur, os ei ſemper idem eſt, perpetuuſq. naturalis
color. Os igitur ita durum, ut mutetur numquam, impudentia eſt: quia naturam uincit culpa, & quaſi do-
minatur, infamiam contemnens: natura enim, quod dedeceat, & aduerſetur honeſtati, ferre nihil ſolet.
propterea apud comicos probri loco obijcitur illud, Os hominis. Et Vatinius ep. 10. lib. v. Si Appij os ha-
berem tamen hoc ſuſtinere non poſſem. ADOLESCENTIORIS *Academiae*.} dicturi aliquid de
Academijs, praeponemus, quod a Sexto philoſopho traditum lib. I. Pyrrh. legimus, philoſophandi tres
fuiſſe rationes, maxime diuerſas, δογματικὴν, in qua fuere Ariſtoteles, Epicurus, Stoici, alijq. nonnulli,
qui ſe putabant ſummum bonum inueniſſe: ἀκαδημαϊκὴν, in qua Clitomachus, Carneades, alijq. Acade-
mici negabant percipi quidquam poſſe: σκεπτικὴν, in qua ſemper quaerebant, & in ea Pyrrho in primis ex-
celluit. Tres autem Laertius nominat Academias, (nec tamen defuere, ut ait Sextus, qui quinque conſti-
tuerent) ueterem, mediam, nouam. ueteris auctorem Platonem, mediae Arceſilam, nouae Lacydem.
quinque Sextus Empiricus uidetur agnoſcere, & auctorem primae Platonem, ſecundae Arceſilam, tertiae
Carneadem, quartae Philonem & Charmidam, quinctae Antiochum. Cicero duas tantum, ueterem, &
nouam: quiq. in uetere floruerint, hos memorat in Lucullo, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem,
Parmenidem, Xenophanem, Socratem, Platonem, Speuſippum, Xenocratem, Polemonem, Cratetem,
Crantorem: in recentiore autem, Arceſilam, qui negabat eſſe quidquam, quod ſciri poſſet, ne illud qui-
dem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet: poſt eum, Lacydem, Euandrum, Egeſimum, & quartum, ut
ait Cicero, ab Arceſila, eiusq. imitatore, ſententiae Carneadem, Clitomachum, & Philonem: qui, Ar-
ceſilam ſecuti, contra omnium ſententias diſputabant: in quo modeſtiores fuerant ueteris Academiae phi-
loſophi. Honeſte enim uiuere, fruentem rebus ijs, quas primas homini natura conciliet, uetus Academia
cenſuit. In Lucullo. Recentioris ut principes agnoſcere Cicero uidetur lib. I. de leg. Arceſilam, & Car-
neadem. ſic enim ſcripſit: Perturbatricem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arceſila & Carnea-
de recentem, exoremus, ut ſileat. nam ſi inuaſerit, in haec, miras edet ruinas. quam quidem ego placare
cupio, ſubmouere non audeo. Adoleſcentiorem, cum de noua loquatur, appellat Cicero, lepide iocans,
quia ſolent adoleſcentes impudentiores eſſe, quam qui maiore ſunt aetate: & quia loqui coeperat de libris
academicis, tamquam de animatis; cum dixit: Miſi ad te quattuor admonitores, non nimis uerecundos.
qua ſimilitudine ita delectatur, ut infra quoque, nihil ab ea recedens, intulerit: Qui, metuo, ne te forte
flagitent: ego autem mandaui, ut rogarent. EX. EA *igitur media excitatos*} in ijs enim quattuor li-
bris ea tractabantur, quae ſumpta erant de media recentiore Academia. In uerbo, Excitatos, mittentis cu-
piditas indicatur, ut ſuo munere Varronem ad remunerandum eliceret. FLAGITENT:} ut ſunt im-
pudentes. MANDAVI, *ut rogarent*.} ſum enim, ut unus ex uetere Academia, modeſtior. Hoc Ci-
cero tacite ſignificat. EXSPECTABAM} excuſat ſe, quia prior ad Varronem, quaſi promiſſum
eius exigens, munus miſerit Academicorum librorum. MEQ. *ſuſtinebam*,} in magna ſcribendi ad
te uoluntate. ſic Acad. lib. I. editionis ſecundae: Cum ſe a reſpondendo ſuſtineret. QVAM *ſimillimo
munere*:} ep. 12. ad Att. lib. XIII. Ego autem me parabam ad id, quod ille mihi miſiſſet, ut αὐτῷ τῷ
μέτρῳ. &c. CVM *tu tardius faceres, ideſt, ut ego interpretor, diligentius*;} Acad. lib. I. in prooemio ſic
loquitur Varro: Habeo opus magnum in manibus: quod iampridem ad hunc ipſum (me autem dicebat)
quaedam inſtitui; quae & ſunt magna ſane, & limantur a me politius. Tum Cicero ita reſpondet: Et ego
iſta quidem, inquam, Varro, iamdiu exſpectans, non audeo tamen flagitare, audiui enim e Libone no-
ſtro, non ea te intermittere, ſed accuratius tractare, nec de manibus umquam deponere. De his libris,
quos arbitror, ut iam dixi, eos eſſe, qui de lingua Lat. inſcripti ſunt, hodieq. exſtant, ſic ep. 12. ad Att.
lib. XIII. Varro mihi denunciauerat magnam ſane, & grauem προσφώνησιν. biennium praeterijt, cum il-
le Καλλιππίδης aſsiduo curſu cubitum nullum proceſſerat. ego autem me parabam ad id, quod ille mihi
miſiſſet, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώιον; ſi modo potuiſſem. ANTIOCHINAS;} ut ea Varro diſpu-
tans exponeret, quae Antiochus Aſcalonita, Academicus philoſophus, contra Philonem dixerat, &
ſcripſerat. Plutarchus in Lucullo, Bruto, Cicerone: & alij. Antiochinas ab Antiocho deduxit, ut a Bru
to Brutinus, a Theopompo Theopompinus, a Metello Metellinus, & reliquis nominibus in us deſinenti-
bus, antecedente tamen conſonante: nam ſi uocalis antecedit, in anus deſinunt, ut a Pompeio Pompeia-
nus, a Tullio Tullianus. ſuperior tamen regula ne exceptionem habeat, interdum uereor. nam cum a Dru-
ſo Druſinus fieri debeat, Druſianis tamen hortis, non Druſinis, Cicero dixit ep. 24. lib. XII. ad Att. &
Tacitus lib. 2. Druſianae foſſae: ſi modo libri uulgati uacant mendo: quod eo magis licet ſuſpicari, quia
Suetonius in Claudio, Druſinae foſſae, non Druſianae, dixit. Et apud Plinium, lib. XXXIV. cap. 8. ubi eſt
in impreſsis libris: Huius eſt Minerua, quae dicitur Catuliana: ſcriptum eſt in antiquo Maffeorum Catu-
lina: idq. poſtulat analogia. PHILONIS.} qui nouam Academiam, ex Arceſilae ſententia, qua-
ſi meliorem uetere tuebatur. In Bruto: Cum princeps Academiae Philo Romam ueniſſet, totum ei me tra-
didi, admirabili quodam ad philoſophiam ſtudio concitatus. MOREM. DIALOGORVM.} ſcri-
buntur enim in dialogis ea, quae, licet diſputata non ſint, ueriſimilia tamen ſunt. DE. NOBIS,} non
de alijs, ut in his dialogis, in quibus de Antiocho, & Philone diſputamus. INTER. NOS:} ſimul
enim uiuemus. ep. 2. Modo ſtet nobis illud, una uiuere in ſtudijs noſtris. SVPERIORVM *temporum
fortuna reip. cauſſam ſuſtineat*:} quod ſero haec inter nos ſtudia incipiamus exercere, fortunae reip. non
nobis,

nobis, adſcribi oportet: excuſat nos, quod attinet ad ſuperiora tempora, & ſuſtinet cauſſam noſtram fortuna reip. conuictum enim noſtrum reip. calamitas impediuit. haec uero tempora praeſtare ipſi debemus: nobis horum temporum reddenda ratio eſt. otium enim habemus, cum in oppreſſa rep. nihil iam agere liceat. itaque ſcribamus & de nobis, & inter nos. SALTEM *certo*} optat ſi non bonam, ſaltem aliquam reip. formam. non enim mitiorem tyrannum, ſed rempublicam, ſi non optimam, ſaltem tolerabilem exoptat. QVAMQVAM} correctio: quia dixerat, Haec inter nos ſtudia exercere. quamquam, inquit, tum quidem eſſet, quod honeſte curare poſſemus. VEL. ALIAE} etiam aliae. nam, Vel interdum ualet, Etiam, auctore Donato, cum illud interpretatur in Andria Terentij: Vel hoc quis non credat? Sic Virgilius ecl. 8. Carmina uel caelo poſſunt deducere Lunam. Et Cicero ipſe ep. 16. lib. IV. ad Att. Occupationum mearum uel hoc ſignum erit, quod epiſtola librarij manu eſt. Alibi eſt pro, Veluti, ut ep. 13. lib. 2. & 24. lib. VII. HONESTAS} quae nunc honeſtae non ſunt, rep. ſeruiente. SINE HIS} ſtudijs. VIX:} uix eſt, cur uelim uiuere, cum his ipſis etiam ſtudijs. NE. VIX. QVIDEM.} ſic locutus lib. 2. de Fin. MIGRATIONEM,} in domum nuper emptam.

# Argumentum ep. 9.

*SVadet Ciceroni gener eius Dolabella, ut ſe uel cum Caeſare coniungat, uel in otium referat. quod idem Coelius quoque ſcripſerat, ep. 16. lib. 8. Caeſare iterum, & Seruilio cos.*

## *Dolabella S. D. M. Ciceroni. 9.*

*SI uales, gaudeo: & ipſe ualeo; & Tullia noſtra recte ualet. Terentia minus belle habuit: ſed certum ſcio, iam conualuiſſe eam. praeterea rectiſſime ſunt apud te omnia. Etſi nullo tempore in ſuſpicionem tibi debui uenire, partium cauſſa potius, quam tua, tibi ſuadere, ut te aut cum Caeſare, nobiſcumq. coniungeres, aut certe in otium referres: praecipue nunc, iam inclinata uictoria, ne poſſum quidem in ullam aliam incidere opinionem, niſi in eam, in qua ſcilicet tua de re tibi ſuadere uidear, quod pie tacere non poſſum. tu autem, mi Cicero, ſic haec accipies, ut, ſiue probabuntur tibi, ſiue non probabuntur, ab optimo certe animo, ac deditiſſimo tibi & cogitata, & ſcripta eſſe iudices. Animaduertis Cn. Pompeium nec nominis ſui, nec rerum geſtarum gloria, nec etiam regum, aut nationum clientelis, quas oſtentare crebro ſolebat, eſſe tutum; & hoc etiam, quod infimo cuique contigit, illi non poſſe contingere, ut honeſte effugere poſſit, pulſo Italia, amiſſis Hiſpanijs, capto exercitu ueterano, circumuallato nunc denique: quod, neſcio, an ulli umquam noſtro acciderit imperatori. quamobrem, quid aut ille ſperare poſſit, aut tu, animum aduerte pro tua prudentia. ſic enim facillime, quod tibi utiliſſimum erit, conſilij capies. Illud autem a te peto, ut, ſi iam ille euitauerit hoc periculum, & ſe abdiderit in claſſem, tu tuis rebus conſulas, & aliquando tibi potius, quam cuiuis, ſis amicus. ſatisfactum eſt iam a te uel officio, uel familiaritati: ſatisfactum etiam partibus, & ei reip. quam tu probabas. reliquum eſt, ubi nunc eſt reſp. ibi ſimus potius, quam, dum illam ueterem ſequimur, ſimus in nulla. quare uelim, mi iucundiſſime Cicero, ſi forte Pompeius, pulſus his quoque locis, rurſus alias regiones petere cogatur, ut tu te uel Athenas, uel in quamuis quietam recipias ciuitatem. quod ſi eris facturus, uelim mihi ſcribas; ut ego, ſi ullo modo potero, ad te aduolem. quaecumque de tua dignitate ab imperatore erunt impetranda; qua eſt humanitate Caeſar, facillimum erit ab eo tibi ipſi impetrare: & meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto. Erit tuae quoque fidei, et humanitatis, curare, ut is tabellarius, quem ad te miſi, reuerti poſſit ad me, & a te mihi litteras referat. Vale.*

## EXPLANATIO

TERENTIA} uixiſſe eam annos centum & octo, auctor eſt Plinius. PARTIVM} Caeſaris, cum quo ipſe fuit in omnibus bellis ciuilibus. IAM *inclinata uictoria*,} iam enim Pompeius Italiam, Hiſpaniasq. amiſerat. PIE} pro noſtra affinitate. NOMINIS. SVI,} Magnus enim ob res geſtas uocabatur. CAPTO} in Hiſpania. VETERANO} Legimus in Suetonio, dixiſſe Caeſarem, cum iret aduerſus Pompeij legatos in Hiſpaniam, ire ſe ad exercitum ſine duce, & inde reuerſurum ad ducem ſine exercitu. Quod res ipſa comprobauit. collecticio enim exercitu Pompeius in Pharſalia dimicauit. ep. 3. lib. VII. CIRCVMVALLATO} ad Dyrrhachium. Suetonius, Caeſar ipſe lib. III. de bel. ci. Plutarchus, alij. QVOD, *neſcio, an ulli umquam noſtro acciderit imperator?*} pro, fortaſſe, uſurpat ſaepe Cicero, Neſcio, uel, Haud ſcio, maiore quadam elegantia, ut infra, ep. 14. Contigit enim tibi, quod haud ſcio an nemini. Et ep. 15. Eſt id quidem magnum, atque haud ſcio an maximum. Et de Orat. lib. 2. Videtis ne, quantum munus ſit oratoris hiſtoria, haud ſcio an flumine orationis, & uarietate maximum.

maximum. Ibidem: Magnum quoddam opus eſt, atque haud ſcio, an de humanis operibus longe maxi-
mum. ANIMVM *aduerte*} ſic Plautus, & Terentius locuti. EVITAVERIT} euitauit. AB-
DIDERIT} non abdidit, ſed tamquam uictor Dyrrhachio diſceſsit. ALIQVANDO} quaſi iam
antea Cicero peccaſſet, cum in Graeciam ad Pompeium nauigauit, Coelio in primis diſſuadente. ep. 16.
lib. IIX. SATISFACTVM *eſt iam a te uel officio, uel familiaritati*:} ſic Virgilius lib. 2. Aen. Sat pa-
triae, Priamoq. datum. *Officio*: erga hominem bene meritum. ep. 6. lib. VI. Veritus ſum deeſſe Pompeij
ſaluti; cum ille aliquando non defuiſſet meae. *Familiaritati*: quae Ciceroni cum Pompeio fuit. PAR-
TIBVS,} Pompeianis, quas probaſti. HIS *quoque locis*,} Dyrrhachio, ſicuti pulſus eſt Italia.

# Argumentum ep. 10.

*QVaſi per iocum ſcribit, inter Niciam, & Vidium ſe iudicem eſſe conſtitutum: & item per iocum, P. Sullae mortem ſignificat. Caeſare quartum conſule, ſine collega.*

## *Cicero S. D. Dolabellae.* 10.

*NON ſum auſus Saluio noſtro nihil ad te litterarum dare: nec mehercule habebam, quid ſcriberem, niſi, te a me mirabiliter amari: de quo, etiam nihil ſcribente me, te non dubitare certo ſcio. omnino mihi magis litterae ſunt exſpectandae a te, quam a me tibi. nihil enim Romae geritur, quod te putem ſcire curare: niſi forte ſcire uis, me inter Niciam noſtrum, & Vidium iudicem eſſe. profert alter, ut opinor, duobus uerſiculis expenſum Niciae: alter Ariſtarchus hos ὀβελίζει. ego, tamquam criticus antiquus, iudicaturus ſum, utrum ſint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι. puto te nunc dicere: Oblitus ne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam? & ingentium culinarum cum Sophia Septimae? Quid ergo? tu adeo mihi excuſſam ſeueritatem ueterem putas, ut ne in foro quidem reliquiae priſtinae frontis appareant? ſed tamen ſuauiſſimum συμβιώτην noſtrum praeſtabo integellum: nec committam, ut, ſi ego eum condemnaro, tu reſtituas: ne habeat Plancus Burſa, apud quem litteras diſcat. Sed quid ago? cum mihi ſit incertum, tranquillo ne ſis animo, an, ut in bello, in aliqua maiuſcula cura, negotio ue uerſere. labor longius. cum igitur mihi erit exploratum, te libenter eſſe riſurum; ſcribam ad te pluribus. te tamen hoc ſcire uolo, uehementer populum ſollicitum fuiſſe de P. Sullae morte ante quam certum ſcierit. nunc quaerere deſierunt, quo modo perierit. ſatis putant ſe ſcire, quod ſciunt. ego ceteroqui animo aequo fero: unum uereor, ne haſta Caeſaris refrixerit. Vale.*

# EXPLANATIO

SALVIO. NOSTRO} liberto. NICIAM} hic eſt Curtius Nicias grammaticus, de quo Sue-
tonius in libro de grammaticis. familiaris Dolabellae fuit. ep. ult. lib. XIII. ad Att. IVDICEM} de
pecunia, quam ſibi a Nicia deberi Vidius aiebat. ALTER,} Vidius. VT. OPINOR,} opinari ſe
dicit, quia Vidij codicem accepti & expenſi nondum fortaſſe uiderat. ALTER. ARISTARCHVS}
ut Ariſtarchus olim, quos Homeri non eſſe uerſus arbitrabatur, obeliſco notabat, ut inducerentur tam-
quam nothi: ſic Nicias uerſiculos illos, expenſam ſibi pecuniam indicantes, non agnoſcebat, fictosq. a
Vidio dicebat. Ὀβελίζει.} ueru notat. CRITICVS} ut Ariſtarchus. τοῦ ποιητοῦ,} poetae, Homeri.
Iocum Cicero quaeſiuit in ſimilitudine. nam quia, Verſiculis, dixerat, & mox, Ariſtarchus; ideo poetam
nominauit; cum Vidium ipſum ſignificet, qui uerſiculos illos ſcripſerat. Παρεμβεβλημένοι.} interie-
cti: ſic a Vidio ficti, ut in Homeri poemate interiecti a neſcio quo uerſus aliquot erant, de quibus Ariſtar-
chus iudicauit. QVOS *apud Niciam?*} comediſti, CVLINARVM} lautae cenae ſignificantur,
quibus affuit Cicero cum Nicia, & eius fortaſſe uxore Sophia. Hic ueteres libri diſcrepant inter ſe. habent
enim, Cularum, Gularum, Tullarum, Gallinarum, Cochlearum, Ferculorum: duo, Culinarum: quos
probaui. SEPTIMAE?} filia. Mulieres interdum ab ordine naſcendi appellabantur, Prima, Secun-
da, Tertia, ſiue Tertulla, & ſic deinceps. EXCVSSAM} deiectam, ereptam. SEVERITATEM}
pro ueritate, & iuſtitia ponitur: ut in Verrem: De quo ſi uos ſeuere, religioſeq. iudicaueritis: auctoritas
ea, quae in nobis remanere debet, haerebit. ſin iſtius ingentes diuitiae iudiciorum religionem, ueritatemq.
perfregerint: &c. Pro eo, quod dixerat, ſeuere, religioſeque, reddidit, Religionem, ueritatemq. VT
NE. IN. FORO. QVIDEM} in uno tantum uetere libro, Quidem, inuenimus. quod ideo ſignifican-
dum duximus, quia, uel ſi tollatur, ſententia tamen conſiſtit, & fortaſſe rectius. PRISTINAE. FRON
TIS} ſeueritatis, quae fronte oſtenditur. APPAREANT?} in iudicando. Συμβιώτην} con-
uictorem. PRAESTABO. INTEGELLVM:} efficiam, ne quid damni patiatur. NEC *com-*
*mittam*,

*mittam, ut ſi ego eum condemnaro, tu reſtituas:*} iocari coepit, cum dixit: Vt ne in foro quidem reliquiae priſtinae frontis appareant. non enim de Niciae, & Vidij controuerſia iudicaturus erat in foro, ſed intra domeſticos parietes, iudex ab utroque electus communis amicitiae iure, pariq. aequitatis eius opinione. fori uero mentionem facit, quia lites in foro iudicabantur. itaque, ut ingenio ualebat, eratq. cum familiaribus feſtiuus, & facetus, primum, a forenſibus iudicijs ad eam, quam inter duos litigantes, perſonam ſuſceperat, ducta ſimilitudine, iocum quaeſiuit: deinde, ut iniquam notaret condicionem temporum, quia Caeſar damnatos lege Pompeia reſtituerat; cur ego, inquit, amicum tuum Niciam condemnem, cum uos Caeſariani iudicia reſcindere, & damnatos reſtituere ſoleatis? itaque uereri poſſum, ne iudicium meum, ſi tibi diſplicuerit, irritum facias, &, quem ego condemnaro, tu in integrum reſtituas. NE. HABEAT *Plancus Burſa,*} tuo beneficio, ob Niciam a te reſtitutum. APVD *quem litteras diſcat.*} mordet ueterem ſuum inimicum Burſam, ut imperitum litterarum, & grammaticis uti ſolitum, fortaſſe etiam hoc ipſo Nicia, ut aliquid diſceret. Erat autem hic quoque Burſa, unus ex ijs, quos lege Pompeia damnatos reſtituerat Caeſar. ep. 2. lib. VII. VT. IN. BELLO,} Hiſpanienſi. TE *libenter eſſe riſurum;*} confectum eſſe bellum, nec te iam in aliqua maiuſcula cura, negotio ue uerſari. ANTEQVAM *certum ſcierit.*} uerebatur enim, ne falſum eſſet, quod eſſe uerum cupiebat: quia P. Sulla, quod & antea dictatore propinquo ſuo L. Sulla, & poſtea Caeſare, proſcriptorum ciuium bona emere conſueuerat, populo in primis odio erat. de eius obitu ep. 17. & 19. lib. XV. nominatur etiam lib. 2. de Off. his uerbis: Nec uero umquam bellorum ciuilium ſemen, & cauſſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & ſperabunt, quam P. Sulla cum uibraſſet dictatore propinquo ſuo, idem ſexto & triceſimo anno poſt a ſceleratiore haſta eadem non receſsit. Opinor eſſe, quem Cicero defendit oratione, quae exſtat. QVO *modo perierit.*} alij enim, a latronibus; alij, cruditate, dicebant. ep. 17. lib. XV. QVOD. SCIVNT.} illum eſſe mortuum. VNVM. VEREOR,} cum ironia dictum. haſtam enim illam Caeſaris, ad quam bona Pompeianorum ueniebant, Cicero, & omnes boni uehementer oderant. REFRIXERIT.} Refrigeſcere dicuntur ea, quae ceſſant. ep. 5. lib. 2. ad Q. fr. Quod de Pompeio Caninius agit, ſanequam refrixit. Contrario ſenſu accipitur, Calere. pro Plancio: Crimen de nummis caluit re recenti. nunc in cauſſa refrixit. ep. 17. lib. XV. Caeſarem putabant moleſte laturum, uerentem ne haſta refrixiſſet.

---

# Argumentum ep. XI.

*TVlliolae, filiae ſuae, mortem Dolabellae, qui iam antea cum ea diuortium fecerat, dolenter ſignificans, ait ſibi plurimum ſolatij in illius conſuetudine, & ſermonibus futurum. ſuos obtrectatores ab eo refutari uult: ſed amorem in ſe ex eo patefieri, magis gaudet. Excuſat breuitatem litterarum ſuarum. Caeſare quartum conſule, ſine collega.*

## *Cicero S. D. Dolabellae.* II.

*VEL meo ipſius interitu mallem litteras meas deſiderares, quam eo caſu, quo ſum grauiſſime afflictus: quem ferrem certe moderatius, ſi te haberem. nam & oratio tua prudens, & amor erga me ſingularis multum leuaret. ſed, quoniam breui tempore, ut opinio noſtra eſt, te ſum uiſurus; ita me affectum offendes, ut multum a te poſſim iuuari: non quo ita ſim fractus, ut aut, hominem me eſſe, oblitus ſim, aut fortunae ſuccumbendum putem; ſed tamen hilaritas illa noſtra, & ſuauitas, quae te praeter ceteros delectabat, erepta mihi omnis eſt: firmitatem tamen, & conſtantiam, ſi modo fuit aliquando in nobis, eandem cognoſces, quam reliquiſti. Quod ſcribis, proelia te mea cauſſa ſuſtinere: non tam id laboro, ut, ſi qui mihi obtrectent, a te refutentur, quam intelligi cupio, quod certe intelligitur, me a te amari. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo: ignoſcasq. breuitati mearum litterarum: nam & celeriter una futuros nos arbitror; & nondum ſatis confirmatus ſum ad ſcribendum. Vale.*

## EXPLANATIO

DESIDERARES,} petierat Dolabella per litteras a Cicerone, ut ſibi de Tulliae obitu aliquid ſcriberet; indicaretq. quam fortiter eum caſum ferret. ET *oratio tua prudens, & amor erga me ſingularis*} ep. 6. lib. IV. Et ea ſcripſiſti, quae leuare luctum poſſent; & in me conſolando, non mediocrem ipſe animi dolorem adhibuiſti. BREVI *tempore,*} iam enim Hiſpanienſis belli, cui Dolabella intererat, exitus exſpectabatur. HOMINEM *me eſſe,*} ep. 16. lib. V. Homines nos ut eſſe meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortunae telis propoſita ſit uita noſtra. Et ep. 17. eiuſdem libri: Vt & hominem

te, & uirum eſſe meminiſſes. Et ep. 18. ibidem: Qua condicione omnes homines, & quibus temporibus nati ſumus, cogites. FORTVNAE *ſuccumbendum*} quod infirmi animi eſt. In eo tamen libro, quem de luctu minuendo ad ſe ipſum ſcripſit, uictum ſe a fortuna fatetur. En, ait, manum tollo, cedo, uiciſti. Quae uerba recitant Lactantius, & Diuus Hieronymus. HILARITAS *illa noſtra, &c.*} Eadem eſt ſententia de eadem re in ep. 39. lib. XII. ad Att. Hilaritatem, inquit, illam, qua hanc triſtitiam temporum condiebamus, in perpetuum amiſi: conſtantia, & firmitas nec animi, nec orationis requiretur. PROELIA. SVSTINERE: acriter concertare cum obtrectatoribus meis. CONFIRMATVS} ex eo caſu, quo ſum grauiſsime afflictus.

# Argumentum ep. 12.

*GRatulatur Dolabellae de repentina Baiarum ſalubritate: orationem, pro Deiotaro rege ad Caeſarem habitam, mittit. Caeſare quartum conſule, ſine collega.*

## *Cicero S. D. Dolabellae.* 12.

GRATVLOR *Baijs noſtris; ſi quidem, ut ſcribis, ſalubres repente factae ſunt: niſi forte te amant, & tibi aſſentantur; & tam diu, dum tu ades, ſunt oblitae ſui. quod quidem ſi ita eſt; minime miror, caelum etiam, & terras uim ſuam, ſi tibi ita conueniat, dimittere. Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum: quod non putaram: itaque eam tibi miſi. uelim ſic legas, ut cauſſam tenuem, & inopem, nec ſcriptione magnopere dignam. ſed ego hoſpiti ueteri, & amico munuſculum mittere uolui leuidenſe, craſſo filo, cuiuſmodi ipſius ſolent eſſe munera. Tu uelim animo ſapienti, fortiq. ſis; ut tua moderatio, & grauitas aliorum infamet iniuriam. Vale.*

## EXPLANATIO

BAIIS} ſalubres Baiarum aquae. Plinius lib. XXXI. cap. 2. NOSTRIS,} Blanditur loco, quia ualetudinem commodiorem amico reſtituerit. ORATIVNCVLAM} quae exſtat. HABEBAM *mecum*:} ruſticabatur igitur Cicero. TENVEM, *& inopem*,} in qua non ſuppeterent argumenta, quae alijs in cauſsis deeſſe non ſolent. MVNVSCVLVM *mittere uolui leuidenſe, craſſo filo*,} uerbum, Volui, eſt in quattuor antiquis libris. itaque non uideo, cur in dubium uocetur, praeſertim requirente ſententia. Leuidenſe autem, ſine diphthongo in ultima ſyllaba, legitur in omnibus antiquis libris: nec de mendo ſuſpicari poſſum, cum Iſidorus lib. XIX. inter nomina ueſtium Leuidenſem appellet, eamq. ſic uocatam oſtendat, quod raro filo ſit, leuiterq. denſata. Deinde ſubiungit haec: Pauidenſis, contraria leuidenſi, dicta, quod grauiter denſa, atque calcata ſit. CVIVSMODI *ipſius ſolent eſſe munera.*} quia non admodum liberalis erat. ALIORVM} Caeſarianorum. INIVRIAM.} quam inferebant uiris bonis, & legibus, atque inſtitutis maiorum.

# Argumentum ep. 13.

*ROgat Dolabellam, ut Suberino, & Planio reditum in patriam a Caeſare impetret: eoſq. ita excuſat, ut oſtendat, caſu quodam, & neceſsitate coactos Pompeij partes in Hiſpania ſecutos eſſe. Caeſare quartum conſule, ſine collega, Hiſpanienſi bello confecto, cum nondum tamen Caeſar in Italiam reuertiſſet. nam praeſenti Dolabellae commendaticias litteras Cicero miſiſſet. Commendationis capita quinque, unum, quod familiares ſui ſint Suberinus, & Calenus: alterum, quod Leptae, familiariſsimi ſui, pernecesſarij: tertium, quod cum Pompeij filio, non conſilio, & uoluntate, ſed caſu potius, & neceſsitate quadam, contra Caeſarem pugnauerint: quartum,*

*quod*

*quod redacti fere ad inopiam ſint: quinctum, quod iam Caeſar ijs uitam conceſſerit; ex quo non difficile uidetur, ab eodem ijs reditum impetrare.*

## *Cicero S. D: Dolabellae.* 13.

*C.* SVBERINVS *Calenus & meus eſt familiaris, & Leptae, noſtri familiariſſimi, perneceſſarius. is cum, uitandi belli cauſſa, profectus eſſet in Hiſpaniam cum M. Varrone ante bellum, ut in ea prouincia eſſet, in qua nemo noſtrum, poſt Afranium ſuperatum, bellum ullum fore putarat; incidit in ea ipſa mala, quae ſummo ſtudio uitauerat: oppreſſus eſt enim bello repentino: quod bellum commotum a Scapula, ita poſtea confirmatum eſt a Pompeio, ut nulla ratione ſe ab illa miſeria eripere poſſet. Eadem cauſſa fere eſt M. Planij Heredis, qui eſt item Calenus, Leptae noſtri familiariſſimus. Hoſce igitur ambos ſic tibi commendo, ut maiore cura, ſtudio, ſollicitudine animi commendare non poſſim. uolo ipſorum cauſſa: meq. in eo uehementer & amicitia mouet, & humanitas. Lepta uero cum ita laboret, ut eius fortunae uideantur in diſcrimen uenire; non poſſum ego non aut proxime, atque ille, aut etiam aeque laborare. quapropter, etſi ſaepe expertus ſum, quantum me amares: tamen ſic uelim tibi perſuadeas, id me in hac re maxime iudicaturum. Peto igitur a te, uel, ſi pateris, oro, ut homines miſeros, & fortuna, quam uitare nemo poteſt, magis, quam culpa, calamitoſos, conſerues incolumes; uelisque, per te me hoc muneris cum ipſis amicis hominibus, tum municipio Caleno, quicum mihi magna neceſſitudo eſt, tum Leptae, quem omnibus antepono, dare. Quod dicturus ſum, puto equidem non ualde ad rem pertinere, ſed tamen nihil obeſt dicere. res familiaris alteri eorum ualde exigua eſt, alteri uix equeſtris. quapropter, quando his Caeſar uitam ſua liberalitate conceſſit; nec eſt, quod ijs praeterea magnopere poſſit adimi: reditum, ſi me tantum amas, quantum certe amas, hominibus confice: in quo nihil eſt, praeter uiam longam: quam iccirco non fugiunt, ut & uiuant cum ſuis, & moriantur domi. quod ut enitare, contendasque, uel potius ut perficias, (poſſe enim te, mihi perſuaſi) uehementer te etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

LEPTAE,} Q. Leptae, qui Ciceronis in prouincia praefectus fabrum fuerat. ep. 7. lib. III. VITANDI *belli*} ciuilis, quod primum in Italia geſtum eſt. M. VARRONE} legato Pompeij in Hiſpania cum Afranio, & Petreio. ANTE *bellum*,} quod Caeſar cum legatis Pompeij geſsit in Hiſpania. POST *Afranium ſuperatum*,} unum de tribus nominat, quia conſularis erat ſolus, ideoq. honore primus. BELLVM *ullum fore*} quod fuit, & grauiſsimum omnium, cum Pompeij liberis. IN *ea ipſa mala*,} in bellum, cuius uitandi cauſſa profectus erat in Hiſpaniam. SCAPVLA,} T. Quinctio Scapula, equite Romano. Dio lib. XLIII. NVLLA *ratione*} ingenioſa excuſatio: quaſi Suberinus uoluerit quidem, ſed nullo modo potuerit eius belli ſocietatem uitare. EADEM *cauſſa*} quod de Suberino, idem fere de Planio dictum puta. HEREDIS,} non dubito, quin ſit hoc Planij, cognomen. itaque ſcripſi, prima littera maiuſcula. CVRA, *ſtudio, ſollicitudine*} ſingula uim petitionis augent. VOLO *ipſorum cauſſa*:} nota locutio ep. 1. lib. 1. Regis cauſſa ſi qui ſunt, qui uelint. HVMANITAS.} humanitatis eſt, miſereri afflictorum hominum, praeſertim ſi fortuna magis, quam culpa, miſeri ſint. quod infra dicitur. VEL, *ſi pateris, oro*,} non enim pati uidetur amor in me tuus, ut te orem. petere ſatis eſt. Simile illud ep. 9. lib. 1. Ea tantae mihi curae ſunt, ut me nolim admoneri, rogari uero ſine magno dolore uix poſsim. QVEM *omnibus antepono*,} non, omnibus plane hominibus, (non enim Leptae tantum tribueret) ſed, omnibus Calenis. nam & Lepta ex eodem erat municipio. NIHIL *obeſt dicere*.} fortaſſe etiam prodeſt. nam eorum, qui commendantur, inopia miſerationem elicit. VIX *equeſtris*.} uix poſsidet quadraginta millia nummum. hic enim cenſus equeſtris erat. Horatius ep. 1. lib. 1.

„ Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Plebs eris.

---

# Argumentum ep. 14.

*DOlabellam effert laudibus, quia columnam, & aram, Caeſari mortuo, tamquam deo, erectam, euerterat, homineſq. peſsime contra ciuitatem, & libertatem animatos ſupplicio affecerat. Scripta paullo poſt Caeſaris necem, M. Antonio, & ipſo Dolabella cos.*

## Cicero S. D. Dolabellae cos. 14.

Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria; ſatisq. ex ea magnam laetitiam, uoluptatemq. capiebam: tamen non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio; quod uulgo hominum opinio ſocium me adſcribat tuis laudibus. neminem conueni, (conuenio autem quotidie plurimos: ſunt enim permulti optimi uiri, qui, ualetudinis cauſſa, in haec loca conueniant, praeterea ex municipijs frequentes neceſſarij mei) quin omnes, cum te ſummis laudibus ad caelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant. negant enim ſe dubitare, quin tu, meis praeceptis, & conſilijs obtemperans, praeſtantiſſimum te ciuem, & ſingularem conſulem praebeas. quibus ego quamquam ueriſſime poſſum reſpondere, te, quae facias, tuo iudicio, & tua ſponte facere, nec cuiuſquam egere conſilio: tamen neque plane aſſentior, ne imminuam tuam laudem, ſi omnis a meis conſilijs profecta uideatur: neque ualde nego: ſum enim auidior etiam, quam ſatis eſt, gloriae. eſt tamen non alienum dignitate tua, quod ipſi Agamemnoni, regum regi, fuit honeſtum, habere aliquem in conſilijs capiundis Neſtorem: mihi uero glorioſum, te iuuenem conſulem florere laudibus, quaſi alumnum diſciplinae meae. L. quidem Caeſar, cum ad eum aegrotum Neapolim ueniſſem, quamquam erat oppreſſus totius corporis doloribus, tamen ante, quam me plane ſalutauit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum uales apud Dolabellam, quantum ſi ego apud ſororis filium ualerem, iam ſalui eſſe poſſemus. Dolabellae uero tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem, poſt te conſulem, ſolum poſſumus uere conſulem dicere. deinde multa de facto, ac de re geſta: tum nihil magnificentius, nihil praeclarius actum umquam, nihil reip. ſalutarius. atque haec una uox omnium eſt. A te autem peto, ut me hanc quaſi falſam hereditatem alienae gloriae ſinas cernere; meq. aliqua ex parte in ſocietatem tuarum laudum uenire patiare. quamquam, mi Dolabella, (haec enim iocatus ſum) libentius omnes meas, ſi modo ſunt aliquae meae laudes, ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauſerim ex tuis. nam cum te ſemper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuiſti: tum his tuis factis ſic incenſus ſum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. Nihil eſt enim, mihi crede, uirtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amaui, ut ſcis, M. Brutum, propter eius ſummum ingenium, ſuauiſſimos mores, ſingularem probitatem, atque conſtantiam: tamen idibus Mart. tantum acceſſit ad amorem, ut mirarer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatum eſſe uidebatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantum acceſſit, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexiſſe. Quare quid eſt, quod ego te horter, ut dignitati, & gloriae ſeruias? proponam tibi claros uiros; quod facere ſolent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quam te ipſum. te imitere oportet, tecum ipſe certes. nec licet quidem tibi iam, tantis rebus geſtis, non tui ſimilem eſſe. quod cum ita ſit; hortatio non eſt neceſſaria, gratulatione magis utendum eſt. contigit enim tibi, quod haud ſcio an nemini, ut ſumma ſeueritas animaduerſionis non modo non inuidioſa, ſed etiam popularis eſſet, & cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratiſſima. hoc ſi tibi fortuna quadam contigiſſet; gratularer felicitati tuae: ſed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenij, atque conſilij. legi enim concionem tuam: nihil illa ſapientius. ita pedetentim, & gradatim tum acceſſus a te ad cauſſam facti, tum receſſus, ut res ipſa maturitatem tibi animaduertendi omnium conceſſu daret. liberaſti igitur & urbem periculo, & ciuitatem metu: neque ſolum ad tempus maximam utilitatem attuliſti, ſed etiam ad exemplum. quo facto, intelligere debes in te poſitam eſſe remp. tibiq. non modo tuendos, ſed etiam ornandos eſſe illos uiros, a quibus initium libertatis profectum eſt. Sed his de rebus coram plura propediem, ut ſpero. Tu, quoniam remp. noſq. conſeruas, fac ut diligentiſſime te ipſum, mi Dolabella, cuſtodias. Vale.

## EXPLANATIO

Dolabellae} P. Cornelio Dolabellae: qui cum antea gener Ciceronis fuiſſet, (ep. 16. lib. 2. & 13. lib. IIX.) poſtea diuortium fecerat. ep. 18. lib. VI. Convenio *autem quotidie plurimos:*} ſic locutus, uerbo repetito, ep. 5. lib. VI. In. haec *loca*} Baias. ep. 10. Svmmis *laudibus*} ob euerſam columnam, & aram. ep. 2. lib. XI. & 1. lib. XII. & ad Att. ep. 15. 16. 19. lib. XIV. & Phil. I. praeterea Suetonius, Appianus lib. III. Lactantius lib. I. cap. 15. alij. Consvlem} interfecto Caeſare, Dolabella cum faſcibus tamquam conſul in forum uenit. nam eum ſibi Caeſar, iturus ad bellum Parthicum, ſuffecerat. Non *alienum dignitate tua,*} ſic ep. 53. l. XIII. nonnulli ueteres libri, A dignitate tua: alij, Dignitati tuae. omnes recte, quod attinet ad conſuetudinem Latini ſermonis. nam & dandi, & auferendi, & generandi etiam caſibus Alienum iungitur. Regvm *regi,*} quia regibus omnibus ad bellum Troianum profectis imperabat. Nestorem:} quo potiſsimum conſiliario utebatur Agamemnon. Homerus Il. lib. I. Qvasi *alumnum diſciplinae meae.*} diſcipulum ſuum uocat ep. 7. & 18. & lib. VII. ep. ult. L. Caesar,} Iuliae, M. Antonij matris, frater: auunculus igitur Antonij. Hunc Antonius, oppreſſa rurſus poſt obitum Caeſaris rep. necandum Octauio tradidit; Octauius ei Ciceronem. Sed cum ad eum interficiendum milites ab Octauio miſsi ueniſſent, confugit ad Iuliam ſororem: quae fratrem, obiecto percuſſoribus corpore, clamans Antonij matrem una cum fratre necandam, incolumem ſeruauit. Plutarchus, Appianus. Neapolim} ep. 17. lib. XIV. ad Att. Sororis *filium*} M. Antonium, Dolabellae collegam in conſulatu. De *facto,*} de columna, & ara ſublata. De *re geſta:*} de ſeruis cruci affixis, liberis de rupe Tarpeia deiectis. ep. 15. lib. XIV. ad Att. O mirificum Dolabellam meum. iam enim dico meum:

antea,

antea, crede mihi, ſubdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res habet. de ſaxo, in crucem, columnam tollere, locum illum ſternendum locare. quid quaeris? heroica. Et ad eundem, infra. REIP. *ſalutarius*.} ep. I. lib. XII. QVASI *falſam hereditatem*} tu enim, quae facis, tuo iudicio, & tua ſponte facis. itaque haec nō uera hereditas. ALIENAE *gloriae*} tuae. CERNERE;} uſitatus loquendi modus, Cernere hereditatem, pro adire. Feſtus. ep. 2. lib. 2. ad Att. & 43. lib. XIII. TRANSFVDERIM,} contraria tranſlata poſuit, Transfuderim, Exhauſerim. ARDENTIVS.} flagrare amore, incendi, inflammari, ardere, dicimus. NIHIL *formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius*.} ex forma, & pulchritudine oritur amor: ideo, Amabilius, tertio loco poſuit. Apparet autem, cum dicat, Nihil formoſius, nihil pulchrius, quiddam eſſe, quo differant inter ſe forma, & pulchritudo: idque, niſi fallor, tale eſt. Forma mouet, & ad uenerationem quandam animum adducit, decora ſpecie, & apta partium omnium compoſitione. Pulchritudo allicit, & fruendi cupiditatem gignit. Ex hac diſtinctione poteſt aliquid eſſe formoſum, nec tamen pulchrum; & aliquid pulchrum, nec tamen formoſum. itaque, formoſus ſenex. proprie dicetur, pulcher, non item: & contra, pulchra oratio, ueſtis, domus, non formoſa. Confundit interdum Cicero, ut nihil a pulchritudine differre forma uideatur: hic, quia perſpicue alteram ab altera diſtinguit, utriuſque uim indicare operaepretium fuit. IDIBVS *Mart*.} quo die Caeſarem Brutus occidit. ep. 28. lib. x. & omnes hiſtorici. TANTVM *acceſſit*,} ob euerſam columnam, homineſq. libertatis inimicos extremo ſupplicio affectos. AMARE *uidear, antea dilexiſſe*.} Diligere, leuius eſt, quam Amare. in epiſtola ad M. Brutum: Clodius ualde me diligit, uel, ut ἐμφατικώτερον, ualde me amat. ep. 47. lib. XIII. Quid ego tibi commendem eum, quem tu ipſe diligis? ſed tamen, ut ſcires eum non a me diligi ſolum, uerum etiam amari, ob eam rem tibi haec ſcribo. Et ad M. Brutum, apud Nonium: Aut amabis me, aut, quo contentus ſum, diliges. Terentius quoque ut diuerſa poſuit in Eun. Non pol, quo quamquam plus amem, aut plus diligam, eo feci. TECVM *ipſe certes*.} non iam ut alios, ſed ut te ipſum uincas. Egregius laudandi mos. de Orat. lib. III. Saepe inter homines ſapientiſsimos conſtare uidi; quamquam hoc Craſſo, cum aliquid accuratius dixiſſet, ſemper fere contigiſſet, ut numquam dixiſſe melius putaretur; tamen omnium conſenſu ſic eſſe tum iudicatum, ceteros a Craſſo ſemper oēs, illo autem die etiam ipſum a ſeſe ſuperatum. Ep. I. lib. I. ad Q. fr. Non ut cum alijs, ſed ut tecum ipſe certes. QVOD *haud ſcio an nemini*,} idem erat, Haud ſcio an cuiquam. Et utroque modo utitur Cicero. uide quae diximus ep. 9. SVMMA *ſeueritas animaduerſionis*} hac de re ſic in Phil. I. Cum ſerperet in urbe infinitum malum; idq. manaret in dies latius; ijdemq. buſtum in foro facerent, qui illam inſepultam ſepulturam effecerant; & quotidie magis magiſq. perditi homines cum ſui ſimilibus ſeruis tectis, ac templis urbis minarentur: talis animaduerſio fuit Dolabellae cum in audaces, ſceleratoſq. ſeruos, tum in impuros, & nefarios liberos, taliſq. euerſio illius exſecratae columnae, ut mihi mirum uideatur, tam ualde reliquum tempus ab illo uno die diſſenſiſſe. INVIDIOSA,} odioſa: ut ep. I. lib. I. Regiae largitionis inuidia. POPVLARIS} grata omnibus: cum gratior ſoleat eſſe clementia: ep. 4. lib. x. ad Att. Ipſum non uoluntate, aut natura non eſſe crudelem, ſed quod putaret, popularē eſſe clementiam. INFIMO *cuique*} quod mirum uidebatur: cum infimi homines licentia, & rerum nouitate delectentur. Eadem de re in ep. 16. lib. XIV. ad Att. Quis audeat uiolare, propoſita cruce, uel ſaxo? praeſertim tantis plauſibus, tanta approbatione infimorum. FELICITATI *tuae*:} non uirtuti. ANIMI,} hoc refertur ad rem geſtam. INGENII, *atque conſilij*.} hoc ad concionem ipſam, in qua uehementer eos accuſabat, qui columnam illam in foro Caeſari mortuo erexerant. ACCESSVS *a te ad cauſſam facti*,} acceſsiſti ad rem narrandam ita pedetentim, & gradatim, indeq. ita receſsiſti, non ut impetu quodam, & temeritate raptus ad animaduertendum uidereris, ſed ut ipſa res, a te prudenter explicata, hortaretur te ad celerem animaduerſionem, omnium conceſſu. MATVRITATEM *animaduertendi*} in eos, qui columnā erexerant. VRBEM *periculo, ciuitatem metu*:} tecta ab igne, ciues a caede. Differre Vrbem a Ciuitate, quis iam neſcit? Pro Sulla: In qua ciuitate res tantas geſſerim, memini; & in qua urbe, intelligo. De hoc periculo ſic ep. I. lib. XII. Manebat illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi, & otio diffiderem urbano. Et Philip. I. AD TEMPVS} ut aliquandiu tua nobis haec praeclara actio fructū ferat. AD *exemplum*.} ut hoc exemplo ſemper homines ad bene de rep. merendum excitentur. In Vatinium: Quo etiam maiore es malo mactandus, quod non ſolum facto tuo, ſed etiam exemplo remp. uulneraſti. TVENDOS,} ab iniuria. ORNANDOS} honoribus afficiendos. ILLOS *uiros*,} M. Brutum, C. Caſsium, & alios, qui Caeſarem regnantem occiderant. INITIVM *libertatis*} quaſi dicat: a te conſule reliqua exſpectantur; ut ſis participes eiuſdem gloriae. Ad hanc Ciceronis epiſtolam reſcripſit Dolabella luculente. ep. 21. lib. XIV. ad Att.

---

## Argumentum ep. 15.

*DVabus Paeti epiſtolis reſpondet; priori, iure ſe eius ualetudine perturbatum, cuius & amorem in ſe, & ingenij feſtiuitatem plurimi faciat; poſteriori, nihil referre, utrum Romae ſit, an Neapoli; cum Romae unius nu-*

*tu regantur*

*tu regantur omnia : itaque ſe manere in ſententia de domo Neapoli emenda. Caeſare tertium, & Lepido cos. confecto Africano bello, antequam Caeſar iret in Hiſpaniam contra Pompeij liberos.*

## *Cicero S. D. Papirio Paeto:* 15.

*DVABVS tuis epiſtolis reſpondebo, uni, quam triduo ante acceperam a Zetho; alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis litteris intellexi pergratam tibi eſſe curam meam ualetudinis tuae; quam tibi perſpectam eſſe gaudeo: ſed, mihi crede, non perinde, ut eſt reapſe, ex litteris perſpicere potuiſti. nam cum a ſatis multis (non enim poſſum aliter dicere) & coli me uideam, & diligi; nemo eſt illorum omnium mihi te iucundior. nam quod me amas; quod id & iampridem, & conſtanter facis; eſt id quidem magnum, atque haud ſcio, an maximum, ſed tibi commune cum multis: quod tu ipſe tam amandus es, tamq. dulcis, tamq. in omni genere iucundus, id eſt proprie tuum. accedunt non Attici, ſed ſalſiores, quam illi Atticorum, Romani ueteres, atque urbani ſales. ego autem (exiſtimes licet quod lubet) mirifice capior facetijs, maxime noſtratibus, praeſertim cum eas uideam primum oblitas Latio tum, cum in urbem noſtram eſt infuſa peregrinitas, nunc uero etiam braccatis, & tranſalpinis nationibus, ut nullum ueteris leporis ueſtigium appareat. itaque, te cum uideo, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, uere ut dicam, Craſſos quoque, & Laelios uidere uideor. moriar, ſi, praeter te, quemquam reliquum habeo, in quo poſſim imaginem antiquae, & uernaculae feſtiuitatis agnoſcere. ad hos lepores cum amor erga me tantus accedat, miraris me tanta perturbatione ualetudinis tuae tam grauiter exanimatum fuiſſe? Quod autem altera epiſtola purgas te non diſſuaſorem mihi emptionis Neapolitanae fuiſſe, ſed auctorem moderation is urbanae: neque ego aliter accepi: intellexi tamen idem, quod his intelligo litteris, non exiſtimaſſe te, mihi licere, id quod ego arbitrabar, res has non omnino quidem, ſed magnam partem relinquere. Catulum mihi narras, & illa tempora: quid ſimile? ne mihi quidem ipſi tunc placebat diutius abeſſe ab reip. cuſtodia. ſedebamus enim in puppi, clauũq. tenebamus: nunc autem uix eſt in ſentina locus. an minus multa S. C. futura putas, ſi ego ſim Neapoli? Romae cum ſum, & urgeo forum; S. C. ſcribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum. & quidem, cum in mentem uenit, ponor ad ſcribendum: & ante audio S. C. in Armeniam, & Syriam eſſe perlatum, quod in meam ſententiam factum eſſe dicatur, quam omnino mentionem ullam de ea re eſſe factam. atque hoc nolim me iocari putes. nam mihi ſcito iam a regibus ultimis allatas eſſe litteras, quibus mihi gratias agant, quod ſe mea ſententia reges appellauerim: quos ego non modo reges appellatos, ſed omnino natos neſciebam. quid ergo eſt? tamen, quamdiu hic erit noſter hic praefectus moribus, parebo auctoritati tuae: cum uero aberit, ad fungos me tuos conferam. domum ſi habebo; in denos dies, ſingulos ſumptuariae legis conferam. ſin minus inuenero, quod placeat; decreui habitare apud te. ſcio enim, me nihil gratius tibi facere poſſe. Domum Sullanam deſperabam iam, ut tibi proxime ſcripſi, ſed tamen non abieci. tu, uelim, ut ſcribis, cum fabris eam perſpicias. ſi enim nihil eſt in parietibus, aut in tecto uitij; cetera mihi probabuntur. Vale.*

## EXPLANATIO

PAPIRIO *Paeto.*} Paetum ab oculis leuiter declinatis, Porphyrio in Hor. Sat. 3. deductum ait: Acro, quod eius oculi huc & illuc mouerentur. PHILEROS} ſeruorum nomina, Zethus, & Phileros. INTELLEXI *pergratam tibi eſſe curam meam ualetudinis tuae: quam tibi perſpectam eſſe gaudeo:*} ſic unus omnino uetus liber, & recte. reliqui omnes mendoſe, Intellexi pergratam tibi perſpectum eſſe gaudeo. REAPSE,} antique, pro Re ipſa, ut Meapte, Suapte. ſic Cicero, Pacuuius, Plautus, Africanus minor, Seneca locuti ſunt. Feſtus. ATQVE *haud ſcio, an maximum,*} & fortaſſe maximum. ep. ſuperiore: Contigit tibi, quod haud ſcio an nemini: pro, quod, opinor, nemini: uel, quod fortaſſe nemini. Dubitatio quaedam eſt, ita rem amplificans, ut ſpecies minuatur aſſentationis. Pro Flacco: Cuius ego ciuitatis diſciplinam, atque grauitatem non ſolum Graeciae, ſed haud ſcio an cunctis gentibus anteponendam putem. ATTICI,} qui laudari in primis ſolent. ep. 31. lib. VII. NOSTRATIBVS,} Romanis, non Latinis, aut Gallicis. OBLITAS} inquinatas. LATIO} ex Latio. CVM *in urbem noſtram eſt infuſa peregrinitas,*} cum Latinis data ciuitas eſt: quorum conſuetudo Romanum ſermonem infuſcauit. Peregrini autem ab initio Latini Romae uocabantur: & lex lata de peregrinis urbis uſu prohibendis. & hic Cicero a peregrinis, ideſt a Latinis, Gallos diſtinguit, quos braccatas, & tranſalpinas nationes appellat. BRACCATIS, *& tranſalpinis nationibus,*} Gallia Braccata, quae cis alpes fuit, dicebatur prouincia Narbonenſis, a genere ueſtimenti: Comata uero, quae Romanis, ante quam a C. Caeſare ſuperaretur, non paruit, dicta a comis alendis. Hic Cicero iocatur, non ſine ſtomacho, in Caeſarem, qui Gallis quibuſdam, non modo ciſalpinis, uerum etiam tranſalpinis ciuitatem dederat: ex quibus nonnullos etiam in ſenatum recepit. Suetonius, Ciuitate, ait, donatos, & quoſdam e ſemibarbaris Gallorum, recepit in curiam. Et infra: Illa uulgo canebantur, Gallos Caeſar in triumphum ducit. ijdem in curia Galli braccas depoſuerunt, latum clauum ſumpſerunt. OMNES *mihi Granios,*} quicumque Granio ſimiles in dictis fuere. Granius praeco dicax admodum fuit. nominat eum Cicero lib. 2. de Orat. & in Bruto, & in oratione pro Plancio, & Lucilius poeta apud Gellium lib. IV. cap. 17.

,, Conijcere

„ Conijcere in uerſus dictum praeconis uolebam
„ Granij.

VERE *ut dicam*,} hoc interponit, quia tranſit ad maiorem Paeti laudem. nam Craſſus, & Laelius non modo faceti, ut Granius ſed eloquentes etiam fuere. CRASSOS} L. Craſſum, oratorem ſummum, cuius mortem Cicero deplorat lib. III. de Orat. LAELIOS} C. Laelium, Sapientis cognomine honeſtatum, Africani minoris amiciſsimum, cui ſermonis elegantiam Cicero tribuit in Bruto. Miror hic omiſſum eſſe Caeſarem illum, Catuli fratrem, qui dicacitate, & facetijs omnes uicit: ut lib. 2. de Orat. & lib. 1. de Off. VERNACVLAE} domeſticae, Romanae, non oblitae Latio, aut braccatis & tranſalpinis nationibus. AVCTOREM *moderationis urbanae*:} quod ſuaſeris, ut neque ſemper in urbe maneam, neque ſemper abſim. NEQVE *ego aliter accepi*:} Neque, non diſiungit hic, ut alibi; ſed fere ualet idem, quod Ne quidem: ut ſi dixiſſet, ne ego quidem aliter accepi. Simile illud ep. 1. lib. VI. Qui neque, cum id faciebamus, tam eramus amentes. Et ep. 4. ad Att. lib. 1. Quod ſcribis, etiam ſi cuius animus in te eſſet offenſior, a me recolligi oportere: quid dicas? neque id neglexi. ARBITRABAR,} licere mihi arbitrabar, res has ſi non omnino, ſaltem ex magna parte relinquere. quod tu mihi non exiſtimas licere. MAGNAM *partem*} ex magna parte. ep. 9. lib. IIX. Soles libenter, ut ego, maiorem partem nihil curare. Caeſar lib. IV. de bel. Gal. Magnam partem lacte uiuunt. Terentius in Eun. & Cicero ipſe Acad. 2. & Tuſc. 4. CATVLVM} Q. Catulum, eius filium, qui cum C. Mario conſul fuit. MIHI *narras*,} ais Catulum ab reip. cuſtodia numquam diſceſsiſſe. ILLA *tempora*:} cum uiueret Catulus. QVID *ſimile*?} ſic ep. 23. l. VII. Bacchas iſtas cum muſis Metelli comparas: quid ſimile? SEDEBAMVS *in puppi*,} remp. gubernabamus ut principes, dignitate, & auctoritate ſumma. VIX *eſt in ſentina locus*.} tantum abeſt, ut remp. regamus, ut uix ullam eius partem attingere nobis liceat. AN. MINVS *multa S. C.*} abeſſe mihi licet nullo reip. damno. nõ enim, ſi ego Romae non ſim, ideo minus multa S. C. fient. VRGEO *forum*;} in forum ſaepe uenio. SCRIBVNTVR *apud amatorem tuum*,} quae ſcribi ſolebant in curia, dictis relata de re ſententijs. ita ex uoluntate unius omnia geruntur: ſenatorum ſententiae non rogantur, ſed S. C. inſcio ſenatu domi ſcribuntur. Amatorem Paeti Caeſarem uocat; apud quem auctoritate, & gratia plurimum ualebat Paetus. CVM *in mentem uenit*,} quaſi contemnens Caeſar non cogitat, ſed, cum in mentem uenit, in S. C. ponit, affuiſſe me ſcribendo. AD *ſcribendum*:} opinor, ſcriptum fuiſſe, ADF. SCRIB. ideſt, affuiſſe ſcribendo. de quo more diximus ep. 8. lib. IIX. VLTIMIS,} qui regnant in finibus imperij Romani. REGES *appellauerim*:} fingebat Caeſar, ut adhuc reſp. ſtare uideretur, S. C. eſſe factum in ſententiam Ciceronis de aliquo rege appellando. ep. 17. lib. 2. QVID *ergo eſt? tamen*,} ſic Coelius ep. 13. lib. IIX. PRAEFECTVS *moribus*,} Caeſar, quem ſenatus moribus in triennium praefecerat. Dio lib. XLIII. PAREBO *auctoritati tuae*:} faciam, quod ſuades: ab urbe non diſcedam. Ioci non nihil eſt in hoc, Parebo auctoritati tuae. Sunt enim uerba minoris ad maiorem. FVNGOS} fungi, ut hodie quoque, apud ueteres optime conditi, inter exquiſitas epulas habebantur. ep. 10. & lib. VII. ep. 26. DOMVM *ſi habebo*;} Neapoli. IN *denos dies*,} quem ſumptum in ſingulos dies praeſcribit ſumptuaria lex, eum in decem dies diſtribuam. ita non modo non contra legem, ſed etiam intra legem epulabor. Tulit eam legem Caeſar poſt bellum Africanum, Dione teſte. uide ep. 26. lib. VII. & ep. ult. huius libri. & ep. 7. lib. XIII. ad Att. SIN *minus inuenero, quod placeat*;} ſi domum non inuenero, quae placeat. SVLLANAM} in urbe Neapoli. NON *abieci*.} adhuc ſpero. ep. 1. lib. XIII. Te abieciſſe illam aedificationem, conſtabat inter omnes.

---

## Argumentum ep. 16.

*OStendit, nihil a ſe praetermiſſum, ut Caeſarianorum beneuolentiam ſibi conciliaret: deinde, neque boni ciuis, neque ſapientis hominis officium in ſe deſiderari poſſe: poſtremo, ad Papirij iocationes reſpondet. Caeſare tertium, & Lepido cos. poſt bellum Africanum.*

### *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 16.

DELECTAVERVNT *me litterae tuae: in quibus primum amaui amorem tuum, qui te ad ſcribendum incitauit, uerentem, ne Silius ſuo nuncio aliquid mihi ſollicitudinis attuliſſet. de quo & tu mihi antea ſcripſeras, bis quidem eodem exemplo, facile ut intelligerem te eſſe commotum: & ego tibi accurate reſcripſeram, ut, quoquo modo, in tali re, atque tempore aut liberarem te iſta cura, aut certe leuarem. ſed, quando proximis quoque litteris oſtendis, quantae curae tibi ſit ea res; ſic mi Paete habeto; quidquid arte fieri potuerit, (non enim iam ſatis eſt conſilio pugnare, artificium quoddam excogitandum eſt) ſed tamen, quidquid elaborari, aut effici potuerit ad iſtorum beneuolentiam conciliandam, & colligendam, ſummo ſtudio me conſecutum eſſe, nec fruſtra, ut arbitror. ſic enim color, ſic obſeruor ab omnibus ijs, qui a Caeſare diliguntur, ut ab eis me amari putem.*

*nam,*

nam, etſi Non facile dijudicatur amor uerus, & fictus, niſi aliquod incidat eiuſmodi tempus, ut, quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit: cetera ſunt ſigna communia: ſed ego uno utor argumento, quamobrem me ex animo, uereq. arbitrer diligi; quod & noſtra fortuna ea eſt, & illorum, ut ſimulandi cauſſa non ſit. De illo autem, quem penes eſt omnis poteſtas, nihil uideo, quod timeam, niſi quod omnia ſunt incerta, cum a iure diſceſſum eſt: nec praeſtari quidquam poteſt, quale futurum ſit, quod poſitum eſt in alterius uoluntate, ne dicam libidine. ſed tamen eius ipſius nulla re a me offenſus eſt animus. eſt enim adhibita in ea re ipſa ſumma a nobis moderatio. ut enim olim arbitrabar eſſe meum, libere loqui, cuius opera eſſet in ciuitate libertas; ſic, ea nunc amiſſa, nihil loqui, quod offendat aut illius, aut eorum, qui ab illo diliguntur, uoluntatem. effugere autem ſi uelim non nullorum acute, aut facete dictorum offenſionem; fama ingenij mihi eſt abijcienda. quod ſi id poſſem, non recuſarem. ſed tamen ipſe Caeſar habet peracre iudicium. & ut Seruius, frater tuus, quem litteratiſſimum fuiſſe iudico, facile diceret, hic uerſus Plauti non eſt, hic eſt; quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum, & conſuetudine legendi: ſic audio Caeſarem, cũ uolumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, ſi quid afferatur ad eum pro meo, quod meum non ſit, reijcere ſolere. quod eo nunc magis facit, quia uiuunt mecum fere quotidie illius familiares. incidunt autem in ſermone uario multa, quae fortaſſe illis, cum dixi, nec illitterata, nec inſulſa eſſe uideantur. haec ad illum cum reliquis actis perferuntur: ita enim ipſe mandauit. ſic fit, ut, ſi quid praeterea de me audiat, non audiendum putet. quamobrem Oenomao tuo nihil utor. etſi poſuiſti loco uerſus Attianos. ſed quae eſt inuidia? aut quid nunc mihi inuideri poteſt? uerum fac eſſe omnia. ſic uideo philoſophis placuiſſe, ijs, qui mihi ſoli uidentur uim uirtutis tenere; Nihil eſſe ſapientis praeſtare, niſi culpam. qua uideor mihi dupliciter carere: & quod ea ſenſerim, quae rectiſſima fuerunt: & quod, cum uiderem praeſidij non ſatis eſſe ad ea obtinenda, uiribus certandum cum ualentioribus non putarim. ergo in officio boni ciuis certe non ſum reprehendendus. reliquum eſt, ne quid ſtulte, ne quid temere dicam, faciam ue contra potentes. id quoque puto eſſe ſapientis. cetera uero, quid quiſque me dixiſſe dicat, aut quo modo ille accipiat, aut qua fide mecum uiuant ij, qui me aſſidue colunt, & obſeruant, praeſtare non poſſum. ita fit, ut & ſuperiorum conſiliorum conſcientia, & praeſentis temporis moderatione me conſoler; & illam Attij ſimilitudinem non modo iam ad inuidiam, ſed ad fortunam transferam: quam exiſtimo, leuem, & imbecillam, ab animo firmo, et graui, tamquam fluctum a ſaxo, frangi oportere. etenim, cum plena ſint monumenta Graecorum, quemadmodum ſapientiſſimi uiri regna tulerint uel Athenis, uel Syracuſis, cum, ſeruientibus ſuis ciuitatibus, fuerint ipſi quodam modo liberi: ego me non putem tueri meum ſtatum ſic poſſe, ut neque offendam animum cuiuſquam, nec frangam dignitatem meam? Nunc uenio ad iocationes tuas. quando tu, ſecundum Oenomaum Attij, non, ut olim ſolebat, Atellanum, ſed, ut nunc fit, mimum introduxiſti. quem tu mihi popilium, quem denarium narras? quam tyrotarichi patinam? facilitate mea iſta ferebantur antea: nunc mutata res eſt. Hirtium ego, & Dolabellam dicendi diſcipulos habeo, cenandi magiſtros. puto enim enim te audiſſe, ſi forte ad uos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud illos cenitare. Tu autem quod mihi bonam copiam eiures, nihil eſt. tum enim, cum rem habebas, quaeſticulis te faciebam attentiorem: nunc, cum tam aequo animo bona perdas, non eo ſis conſilio, ut, cum me hoſpitio recipias, aeſtimationem te aliquam putes accipere. etiam haec leuior eſt plaga ab amico, quam a debitore. Nec tamen eas cenas quaero, ut magnae reliquiae fiant. quod erit, magnificum ſit, & lautum. memini te mihi Phameae cenam narrare. temperius fiat: cetera eodem modo. quod ſi perſeueras me ad matris tuae cenam uocare; feram id quoque. uolo enim uidere animum, qui mihi audeat iſta, quae ſcribis, apponere, aut etiam polypum Miniani Iouis ſimilem. crede mihi, non audebis. ante meum aduentum fama ad te de mea noua lautitia ueniet: eam extimeſces. neque eſt, quod in promulſide ſpei ponas aliquid: quam totam ſuſtuli. ſolebam enim antea delectari oleis, & lucanicis tuis. Sed quid haec loquimur? liceat modo iſto uenire. tu uero (uolo enim abſtergere animi tui metum) ad tyrotarichum antiquum redi. ego tibi unum ſumptum afferam, quod balneum calfacias oportebit, cetera more noſtro. ſuperiora illa luſimus. De uilla Seliciana & curaſti diligenter, & ſcripſiſti facetiſſime: itaque puto me praetermiſſurum: ſalis enim ſatis eſt, ſannionum parum. Vale.

## EXPLANATIO

SVO. NVNCIO} uidetur nunciaſſe, ut ex epiſtola colligitur, Caeſarem ſalibus Ciceronis eſſe offenſum. AB. IIS, *quia Caeſare diliguntur,*} ep. 12. lib. VI. AMARI. PVTEM,} coli enim, & obſeruari aliquis poteſt, nec tamen amari. VT, *quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit:*} ſumptum fortaſſe ex Iſocratis oratione (ſcriptam ab Iſocrate Apolloniate, Harpocration putat.) ad Demonicum, in qua ſic eſt: Τὸ μὲν χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν. SIGNA *communia:*} tam eorum, qui uere amant, quam qui ficte. SED. EGO} ratio Latini ſermonis, Tamen, poſtulabat: uerum Cicero, ſententiam ſpectans potius quam uerba, Sed, pro Tamen, intulit. NOSTRA *fortuna*} humilis, & abiecta: itaque non eſt, cur quiſquam, qui uere non amet, amare ſe ſimulet. ILLORVM,} florentiſsima: cum ſit penes Caeſarem poteſtas omnis. PRAESTARI} ut certum affirmari. NE *dicam libidine.*} uoluntas enim iuſta poteſt eſſe, libido non poteſt. CVIVS *opera*} ob Catilinae coniurationem oppreſſam. ACVTE, *aut facete*} quaedam enim acuta, nec tamen facete: & facetum latius patet, quam acutum. OFFENSIONEM;} non, laeſionem; (nam ſubiunget, nihil ſe loqui, quod offendat aut Caeſaris, aut eorum, qui ab illo diliguntur, uoluntatem) ſed, non nulla dicta, in quae, uel ſine induſtria, offendo, & incurro. Hoc

ro. Hoc uerbum eſt in antiquis libris omnibus, quibus nunc utor; & erat in ijs, quibus utebar olim adoleſcens: quod ideo teſtatum uolui, quia nonnulli de hoc loco ita ſcripſerant: Nulli ueteres codices Offenſionem, habent. poſtea, mendoſum hic eſſe librum illum, quem reliquis omnibus praeferre non dubitant, ijdem confeſsi ſunt. omnino ualde mirabar, cur illud uerbum, quod ego in cunctis ueteribus libris uidebam, ipſi in nullis eſſe affirmarent. ſatis igitur liquet, quod ſaepe dixi, non unum, aut paucos ueteres libros, ſed multos inſpiciendos eſſe, ſi reſtituere antiquitatem cupimus. interdum enim, ubi libri ante multa ſaecula deſcripti, mendis inquinati ſunt, recentiores uacare uitio animaduerti. itaque uetuſtiores quidem diligentius inquirere, nullum tamen contemnere debemus. FAMA *ingenij mihi eſt abijcienda.*} quam abijcere non poſſum; itaque nec effugere acute, aut facete dictorum offenſionem. SI. ID *poſſem,*} effugere offenſionem ſupra dictam. TRITAS} admodum exercitatas. NOTANDIS} diligenter obſeruandis. ET *conſuetudine legendi:*} cum aſsidue quoque poetas legeret. IAM *confecerit*} puer cum eſſet. Suetonius. Ἀποφθεγμάτων,} ſalſe dictorum a multis. Hunc librum, Dicta collectanea, Suetonius uocat. ACTIS} Et publica, & priuata erant acta: publica, ut edicta, S. C. leges: priuata, quidquid priuatim ageretur. Phil. 2. In publicis actis nihil eſt lege grauius: in priuatis firmiſsimum eſt teſtamentum. Ep. 28. lib. x. Quod niſi res urbanas, actaq. omnia ad te perferri arbitrarer; ipſe perſcriberem. Et ep. 15. lib. 2. In actis non erat. Hic autem priuata ſignificantur acta. OENOMAO. TVO} Attij tragoedia, cuius teſtimonio utuntur Feſtus, & Nonius. NIHIL. VTOR.} uerſus ex Oenomao tragoedia a Papirio recitati, uitandam inuidiam, admonebant. POSVISTI. LOCO} opportune eorum exemplum attuliſti. Loco, aut In loco dicere aliquid, aut facere, ſumitur pro, ubi tempus poſtulat, non alieno tempore, cum oportet. ep. 16. lib. xi. Epiſtolae offendunt non loco redditae. Lib. iii. de Leg. Senatori tria iuſſa ſunt: ut adſit; nam grauitatem res habet, cum frequens ordo eſt: ut loco dicat, ideſt rogatus: ut modo, ne ſit infinitus. Et in Partit. Loco tu quidem quaeris. Loco igitur Paetus, cum de uitanda ageret inuidia, uerſus Attianos poſuit. FAC. ESSE. OMNIA.} Eſto, ut inuideatur mihi, licet inuidendi cauſſa nulla ſit. IIS,} non omnibus, Stoicis, Academicis, Peripateticis. VIM *uirtutis tenere;*} intelligere, in quo ſita ſit uirtus. NIHIL *eſſe ſapientis praeſtare, niſi culpam.*} hoc unum ſapientis eſſe, culpam uitare: quod poteſt: cetera eum praeſtare non poſſe: quae ſi eueniant, reprehendi eum non debere. uide infra. AD. EA} quae rectiſsima fuere. CVM *ualentioribus*} cum Caeſare. ep. 7. lib. iv. ep. 1. & 6. lib. vi. ep. 1. lib. vii. ID *quoque puto eſſe ſapientis.*} quia ſupra dixerat, Nihil eſſe ſapientis praeſtare, niſi culpam: ne uideatur in una tantum re ſapientis officium poſuiſſe, ſubiunxit, Id quoque puto eſſe ſapientis. ſed illud e ſententia Stoicorum dixit, qui de uitanda culpa tantum laborabāt, cetera contemnebant omnia: hoc ex opinione ſua, qui non modo culpam uitare, ſed tueri etiam ſalutem uult. itaque ſupra, Quidquid, ait, arte effici potuerit, &c. PRAESTARE *non poſſum.*} aliorum uoluntatem, & fidem praeſtare non poſſum: culpam quidem praeſtabo: quod unum ſapientis eſſe, Stoicis placuit: etiam illud, quod praeterea ſapientis eſſe mihi uidetur, ne quid ſtulte, ne quid temere dicam, faciā ue contra potētes. ET. ILLAM *Attij ſimilitudinē non modo iam ad inuidiam, ſed ad fortunā transferam:*} ſimilitudinem appellat uerſus Attianos, in quibus imago quaedam cernebatur ſuae ſeruitutis: &, quoniam ijs uerſibus praecipiebatur, uitandam eſſe inuidiam, praeſertim ijs, qui laedi facile poſſent; quo in numero, poſt Caeſaris uictoriam, Cicero fuit; propterea non ſibi inuidiam potius, quam fortunam, timendam ſignificat: quam tamen ipſam fortiter ſuſtineri oportere, & ita frangi ab animo firmo, & graui, ut fluctus frangitur a ſaxo. in quo imitabor, inquit, eos, qui uel Athenis, uel Syracuſis, ita tyrannidem tulerunt, ut, ſeruientibus ſuis ciuitatibus, fuerint ipſi quodam modo liberi. LEVEM, *& imbecillam, ab animo firmo, & graui,*} antitheta, leue, & graue; imbecillum, & firmum: quibus admodum ornatur oratio. SAPIENTISSIMI *uiri*} Athenis Socrates, cum triginta tyranni, a Lacedaemonijs impoſiti, dominarentur; Syracuſis Plato, atque etiam Ariſtippus, regnante maiore Dionyſio. Laertius, & alij. QVODAM *modo*} non omnino, ſed quodam modo. non enim, ubi e ſua libidine unus omnia moderatur, ibi perpefecta libertas eſſe poteſt. erant igitur illi uiri quodam modo liberi, quia quaedam patienter ferrent, quaedam autem, quae dominantibus placerent, ipſi facere nollent, aut dicere. OFFENDAM} ſupra bis idem dixit, primum his uerbis: Vt olim arbitrabar eſſe meum, libere loqui, cuius opera eſſet in ciuitate libertas: ſic, ea nunc amiſſa, nihil loqui, quod offendat aut illius, aut eorum, qui ab illo diliguntur, uoluntatem. Deinde ſic: Reliquum eſt, ne quid ſtulte, ne quid temere dicam, faciam ue contra potentes. DIGNITATEM} quae frangitur demiſsione animi, aſſentatione, mutatione ſententiarum, denique rebus omnibus indecore factis. SECVNDVM *Oenomaum*} poſt Oenomaum. ep. 12. lib. iv. NON, *ut olim ſolebat, Atellanum, ſed, ut nunc fit, mimum introduxiſti.*} Papirius in epiſtola ſua, poſt eos uerſus, quos ex Attij Oenomao recitauerat, in Ciceronem irriſerat, non modeſte, ut ſolebant olim Atellanarum actores, ſed liberius, ut actores mimorum. multis modis enim fabula mimus ab Atellana differebat: quod parum modeſte dicax; quippe quae dicta ſit, ut ait Donatus in Terentij uita, ab imitatione diuturna uilium rerum, & leuium perſonarum: itaque Macrobius lib. iii. Sat. mimis laſciuiam tribuit: quod Romana lingua, non Oſca, ut Atellana: quod ab uno tantum agebatur: quod exodijs carebat; neque enim in quinque actus, ut Atellana, & reliquae fabulae, quibus actibus inſerebantur ad animos recreandos exodia, diuidebatur, ſed perpetuam actionem habebat: poſtremo, ut arbitror, quod neque adhibito tibicine, neque cantu, neque cum corporis motu, ut reliquae fabulae, agebatur. hinc Laberij, hinc Publij mimi; e quibus argutiſsimos, & pulcherrimos uerſus recitant Macrobius, Nonius, & alij. apud Graecos autem Sophron, & Xenarchus, quos lib. i. Poet. nominat Ariſtoteles, mimos conſcripſere: & ab ijs, niſi me opinio fallit, imitatione ali-

qua, ut a Graecis Latinae comoediae, item fluxit Latinus mimus. Atellanae uero fabulae iocis quidem &
ipſae, ſed aliquanto modeſtioribus, compoſitae erant, &, ut ait Donatus, in ſe non habebant niſi uetuſtam
elegantiam: ideſt, ut ego interpretor, minus dicaces erant, quam mimi. Propterea Valerius Max.lib.2.cap.
I. genus hoc delectationis Italica ſeueritate temperatum, ideoq. nota uacuum, & ab Oſcis accitum eſſe di-
cit. Liuius autem, a quo ſumpſit Valerius, haec prodidit lib. VII. Poſtquam ludus in artem paulatim uerte-
rat; iuuentus, hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula, intexta uerſibus, ia-
ctitare coepit: quae exodia poſtea appellata, conſertaq. fabellis potiſsimum Atellanis ſunt. quod genus lu-
dorum, ab Oſcis acceptum, tenuit iuuentus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. eo inſtitutum manet, ut
actores Atellanarum nec tribu moueantur, & ſtipendia, tamquam expertes artis ludicrae, faciant. Quod
igitur elegantiam in Atellanis Donatus eſſe dixit: non ad ſermonis genus, quod rude & impolitum fuiſſe
duco, qualis erat Oſcorum lingua, a quibus Atellanae acceptae, ſed ad ſententiarum munditiam refero, iu-
cundam auribus nobilium uirorum, ſicuti mimorum laſciua decacitate inferiorum ordinum homines dele-
ctabantur magis. Praeterea ſermone Oſco, non Romano, Atellana componebatur: a pluribus, non ab uno
tantum, agebatur: habebat exodia, ut oſtendit Liuius; ex quo patet, in actus diſtributam fuiſſe, poſtremo
cum tibicine, cantu, motu corporis agebatur: quod ex eodem Liuio licet intelligere. Praeterea haec,
quae mimum ab Atellana diſtinguebant, addam id, quod mihi nunc in mentem uenit, ciues Romanos in-
genuos. Atellanas tantum agere ſolitos eſſe, quia genus illud nota uacuum fuit, reliquas fabulas, & in ijs
mimum, a ſeruis, aut libertis, aut a peregrinis actas eſſe: quis enim ciuis Romanus, praeſertim ingenuus,
ludicram artem exercere uellet, cum ſciret ſe tribu motum iri, nec ſtipendia deinde poſſe facere? At D.La-
berius, non modo ciuis ingenuus, ſed etiam eques Romanus, mimum ſuum egit. Excuſatur neceſsitate:
Caeſar enim iuſsit, qui cogere poterat.in quo ſibi factam eſſe iniuriam, queritur ipſe uerſibus egregijs apud
Macrobium lib. III. Recte igitur mimum, non Atellanum, ideſt Atellanae fabulae hiſtrionem, Paetus in-
duxiſſe dicitur; quia dictis acutioribus, quam quae inſeri olim Atellanis ſolita fuerant, in Ciceronem ioca-
retur. VT. OLIM} nondum inuenta mimo fabula, in qua mores alicuius, ut auaritia, libido, ſuper-
bia, deſcribebantur. HIRTIVM} qui ſaepe audijt Ciceronem in Rhetoricis. nam in proemio libri de
Fato, Mihi, ait Hirtius, rhetorica noſtra ſunt nota; teq. in his & audiuimus ſaepe, & audiemus. DOLA-
BELLAM} ep.7. & lib.VII. ep.ult. DECLAMITARE,} in quo aequiſsimis Ciceronis auribus ute-
bantur: ep.ult.lib.VII. ILLOS *apud me declamitare, me apud illos cenitare.*} ne quis hunc locum ex inge-
nio ſuppletum arbitretur; moneo lectorem, hoc totum eſſe in duobus antiquis libris: cum quibus olim con
ſenſiſſe memini librum Vincentij Riccij: idq. mea Scholia, ante multos annos edita, teſtantur. TV. AV-
TEM *quod mihi bonam copiam eiures, nihil eſt.*} Hieronymus Ferrrarius, contra ueteres omnes libros, le-
gendum arbitrabatur, Bonam copiam iures. hoc ſenſu: non eſt, quod te mihi ſemper praeſto fore, tuiq. bo
nam copiam facturum iures. ut reſpexerit ad id, quod M.Varro ſcribit lib.VI. de lingua Lat. Debitores nō
nulli pro pecunia, quam debebant, operas in ſeruitutem dabant, dum ſoluerent. C. Popillio rogante, Vi
ſolo dictatore, ſublati: & omnes, qui bonam copiam iurarent, ne eſſent nexi, diſſoluti, ideſt qui ſui facultate
creditoribus ſemper eſſe facturos, iureiurando promitterent. Ego autem puto hic dictum eſſe, Quod mihi
bonam copiam eiures, pro, quod iures mihi, te non habere unde ſumptum facias. Tantumq. abeſt, ut ex
Varrone Ciceronis locum emendem, ut potius ex Cicerone Varronis locum putem eſſe corrigendum: ut
legatur, Voluitque, ut ij bonam copiam eiurarent: ideſt, ut iurarent, ſe non habere, unde creditoribus ſa-
tisfacerent. Mecum faciunt, ut dixi, ueteres libri omnes, praeterea Sex.Pompeius; qui noſtram ſententiam
ita confirmat, ut dubitatio prorſus nulla relinquatur. Eiuratio, inquit, ſignificat, id, quod deſideretur, non
poſſe praeſtari. Et Cicero lib.2.de Orat. Eiero, iniquus eſt. Et in Verrem: Praetor prouinciam ſuam totam
ſibi iniquam eiurat. Et Phil. 12. Me iniquum eiurabant Plautus quoque: Eiurauit militiam. Tacitus lib.12.
Adactus Syllanus eiurare magiſtratum. Et lib.XIV. Regulus in locum Caecinae, cui dies unus ſupererat, con
ſulatum inijt, eiurauitq. NIHIL *eſt.*} nihil opus eſt. damnum ne timeas, cum me hoſpitio recipies.
CVM *rem habebas,*} integra tibi re domeſtica, ante aeſtimationem a Caeſare decretam. QVAESTI-
CVLIS} lucellis. dandi caſu potius, quam auferendi, opinor dictum: ut ſit, Attentiorem, uel ad mini-
mos quaeſtus. Sic Terentius in Adel. Attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt. Attentus enim dici-
tur, qui parcus eſt, & diligens in re uel augenda, uel conſeruanda. Pro Quinctio: Pater familias prudens, &
attentus. Horatius ep. 7. lib.I. Durus, ait, Vultei, nimis, attentuſq. uideris. TAM *aequo animo*} ioca-
tur: quis enim aequo animo bona perdit? ep. 18. Video te bona perdidiſſe. AESTIMATIONEM *te
aliquam putes accipere.*} Alluſit ad aeſtimationem poſſeſsionum, quam Caeſar per arbitros debitorum
cauſſa fieri uoluerat, ut ij creditoribus facilius ſatisfacerent. Qua de re initio lib.III.de bel.ci.his uerbis: Cū
fides tota Italia eſſet anguſtior, neque creditae pecuniae ſoluerentur; conſtituit, ut arbitri darentur; per eos
fierent aeſtimationes poſſeſsionum, & rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuiſſent; atque eae credi-
toribus traderentur. Hoc & ad timorem nouarum tabularum tollendum, minuendum ue, qui fere bella, &
ciuiles diſſenſiones ſequi conſueuit, & ad debitorum tuendam exiſtimationem eſſe aptiſsimum exiſtima-
uit. Suetonius etiam in Caeſare, De pecunijs, inquit, mutuis, diſiecta nouarum tabularum exſpectatione,
quae crebro mouebatur, decreuit tandem, ut debitores creditoribus ſatisfacerent per aeſtimationem poſ-
ſeſsionum, quanti quiſque ante ciuile bellum comparaſſent, deducta ſumma aeris alieni, ſi quid uſurae no-
mine numeratum, aut perſcriptum fuiſſet. qua condicione quarta pars fere debiti deperibat. Cum igitur Pa
pirius ex eo Caeſaris decreto magnam a debitoribus plagam accepiſſet, aeſtimatis eorum poſſeſsionibus,
non quanti eſſent, eo tempore, ſed quanti ante ciuile bellum fuiſſent; iocans, ut ſolet, Cicero, Ne credas,
inquit,

inquit, cum me hoſpitio recipias, aeſtimationem te aliquam accepturum. Et dixit, Aeſtimationem aliquam, tamquam ſi, magnum aliquod damnum, dixiſſet. Papirius enim aeſtimationes, ideſt praedia per arbitros aeſtimata, a debitoribus accipiens, crediti iacturam non minimam fecerat; cum quarta fere pars debiti, ut dixit Suetonius, deperiret. Deinde ſequitur: Etiam haec leuior eſt plaga ab amico, quam a debitore: hoc eſt: & tamen, quod ab amico bona tua comedantur, non id tibi aeque graue eſſe debet, atque illud eſt, quod debitorum cauſſa deperdis: a quibus poſſeſsiones, quanti uendere nũquam poteris, accipiendae tibi ſunt. Eaedem aeſtimationes infra nominantur ep. 18. NEC, TAMEN *eas cenas quaero,*} hoc refertur ad proxima ſuperiora uerba, Etiam haec leuior eſt plaga ab amico. MAGNIFICVM *ſit, & lautum.*} Magnificum, genere, ut pauones, attagenes, aues Phaſianae, accipenſeres, muſtelae, aſelli; Lautum, arte coci, & apparatus elegantia. PHAMEAE} qui fuit auus Tigellij tibicinis, ep. 24. lib. VII. TEMPERIVS} maturius. refero enim ad tempus, non ad frugalitatem. hoc uerbum alibi ſemel dumtaxat, quod equidem legendo obſeruauerim, uſurpatum inuenio. Sic autem locutum eſſe Cornelium Nepotem, Ciceronis aequalem, ex Donati uerbis, quae ſunt in Terentij uita, facile poſſum conijcere. Nepos, inquit, aucto re certo comperiſſe ſe ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kalendis Mart. admonitum ab uxore, temperius ut diſcumberet, petijſſe ab ea, ne interpellaretur: ſerius tandem ingreſſum triclinium dixiſſe, non ſaepe in ſcribendo magis ſucceſsiſſe ſibi: deinde rogatum, ut ſcripta illa proferret, pronunciaſſe uerſus, qui ſunt in Heautontimorumeno: „ Satis, pol, proterue me Syri promiſſa huc induxerunt.

Ouidius, & Columella, Temporius, dixere: quod recentius uidetur, deductum a tempus Temporis: Temperius autem, antiquũ, a Tempus temperis: quemadmodum dixere ueteres, Pignus Pigneris, unde Pignero uerbum: poſteriores autem, Pignus pignoris. Plautus in Per. Temperi hanc uigilare oportet formulam, atque aetatulam. Et infra: Cedo partem, quam pepigi. To. temperi. Et in Rud. Qui ſua uult temperi conficere negotia. AD. MATRIS *tuae cenam*} ut accipias me frugali cena, qualem dare ſolebat mater tua. FERAM. ID *quoque.*} non illud modo, quod mihi bonam copiam eiuras, uerum hoc etiam feram, tenui cena me accipi. ISTA,} uiliſsima edulia. POLYPVM} piſcem, ita uocatum, a multitudine pedum, non magni pretij. Plinius lib. IX. cap. 29. MINIANI *iouis ſimilem.*} rubentem, non ſua ſponte, (nam Polypus ruber non eſt) ſed iure tinctum. Iouis ſimulacri faciẽ in Capitolio illini minio ſolitam, ait Plinius lib. XXXIII. cap. 7. & lib. XXXV. cap. 12. inde Miniano cognomen. NON *audebis.*} quia putabis lautius aliquid me uelle. PROMVLSIDE} potione ex mulſo. ep. 20. TOTAM *ſuſtuli.*} prorſus reijcere ſoleo. DELECTARI} ſic in quinque libris antiquis, & duobus praeterea Caroli Sigonij; nonnulli, Debilitari: unus, Delibtari: quaſi leuiter paſci: a Delibo. LVCANICIS} notum genus ſuilli farciminis, a Lucanis populis inuentum. ISTO} Neapolim, ubi tu es. DE. VILLA *Seliciana*} domum Sullanam in urbe Neapoli, (ep. 15.) uillam Selicianam in agro Cicero emere cogitabat. CVRASTI} ut eam totam noſſes, deinde ad me ſcriberes. PRAETERMISSVRVM:} non empturum. SALIS *enim ſatis eſt, ſannionum parum.*} Papirij uerba, uel certe ſententiam ponit, qui dixerat, Villam Selicianam, in litore poſitam, ſalinas habere: deinde ſubiunxerat: ſale quidem abundamus, ſed, quod ſale condiatur, non habemus. ut facetias non deceſſe, ſed ridendi materiam, ſignificaret: quia ridendi cauſſas aduerſa reip. tempora eriperent. Sal pro facetijs accipi ſolitum, quis ignorat? Afranius in Cõpitalibus: Quidquid loquitur, merum eſt. Sannio autem is eſt, qui ridetur. Plerique ueteres libri, Sannonum: duo, Sannionum, quos probaui.

---

## Argumentum ep. 17.

*MAnauerat rumor, uelle Caeſarem ſuis militibus municipia quaedam, agrosq. diuidere. ea diuiſio, ueritus erat Paetus, ne ad ſuos agros perueniret. id quaerenti Cicero reſpondet. Eodem anno, poſt bellum Africanum.*

### *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 17.

NON *tu homo ridiculus es, qui, cum Balbus noſter apud te fuerit, ex me quaeras, quid de iſtis municipijs, & agris futurum putem? quaſi aut ego quidquam ſciam, quod iſte neſciat; aut, ſi quid aliquando ſcio, non ex iſto ſoleam ſcire. immo uero, ſi me amas, tu fac, ut ſciam, quid de nobis futurum ſit. habuiſti enim in tua poteſtate, ex quo uel ex ſobrio, uel certe ex ebrio ſcire poſſes: ſed ego iſta, mi Paete, non quaero, primum quia de lucro prope iam quadriennium uiuimus; ſi aut hoc lucrum eſt, aut haec uita, ſuperſtitem reip. uiuere: deinde, quod ſcire quoque mihi uideor, quid futurum ſit. fiet enim, quodcumque uolent, qui ualebunt: ualebunt autem ſemper arma. nobis igitur ſatis eſſe debet, quidquid conceditur. hoc ſi quis pati non potuit, mori debuit. Veientem quidem agrum, & Capenatem metiuntur. hic non longe abeſt a Tuſculano. nihil tamen timeo: fruor, dum licet: opto, ut ſemper liceat. ſi id minus contigerit: tamen, quando ego, uir fortis, idemq. philoſophus, uiuere pulcherrimum duxi, non poſſum eum non diligere, cuius beneficio id conſecutus ſum. qui ſi cupiat eſſe remp.*

*qualem fortaſſe & ille uult, & omnes optare debemus: quid faciat, tamen non habet: ita ſe cum multis colligauit. Sed longius progredior: ſcribo enim ad te, hoc tamen ſcito, non modo me, qui conſilijs non interſum, ſed ne ipſum quidem principem ſcire quid futurum ſit. nos enim illi ſeruimus, ipſe temporibus. ita nec ille, quid tempora poſtulatura ſint, nec nos, quid ille cogitet, ſcire poſſumus. Haec tibi antea non reſcripſi, non quo ceſſator eſſe ſolerem, praeſertim in litteris: ſed, cum explorati nihil haberem, nec tibi ſollicitudinem ex dubitatione mea, nec ſpem ex affirmatione afferre uolui. Illud tamen adſcribam, quod eſt ueriſſimum, me his temporibus adhuc de iſto periculo nihil audiſſe. tu tamen pro tua ſapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quaecumque erunt. Vale.*

## EXPLANATIO

BALBVS} L. Cornelius Balbus Gaditanus, intimus Caeſaris amicus. ISTIS} Neapoli, & alijs. nam Neapoli uidetur fuiſſe Paetus hoc tempore. ep. 15. MVNICIPIIS, *& agris*} numquid fore putem, ut municipiorum agri diuidantur. NOBIS} non de agris, ſed de nobis ipſis, de communi ſalute. DE. LVCRO} quia mori debuimus anno primo ciuilis belli, nec ſuperſtites eſſe reip. Infra: Quando ego, uir fortis, idemq. philoſophus, uiuere pulcherrimum duxi. PROPE. IAM *quadriennium*} Prope, dixit, quia nondum integer praeterierat ciuilis belli quartus annus. nam haec epiſtola ſcripta eſt Caeſare tertium & Lepido cos. bellum ante biennium Marcello & Lentulo cos. geri coeptum eſt. QVID *f. turum ſit.*} quod cum ſciam, cur iſta quaeram, quae ne fiant, prohibere non poſſum? VALEBVNT *autem*} ſimilis illa repetitio ep. 5. lib. VI. Video autem fere quotidie. MORI DEBVIT.} uel in acie, ut multi, uel, poſt Caeſaris uictoriam, ut Cato, & Pompeij ſocer Scipio. QVANDO} ſic libri ſeptem ueteres: duo, Quoniam: unus, Cum. VIR *fortis, idemq. philoſophus,*} ſic omnes, quos ego uiderim, antiqui libri. & eſt peruenuſta ſententia. Cum, inquit, & uiri fortes ex animi quadam praeſtantia, & philoſophi ex doctrina, patriam, honeſtatem, libertatem uitae anteponant; ego tamen, qui utrumque profiteor, & uirum fortem, & philoſophum, uiuere pulcherrimum duxi. Itidem locutus eſt ep. 2. Caninius idem tuus, & idem noſter. Et lib. 2. de Diuin. Marcellus, idem imperator, idem augur optimus. Cum igitur & ueterum librorum teſtimonium, & ſententiam ipſam, & conſuetudinem loquendi ſequar; diſſentire cogor ab ijs, qui non, Idemq. ſed, Idem quod, legere maluerunt. numquam enim, quoad quidem per me liceat, ſtudioſum lectorem fraudari ueritate patiar. CVIVS BENEFICIO *id conſecutus ſum.*} ſupra: De lucro prope iam quadriennium uiuimus. QVALEM} nullam eſſe, iam oſtendit in eo, Superſtitem reip. uiuere. ILLE. VVLT,} ep. 4. lib. IV. De reliquis, nihil melius ipſo eſt. ITA *ſe cum multis colligauit.*} eadem ratione Caeſarem excuſat ep. 9. lib. IV. Multa uictori eorum arbitrio, per quos uicit, facienda ſunt. AD. TE.} cui haec nota ſunt. NON *modo me,*} qui legendum opinabantur, Non modo non me, ſine cauſſa diſcedebant ab omnibus antiquis libris. uide, quae diximus in locum illum ep. 9. lib. I. Non modo praemijs, ſed ne periculis quidem compulſus ullis. DE *iſto periculo*} de agris diuidundis. FERRE} ergo, ut in argumento diximus, timebat ſuis agris Paetus, quamquam apud Caeſarem gratioſus, ut ep. 15. & 25.

---

## Argumentum ep. 18.

*Exponit, quibus cauſſis adductus familiares ſuos, quaſi aperto ludo, in eloquentia coeperit exercere. Addit non nulla per iocum de cenarum lautitia. Eodem anno, reuertente ex Africa Caeſare: quod ipſa indicat epiſtola: itaque ſuperioribus praeponi debuit, quae, reuerſo iam in urbem Caeſare, conſcriptae uidentur.*

### *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 18.

*CVM eſſem otioſus in Tuſculano, propterea quod diſcipulos obuiam miſeram, ut ijdem me quam maxime conciliarent familiari ſuo; accepi tuas litteras pleniſſimas ſuauitatis: ex quibus intellexi, probari tibi meum conſilium, quod, ut Dionyſius tyrannus, cum Syracuſis expulſus eſſet, Corinthi dicitur ludum aperuiſſe; ſic ego, ſublatis iudicijs, amiſſo regno forenſi, ludum quaſi habere coeperim. quid quaeris? me quoque delectat conſilium. multa enim conſequor. primum, id quod maxime nunc opus eſt, munio me ad haec tempora. id cuiuſmodi ſit, neſcio: tantum uideo, nullius adhuc conſilia me huic anteponere. niſi forte mori melius fuit: in lectulo, fateor. ſed non accidit. in acie non fui. ceteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius foede perierunt: at Cato praeclare. iam quidem, cum uolemus, licebit: demus modo operam, ne tam neceſſe nobis ſit, quam illi fuit: id quod agimus. ergo hoc primum. ſequitur illud: ipſe melior fio, primum ualetudine; quam, intermiſſis exercitationibus,*

*amiſeram*

*amiſeram: deinde ipſa illa, ſi qua fuit in me, facultas orationis, niſi me ad has exercitationes retuliſſem, exaruiſſet. Extremum illud eſt, quod tu neſcio an primum putes, plures iam pauones confeci, quam tu pullos columbinos. tu iſtic te Ateriano iure delectato, ego me hic Hirtiano. ueni igitur, ſi uires, & diſce προλεγομένας, quas quaeris. etſi ſus Mineruam. ſed quando, ut uideo, aeſtimationes tuas uendere non potes, neque ollam denariorum implere: Romam tibi remigrandum eſt. ſatius eſt hic cruditate, quã iſtic fame. uideo te bona perdidiſſe: ſpero idẽ iſtuc familiares tuos. actum igitur de te eſt, niſi prouides. potes mulo iſto, quem tibi reliquum dicis eſſe, quando cantherium comediſti, Romam peruehi. ſella tibi erit in ludo, tamquam hypodidaſcalo, proxima: eam puluinus ſequetur. Vale.*

# EXPLANATIO

OTIOSVS} nam, cum diſcipuli aderant, & dicebat ipſe, & declamantes audiebat. ep. 7. & 16. & lib. VII. ep. ult. & Quinctilianus lib. 12. cap. XI. DISCIPVLOS} Hirtium, & Dolabellam. ep. ult. OBVIAM} Caeſari, ex Africa redeunti. DIONYSIVS} minor, qui, poſt patrem, Syracuſis regnauit. Iuſtinus lib. XXXI. LVDVM} pueros docebat in triuijs: ut imaginem regni aliquam, pueris imperando, conſeruaret. REGNO *forenſi*,} cum in cauſsis ob ſingularem eloquentiam regnare uideretur. QVID *quaeris?*} idem ualet, Noli quaerere. ep. 4. lib. IV. MVNIO *me ad haec tempora.*} munio me Caeſaris familiarium amicitia, Hirtij, Dolabellae, & aliorum. CVIVSMODI *ſit*,} quam firmum ſit. IN *acie non fui.*} Dyrrhachij fuit, cum in Pharſalia dimicatum eſt. lib. I. de Diuin. POMPEIVS,} Magnus, iuſſu Ptolemaei Aegyptij regis interfectus. nota hiſtoria. LENTVLVS} L. Lentulus, qui conſul fuit anno primo belli ciuilis, eiuſdem regis iuſſu in cuſtodia necatus. Caeſar lib. III. de bel. ci. SCIPIO,} Pompeij ſocer: de quo in libro de bello Africano, quem ab Hirtio, uel Oppio ſcriptum non nulli exiſtimant, haec leguntur: Scipio cum Damaſippo, & Torquato, & Plaetorio Caeſtiano, nauibus longis diu multumq. iactati, cum Hiſpaniam peterent, ad Hypponem Regium deferuntur, ubi claſsis P. Sittij per id tempus erat: a qua pauciora ab amplioribus circumuenta nauigia deprimuntur: ibiq. Scipio interijt. Et Epitome Liuiana lib. 114. P. Scipio, in naue circumuentus, honeſtae morti uocem quoque adiecit: quaerentibus enim hoſtibus imperatorem, dixit: Imperator bene ſe habet. Eadem fere Dio lib. XLIII. Ita uidetur Scipio non foede, ut Pompeius, Lentulus, Afranius, ſed praeclare, ut Cato, perijſſe: cum ſe ipſe interfecerit. quod Cicero fortaſſe non credidit, ideoq. coniunxit eum cum ijs, qui foede interierant. AFRANIVS} L. Afranius, conſularis, qui a P. Sittio cum Fauſto, L. Sullae filio, captus, diſſenſione mox in exercitu orta, cum eodem Fauſto necatus eſt: ut in eodem libro de bello Africano, & in eadem Epitome, & apud Suetonium, & Dionem. CATO} qui ſibi Vticae, ne in Caeſaris uictoris poteſtatem ueniret, manus intulit: unde Vticenſis uocatus. Plutarchus, & omnes hiſtoriae. PRAECLARE.} quia ſeruire noluit, honeſtamq. turpi uitae mortem antepoſuit, e Stoicorum ſententia. quod M. Brutus, ſororis eius filius, edito in eum libro, cum reprehendiſſet, poſtea, mutato conſilio, uoluntariam ſibi mortem proelio uictus in Pharſalia conſciuit. Plutarchus. QVAM ILLI. FVIT:} neceſſe id Catoni fuit, quia Caeſarem, uetere odio incenſum, timere potuit. nos damus operam, ut eius nobis animum reconciliemus: itaque cum eius familiariſsimis coniunctiſsime uiuimus. Paullo ante: Id quod maxime opus eſt, munio me ad haec tempora. CONFECI,} conſumpſi: ut ignes conficiunt ſiluas, apud Lucretium lib. I. Confecit autem apud Hirtium, & Dolabellam, non domi ſuae. uide ep. 16. 20. ISTIC} Neapoli. ATERIANO. IVRE} uidetur Paetus cum Aterio quodam cenitaſſe. HIRTIANO.} ep. 16. 20. SI. VIRES,} modus hortandi. Simile illud ep. 2. lib. 2. ad Att. Herodes, ſi homo eſſet, eum potius legeret, quam unam litteram ſcriberet. DISCE *προλεγομένας, quas quaeris.*} ſic omnes libri ueteres, excepto Graeco uerbo, quod in uno tantum eſt. Diſce, inquit, e cenis Hirtianis, quales tuae futurae ſint. προλεγομένας uocat, quia, ſicut ἐκ τῶν προλεγομένων, quae praeponuntur libris, docemur ea, quae ad ipſos libros attinent, ſic Hirtij cenae Papirium, quas cenas dare deberet, admonere, & erudire poſſent. SVS. MINERVAM.} uſurpatur hoc adagium in eos, qui, cuius rei ſcientia carent, in ea peritiſsimos conantur erudire. QVANDO,} ſic tres antiqui libri: alij uel, Quoniam, uel, Quo modo. AESTIMATIONES *tuas*} ea, quae per aeſtimationem a debitoribus accepiſti. ep. 16. OLLAM *denariorum*} fortaſſe ſcripſerat Paetus, tunc uelle ſe, cum ollam denariorum, aeſtimationibus uenditis, impleuiſſet, Romam redire. BONA. PERDIDISSE:} ep. 16. FAMILIARES *tuos.*} apud quos cenare ſolitus es. CANTHERIVM} caſtratum equum. IN. LVDO,} meo. Supra: Quaſi ludum habere coeperim. ſed hic de ludo urbano loquitur: quia dixit proxime, Romam peruehi. ep. 20. HYPODIDASCALO,} ei, qui ſubdoceat. PROXIMA:} meae. nam ſe quaſi ludum habere coepiſſe, iam dixit. EAM. PVLVINVS *ſequetur.*} ut in ſella commodius ſedeas. non erit ſella ſine puluino, ſed eam puluinus ſequetur. Plautus in Stic. Iſtic uos ſedete: ego ſedero in ſubſellio. Pi. Mane puluinum. Et lib. I. de Orat. Immo uero commodius etiam: puluinoſq. popoſciſſe: & omnes in ijs ſedibus, quae erant, ſub platano, conſediſſe.

Argu-

# Argumentum ep.19.

*Cum ſcripſiſſet Paetus, Balbum, qui apud Caeſarem gratioſus in primis erat, perquam tenui apparatu fuiſſe contentum; ioci materiam inde arripit Cicero; idq. eum arguit malitioſe ſcripſiſſe, ut ipſe apparatu eodem, uel etiam minore contentus eſſet. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 19.

*TAMEN a malitia non diſcedis. tenuiculo apparatu ſignificas Balbum fuiſſe contentum. hoc uideris dicere, cum reges tam ſint continentes, multo magis conſulares eſſe oportere. neſcis me ab illo omnia expiſcatum: recta enim a porta domum meam ueniſſe. neque hoc admiror, quod non ad tuam potius, ſed illud, quod nec ad ſuam. ego autem tribus primis uerbis, Quid noſter Paetus? at ille adiurans, nuſquam ſe umquam libentius. hoc ſi uerbis aſſecutus es; aures ad te afferam non minus elegantes: ſin autem obſonio; peto a te, ne pluris eſſe balbos, quam diſertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit. ſed, ſi me expediero, ut in iſta loca uenire poſſim; non committam, ut te ſero a me certiorem factum putes. Vale.*

## EXPLANATIO

REGES} quaſi rex eſſet Balbus, quia potentiſsimus apud Caeſarem. ep. 13. lib. XII. ad Att. Balbi regia condicio delegandi. CONSVLARES} ſe ipſum ſignificat. BALBOS,} iocatur in ambiguo Balbi nomine. balbi enim dicuntur, qui linguae uitio parum expedite loquuntur. ep. 10. lib. 2. DISERTOS} & hic ſe ipſum, iocans more ſuo, deſignat. Noli, inquit, minus laute diſertos accipere, quam balbos.

# Argumentum ep.20.

*Voluptatem ſe tum Paeti cauſſa, tum ſua, legendis eius litteris, cepiſſe dicit: Epicureum factum, abiecta reip. & curiae, foriq. cura: mediocri cibo, ut antea, iam contentum non eſſe. ſuam deinde uitam exponens, ait ſe matutinas horas ſalutationi tribuere: deinde litteris uti: reliquum tempus in reficiendo corpore conſumere. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 20.

*DVPLICITER delectatus ſum tuis litteris; & quod ipſe riſi, & quod te intellexi iam poſſe ridere. me autem a te, ut ſcurram uelitem, malis oneratum eſſe, non moleſte tuli. illud doleo, in iſta loca uenire me, ut conſtitueram, non potuiſſe. habuiſſes enim non hoſpitem, ſed contubernalem: at quem uirum? non eum, quem tu es ſolitus promulſide conficere. integram famem ad ouum affero: itaq. ad aſſum uitulinum opera perducitur. illa mea, quae ſolebas antea laudare, O hominem facilem, o hoſpitem non grauem, abierunt. nam omnem noſtram de rep. curam, cogitationem de dicenda in ſenatu ſententia, commentationem cauſſarum abiecimus: in Epicuri nos, aduerſarij noſtri, caſtra coniecimus, nec tamen ad hanc inſolentiam, ſed ad illam tuam lautitiam: ueterem, dico, cum in ſumptum habebas: etſi numquam plura praedia habuiſti. proinde te para: cum homine edaci tibi res eſt, & qui iam aliquid intelligat. ὀψιμαθεῖς autem homines ſcis quam inſolentes ſint. dediſcendae tibi ſunt ſportellae, & artolagani tui. nos iam ex arcis tantum habemus, ut Verrium tuum, & Camillum, qua munditia homines? qua elegantia? uocare ſaepius audeamus. ſed uide audaciam: etiam Hirtio cenam dedi, ſine pauone tamen. in ea cena cocus meus, praeter ius feruens, nihil potuit imitari. Haec igitur eſt nunc uita noſtra. mane ſalutamus domi & bonos uiros multos, ſed triſtes, & hos laetos uictores: qui me quidem perofficioſe, & peramanter obſeruant. ubi ſalutatio defluxit, litteris me inuoluo: aut ſcribo, aut lego. ueniunt etiam, qui me audiant quaſi doctum hominem, quia paullo ſum, quam ipſi, doctior. inde corpori omne tempus datur. patriam eluxi iam & grauius, & diutius, quam ulla mater unicum filium, ſed cura, ſi me amas, ut ualeas: ne ego, te iacente, bona tua comedim. ſtatui enim tibi ne aegroto quidem parcere. Vale.*

EXPLA-

# EXPLANATIO

VT *ſcurram uelitem*,} tamquam militem parum utilem. nam uelites, tirones erant, & minimam in exercitu operã praebebant, neque ſua uexilla, neque ſuos centuriones habebant. Liuius haſtas, gladium, parmam ijs tribuit lib. XXXI. & lib. XXXIIX. cum tamen iacula, non haſtas, quo primum tempore ſunt inſtituti, ſeptena habuiſſent, ut idem Liuius lib. XXXVI. oſtendit. MALIS} quae uel miſerat fortaſſe Paetus ad Ciceronem; uel ſcripſerat, ſi ad eum iret, egregia daturum in ſecunda menſa. ONERATVM} ut uelites in itinere ſarcinis onerabantur. CONTVBERNALEM:} diutius enim, quam ſolent hoſpites, apud te manſiſſem. AT *quem uirum*?} Imitatus eſt Terentium, qui eodem modo eſt locutus. CONFICERE.} ſatiatum dimittere. AD. OVVM} quod erat cenarum initium: mala uero finis. Horatius Sat. 3. lib. I. Si collibuiſſet, ab ouo Vſque ad mala citaret. ITAQ.} non Itaque, pro quamobrem, ſed, Itaq. pro, Atque ita. AD *aſſum uitulinum*} ad exitum cenae. aſſo enim ueteres claudebant aeſtiuam cenam: quod in libro de anima ſcriptor in primis eruditus Tertullianus docet in eo loco: Finita ſit in illo μετενσωμάτωσις, ut aeſtiua cena poſt aſſum. OPERA *perducitur*.} ſtrenue comeditur uſque ad finem cenae. FACILEM,} quouis cibo contentum. ep. 16. Facilitate mea iſta ferebantur antea. NON *grauem*,} qui ſumptum exiguum afferat. ADVERSARII *noſtri*,} magna enim Epicuro cũ Academicis de ſummo bono cõtrouerſia eſt: cũ hi felicitatẽ honeſtis actionibus, ille ſola uoluptate metiretur. CASTRA} apte: quia dixerat, Aduerſarij noſtri Caſtra, in ueteribus libris eſſe quidam dicũt. nos in omnibus plane, quos habemus, Caſtra, uidemus eſſe. itaque nodũ in ſcyrpo quaerere deſinamus. NEC *tamen ad hanc inſolentiam*,} plane ab ijs diſſentio, qui mendum eſſe in uerbo, Inſolentiã, exiſtimarunt. eſt enim hic Inſolentia nimius ſumptus, qui fiebat in cenas: a quo ſe alienũ eſſe Cicero dicit, lautitiam tantũ quaerere. quod etiam ep. 15. his uerbis oſtendit: Nec tamen eas cenas quaero, ut magnae reliquiae fiant. quod erit, magnificum ſit, & lautum. Inſolentiam eodem ſenſu poſuit Philipp. IX. Magnifice enim, inquit, Ser. Sulpicius maiorum continentiam diligebat, huius ſaeculi inſolentiam uituperabat. Et in oratione pro Sex. Roſcio: Qui in ſua re fuiſſet egentiſsimus, erat, ut fit, inſolens in aliena. Tollatur igitur omnis mendi ſuſpicio, & elegans Latini uerbi ſignificatio conſeruetur. CVM *in ſumptũ habebas*:} uetuſtiorum librorum haec eſt lectio: quam alij quoque receperunt, licet eam, ut ipſi dixerunt, mendoſam ſuſpicati. mihi ea uel maxime probatur, ut deſiderari nihil credam. dixit autem Cum in ſumptum habebas, pro eo quod dicimus; cum ad ſumptum copiae ſuppetebant; cum pro ſumptu facultates aderant; cum erat tibi, quod eſſet in ſumptum ſatis. ſic enim hoc loco, In ſumptum, ideſt, pro ſumptu, dixit, quemadmodum etiam ad Atticum ep. 5. lib. IIX. Tironem Curio commendes, ut ei, ſi quid opus erit in ſumptum eroget. Epiſtola etiam, quae ſequitur, eodem libro, Sed eum, inquit, uideo, in ſumptum ab alijs mutuatum. Et ad eundem lib. XV. Velim cures, ut permutetur Athenas, quod ſit in annuum ſumptum. Imitamur igitur lautitiam tuam, inquit, non hanc recentem, ſatis tenuem, ſed illam ueterem cum habebas in ſumptum: etſi nunc quidem plura praedia tibi ſunt: quae ſcilicet a debitoribus pro pecunia, quam credideras, inuitus accepiſti, aeſtimata ex edicto Caeſaris, quanti quaeque ante ciuile bellum fuiſſent. Haec quaſi per iocum dicta ſunt; ut irrideatur Paetus, qui non habeat in ſumptum, ut antea; cum ei poſſeſsiones multo, quam antea, plures ſint: quas uendere cum uellet, non poterat: ut eſt in ep. 18. Ὀψιμαθεῖς} ſero diſcentes. dixerat autem ab Hirtio, & Dolabella, quos dicendi diſcipulos, cenandi magiſtros uocauit ep. 16. INSOLENTES} inſolenter enim ſuam ſcientiam patefaciunt. SPORTELLAE,} ſportulae, & ſportellae uel mittebantur ad amicos, uel dabantur auferendae: ut e Suetonio, Martiale, alijsq. cõſtãt. hic ſportellae cibi genus uidetur eſſe, quod Paetus cum artolaganis apponere ſoleret. ARTOLAGANI} panis genus: de quo Plinius lib. XIIX. cap. II. Panis ipſius uaria genera perſequi, ſuperuacuum uidetur. alias ab opſonijs appellati, ut oſtrearij: alias a delicijs, ut artolagani. Athenaeus, uino, pipere, lacte, oleo, aut adipe confectos, ait lib. III. Hic omnes mei libri ueteres habent, Artolagini, mendoſe, ut ipſa compoſitio docet, ex ἄρτος, & λάγανα. praeterea Plinius artolaganos, Athenaeus ἀρτολάγανον appellat. EX. ARTIS} mendum ſubeſſe quis non uidet? antiqui libri quinque habent, Ex arcis: unus, Ex orcis: reliqui, Ex artis. nihil horum eſt, in quo animus acquieſcat. quidam legunt, Et artis. non improbo coniecturam: licet particula, Et, otioſa uideatur eſſe. poteſt hoc referri ad uerbum, ὀψιμαθεῖς. ut hoc dicat: quamquam ſero didicerim cenas facere tamen artis tantum iam ſum adeptus, ut Verrium. &c. Ex areis, olim placuit: nunc in dubio ſum: tum quia Cicero nõ abundabat hoc tempore; itaque dixit ep. 15. Domum ſi habebo, in denos dies ſingulos ſumptuariae legis conferam: Et ep. ult. Epulamur una non modo non contra legem, ſi ulla nunc lex eſt, ſed etiam intra legem, & quidem aliquanto. Tum etiam quia non hic ſuas copias, uerum audaciam extollit: inopiam autem potius indicat cum ait infra: In ea cena cocus meus, praeter ius feruens, nihil potuit imitari. Praeterea, cum inuitentur ad cenam mundi homines, & elegantes, quales hic Verrius & Camillus uocantur; non tam ſumptu, quam lautitia, & ſcientia opus eſt, ut eleganter potius accipiantur, quam opipare. Haec ſunt, cur id quod olim nobis placuit, nunc paene diſpliceat. VERRIVM:} opinor hunc eſſe Verrium Flaccum, iuris pontificij peritiſsimum, quem Macrobius lib. I. Sat. nominat, eiusq. libertum fuiſſe Verrium illum, a quo ſumpſit Feſtus: qui & ipſe, accepto patroni cognomine, Flaccus dictus eſt. libertinum enim appellat Suetonius in libello de claris grammaticis. CAMILLVM,} ep. 20. lib. V. QVA *munditia*} elegantis gulae. SINE *pauone*} cum Hirtij cenae ſine pauone eſſe non ſoleant.

COCVS

COCVS} ſic ſcribendum, non Coquus, auctore Priſciano lib. I. Apud antiquos,inquit, frequentiſsime loco Cu ſyllabae Quus ponebatur,& ecõtrario, ut arquus,coquus, oquulus,pro arcus,cocus,oculus, quum pro cum, quur pro cur. IVS *feruens*,} quod apponebatur in cenis Hirtianis. N'IHIL *potuit imitari*.} non dedit ea, quae cocus Hirtij. iocus eſt. non enim coci culpa fuit, ſed Ciceronis, qui pepercit ſumptui. OBSERVANT.} ep.13.lib.IV.7.12.lib.VI.24.lib.VII. DEFLVXIT,} praeterijt, ut aquae curſus. tranſlatio. Salluſtius in Iug. Vbi per ſocordiam uires,tempus,aetas, ingenium defluxere; naturae infirmitas accuſatur. LITTERIS *me inuoluo*:} abdo me in litteras: ep. 33. lib.VII. AVDIANT} de aliqua re diſputantem. In prooemio libri de fato loquentem haec Cicero Hirtium inducit: Mihi rhetorica noſtra ſunt nota; teq. in his & audiuimus ſaepe, & audiemus. CORPORI *omne tempus*} ambulatione, balneo, unctione, cena, quiete. his enim rebus ueteres corpora curabant. MATER *unicum filium*.} mater potius,quam pater. grauius enim, & diutius lugent matres amiſſos filios, quippe natura molliores, & ſpe ſenectutis alendae deſtitutae. nam patri, amiſſo filio,praeſidij tamen aliquid in ſe ipſo relinquitur. IACENTE,} aegrotante. COMEDIM.} antique, pro Comedam. Plautus in Bacch. Quod in luſtris comedim, congreget pater. Sic Edim,pro Edam, ueteres dixere. Nonius.

---

## Argumentum ep. 21.

*IRriſerat ſe ipſum Paetus, qui fulmina uerborum Ciceronis imitaretur, cum ea conſequi minime poſſet. deinde negauerat Papirium quemquam fuiſſe patricium. utrumque Cicero refutat. Incertus epiſtolae annus: omnes tamen ad Paetum, poſt pugnam Pharſalicam ſcriptae uidentur, pleraeque poſt Africanam Caeſaris uictoriam.*

### *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 21.

*AIN' tandem? inſanire tibi uideris, quod imitere uerborum meorum, ut ſcribis, fulmina? tum inſanires, ſi conſequi non poſſes: cum uero etiam uincas, me prius irrideas, quam te, oportet. quare nihil tibi opus eſt illud a Trabea, ſed potius ἀπόϕθεγμα meum. uerumtamen quid tibi ego uideor in epiſtolis? non ne plebeio ſermone agere tecum? nec enim ſemper eodem modo. quid enim ſimile habet epiſtola aut iudicio, aut concioni? quin ipſa iudicia non ſolemus omnia tractare uno modo. priuatas cauſſas, & eas tenues, agimus ſubtilius: capitis, aut famae, ſcilicet ornatius. epiſtolas uero quotidianis uerbis texere ſolemus. Sed tamen, mi Paete, quid tibi uenit in mentem negare, Papirium quemquam umquam niſi plebeium fuiſſe? fuerunt enim patricij minorum gentium: quorum princeps L. Papirius Mugillanus: qui conſul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea cenſor cum eodem fuiſſet, annis poſt* R. C. CCCXII. *ſed tum Papiſij dicebamini. poſt hunc,* XIII. *fuerunt, ſella curuli, ante L. Papirium Craſſum, qui primus Papiſius eſt uocari deſitus. is dictator cum L. Papirio Curſore magiſtro equitum factus eſt, annis poſt* R. C. CDXV. *& quadriennio poſt conſul cum K. Duilio. hunc ſecutus eſt Curſor, homo ualde honoratus: deinde L. Maſo aedilicius: inde multi Maſones: quorum quidem tu omnium patriciorum imagines habeas uolo. deinde Carbones, & Turdi inſequuntur. hi plebeij fuerunt: quos contemnas, cenſeo. nam, praeter hunc Cn. Carbonem, quem Damaſippus occidit, ciuis e rep. Carbonum nemo fuit. cognouimus Cn. Carbonem, & eius fratrem ſcurram: quid his improbius? de hoc amico meo, Rubriae filio, nihil dico. tres illi fratres fuere, C. Cn. M. Marcus, P. Flacco accuſante, condẽnatus, fur magnus ex Sicilia. Caius, accuſante L. Craſſo, cantharidas ſumpſiſſe dicitur. is & tribunus pl. ſeditioſus, & P. Africano uim attuliſſe exiſtimatus eſt. hoc uero, qui Lilybaei a Pompeio noſtro interfectus eſt, improbior nemo, meo iudicio fuit. iam, pater eius, accuſatus a M. Antonio, ſutorio atramento abſolutus putatur. Quare ad patres, cenſeo, reuertare. plebeij quam fuerint importuni, uides. Vale.*

## EXPLANATIO

AIN. TANDEM?} Ain tu? &, Ain tandem? dicimus, interrogantes ea de re, quae admirationem nobis attulit. ep.5. lib.IV. ad Att. Ain 'tu? exiſtimas ab ullo malle mea legi, probarique, quam a te? Et ep.1.lib.VI. Ain tu? Scipio hic Metellus proauum ſuum neſcit cenſorem non fuiſſe? Et ep.2. ibidem: Ain tandem, Attice, laudator integritatis, & elegantiae noſtrae? auſus es hoc ex ore tuo? Et ep. 6. lib. XII. Ain tu? uerum hoc fuit, ſine me? Et lib.III. de Leg. Ain tandem? etiam a Stoicis iſta tractata ſunt? Terentius in Andr. Ain tandem? ciuis Glycerium eſt? In Phorm. Ain tandem carcer? In Hec. Ain tu tibi hoc incommodum eueniſſe iter? VT. SCRIBIS,} niſi hoc interpoſuiſſet, arroganter facere uiſus eſſet, cum ipſe etiam fulmina ſuorum uerborum appellaret. NIHIL *tibi opus eſt illud a Trabea*,} non

opus

opus eſt, ut uerba Trabeae poetae in te conuenire dicas: in me enim potius conueniunt. Trabeae uerſum poſuerat Paetus, quo ſignificabatur, non ſuccedere illi, quod aggreſſus erat: ideſt non poſſe eum conſequi fulmina uerborum Ciceronis. Trabeae locum octauum in comoedia Volcatius Sedigitus aſsignat. nomitur lib. I. de Fin. in Tuſc. 4. & a Gellio lib. xv. cap. 24. Trabea poetae cognomen eſt, non nomen. uernam enim opinor fuiſſe, deinde manumiſſum. inde uetus nomen manſit pro cognomine. Dictus a genere ueſtis: cuius tria genera Suetonius in lib. de ueſtimentis, auctore Seruio in lib. VII. Virgilij, fuiſſe oſtendit, unum e ſola purpura, dijs conſecratum: alterum e purpura, non ſine albo, quo reges utebantur: tertium augurale, e purpura, & cocco. ſecundum genus ab equitibus, cum trabeati idibus Quinct. tranſueherentur, uſurpatum puto: ut regum potius, quam deorum, aut ſacerdotum amictum imitarentur. hoc autem genere uſos eſſe etiam eos, qui triumphabant, Auſonius poeta docet. nam, ubi Gratiano Imperatori pro conſulatu gratias agit, In procinctu, inquit, & tum maxime dimicaturus, palmatae ueſtis meae ornamenta diſponis, feliciter, & bono omine. namque iſte habitus, ut in pace conſulis eſt, ſic in uictoria triumphantis. Parum eſt, ſi, qualis ad me trabea mittatur, interrogas: te coram promi iubes. Quibus ex uerbis primum illud conſtat, triumphalem Romanis trabeam fuiſſe; quod alibi non legimus; triumphabant enim in toga picta: deinde conſularem, quod reip. temporibus inuſitatum fuit; praetexta enim tunc & conſules, & reliqui magiſtratus utebantur: poſtremo, trabeam, & palmatam ueſtem idem eſſe: quod cuiuſmodi ſit, conſiderandum. aut enim de palmata tunica loquitur, aut de palmata toga. Si de tunica, diſſentit a Floro, qui trabeam, & palmatam tunicam in Tarquinio Priſco ſeparatim nominat: & Plinius lib. IX. cap. 49. diſtinguit a trabea tunicam lati claui: latum clauum autem palmatam eſſe tunicam oſtendam. Plinius enim, Purpurae, ait uſum Romae ſemper fuiſſe uideo, ſed Romulo in trabea: nam toga praetexta, & latiore clauo Tullum Hoſtilium e regibus primum uſum, Etruſcis deuictis, ſatis conſtat. Diuerſum a trabea latum clauum aperte demonſtrat. at latus clauus ſi poſt Etruſcam uictoriam in urbem uenit, certe tunica palmata fuit: quam cum toga picta Romam ex Etruria allatam eſſe, non modo Florus, uerum etiam Dionyſius aſſerit. & uidetur Feſtus idem ſignificare, cum ait: Tunica palmata a latitudine clauorum dicebatur, quae nunc a genere picturae appellatur. Non igitur de tunica, ſed de toga palmata, quam nominat Martialis, locutus Auſonius uidetur. quod ſi ita eſt; ſequitur, ut toga palmata ſit idem cum toga picta. nam eodẽ loco ſubiungit Auſonius: Haec eſt picta, ut dicitur, ueſtis nõ magis auro, quam tuis uerbis. Sed reip. temporibus toga picta nũquam conſules uſi ſunt. Aurum quoque trabeae dat, non ſolum in hoc loco, ſed in extrema etiam gratiarum actione: ait enim: Trabeam non magis auro ſuo, quam tuo munere ſplendidam. At Suetonius, cum tria trabearum genera deſcriberet, nullam auri mentionem fecit. Apparet igitur, Gratiano imperante, & trabeatos in urbe conſules fuiſſe, qui praetextati antea fuerant; & trabeam fuiſſe togam auro pictam, contra ueterem conſuetudinem. fuerat enim aurum quidem in toga picta, non tamen in trabea: & diuerſas oſtendit Plinius lib. IIX. cap. 48. ſeorſum utramque nominans. Trabeis, hic, uſos accipio reges: Pictas ueſtes iam apud Homerum fuiſſe; unde triumphales natae. Quae cum dicit, primum a trabeis pictas ueſtes diſcernit: deinde illud oſtendit, pictas ueſtes, non trabeas, inter ornamenta triumphalia fuiſſe. quamquam imperatorum aetate, ut praetexta, ſic toga picta conſulum in pace fuerit: quod, praeter Auſonium, in Alexandro Seuero Lampridius docet. Militarem habitum poſt reges crediderim trabeam fuiſſe, quo conſules in bello uterentur. id mihi uenit in mentem Liuij locum lib. XXXII. conſideranti. Conſul, inquit, cum Corcyrae hibernaſſet, uere primo in continentem trabeatus ad hoſtem ducere pergit. Propterea equeſtres turmae, bellicam ſpeciem repraeſentantes, idib. Quinct. ante cenſores tranſuehebantur. Val. Max. lib. 2. cap. I. Trabeatos equites idib. Iulij Q. Fabius tranſuehi inſtituit. Et apud Tac. lib. III. in funere Germanici: Praecedebant incompta ſigna, uerſi faſces, atque, ubi colonias tranſgrederentur, atra plebs, trabeati equites. Et Sueton. in Domitiano, de Equitibus R. trabeatis. Eodem ueſtitu ſalios quoque ſacerdotes trabea uſos, Dionyſius lib. III. auctor eſt: ſed quia trabeas illas περιπορφύρους φοινικοπαρύφους uocat, ideſt purpura praetextas, puniceo colore alternis intertexto; ſatis conſtat, eum locutũ eſſe de tertio illo trabearum genere, quod Suetonius e purpura factum & cocco ſacerdotibus attribuit. Ἀπότευγμα} aberratio: quia non aſſequor id, quod cupio. PLEBEIO} humili, non elaborato, ſed quali homines de plebe utuntur. SVBTILIVS:} ſubtilitas eſt, cum accurate minuta quaeque puro quodam & ſimplici dicendi genere perſequimur. uide quae attulimus ad illum locum: Facile cedo tuorum ſcriptorum ſubtilitati, & elegantiae. CAPITIS, *aut famae*,} quae priuatae cauſſae non ſunt. diximus in libro noſtro de Romanis Legibus. SCILICET} affirmantis eſt, ut ep. 6. lib. I. & 15. lib. XV. & alibi. QVID *tibi uenit in mentem*} ſic libri mei ueteres omnes, & recte: ſic enim alibi quoque Cicero locutus eſt. PATRICII *minorum gentium*:} ſic appellati centum illi, quos in ſenatum Tarquinius Priſcus allegit. Erant autem regum aetate ſenatores omnes, ſiue maiorum, ſiue minorum gentium, patricij: & qui allegebatur in ſenatum, ſtatim patricius erat. itaque numquam dubitaui, quin apud Suetonium, ubi legitur in Auguſto, Ea gens inter Romanas gentes allecta in ſenatum, mox a Ser. Tullio in patricias traducta: uerba illa, In ſenatum, inducenda ſint, ut plane ueritati repugnantia. nam ſi allecta eſſet in ſenatum, quo tempore ſenatus conſtabat e patricijs: quid oportuit ſubiungere, A Ser. Tullio in patricias traducta? Liuius. CVM *antea cenſor cum eodem fuiſſet*,} praepoſtere librarius deſcripſit. prius enim conſul, quam cenſor, Mugillanus fuit. quod Liuius, Dionyſiusq. declarant. CCCXII.} hoc ad cenſuram refero: nam conſulatus biennio anteceſsit, ut ait Liuius, eoſdem, quos Cicero, auctores ſecutus. nam Verrius horum conſulatum anno urbis CCCIX, cenſuram autem anno CCCXI collocauit. PAPISII} antiquo more, ut Valeſij, Fuſij. Quinctilianus lib. I. cap. 6. SELLA *curuli*,} conſules, tribuni mil. cenſores, praetores, aediles cur. nam hi omnes curuli ſella ſedebant. praetor autem hoc toto tempore, quod a L. Papirio Mugillano ad L. Papirium Craſſum dictatorem Cicero ſignificat, unus om-

nino, iſq. patricij generis, Romae fuit, creari coeptus, ut faſti Capitolini teſtantur, anno urbis 387. co-
demq. primum anno aediles cur. patricij creati ſunt. Dictatorem non nominaui, quia dictator ex Papiria
gente ante L. Papirium Craſſum, cuius magiſter equitum fuit Papirius curſor, nemo fuit. PAPISIVS
*eſt uocari deſitus.* } Deſijt, cum agente uerbo; Deſitus, cum patiente coniungitur: ſicuti Coepit, Coeptus
eſt. CDXV.} iam oſtendi, Ciceronem & Liuium in annorum ſupputatione a Verrio diſſenſiſſe: ita-
que hic Papirius in faſtis Verrij non anno 415, ſed anno 413. dictator eſt. K. DVILIO.} K, eſt
Kaeſo, unum de praenominibus Romanis, a caeſo matris utero, ut ait Feſtus, & Valerius, & Plinius, itaque
ſcriberetur, C, non K: ſed, ut differret a Caius, ideo ſcripſere ueteres K: quod in faſtis Verrij uidere licet.
Duilius unica l ſcribo, ex lapidibus, & nummis. Cicero Duelios, non Duilios, uocatos, ait in Oratore, & po
ſtea Belios. uerũ, ſi hoc nomen deducitur a duis, & a bis, quod idẽ eſt; opinari licet, in Cicerone legendum,
Duilios, & Bilios, non Duelios, & Belios. CVRSOR,} quem Alexandro Magno multi uirtute aequabãt,
teſte Liuio lib. IX. MASO} quartũ cognomen Papiriae gentis: iam enim Mugillanum, Craſſum, Curſorẽ
nominauit: qui fuere omnes patricij: Turdi, & Carbones, plebeij, ſequentur. Ab hiſce autem Maſoni-
bus, ſiue Maſſonibus, (duplici enim SS. in ueteribus libris ſcriptum hoc cognomen inuenitur) deducta eſt
illuſtris familia, quae hodieq. & uiuit, & uiget, Maſſa. De qua permulti mentionem honeſtiſsimam fecere.
Nominatur enim *Nicolaus Maſſa,* medica arte praeſtans, a Io. Boccatio, Italico ſcriptore praecellenti.
*Antonius Maſſa,* Doctor Theologus, ord. min. & pro Nicolao V. Nuncius Apoſtolicus ad Imp. Conſtanti-
nopolitanum, honorifice nominatur in Tripartito libro Parallelorum Graece ſcripto, necdum edito, qui eſt
apud Andream Londanum, I. V. C. & Equitem Ord. D. Stephani. Fuit & alter *Nicolaus,* philoſophiae, me-
dicinaeq. laude perilluſtris; a multis Principibus, Paullo praecipue III. Franciſcoq. I. magnis propoſitis
praemijs uocatus. qui, ſua ſorte contentus, Regum praemijs non dicam ſpretis, ſed tamen reiectis, maluit
quieto otio uitam ducere, quam Aulae ſuperbos faſtus experiri. Quid *Antonius Maſſa Galleſius,* Iuris ciuilis
laude praeſtantiſsimus, qui Romanam ciuitatem conſilio ſaepe iuuit, exemploq. ſuo multos ad recte de Pa-
tria merendum docuit? is multa ſcripſit, quae magna eius cum laude a ſtudioſis leguntur, I. De exercitatione
iuriſperitorum. II. De re frumentaria. III. De Vſuris. IV. De Annatis. V. De Origine, & rebus Faliſcorũ.
VI. De Transfugis. VII. De Exceptionibus. IIX. Contra uſum Duelli. Fuit & *Antonius,* eius nominis ter-
tius, *Apollonij,* qui hodieq. uiuit, & ſuae uirtutis, medicaeq. artis praeclara iam dedit, datq. in dies ex-
preſſa ſigna, pater. Hiſce ueluti corollarium addatur, LAVRENTIVS. MASSA; cuius uirtus quo excelſio-
re ſita eſt loco, eo maius Familiae ſuae praebet lumen. Is apud Sereniſs. Remp. Venetam quid non agit, quo
non & admirationem, & ſummam cõſequatur laudem? Apud eos Proceres honorificentiſsimo ſane eſt loco.
&, quod de eius uirtute, deq. eorum gratitudine libet, maxima cum animi mei iucunditate, ominari, erit, erit
certe, cum ſuorum laborum dulces fructus feret, &, quam ſuaue ſit, ſuam operam gratiſsimis Principibus
praeſtare, ſuopte exemplo perſpicue oſtendet. Paucos hoſce de multis nominaui. Nam nolui nimius eſſe
in eo, in quo ſi materiem ſequi uellem, charta me prius deficeret. Quid militiae laude claros? Quot fuere? Sed
haec ſatis ſint hoc loco. Ad inſtitutum noſtrum reuertamur. AEDILICIVS:} ae-
dilis tantum fuit: qui uero aedilitatem honores conſequuntur, eos non eſt adeptus. IMAGINES}
Romani ueteres maiorum imagines, e cedro factas, ut ait Seruius, quod genus ligni tineas neſcit, domi
aſſeruabant: eaeq. mortuis in funere praeferebantur. PRAETER *hunc Cn. Carbonem, quem Damaſip-
pus occidit,* } L. Licinius Damaſippus, praetor urbanus, qui conſulare munus, abſentibus conſulibus,
ſuſtinebat more maiorum, conuocato, uelut ex alia cauſſa, in curiam Hoſtiliam ſenatu, conſulares uiros
Q. Mucium Scaeuolam, pont. max. L. Domitium, praetorium C. Carbonem, Cn. Carbonis, eo anno
tertium conſulis, fratrem, ut ait Velleius, aedilicium P. Antiſtium, & alios optimatum principes, iuſſu
C. Marij iunioris conſulis, qui Praeneſte obſidebatur, occidit. Appianus hoc tribuit Bruto praetori: ſed
auctor longe certior Cicero, praeſertim in rebus, quas ipſe uidit, aut certe per aetatem uidere potuit. cum
eo ſentit Velleius, Valerius Max. &, quantum ex epitome licet intelligere, etiam Liuius. Praenomen huius
Carbonis Caium arbitror fuiſſe, non Cnaeum. in quo Velleij primum, deinde Ciceronis etiam teſtimo-
nio nitor, qui lib. III. de Orat. & Caium appellat, & Craſsi oratoris inimiciſsimum. Cui maerori, inquit,
qua mente ille in patriam fuit, etiam C. Carbonis, inimiciſsimi hominis, eodem illo die mors nefaria fuiſ-
ſet. Quis igitur dubitare poſsit, quin is Carbo, quem Damaſippus occidit, non idem ſit, cuius Cicero
nefariam mortem uocat, ipſum autem L. Craſsi inimiciſsimum? quis eundem non credat, C. Carbonis,
illius eloquentiſsimi uiri, quem Craſſus accuſauit, filium fuiſſe? inde enim Craſsi uocatur inimiciſsimus,
quia patris inimicum ulciſci cupiebat. quod ſi quis dubitat, inſpiciat Valerium Max. lib. III. cap. 7. Sic igi-
tur concludo: ſi fuit ille Carbo, quem Damaſippus occidit, C. Carbonis, quem Craſſus accuſauit, filius;
quod probatum ſatis, Cicerone, & Valerio teſtibus, exiſtimo; neceſſe uideri, ut in hac epiſtola, C. Car-
bonem, non Cnaeum, legatur. Vt omittatur ea ratio; quod in hac Carbonum enumeratione, diſertus
orator C. Carbo, beneq. de rep. ſentiens, quam ob cauſſam Damaſippus cum iuſſu Marij iunioris interfe-
cit, ſilentio praeteriri non debuit; praeteritur autem, niſi hoc loco nominetur. Adiungam, quae de eo
ſcripta ſunt in Bruto. In eodem numero eiuſdem aetatis C. Carbo fuit, illius eloquentiſsimi uiri filius,
non ſatis acutus orator, ſed tamen orator numeratus. erat in uerbis grauitas: & facile dicebat: & auctori-
tatem naturalem quandam habebat oratio. Idem eſt, de quo ſic in Oratore: Me ſtante C. Carbo C. F. tri-
bunus pl. in concione dixit his uerbis: O M. Druſe, (patrem appello) tu dicere ſolebas, ſacram eſſe remp.
quicumque eam uiolauiſſent, ab omnibus eſſe ei poenas perſolutas. patris dictum ſapiens temeritas filij
comprobauit. Quibus duorum locorum teſtimonijs tria conſtant, primum de praenomine Caio, tum de
patre eloquentiſsimo, ideſt eo, quem L. Craſſus accuſauit, poſtremo de optimo eius erga remp. ſenſu.

Non

Non uereor, ne nimis prolixa narratio uideatur, ſi hoc addam, uerum eſſe non poſſe, quod Velleius prodidit, hunc C. Carbonem, quem Damaſippus occidit, Cn. Carbonis, qui ter conſul fuit, fratrem fuiſſe: cum Caius Caio patre, ut iam oſtendi, Cnaeus, ut faſti Capitolini declarant, Cnaeo patre ſit natus. Patruelem fuiſſe, non germanum, fortaſſe aliquis dixerit. Quo argumento? nam Cnaei pater Cnaeus fuit: at Caij pater Caius fratrem nullum habuit, cui Cnaeo praenomen fuerit, probatur ipſo teſte Cicerone, uel in hac ipſa epiſtola. Tres, inquit, illi fratres fuerunt, P. C. M. Duos Caio, quem infra dicit a Craſſo accuſatum, fratres addit, Publium, & Marcum: Cnaei nulla mentio. Addo illud, quod Cnaei ter conſulis pater ſeorſum a Caio, quem Craſſus accuſauit, procul nominatur, in eo loco: Pater eius, accuſatus a M. Antonio, ſutorio atramento abſolutus putatur. nam, ſi frater eſſet; ſine dubio uel ante eum proxime, uel poſt eum ſtatim, nullo interpoſito Carbone, nominatus eſſet. Sic igitur ſtatuendum uidetur; aut illa duo uerba, Conſulis fratrem, gloſſema apud Velleium eſſe, additum ab imperito homine; aut ipſum etiam Velleium, quod tamen haud libenter crediderim, in hiſtoria peccaſſe, deceptum fortaſſe ſimilitudine praenominis, & interitus: quia C. Carbonem alterum, Cnaei ter conſulis fratrem, militarem diſciplinam, corruptam ciuilibus bellis, emendare conantem, ab exercitu interemptum annalium litterae prodiderunt: ut ex Valerio Max. lib. IX. cap. 7. licet intelligere. COGNOVIMVS *Cn. Carbonem,*} hic non eſt Cn. Carbo, ter conſul: qui nominatur infra. poteſt autem eſſe, quem elegantis conuentus, auribus minime dignum, turbulentis uero concionibus aptiſsimum fuiſſe, auctor eſt Cicero in Bruto. NIHIL *dico,*} parcendum amico putat: ſed, quid ſentiat, apparet ex eo, quod improbitatis, uno excepto, quem Damaſippus occidit, Carbones omnes iam damnauit. ILLI} cum quadam emphaſi. illi, inſigni omnes improbitate. ſunt autem hi tres fratres Carbonum, qui nominantur in hac epiſtola, uetuſtiſsimi: adeo ut eos Cicero per aetatẽ cognoſcere non potuerit. FVGIT *Marcus ex Sicilia.*} cum in ea praetor, aut quaeſtor, aut legatus eſſet. Hoc totum alij attexunt ad ſuperiora, & legunt, Fur magnus ex Sicilia; non attendentes, ſi ita legatur, de tribus fratribus Marcum praetermitti. CAIVS,} Carbonum omnium eloquentiſsimus, popularis primum, deinde optimatum defenſor. ACCVSANTE} iam conſularem. L. CRASSO,} annos nato XIX, ut auctor eſt Tacitus in dialogo de Orat. CANTHARIDAS} ſuccus cantharidis, qui uermis uiridis eſt, epotus interimit. Tuſc. 5. Theodorus Lyſimacho mortem minitanti, Magnum uero, inquit, effeciſti, ſi cantharidis uim conſecutus es. Et Ouidius in Ibin: Cantharidum ſuccos, dante parente, bibas. De hoc in Bruto his uerbis: Vtinam in Ti. Graccho, Caioq. Carbone talis mens ad remp. bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit. profecto nemo his uiris gloria praeſtitiſſet. ſed eorum alter propter turbulentiſsimum tribunatum ab ipſa rep. eſt interfectus: alter, propter perpetuam in populari ratione leuitatem, morte uoluntaria ſe a ſeueritate iudicum uindicauit. ſed fuit uterque ſummus orator: atque id memoria patrum teſte dicimus. TRIBVNVS *pl. ſeditioſus,*} ſeditioſe, ut ait Cicero pro Milone, P. Africanum in concione interrogauit, quid de Ti. Gracchi morte ſentiret. Idem rogationem promulgauit, ut eundem tribunum pl. quoties quidem uellet, creari liceret. quam rogationem Africanus minor diſſuaſit, C. Gracchus ſuaſit: ſed Africanus tenuit. Epitome, ſeditioſum fuiſſe, oſtendit etiam in Laelio, cum ait: Carbonem quoque propter recentem poenam Ti. Gracchi ſuſtinuimus. VIM *attuliſſe*} idem ſcripſit in ep. ad Q. fr. lib. 2. ſed lib. 2. de Orat. non ei uim Carbonem attuliſſe, ſed conſcium ſignificat fuiſſe. eius autem mortis culpa in Semproniam uxorem, Gracchorum ſororem, a pluribus confertur. unde illud in Somnio Scipionis: Si impias propinquorum manus effugeris. Carbonem & Semproniam in eo ſcelere coniungere Cicero uidetur in lib. de Amic. Hunc, inquit, etiam poſt mortem ſecuti amici, & propinqui, quid in P. Scipionem effecerint, ſine lacrumis non queo dicere. HOC VERO,} Cn. Carbone; qui ter conſulatum adeptus, acerrime contra Sullam pugnauit: poſtremo uictus, & Italia pulſus, in Sicilia a Pompeio occiſus eſt. Plutarchus, Appianus, Valerius Max. PATER *eius,*} Cn. Carbo, ut Capitolini lapides teſtantur, & is fortaſſe, qui cum Metello Caprario conſul fuit. nam de illius dignitate argumentum capio ex accuſatione M. Antonij, oratoria laude clari. non enim ignobilem, aut humilem ciuem accuſaſſet: cum praeſertim & L. Craſſus conſularem uirum, C. Carbonẽ, eloquentia praeſtantem, adoleſcentulus iam accuſaſſet. SVTORIO *atramento abſolutus putatur.*} ſutorium atramentum Graeci Χάλκανθον uocant. Galenus lib. XIII meth. cap. 20. nominat inter ea pharmaca, quae non leuiter nocendi uim habent: quã ille δύναμιν φθαρτικὴν appellat: ſubiungitq. non tuto medicamentis immiſceri, quae per os aſſumuntur. itaque licet opinari, Carbonem hunc, ſumpto atramento ſutorio, uoluntaria morte damnationis a iudicio liberatum. Non ignoro, quibuſdam, abſolui atramento ſutorio, quaſi prouerbium eſſe uiſum: ut dixerit Cicero, abſolutum quidem, ſed, ut opinio fuit, corrupto iudicio: quod, ut obſcurae ſunt litterae atramento ſutorio conſcriptae, ſic obſcurae fuerint iudicum ſententiae. Horum probanda ne ſit, an condemnanda opinio, alij uiderint. AD PATRES, *cenſeo, reuertare:*} Patres dicti centum illi, ex quibus ſenatum Romulus conſtituit: qui omnes ingenui fuere. nam reliquos, qui ab initio urbis Romae cum Romulo fuere, patrem, & auum liberos ciere non potuiſſe, Liuij uerba lib. x. ſignificant. quod Cincius quoque ſenſiſſe uidetur in libro de Comitijs, qui non exſtat, ſed eius haec apud Feſtum mentio eſt: Patricios, Cincius ait in libro de Comitijs, eos appellari ſolitos, qui nunc ingenui uocentur. Et quia per annos multos patricijs tantum gẽtibus curia patuit; propterea patres appellat hic Cicero, cum de patricijs loquatur: licet eius aetate, atque adeo multis ante ſaeculis, plebeijs etiam familijs ſenatoria dignitas impertiretur, & ideo patres plebeis quoque familijs orti dicerentur. Reſpexit igitur ad priſca tempora, cum aditus in curiam ſolis patricijs daretur. Suetonius quoque in Iulio, Clodium, inquit, a patribus ad plebem tranſire conantem, eadem die, horaq. nona tra-

 duxit.

duxit. A patribus dixit, pro, a patricijs, REVERTARE,} quia Paetus plebeium ſe eſſe dixerat, opinatus omnes Papirios fuiſſe plebeios; malo, inquit, patricium te eſſe, ducta origine a patricijs, non a plebeijs. Supra: Patriciorum imagines habeas, uolo. IMPORTVNI,} non modo qui agit aliquid alieno tempore, ſed etiam qui agit, quod non debet, importunus eſt. Lib. 1. de Fin. Filium morte multauit: ſi ſine cauſſa, nollem me ab eo ortum, tam importuno, tamq. crudeli. In Piſonem: Animal ex omnium ſcelerum importunitate concretum. Pro Cluentio: Importunitatem matris a filij capite depellite.

---

## Argumentum ep. 22.

*ITa familiariter & libere iocatus erat Paetus in epiſtola ſua, ut obſcenum uerbum non uitaret. unde ſumpſit occaſionem Cicero exponendae Stoicorum ſententiae de licentia loquendi. quo facto, ſcholam Stoicam damnat: a ſe ait ſeruari Platonis in loquendo uerecundiam. Incertus annus.*

### *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 22.

*AMO uerecundiam, uel potius libertatem loquendi. atque hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto: etſi Academiae noſtrae cum eo magna rixa eſt. ſed, ut dico, placet Stoicis ſuo quamque rem nomine appellare. ſic enim diſſerunt: nihil eſſe obſcenum, nihil turpe dictu: nam, ſi quod ſit in obſcenitate flagitium, id aut in re eſſe, aut in uerbo; nihil eſſe tertium. in re non eſt: itaque non modo in comoedijs res ipſa narratur, ut ille in Demiurgo modo, (forte noſti canticum: meminiſti Roſcium) Ita me deſtituit nudum: totus eſt ſermo uerbis tectus, re impudentior; ſed etiam in tragoedijs. quid eſt enim illud? Quae mulier una? quid, inquam, eſt? Vſurpata duplex cubile. quid illud? Pheraei hic cubile inire eſt auſus. quid eſt? Virginem me quondam inuitam per uim uiolat. Iuppiter bone, uiolat? atqui idem ſignificat, ſed alterum nemo tuliſſet. Vides igitur, cum eadem res ſit, quia uerba non ſint, nihil uideri turpe. ergo in re non eſt: multo minus in uerbis. ſi enim, quod uerbo ſignificatur, id turpe non eſt: uerbum, quod ſignificat, turpe eſſe non poteſt. Anum appellas alieno nomine; cur non ſuo potius? ſi turpe eſt, ne alieno quidem: ſi non eſt, ſuo potius. Caudam antiqui penem uocabant, ex quo eſt propter ſimilitudinem peniculus: at hodie penis eſt in obſcenis. at uero Piſo ille Frugi in Annalibus ſuis queritur, adoleſcentes peni deditos eſſe. quod tu in epiſtola appellas ſuo nomine, ille tectius penem. ſed quia multi, factum eſt tam obſcenum, quam id uerbum, quo tu uſus es. Quid, quod uulgo dicitur, Cum nos te uolumus conuenire, num obſcenum eſt? memini in ſenatu diſertum conſularem ita eloqui, Hanc culpam maiorem, an illam dicam? potuit obſcenius? non, inquis: non enim ita ſenſit. non ergo in uerbo eſt. docui autem in re non eſſe: nuſquam igitur eſt. Liberis dare operam, quam honeſte dicitur. etiam patres rogant filios: eius operae nomen non audent dicere. Socratem fidibus docuit nobiliſſimus fidicen. is Connus uocitatus eſt. num id obſcenum putas? Cum loquimur, terni, nihil flagitij dicimus: at, cum bini, obſcenum eſt. Graecis quidem, inquies. nihil eſt ergo in uerbo: quando & ego Graece ſcio; & tamen tibi dico, bini; idq. tu facis, quaſi ego Graece, non Latine, dixerim. Ruta, & menta, recte utrumque. uolo mentam puſillam ita appellare, ut rutulam: non licet. Bella tectoriola dicis: dic ergo etiam pauimenta isto modo: non potes. Vides igitur nihil eſſe, niſi ineptias, turpitudinem nec in uerbo eſſe, nec in re, itaque nuſquam eſſe. Ergo in uerbis honeſtis obſcena ponimus. quid enim, non honeſtum uerbum eſt diuiſio? at ineſt obſcenum. cui reſpondet intercapedo. num haec ergo obſcena ſunt? nos autem ridicule, ſi dicimus, ille patrem ſtrangulauit, honorem non praefamur: ſin de Aurelia aliquid, aut Lollia, honos praefandus eſt. Et quidem iam non etiam obſcena uerba pro obſcenis ſunt. batuit, inquit, impudenter: depſit, multo impudentius. atqui neutrum eſt obſcenum. STVLTORVM plena ſunt omnia. Teſtes, uerbum honeſtiſſimum in iudicio, alio loco non nimis. at honeſti Colei Lanuuini, Cliternini non honeſti. Quid? ipſa res modo honeſta, modo turpis. ſuppedit, flagitium eſt: iam erit nudus in balneo, non reprehendes. Habes ſcholam Stoicam. ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔσαι. Quam multa ex uno uerbo tuo? Te aduerſus me omnia audere, gratum eſt. ego ſeruo, & ſeruabo (ſic enim aſſueui) Platonis uerecundiam. itaque tectis uerbis ea ad te ſcripſi, quae apertiſſimis agunt Stoici. ſed illi etiam crepitus aiunt aeque liberos, ac ructus eſſe oportere. honorem igitur Kalendis Martijs. Tu me diliges, & ualebis.*

## EXPLANATIO

AMO *uerecundiam*,} Platonis, in loquendo. VEL *potius libertatem loquendi*.} aut hoc per iocum dicit: aut legendum, Alij potius libertatem. alioqui pugnantia loqueretur. nam infra, Ego, inquit, ſeruo, & ſeruabo (ſic enim aſſueui) Platonis uerecundiam. Et hanc ſententiam, reprehenſa Stoicorum, & Cynicorum libertate, accurate defendit lib. 1. Off. Nec uero audiendi ſunt, inquit, Cynici, aut ſi qui

fuerunt

fuerunt Stoici paene Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quae turpia re non ſunt, uerbis flagi-
tioſa dicamus; illa autem, quae turpia ſint, nominibus appellemus ſuis. latrocinari, fraudare, adulterare, re
turpe eſt, ſed dicitur non obſcene: liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcenum. pluraq. in eam
ſententiam ab eiſdem contra uerecundiam diſputantur. Eſt igitur feſtina correctio, ad Pacti gratiam in-
ducta, quaſi aſſentandi cauſſa. & eodem ſpectant illa, quae ſequuntur de ſchola Stoica: ut uerbi turpitudi-
nem, quod Pactus effutierat, Stoicorum auctoritas quodam modo tegeret. ZENONI} Zenones octo
nominat Laertius, primum Eleatem, qui Parmenidem audiuit, ut ait Suidas, & dialecticam inuenit, ut Ari
ſtoteles. Mira fuit in cruciatibus patientia, utpote qui, detecta coniuratione, cuius ipſe auctor fuerat, per-
peti omnia maluerit, quam conſcios delendae tyrannidis indicare: quos ne nominare cogeretur, praeciſam
dentibus linguam in os Neoclis tyranni conſpuit. Tuſc. 2. & Laertius. Alter fuit Zeno Citiaeus, e Cito, Cy-
pri inſulae opido, Polemonis auditor, Stoicae ſectae conditor, & princeps, ut inquit Cicero pro Murena,
& in Orat. & lib. III. de Fin. & Strabo lib. XIV. & Laertius in uita. is Athenienſibns ita carus fuit, & aucto-
ritatis tantae, ut apud eum claues urbis deponerent, aureaq. ipſum corona ornarent, & imagine aerea. Hic
eſt, quem hic Cicero nominat, & in Lucullo his uerbis: Zeno inuentor, & princeps Stoicorum fuit. Et
Acad. I. Zeno nullo modo is erat, qui, ut Theophraſtus, neruos uirtutis incideret; ſed contra, qui omnia,
quae ad beatam uitam pertinerent, in una uirtute poneret, nec quidquam aliud numeraret in bonis. Idem
lib. IV. de Fin. Poſtremus a Laertio nominatur Sidonius Zeno Epicureus: quem Cicero audiuit, eiuſque
mentionem facit in Lucullo, & Acad. I. in extremo, & lib. I. de nat. de. & in Tuſc. 3. HOMINI *meher-
cule acuto*:} acumen Stoici Zenonis laudat & in Acad. I. Zeno, inquit, cum Arceſilam anteiret aetate, ual-
deq. ſubtiliter diſſereret, & peracute moueretur, corrigere conatus eſt diſciplinam. ep. 22. lib. IX. ACA-
DEMIAE *noſtrae*} Academia duplex, uetus, & noua, uetus, a Platone inſtituta, mox culta a Speuſippo,
Xenocrate, Polemone, Cratete, Crantore: noua, ab Arceſila, Carneade, Lacyde. MAGNA *rixa*} de
fine bonorum, & malorum: cum Stoici unam uirtutem ſequantur, cetera contemnant omnia; Academici
uero uirtutem quidem rebus omnibus praeferant, honoribus tamen, diuitijs, ualetudini, alijsq. tum fortu-
nae, tum naturae muneribus locum relinquant. Hanc rixam Cicero in Lucullo oſtendit his uerbis: Aut Stoi
cus conſtituatur ſapiens, aut ueteris Academiae. utrumque non poteſt. eſt enim inter eos non de terminis,
ſed de tota poſſeſſione contentio. nam omnis ratio uitae definitione ſummi boni continetur: de qua qui
diſsident, de omni ratione uitae diſsident. Et Acad. lib. I. multa in hanc ſententiam. Diuus Auguſtinus lib.
III. contra Academicos recitat haec uerba Ciceronis: Contra Stoicos potiſsimum Academicorum exarſit
ingenium. PLACET *Stoicis, ſuo quamque rem nomine appellare.*} attigit hoc lib. I. Off. uide & Ari-
ſtotelem lib. III. Rhet. IN . . RE *non eſt*:} Sextus Empiricus, a Zenone Stoico ne praepoſteram qui-
dem improbatam eſſe, lib. III. Pyrrh. c. 24. oſtendit his uerbis: Illum Achillis erga Patroclum ardentem
amorem ad hoc referunt nonnulli. quod cur mirum illi uideatur? cum & Cynici philoſophi, & Zenon Ci-
tiaeus, & Cleanthes, & Chryſippus indifferens eſſe dicant. Et paullo poſt: Stoicos audiuimus dicentes a ra-
tione non abhorrere, cum meretrice congredi, aut quaeſtu meretricio uitam ſuſtentare. Et infra: Zeno Ci-
tiaeus non alienum a ratione dicit eſſe, matris naturam ſuae affricare: quemadmodum nec aliam corporis
eius partem manu fricare, malum ullus eſſe dixerit. Cum praeterea deteſtabile ſit apud nos αἰσχ ἐργεῖν, Ze-
no approbat. Et cap. 25. Stoicorum ſectae princeps Zeno ἐν ταῖς διατριβαῖς, idest in libris de inſtitutione
puerorum, cum alia ſimilia, tum uero haec dicit: Diuidere nihilo magis, nec minus pueros adamatos, quā
non adamatos, nec feminas, quam mares. non enim ſunt alia, quae pueros adamatos, aut non adamatos,
nec feminas, aut mares deceant: ſed eadem illos decent. ILLE *in Demiurgo modo*,} Ille, non eſt poe-
ta, qui Demiurgum tragoediam ſcripſit, ſed hiſtrio, ideſt Roſcius. Demiurgum autem ſcripſit Turpilius:
ut ex Nonio licet cognoſcere. MODO,} ſi Ciceronis uerbum eſt; actam paullo ante hanc tragoediam,
cogimur credere. in quo equidem haereo. nam ex eo ſequetur, uixiſſe Roſcium paullo ante: de quo ſubiun-
gitur: Meminiſti Roſcium. quod ſi ita eſt: hanc epiſtolam aliquot annis ante ciuile bellum ſcriptam eſſe,
neceſſario putabimus. nam Roſcius ante orationem pro Archia poeta habitam e uita deceſsit: quod ipſa in-
dicat oratio, quae habita eſt, quantum aſſequi coniectura licet, Silano & Murena cos. id quod ipſa oratio-
ne examinanda lector intelligens iudicabit. Aut igitur hanc epiſtolam paullo poſt orationem pro Archia
ſcriptam eſſe dicamus; quod mihi parum ſit ueriſimile; cum ceterae ad eūdem omnes Caeſare dominante
ſcriptae ſint: aut aliter diſtinguamus, nempe ſic: Vt ille in Demiurgo: Modo (forte noſti canticum, memi-
niſti Roſcium) ita me deſtituit nudum. Vt, Modo, poetae uerbum ſit. NOSTI *canticum*:} canticum
agere hiſtrio dicebatur, cum ipſe quidem corporis motus tibicinis modis congruentes dabat, alius autem
ante tibicinem canebat. id fiebat, ſi ſolus hiſtrio loqueretur: nam, ſi duo, uel plures (id Liuius initio lib. VII.
Diuerbium uocat) tunc & canebat idem hiſtrio, & ad cantum motus accommodabat. ROSCIVM}
ſummum in actione ſcenica. ex eo natum, ut Roſcius appellaretur, quicumque aliqua arte, aut facultate ex-
celleret. DESTITVIT *nudum*:} In Demiurgo comoedia querebatur neſcio quis, nudum ſe a mulie-
re deſtitutum. RE *impudentior*:} quia ſuberat hoc: ereptam ſibi habendae rei cum ea muliere poteſta-
tem. SED *etiam in tragoedijs.*} in quibus maior, quam in comoedijs, grauitas requiritur. QVAE
*mulier una?*} quaenam eſt, quae cum uiro concumbit? VSVRPATA *duplex cubile.*} hoc proxi-
me ſequitur poſt illud, Quae mulier una? nam uerba ſunt mulieris de pellice querentis. & fortaſſe loquen-
tem haec poeta induxerat Theben, uxorem Alexandri, Pheraei tyranni: quem arbitror infra nominari. haec
enim, ut Cicero lib. 2. Off. prodidit, propter pellicatus ſuſpicionem uirum interfecit. Vſurpata, uerbum de-
ponens tēporis praeteriti: cum tamen, Vſurpo, ſit uſitatius, quam Vſurpor: ut, Iuratus, a Iuro. Legimus

etiam

etiam apud Gel.& Macrob.Q Mucium iuriſconſultum dicere ſolitum;Non eſſe uſurpatam mulierem,quae
cum Kal.Ian.apud uirum matrimonij cauſſa eſſe coepiſſet, ante diem quarto Kalendas Ian. ſequentes,uſur-
pata eſſet. PHERAEI *&c.*} opinor hoc eſſe ex eadem tragoedia, ſed aliquanto poſt illa ſuperiora.nam
illa in pellicem, haec in adulterum dicuntur VIRGINEM *me quondam inuitam per uim uiolat.*} po-
teſt hoc eſſe eiuſdem Thebes in Alexandrum tyrannum. Violat, modeſte dixit. antiqui enim, ut lib. v. de
lin.Lat. ſcripſit Varro, Violauit uirginem, pro Vitiauit, &, Cum muliere fuit, pro Concubuit, modeſte di-
cebant. IDEM *ſignificat,*} alterum uerbum eſt, idem ſignificans, quod uiolo: ſed, illud poeta ſi dixiſ-
ſet, nemo tuliſſet. ergo non eſt in re flagitium: nam in comoedijs, & tragoedijs, licet uerbis tectis, res tamē
ipſa narratur. ALTERVM} obſcenum uerbum, quo diſſoluti homines pro Violo libere utuntur.
ALIENO *nomine*;} proprium nomen, podex: alienum, anus: a uetula: quod utrique ſimilis deformi-
tas, & foeditas. ſignificatio diuerſa cognoſcitur in omni caſu, praeterquam in eo, qui regit, & eo, qui accu-
ſat. nam anus, & anum, pro podice,& uetula, aeque dicitur: ceteri caſus differunt. NE *alieno quidem*:}
appelles. PENICVLVS:} in antiquis libris &, Peniculus, eſt, & Penicillus. Feſtus Peniculum appel
lat, quo calceamenta tergentur: & ait a Pene deductum, ideſt cauda. Plautus quoque in Men.act.I.Iuuen-
tus, ait ſub perſona Paraſiti,nomen fecit Peniculo mihi, Ideo quia menſam, quando edo, detergeo. AT
*uero*} malim, Et uero. non enim hoc aduerſatur, ſed conſentit proximis ſuperioribus uerbis. & alibi ſic
Cicero locutus. unus omnino uetus liber habet, Vt Piſo. ILLE *Frugi*} qui ſine ornatu ſcripſit hiſto-
riam: ut lib.2.de Orat.& lib.I.de Leg.& Tuſc.3. Frugi autem,a moribus appellatus. IN *Annalibus ſuis*}
quorum ex lib.v. Priſcianus uerba quaedam recitat lib.x. PENI} libidini, quae pene exercetur. SVO
*nomine,*} mentulam. Infra: Quam multa ex uno uerbo tuo. QVIA *multi,*} ſubaudi, penem nomina-
runt. CVM *nos*} qui hoc pronunciabat, uidebatur dicere, Cunnos. quod obſcenum eſt. hinc opinor
ſatis patet, mendoſe ueteres pronunciaſſe, Cun, pro Cum, ſequente littera n. quam ob cauſſam dixere, No-
biſcum: ne dicerent, Cun nobis; & ita Cunni mentio probas aures offenderet. Hoc uitium Cicero notauit
in Oratore. Quid illud, inquit, non olet, unde ſit, quod dicitur, cum illis, cum autem nobis non dicitur,ſed
nobiſcum? quia, ſi ita diceretur, obſcenius concurrerent litterae, ut etiam modo, niſi, autem, interpoſuiſ-
ſem, concurriſſent. ex eo eſt, mecum, & tecum, non, cum me, &, cum te: ut eſſet ſimile illis, uobiſcum, at-
que nobiſcum. Peruenit hoc uitium ad aetatē Quinctiliani: nam haec ſcripſit lib.IIX. Iunctura deformiter
ſonat: ut, ſi Cum hominibus notis loqui nos dicimus, niſi hoc ipſum, hominibus, medium ſit, in praefata
uidemur incidere. HANC *culpam maiorem, an illam dicam?*} dupliciter peccaſſe conſularem illum,
quidam putant; cum dixit, Culpam, & An illam: quod in, Culpam, prior ſyllaba obſcenam corporis par-
tem indicare uideatur; An illam uero parum uerecunde dictum ſit, quia tres primae litterae, An i,anum re-
ferant; quam corporis partem, quia turpis eſt, ideo natura auertit ab oculis. Ego in, Culpam, uitium nul-
lum agnoſco. alioqui obſcene loqueretur,quicumque Culpam nominaret. in,An illam, uidetur ineſſe turpi
tudo: quam Cicero uitandam cenſet: hodie tamen uitio non datur, ſi quis ita loquitur. LIBERIS *dare*
*operam,*} operam in eo ponere, ut filij generentur. QVAM *honeſte dicitur.*} ideſt, honeſte plane di-
citur: tum quod honeſta res eſt: tum etiam, quod eius operae nomen aperte non dicitur. lib.I. Off. Liberis
dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcenum. CONNVS} quod nomen una tantum littera diſtat
a Cunnus,nec tamen obſcenum eſt. Plato eum nominat in Epitaphio. BINI,} apparet, uel, Vini,pro
Bini, dixiſſe ueteres Romanos; quod quidem audientibus nihil differre uidetur a Graeco βίνει: uel,cū Grae-
ca uerba a β incipientia pronunciarent, pro β nominaſſe Latinam litteram B. nam,ſi flagitium eſt in, Bini,
nimirum ideſt eſt, quia non differt a Graeco βίνει. aut igitur, Bini, per β Graecum, aut βίνει per B Latinum
pronunciabant. IDQ. *tu facis,*} βίνει, eſt, concumbe, a βινέω. cum ergo tibi dico, Bini, tu concum-
bis: quaſi ego tibi, Graece locutus, imperauerim, ut concumberes: cum tamen ego Latine dixerim,nō Grae
ce. NON *licet.*} quia, mentula, dicerem: quod obſcenum eſt. NON *potes.*} quia diceres, paui-
mentula: in quo uerbo mentula nominatur. NON *honeſtum uerbum eſt diuiſio?*} tunc eſt honeſtum, cū
ſimpliciter ſignificat, ſeparatio: obſceni enim tunc nihil ineſt, & uſurpatur conſuetudine communi: ut, di-
uidere lignum, fundum, hereditatem, ſimilia. honeſtum autem tunc non eſt, cum dicimus, diuidere pue-
rū:ut Graeci quoq. loquūtur:dicūt enim, διαμερίζειν παιδικὰ, pro, diuidere, & ſtuprare pueros adamatos.
& ita locutum eſſe Sextum Empiricum lib.III. Pyrrh. cap.25. animaduerti. idemq. cap.24. cum ageret de
maſcula Venere, ſine probro apud quaſdam gentes uſitata, ut apud Germanos, & Thebanos, haec ſubiun-
git: Merionem Cretenſem (Merionem illum, Homerico uerſu notum, Idomenei, Cretenſium ducis, auri-
gam, appellat) ita uocatum aiunt ad expreſſam conſuetudinis Cretenſium ſignificationem. Haec Sextus, ex
opinione eorum, qui Merionis nomen ἀπὸ τοῦ μερίζειν τοὺς παῖδας, deductum putabant, qui μηριόνης,
Ionica lingua ε in η conuerſa, ab Homero uocatur. Videtur huc ſpectaſſe Plautus in Aul. ambigua tamen
ſignificatione, ut eſt in hoc genere facetus, cum dixit: Me quidem hercle (dicam palam) non diuides. Et
ibidem: Poſt, ſi quis uellet te, haud non uelles diuidi. CVI *reſpondet intercapedo.*} Reſpondet, pro
ſimile eſt: ut Reſpondet Rhetorica dialecticae: quod Ariſtoteles initio Rhetoricorum dixerat, ἀντίστροφον.
Vt diuiſio, inquit, ſic intercapedo & honeſtum,& obſcenum poteſt eſſe uerbum: honeſtum,ut intercapedo
temporis, litterarum, ideſt, interuallum: obſcenum, ut in patiente puero. agens enim diuidit, patiens in-
tercipit, turpiſsima, & exſecranda libidine. NVM. OBSCENA. SVNT?} non ſunt.
dixit enim, Non honeſtum uerbum eſt diuiſio? HONOREM *non praefamur*:} cum tamen res nefaria ſit.
Praefatur honorem, qui, turpe aliquid dicturus, excuſandi ſui gratia uerbis utitur ueniam petentibus, ut,
ignoſce, pace dicam tua,& ſimilibus. AVRELIA, *aut Lollia,*} ſcortis nobilibus. BATVIT, *in-*
*quit,*

*quit, impudenter: depſit, multo impudentius.*} Batuere, & Depſere, cum non obſcena proprie ſint uerba; nam illud eſt, uerberare, uel pugnare; hoc, ſubigendo tenerum reddere; ad obſcenam tamen ſignificationem transferuntur. Batuere enim ſic accipitur pro βατεύειν, ut, bini, pro βίνει. eſt autem βατεύειν, cum ma tes inſiliunt feminas rei Venereae cauſſa. quo uerbo Theocritus uſus eſt. Depſere uero, eſt ſubigere, miſcere. id perſpicue docet Nonius. Condepſere, ait, eſt, commiſcere, a Graeco tractum δέψω. Homerus Odyſſeae M. Κηρὸν δεψήσας μελιηδέα. Pomponius Nuptijs: Partem inſipui, concluſi, condepſui. Depſere igitur & honeſtum, & obſcenum eſſe poteſt. honeſtum eſt, apud Catonem, & Varronem; obſcenū, non agnoſcitur exemplis: ſed hic ſufficere uidetur Ciceronis locus; cum ait: Iam non etiam obſcena uerba pro obſcenis ſunt. Batuit, inquit, impudenter: depſit, multo impudentius. Praeterea uidetur Catullus dixiſſe, Patrui perdepſuit ipſam Vxorem: non, Perdeſpuit. quem locum Ioſephus Scaliger, ſummo adoleſcens ingenio, dignus plane Iulio Caeſare patre filius, emendauit. Eſt autem multo impudentius, depſere, quam batuere: quia turpius eſt, ſubigere, quam inſilire. batuit enim, ideſt inſilit, qui rem Veneream habere uult: depſit uero, ideſt ſubigit, ἀπὸ τοῦ δεψεῖν, qui libidinem ipſam exercet. STVLTORVM *plena ſunt omnia.*} dicitur hoc ex perſona Stoicorum, ut illud ſupra: Vides igitur nihil eſſe, niſi ineptias; turpitudinem nec in uerbo eſſe, nec in re, itaque nuſquam eſſe. Infra uero, ut oſtendat Cicero, ſe non ea dixiſſe, quae ipſe probet, ſed ea, quae Stoici ſentiant, Habes, inquit, ſcholam Stoicam. Ineptias igitur, & ſtultitiam Stoici putabant, ſi quis uerecundiam in loquendo ſeruaret, cum nec in uerbis, nec in rebus turpitudo eſſe uideretur, ſed eſſet rerum omnium ἀδιαφορία quaedam. ALIO *loco*} cum loquimur de teſtibus uirilibus. NON *nimis.*} etſi, nimium, non probatur: tamen, non nimis, non pro eo ponitur, quod infra nimium ſtatim eſt, quod eſt multum, uerum pro eo, quod a nimio longe diſtat; ideſt pro parum. ſic in Diuinatione in Verrem: Statuere debetis, Q. Caecilium non nimis hanc cauſſam ſeuere, non nimis accurate, non nimis diligenter acturum. COLEI *Lanuuini,*} familia Lanuuina, ſic appellata, uel familiae cognomen. CLITERNINI *non honeſti.*} quia familia Coleorum ibi non eſt: & ideo, Cliterninos coleos qui dicit, non familiam, ſed teſtes uiriles dicit. Vtrique autem populi, Lanuuini, & Cliternini, ſunt in Latio. Coleorum uocabulo uſus eſt Laberius, apud Nonium. SVPPEDIT, *flagitium eſt:*} quia, cum deducatur a pedo, ſignificat, crepitum uentris emittere. NON *reprehendes.*} quia ualetudinis gratia itur ad balneum: et ideo, in balneo pedere, flagitium non eſt. HABES *ſcholam Stoicam.*} quae a Stoicis in ſchola diſputantur. Ὁ σοφὸς ὁ εὐθυρρήμων ἔσῃ.} ſapiens recte loqueris. opinor contra ſcholam Stoicam hoc eſſe. ut dixerit Cicero: Stoici ſuperiora illa diſputant: mihi autem hoc uidetur, ſapientem ita loqui debere, ut obſcenitatem uitet: quod ego facio, Platonis uerecundiam ſeruans. EX *uno uerbo tuo?*} quia Papirius in epiſtola ſua mentulam nominarat, ex eo uerbo occaſionem exponendae Stoicorum ſententiae de libertate loquendi Cicero ſumpſit. ADVERSVS. ME} leuius eſt, quam contra. nam, contra, nocendi uoluntatem oſtendit: aduerſus, interdum eſt ſine cōtraria, uel etiam cum bona uoluntate. Ad Att. ep.3. lib.x. Vnum te puto minus blandum eſſe, quam me: aut, ſi uterque noſtrum eſt aliquando aduerſus aliquem, inter nos certe numquam ſumus. Terentius in Andr. Id gratum fuiſſe aduerſum te, habeo gratiam. Quod ait Donatus eſſe, penes te. Et illud eiuſdem in eadem fabula: Opus eſt aut hunc cum ipſa, aut me aliquid de illa aduerſum hunc loqui: Aduerſum pro apud eſſe poſitum, idem Donatus opinatur. AVDERE,} & hoc indicat, Ciceroni non placere libertatem loquendi. quod ſequentibus quoque uerbis declaratur. PLATONIS *uerecundiam.*} quam ſuis in ſcriptis Plato ſeruauit. ETIAM *crepitus*} non modo uerba. HONOREM} habere uolui. KALENDIS *Martijs.*} quem praecipue diem matronas, Iunoni dicatum, cum religione coluiſſe, lib.ſat.I. ſcripſit Macrobius. Hinc Plautus in Milite: Da mihi uir, Kalendis quae mittam, cum Martiae uenerint. quem uerſum ſine cauſſa immutarunt poſtea impreſſores tranſalpini, hoc modo: Da mi uir Kalendis meam quod matrem iuuerit. Ouidius Faſt. lib.III. & Seruius in Virg.lib.IIX. cur Kalendas Martias matronae colerent, cauſſam exponunt.

---

# Argumentum ep. 23.

*PRaenunciat Paeto aduentum ſuum: quamquam enim audierit eum pedibus laborare, ſe tamen putare ait, cocum illius articulari morbo non impediri, quo minus cenam poſſit apparare. Caeſare tertiū, & Lepido cos.*

## *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 23.

HERI *ueni in Cumanum: cras ad te fortaſſe: ſed, cum certum ſciam, faciam te paullo ante certiorem. etſi M. Ceparius, cum mihi in ſilua Gallinaria obuiam ueniſſet; quaeſiſſemque, quid ageres; dixit te in lecto eſſe, quod ex pedibus laborares. tuli ſcilicet moleſte, ut debui: ſed tamen conſtitui ad te uenire; ut & uiderem te, & uiſerem, & cenarem etiam. non enim arbitror cocum etiam te arthriticum habere. exſpecta igitur hoſpitem cum minime edacem, tum inimicum cenis ſumptuoſis. Vale.*

EXPLA-

## EXPLANATIO

Cvm *certum ſciam*,} de die. nam ire omnino conſtituerat: ut infra. Silva *Gallinaria*} Varro lib.iii. de re ruſt. Silua, inquit, Gallinaria, a gallinis ruſticis dicta, eſt in mari Tuſco, ſecundum Italiam contra montes Liguſticos. Et Strabo lib.v. Ex *pedibus laborares*.} quae podagra dicitur: chiragra uero, cum ex manibus laboramus. Pedum doloribus affici, ep.19.lib.vi. Et *uiderem te, & uiſerem*,} uiſerem, dixit, uel quia Paetus aegrotabat, uel quia domum crebro ad eum ire Cicero uolebat, ut apud eum cenaret. Arthriticvm} articulis ita laborantem, ut cenam apparare non poſsit.

# Argumentum ep. 24.

*Rufum, a Paeto commendatum, ait ſibi curae etiam atque etiam fore: deinde monet, ut omnino ad cenas & conuictum amicorum redeat: cōcludit, rep. ſibi nihil eſſe carius. Poſt Caeſaris necem, Hirtio, & Panſa cos.*

## *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 24.

Rvfvm *iſtum, amicum tuum, de quo iterum iam ad me ſcribis, adiuuarem quantum poſſem, etiam ſi ab eo laeſus eſſem, cum te tantopere uiderem eius cauſſa laborare: cum uero & ex tuis litteris, & illius ad me miſſis, intelligam, & iudicem, magnae curae ei ſalutem meam fuiſſe; non poſſum ei non amicus eſſe, neque ſolum tua commendatione, quae apud me, ut debet, ualet plurimum, ſed etiam uoluntate, ac iudicio meo. uolo enim te ſcire, mi Paete, initium mihi ſuſpicionis, & cautionis, & diligentiae fuiſſe litteras tuas: quibus litteris congruentes fuerunt aliae poſtea multorum. nam & Aquini, & Fabrateriae conſilia ſunt inita de me, quae te uideo inaudiſſe: &, quaſi diuinarent, quam his moleſtus eſſem futurus, nihil aliud egerunt, niſi, me ut opprimerent. quod ego non ſuſpicans, incautior fuiſſem, niſi a te admonitus eſſem. Quamobrem iſte tuus amicus apud me commendatione non eget. utinam ea fortuna reip. ſit, ut ille me quamgratiſſimum poſſit cognoſcere. Sed haec hactenus. Te ad cenas itare deſiſſe, moleſte fero. magna enim te delectatione, & uoluptate priuaſti: deinde etiam uereor, (licet enim uerum dicere) ne neſcio quid illud, quod ſolebas, dediſcas, & obliſcare cenulas facere. nam ſi tum, cum habebas quos imitarere, non multum proficiebas; quid nunc te facturum putem? Spurina quidem, cum ei rem demonſtraſſem, & uitam tuam ſuperiorem expoſuiſſem; magnum periculum ſummae reip. demonſtrabat, niſi ad ſuperiorem conſuetudinem tum, cum fauonius flaret, reuertiſſes: hoc tempore ferri poſſe; ſi forte tu frigus ferre non poſſes. Sed mehercule, mi Paete, extra iocum, moneo te, quod pertinere ad beate uiuendum arbitror, ut cum uiris bonis, iucundis, amantibus tui uiuas. nihil eſt aptius uitae, nihil ad beate uiuendum accommodatius. nec id ad uoluptatem refero, ſed ad communitatem uitae, atque uictus, remiſſionemq. animorum, quae maxime ſermone efficitur familiari, qui eſt in conuiuijs dulciſſimus: ut ſapientius noſtri, quam Graeci: illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id eſt compotationes, aut concenationes: nos conuiuia; quod tum maxime ſimul uiuitur. Vides, ut te philoſophando reuocare coner ad cenas? Cura ut ualeas: id, foris cenando, facillime conſequere. Sed caue, ſi me amas, exiſtimes me, quod iocoſius ſcribam, abieciſſe curam reip. ſic tibi mi Paete perſuade, me dies, & noctes nihil aliud agere, nihil curare, niſi ut mei ciues ſalui, liberiq. ſint. nullum locum praetermitto monendi, agendi, prouidendi. hoc denique animo ſum, ut, ſi in hac cura, atque adminiſtratione uita mihi ponenda ſit, praeclare actum mecum putem. Etiam atque etiam uale.*

## EXPLANATIO

Magnae *curae ei ſalutem meam fuiſſe;*} quia conſilia de opprimendo Cicerone inita Rufus ad Paetum detulit, Paetus ad Ciceronem ſcripſit. Vt *debet, ualet plurimum*,} ſic ep.19. lib. 2. Aqvini,} opidum eſt in Latio. Fabrateriae} in Campania. Priſcianus lib.2. In tertia deſinentia ſimiliter faciunt, Fabrateria Fabraternus. Consilia *ſunt inita*} ab Antonio. De.me,} opprimendo. Inavdisse:} inaudimus occulta. Cicero Panſae: Quorum erupit illa uox, de qua ego ex te primum inaudieram. Et Plautus in Aul. Credo ego iam illum inaudiſſe, mihi eſſe theſaurum domi. Molestvs} acerbiſsimis enim, quae exſtant, orationibus Antonium inſectatus eſt. Ea. fortvna *reip. ſit*,} occiſo enim Caeſare, nondum tamen ſuum ius reſp. recuperauerat. ep.1. lib.xii. Itare *deſiſſe*,} propter frigus. Qvod *ſolebas*,} amicos ad cenam inuitare. Cvm *habebas quos imitarere*,} uiuo Caeſare, cum Hirtius, & Dolabella cenas darent. ep.16. Non *multum proficiebas*;} quia illorum cenae copioſae, tuae pertenues erant. Spvrina} Veſtriciae gentis, ut lib. xiix. auctor eſt Tacitus. haruſpex fuit, qui futura praediceret. hic Caeſarem monuit, ut caueret idus

ret idus Martias, quibus poſtea eſt interfectus. Suetonius. MAGNVM *periculum ſummae reip.*} iocus eſt. AD *ſuperiorem conſuetudinem*} itandi ad cenas. CVM *fauonius flaret*,} qui flare incipit ineunte uere. FRIGVS} quod quia ferre non potes, ideo ad cenas itare deſiiſti. FERRE} luſit in uerborum ſimilitudine, Ferri, & Ferre. CVM *uiris bonis, iucundis, amantibus tui*} ſic locutus ep. 21. lib. v. COMMVNITATEM} ut ſimul uiuatur, animuſq. remittatur ſermone familiari. Placet alijs, Comitatem: ſed libri ueteres aduerſantur omnes. PHILOSOPHANDO} ab eo loco, Nihil eſt aptius uitae. AD. CENAS?} non ut cenas ipſe des, ſed ut apud alios cenes. Subiungit enim: Cura ut ualeas: id, foris cenitando, facillime conſequere. VT. MEI *ciues ſalui, liberiq. ſint.*} ſcriptam eſſe epiſtolam poſt Caeſaris necem, ex hoc loco intelligitur. MONENDI, *agendi, prouidendi.*} quae tria poſtulantur ab optimo ciue. VITA. MIHI *ponenda ſit*,} quod accidit. iuſſu enim Antonij trium uiri ob remp. recte adminiſtratam eſt interfectus. PRAECLARE *actum mecum putem.*} non peſsime actum, dixit Sulpicius ep. 5. lib. IV. praeclare autem agi cum eo, ueteres dicebant, qui fortuna uteretur optima.

---

## Argumentum ep. 25.

*Hanc epiſtolam ſcripſit ante bellum ciuile. cum Ciliciam proconſul adminiſtraret. Iocans in eo cauillatur, quia ſibi Papirius praecepta de re militari litteris tradiderat. Commendat M. Fabium, eum, quem Coelio ep. 14. lib. 2. commendauit. L. Paullo, C. Marcello cos.*

### *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 25.

SVMMVM *me ducem litterae tuae reddidere. plane neſciebam te tam peritum eſſe rei militaris. Pyrrhi te libros, & Cineae uideo lectitaſſe. itaque obtemperare cogito praeceptis tuis, hoc amplius, nauicularum habere aliquid in ora maritima. contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inueniri poſſe. Sed quid ludimus? neſcis, quo cum imperatore tibi negotium ſit.* Κύρου παιδείαν, *quam contriueram legendo, totam in hoc imperio explicaui. Sed iocabimur alias coram, &, ut ſpero, breui: nunc ades ad imperandum, uel ad parendum potius: ſic enim antiqui loquebantur. Cum M. Fabio, quod ſcire te arbitror, ſummus mihi eſt uſus: ualdeq. eum diligo cum propter ſummam probitatem eius, ac ſingularem modeſtiam, tum quod in ijs controuerſijs, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis, optima opera eius uti ſoleo. is cum ad me Laodiceam ueniſſet; mecumq. eum ego eſſe uellem, repente percuſſus eſt atrociſſimis litteris; in quibus ſcriptum erat, fundum Herculanenſem a Q. Fabio fratre proſcriptum eſſe, qui fundus cum eo communis eſſet. id M. Fabius pergrauiter tulit; exiſtimauitque, fratrem ſuum, hominem non ſapientem, impulſu inimicorum ſuorum eo progreſſum eſſe. nunc, ſi me amas, mi Paete, negotium totum ſuſcipe, moleſtia Fabium libera. auctoritate tua nobis opus eſt, & conſilio, & etiam gratia. noli pati litigare fratres, & iudicijs turpibus conflictari. Mathonem, & Pollionem inimicos habet Fabius. quid multa? non mehercule tam perſcribere poſſum, quam mihi gratum feceris, ſi otioſum Fabium reddideris. id ille in te poſitum eſſe putat, mihiq. perſuadet. Vale.*

## EXPLANATIO

SVMMVM *me ducem*} ironia. PYRRHI *libros, & Cineae*} Pyrrhus Epirotarum rex fuit, Cineas eius legatus. utrumque ſcripſiſſe libros de re militari, ex Plutarcho, & Aeliano perſpicuum fit. MELIOREM} iocus. equites enim contra naues nihil poſſunt. Κύρου παιδείαν,} inſtitutionem Cyri, Perſarum regis, quam octo libris Xenophon expoſuit, non ad hiſtoriae fidem, ut ait Cicero in epiſtola ad Quinctum fratrem, ſed ad effigiem iuſti imperij: itaque perpetuam in illo felicitatem fingit, mortemq. tranquilliſsimam, & omnis expertem doloris, ac moleſtiae: cum Herodotus contra, & Iuſtinus, interfectum a Tomyri, Scytharum regina, cum ducentis Perſarum millibus, memoriae prodiderint. Scripſit autem hos libros commotus duobus primis Platonis libris de optimo ſtatu reip. qua de re ſic Gellius lib. XIV. cap. 3. Xenophon inclyto illi operi Platonis, quod de optimo ſtatu reip. ciuitatiſq. adminiſtrandae ſcriptum eſt, lectis ex eo duobus fere libris, qui primi in uulgus exierant, oppoſuit contra, conſcripſitq. diuerſum regiae adminiſtrationis genus, quod, παιδία κύρου, inſcriptum eſt. IN. HOC. IMPERIO} in Cilicia adminiſtranda. EXPLICAVI.} reipſa ſum exſecutus. BREVI:} non igitur eo anno, quo in prouinciam iuit, ideſt Sulpicio & Marcello cos. hanc epiſtolam ſcripſit, ſed ſequenti, Paullo & Marcello cos. cum iam de diſceſſu cogitaret. ADES *ad imperandum, uel ad parendum potius: ſic enim antiqui loquebantur.*} ſcripta ueterum interiere, in quibus hic loquendi modus crebrior fuit. unius igitur Salluſtij utemur teſtimonio. Iugurtha, inquit, ubi armis, uiriſque, & pecunia ſpoliatus eſt, cum

ad imperandum Tiſdrum uocaretur, rurſus coepit flectere animum ſuum. Ad imperandum, ideſt ut ei imperaretur, ad parendum: quod Cicero ſubiunxit. Hunc loquendi modum & Seruius agnouit in illo Virgilij uerſu: Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Cantando, inquit, dum incantatur. CONTROVERSIIS,} diſputationibus de ſummo bono, in quibus Academici, quorum ſectam Cicero probabat, uehementer ab Epicureis diſſentiebant. TVIS} Epicureus igitur Paetus. COMBIBONIBVS} compotoribus. OPTIMA. OPERA} ualebat enim Fabius ingenio plurimum, & doctrina. ep. 14. lib. 2. PERCVSSVS. EST} ep. 8. ad Att. lib. XIV. Percuſſit animum. Terentius: Percuſſit illico animum. PROSCRIPTVM} ut uenderetur. NON. SAPIENTEM,} pro ſtultum, modeſte dictum. Similiter ep. 14. lib. XII. Ab hominibus non inſulſis. SVORVM} Mathonis, & Pollionis, qui nominantur infra. MATHONEM, *& Pollionem*} Matho, Pomponiae gentis; Pollio, Aſiniae cognomen. Pollionis epiſtolae tres leguntur lib. x.

---

# Argumentum ep.ult.

*DEſcriptio, & excuſatio cenae hilarioris, praeſertim accumbente Cytheride meretrice. Iiſdem conſulibus.*

## *Cicero S. D. Papirio Paeto.* 26.

ACCVBVERAM *hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaraui. dices, ubi? apud Volumnium Eutrapelum: & quidem ſupra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. miraris tam exhilaratam eſſe ſeruitutem noſtram? quid ergo faciam? te conſulo, qui philoſophum audis. angar? excruciem ne me? quid aſſequar? deinde, quem ad finem? uiuas, inquis, in litteris. an quidquam me aliud agere cenſes? haud poſſem uiuere, niſi in litteris uiuerem: ſed eſt earum etiam non ſatietas, ſed quidam modus. a quibus cum diſceſſi, etſi minimum mihi eſt in cena, quod tu unum ζήτημα Dioni philoſopho poſuiſti: tamen, quid potius faciam, prius, quam me dormitum conferam, non reperio. Audi reliqua. Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. in eo igitur, inquis, conuiuio Cicero ille, Quem adſpectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua? non mehercule ſuſpicatus ſum illam affore: ſed tamen nec Ariſtippus quidem ille Socracitus erubuit; cum eſſet obiectum, habere eum Laida: habeo, inquit, non habeor a Laide. Graece hoc melius. tu, ſi uoles, interpretabere. me uero nihil iſtorum ne iuuenem quidem mouit umquam, ne nunc ſenem. conuiuio delector. ibi loquor aliquid, quod in ſolum, ut dicitur: & gemitum & in riſus maximos transfero. an tu id melius, qui etiam in philoſophum irriſeris; cum ille, ſi quis quid quaereret, dixiſſet, cenam te quaerere a mane dixeris? ille Baro te putabat quaeſiturum, unum caelum eßet, an innumerabilia. quid ad te? at hercule cena numquid ad te? tibi praeſertim? Sic igitur uiuitur: quotidie aliquid legitur, aut ſcribitur: deinde, ne amicis nihil tribuamus, epulamur una non modo non contra legem, ſi ulla nunc lex eſt, ſed etiam intra legem, & quidem aliquanto. quare nihil eſt, quod aduentum noſtrum extimeſcas. non multi cibi hoſpitem accipies, multi ioci. Vale.*

## EXPLANATIO

ACCVBVERAM *hora nona,*} qua ueteres cenare conſueuere. unde Martialis: Incipit exſtructos frangere nona thoros. HARVM} litterarum: quas deinde, cum domum redijſſem, ex codicillis in chartam tranſlatas ad te mitterem. IN *codicillis*} ceratis tabulis: in quibus primum eſſe ſcribi ſolitum, oſtendit illud Varronis. apud Cariſium, Oſſe ſcribebant: & Titinij: Velim ego oſſe arare campum cereum: ideſt, ceratas codicillorum tabellas. Poſtea commodior ſtyli aenei eſt uſus inductus. Codicillorum uſus antiquiſsimus fuit, iam ante chartam inuentam: itaque ſcripſit Homerus Il. lib. VI. Bellerophonti in Lycia codicillos eſſe datos. quo argumento, nondum eo tempore inuentam eſſe chartam, Plinius lib. XIII. cap. 13. probare conatur. Codicilli autem, dicti a caudicibus, id eſt arborum libris: plures enim ligneae tabellae, glutino iungebantur, item ut iunguntur hodie noſtrates libri. Sed ante, quam in arborum libris, palmarum in folijs eſſe ſcriptum, idem Plinius auctor eſt eodem libro, cap. XI. & haec ſubiungit: Publica poſtea monumenta plumbeis uoluminibus, mox & priuata linteis confici coepta, aut ceris. pugillarium enim uſum fuiſſe etiam ante Troiana tempora, inuenimus apud Homerum. Quibus uerbis pugillaria ſignificat codicillos eſſe, ideſt, tabellas cera illitas, in quibus pungendo, unde pugillarium nomen, ſtylo impreſſo ſcriberetur. Verum, etſi ante chartam fuere, poſt eandem tamen inuentam manſere Codicilli, commodi ſcilicet cauſſa: quoniam, ubi charta, & atramentum non adeſſet, ut in itinere, in cena, in ſenatu, codicilli, ſtylo ſcripti, mittebantur. itaque ep. 18. lib. VI. Quaeſiui, inquit, e Balbo per codicillos, quid eſſet in lege. Et Sulpicius ep. 12. lib. IV. Puer Acidini mihi obuiam uenit cum codicillis. Interdum ipſi codicilli non mittebantur, ſed ſcribebatur in ijs, quod in chartam deinde tranſlatum mitteretur. propterea, Harum exemplum in codicillis exaraui, ait Cicero. EXARAVI.} raptim ſcripſi. non enim, Exarare, ualet, ſimpliciter ſcribere: quod nonnullos opinari, eorum ſcripta declarant. ep. 20. lib. XII.

lib. XII. APVD. VOLVMNIVM} Cenare cum aliquo, & apud aliquem, hoc differunt, quod, qui cum aliquo cenat, non eius domi neceſſario cenat, ſed interdum alibi; qui uero apud aliquem, non cum eo ſemper, ſed interdum etiam ſine eo, licet eius domi. EVTRAPELVM:} ita uocatum a feſtiuitate, & lepore. ep. 32. lib. VII. SVPRA *me Atticus, infra Verrius,*} Atticus a dextra, Verrius a ſiniſtra. Locus honoratior in lecto erat medius: quem Cicero, uir conſularis, merito obtinuit; ſecundus, ſuperior, Attici; tertius, inferior, Verrij. propterea ſuper Germanicum Piſo diſcubuit, ut lib. III. ſcripſit Tacitus: & Didoni reginae medium locum Virgilius aſsignauit, Aeneae ſuperiorem, Achati, uel Ilioneo inferiorem:

Cum uenit, aulaeis iam ſe regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda, mediamq. locauit.

de ſuperiore autem Aeneae loco:

Inde toro pater Aeneas ſic orſus ab alto.

Et Plautus in Moſt. Non omnes poſſunt olere unguenta exotica, Sicut tu ſoles, neque ſuperior accumbere. Et in Stic. Haud poſtulo equidem ſummo in lecto accumbere. Et in Per. Accumbe in ſummo. Quartus locus, imus dicebatur: de quo Horatius, Secutis omnibus imis. in eo Volumnium ipſum, conuiuij dominum, cum Cytheride accubuiſſe arbitror, non in lecto ſeparato, & proprio. Sciendum, quod Plutarchus ἐν τῷ συμποσιακῶν α ſcriptum reliquit, conſulem non medio loco, qui ceteris ciuibus, ubi quis dignitate praeſtaret, aſsignabatur, ſed ultimo medij lecti ſolitum accumbere, non modo propter eam cauſſam, ne reges uideretur imitari, quorum actiones omnes, ac mores libera ciuitas oderat, ſed ut audire, imperare, ſubſcribere, ſcribam, miniſtrum, cuſtodem corporis, nuncium ab exercitu uenientem admittere, colloqui, interrogare, neque ſuo, neque cuiuſquam conuiuae impedimento, poſſet. ſecundus enim lectus primo a ſuperiore parte cohaerebat, ab inferiore autem, ubi conſul accumbebat, modico interuallo ſeiunctus erat a tertio, ut ad ea, quae dixi, peragenda uacuum locum haberet conſul. Hunc morem, Plutarchi teſtimonio, oſtendendum exiſtimaui, ne quis crederet, aut medium locum medij lecti (tres enim in triclinio lecti erant) ſemper honoratiorem reliquis fuiſſe; quod haec maxime Ciceronis epiſtola declarat; aut ultimum eiuſdem lecti locum; quod Plutarchus docet. diſtinctio enim diuerſam Ciceronis & Plutarchi doctrinam conciliat: ut medius quidem locus tertij lecti, ſi priuati ciues accumberent, eſſet reliquis honoratior; ſin conſul adeſſet, ultimus. Verrium eſſe illum opinor, quem Varro iuris pontificij peritiſsimum ſcripſit fuiſſe, patronum eius Verrij, quem Feſtus mutilauit. SERVITVTEM *noſtram?*} ſic ueteres aliquot libri, non, Seueritatem: idq. puto recte. ſeruitus enim per ſe triſtis: re autem nulla magis, quam conuiuio, exhilaratur. PHILOSOPHVM} Dionem, cuius conſuetudine Paetus utebatur. infra. HAVD *poſſem uiuere,*} ſic libri quattuor antiqui: reliqui omnes, Aut. utroque modo recte. quamquam, Haud, &, Aut, poſſunt idem eſſe: cum ueteres quandoque, Aut pro Haud ſcripſerint. ETSI *minimum mihi eſt in cena,*} etſi minime cenam curo. Fortaſſe iocus eſt ex ambiguo quaeſitus. poteſt enim & hoc dici, Minimi cenam facio: & hoc, Minimum eſt quod cenem. ideo ſequitur, Quod tu unum ζήτημα Dioni philoſopho poſuiſti: quia Paetus id fortaſſe quaeſierat a philoſopho, quantum illi eſſet in cena; eodem ambiguo ſupra dicto. QVID *potius faciam,*} quam ut cum amicis cenem. CYTHERIS} Volumnij liberta, & amica. quam poſtea dilexit Cornelius Gallus poeta, & poſt eum M. Antonius: de quo Virgilius, Tua, Galle, Lychoris Perq. niues alium, perq. horrida caſtra ſecuta eſt. Lychoris enim a Virgilio, ficto nomine, uocatur. & in eo loco, tres fuiſſe nobiles meretrices, eaſdemq. mimas, ait Seruius, Cytheridem, Originem, Arbuſculam. Cytheridem nominat etiam Cicero in ep. 8. lib. X. ad Att. & in Phil. 2. Plinius lib. IIX. cap. 16. Plutarchus in Antonio. Eadem honeſtiore nomine, Phil. 2. Volumnia dicta, quod Volumnij liberta. Originem Horatius appellat:

Vt quondam Marſaeus amator Originis ille,
Qui patrium mimae donat fundumq. laremq.

De Arbuſcula idem:

— Satis eſt, equitem mihi plaudere: ut audax,
Contemptis alijs, exploſa Arbuſcula dixit:

Et Cicero ep. 15. ad Att. lib. IV. Quaeris nunc de Arbuſcula: ualde placuit. ACCVBVIT.} quia meretrix: nam, ut dixi, honeſtae ſedebant. QVEM *adſpectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua?*} opinor, Ennij uerſum eſſe ex Tragoedia Telamone, quam Feſtus, Nonius, & Diomedes nominant. integra ſententia cognoſcitur apud Ciceronem Tuſc. III. nam in Telamone, patria pulſo, exſulante, atque egente, hanc admirationem ait eſſe factam:

Hiccine Telamon ille eſt, modo quem gloria ad caelum extulit,
Quem adſpectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua?

Trochaici catalectici ſunt. Ob os, pro, Ad os, ait Feſtus. Cicero pro Poſtumo: Ob oculos mihi ſaepe mors uerſata eſt. Plautus in Mil. Experior ob os caliginem prius mihi obtigiſſe. NEC *Ariſtippus quidem ille Sacraticus erubuit,*} ſic tres ueteres libri: octo autem, Ariſtippus quidem ille Socraticus non erubuit. utroque modo recte. nam, quod alij, Germanos ſecuti, maluerunt, Ne Ariſtippus quidem ille Socraticus erubuit: diſcedunt ab antiquis libris: in quibus, Ne, non reperitur. Quod autem, nullos ueteres libros habere, Non erubuit, ijdem dicunt: mirari non ſatis poſſum; cum in octo, ut iam diximus, ita legatur. LAIDA:} ſcortum nobile, paucorum hominum, magno pretio conſuetudinem illius ementium. uide Gellium lib. I. cap. 8. Lactantium lib. III. cap. 15. Laertium in Ariſtippi uita, Athenaeum lib. XII. & XIII. Clementem Alex. Strom. 2. GRAECE *hoc melius.*} Ariſtippi Graeca uerba ſunt, Ἔχω, καὶ οὐκ ἔχομαι: quae recitat Athenaeus: uel, ut ait Clemens, Ἔχω Λαΐδα, καὶ οὐκ ἔχομαι ὑπ' αὐτῆς. quod Ciceroni Graece melius uidetur, quam Latine, non quia Graece dicatur

breuius: aeque enim breuiter Latine dicitur: ſed quia uerbum Ἔχω quiddam amplius, quam, Habeo, ſignificat. eſt enim tangere, & haerere: quod referri ad concubitum poteſt. ideo ſubiunxit Cicero: Tu, ſi uoles, interpretabere: cum uitaret ipſe obſcenitatem ſententiae, uel etiam Latine eam exprimere cum non poſſet: quod fatetur aperte, cum ait: Graece hoc melius. NE. NVNC *ſenem*.} Sic locutus eſt Liuius lib.III. Nouam, inquit, inexpertamq. eam poteſtatem eripuere patribus noſtris: ne nunc, dulcedine ſemel capti, deſiderium ferant. Hunc Ciceronis locum unico adhuc Liuij exemplo, cum Latinorum ſcripta non omnino negligenter euoluerim, confirmare mihi licuit. Differt autem, Ne nunc, a Nedum: quia, Nedum ad omnia tempora, Ne nunc ad praeſens tantum accommodatur: & ualet, Nedum nunc. IBI *loquor, quod in ſolum, ut dicitur*:} Hoc prouerbium, Quod in ſolum uenit, uel, Quodcumque in ſolum uenit, quidlibet ſignificat, & quidquid occurrit, quidquid caſus fert: non pro ratione, aut pro recta uoluntate, ſed temere, caſu, fortuito. ductum fortaſſe a frugibus, quae ſementi non reſpondent, ſed enaſcuntur inutilia quaedam interdum, atque in ſolum ueniunt, praeter exſpectationem agricolae. hinc illud lib.I. de nat. de. Abuteris ad omnia atomorum regno, & licentia: hinc, quodcumque in ſolum uenit, ut dicitur, effingis, atque efficis. Pro, temere, & arbitratu plane tuo effingis, atque efficis, omnia. Verum aliquanto magis uim ac ſententiam huius prouerbij declarat, &, ut arbitror, comprobat opinionem noſtram Varro apud Nonium, in Satyra, Vae uictis, περὶ φιλονεικίας: in qua ſcripſit haec: Libet, me epigrammata facere. &, quoniam omnia non memini; quod in ſolum mihi uenerit, ponam. Reperiuntur & alia duo apud Nonium exempla, ſed ab ipſo ſic obſcurata, ut ea nemo adhuc potuerit agnoſcere. nam, quod erat, In ſolum uenit, Inſolum, unico uerbo, fecit, & interpretatus eſt, Inſolitum: cum uerbum, Venit, ueteris eum prouerbij admonere debuerit. exempla uideamus. Afranius Crimine: Orbitatem ſenectuti tuae malam metui: Quod in ſolum non uenit caeco, atque dementi: Ideſt: quod temere non accidit homini caeco, ac dementi. Idem Virgine: Ne ueniret, quod nunc agitur, in ſolum. Sic enim interpungo, non, ut Iunius emendator, Agitur inſolum. eſt autem ſententia: ne temere ſuccederet id, quod nunc agitur. ET. GEMITVM *& in riſus maximos transfero*.} ſic plerique ueteres libri, nec male: ut alterum, Et, ualeat Etiam: & hoc dicatur: a maeſtitia, & gemitu uel maximos ad riſus me conuerto. Omnino planius eſſet, quod in duobus legitur antiquis libris, Et genitum etiam in riſus maximos transfero. AN. TV *id melius*,} noli me reprehendere, quaſi tu melius agas: cum a riſu, & iucunditate ita non abhorreas ut etiam in philoſophum irriſeris. IN *philoſophum*} ſic libri aliquot ueteres: plerique, In, non habent. SI. QVIS *quid quaereret*,} ex inſtituto Gorgiae Leontini, qui primus eſt auſus in conuentu poſcere quaeſtionem, ideſt iubere dicere, qua de re quis uellet audire. lib.2. de Fin. in principio. A MANE} quae a mane inciperet, ideſt longiſsimam: cū ceterae nona hora incipere ſolerent: ut uel haec ipſa declarat epiſtola primis uerbis, Accubueram hora nona. BARO} octo libri ſcripti, Vero: unus, Baro: alius, Non. placet, Baro, pro, fatuus. ep. XI. ad Att. lib. V. Apud Patronem, & reliquos Barones te in maxima gratia poſui. Non diſplicet tamen eruditiſsimi uiri, Hadriani Turnebi opinio, qui legendum, Varro, exiſtimat: ut ſit nomen contumelioſum. atque ille ſuam ſententiam confirmat Lucilij uerſu, quem recitat Feſtus:

Varronum, ac rupicum ſquarroſa incondita roſtra. quo in uerſu, Varronum, probri cauſſa dictum uidetur. Ego autem locnm addo ex epiſtola D. Bruti, quo clarius aliquanto ueritas illuceſcat: Si theſauros, inquit, uarronis haberem, ſuſtinere ſumptum non poſſem. Varronem appellat M. Antonium, qui theſauros Caeſaris, ad Opis depoſitos, poſt eius necem abſtulerat. Patet igitur contumeliae uocabulum eſſe. & uetus liber meus in epiſtola illa ad Atticum, cuius teſtimonio ſum uſus, habet, Varrones, r geminata. Nec moueor, quod in quibuſdam libris hoc nomen a littera, B, non ab, V, incipiat. nam, uetres & B pro V, & uiciſsim V pro B ſcripſiſſe, teſtimonio ſunt antiqua monumenta. AN *innumerabilia*.} ex Democriti, & Epicuri ſententia: ut in Acad. de Fin. de nat. de. Caeli tamen dicitur numero multitudinis, non Caela: ſed hic Innumerabilia, reſpicit illud, Vnum caelum. CENA} quam dixiſti te a mane quaerere. NVMQVID *ad te?*} iocus: quaſi dicat: cena uero illa multo magis ad te pertinet, quam id, quod philoſophus ille te putabat eſſe quaeſiturum, num unum caelum ſit, an innumerabilia. TIBI *praeſertim?*} Tibi, non, Ibi, lego cum omnibus antiquis libris, duobus exceptis, quorum in altero eſt, Mihi: in altero, Ad te: mendoſe, niſi fallor, in utroque. Tibi praeſertim, hoc ſignificat: Cena ad te ualde pertinet, tibi praeſertim, quae daretur: quam te quaerere a mane dixiſti. CONTRA *legem*,} ſumptuariam Caeſaris. ep.15. aut ueterem legem, a Caeſare correctam. uide quae diximus ep.26. lib.VII. INTRA *legem*,} intra fines lege praeſcriptos, minore etiam ſumptu, quam qui lege definitus eſt. ALIQVANTO.} non parum. NON *multi cibi*} Minime edacem, dixit ep. 23.

IN . EPISTOLARVM

# M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . DECIMVM

AD . PLANCVM . ET . ALIOS

## PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

---

## Argumentum ep. I. lib. X.

INVEHITVR *in Antonij immoderatam potentiam: Plancum, tranſalpinam Galliam adminiſtrantem, hortatur, ut in remp. omni cogitatione, ſtudioq. incumbat: agit gratias de Furnio honorifice tractato. Antonio, & Dolabella cos.*

*Cicero S. D. L. Munatio Planco, imp. cos. des.* I.

ET ABFVI, *proficiſcens in Graeciam: &, poſtea quam de medio curſu reip. ſum uoce reuocatus, numquam per M. Antonium quietus fui: cuius tanta eſt non inſolentia, (nam id quidem uulgare uitium eſt) ſed immanitas, non modo ut uocem, ſed ne uultum quidem liberum poſſit ferre cuiuſquam. itaque mihi maximae curae eſt, non de mea quidem uita, cui ſatisfeci uel aetate, uel factis, uel, ſi quid etiam hoc ad rem pertinet, gloria: ſed me patria ſollicitat, in primisq. mi Plance exſpectatio conſulatus tui: quae ita longa eſt, ut optandum ſit, ut poſſimus ad id tempus reip. ſpiritum ducere. quae poteſt enim ſpes eſſe in ea rep. in qua hominis impotentiſſimi, atque intemperantiſſimi armis oppreſſa ſunt omnia? & in qua nec ſenatus, nec populus uim habet ullam? nec leges ullae ſunt, nec iudicia, nec omnino ſimulacrum aliquod, aut ueſtigium ciuitatis? Sed, quando acta omnia mitti ad te arbitrabar; nihil erat, quod ſingulis de rebus ſcriberem. Illud autem erat amoris mei, quem a tua pueritia ſuſceptum non ſeruaui ſolum, ſed etiam auxi; monere te, atque hortari, ut in remp. omni cogitatione, curaq. incumberes. quae ſi ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio eſt: ut perducatur autem, magnae tum diligentiae eſt, tum etiam fortunae. ſed & te aliquanto ante, ut ſpero, habebimus: &, praeterquam quod reip. conſulere debemus, tamen tuae dignitati ita fauemus, ut omne noſtrum conſilium,*

*ſilium, ſtudium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus. ita facillime & reip. quae mihi cariſſima eſt, & amicitiae noſtrae, quam ſanctiſſime nobis colendam puto, me intelligo ſatisfactu rum. Furnium noſtrum tanti a te fieri, quantum ipſius humanitas, & dignitas poſtulat, nec miror, & gaudeo: teq. hoc exiſtimare uolo, quidquid in eum iudicij, officijq. contuleris, id ita me accipere, ut in me ipſum te putem contuliſſe. Vale.*

## EXPLANATIO

L. MVNATIO. PLANCO} frater hic fuit, auctore Pediano, T. Planci Burſae, qui cum Cicerone inimicitias geſsit, ut ep.2.lib.VII. conſulatum geſsit cum M. Lepido, anno urbis DCCXI. IMP.} dixi iam, imperatores omnes dici ſolitos, qui exercitibus praeeſſent: uerum hoc nomine in litterarum inſcriptione ij tantum ornabantur, quos milites ipſi poſt aliquam uictoriam imperatores appellabant. ep.10.lib.2. Victoria iuſta imperator appellatus apud Iſſum. COS. DES.} Caeſar, ad bellum Parthicum profecturus, magiſtratus deſignauit in triennium, ut ait Dio lib. XLIII. in ijs conſules deſignati ſunt L. Plancus, & D. Brutus: quorum Brutus, lege Pedia damnatus, & mox interfectus, conſulatum non geſsit: Plancus, deſtituta rep. cum ad Antonium tranſiſſet, conſul cum M. Lepido fuit, in locum Bruti ſuffecto. ET. ABFVI,} incipientium a copula, Et, epiſtolarum habemus exempla quattuor, praeter hoc, quae mihi quidem nunc occurrant, unum ep.62. lib. XIII. alterum ep. ult. eiuſdem libri, tertium ep. 9. lib. I. ad Att. & ep.7. lib. X. ad eundem. PROFICISCENS *in Graeciam*:} deſperata libertate, Antonio conſule poſt Caeſaris necem, pro ſua libidine cuncta adminiſtrante. uide ep. 25. lib. XII. & Philipp. I. DE *medio curſu*} cur non ita legam, cum & ita ſcriptum uideam in uetere libro, & hiſtoria ſuffragetur? nam in epiſtola ad M. Brutum, In medio, inquit, Achaico curſu, cum Eteſiarum diebus auſter me in Italiam retuliſſet. Et lib. III. Off. Si ipſe ueniſſem Athenas; quod quidem eſſet factum, niſi me de medio curſu clara uoce patria reuocaſſet. NVMQVAM *per M. Antonium quietus fui*:} ep. 28. & lib. XII. ep. 4. 22. & in Philippicis: ut Plutarchi, Appiani, Dionis, aliorumq. teſtimonia omittantur. AETATE,} annos iam natus erat LXII. perijt enim quo anno Hirtius, & Panſa conſules fuere, natus Serrano, & Caepione cos. FACTIS,} maxime quidem oppreſſa coniuratione Catilinae. ITA *longa eſt*,} hoc anno conſules erant Antonius, & Dolabella, interfecto idibus Martijs Caeſare, cuius locum Dolabella occupauit. his anno ſequenti ſucceſſuri erant Hirtius, & Panſa, Hirtio, & Panſae Plancus, & D. Brutus. propterea dicit, Ita longa eſt, anno integro interpoſito. SPIRITVM *ducere*.} quod Cicero non potuit. nam, conſpirantibus contra reip. partes Antonio, Lepido, Octauio, Cicero occiſus eſt, Planco nondum conſule. HOMINIS *impotentiſſimi*,} Antonij, qui regere animum ratione, ſibiq. imperare non poterat. ep. 27. & 9. lib. IV. NEC *ſenatus, nec populus uim habet ullam?*} Phil. I. Nihil per ſenatum, multa, & magna per populum, & abſente populo, & inuito? NEC *omnino ſimulacrum aliquod, aut ueſtigium ciuitatis?*} imaginem, aut ſignum. minus autem eſt, ueſtigium, quam ſimulacrum: nam ſimulacrum, totam rem oſtendit; ueſtigium, minimam rei partem, ex qua rem totam cogitamus magis, quam uidemus. ep.14. lib. IV. Ne ueſtigium quidem ullum eſt reliquum nobis dignitatis. ACTA} ſingulorum dierum. A. TVA *pueritia*} ep. 3. AD *tuum tempus*} ad annum conſulatus tui. PERDVCITVR,} perducta non eſt, conſpirantibus in eam Antonio, Lepido, Octauio. FORTVNAE.} propterea ueteres erexere Fortunae templa, quod eam in rebus humanis ualere plurimum arbitrabantur. ALIQVANTO *ante*,} annua prouinciae adminiſtratione confecta. FVRNIVM} Planci legatum. ep.8. NEC *miror, & gaudeo*:} auget copiam locorum ſimilium obſeruatio. Simile autem illud ep.20. Studia mea erga te, tibi tam grata eſſe, quam ego putaui fore, minime miror, uehementerq. laetor. Et ep.10. lib. III. Quae de hominum, atque ordinum omnium erga te ſtudijs ſcribis ad me, minime mihi miranda, & maxime iucunda acciderunt. Quod attinet ad duas particulas, Nec, Et: exemplum habemus ep.28. lib. XIII. Nec Lacedaemonios dubitare arbitror, quin ſatis commendati ſint fidei, & iuſtitiae tuae; & ego, &c. Item in Hortenſio: Nec in philoſophia cuiquam ceſsit, & uitae grauitate praeſtitit. Mutato autem loco, ep. I. lib. X. ad Att. Hoc, quod agimus, & turpe, nec tamen tutum. Et Phil. XI. Mihi quidem & ille perueniſſe uidetur, quoad progredi potuit feri hominis amentia: neque Antonius ullius ſupplicij adhibendi, ſi poteſtatem habeat, ullam partem eſt relicturus.

---

## Argumentum ep. 2.

*EXcuſat ſe, quod in ſenatum, augendi illius honoris gratia, non uenerit: officium autem ſuum pollicetur in ijs rebus, quae ſuam praeſentiam requirere uidebuntur. Iiſdem conſulibus.*

### *Cicero S. D. Planco imp. cos. des.* 2.

*MEVM ſtudium honori tuo pro neceſſitudine noſtra non defuiſſet, ſi aut tuto in ſenatum, aut honeſte uenire potuiſſem. ſed nec ſine periculo quiſquam, libere de rep. ſentiens, uerſari poteſt in ſumma impunitate gladiorum: nec noſtrae dignitatis uidetur eſſe, ibi ſententiam de rep. dicere, ubi me & melius, & propius audiant armati, quam ſenatores. quapropter in priuatis rebus nullum neque officium, neque ſtudium meum deſiderabis: ne in publicis quidem, ſi quid erit, in quo me intereſſe neceſſe ſit, umquam deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuae. in iȷs autem rebus, quae nihilo minus, ut ego abſim, confici poſſunt, peto a te, ut me rationem habere uelis & ſalutis, & dignitatis meae. Vale.*

## EXPLANATIO

TVTO} ep. 2. lib. XII. Intelligit populus R. tres eſſe conſulares, qui quia, quae de rep. bene ſenſerint, libere locuti ſunt, tuto in ſenatum uenire non poſsint. GLADIORVM:} Antonij militum. NEC *noſtrae dignitatis uidetur eſſe?*} Explanat uerbum, Honeſte, ſupra poſitum. PROPIVS *audiant armati,*} Phil. 2. Cur armatorum corona ſaeptus eſt? cur me tui ſatellites cum gladijs audiunt? ET SALVTIS, *& dignitatis meae.*} refertur hoc ad illud: Si aut tuto in ſenatum, aut honeſte uenire potuiſſem.

---

# Argumentum ep. 3.

*VEritus Cicero, id quod accidit, ne Plancus, relictis reip. partibus, cum Antonio ſe coniungeret, crebro illum ad tuendam remp. hortatur: & quoniam, ut eſt in ep. ult. lib.* XV. *plurimum ualet, ſi laudes eum, quem cohortere, utitur hoc artificio, eumq. ornat laudibus, & ueterem neceſſitudinem commemorat. Hirtio, & Panſa cos. ut ex Planci, quae ſequitur, epiſtolae intelligitur.*

### *Cicero S. D. Planco imp. cos. des.* 3.

*CVM ipſum Furnium per ſe uidi libentiſſime, tum hoc libentius, quod, illum audiens, te uidebar audire. nam & in re militari uirtutem, & in adminiſtranda prouincia iuſtitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam expoſuit: & praeterea mihi non ignotam in conſuetudine, & familiaritate ſuauitatem tuam adiunxit, praeterea ſummam erga ſe liberalitatem. quae omnia mihi iucunda, hoc extremum etiam gratum fuit. Ego, Plance, neceſſitudinem conſtitutam habui cum domo ueſtra ante aliquanto, quam tu natus es; amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua, confirmata iam aetate familiaritatem, cum ſtudio meo, tum iudicio tuo conſtitutam. his de cauſſis mirabiliter faueo dignitati tuae: quam mihi tecum ſtatuo eſſe communem. Omnia ſumma conſecutus es, uirtute duce, comite fortuna: eaq. es adeptus adoleſcens, multis inuidentibus, quos ingenio, induſtriaq. fregiſti. nunc me, amantiſſimum tui, nemini concedentem, qui tibi uetuſtate neceſſitudinis potior poſſit eſſe, ſi audies: omnem tibi reliquae uitae dignitatem ex optimo reip. ſtatu acquires. Scis profecto, (nihil enim te fugere potuit) fuiſſe quoddam tempus, cum homines exiſtimarent, te nimis ſeruire temporibus. quod ego quoque exiſtimarem, ſi te ea, quae patiebare, probaſſe etiam arbitrarer. ſed, cum intelligerem, quid ſentires: prudenter te arbitrabar uidere, quid poſſes. nunc alia ratio eſt omnium rerum. tuum iudicium eſt, idq. liberum. conſul es deſignatus, optima aetate, ſumma eloquentia, maxima orbitate reip. uirorum talium. incumbe, per deos immortales, in eam curam, & cogitationem, quae tibi ſummam dignitatem, & gloriam afferat. unus autem eſt, hoc praeſertim tempore, per tot annos rep. deuexata, reip. bene gerendae curſus ad gloriam. Haec amore magis impulſus ſcribenda ad te putaui, quam quo te arbitrarer monitis, & praeceptis meis egere. ſciebam enim, ex iȷſdem te haec haurire fontibus, ex quibus ipſe hauſeram. quare modum faciam. hoc tantum ſignificandum putaui, ut potius amorem tibi oſtenderem meum, quam oſtentarem prudentiam. Interea, quae ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, ſtudioſe, diligenterq. curabo. Vale.*

## EXPLANATIO

LIBERALITATEM.} non largitionem, ſed ſummam quandam humanitatem, & conſuetudinem gratificandi: ut ep. 7. lib. I. & 9. lib. V. ETIAM *gratum*} ideo diſtinguit Gratum a Iucundo,

quia Gratum illud eſt, quo gratias agere debemus, Iucundum non item. non enim gratias agere Planco ob eius uirtutem, iuſtitiam, prudentiam Cicero debebat, at ob liberalitatem in Furnium, cum eum diligeret, omnino debebat. Addidit uero, Etiam, ut oſtenderet, illud ipſum non modo gratum, ſed iucundum quoque fuiſſe. nam interdum, quae grata, eadem iucunda non ſunt, ut officium conſolandi, quod iucunditatem in re triſti afferre non poteſt, cum tamen ei, quem conſolamur, gratum ſit. locus occurrit in ep. 6. lib. IV. Cuius officia iucundiora ſcilicet ſaepe mihi fuerunt, numquam tamen gratiora. Et ep. 15. lib. V. Gratus, & optatus amor tuus: dicerem, iucundus, niſi id uerbum in omne tempus perdidiſſem. NECESSITVDINEM} maximam coniunctionem. ep. ult. lib. 2. CVM *domo ueſtra*} cum patre Planci. ep. 4. 5. & lib. XIII. ep. 29. IVDICIO *tuo*} quod iudicaret Plancus, in familiaritate Ciceronis ornamenti ſibi eſſe plurimum. FAVEO *dignitati tuae*:} ſimile illud ep. 15. lib. 2. Caeſarem honeſtum eſſe cupio. COMITE *fortuna*:} hoc explanatur infra, ep. 5. Fortuna ſuffragante uideris res maximas conſecutus. quod quamquam ſine uirtute non potuiſſes: tamen ex maxima parte ea, quae es adeptus, fortunae, temporibuſq. tribuuntur. Coniungit autem Cicero cum uirtute fortunam ep. 1. lib. XIV. Mediocri, inquit, uirtute, & mediocri fortuna opus eſt, ut cetera conſequatur. FREGISTI.} ſuperaſti. ep. 12. lib. X. NEMINI *concedentem, qui tibi uetuſtate neceſſitudinis potior poſſit eſſe*,} ſic locutus ep. 3. lib. IV. Nemini concedo, qui maiorem ex pernicie, & peſte reip. moleſtiam traxerit. Nec diſsimile illud ep. 29. Nec ijs concedo, ut te ſaluum malint, quam ego. EX . OPTIMO *reip. ſtatu*} aculeus in Planci ſuperiorem uitam; quia Caeſaris partes ſecutus erat: quod ea, quae ſtatim ſequuntur, magis declarant. NIMIS *ſeruire temporibus*.} cum Caeſarem uehementer diligere uidetur. fuerat autem legatus eius in uarijs bellis, primum Gallico, ut ſcripſit ipſe Caeſar lib. V. deinde Hiſpanienſi contra Pompeij legatos, ut idem lib. 1. de bel. ci. poſtremo in Africa, ut Hirtius memoriae prodidit. ipſe etiam ep. 24. inſignem uocat ſuam & Caeſaris amicitiam. SI . TE *ea, quae patiebare, probaſſe etiam arbitrarer.*} multa enim, quae feruntur, non probantur. ep 6. Non eſt idem, ferre, ſi quid ferendum eſt; & probare, ſi quid probandum non eſt. PRVDENTER *te arbitrabar uidere, quid poſſes.*} ita Plancum excuſat, ut eundem excitet ad remp. tuendam; cũ id poſsit, quod antea, cum uellet, non potuerit. SVMMA *eloquentia*,} fuit Plancus in oratorum numero. Propterea Pedianus T. Plancum Planci oratoris fratrem uocat. ORBITATE *reip.*} Orba ciuitas, ep. XI. lib. III. Patriam multis claris uiris orbatam, ep. 10. lib. IV. TOT *annos*} ſeptem. nam ciuile bellum Marcello & Lentulo coſ. geri coeptum eſt. VNVS *eſt reip. bene gerendae curſus ad gloriam*.} ſimilis ſententia ep. 12. Verum decus in uirtute poſitum eſt, quae maxime illuſtratur magnis in remp. meritis. HAEC *amore magis impulſus*} eadem excuſatio ep. 4. lib. 2. in extremo. EX . IISDEM *te haec haurire fontibus*;} ex ijſdem libris: quibus ad laudem praecepta traduntur. STVDIOSE, *diligenterq.*} Studium eſt animi, & uoluntatis: Diligentia uero actionem ſignificat.

## Argumentum ep. 4.

*GRatias agit Ciceroni, quod eum ad uerißimae gloriae ſtudium ſit adhortatus; & in reip. poteſtate ſe fore totum pollicetur. Hirtio, & Panſa coſ.*

### *Plancus S. D. Ciceroni.* 4.

GRATISSIMAE *mihi tuae litterae fuerunt, quas ex Furnij ſermone te ſcripſiſſe animaduerti. ego autem praeteriti temporis excuſationem affero, quod te profectum audieram, nec multo ante redijſſe ſciui, quam ex epiſtola tua cognoui. nullum enim in te officium, ne minimum quidem, ſine maxima culpa uideo poſſe praeterire. in quo tuendo habeo cauſſas plurimas, uel paternae neceſſitudinis, uel meae a pueritia obſeruantiae, uel tui erga me mutui amoris. quare, mi Cicero, quod mea, tuaq. patitur aetas, perſuade tibi te unum eſſe, in quo ego colendo patriam mihi conſtituerim ſanctitatem. omnia igitur tua conſilia mihi non magis prudentiae plena, quae ſumma eſt, uidentur, quam fidelitatis, quam ego ex mea conſcientia metior. Quare, ſi aut aliter ſentirem, certe admonitio tua me reprimere; aut, ſi dubitarem, hortatio impellere poſſet, ut id ſequerer, quod tu optimum putares: nunc uero quid eſt, quod me in aliam partem trahere poſſit? quaecumque in me bona ſunt, aut fortunae beneficio tributa, aut meo labore parta, etſi a te propter amorem carius ſunt aeſtimata, tamen uel inimiciſſimi iudicio tanta ſunt, ut, praeter bonam famam, nihil deſiderare uideantur. Quare hoc unum tibi perſuade, quantum uiribus eniti, conſilio prouidere, auctoritate mouere potuero, hoc omne reip. ſemper futurum. Non eſt ignotus mihi ſenſus tuus: neque, ſi facultas, optabilis mihi quidem, tui praeſentis eſſet, umquam a tuis conſilijs diſcreparem: nec nunc committã, ut ullum meũ factum reprehendere iure poſſis. Sum in exſpectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe Ianuario menſe geratur, ut ſciam. interim maximam hic ſollicitudinem, curamq. ſuſtineo, ne inter aliena uitia hae gentes noſtra mala ſuam putent occaſionem. quod ſi, proinde ut ipſe mereor, mihi ſucceſſerit: certe & tibi, cui maxime cupio, & omnibus uiris bonis ſatisfaciam. Fac ualeas, meq. mutuo diligas.*

## EXPLANATIO

TE SCRIPSISSE} tua manu, non amanuenſis. PROFECTVM} in Graeciam. ep. I. QVAM *ego ex mea conſcientia metior.*} quam eſſe meam in te fidelitatem ſcio, eam eſſe tuam in me arbitror. parem fidelitati meae tuam puto. QVAECVMQVE *in me bona ſunt*,} reſpondet ad illud Ciceronis: Omnia ſumma conſecutus es, uirtute duce, comite fortuna. Magiſtratus, honoreſq. ſignificantur, quos a Caeſare dominante Plancus acceperat. FORTVNAE *beneficio tributa*,} modeſtiae cauſſa priore loco fortunam, deinde ſuum laborem nominat: Cicero autem uirtutem eius primum, deinde fortunam nominarat. MEO *labore*} & in hoc uitat arrogantiam, quia laborem appellat, quam Cicero uirtutem. CARIVS *ſunt aeſtimata*,} dixerat enim Cicero, Omnia ſumma. BONAM *famam*,} hoc ad illud Ciceronis refertur: Ex optimo reip. ſtatu. quaſi dixerit, Ex peſsimo reip. ſtatu bona fama non acquiritur. REIP.} ut bonam famam conſequar: quam deſiderant ea, quae antea ſum adeptus. SENSVS *tuus*:} de rep. quam ſuſcipi a me uis. IN. GALLIA *citeriore*,} ciſalpina: cui praeerat D. Brutus, & ipſe conſul deſignatus, Mutinae incluſus, obſidente M. Antonio. IANVARIO *menſe*} uidetur hoc menſe ſcripta epiſtola. GERATVR,} a nobis conſulibus, Hirtio, & Panſa. ALIENA *uitia*} noſtra ſcilicet, dum inter nos contẽdimus. PROINDE *ut ipſe mereor*,} & Proinde, & Perinde, ueteres dicebãt, eadẽ ſignificatione. ep. 11. 31. 34. Tuſc. 11. & apud Terentium. Saepe etiam, Proinde, pro quamobrẽ, accipitur.

# Argumentum ep. 5.

*HIc quoque Plancum ad ſuſcipiendam, tuendamq. remp. gloriae ſtimulis incitat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Planco imp. cos. des.* 5.

BINAS *te accepi litteras eodem exemplo: quod ipſum argumento mihi fuit diligentiae tuae. intellexi enim te laborare, ut ad me tuae exſpectatiſſimae litterae perferrentur. ex quibus cepi fructum duplicem, mihiq. in comparatione difficilem ad iudicandum, amorem ne erga me tuum, an animum in remp. pluris aeſtimandum putarem. eſt omnino patriae caritas, meo quidem iudicio, maxima: ſed amor, uoluntatisq. coniunctio plus certe habet ſuauitatis. itaque commemoratio tua paternae neceſſitudinis, beneuolentiaeq. eius, quam erga me a pueritia contuliſſes, ceterarumq. rerum, quae ad eam ſententiam pertinebant, incredibilem mihi laetitiam attulerunt. rurſus declaratio animi tui, quem haberes de rep. quemq. habiturus eſſes, mihi erat iucundiſſima: eoq. maior erat haec laetitia, quod ad illa ſuperiora accedebat. Itaque te non hortor ſolum, mi Plance, ſed plane etiam oro; quod feci ijs litteris, quibus tu humaniſſime reſpondiſti; ut tota mente, omniq. animi impetu in remp. incumbas. nihil eſt, quod tibi maiori fructui, gloriaeq. eſſe poſſit:* NEC *quidquam ex omnibus rebus humanis eſt praeclarius, aut praeſtantius, quam de rep. bene mereri. adhuc enim patitur tua ſumma humanitas, & ſapientia, me, quod ſentiam, libere dicere. Fortuna ſuffragante, uideris res maximas conſecutus. quod quamquam ſine uirtute non potuiſſes: tamen ex maxima parte ea, quae es adeptus, fortunae, temporibusq. tribuuntur. his temporibus difficillimis, reip. quidquid ſubueneris, id erit totum, & proprium tuum. incredibile eſt omnium ciuium, latronibus exceptis, odium in Antonium. magna ſpes in te, & in tuo exercitu, magna exſpectatio. cuius, per deos, gratiae, gloriaeq. caue tempus amittas. ſic moneo, ut filium: ſic faueo, ut mihi: ſic hortor, ut & pro patria, & amiciſſimum. Vale.*

## EXPLANATIO

BINAS *litteras*} ut binae, ternae, quaternae, non duae, tres, quattuor litterae, ſic duae, tres, quattuor, non binae, ternae, quaternae, epiſtolae, dicitur. SVAVITATIS.} uere: nam iucunditas quaedam eſt in amicitia, quae non eſt eadem in propinquitate: itaque ſuauitas inter amicos maior eſt, quam inter fratres: amoris autem plus inter fratres, quam inter aequales. eodem modo patria ſuauitate cedit amicitiae, amore autem & amicitias omnes, & propinquitates etiam uincit. ex quo illud lib. 1. Off. Omnes omnium caritates una patria complectitur. PATERNAE *neceſſitudinis*,} reſpondet epiſtolae Planci. ATTVLERVNT.} ſic ueteres libri omnes: nec mutatio placet: licet hoc uerbum ad illud, Commemoratio, referri uideatur. poteſt enim Cicero ad illa omnia, quae proxime dixerat, paternam neceſsitudinem, beneuolentiam Planci, ceteraſq. res ad eam ſententiam pertinentes, hoc uerbum accommodaſſe. TOTA *mente, omniq. animi impetu*} ep. 1. Omni cogitatione, curaq. ADHVC} licet omnia ſumma ſis conſecutus. FORTVNA *ſuffragante, uideris res maximas conſecutus.*} omnia ſumma conſecutus es, uirtute duce, comite fortuna. FORTVNAE, *temporibusq.*}

quia poſſunt homines exiſtimare, ob amicitiam Caeſaris ea te eſſe conſecutum. GRATIAE,} quam, ſuſcepto reip. patrocinio, inibis apud omnes bonos. ep.19. In hoc erit ſumma & gratia, & gloria.

## Argumentum ep. 6.

*CVm Plancus, litteris ad ſenatum ſcriptis, pacem cum Antonio faciendam ſuaſiſſet; conſilium illud Cicero improbat, pacemq. armis, non pactione, quaerendam ait: ipſum autem Plancum, ut ſe a ſocietate malorum ciuium aliquando ſeiungens, totum ad remp. transferat, propoſito conſulis officio cohortatur. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Planco imp. cos. des. 6.*

*QVAE locutus eſt Furnius noſter de animo tuo in te ep. ea gratiſſima fuerunt ſenatui, populoq. R. probatiſſima. quae autem recitatae ſunt litterae in ſenatu, nequaquam conſentire cum Furnij oratione uiſae ſunt. pacis enim auctor eras; cum collega tuus, uir clariſſimus, a foediſſimis latronibus obſideretur: qui aut, poſitis armis, pacem petere debent, aut, ſi pugnantes eam poſtulant, uictoria pax, non pactione, parienda eſt. ſed de pace litterae uel Lepidi, uel tuae, quam in partem acceptae ſint, ex uiro optimo fratre tuo, & C. Furnio poteris cognoſcere. me autem impulit tui caritas, ut, quamquam nec tibi ipſi conſilium deeſſet, & fratris, Furnijq. beneuolentia, fidelisq. prudentia tibi praeſto eſſet futura, uellem tamen meae quoque auctoritatis pro plurimis noſtris neceſſitudinibus praeceptum ad te aliquod peruenire. Crede igitur mihi, Plance, omnes, quos adhuc gradus dignitatis conſecutus ſis, (es autem adeptus ampliſſimos) eos honorum uocabula habituros, non dignitatis inſignia, niſi te cum libertate populi R. & cum ſenatus auctoritate coniunxeris. ſeiunge te, quaeſo, aliquando ab ijs, cum quibus te non tuum iudicium, ſed temporum uincula coniunxerunt. complures in perturbatione reipublicae conſules dicti: quorū nemo conſularis habitus, niſi qui animo exſtitit in remp. conſulari. talem igitur te eſſe oportet, qui primum te ab impiorum ciuium, tui diſſimillimorum, ſocietate ſeiungas; deinde, te ſenatui, bonisq. omnibus auctorem, principem, ducem praebeas; poſtremo, ut pacem eſſe iudices non in armis poſitis, ſed in abiecto armorum, & ſeruitutis metu. haec ſi & ages, & ſenties: tum eris non modo conſul, & conſularis, ſed magnus etiam conſul, & conſularis. ſin aliter: tum in iſtis ampliſſimis nominibus honorum non modo dignitas nulla erit, ſed erit ſumma deformitas. Haec, impulſus beneuolentia, ſcripſi paullo ſeuerius: quae tu in experiendo, ea ratione, quae te digna eſt, uera eſſe cognoſces. XIII. Kal. Apr.*

## EXPLANATIO

FVRNIVS} Planci legatus. ep.8. NOSTER} Ciceronis amiciſsimum fuiſſe, non modo prima indicat huius libri, & 25. 26. uerum etiam quam Coelius ſcripſit lib.IIX. in qua ſunt haec de ſupplicationibus Ciceronis, amicorum ſtudio & opera impetratis: Furnius, & Lentulus, quaſi eorum res eſſet, circumierunt, & laborarunt. COLLEGA *tuus*,} D. Brutus, conſul cum Planco deſignatus. LATRONIBVS} M. Antonio, eiuſq. militibus. OBSIDERETVR:} Mutinae. ep. 11. 14. LEPIDI} ep. 27. 35. Phil. 13. Hic eſt M. Aemilius Lepidus, qui, decreta ſibi Hiſpania, in Gallia tamen adhuc, ciuilis belli, ab Antonio ſuſcitati, exitum exſpectans, morabatur. poſtea, prodita rep. triumuir cum Antonio & Octauio fuit, euertendae, non, ut aiebant ipſi, conſtituendae rep. FRATRE *tuo*,} non T. Planco Burſa, qui nominatur ep.2. lib.VII. (nam cum Antonio erat, ut in Phil.13.) ſed eo, qui appellatur ep.11. PLVRIMIS} ep.4. AMPLISSIMOS} ep.3. Omnia ſumma conſecutus es. NON *dignitatis inſignia*,} nullam enim tibi dignitatem afferent remp. non defendenti. ALIQVANDO} Caeſarianus enim fuerat Plancus. ep. 3. 4. 25. CONSVLARIS} poſt geſtum conſulatum. AVCTOREM, *principem, ducem*} augetur ſententia ſingulis uerbis. nam Auctor eſt, non qui alios ſequitur, ſed qui mouet. Princeps autem plus eſt, quam Auctor: & Dux plus, quam Princeps. EA. RATIONE,} nonnulli ueteres libri, In ea ratione. utrumque recte. Ea ratione, dixit, pro, eo modo, ijs rebus agendis.

## Argumentum ep.7.

*EXponit, cur breuior ſit haec epiſtola, & cur ſuum in remp. ſtudium ſerius patefecerit: in extremo cōmendat dignitatem ſuam. Eodem anno.*

Plancus

### *Plancus imp. cos. des. Ciceroni S. D. 7.*

*PLVRA tibi de meis conſilijs ſcriberem, rationemq. omnium rerum redderem uerboſius, quo magis iudicares omnia me reip. praeſtitiſſe, quae & tua exhortatione excepi, & mea affirmatione tibi recepi: (non minus enim a te probari, quam diligi, ſemper uolui: nec te magis in culpa defenſorem mihi paraui, quam praedicatorem meritorum meorum eſſe uolui) ſed breuiorem me duae res faciunt; una, quod publicis litteris omnia ſum perſecutus; altera, quod M. Variſidium, equitem Romanum, familiarem meum, ad te ipſum tranſire iuſſi, ex quo omnia cognoſcere poſſes. Non mediusfidius mediocri dolore afficiebar, cum alij occupare poſſeſſionem laudis uiderentur: ſed uſque mihi temperaui, dum perducerem eo rem, ut dignum aliquid & conſulatu meo, & ueſtra exſpectatione efficerem. quod ſpero, ſi me fortuna non fefellerit, me conſecuturum: ut, maximo praeſidio reip. nos fuiſſe, & nunc ſentiant homines, & in poſterum memoria teneant. A te peto, ut dignitati meae ſuffrageris; &, quarum rerum ſpe ad laudem me uocaſti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. non minus poſſe te, quam uelle, exploratum mihi eſt. Fac ualeas, meq. mutuo diligas.*

## EXPLANATIO

DE *meis conſilijs* } cur non ſtatim poſt obitum Caeſaris, ciuile bellum Antonio concitante, arma pro rep. ſumpſerim. PVBLICIS *litteris* } quae has proxime ſequuntur. ALII } qui ſe libertatis defenſores profitebantur. VSQVE *mihi temperaui*, } epiſtola ſequenti. CONSVLATV *meo*, } quem geſturus erat poſt Hirtium & Panſam huius anni conſules. QVARVM *rerum ſpe* } honoribus propoſitis.

---

# Argumentum ep. 8.

*CAuſſas affert, quibus adductus non ita mature, ut homines exſpectabant, defenſorem ſe libertatis publicae ſit profeſſus: deq. exercitu ſuo, & prouinciae ſtatu ſignificat. Eodem anno.*

### *Plancus imp. cos. des. S. D. cos. praet. trib. pl. S. P. PL. Q. R. 8.*

*SI cui forte uideor, diutius & hominum exſpectationem, & ſpem reip. de mea uoluntate tenuiſſe ſuſpenſam; huic prius excuſandum me eſſe arbitror, quam de inſequenti officio quidquam ulli pollicendum. non enim praeteritam culpam uideri uolo redemiſſe, ſed optimae mentis cogitata iampridem, maturo tempore enunciare. Non me praeteribat, in tanta ſollicitudine hominum, & tam perturbato ſtatu ciuitatis fructuoſiſſimam eſſe profeſſionem bonae uoluntatis: magnosq. honores ex ea re complures conſecutos uidebam. ſed, cum in eum caſum me fortuna demiſiſſet, ut aut, celeriter pollicendo, magna in ſpe ad proficiendum impedimenta opponerem; aut, ſi in eo mihi temperauiſſem, maiores occaſiones ad opitulandum haberem: expeditius iter communis ſalutis, quã meae laudis, eſſe uolui. nã quis in ea fortuna, quae mea eſt, & ab ea uita, quam in me cognitam hominibus arbitror, & cum ea ſpe, quam in manibus habeo, aut ſordidum quidquam pati, aut pernicioſum concupiſcere poteſt? ſed aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multae impenſae opus fuit, ut, quae reip. bonisq. omnibus polliceremur, exitu praeſtaremus; neque ad auxilium patriae nudi cum bona uoluntate, ſed cum facultatibus accederemus. Confirmandus erat exercitus nobis, magnis ſaepe praemijs ſollicitatus; ut ab rep. potius moderata, quam ab uno infinita, ſperaret. confirmandae complures ciuitates, quae ſuperiore anno largitionibus, conceſſionibusq. praemiorum erant obligatae; ut & illa uana putarent, & eadem a melioribus auctoribus petenda exiſtimarent. Eliciendae etiam uoluntates reliquorum, qui finitimis prouincijs, exercitibusq. praefuerunt; ut potius cum pluribus ſocietatem defendendae libertatis iniremus, quam cum paucioribus funeſtam orbi terrarum uictoriam pareremus. Muniendi uero noſmetipſi fuimus, aucto exercitu, auxilijsq. multiplicatis; ut, cum praeferremus ſenſus aperte, tum, etiam inuitis quibuſdam, ſciri, quid defenſuri eſſemus, non eſſet periculoſum. Itaque numquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum conſiliorum peruenirem, & ſimulaſſe inuitum, & diſſimulaſſe cum dolore; quod, praematura denunciatio boni ciuis imparati quam periculoſa eſſet, ex caſu collegae uidebam. quo nomine etiam C. Furnio legato, uiro forti, atque ſtrenuo, plura etiam uerbo, quam ſcriptura, mandata dedimus; ut & tectius ad uos perferrentur, & nos eſſemus tutiores: quibusq. rebus et communem ſalutem muniri, & nos armari conueniret, praecepimus. ex quo intelligi poteſt, curam reip. ſummae defendendae iampridem apud nos excubare. nunc, cum, deum benignitate, ab omni re ſumus paratiores, non ſolum bene ſperare de nobis homines, ſed explorate iudicare uolumus. legiones habeo quinque ſub ſignis, & ſua fide, uirtuteq. reip. coniunctiſſimas, & noſtra liberalitate nobis obſequentes: prouinciam omnium ciuitatũ*

*conſenſu paratiſſimam, & ſumma contentione ad officia certantem: equitatus, auxiliorumq. tãtas copias, quantas hae gentes ad defendendam ſuam ſalutem, libertatemq. conficere poſſunt. ipſe ita ſum animo paratus uel prouinciam tueri, uel ire quo reſp. uocet, uel tradere exercitum, auxilia, prouinciamque, ut uel omnem impetum belli in me conuertere non recuſem; ſi modo meo caſu aut confirmare patriae ſalutem, aut periculum morari poſſim. haec ſi, iam expeditis omnibus rebus, tranquilloq. ſtatu ciuitatis, polliceor in damno meae laudis: reip. cõmodo laetabor. ſin ad ſocietatem integerrimorum, & maximorum periculorum accedam: conſilia mea aequis iudicibus ab obtrectatione inuidorum defendenda commendo. mihi quidem ipſi fructus meritorum meorum in reip. incolumitate ſatis magnus eſt paratus. eos uero, qui, meam auctoritatem, & multo magis ueſtram fidem ſecuti, nec ulla ſpe decipi, nec ullo metu terreri potuerunt, ut commendatos uobis habeatis, petendum uidetur.*

## EXPLANATIO

SI *cui forte uideor,*} non praeſtitit re ipſa Plancus, quod litteris pollicetur. de quo Velleius lib. 2. Plancus, ait, diu, quarum eſſet partium, ſecum luctatus, ſenatui ſe litteris uenditans, mox eiuſdem proditor. VIDERI *uolo*} nunc remp. non ideo tuendam aperte ſuſcipio, ut emendem praeteritam culpam: nihil enim a me peccatum, ipſe mihi ſum conſcius: ſed ut enunciem maturo tempore, quod cum antea cogitarem, enunciare tamen alieno tempore, non debui. OPTIMAE *mentis cogitata iampridem,*} uerbum, Cogitata, dupliciter conſiderari poteſt, & ut nomen, hoc modo, Optimae mentis cogitata: & ut participium, Cogitata iampridem. Participium ſaepe reperitur: de nomine afferamus exempla. In Rullum or. 1. Vtrum, inquit, cogitata ſapientum, an optata furioſorum uidentur? Et pro Quinctio: Dictis, factis, cogitatiſq. Sex. Naeuij. CVM *in eum caſum me fortuna demiſiſſet,*} cum de Lepidi uoluntate, qui non longe aberat, dubitare poſſem. MAGNA *in ſpe*} ſperabam enim, ſi aliquandiu meam tegerem uoluntatem, poſſe me reip. prodeſſe; ſin celeriter pollicerer, fore timebam, ne impedimenta ad proficiendum opponerem. Bernardinus Rutilius, & alij locum ſine cauſſa mutant. IN. EA *fortuna, quae mea eſt,*} cauſſas oſtendit, quibus noua conſilia capere non debet, neque cum Antonio, & alijs remp. euertere cupientibus, conſentire. qui enim perdita fortuna ſunt, qui flagitioſe uiuunt, qui ſpe uel honoris, uel commodi nulla tenentur, ij nouas res quaerere conſueuerunt. HOMINIBVS} modus loquendi. ut ep. 14. lib. XI. Bellum iſtic renatum homines mirantur. De multis autem, non de omnibus accipitur. SORDIDVM} ut ſeruitutem. PERNICIOSVM} quae contra libertatem fiunt, quae legibus, & iudicijs aduerſantur, pernicioſa ſunt. ALIQVANTVM *nobis temporis,*} Opus fuit aliquantum temporis, ita Plancus dixit, ut Cicero ep. 6. lib. 2. Dux nobis, & auctor opus eſt. Et ep. 1. lib. XVI. Omnia pollicitus eſt, quae tibi eſſent opus. Et lib. V. de rep. Bono patri familias ratiocinandi quidam uſus opus eſt. Gellius etiam lib. XVII. cap. 2. antiquum dixit eſſe, Diuitias opus eſſe; nouum, Diuitijs. MAGNI *laboris,*} hoc ad uerbum, Aliquantum, referri non poteſt. quis enim dixerit, Aliquantum magni laboris? referatur igitur neceſſe eſt ad, Opus fuit: ſi modo ferre poſſumus, ut, Opus fuit, cum duobus caſibus, Nominandi, & generandi, praeſertim in eadem periodo, coniungatur. Quinctilianus tamen, ſi libri uacant mendo, Lectionis opus eſt, dixit lib. XII. cap. 3. OPVS *fuit,*} ſic decem ueteres libri: nonnulli, Opus fuerunt: quod ita probarem, ſi legeretur, Labores, non Laboris: ut omnia dicantur nominandi caſu. SOLLICITATVS;} a ducibus malarum partium, ut Aſinij quoque legiones. ep. 32. SVPERIORE *anno*} Antonio conſule. ELICIENDAE} ut uiderem, de rep. quid ſentirent. FVNESTAM *orbi terrarum*} qualis eſſet, ſi plures a paucioribus uincerentur. nam, ſi pauciores a pluribus, minor calamitas. PAREREMVS.} hic magna diſſenſio eſt ueterum librorum. unus habet, Pararemus: alius, Pareremus: alius, Putaremus: alius, Patiremur: reliqui omnes, Pateremur. nam, Partiremur, quod quibuſdam placuit, ex ingenio eſt. Poteſt loqui Plancus uel de ſua, uel de hoſtium uictoria: ſi de ſua, Pararemus, locum habet, aut, Pareremus: ſi hoſtium, Pateremur. ſed malo de hoſtium uictoria loqui Plancum: quae funeſta orbi terrarum futura eſſet, afflicta rep. Quid autem, ubi ueritatem ab antiquis libris petere licet, confugere ad coniecturam opus eſt? dixi, pleroſq. ueteres libros habere, Pateremur. id optime congruit cum ſuperioribus uerbis. nam, pati funeſtam orbi terrarum uictoriam, eſt, uinci magno omnium damno. praeſtat, inquit, cum pluribus libertatem defendere, & uictoriae gloriam communicare, quam, dum pauci totam gloriam auide quaerimus, uictoriam pati omnibus calamitoſam. VT. AD *effectum horum conſiliorum peruenirem,*} ut ad exitum conſilia mea perducerem. SIMVLASSE *inuitum, & diſſimulaſſe cum dolore;*} ſimulantur falſa: diſsimulantur uera. ſimulabat igitur Plancus Antonio ſe fauere: diſsimulabat ſuum in remp. ſtudium. Diſsimulamus autem uel ſilentio, uel ſermone, uel re ipſa. COLLEGAE} D. Bruti, conſulis deſignati, quem Antonius Mutinae incluſum obſidebat. EXCVBARE.} nos uigilare animo pro rep. tuenda. CVM *deum benignitate ab omni re ſumus paratiores,*} Sumus, ueteres libri omnes, & recte. ſic enim alibi Cicero locutus. QVINQVE} quattuor nominat ep. 15. & ep. 24. SVB. SIGNIS,} non ſine ordine, diſperſas, quae ducum iuſſa non ſeruent. ep. 33. & ep. 7. ad Att. lib. XVI. Lucretius: Multa uirum ſub ſignis millia ducta. Plautus in Pſeu. Omnes ordines ſub ſignis ducam. HAE. GENTES} Galliae tranſalpinae. IAM *expeditis omnibus rebus,*} profligato ad Mutinam Antonio. EOS *uero,*} milites. SPE} ſupra: Confirmandus erat exercitus nobis, magnis ſaepe praemijs ſollicitatus. MEAM *auctoritatem,*} auctor enim illis fui, ut & illa, quae ab Antonio promittebantur, uana exiſtimarent, & eiuſdem quoque minas contẽnerent.

# Argumentum ep. 9.

*SVum ſtudium erga remp. praeſefert: modeſte dignitatem ſuam commendat: quid egerit, acturus ue ſit, qualemq. ducat exercitum, ſignificat. Eodem anno.*

## *Plancus imp. cos. des. S. D. Ciceroni.* 9.

NIHIL *me tibi temere, aut te ceteris de me fruſtra recepiſſe, laetor. certe hoc maius habes teſtimonium amoris mei, quo maturius tibi, quam ceteris, conſilia mea uolui eſſe nota. in dies uero meritorum meorum fieri acceſſiones, peruidere te ſpero, cogniturum magis recipio. Quod ad me attinet, mi Cicero, (ita ab imminentibus malis reſp. me adiuuante liberetur) ſic honores, praemiaq. ueſtra ſuſpicio, conferenda certe cum immortalitate, ut ſine his nihil de meo ſtudio, perſeuerantiaq. ſim remiſſurus. niſi in multitudine optimorum ciuium impetus animi mei fuerit ſingularis, & opera praecipua; nihil ad meam dignitatem accedere uolo ſuffragatione ueſtra. concupiſco autem nihil mihi, contra quod ipſe pugno. ſed & temporis, & rei te moderatorem facile patior eſſe.* NIHIL *aut ſero, aut exigue a patria ciui tributum poteſt uideri. Exercitum ad* VI. *Kal. Maias Rhodanum tranſieci. magnis itineribus Vienna equites mille uia breuiore praemiſi. ipſe, ſi a Lepido non impediar, celeritate ſatisfaciam: ſin autem in itinere meo ſe oppoſuerit, ad tempus conſilium capiam. copias adduco & genere, & numero, & fidelitate firmiſſimas. te, ut diligas me, ſi mutuo te facturum ſcis, rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

LAETOR.} hoc dicit, quia iam, abiecta ſimulatione, & diſſimulatione, quam utramque nominauit in proximis ad ſenatum litteris, defenſorem ſe bonarum partium profeſſus ad Mutinam iter direxerat. MERITORVM *meorum*} in remp. FIERI *acceſſiones,*} eodem modo locutus eſt Cicero ep. I. lib. 2. CVM *immortalitate,*} quae praeſtare uidetur omnibus rebus. CONCVPISCO *autem nihil mihi, contra quod ipſe pugno.*} Difficilis ad intelligendum locus: nec ueteres libri conſentiunt: nam plerique, Contra quod: unus, Contra quam: alius, Contra quem. fortaſſe autem hoc dicitur: & nihil mihi mea cauſſa concupiſco; cum ad reip. ſalutem, dignitatemq. omnia referam; & contendo tamen; atque elaboro, ut ea conſequar, quae minime concupiſco. haec ſi placet ſententia; quam ego non contemno: legi poterit, &, Contra quam: &, Contra quod: atque etiam, Contraq. ut olim Rutilio, poſt etiam alijs placuiſſe uideo: quamquam id quidem, quod ſciam, non eſt in meis ueteribus libris. SED. ET} ſic in uno tantum antiquo libro: quod probaui. apte enim particula, ſed, ſequentem ſententiam cum ſuperiore coniungit. TEMPORIS, *& rei*} uolo te iudicare, ac ſtatuere, & quando, & quid petam; uel, & quo tempore, & quibus me honoribus afficere debeatis. ep. 21. Tu uideris, quantum, & quando tuum munus apud me uelis eſſe. AVT. SERO, *aut exigue*} hoc ad illud reſpicit, Et temporis, & rei. VIENNA} alij, Viennam, ut habent ueteres aliquot libri. quod non placet: primum, quia, cum ingreſſus in Galliam Narbonenſem Plancus non longe abſit Vienna, cur dicat, Magnis itineribus Viennam equites praemiſi? deinde, praemittendi equites erant, non ut Viennam, ſed ut Mutinam, obſeſſam ab Antonio, peterent: nam Viennae praeſidium imponi, hoc tempore non oportuit. iam illud, Via breuiore, perueniendi neceſsitatem indicat. quod omnino ad Mutinam pertinet, in qua Planci collega D. Brutus obſidebatur. Accedit, quod ep. XI. ſcribit Plancus, tranſiecto Rhodano ſe fratrem cum equitibus praemiſiſſe, & ipſum ad Mutinam iter dirigere: nulla facta Viennae mentione. Praeterea, cum ſequatur, Ipſe; oſtenditur, uia breuiore mille equites Mutinam praemiſſos; ipſum Plancum uia longiore cum reliquis copijs ſecuturum. Nec me tamen aliquis ita putet opinione mea delectari, ut diſcedam ab antiquis libris. nam in quattuor, ſcriptis in membrana, & in duobus communi charta, eſt, Vienna: in quattuor item, Viennam: in uno, Vicinia: in alio, Vi etiam. Eſt autem Vienna Allobrogum, quam Strabo lib. IV. principem urbem uocat. Plinius lib. 2. EQVITES *mille*} ep. XI. tria millia nominantur. A. LEPIDO} de cuius in remp. animo nondum conſtabat. epiſtola ſequenti. AD. TEMPVS} pro ratione temporis, ut tempus poſtulabit. ET *genere, & numero, & fidelitate*} quae tria in exercitu requiruntur. Genere autem dixit, pro fortitudine. MVTVO. TE} libri aliquot, Mutuo me: non male: pro, uicisſim me.

Argu-

## Argumentum ep. 10.

*Laudat Plancum de optima uoluntate, ſtudioq. adiuuandae reip. praemiaq. illum a ſenatu ſperare iubet honorificentiſsima: in quo ſuam operam pollicetur. clauſula eſt, cohortatio ad opem reip. ferendam. Eodē anno.*

### *Cicero S. D. Planco imp. cos. des.* 10.

*Etsi ſatis ex Furnio noſtro cognoram, quae tua uoluntas, quod conſilium de rep. eſſet: tamen, lectis tuis litteris, liquidius de toto ſenſu tuo iudicaui. quamobrem, quamquam in uno proelio omnis fortuna reip. diſceptat; quod quidem, cum haec legeres, iam decretum arbitrabar fore: tamen ipſa fama, quae de tua uoluntate percrebuit, magnam es laudem conſecutus. itaque, ſi conſulem Romae habuiſſemus, declaratum eſſet a ſenatu cum tuis magnis honoribus, quam gratus eſſet conatus, & apparatus tuus. cuius rei non modo non praeterijt tempus, ſed ne maturum quidem etiam nunc, meo quidem iudicio, fuit. Is enim denique honos mihi uideri ſolet, qui non propter ſpem futuri beneficij, ſed propter magna merita claris uiris defertur, & datur. quare, ſit modo aliqua reſp. in qua honos elucere poſſit: omnibus, mihi crede, ampliſſimis honoribus abundabis. Is autem, qui uere appellari poteſt honos, non inuitamentum ad tempus, ſed perpetuae uirtutis eſt praemium. Quamobrem, mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem: ſubueni patriae: opitulare collegae: omnium gentium conſenſum, & incredibilem conſpirationem adiuua. me tuorum conſiliorum adiutorem, dignitatis fautorem, omnibus in rebus tibi amiciſſimum, fideliſſimumq. cognoſces. ad eas enim cauſſas, quibus inter nos amore ſumus, officijs, uetuſtate coniuncti, patriae caritas acceſſit; eaq. effecit, ut tuam uitam anteferrem meae. IV. Kal. Apr.*

## EXPLANATIO

Liqvidivs} facilius. ep. 27. lib. xi. Alia ſunt, quae liquido negare ſoleam. In *uno proelio*} Mutinenſi. Decretvm} ſic omnes libri ſcripti, & puto recte. non enim, Decretum, hic accipio, pro deliberatum, ſed pro pugnatum, confectum: ut dixit Liuius lib. 28. Decernere pugnam. Consvlem} alterum e conſulibus. nam aberat uterque conſul, Hirtius, & Panſa, ad Mutinam obſidione liberandam profecti. Ne *maturum quidem etiam nunc,*} adhuc enim conatus tantum audiuntur: exſpectatur ipſa res. Invitamentvm} hoc dicit, quia uoluntatem quidem Plancus, transfecto Rhodano, oſtenderat, nihil tamen adhuc re ipſa praeſtiterat: ut, ſi quid ei tribueretur, inuitamentum potius, quam praemium, uideri poſſet. Ad *tempus*,} ut aliquandiu recte fiat. ep. 14. lib. ix. Neque ſolum ad tempus maximam utilitatem attuliſti, ſed etiam ad exemplum facti. Vetvstate} noti enim alter alteri iampridem ſumus. ep. 15. lib. v. ep. 16. lib. xi.

---

## Argumentum ep. 11.

*Gratias agit pro Ciceronis erga ſe officijs; omniaq. de ſuo in remp. ſtudio pollicetur. Eodem anno.*

### *Plancus S. D. Ciceroni.* 11.

*Immortales ago tibi gratias, agamq. dum uiuam: nam, relaturum me, affirmare non poſſum. tantis enim tuis officijs non uideor mihi reſpōdere poſſe: niſi forte, ut tu grauiſſime, diſertiſſimeq. ſcripſiſti, ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Si de filij tui dignitate eſſet actum, amabilius certe nihil facere potuiſſes. Primae tuae ſententiae infinitis cum muneribus, poſteriores ad tempus arbitriumq. amicorū meorum compoſitae, oratio aſſidua & perpetua de me, iurgia cum obtrectatoribus propter me, notiſſima mihi ſunt. non mediocris adhibenda mihi eſt cura, ut reip. me ciuem dignum tuis laudibus praeſtem, in amicitia tua memorem, atque gratum. Quod reliquum eſt, tuum munus tuere; & me, ſi, quem eſſe uoluiſti, cum exitu, rebusq. cognoſcis, defende, ac ſuſcipe. Cum Rhodanum copias transieciſſem, fratremq. cum tribus millibus equitum praemiſiſſem, ipſe iter ad Mutinam dirigerem; in itinere de proelio facto, Brutoq. & Mutina obſidione liberatis audiui. animaduerti nullum alium receptum Antonium, reliquiasque, quae cum eo eſſent, habere,*

niſi

*niſi in his partibus: duasq. ei ſpes eſſe propoſitas, unam Lepidi ipſius, alteram exercitus; quod quaedam pars exercitus non minus furioſa eſt, quam qui cum Antonio fuerunt. equitatum reuocaui: ipſe in Allobrogibus conſtiti; ut proinde ad omnia paratus eſſem, ac res me moneret. ſi nudus huc ſe Antonius conferet; facile mihi uideor per me ſuſtinere poſſe, remq. publicam ex ueſtra ſententia adminiſtrare, quamuis ab exercitu Lepidi recipiatur. ſi uero copiarum aliquid ſecum adducet; & ſi decima legio ueterana, quae noſtra opera reuocata cum reliquis eſt, ad eundem furorem redierit: tamen, ne quid detrimenti fiat, dabitur opera a me: idq. me praeſtaturum ſpero, dum iſtinc copiae transijciantur, coniunctaeq. nobiſcum facilius perditos opprimãt. Hoc tibi ſpõdeo, mi Cicero, neque animum, neque diligentiã mihi defuturam. cupio mehercules nullam reſiduam ſollicitudinem eſſe: ſed, ſi fuerit, nec animo, nec beneuolentiae, nec patientiae cuiuſquam pro uobis cedam. do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad huius rei ſocietatem incitem: omniaq. ei obſequia polliceor, ſi modo remp. reſpicere uolet. utor in hac re adiutoribus, interpretibusq. fratre meo, & Laterenſe, & Furnio noſtro. non me impedient priuatae offenſiones, quo minus pro reip. ſalute etiam cum inimiciſſimo conſentiam. quod ſi nihil profecero; nihilo minus maximo ſum animo: & maiore fortaſſe cum mea gloria uobis ſatisfaciam. Fac ualeas, meq. mutuo diligas.*

## EXPLANATIO

IMMORTALES} pro, ſummas. nam &, Immortaliter gaudeo, dixit Cicero in epiſtola ad fratrem. RESPONDERE} Aſſequi merita, ep. 4. lib. I. SCRIPSISTI,} haec Ciceronis epiſtola deſideratur. DIGNITATE} ſacerdotio pontificum minorum. nam in epiſtola quadam ad M. Brutum, Ciceronem, inquit, noſtrum in ueſtrum collegium cooptari uolo. Et in alia ad eundem: Cui uos pontifices in Velabro facere ſoletis. AMABILIVS} carius: quod ego magis amarem. SENTENTIAE} dictae in ſenatu. MVNERIBVS,} quae mihi decernebas. TVVM *munus*,} quas in me tuendo, atque ornando partes ſuſcepiſti. SVSCIPE.} ep. 9. lib. IV. Suſcipe me totum. CVM *tribus millibus equitum*} ep. 9. Equites mille. EXERCITVS;} Lepidi. uide ep. 35. FVRIOSA} qui a rep. deſciſcebant, furere eos, uel inſanire dicebant. paullo poſt: Si decima legio ueterana ad eundem furorem redierit. Propterea, ſi ſe ad reip. partes ijdem conuerterent, redire ad ſanitatem dicebantur. DECIMA *legio ueterana*,} quae cum Caeſare in Gallia, non mediocri fortitudinis laude, militauerat. haec erat in exercitu Lepidi. NVLLAM *reſiduam ſollicitudinem eſſe*:} nullas iam eſſe, uicto ad Mutinam Antonio, belli reliquias. OMNIA *ei obſequia polliceor*,} quod ep. 4. lib. v. Cicero dixit: Omnibus in rebus me fore in tua poteſtate, tibi confirmo. LATERENSE,} M. Iuuentio Laterenſi, Lepidi legato, ut ait Dio lib. XLVI. uide ep. 15. 21. 23. INIMICISSIMO} Lepido. ep. 15. 18. 20. SI. NIHIL *profecero*;} ſi conſequi non potero, ut Lepidus remp. reſpiciat. MAIORE *fortaſſe cum mea gloria*} quia ſocium, & participem eiuſdem gloriae Lepidum non habebo.

---

# Argumentum ep. 12.

*QVam gratae ſenatui fuerint eius litterae de apparatu, ſtudioq. defendendae reip. quidq. ex eius litteris actum ſit, exponit. poſtrema eſt ad recuperandam libertatem accurata cohortatio. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Planco imp. cos. des.* 12.

ETSI *reip. cauſſa maxime gaudere debeo, tantum ei te praeſidij, tantum opis attuliſſe extremis paene temporibus: tamen, ita te uictorem complectar rep. recuperata, ut magnam partem mihi laetitiae tua dignitas affert; quam & eſſe iam, & futuram ampliſſimam intelligo. caue enim putes ullas litteras umquam gratiores, quam tuas, in ſenatu eſſe recitatas. idq. contigit tum meritorum tuorum in remp. eximia quadam magnitudine, tum uerborum, ſententiarumq. grauitate. quod mihi quidem minime nouum; qui & te noſſem, & tuarum litterarum ad me miſſarum promiſſa meminiſſem; & haberem a Furnio noſtro tua penitus conſilia cognita: ſed ſenatui maiora uiſa ſunt, quam erant exſpectata: non quod umquam de tua uoluntate dubitaſſet: ſed nec, quantum facere poſſes, nec, quo progredi uelles, exploratum ſatis habebat. itaque, cum ad* VII. *id. Apr. mane mihi tuas litteras M. Variſidius reddidiſſet, easq. legiſſem, incredibili gaudio ſum elatus: cumq. magna multitudo optimorum uirorum, & ciuium me de domo deduceret; feci continuo omnes participes meae uoluptatis. interim ad me uenit Munatius noſter, ut conſueuerat: & ego ei litteras tuas oſtendi. nihil dum enim ſciebat: nam ad me primum Variſidius: idq. ſibi a te mandatum eſſe dicebat. paullo poſt idem mihi Munatius eas, litteras legendas dedi, quas ipſi miſeras, & eas, quas publice, placuit nobis, ut ſtatim ad Cornutum, praetorem urb. litteras deferremus; qui, quod conſules aberant, conſulare munus ſuſtinebat more maiorum. ſenatus eſt continuo conuocatus, frequensq. conuenit propter famam, atque exſpectationem tuarum litterarum. recitatis litteris, oblata religio Cornuto eſt, pullariorum admonitu, non ſatis diligenter eum auſpicijs operam dediſſe:*

*diſſe: idq. a noſtro collegio comprobatum eſt: itaque res dilata eſt in poſterum. eo autem die magna mihi fuit pro tua dignitate contentio cum Seruilio. qui cum gratia effeciſſet, ut ſua ſententia prima pronunciaretur: frequens eum ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceſſit: meaeq. ſententiae, quae ſecunda pronunciata erat, cum frequens aſſentiretur ſenatus, rogatu Seruilij P. Titius interceſſit. res in poſterum dilata. uenit paratus Seruilius, Ioui ipſi iniquus, cuius in templo res agebatur. hunc quemadmodum fregerim, quantaq. contentio Titium interceſſorem abiecerim, ex aliorum te litteris malo cognoſcere: unum hoc ex meis: ſenatus grauior, conſtantior, amicior tuis laudibus eſſe non potuit, quam tum fuit. nec uero tibi ſenatus amicior, quam cuncta ciuitas. mirabiliter enim populus R. uniuerſus, & omnium generum, ordinumq. conſenſus ad liberandam remp. conſpirauit. perge igitur, ut agis, nomenq. tuum commenda immortalitati: atque haec omnia, quae habent ſpeciem gloriae, collecta inaniſſimis ſplendoris inſignibus, contemne; breuia, fugacia, caduca exiſtima. uerum* DECVS *in uirtute poſitum eſt, quae maxime illuſtratur magnis in remp. meritis. eam facultatem habes maximam: quam quando complexus es, tene; perfice, ut ne minus reſp. tibi, quam tu reip. debeas. me tuae dignitatis non modo fautorem, ſed etiam amplificatorem cognoſces. id tum reip. quae mihi eſt mea uita carior, tum noſtrae neceſſitudini debere me iudico. Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam uoluptatem, quod bene cognitam mihi T. Munatij prudentiam, & fidem, magis etiam perſpexi in eius incredibili erga te beneuolentia, & diligentia.* III. *id. Apr. Vale.*

# EXPLANATIO

EXTREMIS *paene temporibus:*} cum in ſummo periculo uerſetur. TVA *dignitas affert;*} Afferat, antea legebatur in omnibus uulgatis libris. nos olim, Affert, repoſuimus ex uno Ioannis Scalae antiquo libro: cum quo nullum poſtea, quod equidem miror, conſentire animaduerti. ſenſus eſt. Ita mihi detur te uictorem complecti rep. recuperata, ut mihi, quamquam ipſius reip. cauſſa maxime gaudere debeo, tantum ei te praeſidij, tantum opis attuliſſe extremis paene temporibus, tamen dignitas tua magnam laetitiae partem affert. Verbum, Complectar, qui crediderunt eſſe indicatiui modi; uerbum, Affert, ut ipſi putabant, emendarunt; ut ego exiſtimo, deprauarunt. MERITORVM *tuorum*} de quibus tuae litterae loquebantur. ep. 16. 19. PROMISSA} promiſerat Plancus, reip. ſe non defuturum. Coelius Rhodiginus, nodum in ſcyrpo quaerens, Praemiſſa, legendum arbitrabatur; quod nec ſententia poſtulat, nec ueteres libri confirmant. NEC, *quo progredi uelles,*} ſic omnes mei ueteres libri: nec eſt obſcura ſententia. Ignorabat, inquit, ſenatus, quo exercitum ducturus eſſes. GAVDIO *ſum elatus:*} ep. 10. lib. 2. Quae me laetitia extulerunt. MVNATIVS} T. Munatius, de quo in extrema epiſtola. hic Planci cognatus potius, quam frater, fuit. nam ille alter T. Munatius, quem Pedianus ait huius L. Planci fratrem fuiſſe, in caſtris Antonij fuit: ut diximus ep. 6. CORNVTVM,} dubium, Sulpiciae gentis, an Caeciliae. utrique enim cognomen hoc fuiſſe, Sulpiciae in faſtis Capitolinis, Caeciliae apud Tacitum lib. IV. PRAETOREM *urbanum,*} qui maior dicebatur, ceteri minores, ut ait Feſtus, Vrbanus appellatus, quia ius diceret inter ciues. eius prima dignitas erat abſentibus conſulibus. Phil. 14. Ob res, ait, bene, fortiter, feliciterq. geſtas C. Panſa, A. Hirtius conſules, imperatores, alter, ambo ue, aut, ſi abierint, M. Cornutus, praetor urbanus, ſupplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria conſtituat. CONVOCATVS,} a Cornuto. OBLATA *religio*} admonitus eſt a pullarijs, qui e tripudio pullorum auſpicabantur, nihil in ſenatu eo die ſalua religione decerni poſſe. AVSPICIIS} auſpicato enim ſenatus habebatur. A, NOSTRO *collegio*} augurum. SERVILIO.} P. Seruilio, Iſaurici filio, qui cum Caeſare conſulatum geſſerat. In epiſtola ad Brutum: In Planci cauſſa Seruilius exarſit incredibili dolore, mecumq. per biduum ita contendit, & a me ita fractus eſt, ut eum in perpetuum modeſtiorem ſperem fore. Et ibidem: Acerbiſsime tulit Seruilius, aſſenſum eſſe mihi de Planco. GRATIA} Cornuto praetore ei fauente. nam conſularis antiquior Cicero. IN. ALIA *omnia diſceſsit:*} ſententiam eius improbauit. ep. 2. lib. 1. Frequentes ierunt in alia omnia. P. TITIVS} tribunus pl. uide Dionem lib. XLVI. IOVI *ipſi iniquus, cuius in templo res agebatur.*} figurae ſunt in Latina lingua & uerborum, & ſententiarum prope innumerabiles: quas imitari, pulchrum eſſet: uerum imitari nemo poſſit, qui cognitas non habeat: quam multi autem cognouerint, ea, quae circumferuntur, ſcripta declarant. itaque operam dabimus, quantum in nobis erit, ut eas oſtendamus in extremo Imitationis noſtrae libro: ſiquidem hoc inter Latinae orationis ornamenta cum praeſtantiſsimum eſt, tum cognitu difficillimum, ideoq. a ueteribus & grammaticis, & rhetoribus omiſſum, a recentioribus quibuſdam ſatis imperite tractatum. Sed hoc, ſi plus otij dabitur: nunc ea tantum, quae locus hic poſtulat, attingamus. Iniquitatem Seruilij, qui optimam Planci cauſſam oppugnaret, magis indicari non potuit, quam ſi ex ipſo loco, ubi res agebatur, ſententiam eliceret. Venit, inquit, paratus Seruilius, non tibi tantum, ſed Ioui ipſi iniquus, cuius in templo res agebatur. Simile illud, ex tempore deriuatum, ep. 25. lib. XII. Quinquatribus, frequenti ſenatu, cauſſam tuam egi, non inuita Minerua: etenim eo ipſo die ſenatus decreuit, ut Minerua noſtra, cuſtos Vrbis, quam turbo deiecerat, reſtitueretur. Illud egregium, ſumptum ex nomine, Tuſc. 2. Magna mehercule res, & eo ipſo, per quem iuraui, Hercule digna. Et alterum, eiuſdem generis, ep. 23. lib. VII. Bacchas iſtas cum muſis Metelli comparas: quid ſimile? primum ipſas ego muſas numquam tanti putaſſem; atque id feciſſem, muſis omnibus approbantibus. Interdum etiam ab exercitatione, & ſtudio, cui dediti ſumus, oritur figura ſententiae; Tuſc. 2. Subduc cibum unum diem athletae: Iouem Olympium,

eum

eum ipſum, cui ſe exercebit, implorabit: ferre non poſſe, clamabit. A perſona, ep. 14. lib. 2. ad Att. Legem de ambitu, bono auſpicio, claudus homo promulgauit. Plura ſuo loco. IN. TEMPLO} Capitolino. ſenatus in templis habebatur. OMNIVM *generum, ordinumq.*} magis exprimit, quod dixerat, Populus uniuerſus. ſunt enim & genera ciuium, & ordines. SPECIEM *gloriae, collecta inaniſsimis ſ. i.*} non diſplicet, Collectam ex in. ſ. i. quod uiris doctis placere uideo. non enim illa colliguntur ex in. ſ. i. ſed ſpecies gloriae colligitur. quis autem ea quaerat, quae ſpeciem quidem, & imaginem habent gloriae, ipſam uero gloriam, quae in una uirtute poſita eſt, non habent? BREVIA, *fugacia, caduca*} ſcripſi adoleſcens; cum in uerbo, Fugacia, ueteres libri diſſentirent; quorum alij, Fugacia; alij, Fugatocia; nonnulli, Fugato, habent; opinari me, quamquam uulgata lectio ſenſu non careret, Fucata, rectius eſſe: ut tranſlatio ſit a mulieribus: quarum ſaepe nitor non naturalis, ſed fucatus eſt, ideoq. breuis, & caducus. Noſtram coniecturam alij poſtea ſecuti ſunt. EAM *facultatem*} acquirendi uerum decus. QVAM *quando complexus es,*} ſic quinque libri ueteres: unus, Quoniam, pro Quando: reliqui, Quom. placet, Quando. TENE;} ſic libri omnes, uno excepto, in quo eſt, Et tenes. mihi, Tene, placet: quia cohortantis eſt, ne oblatam occaſionem Plancus amittat. REIP.} cui debes omnia.

## Argumentum ep. 13.

*SCribit de S.C. in ſuam ſententiam facto, ad augendam Planci dignitatem; hortaturque, ut Antoniani belli reliquias conficiat.*

### *Cicero S. D. Planco imp. cos. des.* 13.

*VT primum poteſtas data eſt augendae dignitatis tuae, nihil praetermiſi in te ornando, quod poſitum eſſet aut in praemio uirtutis, aut in honore uerborum. id ex ipſo S. C. poteris cognoſcere: ita enim eſt perſcriptum, ut a me de ſcripto dicta ſententia eſt: quam ſenatus frequens ſecutus eſt ſummo ſtudio, magnoq. conſenſu. Ego, quamquam ex tuis litteris, quas mihi miſiſti, perſpexeram te magis iudicio bonorum, quam inſignibus gloriae delectari; tamen cōſiderandum nobis exiſtimaui, etiam ſi tu nihil poſtulares, quantum tibi a rep. deberetur. tu contexes extrema cum primis. qui enim M. Antonium oppreſſerit, is bellum confecerit. itaque Homerus non Aiacem, nec Achillem, ſed Vlyſſem appellauit* πολιπορθον. *Vale.*

### EXPLANATIO

IN PRAEMIO *uirtutis,*} in honoribus tibi decernendis. infra, uocat inſignia gloriae. Loquitur hic Cicero more communi: nam, uirtutis honorem non eſſe praemium, ſed ſe ipſa contentam eſſe, nihil praeterea ſpectare, uiri ſapientes prodiderunt. INSIGNIBVS *gloriae*} honoribus a ſenatu decretis. CONTEXES *extrema cum primis.*} bellum, a conſulibus & Octauio magna iam ex parte profligatum, ipſe penitus, oppreſſo Antonio, conficies. NON *Aiacem, nec Achillem,*} utrūque Vlyſſe fortiorem. Achillem tamen interdum πολιπορθον appellat Homerus. VLYSSEM} quia bello Troiano aſtutia ſua capto Ilio, & incenſo, finem facit. Πτολιπορθον.} uaſtatorem urbis. ſemper eum uocat Homerus πολιπορθον, ut ait Strabo lib. I.

## Argumentum ep. 14.

*LAudat Plancum de ſtudio reip. defendendae, & ea celeritate, qua uſus erat, ut collegae ſuo Bruto auxilia ferret. Hortatur, ut belli reliquias exſtinguat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Planco imp. cos. des.* 14.

*O* GRATAM *famam biduo ante uictoriam, de ſubſidio tuo, de ſtudio, de celeritate, de copijs. atqui, etiam hoſtibus fuſis, ſpes omnis in te eſt. fuiſſe enim ex proelio Mutinenſi dicuntur notiſſimi latronum duces.* EST *autem non minus gratum extrema delere, quam prima depellere. equidem exſpectabam iam tuas litteras, idq. cum multis: ſperabamq. etiam Lepidum, temporibus admonitum, tecum & reip. ſatis eſſe facturum. In illam igitur curam incumbe, mi Plance, ut ne qua ſcintilla taeterrimi belli relinquatur. quod ſi erit factum; & remp. diuino beneficio affeceris, & ipſe aeternam gloriam conſequere. III. id. Maij. Vale.*

## EXPLANATIO

NOTISSIMI *latronum duces.*} primum Antouij fratres duo, Caius & Lucius; deinde alij, Phil. II. nominati. EST. AVTEM *non minus gratum, extrema delere, quam prima depellere.*} non diſsimile, illud Phil. 13. Quamquam prima praeſidia utiliora reip. ſunt, tamen extrema ſunt gratiora. LEPIDVM, *temporibus admonitum,*} uel quia remp. in ſummum diſcrimen adductam uideat: uel quia, uicto iam ad Mutinam Antonio, eius malo doceatur, quid agendum ſibi ſit. TECVM *& reip. ſatis eſſe facturum.*} conſentiunt in hoc ueteres libri omnes: nec tamen, locum uacare mendo, prorſus exiſtimo. uenit in mentem, hoc fortaſſe dici, tecum eſſe facturum, & reip. ſatis: ut idem uerbum duas ad ſententias reſpiciat: tecum facturum, pro, tecum ſenſurum: quo loquendi modo ueteres uſi ſunt: & reip. ſatisfacturū.

# Argumentum ep. 15.

*QVid egerit, quidq. paret, ut opprimatur Antonius, exponit. Eodem anno.*

## *Plancus imp. S. D. Ciceroni.* 15.

*HIs litteris ſcriptis, quae poſtea accidiſſent, ſcire te, ad remp. putaui pertinere. Sedulitas mea ut ſpero, & mihi, & reip. tulit fructum. namque aſſiduis internuncijs cum Lepido egimus, ut omiſſa omni cōtentione, reconciliata uoluntate noſtra, communi conſilio reip. ſuccurreret: ſe, liberis, urbem pluris, quam unum perditum, abiectumq. latronem, putaret: obſequioq. meo, ſi ita faceret, ad omnes res abuteretur. profeci itaque per Laterenſem internuncium: fidem mihi dedit, ſe Antonium, ſi prohibere ſua prouincia non potuiſſet, bello perſecuturum: me, ut uenirem, copiasq. coniungerem, rogauit, eoq. magis, quod & Antonius ab equitatu firmus eſſe dicebatur, & Lepidus ne mediocrem quidem equitatum habebat: nam etiam ex paucitate eius, non multis ante diebus, decem, qui optimi fuerant, ad me tranſierunt. Quibus rebus ego cognitis, cunctatus non ſum: in curſu bonorum conſiliorum Lepidum adiuuandum putaui. aduentus meus quid profecturus eſſet, uidi: uel quod equitatu meo perſequi, atque opprimere equitatum eius poſſem: uel quod exercitus Lepidi eam partē, quae corrupta eſt, & ab rep. alienata, & corrigere, et coercere praeſentia mei exercitus poſſem. itaque in Iſara, flumine maximo, quod in finibus eſt Allobrogū, ponte uno die facto, exercitum ad IV. id. Maij tranſduxi. cum uero mihi nunciatum eſſet, L. Antonium, praemiſſum cum equitibus, & cohortibus, ad Forum Iulij ueniſſe: fratrem cum equitum quattuor millibus, ut occurreret ei, miſi ad pridie id. Maij: ipſe maximis itineribus cum quattuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu ſubſequar. ſi nos mediocris modo fortuna reip. adiuuerit: & audaciae perditorum, & noſtrae ſollicitudinis hic finem reperiemus. quod ſi latro, praecognito noſtro aduentu, rurſus in Italiam ſe recipere coeperit: Bruti erit officium occurrere ei: cui ſcio nec conſilium, nec animum defuturum. ego tamen, ſi id acciderit, fratrem cum equitatu mittam, qui ſequatur, Italiam a uaſtatione defendat. Fac ualeas, meq. mutuo diligas.*

## EXPLANATIO

RECONCILIATA *uoluntate noſtra,*} ep. II. 18. 21. ABIECTVMQ.} quia iam ad Mutinam proelio uictus erat. LATERENSEM} Lepidi legatum. ep. II. 18. 21. 23. SVA. PROVINCIA} Hiſpania, ut ait Velleius lib. 2. AB *equitatu firmus*}. uide ep. 33. & 10. lib. XI. Paratus equitatu, ep. 4. lib. XV. IN. CVRSV *bonorum conſiliorum*} dum Lepidus bene animatus eſſet. EQVITATVM *eius*} Antonij. EAM *partem,*} ut ueteranā decimam legionem, ep. II. & alios ep. 21. FLVMINE *maximo,*} Plinius Iſaram Rhodano comparat lib. III. cap. 4. L. ANTONIVM, *praemiſſum cum equitibus,*} ep. 34. COHORTIBVS,} tres manipuli, qui & centuriae dicebantur, unus haſtatorum, alter principum, tertius triariorum, cohortem faciebant. erant autem in ſingulis manipulis milites CXX. exceptis manipulis triariorum, in quibus erant LX. tantum. ita fit numerus CCC. militum in cohorte. aliter Vegetius, mutata militia. nos Polybium in manipulis, Ciceronē & Varronem in cohortibus: nam eas Polybius numquam nominauit. Et cohortes quidem, cum legio peditum ſena millia habuit, ideſt Ciceronis aetate, ex quadringenis militibus conſtabat; quod ex ep. I. lib. I. ad Att. licet intelligere: cum uero quaterna tantū millia, & duceni in cohorte fuere, ideſt belli ſecundi Punici tempore, & deinde aliquanto poſt, non plures quam tercenos uiginti cohors habuit, ex tribus manipulis ſupra dictis. FORVM *Iulij*} Forum Iulij unum in Carnis eſt, alterum, quod hic ſignificatur, in Gallia Narbonenſi, utrumque fortaſſe a C. Caeſare, cum in Gallia tranſalpina bellum gereret, conſtitutum. QVATTVOR *legionibus*} quinque nominat ep. 8. quattuor tamen Brutus ep. 13. lib. XI. BRVTI} qui praeerat Galliae ciſalpinae.

## Argumentum ep. 16.

*GRatiſsimas ſenatui fuiſſe Planci litteras, & eam a ſe dictam ſententiã, cui plane omnes aſſenſerint, factumq. S. C. ſignificat: deinde ſuadet, ut in ſubitis rebus conſilium ſenatus ne exſpectet, ipſe a ſeſe conſilium capiat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Planco.* 16.

NIHIL *poſt hominum memoriam glorioſius, nihil gratius, ne tempore quidem ipſo opportunius accidere uidi, quam tuas, Plance, litteras. redditae ſunt enim, frequenti ſenatu, Cornuto, cum is frigidas ſane, & inconſtantes recitaſſet litteras Lepidi. ſub eas ſtatim recitatae ſunt tuae, non ſine magnis quidem clamoribus. cum rebus enim ipſis eſſent, & ſtudijs, beneficijsq. in remp. gratiſſimae; tum erant grauiſſimis uerbis, & ſententijs. flagitare ſenatus inſtitit Cornutum, ut referret ſtatim de tuis litteris. ille ſe conſiderare ait uelle. cum ei magnum conuicium fieret cuncto a ſenatu, quinque tribuni pl. retulerunt. Seruilius rogatus rem diſtulit. ego eam ſententiam dixi, cui ſunt aſſenſi ad unum. ea quae fuerit, ex S. C. cognoſces. Tu quamquam conſilio non eges, uel abundas potius, tamen hoc animo eſſe debes, ut nihil huc reijcias, ne ue in rebus tam ſubitis, tamq. anguſtis a ſenatu conſilium petendum putes. ipſe tibi ſis ſenatus. quocumque te ratio reip. ducet, ſequare. cures, ut ante factum aliquid a te egregium audiamus, quam futurum putarimus. illud tibi promitto, quidquid erit a te factum, id ſenatum, non modo ut fideliter, ſed etiam ut ſapienter factum, comprobaturum. Vale.*

### EXPLANATIO

POST *hominum memoriam*} quantum homines meminiſſe poſſunt. INCONSTANTES} quia, modo reip. partibus, modo Antonio fauere uidebatur. pacem enim ſuadebat. ep. 27. 35. CVM *rebus enim ipſis eſſent, &c.*} uide eandem ſententiam ep. 12. & 19. INSTITIT} tale illud in prooemio lib. III. de Orat. Pignoribus ablatis Craſſum inſtitit coercere. Et apud Liuium, lib. XXVII. Veſtigijs inſtitit ſequi. Et Plautus in Mil. Dies decem continuos ire ad eundem inſtat. QVINQVE *tribuni pl. retulerunt.*} de relatione tribunorum pl. diximus ep. 1. lib. 1. SERVILIVS} ep. 12. ANGVSTIS} ſpatium non concedentibus mittendi ad ſenatum. FACTVM *aliquid*} ſic quinque libri ueteres: alij, Aliquod. mihi placet, Aliquid: quia, cum ſequatur, Futurum; uidetur, Factum, participium potius, quam nomen, eſſe oportere. nomen autem eſſet, ſi legatur, Aliquod.

---

## Argumentum ep. 17.

*PRaeſentem belli ſtatum deſcribit, cum excuſatione fratris a ſe dimiſsi, & commendatione ſuae dignitatis. Eodem anno.*

### *Plancus imp. S. D. Ciceroni.* 17.

ANTONIVS *idibus Maij ad Forum Iulij cum primis copijs uenit. Ventidius bidui ſpatio abeſt ab eo. Lepidus ad Forum Voconij caſtra habet; qui locus a Foro Iulij quattuor & uiginti millia paſſuum abeſt: ibiq. me exſpectare conſtituit, quemadmodum ipſe mihi ſcripſit. quod ſi omnia mihi integra & ipſe, & fortuna ſeruauerit: recipio uobis, celeriter me negotium ex ſententia confecturum. Fratrem meum, aſſiduis laboribus, concurſationibusq. confectum, grauiter ſe habuiſſe, antea tibi ſcripſi. ſed tamen, cum primum poſſe ingredi coepit; non magis ſibi, quam reip. conualuiſſe ſe exiſtimans, ad omnia pericula princeps eſſe non recuſabat. ſed ego eum non ſolum hortatus ſum, uerum etiam coegi iſto proficiſci: quod illa ualetudine magis conficere ſe, quam me iuuare poſſet in caſtris: & quod acerbiſſimo interitu conſulum remp. nudatam, tali ciue praetore in urbanis officijs indigere exiſtimabam. quod ſi quis ueſtrum non probabit; mihi prudentiam in conſilio defuiſſe ſciat, non illi erga patriam fidelitatem. Lepidus tandem, quod ego deſiderabam, fecit, ut Apellam ad me mitteret, quo obſide fide illius, & ſocietatis in rep. adminiſtranda uterer. ſtudium in ea re ſuum mihi L. Gellius; de tribus fratribus, Segauiano probauit: quo ego interprete nouiſſime ad Lepidum ſum uſus. amicum eum reip. cognoſcere uideor: libenterq. ei ſum teſtimonio, & omnibus ero, qui bene merentur. Fac ualeas, meq. mutuo diligas, dignitatemq. meam, ſi mereor, tuearis, ſicut adhuc ſingulari cum beneuolentia feciſti. Vale.*

## EXPLANATIO

VENTIDIVS} P. Ventidius, Picens, humili loco natus, qui hoc anno, praetor cum eſſet, conſul factus eſt in locum demortui Q. Pedij, ſuffecti in locum Hirtij ad Mutinam interfecti. Hic a Pompeij Magni patre, ut ait Valerius lib. VI. in triumphum ductus, poſtea uictum ſordide quaeſiuit, mulis, & uehiculis magiſtratibus, qui ſortiti prouincias eſſent, comparandis. extulit eum deinde ſic aut fortuna, aut eius induſtria, non modo ut praeturam, & eodem anno conſulatum geſſerit, uerum etiam de Parthis primus triumphauerit, & mortuus publico funere, quod paucisſimis contigit, quaſi gratiam eius uirtuti populo referente, ſit elatus. Suetonius, Gellius, Plutarchus, & alij. ABEST *ab eo.*} coniunxit ſe cum Antonio, ep. 33. 34. & 10. lib. XI. INTEGRA} ut Lepidus cum Antonio ſe coniungat. id enim Plancus ueretur. CONCVRSATIONIBVS}. ut qui turmis equitum praeeſſet. ep. II. 15. CONSVLVM} Hirtij, & Panſae. ep. 33. TALI *ciue praetore*} praetor erat Planci frater, & ab urbe tamen aberat, ſenatu ſcilicet concedente: urbanis enim magiſtratibus, extra po merium egredi, niſi reip. cauſſa, non licebat. ep. 3. lib. XI. FIDE} pro, Fidei: ut Salluſtius in Iugurtha: Decima parte die reliqua. Gellius lib. IX. cap. 14. C. Caeſar in libro de analogia ſecundo, huius die, & huius ſpecie, dicendum putat. Vide Aldi filij Scholia in Salluſtium. DE. TRIBVS *fratribus, Segauiano probauit:*} quattuor ueteres libri, Se Gauiano. legendum fortaſſe, Sex. Gauiano: (nam Segauianae gentis mentio non exſtat) ut ſit Sex. Atilius Gauianus, qui nominatur in oratione pro Sextio. Probauit, inquit, mihi:, in Apella ad me mittendo, ſtudium ſuum Gellius; in trium autem fratrum negotio, (hoc quale fuerit, ignoratur) Sex. Gauiano. SI MEREOR,} modeſte; ep. 9. Niſi in multitudine optimorum ciuium impetus animi mei fuerit ſingularis, & opera praecipua; nihil ad meam dignitatem accedere uolo ſuffragatione ueſtra.

# Argumentum ep. 18.

N*Arrat, quibus cauſsis ad Lepidum proficiſcatur.* **Eodem anno.**

### *Plancus S. D. Ciceroni.* 18.

QVID *in animo habuerim, cum Laeuus, Neruaq. diſceſſerunt a me, & ex litteris, quas eis dedi, & ex ipſis cognoſcere potuiſti, qui omnibus rebus, conſilijsq. meis interfuerunt. Accidit mihi, quod homini pudenti, & cupido ſatisfaciendi reip. bonisq. omnibus accidere ſolet; ut conſilium ſequerer periculoſum magis, dum me probarem, quam tutum, quod habere poſſet obtrectationem: itaque, poſt diſceſſum legatorum, cum binis continuis litteris & Lepidus me, ut uenirem, rogaret; & Laterenſis multo etiam magis, prope implorans, obteſtaretur, non ullam rem aliam extimeſcens, quam eandem, quae mihi quoque facit timorem, uarietatem, atque infidelitatem exercitus eius: non dubitandum putaui, quin ſuccurrerem, meq. communi periculo offerrem. ſciebam enim, etſi cautius illud erat conſilium, exſpectare me ad Iſaram, dum Brutus tranſiiceret exercitum, & cum collega conſentiente, exercitu concordi, & bene de rep. ſentiente, hoſtibus obuiam ire: tamen, ſi quid Lepidus bene ſentiens detrimenti cepiſſet, hoc omne aſſignatum iri aut pertinaciae meae, aut timori uidebam; ſi aut hominem offenſum mihi, coniunctum cum rep. non ſubleuaſſem; aut ipſe a certamine belli tam neceſſarij me remouiſſem. itaque potius periclitari uolui, ſi poſſem mea praeſentia & Lepidum tueri, & exercitum facere meliorem, quam nimis cautus uideri. ſollicitiorem certe hominem non ſuis contractis neminem puto fuiſſe. nam, quae res nullam habebat dubitationem, ſi exercitus Lepidi abſit, ea nunc magnam affert ſollicitudinem magnumq. habet caſum. mihi enim ſi contigiſſet, ut prior occurrerem Antonio; non mehercule horam conſtitiſſet: tantum ego & mihi cōfido, & ſic perculſas illius copias, Ventidijq. mulionis caſtra deſpicio. ſed non poſſum non exhorreſcere, ſi quid intra cutem ſubeſt uulneris, quod prius nocere poteſt, quam ſciri, curariq. poſſit. ſed certe, niſi uno loco me tenerem, magnum periculum ipſe Lepidus, magnum ea pars exercitus adiret, quae bene de rep. ſentit. magnam etiam perditi hoſtes acceſſionem ſibi feciſſent, ſi quas copias a Lepido abſtraxiſſent. quae ſi aduentus meus repreſſerit; agam gratias fortunae, conſtantiaeq. meae, quae me ad hanc experientiam excitauit. itaque ad* XII. *Kal. Iun. ab Iſara caſtra moui: pontem tamen, quem in Iſara feceram, caſtellis duobus ad capita poſitis, reliqui; praeſidiaq. ibi firma poſui; ut uenienti Bruto, exercituiq. eius ſine mora tranſitus eſſet paratus. ipſe, ut ſpero, diebus octo, quibus has litteras dabam, cum Lepidi copijs me coniungam. Vale.*

## EXPLANATIO

LAEVVS,} hunc ep. 21. nominat Laeuum Ciſpium, qui originem fortaſſe duxerit a Laeuo illo Ciſpio Anagnino, quem Ciſpio monti nomen dediſſe, Feſtus tradit. INTERFVERVNT.} ep. 6. lib. I. PVDENTI,} infamiam timente. ep. 23. Pudor me hunc caſum coegit ſubire. LEGATORVM,}

Laeui, & Neruae. LATERENSIS} Lepidi legatus. EXERCITVS *eius:*} ep. 11. 15. ETSI *cautius illud erat conſilium,*} emendationem huius loci doctiſsimo uiro Lambino debemus. VIDEBAM;} hoc uerbum ſententia non deſiderat: pendent enim omnia, ex illo, Sciebam: ſed ob interpoſita multa, quo clarior tota res eſſet, additum uidetur: quod interdum fieri ſolet. OFFENSVM *mihi,*} pro, mihi inimicum. ep. 11. 15. 21. 23. Sic locutus Cicero pro Cluentio: Inuidioſus, aut multis offenſus. SOLLICITIOREM} in maiore ſollicitudine. Tacitus lib. xx. Numquam apud uos uerba feci, aut pro uobis ſollicitior, aut pro me ſecurior. Sic & Seneca lib. III. de Ben. & Quinctilianus lib. x. Suetonius in Claudio, Sollicitiſsime. Eadem forma, Explicitius, dixit Caeſar lib. 1. bel. ci. NON *ſuis contractis*} aliena culpa: ex ijs, quae ipſe non contraxerit. nam, Contrahere, interdum eſt committere. ABSIT,} a reip. praeſidijs. MAGNVM *habet caſum.*} magnum diſcrimen. VENTIDII} ep. 17. 33. 34. MVLIONIS} quia uictum comparandis mulis, farreq. in caſtra conuehendo, adoleſcens ſibi comparauerat. uide Plinium lib. VII. cap. 43. SI. QVID *intra cutem ſubeſt uulneris,*} non bene ſperat de Lepido. ep. 13. 14. & ep. 9 lib. XI. NISI *uno loco me tenerem,*} niſi conſiſterem uno eodemq. in loco, in quo exercitum Lepidus haberet. Vel pro, Niſi, legendum Si: ut hoc dicat: Si manerem in eodem loco, nec ad Lepidum prope accederem. Hoc eo magis exiſtimo, quia ſcribit idem Plancus ep. 23. Si uno loco eſſem, uerebar ne cui obtrectatorum uiderer & minimum pertinaciter Lepido offenſus, & mea patientia etiam alere bellum. QVAE *bene de rep. ſentit.*} pars enim corrupta erat. ep. 11. 14. 21. CONSTANTIAEQ. *meae,*} hoc addidit, ne ſe prorſus omni laude priuaret, ac fortunae totum tribuiſſe uideretur. BRVTO,} Decimo, eius collegae.

## Argumentum ep. 19.

*Officium Planci in gratiarum actione, quamquam a ſe minime exſpectatum, gratiſsimum tamen ſibi fuiſſe non negat: litteris eius mirabiliter ſenatum eſſe delectatum, ſignificat: poſtremo loco, ut ad exſtinguendas belli reliquias incumbat omni ſtudio, cohortatur. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Planco imp.* 19.

QVAMQVAM *gratiarum actionem a te non deſiderabam, cum te re ipſa, atque animo ſcirem eſſe gratiſſimum: tamen (fatendum eſt enim) fuit ea mihi periucunda. ſic enim uidi, quaſi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari. dices, Quid antea? Semper quidem, ſed numquam illuſtrius. Litterae tuae mirabiliter gratae ſunt ſenatui cum rebus ipſis, quae erant grauiſſimae, & maximae, fortiſſimi animi, ſummiq. conſilij, tum etiam grauitate ſententiarum, atque uerborum. ſed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. in hoc erit ſumma & gratia, & gloria. cupio omnia reip. cauſſa: ſed mehercule, in ea conſeruanda iam defatigatus, non multo plus faueo patriae, quā tuae gloriae: cuius maximam facultatem tibi dij immortales, ut ſpero, dedere: quam complectere, obſecro. qui enim Antonium oppreſſerit, is hoc taeterrimum bellum, periculoſiſsimumq. confecerit. Vale.*

## EXPLANATIO

RE. IPSA, *atque animo*} tribus modis erga bene meritos officio fungimur, re, animo, uerbis. hoc extremum Plancus, agendis gratijs, praeſtiterat. QVAE *oculis cernuntur,*} tranſtulit ad animum ep. 12. lib. v. Cerno iam animo, inquit, quanto omnia uberiora, atque ornatiora futura ſint. GRAVISSIMAE, *& maximae, fortiſſimi animi, ſummiq. conſilij,*} animi maximae, conſilij grauiſsimae. Hunc locum ante aliquot annos ita legendum, & diſtinguendum putauimus; cum eſſet in peruulgatis omnibus libris, Maxime fortiſsimi animi. ET. GRATIA, *& gloria.*} ep. 5. Cuius, per deos, gratiae, gloriaeq. caue tempus amittas. DEFATIGATVS,} uix opinor Frontonis eſſe, antiqui, & eruditi grammatici, libellum quendam, in quo Defatigatus & Feſſus ita diſtinguuntur, ut, Defatigatus, de animo dicatur; Feſſus, de corpore. quod ſecus eſſe animaduerto. nam Defatigari, & de corpore uſurpatur, ut ad Terentiā ep. 1. lib. XIV. Te nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Quid illud lib. 1. de Diuin. non ad corpus omnino pertinet? Cum uirgo ſtaret, & Caecilia in ſella ſederet, puellam defatigatam petijſſe a matertera, ut ſibi concederet paulliſper, ut in eius ſella ſederet. Et illud in libro de Sen. Corpora quidem exercitationum defatigatione ingraueſcunt: animi autem ſe exercendo leuantur. Et Phil. 5. Cum ſemel gladium ſcelere imbuiſſet, nulla res ei finem caedendi, niſi defatigatio, & ſatietas, attuliſſet. Vnum igitur in Latino ſermone Ciceronem ducem ſequamur: ceterorum praecepta partim non neceſſaria, partim etiam falſa exiſtimemus. NON *multo plus*} plus omnino, (praeſtat enim patria rebus omnibus) uerum non multo plus.

plus. Complectere,} ep. 12. ſcripſit, eum iam complexum eſſe facultatem adiuuandae reip. gloriaeq. ſibi comparandae. Oppreſſerit,} ep. 13. Taeterrimvm} a ſceleratis ciuibus excitatum. Pericvloſſimvm} hoc ad Planci laudem pertinet: ne uideatur, uicto iam ad Mutinam Antonio, periculi nihil, aut parum ſupereſſe.

# Argumentum ep. 20.

*Incertam eſſe de Lepidi fide, ac uoluntate opinionem ſignificat: quod autem Plancus affirmauerit, id certum fore. Hortatur, ut Antonium opprimat: quodſi effecerit, maiora in illum ſtudia, & grauiora pollicetur. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Planco.* 20.

*Ita erant omnia, quae iſtinc afferebantur, incerta, ut, quid ad te ſcriberem, non occurreret. modo enim, quae uellemus, de Lepido, modo contra nunciabantur. de te tamen conſtans fama, nec decipi poſſe, nec uinci. quorum alterius fortuna partem habet quandam: alterum proprium eſt prudentiae tuae. ſed accepi litteras a collega tuo, datas idibus Maij: in quibus erat, te ad ſe ſcripſiſſe, a Lepido non recipi Antonium. quod erit certius, ſi tu ad nos idem ſcripſeris. ſed minus audes fortaſſe propter inanem laetitiam litterarum ſuperiorum. uerum, ut errare id Plance uoluiſti: (quis enim id effugerit?) ſic, decipi te non potuiſſe, quis non uidet? nunc uero etiã erroris cauſſa ſublata eſt. culpa enim illa,* Bis *ad eundem, uulgari reprehenſa prouerbio eſt. ſin, ut ſcripſiſti ad collegam, ita ſe res habet: omni cura liberati ſumus, nec tamen erimus prius, quam, ita eſſe, tu nos feceris certiores. mea quidem, ut ad te ſaepius ſcripſi, haec ſententia eſt: qui reliquias huius belli oppreſſerit, eum totius belli confectorem fore: quem te & opto eſſe, & confido futurum. Studia mea erga te, quibus certe nulla eſſe maiora potuerunt, tibi tam grata eſſe, quam ego putaui fore, minime miror, uehementerq. laetor: quae quidem tu, ſi recte iſtic erit, maiora, et grauiora cognoſces.* IV. *Kal. Iun.*

## EXPLANATIO

Qvae *uellemus,*} ab eo non recipi Antonium. Qvorvm *alterius*} quandam enim uictoriae partem ſibi fortuna uindicat. A collega *tuo,*} D. Bruto, obſidione Mutinae iam liberato. Te. ad. ſe *ſcripſiſſe,*} ſic unus omnino uetus liber: alter, Te ad eum ſcripſiſſe. utrumque placet. alij libri, Te adſcripſiſſe: uel, Te ſcripſiſſe: uel, Te conſcripſiſſe. Propter *inanem laetitiam litterarum ſuperiorum.*} inanis Planci laetitia fuit, quã ſignificauit ep. 15. cum dixit: Sedulitas mea reip. tulit fructum. quod tamen re ipſa comprobatũ poſtea non eſt, Lepido neutram in partem inclinante. propterea non audes, ait Cicero, id credere de Lepido, quod quia credidiſti antea, erraſſe te ſentis. Vervm, *ut errare id Plance uoluiſti;*} in magna ueterum librorum uarietate, hoc delegimus, quod probabile ſatis uidebatur. Errare, eſt in duobus antiquis libris: Errarem, in reliquis omnibus. quod mendoſum eſſe conſtat. error enim ille Planci, non Ciceronis, fuit: & ea, quae ſequuntur, aperte errorem Planci declarant. nam, quia turpius eſt decipi, quam errare; cum erremus, ut humani; decipiamur, ut incauti: propterea Plancum excuſat, & quaſi conſolatur; quod errauerit quidem, quia crediderit ſe eſſe bono Lepido uſurum; deceptus tamen non ſit; quia prudentia ualeret. Praeterea uerbum, Voluiſti, Plancium liberat ab imprudentiae culpa. ipſe, inquit, errare uoluiſti, cum ea ſperaſti de Lepido, quae uera eſſe cupiebas: non te quiſquam in errorem induxit: decipi enim non potes. Alij retinent, Errarem, aiuntq. libros omnes in eo ueteres conſentire: &, quia ſententiam uident elici commodam non poſſe, ex aliquo fortaſſe poeta ſumptum comminiſcuntur. Quod ad libros attinet, dixi iam duos eſſe, in quibus, Errare, non, Errarem, ſcriptum eſt: itaque nulla hic utor coniectura: ſequor & antiquitatis teſtimonium, & ſententiam ipſam, quae, Errare, poſtulat, Errarem, recuſat: praeſertim cum ſequatur, Sic decipi: quod ad illud opponitur, Vt errare. Alluſiſſe uero Ciceronem ad locum alicuius poetae peruulgatum, ipſa uerba, quae poeticum nihil olent, opinor nemini perſuaſerint. Quod ſi cui, Errare id, pro Errare in eo, uideatur durius: non eſſe diſſimile ſciat, Peccare multa, pro in multis: & huius generis alia. Quod ſi quis mutatione delectatur; ita poterit legere: Verum, ut errare mi Plance uoluiſti. una enim tantum littera tollitur, ſi ex, Errarem id, quod eſt in pleriſque antiquis libris, fiat, Errare mi. ut omittam, quod uno etiam in libro eſt, Errarem mi. Valuiſti, pro Voluiſti, Faernus legebat, homo ingenioſus, uerum coniecturae interdum ſuae nimium indulgens. Ego, ſi diſcedendum hic eſſet ab antiquis libris, quod minime neceſſarium uidetur; quid enim mihi placeat, iam oſtendi: tamen, Errare ualuiſti, probare non poſſem. Valere enim, & Poſſe, differunt in hoc, quia Poſſe & ad uires pertinet, & ad caſum: ad uires, ſatis notum: ad caſnm, hoc modo; poteſt errare, quamuis excellat prudentia: Valere autem, ad uires interdum, ad caſum numquam refertur. nec uereor, ut refellar exemplis. hic autem, ſi legatur, Vt

errare

errare uoluiſti, caſum ſignificari quis non uidet? Etiam *erroris cauſſa*} non modo decipi non potes, uerum nec errare quidem amplius. nam, quia ſemel erraſti, propterea, iterum ut erres, non committes, admonitus uulgari prouerbio, quo reprehendi ſolet is, qui bis ad eundem lapidem offendit. Senarius Graecus de altera ad eundem lapidem offenſione à Zenodoto inter adagia refertur. Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν ἐσκρούειν λίθον. Simile illud Publij mimi apud Gellium, & Macrobium: Improbe Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit. Et illud Horatij in epiſtola ad Piſones: Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem. Saepius} tribus, quae exſtant, epiſtolis, 13. 14. 19. Qui *reliquias huius belli oppreſſerit*,} qui M. Antonium, uictum iam & fugatum proelio Mutinenſi, plane profligauerit. Et. opto *eſſe, & confido futurum.*} blanditur, & laudat: optat enim, amore adductus; laudat, uirtute cognita. quod utrumque ualet ad cohortandum. Minime *miror, uehementerq. laetor:*} ep. I. Furnium tanti a te fieri, quantum ipſius humanitas, & dignitas poſtulat, nec miror, & gaudeo. Ep. II. lib. v. Grata tibi eſſe officia mea, non miror. cognoui enim te gratiſsimum omnium. Maiora, *& grauiora*} maiora, ad uoluntatem refertur: grauiora, ad rem. & contendam uehementius, & maioribus in rebus.

---

# Argumentum ep. 21.

***Perfidiam Lepidi, coniunctionemq. cum Antonio nunciat: nouarum copiarum ſubſidium poſtulat: dignitatem ſuam commendat. Eodem anno.***

## *Plancus S. D. Ciceroni.* 21.

*Pudiret me inconſtantiae mearum literarum, ſi non haec ex aliena leuitate penderent. Omnia feci, quare, Lepido coniuncto ad remp. defendendam, minore ſollicitudine ueſtra perditis reſiſterem: omnia ei & petenti recepi, & ultro pollicitus ſum; ſcripſiq. tibi biduo ante, confidere me bono Lepido eſſe uſurum, communiq. conſilio bellum adminiſtraturum. credidi chirographis eius, affirmationi praeſentis Laterenſis; qui tum apud me erat; reconciliaremq. me Lepido, fidemq. haberem, orabat. non licuit diutius bene de eo ſperare. illud certe caui, & cauebo, ne mea credulitate reip. ſumma fallatur. Cum Iſaram flumen, uno die ponte confecto, exercitum tranſduxiſſem, pro magnitudine rei celeritatem adhibens, quod petierat per litteras ipſe, ut maturarem uenire: praeſto mihi fuit ſtator eius cum litteris, quibus, ne uenirem, denunciabat: ſe poſſe conficere per ſe negotium: interea ad Iſaram exſpectarem. indicabo temerarium meum conſilium tibi: nihilo minus ire decreueram, exiſtimans eum ſocium gloriae uitare. putabam poſſe me nec de laude ieiuni hominis delibare quidquam, & ſubeſſe tamen propinquis locis, ut, ſi durius aliquid eſſet, ſuccurrere celeriter poſſem. ego non malus homo hoc ſuſpicabar. at Laterenſis, uir ſanctiſſimus, ſuo chirographo mittit mihi litteras: in eiſque, deſperans de ſe, de exercitu, de Lepidi fide, querensq. ſe deſtitutum, aperte denunciat, uideam ne fallar: ſuam fidem ſolutam eſſe; reip. ne deſim. exemplar eius chirographi Titio dedi. ipſa chirographa omnia, & quibus credidi, & ea, quibus fidem non habendam putaui, Laeuo Ciſpio dabo perferenda, qui omnibus his interfuit rebus. Acceſſit eo, ut milites eius, cum Lepidus concionaretur, improbi per ſe, corrupti etiam per eos, qui praeſunt, Canidios, Rufrenoſque, & ceteros, quos, cum opus erit, ſcietis, conclamarint uiri boni, pacem ſe uelle, neque eſſe cum ullis pugnaturos, duobus iam conſulibus ſingularibus occiſis, tot ciuibus pro patria amiſſis, hoſtibus denique omnibus iudicatis, boniſq. publicatis. neque hoc aut uindicarat Lepidus, aut ſanarat. huc me uenire, et duobus exercitibus coniunctis obijcere exercitum fideliſſimum, maxima auxilia, principes Galliae, prouinciam cunctam, ſummae dementiae, & temeritatis eſſe uidi; mihique, ſi ita oppreſſus eſſem, remq. pub. mecum perdidiſſem, mortuo non modo honorem, ſed miſericordiam quoque defuturam. itaque rediturus ſum; nec tanta munera perditis hominibus dari poſſe ſinam. exercitum locis ut habeam opportunis, prouinciam tuear, etiam ſi ille exercitus deſciuerit, omnia ut integra ſeruem, dabo operam, quoad exercitus huc ſummittatis, pariq. felicitate remp. hic uindicetis. nec depugnare, ſi occaſio tulerit; nec obſideri, ſi neceſſe fuerit; nec mori, ſi caſus inciderit, pro uobis paratior fuerit; quiſquam. Quare hortor te, mi Cicero, exercitum huc tranſijciendum quamprimum cures, & matures prius, quam hoſtes magis corroborentur, & noſtri perturbentur. in quo ſi celeritas erit adhibita; reſp. in poſſeſſione uictoriae, deletis ſceleratis, permanebit. Fac ualeas, meq. diligas. Fratrem meum tibi, fortiſſimum ciuem, & ad omnia paratiſſimum, excuſem litteris? qui ex labore in febriculam incidit aſſiduam, & ſatis moleſtam. cum primum poterit iſtuc recurrere; non dubitabit; ne quo loco reip. deſit. Meam dignitatem commendatam habeas, rogo. concupiſcere me nihil oportet. habeo te & amantiſſimum mei, &, quod optaui, ſummae auctoritatis. tu uideris, quantum, & quando tuum munus apud me uelis eſſe. tantum te rogo, in Hirtij locum me ſubdas, & ad tuum amorem, & ad meam obſeruantiam. Vale.*

## EXPLANATIO

Inconstantiae} qui de Lepido uarie ſcripſerim. Reconciliaremq. *me Lepido,*} erant enim inter eos inimicitiae. ep. 11. 15. 18. 23. Ieiuni} laudem appetentis. De-

LIBARE} decerpere. ieiunus enim aegre fert delibari quidquam de ſuo. IN . EISQVE,} ſic malo,
ut eſt in quattuor antiquis libris, quam, ut in reliquis, Meiſq. ſic enim coniungo: In eiſq. aperte denun-
ciat, uideam ne fallar. SVAM *fidem ſolutam eſſe*;} ſe iam promiſsis non teneri. obſtrinxerat enim ſuam
fidem Laterenſis, promiſeratq. omnia de Lepido: mox, ubi recipi Antonium a Lepido uidit, ſcripſit Plan
co, ſe deſtitutum a Lepido, nec iam ea, quae antea, polliceri. Contrario ſenſu Terentius in And. dixit:
Soluiſti fidem: pro, fregiſti. LAEVO *Ciſpio*} ep. 18. & Feſtus quendam Laeuum Ciſpium nominat
in uerbo Septimontium. CANIDIOS, *Rufrenoſq.*} legatos, uel tribunos militum, aut praefectos,
& centuriones. VIRI *boni*,} ironia ſatis manifeſta. CVM *ullis*} cum Antonij militibus.
DVOBVS *conſulibus*} Hirtio, & Panſa. OMNIBVS} Antonium ſecutis. VINDICARAT}
punierat. SANARAT.} correxerat. HVC} ubi erant Lepidus, & Antonius. DVOBVS}
Lepidi, & Antonij. GALLIAE,} ulterioris. ILLE *exercitus*} Lepidi. DESCIVERIT,} iam
enim cum Antonij exercitu coniunctus erat. OMNIA *ut integra ſeruem*,} nihil ut damni patiar.
PARIQ. *felicitate*} ut ad Mutinam. EXCVSEM *litteris*?} ita poſtulat ſententia: ſed, ne lectori
fraus fiat, moneo non eſſe, Excuſem, in ullo antiquo libro, ſed in omnibus, Excuſes. QVANTVM,
*& quando*} ep. 9. Temporis, & rei te moderatorem eſſe facile patior. IN . HIRTII *locum*} ut
conſul in Hirtij locum ſufficeretur, conſulatumq. gereret uſque ad exitum anni. quod etiam petijt Octa-
uius. ET . AD *tuum amorem, & ad meam obſeruantiam*.} & amoris in me tui cauſſa, & obſeruantiae
in te meae.

# Argumentum ep. 22.

***AGris diuidendis praefici Plancus cupiebat. ea de re Cicero reſpondet. Eodem anno.***

## *Cicero S. D. Planco.* 22.

*IN te, & in collega omnis ſpes eſt dijs approbantibus. concordia ueſtra, quae ſenatui declarata litteris ueſtris eſt, mirifice & ſenatus, & cuncta ciuitas delectata eſt. Quod ad me ſcripſeras de re agraria: ſi conſultus ſenatus eſſet, ut quiſque de te honorificentiſſimam ſententiam dixiſſet, eam ſecutus eſſem: qui certe ego fuiſſem: ſed propter tarditatem ſententiarum, moramq. rerum, cum ea, quae conſulebantur, ad exitum non peruenirent; commodiſſimum mihi, Plancoq. fratri uiſum eſt, uti eo, quod ne noſtro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planci litteris cognouiſſe. ſed ſiue in* S. C. *ſiue in ceteris rebus deſideras aliquid, ſic tibi perſuade, tantam eſſe apud omnes bonos tui caritatem, ut nullũ genus ampliſſimae dignitatis excogitari poſſit, quod tibi non paratum ſit. Litteras tuas uehementer exſpecto, & quidem tales, quales maxime opto. Vale.*

## EXPLANATIO

IN *collega*} D. Bruto. OMNIS *ſpes*} iam enim perierat uterque conſul: Octauij autem qui eſſet in Caeſaris interfectores animus, ideſt in ipſam remp. ignorabatur. CONCORDIA *ueſtra*,} ep. 26. & ad M. Brutum: Brutum praeclare cum Planco coniunctum habemus. & ep. 15. lib. XI. DE *re agraria*:} de agris militibus reip. diuidendis: quam ſibi curam demandari non modo Plancus, ſed Brutus etiam, eius collega, cupiebat. lib. XI. ep. 20. & 21. QVAE *conſulebantur*,} de quibus ad ſenatum referebatur. VTI . EO,} uel deeſt, uel certe ſubauditur, S. C. ut infra patet. TANTAM *eſſe apud omnes bonos tui caritatem*,} haec ad minuendum Planci dolorem ob S. C. minus e ſententia compoſitum, addita ſunt.

# Argumentum ep. 23.

***EXcuſat ſe, quod Lepido crediderit: ſuam diligentiam declarat in copijs tuto reducendis, audita Lepidi & Antonij coniunctione: quo in periculo ſubſidium poſtulat exercitus Octauij. Eodem anno.***

## *Plancus S. D. Ciceroni.* 23.

NVMQVAM *mehercule, mi Cicero, me paenitebit maxima pericula pro patria ſubire, dum, ſi quid acciderit mihi, a reprehenſione temeritatis abſim. Confiterer imprudentia me lapſum, ſi umquam Lepido*

*ex animo*

*ex animo credidiſſem.* CREDVLITAS *enim error eſt magis, quam culpa; & quidem in optimi cuiuſque mentem facillime irrepit. ſed ego non hoc uitio paene ſum deceptus: Lepidum enim pulchre noram. quid ergo eſt? pudor me, qui in bello maxime eſt periculoſus, hunc caſum coegit ſubire. nam, ſi uno loco eſſem, uerebar ne cui obtrectatorum uiderer & nimium pertinaciter Lepido offenſus, & mea patientia etiam alere bellum. itaque copias prope in conſpectum Lepidi, Antoniјq. adduxi; quadragintaq. millium paſſuum ſpatio relicto, conſedi, eo conſilio, ut uel celeriter accedere, uel ſalutariter recipere me poſſem. adiunxi haec in loco eligendo, flumen oppoſitum ut haberem, in quo mora tranſitus eſſet; Vocontij ſub manu ut eſſent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter. Lepidus, deſperato aduentu meo, quem non mediocriter captabat, ſe cum Antonio coniunxit ad* IV. *Kal. Iun. eodemq. die ad me caſtra mouerunt. uiginti millia paſſuum cum abeſſent, res mihi nunciata eſt. dedi operam deum benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic diſceſſus nihil fugae ſimile haberet, non miles ullus, non eques, non quidquam impedimentorum amitteretur, aut ab illis feruentibus latronibus interciperetur. itaque pridie non. Iun. omnes copias Iſaram tranſieci, ponteſque, quos feceram, interrupi, ut & ſpatium ad ſe colligendum homines haberent, & ego me interea cum collega coniungerem; quem triduo, cum has dabam litteras, exſpectabam. Laterenſis noſtri & fidem, & animum ſingularem in remp. ſemper fatebor. ſed certe nimia eius indulgentia in Lepidum, ad haec pericula perſpiciunda fecit eum minus ſagacem. qui quidem cum in fraudem ſe deductum uideret, manus, quas iuſtius in Lepidi perniciem armaſſet, ſibi afferre conatus eſt. in quo caſu tamen interpellatus, adhuc uiuit, & dicitur uicturus. ſed tamen de hoc mihi parum certum eſt: & magno cum dolore parricidarum elapſus ſum ijs. ueniebãt enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati: iracundias autem harum rerum recentes habebant, quod Lepidum caſtigare non deſtiteram, ut exſtingueret bellum: quod colloquia facta improbabam: quod legatos, fide Lepidi miſſos ad me, in conſpectu uenire uetueram: quod C. Catium Veſtinum trib. mil. miſſum ab Antonio ad eum cum litteris, exceperam. in quo hanc capio uoluptatem, quod certe, quo magis me petiuerunt, tanto maiorem ijs fruſtratio dolorem attulit. Tu, mi Cicero, quod adhuc feciſti, idem praeſta, ut uigilanter, neruoſeq. nos, qui ſtamus in acie, ſubornes. ueniat Caeſar cum copijs, quas habet firmiſſimas: aut, ſi ipſum aliqua res impedit, exercitus eius mittatur: cuius ipſius magnum periculum agitur. quidquid aliquando futurum fuit in caſtris perditorum contra patriam, hoc omne iam conuenit. pro urbis uero ſalute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? quod ſi uos iſtic non defueritis; profecto, quod ad me attinet, omnibus rebus abunde reip. ſatisfaciam. Te quidem, mi Cicero, in dies mehercule habeo cariorem: ſollicitudineſq. meas quotidie magis tua merita exacuunt, ne quid aut ex amore, aut ex iudicio tuo perdam. opto, ut mihi liceat iam praeſenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere iucundiora. Vale.* IIX. *idus Iun. Ciuarone, ex finibus Allobrogum.*

# EXPLANATIO

SI. QVID *acciderit*} ut fortuna fert: quaedam enim uitari non poſſunt. PVLCHRE *noram*.} non bene animatum, & natura leuem. ep. ad M. Brutum: Datum Lepido tempus eſt, in quo leuitatem eius, ſaepe perſpectam, maioribus in malis experiremur. BELLO *maxime eſt periculoſus*,} maxime enim ad res gerendas intereſt, optime de ducum uirtute & animo milites opinari. ep. 18. OFFENSVS,} infenſus, inimicus. ep. 18. SALVTARITER} ueteres libri, Salutari, Cum ſalute, Salutari loco, Saltem. non tamen diſplicet, Salutariter; etſi uidetur eſſe coniectura. probo etiam illud, Cum ſalute. SVB. MANV} propinqui. Graecum loquendi genus. Demoſthenes contra Phil. XI. *ὁρῶ γὰρ ὡς τὰ πολλὰ ἐνίους, οὐκ εἰς τοὺς αἰτίους, ἀλλ᾽ εἰς τοὺς ὑπὸ χεῖρα μάλιστα τὴν ὀργὴν ἀφιέντας.* FERVENTIBVS} quaſi incitatis aduerſus me. tranſlatio ſatis nota. quattuor libri ueteres, Furentibus: eadem ſententia. Furere enim de irato homine ſaepe uſurpat Cicero: & ipſe Plancus paullo poſt, Veniebant, inquit, eodem furore in me, quo in patriam, incitati. AD. SE *colligendum*} ad animum recipiendum. LATERENSIS} Lepidi legati. 18. 21. DICITVR *uicturus*.} non uixit: ut Velleius lib. 2. Dio lib. XLVI. ſcriptum reliquere. ET. MAGNO} copulam alij ſuſtulerunt: nos eam retinendã duximus, cum ſit in antiquis libris. parui tamen refert, abſit, nec ne. IIS.} ipſis parricidis. COLLOQVIA. FACTA} a Lepido cum Antonio, uel cum ijs, quos ad eum Antonius miſerat. LEGATOS,} ab Antonio miſſos ad me. FIDE. LEPIDI} promiſerat Lepidus, Antonij legatos, ab eo ad Plancum miſſos, incolumes eſſe reuerſuros. ij qui fuerint, non conſtat. nam C. Catium, infra ſtatim nominatum, non ad Plancum, ſed ad Lepidum eſſe miſſum ſuſpicor: & hic exceptus eſt, illi in conſpectum uenire uetiti. MISSOS} noſtri muneris eſt, monere lectorem, hoc eſſe ex ingenio: nam libri omnes antiqui, Dimiſſos, habent. CATIVM} nota familia. ep. 16. lib. XV. & Horatius Sat. 4. lib. 2. Vnde, & quo Catius? Quidam libri, Caninium, Tatium, Catinum. TRIBVNVM *mil*.} ſeni erant in legione tribuni mil. ut ait Polybius. AD. EVM} ad Lepidum. ſic duo ueteres libri. reliqui, Ad me. quod minus placet. non enim ſubiunxiſſet, Exceperam, ſed potius, Retinueram. nam excipiuntur ad alios miſſi; retinentur autem, qui ad nos. NERVOSE} ſic, ut in eo neruos omnes intendas. SVBORNES.} inſtruas ijs rebus, quae ad bellum neceſſariae ſunt. Cicero lib. 1. de leg. Cum ſe ipſe perſpexerit, totumq. tentarit; intelliget, quemadmodum a natura ſubornatus in uitam uenerit. Et Phil. 13. Appuleiana pecunia Brutum ſubornatis. CAESAR} Octauianus, ab auunculo. C. Caeſare adoptatus, unde Caeſar poſtea dictus. ep. 12. lib. XIV. ad Att. Nobiſcum hic perhonorifice, & amice Octauius: quem quidem ſui Caeſarem ſalutabant, Philippus non, itaque ne nos quidem. FIRMISSIMAS:} ueteranos, & prae-

terea duas legiones, Martiam, & Quartam. ep. 7. lib. xi. ep. 7. lib. xvi. ad Att. & Phil. 3. 4. 5. 7. 10. 11. 13. 14. Velleius, Suetonius, Dio, Appianus, alijq. CVIVS *ipſius magnum periculum agitur.*} erat enim & Antonius inimicus. ep. 23. lib. xii. SOLLICITVDINES} curas. EXACVVNT,} excitant, augent. PIETATE *meorum officiorum*} meis officijs, quae pie praeſto. Quid ſit Pietas, & ad quos hoc nomen pertineat, diximus ep. 1. lib. 1. CIVARONE,} ſuſpicor de mendo. nam & hunc locum nemo de ueteribus nominat: & ueteres libri alij, Anerone, habent; alij, Curone: plerique, Ciuarone, aut Cuiarone: unus, Cinarone: alius hoc nomen non habet.

---

## Argumentum ep. 24.

*POllicetur ſe memorem beneficiorum: ſuas copias narrat: ſubſidium aut Octauiani Caeſaris copiarum, aut Africani exercitus poſtulat: Octauianum quaſi parum reip. amantem carpit. Eodem anno.*

### *Plancus imp. cos. des. S. D. Ciceroni.* 24.

*FACERE non poſſum, quin in ſingulas res meritaq. tua tibi gratias agam: ſed mehercule facio cum pudore. neque enim tanta neceſſitudo, quantam tu mihi tecum eſſe uoluiſti, deſiderare uidetur gratiarum actionem: neque ego lubenter pro maximis tuis beneficijs tam uili munere defungor orationis; & malo praeſens obſeruantia, indulgentia, aſſiduitate memorem me tibi probare. quod ſi mihi uita contigerit; omnes gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates in tua obſeruantia, indulgentia, aſſiduitate uincam. amor enim tuus, ac iudicium de me utrum mihi plus dignitatis in perpetuum, an uoluptatis quotidie ſit allaturus, non facile dixerim. De militum commodis fuit tibi curae: quos ego non potentiae meae cauſſa (nihil enim me non ſalutariter cogitare ſcio) ornari uolui a ſenatu; ſed primum, quod ita meritos iudicabam; deinde, quod ad omnes caſus cõiunctiores reip. eſſe uolebam; nouiſſime, ut ab omni omnium ſollicitatione auerſos eos tales uobis praeſtare poſſem, quales adhuc fuerunt. Nos adhuc hic omnia integra ſuſtinuimus. quod conſilium noſtrum; etſi, quanta ſit auiditas hominum, non ſine cauſſa, talis uictoriae, ſcio; tamen uobis probari ſpero. non enim, ſi quid in his exercitibus ſit offenſum, magna ſubſidia reſp. habet expedita, quibus ſubito impetu, ac latrocinio parricidarum reſiſtat. copias uero noſtras notas tibi eſſe arbitror. in caſtris meis legiones ſunt ueteranae tres, tironum uel luculentiſſima ex omnibus una. in caſtris Bruti una ueterana legio, altera bima, octo tironum. ita uniuerſus exercitus numero ampliſſimus eſt, firmitate exiguus. quantum autem in acie tironi ſit committendum, nimium ſaepe expertum habemus. ad hoc robur noſtrorum exercituum ſiue Africanus exercitus, qui eſt ueteranus, ſiue Caeſaris acceſſiſſet, aequo animo ſummam remp. in diſcrimen deduceremus. aliquanto autem propius eſſe, quod ad Caeſarem attinet, uidebamus. nihil deſtiti eum litteris hortari: neque ille intermiſit affirmare, ſe ſine mora uenire: cum interim auerſum illum ab hac cogitatione, ad alia conſilia uideo ſe contuliſſe. ego tamen ad eum Furnium noſtrum cum mandatis, litteriſq. miſi; ſi quid forte proficere poſſet. Scis tu, mi Cicero, quod ad Caeſaris amorem attinet, ſocietatem mihi eſſe tecum: uel quod in familiaritate Caeſaris, uiuo illo, iam tueri eum, & diligere mihi fuit neceſſe: uel quod ipſe, quoad ego eſſe potui, moderatiſſimi, atque humaniſſimi fuit ſenſus: uel quod ex tam inſigni amicitia mea, atque Caeſaris, hunc, filij loco & illius, & ueſtro iudicio ſubſtitutum, non perinde habere mihi turpe uidetur. ſed quidquid tibi ſcribo, dolenter mehercule magis, quam inimice facio. quod uiuit Antonius hodie; quod Lepidus una eſt; quod exercitus habent non contemnendos; quod ſperant; quod audent: id omne Caeſari acceptum referre poſſunt. neque ego ſuperiora repetam: ſed ex eo tempore, quo ipſe mihi profeſſus eſt ſe uenire, ſi uenire uoluiſſet; aut oppreſſum iam bellum eſſet, aut in aduerſiſſimam illis Hiſpaniam cum detrimento eorum maximo extruſum. quae mens eum, aut quorum conſilia a tanta gloria, ſibi uero etiam neceſſaria, ac ſalutari, auocarint, & ad cogitationem conſulatus bimeſtris, ſummo cum terrore hominum, & inſulſa cum efflagitatione tranſtulerint, exputare non poſſum. multum in hac re mihi uidentur neceſſarij eius & reip. & ipſius cauſſa proficere poſſe: plurimum, ut puto, tu quoque: cuius ille tanta merita habet, quanta nemo praeter me. numquam enim obliuiſcar, maxima, ac plurima me tibi debere. De his rebus, ut exigeret cum eo, Furnio mandaui. quod ſi, quantam debeo, habuero apud eum auctoritatem; plurimum ipſum iuuero. Nos interea duriori condicione bellum ſuſtinemus: quod neque expeditiſſimam dimicationem putamus; neque tamen refugiendo commiſſuri ſumus, ut maius detrimentum reſp. accipere poſſit. quod ſi aut Caeſar ſe reſpexerit; aut Africanae legiones celeriter uenerint; ſecuros uos ab hac parte reddemus. Tu, ut inſtituiſti, me diligas, rogo, proprieq. tuum eſſe, tibi perſuadeas. V. Kal. Sext. ex caſtris.*

## EXPLANATIO

FACERE *non poſſum,*} delectatur Plancus in principio litterarum quadam grati animi ſignificatione, ut ad ſe ornandum eo magis Ciceronem alliciat. ep. 9. 11. 19. INDVLGENTIA, *aſſiduitate uincam.*}

*uincam*.} ſubauditur copula. nam haec duo ad uerbum, Vincam, referuntur. AMOR *enim tuus, ac iudicium de me* }, amor uoluptatem, iudicium dignitatem affert. MILITVM} Planci. NOVISSIME,} Tiro ſcripſit in Pandectis, non recte dici Nouiſsime: adijcitq. quod ſua coeperit aetate id aduerbium. ubi Flauius Caper de Latinitate, Miror, inquit, id dixiſſe Tironem: cum Valerius Antias lib. 2. Mater, cum nouiſsime aegrotaſſet, inquit, uouiſſe fertur. Idem XXII. Quod nouiſsime nobiſcum foedus feciſſent. Haec Cariſius. SOLLICITATIONE} Antonij, & Lepidi. ep. 8. OMNIA *integra ſuſtinuimus*.} non, nihil damni paſsi ſumus, ſed, remp. in diſcrimen non adduximus, proelium uitauimus. confirmant hanc ſententiam ea, quae ſequuntur. ep. 21. alio ſenſu dixit, Omnia ut integra ſeruem. OFFENSVM,} peccatum: ſi qua iactura fiat. IMPETV,} pro, impetui: Vt Virgilius Geor. 4. Concubitu indulgent. quod ab homine antiquitatis diligentiſsimo Pierio Valeriano notatum animaduerti. VNA.} quattuor igitur Planci legiones, ut ep. 15. & ep. 13. lib. XI. quanquam ep. 8. quinque nominantur. OCTO} decem igitur Bruti legiones: quod Appianus confirmat. FIRMITATE *exiguus*.} tirones enim multis partibus plures, quam ueterani. ep. ad M. Brutum: Sunt exercitus boni, ſed rudes, Bruti, & Planci. EXPERTVM *habemus*.} Pharſalico maxime proelio, ut ep. 3. lib. VII. & Tuſc. 2. Expertum habemus, pro experti ſumus: ut ep. ad M. Brutum: Clodij animum perſpectum habeo, cognitum, iudicatum: pro perſpexi, cognoui, iudicaui. AFRICANVS *exercitus*,} quem C. Caeſar, uicto Scipione, Pompeij ſocero, in Africa reliquerat, praepoſitis Q. Cornificio, ut ep. 14. & 26. lib. XII. praeterea T. Sextio, D. Laelio, ut ait Dio lib. XLIIX. AD *alia conſilia* } ad cogitationem conſulatus bimeſtris. infra. CAESARIS} Caeſarem appellat, quod a C. Caeſare dictatore adoptatus erat. PROPIVS. ESSE,} propiore dicit eſſe exercitum Caeſaris, quam Africanum. QVOD *ad Caeſaris amorem attinet*,} attinet autē hoc, ut cum exercitu ſuo ueniat, in tanto reip. periculo. IPSE,} C. Caeſar. INSIGNI *amicitia* } ep. 3. VESTRO *iudicio*} Caeſaris enim adoptionem, teſtamento factam, comprobaſtis. QVOD *uiuit Antonius hodie*;} uide ſimilem loquendi modum ep. 29. lib. VII. Quod ſimus, quod habeamus. Et ad Att. ep. 12. lib. I. ADVERSISSIMAM} ſic omnes mei libri ueteres, duobus exceptis, in quibus eſt Auerſiſsimam. placet, Aduerſiſsimam. ILLIS} nullo in uetere libro ita ſcriptum animaduerti, ſed, Illi, in omnibus; Ille, in uno; Illa, in altero. EXTRVSVM.} emendaui locum ex ingenio. nam ueteres libri, Et rurſum: unus tantum, Et ruſum: quo etiam coniectura noſtra magis adiuuatur. nam qui, Detruſum, legunt, longius ab antiqua ſcriptura diſcedunt. NECESSARIA, *ac ſalutari*,} quia cum Antonio gerebat inimicitias, propterea ep. 23. dixit Plancus: Cuius ipſius magnum periculum agitur. CONSVLATVM} ut in Panſae, aut Hirtij locum ſurrogaretur. BIMESTRIS,} aut, Quinquemeſtris, legendum; cum quinque menſes, non duo, ſupereſſent ad exitum anni, ut dies huic epiſtola adſcripta declarat: aut, Bimeſtris, dixit, pro Exigui temporis. quod uidit etiam Rutilius. TERRORE} petebat enim contra leges: quae conſulatum mandari ante XLIII aetatis annum uetabant. praeterea, quid non timendum ab adoleſcente conſule, qui Caeſar uocaretur, & quem improbi multi, ad deprauandum parati, ſequerentur? ep. 12. ad Att. lib. XIV. & ep. 12. ad eundem lib. XV. EXPVTARE} hoc uerbo & Plautus in Trinummo uſus eſt. NECESSARII *eius*,} in primis L. Marcius Philippus, uitricus, & C. Claudius Marcellus, eius ſororis uir. Phil. 3. TANTA *merita* } merita Ciceronis in Octauium uide Phil. 5. & 14. exſtat etiam praeclara M. Bruti epiſtola ad Ciceronem ipſum, & altera ad Atticum, de nimia eius in Octauium indulgentia. EXIGERET *cum eo*,} ageret cum eo. IPSVM *inuero*.} nam ipſius quoque periculum agitur. ep. 23. EXPEDITISSIMAM} utiliſsimam; a uerbo, Expedit, utile eſt. DIMICATIONEM} contra duos Antonij, & Lepidi exercitus. AFRICANAE} ep. 15. lib. XI.

---

# Argumentum ep. 25.

*MOdeſte reprehendit in Furnio praeproperam adipiſcendae praeturae feſtinationem.*

## *Cicero S. D. C. Furnio. 25.*

*SI intereſt, id quod homines arbitrantur, reip. te, ut inſtituiſti, atque feciſti, nauare operam, rebusq. maximis, quae ad exſtinguendas reliquias belli pertinent, intereſſe: nihil uideris melius, neque laudabilius, neque honeſtius facere poſſe, iſtamq. operam tuam, nauitatem, animum in remp. celeritati praeturae anteponendam cenſeo. nolo enim te ignorare, quantam laudem conſecutus ſis: mihi crede, proximam Planco, idq. ipſius Planci teſtimonio, praeterea fama, ſcientiaq. omnium. quamobrem, ſi quid operis tibi etiam nunc reſtat, id maximopere cenſeo perſequendum. quid enim honeſtius, aut quid honeſto anteponendum? ſin autem ſatisfactum reip. putas: celeriter ad comitia, quando mature futura ſunt, ueniendum cenſeo; dummodo ne quid haec ambitioſa feſtinatio imminuat eius gloriae, quam conſecuti ſumus. Multi clariſſimi uiri, cum reip. darent operam, annum petitionis ſuae non obierunt: quod eo facilius nobis eſt, quod non eſt annus hic tibi deſtinatus: ut, ſi aedilis fuiſ-*

ſes, poſt biennium tuus annus eſſet. nunc nihil praetermittere uidebere uſitati, & quaſi legitimi temporis ad petendum. uideo autem, Planco conſule, etſi etiam ſine eo rationes expeditas haberes, tamen ſplendidiorem petitionem tuam fore, ſi modo iſta ex ſententia confecta eſſent. Omnino plura me ſcribere, cum tuum tantum conſilium, iudiciumq. ſit, non ita neceſſe arbitrabar: ſed tamen ſententiam meam tibi ignotam eſſe nolebam: cuius eſt haec ſumma, ut omnia te metiri dignitate malim, quam ambitione; maioremq. fructum ponere in perpetuitate laudis, quam in celeritate praeturae. Haec eadem locutus ſum domi meae, adhibito Quincto fratre meo, & Caecina, & Caluiſio, ſtudioſiſſimis tuis, cum Dardanus, libertus tuus, intereſſet. omnibus probari uidebatur oratio mea: ſed tu optime iudicabis. *Vale.*

## EXPLANATIO

INTEREST,} erat enim Planci legatus. ep. 8. NAVITATEM,} diligentiam. CELERITATI *praeturae* } Furnius enim Romam ire cupiebat ad petendam praeturam, cum aedilis nondum fuiſſet. FAMA, *ſcientiaq. omnium.* } Sententiaq. omnium, placeret: quod in Varietatibus a me ſcriptum anno M.D.XXXIII. COMITIA,} praetorum. nam conſulum ſequentis anni neceſſaria non erant: cum Plancus & Brutus iam antea deſignati eſſent a Caeſare Parthicum bellum cogitante. QVAM *conſecuti ſumus.* } quam conſecutus es. coniungit utriuſque laudem, ut oſtendat amorem ſuum. amicorum enim omnia communia. MVLTI *clariſſimi uiri,* } diſſuaſio ab exemplis: ab utili uero, in primis epiſtolae uerbis. CVM *reip. darent operam,* } foris. NON. OBIERVNT.} non uenerunt ad petendum. SI *aedilis fuiſſes,* } ergo aedilis Furnius non fuerat. POST *biennium* } ut praetura aedilitatem, ſic praeturam conſulatus poſt biennium ſequebatur. qua de re & diximus alibi, & dicemus, Deo fauente, ſuo loco plenius. NVNC *nihil praetermittere &c.* } ſi manebis in prouincia, & ad comitia praetoria non uenies. PLANCO *conſule,* } anno ſequenti. RATIONES *expeditas,* } nihil impediret, quo minus praeturam aſſequeris. CVM *tuum tantum conſilium, iudiciumq. ſit,* } cum tu conſilio, iudicioq. tantum ualeas. NOLEBAM:} teſtificandi amoris gratia. ep. 3. & lib. 2. ep. 4. IN *perpetuitate laudis,* } perpetuam enim laudem, nauata reip. opera, conſequeris. ADHIBITO} adiuncto. ep. 7. lib. XI. Cum adhibuiſſet domi meae Lupus me. CAECINA,} ep. 5. lib. VI. CALVISIO,} fortaſſe illo, de quo Phil. 3. etſi ille Antonij amicus, hic reip. uidetur. ep. ſeq. DARDANVS,} in Dardania captus: unde nomen. liberti autem, aſſumpto nomine Romano, retinebant & priſtinum ſeruile.

---

# Argumentum ep. 26.

*ET de periculo uitato, quod ex Narbonenſi pugna impendere ſcripſerat Furnius, & de Planci, Brutiq. concordia gratulatur. Diſſuadet, ne ad petendam praeturam eat: comitia tamen, non tam eius, quam reip. cauſſa, protrahi a ſe, quantum in ipſo ſit, in Ianuarium menſem, ſignificat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Furnio.* 26.

LECTIS tuis litteris, quibus declarabas aut omittendos Narbonenſes, aut cum periculo dimicandum; illud magis timui; quod uitatum, non moleſte fero. Quod de Planci, & Bruti concordia ſcribis, in eo uel maximam ſpem pono uictoriae. De Gallorum ſtudio, nos aliquando cognoſcemus, ut ſcribis, cuius id opera maxime excitatum ſit: ſed iam, mihi crede, cognouimus. itaque iucundiſſimis tuis litteris ſtomachatus ſum in extremo. ſcribis enim, ſi in Sextilem comitia, cito te: ſi iam confecta, citius; ne diutius cum periculo fatuus ſis. O mi Furni, quam tu cauſſam tuam non noſti, qui alienas tam facile diſcas. tu nunc candidatum te putas: & id cogitas, ut aut ad comitia curras; aut, ſi iam confecta, domi tuae ſis; ſcilicet ne cum maximo periculo, ut ſcribis, ſtultiſſimus ſis. non arbitror te ita ſentire. omnes enim tuos ad laudem impetus noui. quodſi, ut ſcribis, ita ſentis, non magis te, quam de te iudicium reprehendo meum. Te adipiſcendi magiſtratus leuiſſimi, & diuulgatiſſimi, ſi ita adipiſcare, ut plerique, praepropera feſtinatio abducet a tantis laudibus, quibus te omnes in caelum iure, & uere ferunt? ſcilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima praetor fias, non ut ita de rep. mereare, omni honore ut digniſſimus iudicere. utrum neſcis, quam alte adſcenderis; an pro nihilo id putas? ſi neſcis: tibi ignoſco: nos in culpa ſumus. ſin intelligis: ulla tibi eſt praetura uel officio, quod pauci, uel gloria, quam omnes ſequuntur, dulcior? Hac de re & ego, & Caluiſius, homo magni iudicij, tuiq. amantiſſimus, te accuſamus quotidie: comitia tamen, quando ex his pendes, quantum facere poſſumus, quod multis de cauſſis reip. arbitramur conducere, in Ianuarium menſem protrudimus. Vince igitur, & uale.

## EXPLANATIO

DE *Planci, & Bruti concordia*,} ep. 22. GALLORVM} eam Galliae partem dicit, cui Plancus praeerat, ideſt tranſalpinam. de quo diximus ep. 1. COGNOVIMVS.} tua uidelicet opera excitatum, id enim Furnius modeſte ſignificauerat. IN SEXTILEM} indicta ſint. CITO TE:} uenturum Romam. NE DIVTIVS *cum periculo ſtatus ſis*.} ne diutius pericula pro rep. ſubeas nullo tuo fructu: quod dementis eſt. QVI *alienas tam facile diſcas*.} patronus cauſſarum ſolebat eſſe Furnius. CANDIDATVM *te putas*:} putas hunc eſſe tuum annum, qui non eſt. IVDICEVM *meum*.} qui te aliter, quam ſcribis, arbitrer ſentire. SI *ita adipiſcare*,} cauſſa, cur ſit praetura leuiſsimus magiſtratus. cum poſsit idem eſſe grauiſsimus, ſi & ſuo petatur anno, & magnis rebus pro rep. geſtis. SCILICET *id agitur*,} ironia. id uidelicet laboras. OMNI HONORE} non praetura tantum. QVAM *alte adſcenderis*;} quantam ſis laudem aſſecutus. TIBI *ignoſco*:} quia ſciens non peccas, ſed inopia iudicij. NOS *in culpa ſumus*.} peccamus nos, qui te, tuam cauſſam ignorantem, rationibus conemur in prouincia retinere. OFFICIO,} quod patriae debes. SEQVVNTVR,} tueor illud meum, ut oſtendam, quid ex ingenio, quid a libris acceptum ſit. hic nullum adhuc uidi ueterem librum, (& uidi quamplurimos) in quo eſſet, Sequuntur. habent autem, Aſſequũtur, omnes, iampridem tamen duxi, quod uidetur ſententia poſtulare, legendum, Sequuntur. EX *his pendes*,} haec ſpectas haec tibi propoſita ſunt. REIP. *conducere*,} quo diutius alantur hac ſpe, qui reip. operam dant. PROTRVDIMVS.} plus eſt, quam Producimus. ep. 12. lib. 2. ad Q. fr. Putantur detrudi comitia in menſem Martium.

## Argumentum ep 27.

*LEpidum quaſi molli brachio obiurgat, quia, ſummis honoribus a ſenatu ornatus, gratiarum agendarum officium neglexerat: deinde, pacem inter Antonium, bonosq. ciues conciliare cupientem hortatur, ne ſe interponat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. M. Lepido.* 27.

*QVOD mihi pro mea ſumma erga te beneuolentia magnae curae eſt, ut quam ampliſſima dignitate ſis; moleſte tuli, te ſenatui gratias non egiſſe, cum eſſes ab eo ordine ornatus ſummis honoribus. Pacis inter ciues conciliandae te cupidum eſſe, laetor. pacem eam ſi a ſeruitute ſeiungis; conſules & reip. & dignitati tuae. ſin iſta pax perditum hominem in poſſeſſionem impotentiſſimi dominatus reſtitutura eſt: hoc animo ſcito eſſe omnes ſanos, ut mortem ſeruituti anteponant. itaq. ſapientius, meo quidem iudicio, facies, ſi te in iſtam pacificationem non interpones; quae neque ſenatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur. Sed haec audies ex alijs, aut certior fies litteris. tu, pro tua prudentia, quid optimum factu ſit, uidebis.*

## EXPLANATIO

ORNATVS *ſummis honoribus*,} ſupplicatione ei decreta, ut Phil. 3. legimus, poſt etiam triumpho, ut Phil. 13. & ſtatua equeſtri inaurata: de qua ſic Phil. 5. Cenſeo S. C. his uerbis perſcribendum. Cum a M. Lepido imp. pont. max. ſaepenumero reſp. & bene, & feliciter geſta ſit; populusq. R. intellexerit, ei dominatum regium maxime diſplicere; cumq. eius opera, uirtute, conſilio, ſingulariq. clementia, & manſuetudine bellum acerbiſsimum ciuile ſit reſtinctum; eius in remp. meritorum ſenatum populumq. R. memorem fore; eiq. ſtatuam equeſtrem inauratam in Roſtris, aut quo alio loco in foro uellet, ex huius ordinis ſententia ſtatui placere. qui honos, P.C. mihi maximus uidetur: primum, quia iuſtus eſt: non enim ſolum datur propter ſpem temporum reliquorum, ſed pro ampliſsimis meritis redditur. nec uero cuiquã, poſſumus commemorare, hunc honorem a ſenatu tributum iudicio ſenatus ſenatu, & libero. Et Phil. 13. Haec cauſſa fuit, cur decerneretis Lepido ſtatuam in Roſtris, cũ inſcriptione praeclara, cur abſenti triumphum. Et ep. ad M. Brutum: Lepidi cauſſa durior erat, quam Antonij, quod, cum honoribus ampliſsimis a ſenatu eſſet ornatus, repente non ſolum recepit reliquias hoſtium, ſed bellum acerrimum terra, mariq. gerit. Et in alia ad eundem: In Lepido reprehendimur: cui cum ſtatuam in Roſtris ſtatuiſſemus, ijdem illam euertimus. PACIS *inter ciues conciliandae te cupidum eſſe, laetor*.} De hac Lepidi uoluntate, Phil. 13. PERDITVM *hominem*} Antonium. IN *poſſeſſionem*} unde proelio Mutinenſi deiectus erat. IMPOTENTISSIMI} in quo nihil iure, & ordine, ſed ui, & ſcelere geruntur omnia. ep. 1. Impotentiſsimum hominem.

## Argumentum ep.28.

*D*Olet, *ſe participem non fuiſſe coniurationis in Caeſarem; quia ſuperſtes Antonius exitium reip. moliatur: deinde ſuum libertatis recuperandae ſtudium declarat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. C. Trebonio.* 28.

*Q*VAM *uellem ad illas pulcherrimas epulas me idibus Mart. inuitaſſes: reliquiarum nihil haberemus. at nunc cum his tantum negotij eſt, ut ueſtrum illud diuinum in remp. beneficium non nullam habeat querellam. quod uero a te, uiro optimo, seductus eſt, tuoq. beneficio adhuc uiuit haec peſtis: interdum, quod mihi uix fas eſt, tibi ſubiraſcor. mihi enim negotij plus reliquiſti uni, quam praeter me, omnibus. Vt enim primum poſt Antonij foediſſimum diſceſſum ſenatus haberi libere potuit; ad illum animum meum reuerti priſtinum, quem tu cum ciue acerrimo, patre tuo, in ore & amore ſemper habuiſti. nam, cum ſenatum ad* XIII. *Kal. Ian. tribuni pl. uocauiſſent, deq. alia re referrent: totam remp. ſum complexus; egiq. acerrime; ſenatumq. iam languentem, & defeſſum, ad priſtinam uirtutem, conſuetudinemq. reuocaui, magis animi, quam ingenij uiribus. hic dies, meaq. contentio, atque actio ſpem primum populo R. attulit libertatis recuperandae. nec uero ipſe poſtea tempus ullum intermiſi de rep. non cogitandi ſolum, ſed etiam agendi. quod niſi res urbanas, actaq. omnia ad te perferri arbitrarer, ipſe perſcriberem. quamquam eram maximis occupationibus impeditus. ſed illa cognoſces ex alijs, a me pauca, & ea ſummatim. Habemus fortem ſenatum, conſulares partim timidos, partim male ſentientes: magnum damnum factum eſt in Seruio. L. Caeſar optime ſentit: ſed, quod auunculus eſt, non acerrimas dicit ſententias. conſules egregij: praeclarus D. Brutus: egregius puer Caeſar. de quo ſpero equidem reliqua: hoc uero certum habeto, niſi ille ueteranos celeriter conſcripſiſſet; legionesq. duae de exercitu Antonij ad eius ſe auctoritatem contuliſſent, atque is oppoſitus eſſet terror Antonio, nihil Antonium ſceleris, nihil crudelitatis praeteriturum fuiſſe Haec tibi etſi audita eſſe arbitrabar; uolui tamen notiora eſſe. plura ſcribam, ſi plus otij habuero. Vale.*

## EXPLANATIO

TREBONIO.} uiro conſulari, Aſiam regenti, poſt obitum Caeſaris.ep.16.lib.XII. & Plutarchus in
Bruto. unus fuit ex ijs, qui de Caeſare necando coniurauerant. occidit eũ poſtea Dolabella. ep.12.lib.
XII. Dio lib.XLVII. AD. ILLAS *pulcherrimas epulas*} ad facinus illud egregium, cum Caeſarem idi-
bus Mart. occidiſtis. INVITASSES:} apto uerbo ad inceptam translationem uſus eſt. RELI-
QVIARVM *nihil haberemus.*} non modo Caeſar, ſed Antonius quoque interfectus eſſet. ſimile princi-
pium ep.4.lib.VI. Vellem idibus Mart. me ad cenam inuitaſſes: reliquiarum nihil fuiſſet. nunc me reliquiae
ueſtrae exercent. CVM. HIS} cum Antonio. TANTVM *negotii eſt,*} ita me exercent reliquiae
ueſtrae, dixit, ep.4.lib.VI. VESTRVM} particeps enim, ut dixi, coniurationis in Caeſarem Trebo-
nius fuerat. QVERELLAM.} queruntur homines Antonium ſeruatum eſſe. Querella, ll geminata
ſcribo, ex antiquis & libris, & lapidibus. SEDVCTVS *eſt,*} Philip. 13. O Spartace, ſceleratum Tre-
bonium auſus es ſcribere? quo ſcelere, niſi quod te idibus Mart. a debita tibi peſte ſeduxit? Idem ex Dionis
lib.XLIV. cognouimus. QVOD *mihi uix fas eſt,*} quod mihi per noſtram neceſsitudinem uix licet.
MIHI *enim negotij plus reliquiſti uni, quam, praeter me, omnibus.*} Idem ep.4.lib.XII. Nunc me reli-
quiae ueſtrae exercent. & quidem praeter ceteros me. Et illud ſimile eodem libro, ep.22. Nos hic cum ho-
mine gladiatore, omnium nequiſsimo, collega noſtro, Antonio bellum gerimus, ſed non pari condicione,
contra arma uerbis. Et ad Plancum, ep.1. Numquam per M. Antonium quietus fui. FOEDISSIMVM
*diſceſſum*} hoc explanatur Phil.3. his uerbis: Cum de rep. relaturus fuiſſet, allato nuncio de legione quar
ta, mente concidit; & fugere feſtinans, S.C. de ſupplicatione per diſceſsionem fecit, cum id factum eſſet an
tea numquam. Quae uero profectio poſtea? quod iter paludati? quae uitatio oculorum, lucis, urbis, fori?
quam miſera fuga, quam foeda, quam turpis? Et Phil.5. Neque ſacrificijs ſollemnibus factis, neque uotis
nuncupatis, non profectus eſt, ſed profugit plaudatus. Item Phil. 13. TRIBVNI. PL.} noui, qui
magiſtratum de more inierant quarto idus Dec. VOCAVISSENT,} uocare ſenatum poterant dicta
tor, conſules, praetor, tribuni pl. interrex, praefectus urbi. Varro apud Gellium. DEQ. *alia re referrent;*}
referebant de conſulum ineuntis iam anni, ſenatuſq. praeſidio. conſules autem futuri erant, cum tribuni pl.
retulerunt, Hirtius, & Panſa. Phil.3. TOTAM *remp. ſum complexus;*} ſignificat ea, quae dixit Phil. 3.
CONSVLARES} ep.3.lib.XII. IN. SERVIO.} Sulpicio; qui obierat. Phil.9. L. CAESAR}
ep.14. lib.9. & ep.2.4.lib.X. AVVNCVLVS} Antonij, Iuliae frater, quae proſcriptum ſeruauit. Plutar
chus. CONSVLES} Hirtius, & Panſa. ſcripta enim epiſtola, poſt initum ab ijs conſulatum. PVER
CAESAR.} modo adoleſcentem, modo puerum, quo magis laudet, Caeſarem appellat. annum enim

agebat

agebat XIX. ut Velleius, Tacituſq. litteris mandarunt. ep. 7. lib. I. Ne adoleſcentem, uel puerum potius Caeſarem iudices temere feciſſe. Et ep. 25. lib. XII. Puer egregius praeſidium ſibi primum, & nobis, deinde ſummae reip. comparauit. Et ep. ad M. Brutum; Caeſaris pueri mirifica indoles uirtutis. Et Phil. 3. C. Caeſar, adoleſcens, paene potius puer, incredibili, ac diuina quadam mente, atque uirtute. Et Phil. 4. Et alibi. VETERANOS} qui cum eius adoptiuo patre C. Caeſare militauerant. ep. 23. CONSRCIPSISSET,} priuato conſilio, ſuo ſumptu. LEGIONESQ. *duae*} Martia, & Quarta. ep. 7. lib. XI. & in Philippicis. ANTONIVM} Brundiſio cum legionibus Macedonicis redeuntem. ep. 23. 25. lib. XII. & in Philippicis, Pultarcho, Dione, alijs.

## Argumentum ep. 29.

*SCribit de ſuo ſtudio erga ſalutem Ampij exſulantis; bonamq. ſpem habere illum iubet. Non conſtat de anno: ſed, cum ſit is, ad quem lib.* VI. *ſcribitur epiſtola, quae incipit, Gratulor; eodem haec anno, quo illa, uidetur eſſe conſcripta, ideſt Caeſare tertium, & Lepido cos.*

### *Cicero S. D. Ampio Balbo. 29.*

*DE* MEO *ſtudio erga ſalutem, & incolumitatem tuam credo te cognoſſe ex litteris tuorum: quibus me cumulatiſſime ſatisfeciſſe, certo ſcio. nec ijs concedo, quamquam ſunt ſingulari in te beneuolentia, ut te ſaluum malint, quam ego. illi mihi neceſſe eſt concedant, ut tibi plus, quam ipſi, hoc tempore prodeſſe poſſim. quod quidem nec deſtiti facere, nec deſiſtam, & iam in maxima re feci, & fundamenta ieci ſalutis tuae. Tu fac bono animo, magnoq. ſis, meq. tibi nulla re defuturum eſſe confidas. Pridie non. Quinct. Vale.*

### EXPLANATIO

ERGA *ſalutem, & incolumitatem tuam*} exſulaſſe hunc Ampium conſtat, & eſſe illum, ad quem ſcribit Cicero ep. 12. lib. VI. CVMVLATISSIME *ſatisfeciſſe*,} omni officio, ac ſtudio, erga ſalutem, & incolumitatem tuam. ep. I. lib. I. Ego omni officio, ac potius pietate erga te, ceteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe numquam ſatisfacio. Et ep. 11. huius libri: In ſalute tua cumulatiſsime mihi ſatisfecit. NEC *ijs concedo, ut te ſaluum malint, quam ego.*} ep. 3. lib. IV. Nemimi concedo, qui maiorem ex pernicie, & peſte reip. moleſtiam traxerit. PRODESSE *poſſim.*} erat enim Caeſaris familiarium amiciſsimus. quod ep. 12. lib. VI. ad eundem ſcripſit his uerbis: Omnes Caeſaris familiares ſatis opportune habeo implicatos conſuetudine, & beneuolentia, ſic, ut, cum ab illo diſceſſerint, me proximum habeant. hoc Panſa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Poſtumus plane ita faciunt, ut me unice diligant. & ep. 24. lib. VII. Olim, cum regnare exiſtimabamur, non tam ab ullis, quam hoc tempore obſeruor a familiariſsimis Caeſaris omnibus, praeter iſtum. & ep. 9. lib. VI. & ep. 20. lib. IX. FVNDAMENTA *ieci ſalutis tuae.*} ep. 9. lib. I. Nobis conſulibus ea fundamenta iacta confirmandi ſenatus.

## Argumentum ep. 30.

*GAlba proelium exponit ad Mutinam factum, uictoriamq. de Antonio relatam. Hirtio, & Panſa cos.*

### *Ser. Galba S. D. Ciceroni. 30.*

*X* VII. *Kal. Maij, quo die Panſa in caſtris Hirtij erat futurus, cum quo ego eram, (nam ei obuiam proceſſeram millia paſſuum centum, quo maturius ueniret) Antonius legiones eduxit duas, ſecundam, & quinctam trigeſimam, & cohortes praetorias duas, unam ſuam, alteram Silani, euocatorum partem. ita obuiam uenit nobis; quod nos quattuor legiones tironum habere ſolum arbitrabatur. ſed noctu, quo tutius uenire in caſtra poſſemus, legionem Martiam, cui ego praeeſſe ſolebam, & duas cohortes praetorias miſerat Hirtius nobis. Cum equites Antonij apparuiſſent, contineri neque legio Martia, neque cohortes praetoriae potuerunt: quas ſequi coepimus coacti, quando eas retinere non poteramus. Antonius ad Forum Gallorum ſuas copias continebat: neque ſciri uolebat, ſe legiones habere: tantum equitatum, & leuem armaturam oſtendebat.*

*poſtea*

*poſtea quam uidit ſe inuito legionem ire Panſa, ſequi ſe duas legiones iuſſit tironum. poſtea quam anguſtias paludis, & ſiluarum tranſiuimus; acies eſt inſtructa a nobis duodecim cohortium. nondum uenerant legiones duae, cum repente Antonius in aciem ſuas copias de uico produxit, & ſine mora concurrit. Primo ita pugnatum eſt, ut acrius non poſſet ex utraque parte pugnari. ſed dexterius cornu, in quo ego eram cum Martiae legionis cohortibus octo, impetu primo fugauerat legionem trigeſimam quinctam Antonij, ut amplius paſſus quingentos ultra aciem, quo loco ſteteram, proceſſerit. itaque, cum equites noſtrum cornu circuire uellent, recipere me coepi, & leuem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne auerſos noſtros aggrederentur. interim uideo me eſſe inter Antonianos, Antoniumq. poſt me eſſe aliquanto. repente equum immiſi ad eam legionem tironum, quae ueniebat ex caſtris, ſcuto reiecto. Antoniani me inſequi: noſtri pila conijcere uelle. ita neſcio quo fato ſum ſeruatus, quod cito ſum a noſtris cognitus. In ipſa Aemilia, ubi cohors Caeſaris praetoria erat, diu pugnatum eſt. cornu ſiniſterius, quod erat infirmius, ubi Martiae legionis duae cohortes erant, & cohors praetoria, pedem referre coeperunt, quod ab equitatu circumibantur, quo uel plurimum ualet Antonius. cum omnes ſe recepiſſent noſtri ordines, recipere me nouiſſimus coepi ad caſtra. Antonius, tamquam uictor, caſtra putauit ſe poſſe capere. quo cum uenit, complures ibi amiſit, nec egit quidquam. Audita re Hirtius cum cohortibus uiginti ueteranis redeunti Antonio in ſua caſtra occurrit, copiasq. omnes eius deleuit, fugauitq. eodem loco, ubi erat pugnatum, ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus hora noctis quarta ſe in caſtra ſua ad Mutinam recepit. Hirtius in ea caſtra redijt, unde Panſa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quae ab Antonio erant oppugnatae. ſic partem maiorem ſuarum copiarum Antonius amiſit ueteranarum: nec id tamen ſine aliqua iactura cohortium praetoriarum noſtrarum, & legionis Martiae fieri potuit. aquilae duae, ſigna ſexaginta ſunt relata Antonij. res bene geſta eſt. Ad XII. Kal. Maij, ex caſtris. Vale.*

# EXPLANATIO

GALBA} periti rerum Romanarum, Sulpiciae gentis cognomen eſſe Galbam, non ignorant. Si quis teſtimonium quaerit, Suetonium legat, qui nepotem hunc fuiſſe ait Ser. Galbae illius, temporum ſuorum eloquentiſsimi, proauum autem Galbae imperatoris: quem utrumque Sulpicium fuiſſe, tum Suetonius ipſe, tum alij teſtantur. Addit idem: Galbam hunc, ob repulſam conſulatus, infenſum Iulio Caeſari, cuius legatus in Gallia fuerat, conſpiraſſe in eum cum Caſsio, & Bruto. quod Appianus lib.2. & Antonij epiſtola, ad Hirtium Octauianumq. Caeſſarem miſſa: cuius haec uerba Phil. 13. Cicero recitat: confirmat Ser. Galbam eodem pugione ſuccinctum in caſtris uidetis. PANSA} conſul: qui, profecto Mutinam Hirtio collega, Romae aliquandiu manſerat, & delectus habendi gratia, & antiquandi etiam leges a conſule Antonio latas. Phil. 13. Dio lib. XLVI. MILLIA *paſſuũ centum,*} ſic malo, quã, Paſſus, auctoritate ductus octo ueterũ librorũ, & conſuetudine Latini ſermonis. nam etſi, Mille homines, & Mille hominũ, recte dicitur: non tamen eodem modo, Millia paſſus centum, & Mille paſſus centum. quod ſi me ratio fallit; monentibus libenter aures dabo. EDVXIT} e ſuis caſtris. DVAS,} Tres legiones habuit Antonius, Secundam, Quinctam, Trigeſimam quinctã: quarum Quinctam in caſtris, reliquit. De duabus hic, & in Phil. 5. de Quincta ep. 33 & Phil. 14. tres nominantur. Viginti cohortibus Hirtius, nullo equitatu, cum tribus Antonij legionibus, equitatuq. conflixit. COHORTES *praetorias*} cohors praetoria erat, electa manus militum, & familiarium ducis, qui circa eum pugnabant. hi non numerabantur in legione, nec in haſtatos, aut principes, aut triarios diuidebantur, nec legatum ſuum, ut legiones, ſed praefectum, ut opinor, habebant. nam ep. 6. lib. III. praefectus euocatorum Antonius appellatur. euocatos autem, qui milites erant ueterani, partem fuiſſe arbitror praetoriae cohortis. SILANI,} M. Silani, tribuni mil. qui a Lepido diſceſſerat ep. 34. hac de re uide Dionem lib. LXVI. QVATTVOR} duas eduxit aduerſus Antonium, duas praeſidio caſtris reliquit: quas poſtea proelio uictor Antonius oppugnauit. infra. TIRONVM} ex Panſae delectu. LEGIONEM *Martiam,*} quae, relicto Antonio, Octauiano ſe adiunxerat. ep. 7. lib. XI. & in Phil. 3. 5. & alijs, item apud Velleium, & alios. PRAEESSE *ſolebam,*} uiuo Caeſare, non in Gallia, (nuſquam enim inter legatos Caeſaris nominatur) ſed ciuili, ut opinor, bello Pompeiano. hoc autem tempore, cum ſe legio Martia ad Octauianum contuliſſet, praeerat ei Carfulenus, Appiano teſte lib. III. DVAS} unam ipſius Hirtij, alteram Caeſaris. EQVITATVM,} ante hanc pugnam equites Germanos a Caeſare ad Antonium transfugiſſe, auctor eſt Dio lib. XLVI. habuit & Mauros equites, qui nominantur in hac epiſtola. nec Romano illum equitatu caruiſſe, credibile uidetur: cum & legiones tres, ut iam diximus, habuerit; & legionibus ſingulis tercenorum equitum praeſidium affuiſſe, perſpicuum ex hiſtoria fiat. LEVEM *armaturam*} tria genera militum erant in exercitu Romano, equites, pedites legionarij cum ſuis ſignis, pedites leuis armaturae ſine ſignis. hi uelites uocabantur: &, ubi confligendum erat, inter utramque aciem excurrentes, leuibus armis inſtructi, rotundo & leui ſcuto, quae parma dicebatur, gladio, pilo, ut ait Polybius, proelium committebant. mox recedentes, locum certandi legionarijs dabant. de uelitari pilo ſic Liuius lib. XXIV. Velites, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis eſt, uix quemquam ſine uulnere conſiſtere in muro patiebantur. Idem uero lib. XXVI. haſtis, non pilis, uelites uſos eſſe demonſtrat. Iacula, inquit, praefixa ferro, quale haſtis uelitaribus ineſt. Loquitur, ut puto, Liuius de conſuetudine ſui temporis: quod ex uerbo, Ineſt, ſuſpicari licet. nam quo tempore Polybius Romanam militiam Graecis litteris explicauit, & aliquanto ante, pilis utebantur uelites, haſtis autem haſtati, qui primi haſtis pugnabant, deinde principes, poſtremo triarij. uerum haſtae haſtatorum, & principum, erant miſsiles: itaque

les: itaque ὑσσοὺς Polybius uocat: triariorum uero longiores, & firmiores: ideo δόρατα idem Polybius appellat. Poſt armaturae facta mutatio: uelites pro pilis miſsiles haſtas, haſtati, & principes pro miſsilibus haſtis pila ſumpſerunt: triarij nihil mutarunt. adiuuat opinionem noſtram Cicero, cum ait in Bruto: Haſtae uelitibus amentatae traduntur. Et Ouidius in Ibin: Vtque petit primo plenum flauentis arenae Nondum calfacti uelitis haſta ſolum. Praeterea diſsimilitudinem non paruam inter pila uelitum, & haſtatorum, principumq. haſtas, aperte Polybius ipſe oſtendit. Aut igitur pila, aut haſtas amentatas uelites in hoſtes, antequam legionarij impetum facerent, iaculabantur. quod genus pugnae ſignificauit Cicero, cum dixit lib. 2. de Diuin. Haec fuerit nobis tamquam leuis armaturae prima orationis excurſio. In Philippica uero decima, haec tria diuerſis nominibus militum genera diſtinxit Noſtrae ſunt legiones, ait, noſtra leuis armatura, noſtri equitatus. Et in Bruto: Omnia ueniebant Antonio in mentem: eaq ſuo quaeque loco, ubi plurimum proficere, & ualere poſſent, ut ab imperatore equites, pedites, leuis armatura, ſic ab illo in maxime opporrunis orationis partibus collocabantur. Videntur autem in leui armatura non modo uelites fuiſſe, qui primum, ut oſtendi, pilis, deinde haſtis amentatis pugnarunt, ſed etiam ſagittarij, & funditores: uerum uelites Romani, ſagittarij Numidae fere, aut Cretenſes fuere, praeſertim poſt Numidiam, & Cretam, deuictas, funditores Baleares, Hiſpania ſubacta. non enim ſagittarij, & funditores idem, quod uelites, fuere, ſed diuerſi, quamquam omnes communi leuis armaturae nomine comprehenderentur. propterea Liuius lib XXIV. ſeparatim nominauit ſagittarios, funditores uelites. Differebant etiam armatura. nam uelites, ut Polybius auctor eſt, parmas habuere: quod Cicero quoque in fragmentis de Rep. confirmat, ſcuta leuia uelitum appellans: ſagittarios autem, & funditores ſcuta non habuiſſe, ueriſimile uidetur. Liuius autem lib. IIX. ſatis aperte demonſtrat, militarem rationem non eandem fuiſſe pugnante cum Latinis populo Romano, quae poſtea fuit ſcribente Polybio, ideſt bello Punico tertio. nam, ut omittam alia, & id attingā unum, quod nunc agitur, leui armaturae Polybius neque ſignum, neque uexillum, Liuius autem uexilla dat. Ac mihi uideor affirmare poſſe, plura fuiſſe Romanae militiae genera diuerſis temporibus, unum Latino bello, a Liuio demonſtratum; alterum Punico, quod Polybius exponit; tertium C. Caeſare uiuo aucta legione, ut ex eius Cōmentarijs, Cicerone, Salluſtio, & alijs intelligitur; quartum Valentiniano imperante, ad quem ſuos libros de re militari Vegetius miſit. DVODECIM *cohortium.* } decem legionis Martiae, & duarum praetoriarum: quarum nouem in dextro cornu, tres in ſiniſtro collocatae. ita conſtat ſine duabus tironum legionibus, quas Panſa ſequi ſe iuſſerat, dimicatum eſſe. Ex hoc autem loco non obſcure intelligitur, denas in legione cohortes inſtrui ſolitas, ſingulas ex ternis manipulis, uno haſtatorum, altero principum, tertio triariorum. nam uelites in manipulos non diuidebantur: quod Polybius docet. Hirtij quoque uiginti cohortes infra nominantur: quae fuere legiones duae, Quarta, & Septima: ut ex Phil. 14. non dubie cognoſcitur. AMPLIVS *paſſuum* [illegible] } Qui totam emendandi ſpem in uno, uel altero, quamquam peruetere libro ponunt, ij quam ſapienter ſtatuant, ipſi uiderint. nos quidem conſilij noſtri nō paenitet quod plurimos inſpicere, licet diuerſis admodum temporibus deſcriptos, numquam neglegimus. ac mihi quidem cum antea ſaepe fructum nō mediocrem hoc inſtitutum attulit: tum uero in hoc loco quaſi grarulor induſtriae meae, quod numerum paſſuum, qui deſideratur in pleriſque ueteribus libris, repoſui duorum antiquorum exemplarium conſenſu. quorum nobis unum olim, ut Scholia noſtra teſtantur, Vincentius Riccius commodauit, alterum nunc habemus. PROCESSERIT. } odio Antonij, qui centuriones eius legionis Brundiſij trucidauerat. Phil. 3. 13. EX. CASTRIS, } Panſae. IN. IPSA *Aemilia,* } uia, quam ſtrauit in primo conſulatu M. Aemilius M. F. Lepidus, is, qui pontifex. max bis conſul cenſorq fuit, & princeps ſenatus ſexies lectus. perducta eſt Arimino, ubi Flaminiae committebatur, Aquileiam uſque. Liuius & Strabo. Ab Aemilia uia nomen ſumpſit Gallia togata, ut Flaminia ab eiuſdem nominis uia. CASTRA } unde Panſa exierat. COHORTIBVS *uiginti ueteranis* } duabus legionibus, quarta, & ſeptima: qui conſularis erat exercitus. Phil. 14. Hirtius, re audita, e caſtris duas legiones eduxit incredibili ſtudio, atque uirtute, Quart[illegible] illam, quae, relicto Antonio, ſe olim cum Martia legione coniunxit; & Septimam; quae conſtituta ex ueteranis docuit illo proelio, militibus ijs, qui Caeſaris beneficia ſeruaſſent, ſenatus populiq. R. carum nomen eſſe. his uiginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipſe aquilam quartae legionis cum inferret, qua nullius pulchriorem ſpeciem imperatoris accepimus, cum tribus Antonij legionibus, equitatuq. conflixit, hoſteſq. nefarios proſtrauit fudit, occidit. Et ibidem, paullo poſt: Quarta uictrix deſiderat neminem: & Martia nonnulli in ipſa uictoria conciderunt. CVM *equitibus* } omnis Antonij equitatus ex proelio integer diſceſsit. ep. 15. 33. 34. & lib. 11. ep. 10. DVAS *legiones* } tironum. AQVILAE *duae, ſigna ſexaginta ſunt relata Antonij.* } Inter ſigna militaria primum locum ſemper habuit aquila, &, ut Tacitus lib. XIII. alijq. plane docent, legionis ſignum proprium fuit: cū alia ſigna manipulorum eſſent. primo, praeter aquilam, quattuor ſigna fuere in exercitu Romano, Lupus, minotaurus, equus, aper: quorum ſolidae effigies ſingulis ordinibus, ut ait Plinius, ideſt, ut ego interpretor, ſingulis manipulis praeferebantur: ut primae legionis manipuli lupis, uerbi gratia, ſecundae minotauris, tertiae equis, quartae apris uterentur. erant enim duorum conſulum exercitus legiones quattuor: totidemq. ſignorum genera: ut et ſimilia cuiuſq. legionis eſſent ſigna, & diuerſa ab reliquarum legionum ſignis. Aetate C. Marij paucis ante ſecundum eius conſulatum annis, ſola in aciem aquila portari coepta eſt, reliqua ſigna in caſtris relinquebantur. C. Marius in ſecundo conſulatu aquilam tantum in exercitu retinuit; reliqua illa ſigna ne in caſtris quidem eſſe uoluit. Hic aliquis interroget: ſi Lupi, minotauri, equi, apri, uetera manipulorum ſigna, tolluntur; quae ſigna ſingulos manipulos anteeunt? carere enim ſignis manipulos, ueriſimile non eſt: & apud Varronem lib. IV. leguntur haec: Manipulos, exercitus minimas manus,

quae unum ſequuntur ſignum. Opinor, in eorum locum aquilas ſucceſsiſſe, differentes tamen ab aquila le-
gionis ſigno, uel magnitudine, uel materia, uel utraque ſimul. nam aquilam legionis ſignum argenteam
fuiſſe, indicat Cicero oratione 1. in Catilinam, & Porcius Latro in eundem, & Plinius lib. XXXIII. cap. 3.
Quamquam autem aquila legionis eſſet ſignum: tamen proprio nomine aquila, non generali ſignum, uo-
cabatur. quae diſtinctio & hic agnoſcitur, cum ſcripſerit Galba: Aquilae duae, ſigna ſexaginta ſunt relata
Antonij. & in Catilinam orat. 2. Cum tubas, cum ſigna militaria, cum aquilam illam argenteam ſcirem
eſſe praemiſſam. & Hirtius de bello Hiſpanienſi: Aduerſariorum aquilae ſunt ablatae tredecim, & ſigna, &
faſces. Quis enim ignorat, aquilam quoque ipſam ſignum fuiſſe, licet ſignum non appelletur? cum dixerit
Ouidius lib. v. Faſt. Romanaeq. aquilae ſignifer hoſtis erat. ut alia omittantur exempla. aquilas tamen a ſi-
gnis diſtinguit Plinius lib. XIII. cap. III. Aquilae, ac ſigna puluerulenta illa, & cuſtodijs horrida inungun
tur feſtis diebus: & Lucanus lib. I. Infeſtiſq. obuia ſignis ſigna, pares aquilae. & eodem libro: Vt notae
fulſere aquilae, Romanaq. ſigna. Quemadmodum autem primum in legione ſignum Aquila fuit, ſic a pri-
mo centurione, ideſt a primi pilo, qui principem inter triarios locum obtinebat, in acie ferebatur. Valerius
Max. lib. I. cap. 6. Aquilarum altera uix conuelli a primipilo potuit. Hic fortaſſe illud addendum aliquis pu
tauerit non legionem ſolum, & manipulos, qui triginta in ſingulis legionibus fuere, ſed cohortes etiam,
quae ut ait Varro, ex manipulis conſtant, ſignis uſas eſſe. nam ſi manipuli ſinguli ſua ſigna habent, quod
Varronis teſtimonio probatum eſt; certe & cohortibus, quae fiunt e ternis manipulis ſingulae, ſua ſigna
eſſe, credibile uidetur. Huic opinioni ita reſpondeo; primum de cohortium ſignis mentionem nullã, quod
ego animaduerterim ueterum in libris reperiri: deinde, ne cohortes quidem ipſas a Polybio, ubi legionem
in partes tribuit, nominari: non quia cohortem ignoraret, ſed quod ordinariam non eſſe legionis partem
intelligeret. tunc enim cohortes a duce fiebant, cum pugnae tempus appropinquaret: ut Plutarchus docet
in Paulli uita, & Liuius quoque lib. XXX. idem ſignificat, Scipione contra Hannibalem copias inſtruente.
Fiebant autem e pluribus manipulis cohortes: ut eſſent cohortes haſtatorum, cohortes principum, cohor-
tes triariorum: & ſuo loco omnes pugnarent, cohortibus inſtructi. Varro lib. v. Cohors ut in uilla ex plu-
ribus tectis coniungitur, ac quiddam fit unum; ſic haec ex manipulis copulatur cohors. Porro, quamquam
dixi eam eſſe copulatã ex pluribus manipulis: tamen ſciendum eſt, uelites in manipulos, diſtributos non
fuiſſe, uerum ad manipulos haſtatorum, principum, triariorum aequa parte adiungi ſolitos eſſe. Quocir-
ca manipulorum ſigna, & cohortium uexilla ſeparatim fuere, inſcriptis litteris, quibus cohortes internoſce
rentur, ut ait Vegetius lib. 2. cap. 13. & Tacitus lib. 1. his uerbis: Adſiſtentem concionem, quia permixta
uidebatur, diſcedere in manipulos iubet: ſic melius audituros reſponſum: uexilla praeferri, ut id ſaltem di-
ſcerneret cohortes. Legiones autem, uel milites dicuntur ſub ſignis eſſe, & ſub uexillis, ante finem legitimi
ſtipendij: nam poſt licet in ijſdem caſtris, ſub uexillis tamen non eſſe dicebantur, omniumq. rerum, niſi pro
pulſandi hoſtis, onere uacabant, ſtipendio non imminuto. quod ſi domum abire uellent, licebat. Et quo-
niam ſextuſdecimus ſtipendij annus legitimae militiae finem afferebat, ut ex Polybio cognoſcitur: propte-
rea Percennius quidam, ſeditionis in Pannonia concitator, ultra ſpatium illud retineri milites ſub uexillis
apud Tacitum lib. 1. ita queritur: Denis in diem aſsibus animam, & corpus aeſtimari: hinc ueſtem, arma,
tentoria, hinc ſaeuitiam centurionum, & uacationes muneris redimi, at hercule uerbera, & uulnera, duram
hiemem, exercitas aeſtate, bellum atrox, aut ſterilem pacem ſempiterna: nec aliud leuamentũ, quam ſi cer-
tis ſub legibus militia iniretur, ut ſingulos denarios mitterent, ſextusdecimus ſtipendij annus finem affer-
ret, ne ultra ſub uexillis tenerentur, ſed ijſdem in caſtris praemium pecunia ſolueretur. An praetorias
cohortes, quae ſines denarios acceperint, quae poſt ſexdecim annos penatibus ſuis reddantur, plus pe-
riculorum ſuſcipere? non obtrectari a ſe urbanas excubias, ſibi tamen apud horridas gentes e contubernijs
hoſtem adſpici. Idem infra: Reſponſum eſt a concione, mandata Clementi centurioni, quae praeferret. is
orditur de miſsione a ſexdecim annis, de praemijs finitae militiae: ut denarius diurnum ſtipendium foret:
ne ueterani ſub uexillo haberentur. Infra quoque: Volutatis inter ſe rationibus placitum, ut epiſtolae no-
mine principis ſcriberentur, miſsionem dari uicena ſtipendia meritis, exauctorari qui ſenadena feciſſent, ac
retineri ſub uexillo, ceterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis. Idem in extremo fere libro: Centeſimam
rerum uenalium, poſt bella ciuilia inſtitutam, deprecante populo, edixit Tiberius, militare aerarium eo
ſubſidio niti: ſimul imparem oneri remp. niſi uiceſimo militiae anno ueterani dimitterentur. ita proximae
ſeditionis male conſulta, quibus ſexdecim ſtipendiorum finem expreſſerant, in poſterum abolita. XII.
KAL. MAII,} malim, XVI. Kal. ut poſttridie, quam geſta res eſt, ſcripſerit Galba: quod ueriſimile ui-
detur. nam, ſi XII. Kal. ideſt quatriduo poſt proelium ſcripſiſſet; omnino aliquid de Panſae uulneribus, ip-
ſoq. Bononiam delato, cognouiſſet, & Ciceroni ſignificaſſet. nam Hirtius poſtea, cum Antonij caſtra op-
pugnaret, occiſus eſt.

## Argumentum ep. 31.

E*Xcuſationem affert praeteriti temporis, quod ſtudium erga remp. ſuum litteris nondum declarauerit; ſeq. libertatis cupidum oſtendit. Eodem anno.*

## C. Aſinius Pollio S. D. Ciceroni. 31.

MINIME mirum debet tibi uideri, nihil me ſcripſiſſe de rep. poſtea quam itum eſt ad arma. nam ſaltus Caſtulonenſis, qui ſemper tenuit noſtros tabellarios; etſi nunc frequentioribus latrocinijs infeſtior factus eſt, tamen nequaquam tanta in mora eſt, quanta qui locis omnibus diſpoſiti ab utraque parte ſcrutantur tabellarios, & retinent. itaque, niſi naue perlatae litterae eſſent, omnino neſcirem, quid iſtic fieret. nunc uero, nactus occaſionem, poſtea quam nauigari coeptum eſt, cupidiſſime, & quam creberrime potero, ſcribam ad te. Ne mouear eius ſermonibus, quem tametſi nemo eſt qui uidere uelit, tamen nequaquam proinde, ac dignus eſt, oderunt homines, periculum non eſt. adeo eſt enim inuiſus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod commune cum illo ſit. natura autem mea, & ſtudia trahunt me ad pacis, & libertatis cupiditatem. itaque illud initium ciuilis belli ſaepe defleui. cum uero non liceret mihi nullius partis eſſe, quia utrobique magnos inimicos habebam; ea caſtra fugi, in quibus plane tutum me ab inſidijs inimici ſciebam non futurum. compulſus eo, quo minime uolebam; ne in extremis eſſem, plane pericula non dubitanter adij. Caeſarem uero, quod me in tanta fortuna, modo cognitum, uetuſtiſſimorum familiarium loco habuit, dilexi ſumma cum pietate, & fide. quae mea ſententia gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quiſque maxime probarit: quod iuſſus ſum, eo tempore, atque ita feci, ut appareret, inuito imperatum eſſe. cuius facti iniuſtiſſima inuidia erudire me potuit, quam iucunda libertas, & quam miſera ſub dominatione uita eſſet. ita, ſi id agitur, ut rurſus in poteſtate omnia unius ſint: quicumque is eſt, ei me profiteor inimicum, nec periculum eſt ullum, quod pro libertate aut refugiam, aut deprecer. ſed conſules neque S. C. neque litteris ſuis praeceperant mihi, quid facerem. unas enim poſt idus Mart. demum a Panſa litteras accepi; in quibus hortatur me, ut ſenatui ſcribam, me, & exercitum in poteſtate eius futurum. quod, cum Lepidus concionaretur, atque omnibus ſcriberet, ſe conſentire cum Antonio, maxime contrarium fuit. nam quibus commeatibus, inuito illo, per illius prouinciam legiones ducerem? aut, ſi cetera tranſiſſem, num etiam alpes poteram tranſuolare, quae praeſidio illius tenentur? Adde huc, quod perferri litterae nulla condicione potuerunt. ſexcentis enim locis excutiuntur, deinde etiam retinentur a Lepido tabellarij. Illud me Cordubae pro concione dixiſſe, nemo uocabit in dubium, prouinciam me nulli, niſi qui a ſenatu miſſus ueniſſet, traditurum. Nam de legione trigeſima tradenda quantas contentiones habuerim, quid ego ſcribam? qua tradita, quanto pro rep. infirmior futurus fuerim, quis ignorat? hac enim legione noli acrius, aut pugnacius quidquam putare eſſe. quare me eum exiſtima eſſe, qui primum pacis cupidiſſimus ſim; (omnes enim ciues plane ſtudeo eſſe ſaluos) deinde qui & me, & remp. uindicare in libertatem paratus ſim. Quod familiarem meum in tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius eſt: inuideo illi tamen, quod ambulat & iocatur tecum. quae res, quanti aeſtimem. ſi umquam licuerit uiuere in otio, experieris. nullũ enim ueſtigium abs te diſceſſurus ſum. Illud uehementer admiror, non ſcripſiſſe te mihi, manendo in prouincia ne, an ducendo exercitum in Italiam reip. magis ſatisfacere poſſim. ego quidem, etſi mihi tutius, ac minus laborioſum eſt manere; tamen, quia uideo tali tempore multo magis legionibus opus eſſe, quam prouincijs, quae praeſertim recuperari nullo negotio poſſunt, conſtitui, ut nunc eſt, cum exercitu proficiſci. deinde ex litteris, quas Pãſae miſi, cognoſces omnia. nam earum tibi exemplar miſi. XVII. Kal. Apr. Cordubae.

## EXPLANATIO

C. ASINIVS *Pollio*] Caeſar, Parthicum bellum cogitans, & magiſtratus per triennium creauit, & prouincijs rectores dedit, & alijs quidem alios, Hiſpanijs uero duabus duos, Lepidum citeriori, Aſinium ulteriori. Aſinius, uiuo adhuc Caeſare, in prouinciam iuit. Lepidus ad urbem manſit. poſt Caeſaris necem, ubi Antonium, Lepidum, Octauianum coniunctos uidit, ad eorum partes cum duabus legionibus ſe contulit, primum fortunam ſecutus, deinde amicitia quoque permotus Antonij. triumphaſſe eum de Parthinis quos in Macedonia Plinius in Epiro Strabo, in Illyrico Stephanus, uerbo potius, quam re diuerſi, collocant, ex faſtis Capitolinis intelligitur. Valuit eloquentia, orationeſq. ſcripſit multas: quarum has Quinctilianus nominat, pro Vrbiniae heredibus lib. IV. & Tacitus & Cariſius: pro Scauri filio, lib. VI. pro Liburnia, lib. IX. pro Aſprenate, lib. X. Eiuſdem inuentionem & diligentiam laudat lib. X. duobus locis, & lib. XII. ſuis orationibus inſeruiſſe ueterum poetarum uerſus, ait idem lib. I. & 9. Dictum eſſe omnium horarum hominem, quod ſerijs, iociſq. pariter accommodatus eſſet, lib. VI. In Liuio deprehendiſſe Patauinitatem quandam, lib. I. & 8. Triſtem, & ieiunum in dicendo habitum eſſe lib. X. Inſectatum eſſe pluribus locis, etiam inimice, uitia orationis Tullianae, idemq. filium eius feciſſe, lib. XII. Suſcepiſſe ante quaeſtoriam aetatem grauiſsima iudicia, in eodem libro. Eius compoſitionem Seneca lib. XVI. epiſt. reprehendit his uerbis: Compoſitio Ciceronis una eſt, pedem ſeruat, curata, lenta, & ſine infamia mollis: at contra Pollionis Aſinij ſalebroſa & exſiliens, &, ubi minime exſpectes, relictura. Denique apud Ciceronem omnia deſinunt, apud Pollionem cadunt. Idem lib. I. de Tranquillitate uitae, ait, Pollionem Aſinium, magnum oratorem, duas poſtremas diei horas, undecimam, & decimam, quieti dare ſolitum, ſic, ut ne epiſtolas quidem legeret, ne quid nouae curae naſceretur. Eundem lib. I. Suaſoriarum, infeſtiſsimum famae Ciceronis permanſiſſe, auctor eſt. Idem in eodem libro uerba recitat ex Aſinij hiſtoria de Cicerone. Tacitus in dialogo de Oratoribus numerat eum inter Ciceronis aequales, eloquentia praeſtantes: & addit, uixiſſe ad extremum

paene Auguſti principatum: accuſatum praeterea a Caluo oratore: durum, & ſiccum in orationibus fuiſſe: numeroſum, contra quam Seneca ſenſit, cuius teſtimonium iam recitauimus: accuſaſſe M. Catonem XIX. aetatis anno. Scripſit & contra maledicta Antonij, ut lib. I. Cariſius ait. Valerius autem de eo ſic lib. IIX. cap. 14. Aſinius Pollio, non minima pars Romani ſtyli, in tertio hiſtoriarum ſuarum libro, centum & triginta annos Arganthonium Gaditanum expleuiſſe commemorat, & ipſe numeroſae uiuacitatis haud paruũ exemplum. Velleius lib. 2. Aſinius Pollio, firmus propoſito, & Iulianis partibus fidus, Pompeianis aduerſus, exercitum Antonio tradidit. Et infra: Non praetereatur Aſinij Pollionis factum & dictum memorabile. namque, cum ſe poſt Brundiſinam pacem continuiſſet in Italia, neque aut uidiſſet umquam reginam, aut poſt eneruatum amore eius Antonij animum, partibus eius ſe miſcuiſſet, rogante Caeſare, ut ſecum ad bellum proficiſceretur Actiacum, Mea, inquit, in Antonium maiora merita ſunt, illius in me beneficia notiora. itaque diſcrimine ueſtro me ſubtraham, & ero praeda uictoris. Primus bibliothecam de manubijs Romae publicauit, & in ea M. Varronis imaginem uiuentis poſuit. Plinius lib. VII. cap. 30. & lib. XXXV. cap. 2. SALTVS *Caſtulonenſis*,} Plinius lib. III. cap. 3. NE. MOVEAR *eius ſermonibus*,} non dubito, quin hoc de Antonio ciuile bellum ſuſcitante, & iam Mutinam obſidente, dicat. infert enim: Natura mea, & ſtudia trahunt me ad pacis, & libertatis cupiditatem. Et poſt: ſi id agitur, ut poſtea in poteſtate omnia unius ſint; quicumque is eſt, ei me profiteor inimicum. Reſpondet ad Ciceronis epiſtolae partem. INVISVS *mihi*,} nunc inuiſus, quia reip. partibus infenſus, antea uero amicus. ep. 33. NVLLIVS *partis*} feciſſem libenter, ut ciuilibus armis me non immiſcerem: ſed ueritus ſum, ne, utra pars uiciſſet, male mecum ageretur, cum in utraque magnos inimicos haberem. EA *caſtra fugi*,} Pompeiana. Affuiſſe Aſinium Pharſalico proelio, & poſt in Hiſpania cum Caeſare, Suetonius auctor eſt. *Fugi.* metum indicat: quo ſit maior excuſatio. INIMICI} Tacitus in dialogo de oratoribus, accuſatum ab adoleſcente Aſinio, annos XIX nato, M. Catonem, teſtatur. hic igitur fortaſſe Catonem dicit. Vel de Labieno intellige, qui Pollionem accuſauerat. Quinctil. lib. V. cap. 20. QVO *minime uolebam*;} callide oſtendit ſe fauiſſe Pompeio potius, cum quo Cicero fuit, quã Caeſari pro ſua potentia contra remp. pugnanti; ſed inimici metu, Pompeij caſtra fugiſſe. MODO} paullo ante. Et hoc indicare uidetur, Aſinium in praeſidijs Caeſaris fuiſſe non adductum illius amicitia, cui modo cognitus eſſet, uerum inimici metu compulſum. INVIDIA} odium. ep. I. lib. I. CONSVLES} Antonius, & Dolabella. non enim Hirtius, & Panſa ſignificari poſſunt, qui tantum ante duos menſes conſulatum inierant, nec multo poſt ad eum Panſa litteras miſit. loquitur autem Aſinius de toto tempore poſt idus Martias, ideſt poſt Caeſaris necem. A PANSA} conſule profecto ad Mutinam obſidione liberandam eius collega, Hirtio: quem aliquanto poſt, delectus habendi gratia detentus, Panſa ſecutus eſt. INVITO *illo*,} praeerat enim Lepidus Hiſpaniae citeriori, &, ut ſcripſit Dio Narbonenſi Galliae: quod etiam confirmatur ep. 33. RETINENTVR} ep. 33. CORDVBAE} in Baetica Hiſpania. patria fuit utriuſque Senecae, & Lucani poetae. QVANTAS *contentiones habuerim*,} lector intelligens dijudicet, utrum, Conciones, ut eſt in omnibus meis antiquis libris an, Contentiones ut olim ſcriptum uidi in Pauli Boti Regienſis libro, legi oporteat. Si Contentiones, retinemus: hic erit ſenſus: quam uehementer Lepidus & Antonius litteris a me contenderint. quod ſequentis epiſtolae teſtimonio comprobatur, in qua eſt: Lepidus urſit me & ſuis & Antonij litteris, ut legionem trigeſimam mitterem ſibi. Sin autem, Conciones, placet: uehementes litteras, quales conciones ad populum, uel ad milites ſunt, interpretemur: quod tamen paullo durius uidetur: niſi ſi ferendum in Aſinio: cuius orationem duram fuiſſe Tacitus auctor eſt. FAMILIAREM *meum*} de quo ſcripſerat Cicero. poteſt eſſe Cornelius Gallus, quem in ep. ſeq. idem Aſinius familiarem ſuum appellat. OPINIONE *tua*} ſimile illud ep. 24. lib. Opinione celerius uenturus eſſe dicitur. Et in Bruto: Opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. QVAERES, *quanti aeſtimem. ſi unquam licuerit uiuere in otio, experieris.*} obſeruanda quaedam in Latina lingua, quae leporem, & uenuſtatem habent, cum tamen & ornatu uerborum careant, & ſententia non admodum exquiſita ſit. ex eo genere uidetur hoc exemplum Aſinij: in quo ineſt concinnitas quaedam, & ſpecies duobus modis, primum quod quaſi interrogetur, ſententiam inducit: deinde, quod altero membro ſatisfacit. Tale illud Ciceronis ep. 15. ad Att. lib. IV. Quaeris nunc de Arbuſcula: ualde placuit. Et ep. 4. lib. XV. Quaeres fortaſſe, quid ſit, quod ego hoc neſcio quid gratulationis, & honoris a ſenatu, tanti aeſtimem. agam iã tecum familiariter, &c. Coelius quoque ep. 11. lib. IIX. Ser. Ocella, inquit nemini perſuaſiſſet, ſe moechũ eſſe, niſi triduo bis deprehenſus eſſet. quaeris, ubi? ubi Hercules ego minime uellem. VT. NVNC. EST,} ut nunc quidem, pro ſtatu rerum, in animo habeo. caſus autem ſaepe cogit mutare conſilium. ep. 28. ad Att. lib. XII. Quae ſi manebunt, quaerenda eſt excuſatio ad Brutum; &, ut nunc eſt, manſurae uidentur.

# Argumentum ep. 32.

E*Xponit primum Balbi, quaeſtoris ſui, flagitia: deinde ſubiungit de ſuo in remp. ſtudio. Eodem anno.*

*Aſinius*

## *Aſinius Pollio S. D. Ciceroni.* 32.

*BALBVS quaeſtor, magna numerata pecunia, magno pondere auri, maiore argenti coacto de publicis exactionibus, ne ſtipendio quidem militibus reddito, duxit ſe a Gadibus; & triduum tempeſtate retentus ad Calpen, Kal. Iunij tranſiecit ſeſe in regnum Bogudis, plane bene peculiatus. his rumoribus utrum Gades referatur, an Romam, (ad ſingulos enim nuncios turpiſſime conſilia mutat) nondum ſcio. ſed, praeter furta, & rapinas, & uirgis caeſos ſocios; haec quoque fecit; ut ipſe gloriari ſolet, eadem, quae C. Caeſar: ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum hiſtrionem, ſummo ludorum die anulo aureo donatum, in quattuordecim ſeſſum deduxit: tot enim fecerat ordines equeſtris loci: quattuoruiratum ſibi prorogauit: comitia biennij biduo habuit, hoc eſt renunciauit quos ei uiſum eſt: exſules reduxit, non horum temporum, ſed illorum, quibus a ſeditioſis ſenatus trucidatus, aut expulſus eſt Sex. Varo procos. Illa uero iam ne Caeſaris quidem exemplo, quod ludis praetextam de ſuo itinere ad L. Lentulum procos. ſollicitandum poſuit. & quidem, cum ageretur, fleuit, memoria rerum geſtarum commotus. Gladiatoribus autem Fadium quendam, militem Pompeianum, quia, cum depreſſus in ludum bis gratis depugnaſſet, auctore ſeſe nolebat, & ad populum confugerat, primum Gallos equites immiſit in populum, (coniecti enim ſunt lapides in eum, cum arriperetur Fadius) deinde abſtractum defodit in ludo, & uiuum combuſſit; cum quidem pranſus, nudis pedibus, tunica ſoluta, manibus ad tergum reiectis, inambularet, & illi miſero quiritanti, Ciuis Romanus ſum, reſponderet, Abi nunc, populi fidem implora. Beſtijs uero ciues Romanos, in his circulatorem quendam auctionum, notiſſimum hominem Hiſpali, quia deformis erat, obiecit. Cum huiuſmodi portento res mihi fuit. ſed de illo plura coram. Nunc, quod praeſtat, quid me uelitis facere, conſtituite. tres legiones firmas habeo: quarum unam uigeſimam octauam cum ad ſe initio belli accerſiſſet Antonius hac pollicitatione, quo die in caſtra ueniſſet, denarios quingenos ſingulis militibus daturum, in uictoria uero eadem praemia, quae ſuis legionibus, (quorum quis ullum finem, aut modum futurum putauit? incitatiſſimam retinui, aegre mehercule; nec retinuiſſem, ſi uno loco habuiſſem: utpote cum ſingulae quaedam cohortes ſeditionem fecerint. reliquas quoque legiones non deſtitit litteris, atque infinitis pollicitationibus incitare. nec uero minus Lepidus urſit me & ſuis, & Antonij litteris, ut legionem trigeſimam mitterem ſibi. itaque, quem exercitum neque uendere ullis praemijs uolui, nec eorum periculorum metu, quae, uictoribus illis, portendebantur, deminuere, debetis exiſtimare retentum, & conſeruatum reip. eſſe; atque ita credere, quodcumque imperaſſetis, facturum fuiſſe, ſi, quod iuſſiſtis, feci. nam & prouinciam in otio, & exercitum in mea poteſtate tenui, finibus meae prouinciae nuſquam exceſſi: militem non modo legionarium, ſed ne auxiliarium quidem ullum quoquam miſi; &, ſi quos equites decedentes nactus ſum, ſupplicio affeci. quarum rerum fructum ſatis magnum, rep. ſalua, tuliſſe me putabo. ſed reſp. ſi me ſatis nouiſſet, & maior pars ſenatus, maiores ex me fructus tuliſſet. Epiſtolam, quam Balbo, cum etiam nunc in prouincia eſſet, ſcripſi, legendam tibi miſi. etiam Praetextam, ſi uoles legere, Gallum Cornelium, familiarem meum poſcito. VI. id. Iun. Cordubae. Vale.*

## EXPLANATIO

BALBVS} Gaditanus, filius fratris L. Cornelij Balbi, pro quo exſtat Ciceronis oratio. Balbus minor, ut diſtinguatur a patre, dicitur ep. ad Att. ep. 9. lib. IIX. & ad eundẽ in eodem libro ep. II. & ep. 6. ad eundem lib. IX. De hoc Plinius lib. V. cap. 5. Omnia, inquit, armis Romanis ſuperata, & a Cornelio Balbo triumphata, unius omnium externo curru, & quiritium iure donato: quippe Gadibus nato ciuitas Romana cum Balbo maiore, patruo, data eſt. quibus uerbis error eorum refellitur, qui non hunc, ſed eius patruum Gadibus natum putant. DE PVBLICIS *exactionibus*,} quod quaeſtoris erat munus. DVXIT *ſe a Gadibus*;} ſic Terentius in Hecyra: Vxor, ubi me ad filiam ire ſenſit, ſe duxit foras. Et Plautus in Aul. Ego me deorſum duco de arbore. Et in Bacch. Duc te ab aedibus. AD. CALPEN,} Hiſpaniae mons extimus, Africae auulſus, ut ait Plinius. Maſculina, inquit Cariſius, in E litterã nulla ueniunt, neque feminina, niſi peregrina talia, Crotale, Eryphile, Calpe. BOGVDIS,} in Mauritaniam. hunc regem nominat in libro de bello Alexandrino Hirtius, uel Oppius. BENE *peculiatus*.} magno inſtructus peculio. non eſt idem, quod Bene nummatus. nam auri, argentiq. pondus nummorum nomine non continetur, ſed peculij, quod latius patet. QVAE *C. Ceſar*:} Fecit Balbus Gadibus, in qua urbe natus erat, eadem, quae C. Caeſar Romae fecerat. SVMMO} ultimo. ANVLO *aureo*} quem qui non habebat, eques Romanus non erat, nec in quattuordecim gradibus in theatro ſedebat. uiſus eſt igitur Balbus hiſtrionem ita uelle equitem creare, ut Caeſar Laberium, cui uidebatur, coacto agere mimum ſuum, honorem equeſtris ordinis ademiſſe, rurſus equitem, donatis D millibus nummum, & anulo aureo, creauerat. Suetonius, & Macrobius. TOT *enim fecerat ordines equeſtris loci*:} theatri Romani conſuetudinem imitatus. nam in quattuordecim proximis gradibus legẽ Roſcia equeſtris ordo ſeparatim conſidebat. Aſconius: L. Roſcius Otho legem tulit, ut in theatro equitibus Romanis quattuordecim ordines ſpectandi gratia darentur. idem epitome Liuiana, idem alij. quod ignoraſſe Macrobius uidetur, cum, Laberij dictum in Ciceronẽ referens, in quattuordecim & ſenatores conſediſſe, lib. VII. ſignificat. ſedebant enim in orcheſtra, non in quattuordecim gradibus: ut e Cicerone, Suetonio, Iuuenale colligitur. QVATTVORVIRATVM}

qui

qui ſummus in municipijs magiſtratus erat, ut Romae conſulatus. erat autem municipium Gades. SIBI}
eodem igitur tempore & quaeſtor erat populi R. & quattuoruir in patria ſua. PROROGAVIT:} Cae
ſaris exemplo, qui ſibi dictaturam prorogauerat. COMITIA} Gaditanorum magiſtratuum. BIEN-
NII} iturus contra Parthos Caeſar, magiſtratus in tres annos creauit. quod ſupra diximus. RENVN-
CIAVIT} Romae ſequentis anni conſules renunciabantur a conſule. uide initium orationis pro Mu-
rena. idem fecit Gadibus Balbus. QVOS *ei uiſum eſt*:} & Caeſar conſules in annos ſequentes duos
creauerat Hirtium, & Panſam, Plancum, & D. Brutum. EXSVLES *reduxit*,} et Caeſar omnes fere
lege Pompeia damnatos. lib. III. de bello ci. & Phil. 13. SENATVS} Decuriones Gaditani. is enim
erat ſenatus in municipiis. SEX. *Varo procos.*} qui tamen conſul non fuerat. Sed proconſules appellari
eos quoque ſolere, qui poſt praeturam in prouincias irent, ſupra diximus. Quis hic Varus fuerit, aſſequi di-
uinando non licet. Accium quidem Varum, de quo ſcripſit Oppius, aut Sex. Quinctilium Varum, de quo
Caeſar, conſtat eſſe non poſſe: nam Accio praenomen Publio fuit: Quinctilium autem in Hiſpania fuiſſe,
cum honore praeſertim, ſcripſit nemo. iam illud me mouet, quod Quinctilius ciuili proximo bel-
lo interfuerat: hic autem de tempore ſatis longinquo loquitur Aſinius, cum ait: Non horum
temporum, ſed illorum. Vari cognomen a Cruribus deriuatum, auctor eſt Plinius lib. XI. cap. 45.
PRAETEXTAM} fabulae genus, in qua, Romano argumento, praetextati uiri, ideſt magiſtratus,
inducebantur. unde Horatius in Arte poetica: Et qui praetextas, & qui docuere togatas. Infra uero:
Praetextam, ſi uoles legere, Gallum Cornelium poſcito. DE *ſuo itinere ad L. Lentulum ſollicitandum*}
L. Cornelius Lentulus conſul primo belli ciuilis anno Pompeium ex urbe fugientem ſecutus eſt, & cum
eo poſt in Graeciam tranſijt. ad eum Balbus minor, ante quam ex Italia diſcederet, cum litteris, cum man
datis, cum promiſsione prouinciae, ſi Romam reuertiſſet, a Caeſare miſſus eſt. ep. 9. & 11. ad Att. lib. IIX.
& ad eundem ep. 6. lib. IX. Velleius autem lib. 2. tranſiſſe in Graeciam Balbum, & cum Lentulo conſule
ſaepe collocutum, tradidit. POSVIT.} agenda dedit. GLADIATORIBVS} obſcurior ſen-
tentia mutandi libidine attulit. quod alijs quoque locis eueniſſe nimium ſaepe animaduerti. oſtendamus
igitur & breuiter, & aperte, quid ſignificare uoluerit Aſinius. ac primum illud ſciendum, gladiatorum
& ludum fuiſſe, ubi rudibus, ideſt uirgis, apud laniſtas, eorum magiſtros, exercerentur, & certamen,
in quo gladijs pugnabant, ad oblectationem populi. Et, cum in ueterum ſcriptis legimus, Gladiatoribus;
quod Ciceronem legentibus occurrit, ut ep. 19. lib. 2. ad Att. & Phil. 1. non ludus, ſed certamen ipſum
indicatur. Fadius bis gratis depugnauerat, non gladiatoribus, ſerio, & periculoſo certamine, ſed in lu-
do, ideſt, nullo uitae diſcrimine. at Balbus pugnare eum auctore ſeſe, non in ludo, ſed gladiatoribus,
uolebat. quod Fadium recuſaſſe, quis miretur? Sententiam patere iam arbitror: nunc ſingula uerba per-
pendamus. MILITEM *Pompeianum*,} pugnauerat igitur contra Caeſarem. Balbus autem Caeſa-
rianarum erat partium: ex quo illi Pompeianos omnes odio fuiſſe, ueriſimile uidetur: itaque Fadij uitae
non parcebat. DEPRESSVS *in ludum*} depreſſus ab ijs, qui ludicram gladiatorum pugnam ani-
mi cauſſa ſpectabant. Qui, Deprehenſus, legunt, quam apte coniungatur cum eo, quod ſequitur, In lu-
dum, non attendunt. GRATIS} nulla mercede. DEPVGNASSET,} ludicra tamen pu-
gna. nam hoc uerbum ad ludicra etiam accommodatur. Lampridius in Commodo: Rudibus inter cubi-
culares gladiatores in arena depugnauit. AVCTORE. SESE} quaeſtore. emphaſis quaedam ex
parte Balbi: nec abeſt Aſinij ſcribentis indignatio: quaſi ita peruerſo, prauoq. Balbus eſſet ingenio, ut ſi-
bi, etiam iniqua iubenti, parere homines uellet, recuſanteſq. ulciſceretur. Auctorari, pro, Auctore,
placet quibuſdam, alucinantibus in ſententia, nec uidentibus, hic ſermonem haberi de ſeria gladiatorum
pugna; quod uerbo, Gladiatoribus, declaratur: Auctorari autem ſeruile uerbum eſſe, cum auctione ue-
neunt, qui ſeruitutem ſeruiant: quo reſpexit Plinius, cum dixit lib. XXXVI. cap. 15. Gladiatorum ſpecta-
cula edebat, ipſum magis auctoratum populum Romanum circumferens, ideſt, ſua ſtultitia ſeruientem
magis, quam gladiatores ipſi, libertatis expertes: qui cum auctorati eſſent, ideſt, in ſeruitutem empti,
imperio domini, uel cum uitae periculo, parere cogebantur. Gladiatoribus libertos quoque interdum pu-
gnaſſe, qui uenalem ſanguinem haberent, auctor Liuius lib. XXIIX. DEFODIT *in ludo*,} ut pars
obrueretur humo, pars ſupra terram emineret. cuiuſmodi exemplum a Carthaginienſibus editum, Cato
ſenior prodidit. Homines, inquit, defoderunt in terram dimidiatos, ignemq. circumpoſuerunt, ita in-
terfecerunt. Gellius. NVDIS *pedibus*,} contra morem Romanum. calceis enim in publico, domi
ſoleis utebantur. Fecit igitur Balbus indecore, cum in publico, in magna populi multitudine, quae ad
gladiatorium ſpectaculum conuenerat, nudis pedibus, praeſertim qui eſſet quaeſtor, inambularet. TV-
NICA *ſoluta*,} quod inuſitatum, ideoq. laſciuiae cuiuſdam, ſuperbiae ue argumentum. cingi enim tu-
nicam ſolitam eſſe, oſtendit Horatius, cum ait: Diſcincta tunica fugiendum eſt, ac pede nudo. QVI-
RITANTI,} Nonius: Quiritare, eſt clamare, tractum ab ijs, qui Quirites inuocant. CIVIS *Ro-
manus ſum*,} uſitata uox opem implorantium ciuium Romanorum, quibus, in externis praeſertim lo-
cis, iniuria fieret. In Verrem: Ceruices in carcere frangebantur indigniſsime ciuium Romanorum: ut et-
iam illa uox, & illa imploratio, Ciuis Romanus ſum, quae ſaepe multis in ultimis terris opem inter bar-
baros, & ſalutem tulit, ea mortem illis acerbiorem, & ſupplicium maturius ferret. Et alio loco in eundem:
Nulla uox audiebatur, niſi haec, Ciuis Romanus ſum. In pleriſque & recentioribus, & antiquis libris le-
gitur: Ciuis Romanus natus ſum. uerbum tamen, Natus, induxi olim, auctore Hieronymo Ferrario, com-
probante praeſertim eius coniectura uetere libro, quo nunc etiam utor. POPVLI *fidem implora*.}
quia Fadius, cum pugnare nollet, ad populum confugerat. CIRCVLATOREM *quendam auctionum*,}
in cir-

in circulis auctionari ſolitum. HISPALI,} In Hiſpania ulteriore, Baetica dicta, cui praeerat Aſinius. iuridici conuentus quattuor fuere, Gaditanus, Cordubenſis, Aſtigitanus, Hiſpalenſis. Plinius lib. III. cap. I. hodie Siuilia. QVOD. PRAESTAT,} quod pluris, quam de Balbo agere. DENARIOS *quingenos* } quot Octauius dedit ueteranis. ep. 7. ad Att. lib. XVI. Veteranos perduxit ad ſuam ſententiam: nec mirum: quingenos denarios dat. Ratione ducta, fiunt ſcutati noſtrates fortaſſe trigintaſex. SINGVLAE *quaedam cohortes* } non tota ſimul legio, ſed cohortes quaedam, ſeiunctae ab alijs cohortibus. TRIGESIMAM} ep. 31. QVOD *iuſſiſtis*,} acceperat igitur litteras a Panſa conſule, ſenatus iuſſu ſcriptas, poſt illas, quibus idem Panſa, ut eſt in ſuperiore proxima epiſtola, tantum hortatus erat, ut ſenatui ſcriberet, ſe, & exercitum in eius poteſtate futurum. Miſſum ad Aſinium S. C. non opinor, ob illa ſequentis epiſtolae uerba: Vtinam eodem S. C. quo Plancum, & Lepidum in Italiam accerſiſtis, me quoque iuſsiſſetis uenire. Quod infra quoque ſignificare uidetur ipſe, cum ait: Reſp. ſi me nouiſſet, & maior pars ſenatus; maiores ex me fructus tuliſſet. ideſt: ſi me in Italiam uenire S. C. iuſsiſſetis. GALLVM *Cornelium*,} opinor hunc eſſe Cornelium Gallum poetam, quem Virgilius nominat in Bucolicis: & Dio lib. LIII. quod in Auguſtum male animatus uideretur, cum tamen ab eo, poſt Antonium Cleopatramq. deuictos, Aegypto praepoſitus eſſet, damnatum a ſenatu, ipſum ſibi manus attuliſſe tradit, quod Seruius quoque ſignificat. De hoc & Ammianus Marcellinus lib. XVII. his uerbis: Cornelius Gallus, Octauiano res tenente Romanas, Aegypti procurator, exhauſit ciuitatem, plurimis interceptis: reuerſusq. cum furtorum arceſſeretur, & depopulatae prouinciae, metu nobilitatis acriter indignatae, cui negotium dederat imperator, ſtricto incubuit ferro. is eſt, ſi recte exiſtimo, Gallus Poeta, quem flens quodam modo in poſtrema Bucolicorum parte Virgilius carmine leni decantat. Euphorianum, Graecum poetam, in Latinum conuertit. Quinctilianus duriorem ait in elegia fuiſſe. Nonius recitat eius hendecaſyllabum: Durum rus fugite, & laborioſum. ſi tamen locus mendo uacat. nam Caluo eundem uerſum tribuit Gellius: & Calui hendecaſyllabi ab alijs quoque, Galli uero non hendecaſyllabi, ſed elegiae nominantur. Gallum, cognomen praepoſitum eſſe nomini, non mirabitur, qui legerit ea, quae diximus ep. 8. lib. 2.

---

## Argumentum ep. 33.

*DEplorat acceptam proelio Mutinenſi reip. calamitatem: uenturum ſe in Italiam, ut communi ſuccurrat incendio, ſignificat. Eodem anno.*

### *Aſinius Pollio S. D. Ciceroni.* 33.

*QVO tardius certior fierem de proelijs apud Mutinam factis, Lepidus effecit, qui meos tabellarios nouem dies retinuit: tametſi, tantam calamitatem reip. quam tardiſſime audire, optandum eſt, ſed illis, qui prodeſſe nihil poſſunt, neque mederi. atque utinam eodem S. C. quo Plancum, & Lepidum in Italiam accerſiſtis, me quoque iuſſiſſetis uenire. profecto non accepiſſet reſp. hoc uulnus. quo ſi qui laetantur in praeſentia, quia uidentur & duces, & ueterani Caeſaris partium interijſſe: tamen poſtmodum neceſſe eſt doleant, cum uaſtitatem Italiae reſpexerint. nam & robur, & ſoboles militum interijt: ſiquidem, quae nunciantur, ulla ex parte uera ſunt. Neque ego non uidebam, quanto uſui reip. eſſem futurus, ſi ad Lepidum ueniſſem. omnem enim cunctationem eius diſcuſſiſſem, praeſertim adiutore Planco. ſed ſcribenti ad me eiuſmodi litteras, quas leges, & concionibus uidelicet, quas Narbone habuiſſe dicitur, ſimiles, palparer neceſſe erat, ſi uellem commeatum, per prouinciam eius iter faciens, habere. praeterea uerebar, ne, ſi ante, quam ego incepta perficerem, proelium confectum eſſet, pium meum conſilium raperent in contrariam partem obtrectatores mei, propter amicitiam, quae mihi cum Antonio, non maior tamen quam Planco, fuit. itaque a Gadibus menſe Aprili binos tabellarios in duas naues impoſui; & tibi, & conſulibus, & Octauiano ſcripſi, ut me faceretis certiorem, quonam modo plurimum poſſem prodeſſe reip. ſed, ut rationem ineo, quo die proelium Panſa commiſit, eodem a Gadibus naues profectae ſunt. nulla enim poſt hiemem fuit ante eam diem nauigatio. & hercule, longe remotus ab omni ſuſpicione futuri ciuilis tumultus, penitus in Luſitania legiones in hibernis collocaram. ita porro feſtinauit uterque confligere, tamquam nihil peius timerent, quam ne ſine maximo reip. detrimento bellum componeretur. ſed, ſi properandum fuit, nihil non ſummi ducis conſilio geſſiſſe Hirtium uideo. nam haec mihi ſcribuntur ex Gallia Lepidi, & nunciantur: Panſae exercitum conciſum eſſe: Panſam ex uulneribus mortuum: eodem proelio Martiam legionem interijſſe, & L. Fabatum, & C. Peducaeum, & D. Carfulenum: Hirtiano autem proelio & quartam legionem, & omnes peraeque Antonij caeſas: item Hirtij quartam, cũ caſtra quoque Antonij cepiſſet, a quincta legione conciſam eſſe: ibi Hirtium quoque perijſſe, & Pontium Aquilam: dici etiam, Octauianum cecidiſſe: ( quae ſi, quod dij probibeant, uera ſunt, non mediocriter doleo ) Antonium turpiter Mutinae obſeſſionem reliquiſſe, ſed habere equitum*, ac, legiones ſub ſignis armatas tres, & P. Vagieni unam, inermes bene multos: Ventidium quoque ſe cum legione ſeptima, octaua, nona coniunxiſſe: ſi nihil in Lepido ſpei ſit, deſcenſurum ad extrema, & non modo nationes, ſed etiam ſeruitia concitaturum:*

Parmam

*Parmam direptam: L. Antonium alpes occupaſſe. Quae ſi uera ſunt; nemini noſtrum ceſſandum eſt; neque exſpectandum, quid decernat ſenatus. res enim cogit huic tanto incendio ſuccurrere omnes, qui aut imperium, aut nomen denique populi R. ſaluum eſſe uolunt. Brutum enim* XVII. *cohortes, & duas non frequentes tironum legiones, quas conſcripſerat Antonius, habere audio. neque tamen dubito, quin omnes, qui ſuperſint de Hirtij exercitu, confluant ad eum. nam in delectu non multum ſpei puto eſſe; praeſertim cum nihil ſit periculoſius, quam ſpatium confirmandi ſeſe Antonio dari. anni autem tempus libertatem maiorem mihi dat: propterea quia frumenta aut in agris, aut in uillis ſunt: itaque proximis litteris conſilium meum expedietur. nam neque deeſſe, neque ſupereſſe reip. uolo. maxime tamen doleo, adeo & longo, & infeſto itinere ad me ueniri, ut die quadrageſimo poſt, aut ultra etiam, quam facta ſunt, omnia nuncientur. Vale.*

## EXPLANATIO

RETINVIT:} ep.31. SED *illis, qui prodeſſe nihil poſſunt, neque mederi.*} non mihi, qui prodeſſe aliquid poſſum: itaque maturius audire uoluiſſem. Hic mihi dubitationis quiddam affert omnium librorum ueterum, quos ipſe uiderim, conſenſus: habent enim, Nequeo mederi. mihi tamen omnino magis probatur, Neque mederi: ſiue ſit ex ingenio, ſiue ex aliquo antiquo libro. NON *accepiſſet reſp. hoc uulnus.*} uel quia, ipſius exercitu ad reip. partes addito, facilior & minus calamitoſa uictoria fuiſſet: uel quia, bellum ut componeretur, operam dediſſet. quam uoluntatem infra oſtendere uidentur illa uerba: Ita feſtinauit uterque confligere, tamquam nihil peius timerent, quam ne ſine maximo reip. detrimento bellum cōponeretur. SI QVI *laetantur*} Pompeianarum partium, & reip. ſtudioſi. DVCES,} Duces perierant Hirtius, Panſa, Aquila: qui licet ad Mutinam contra Antonium pro rep. pugnaſſent, duces tamē antea fuerant Caeſaris partium: ut ijs, excepto tamen Aquila, (nam is coniurationis in Caeſarem particeps fuerat) boni ciues, qui Brutis & Caſsio, ideſt libertati fauebant, non omnino confiderent. & ſane apud Appianum Panſa moriens hortatur Octauianum, ne oblatam dominandi facultatem amittat, ne ue Pompeianis in poſterum credat. VETERANI *Caeſaris partium*} nam duae Hirtij legiones, Quarta, & Septima, & Martia, quae, relicto Antonio, partes reip. praetulerat, & euocati a Caeſare adoleſcente milites ex colonijs, & Antonij legiones tres, diu cum C. Caeſare meruerant. VASTITATEM *Italiae*} ſolitudinem Italiae, robore & ſobole militum orbatae. unde Vaſtitas iudiciorum, in Bruto: Vaſtum forum, pro Sextio: & apud Feſtum Attius: Hanc urbem ferro uaſtam faciet. Pro, inane forum, inanem urbem. Virgilius lib. IIX. Aen. Vaſtant cultoribus agros. ideſt, abductis cultoribus, deſertos agros relinquunt. Alibi, Vaſtum eſt magnum, ab eo, quod inania latiora uidentur, quam plena, oculis obiectare nulla. RESPEXERINT.} proprie, quaſi de re non animaduerſa: cum ad uictoriam tantum gaudio praepediti nimio, adſpexerint. ET *robur, & ſoboles militum*} & qui fortes ipſi erant, & quibus gigni fortes poſſent. Soboles enim eſt quaſi noua ſtirps, poſt aliam enata. & filij ſoboles dicuntur: ut lib. III. de Leg. Cenſores populi aeuitates, ſoboles, familias, pecuniasq. cenſento. Et lib. I. Off. Sequuntur connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. quae propagatio, & ſoboles, origo eſt rerump. Virgilius lib. IV. Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet Ante fugam ſoboles. OMNEM *cunctationem eius diſcuſſiſſem,*} effeciſſem, ne Lepidus in ſuſcipienda reip. cura cunctaretur. ſic locutus & Valerius Max. lib. III. c. 2. Cunctatione bonorum ciuium diſcuſſa, Gracchum, quas merebatur, poenas perſoluere coegit. Diſcutere aduocationem, caedem, caliginem, captiones, Cicero dixit, alij alia. SIMILES,} Similis, habent ueteres libri; quod idem eſt: uel, Simul: quod mendoſum uidetur. Similes autem concionibus Narbone habitis Lepidi litteras dicit. PALMARER} ſic uideo eſſe in omnibus antiquis libris: & ita ſcriptū arbitror a Pollione. nam, licet hoc uerbum alibi fortaſſe nuſquam reperiatur; non tamen ideo reijciendum uidetur: cum eiuſdē generis alia quoque ſint. quod ſi, quae ſemel tantum dicta nobis occurrunt, ea mutare tamquam corrupta, & uſitata reſtituere conabimur: Latinam linguam, quae paucis omnino libris conſeruata, uix ad aetatem noſtram peruenit, maiorē ad inopiam redigemus, maleq. merebimur de ſtudijs litterarum. Palmari puto idē eſſe, quod palpari, ideſt adulari. palma enim blandimur, item ut palpo. PROELIVM} Mutinenſe. RAPERENT *in contrariam partem*} ſecus interpretarentur, meq. dicerent in Italiam ueniſſe, non ut reip. ſed ut oppugnante remp. Antonio opem ferrem. Terentius in prologo Adelph. ita locutus: Poſtquam poeta ſenſit ſcripturam ſuam ab iniquis obſeruari, & aduerſarios rapere in deteriorem partem, quam acturi ſumus. QVAE *mihi cum Antonio fuit.*} Velleius lib. 2. NON *maior tamen, quam Planco,*} Mecum, inquit, agatur iniquiſsime, ſi propter amicitiam, quae mihi cum Antonio fuit, durius quidquam homines de me ſuſpicentur: cum eundem Antonium haud minus, quam ego, dilexerit Plancus: cui tamen uos confidere cognoui, accerſito ſimul cum Lepido in Italiam, ut Antonium bello perſequerentur. Dolet, melius erga remp. animatum inimicum ſuum exiſtimari. Inimicitias, aut certe ſimultatem, ut credam iam tunc fuiſſe inter Aſinium, & Plancum, adducor ijs, quae ſcripſit Plinius in praefatione librorum ſuorum ad Veſpaſianum. VTERQVE} Antonius, & Panſa. uide ep. 30. EX *Gallia Lepidi,*} ea Galliae ciſalpinae parte, per quam uiam duxit M. Aemilius Lepidus conſul anno DLXVI, quae ab eo nomen accepit. EX *uulneribus*} ep. ad M. Brutum: Hirtius in ipſa uictoria occidit, cum paucis diebus magno proelio ante uiciſſet. nam Panſa fugerat, uulneribus acceptis, quae ferre non potuit. Creditum eſt, uenenum uulneribus infuſum Glyconis medici opera. M. Brutus in epiſt. ad Ciceronem. Tibi Glycona, medicum Panſae, diligentiſsime commendo. audimus eum ueniſſe in ſuſpicionem Torquato de morte

Panſae,

Panſae, cuſtodiriq ut paricidam. Tacitus lib. I. Vbi decreto patrum, faſces, & ius praetoris inuaſerit, caeſis Hirtio & Panſa, (ſiue hoſtis illos, ſeu Panſam uenenum uulneri adfuſum ſiue milites Hirtium & machinator doli Caeſar abſtulerat) utriuſque copias occupauiſſe. Suetonius in Auguſto: Cum Hirtius in acie, Panſaq poſt ex uulnere, periſſent, rumor increbuit, ambos opera eius occiſos: ut, Antonio fugato, rep conſulibus orbata, ſolus uictores exercitus occuparet, Panſae quidem adeo ſuſpecta mors fuit, ut Glyco medicus cuſtoditus ſit, quaſi uenenum uulneri indidiſſet. MORTVVM:} mortuus eſt Boniae. Appianus lib. 2. CARFVLENVM:} quem Hirtius & Octauianus cum legione Martia Panſae obuiam miſerant. Appianus Carfuleium nominat. ueteres libri uarie, Carfulenum, Carfuleum, Cafulenum, Carfulenium, Carfulerium, Curſulenum, habent. HIRTIANO} cum Panſa primum, deinde, eo uicto, cum Hirtio pugnauit Antonius, & uictus: poſtremo, Hirtius ipſe, cum oppugnaret Antonij caſtra, interijt. QVARTAM,} cum de caeſis Antonij legionibus mentio fiat; Quarta uero non Antonij, ſed Hirtij fuerit, qui, ut in Phil. 14. legitur, eduxit e ſuis caſtris contra Antonium & Quartam, & Septimam; & hic ſtatim Hirtij Quarta nominetur; ſuſpicari de mendo facile poſſum: & fortaſſe pro Quarta legendum, Secunda, non magna mutatione: nam IV & II non admodum differunt. ſecundam autem cum Antonio fuiſſe, patet e Galbae ep. 30. & Phil. 5. ET. OMNES} duas reliquas, Quinctam, & Trigeſimam quinctam. HIRTIVM *quoque periſſe*,} incertum, ab hoſte, an ab Octauiano interemptus. PONTIVM *Aquilam*:} unum ex percuſſoribus Caeſaris, legatum hoc tempore D. Bruti: qui T. Munatium Plancum, Antonij, ducem, paullo ante proelio uicerat: ut eſt in Phil. 13. & apud Dionem lib XLVI. Hic eſt, opinor, quem, ſcribit Suetonius, triumphanti Caeſari, & ſubſellia tribunicia praetereunti, unum e collegio non aſſurrexiſſe: quod adeo Caeſarem indignatum, ut proclamauerit, Repete ergo a me Aquila remp. tribunus; nec deſtiterit per continuos dies quidquam cuiquam, niſi ſub hac exceptione polliceri, ſi tamen per Pontium Aquilam licuerit. Fuerat in partibus Caeſaris ciuili bello ſuperiore: ut is docet, qui de bello Africano librum ſcripſit. Perijt in eadem pugna cum Hirtio: & honores mortuo decreti. ep. ad M. Brutum: Effudi, ſi ita uis, honores in mortuos Hirtium, & Panſam, Aquilam etiam. Et Dio lib. XLVI. Aquilam in pugna caeſum ſtatua decorarunt; & quam e ſuis bonis D. Bruti militibus pecuniam dederat, eius heredibus reddiderunt. HABERE *equitum*,} numerus equitum deſideratur in omnibus antiquis libris, praeter unum minime recentem, in quo eſt. Equitum V. ideſt quinque millia. nam ueteres numerorum notae, ducta ſupra linea, Millia ſignificant. eam uero lineam ſaepe a librarijs omiſſam eſſe, ignorat nemo. Equitatum ideo ſeruauit incolumen Antonius, quia caruit equitibus Hirtius, & Germanos Caeſaris equites ad Antonium paullo ante proelium transfugiſſe, Dio ſignificat. LEGIONES *ſub ſignis armatas tres*,} falſum. uide ep. 34 & lib. XI. ep. 10. Sub ſignis autem, pro, non paſsim, ſed ordinatim Lucretius: Multa uirum ſub ſignis millia ducta. Tacitus lib. XVII. Subſignanum militem uocat. Idem lib. XIIX. Quingenti Pannonij nondum ſub ſignis. P. VAGIENI} ſic probo, ex Maffeorum libro, quo etiam olim ſum uſus. reliqui omnes, Pupilli, non Publij. idem liber, Vagienij. INERMES *bene multos*:} ep. 34. & lib. XI. ep. 10. VENTIDIVM} ep. 17. 18. 34. & lib. XI. ep. 10. SEPTIMA,} fortaſſe aliter legendum: nam ſeptima cum Hirtio fuit. Phil. 14. DESCENSVRVM *ad extrema*,} ep. 1. lib. XI. Ad nouiſsima auxilia deſcendemus. Et ep. 17. ad Att. lib. IX. Si ſibi conſilijs noſtris uti non liceret, uſurum quorum poſſet, ad omniaq. deſcenſurum. SERVITIA} ergaſtula ſoluit Antonius. ep. 10. lib. XI. PARMAM *direptam*:} a L. Antonio. Phil. 14. L. *Antonium*} Marci fratrem, qui tribunus pl. fuerat anno ſuperiore. AVT *nomen denique*} ne cum imperio nomen etiam ipſum exſtinguatur. CONFLVANT *ad eum*.} tranſlatio a coniunctis fluminibus. ep. ſeq. Ab confluente Rhodano caſtra moui. ſic in oratione pro Plancio, Ad nos pleraeque cauſſae confluunt. Et Tuſc. 2. Si ad haec ſtudia plures confluxerint. NEQVE *supereſſe reip*.} neque uiuere poſt interitum reip. Gellius lib. 1. cap. 22. Supereſſe inuenimus dictum pro Superſtitem eſſe. ita enim ſcriptum eſt in libro epiſtolarum M. Ciceronis ad L. Plancum, in epiſtola M. Aſinij Pollionis ad Ciceronem, his uerbis: Neque deeſſe reip. uolo, neque ſupereſſe. Et Plautus in Aſin. Tuum uis unicum gnatum tuae ſupereſſe uitae ſoſpitem, & ſuperſtitem.

## Argumentum ep. 34.

*NArrat, adueniente Antonio quid egerit: & agit gratias, quod iniquis de ſe rumoribus fidem non habuerit. Eodem anno.*

### *M. Lepidus imp. iterum, pont. max. S. D. Ciceroni.* 34.

*SI uales, bene eſt: ego ualeo. Cum audiſſem, Antonium cum ſuis copijs, praemiſſo L. Antonio cum parte equitatus, in prouinciam meam uenire, cum exercitu meo ab confluente Rhodano caſtra moui, ac contra eos uenire inſtitui. itaque continuis itineribus ad Forum Voconti um ueni, & ultra caſtra ad flumen Argenteum contra Antonios feci. P. Ventidius ſuas legiones tres coniunxit cum eo, & ultra me caſtra poſuit. habebat antea*

*legionem ſecundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinem, ſed inermorum. equitatum habet magnum. nam omnis ex proelio integer diſceſſit, ita ut ſint amplius equitum XXX. itaque ad me complures milites, & equites ab eo tranſierunt: & in dies ſingulos eius copiae minuuntur. Silanus, & Culeo ab eo diſceſſerunt. nos, etſi grauiter ab his laeſi eramus, quod contra noſtram uoluntatem ad Antonium ierant; tamen, noſtrae humanitatis, & neceſſitudinis cauſſa, eorum ſalutis rationem habuimus. nec tamen eorum opera utimur; neque in caſtris habemus; neque ulli negotio praefecimus. quod ad bellum hoc attinet, nec ſenatui, nec reip. deerimus. quae poſtea egerimus, faciam te certiorem. Etſi omni tempore ſumma ſtudia officij mutuo inter nos certatim conſtituerunt pro noſtra inter nos familiaritate, & proinde diligenter ab utroque conſeruata ſunt: tamen non dubito, in tanto & tam repentino motu reip. quin non nulla de me falſis rumoribus a meis obtrectatoribus, me indigna, ad te delata ſint, quae tuum animum magnopere mouerent pro tuo amore in remp. ea te moderate accepiſſe, neque temere credendum iudicaſſe, a meis procuratoribus certior ſum factus: quae mihi, ut debent, gratiſſima ſunt. Memini autem & illa ſuperiora, quae abs tua uoluntate profecta ſunt ad meam dignitatem augendam, & ornandam: quae perpetuo animo meo fixa manebunt. Abs te, mi Cicero, magnopere peto, ſi meam uitam, ſtudium diligentiſſime ſuperioribus temporibus in rep. adminiſtranda, quae Lepido digna ſunt, perſpecta habes, ut paria, aut eo ampliora reliquo tempore exſpectes, & proinde tua auctoritate me tuendum exiſtimes, quo tibi plura tuo merito debeo. Vale. XII. Kal. Iun. ex caſtris, ex Ponte Argenteo.*

# EXPLANATIO

M. LEPIDVS} Aemiliae gentis: qui cum Caeſare conſul fuerat, &, eo interfecto, pontifex max. in eius locum a ſacerdotum collegio, Antonij conſulis opera, & ſtudio, ſuffectus eſt. Dio lib. XLIV. IMP. ITERVM,} bis igitur a militibus, ob duas uictorias de hoſtibus relatas, imperator appellatus erat: proptereaq. ſenatus abſenti triumphum decreuit. uide Phil. 13. in qua item oratione imperator iterum dicitur. PROVINCIAM *meam*} Velleius lib. 2. ita ſcriptum reliquit: Lepidns Pont. Max. in locum Caeſaris furto creatus, decreta ſibi Hiſpania, adhuc in Gallia morabatur. Sed ex ipſius Lepidi uerbis, & ex Aſinij proxima ſuperiore epiſtola cognoſcitur, Galliae Narbonenſi Lepidum praefuiſſe. dubitationem Dio tollit: nam lib. XLIII. mandatam Lepido a Caeſare narrat & Galliam Narbonenſem, & ei finitimam Hiſpaniam. AB. CONFLVENTE *Rhodano*} ab eo loco, ubi confluere incipiunt Arar, & Rhodanus. Liuius lib. 1. Ad confluentes collocat caſtra. Vnus omnino uetus liber, Ab confluente ab Rhodano: reliqui nullo diſcrimine, Ab confluente Rhodano. AD. FORVM *Vocontium*} malim, Ad Forum Voconiū, uel Voconij: quod a Plinio nominatur lib. III. cap. 4. & hic ep. 17. Veteres libri, Vocontium, Vocontij, Vocatium, Vicontinum, Venticonum, & aliter. AD. FLVMEN *Argenteum*} quod in prouincia Narbonenſi lib. III. cap. 4. Plinius conſtituit. LEGIONES *tres*} ep. 33. HABEBAT *antea*} M. Antonius. LEGIONEM *ſecundam,*} ep. 30. EX. RELIQVIS} duabus ueteranis, quincta, & trigeſima quincta. INERMORVM.} pro, Inermium, antique. ep. 12. lib. 11. Et ep. 14. ad M. Brutum, & Salluſtius in Iug. Ab inermis pedibus auxilium petere. Et Quadrigarius apud Gellium lib. XVII. cap. 2. EQVITVM} Equitum XXX. ideſt triginta millia, ut in libris noſtris, linea numero ſuperducta, impreſſum eſt, olim eſſe animaduerti in antiquo Vincentij Riccij libro; nunc eaſdem notas in uno Maffeorum eſſe, in reliquis numerum equitum uideo deſiderari. ſed mihi tantum equitatum habuiſſe Antonium, uериſimile parum uidetur. SILANVS,} M. Silanus, tribunus mil. in exercitu Lepidi. Dio lib. XLVI. & ep. 30. CVLEO} antea praepoſitus alpibus a Lepido. Appianus lib. III. CONTRA *noſtram uoluntatem*} immo ex ipſius uoluntate: occulte enim fauebat Antonio. uide Dionem lib. XLVI. NECESSITVDINIS} quae imperatori ſolet eſſe cum ſuis militibus. nam Silanus, & Culeo cum Lepido militauerant, honeſtis ordinibus praepoſiti; ut demonſtratum eſt. SVMMA *ſtudia officii*} officijs inter nos pari ſtudio certauimus. Duo ueteres libri, Officij non habent: unus, Summa ſtudia officio mutuo: alius, Summa ſtudia officij mutui. Cicero ipſe Phil. 13. ſic de Lepido: Magna eius in me merita, mea quaedam officia in illum. PROINDE *diligenter*} aeque diligenter. nam Proinde interdum ualet perinde. ep. 4. MEMINI *autem*} ſic probo, ut eſt in meo uetere libro, & erat in eo, quem olim habui, a Vincentio Riccio commodatum. duo praeterea, Memini etiam: quod non placet. reliqui, Memini enim. ET. ILLA *ſuperiora,*} cum ei ſtatuam equeſtrem inauratam in Roſtris ponendam cenſuit. uide Phil. 5. QVAE *Lepido digna ſunt,*} emphaſis eſt in nomine; propter antiquam familiae dignitatem. Phil. 13. EO *ampliora*} additum eſt, Eo, ornatus gratia, non quod neceſſe eſſet. PROINDE} propterea. XII. KAL.} ſic in meis antiquis libris, uno excepto, in quo eſt, XI.

## Argumentum ep. ult.

*RECEPTI Antonij cauſſam in ſuos milites confert, diſſenſionem ciuium inique ferentes. Eodem anno.*

## *Lepidus imp. iterum, pont. max. S. D. S. P. P. L. Q. R.* 35.

*SI uos, liberiq. ueſtri ualetis, bene eſt: ego quidem ualeo. Deos hominesq. teſtor,* P. C. *qua mente, & quo animo ſemper in remp. fuerim, & quam nihil antiquius communi ſalute, ac libertate iudicarim. quod uobis breui probaſſem, niſi mihi fortuna proprium conſilium extorſiſſet. nam exercitus cunctus conſuetudinem ſuam in ciuibus conſeruandis, communiq. pace, ſeditione facta, retinuit; meq. tantae multitudinis ciuium Romanorum ſalutis, atque incolumitatis cauſſam ſuſcipere, ut uere dicam, coegit. in qua re ego uos* P. C. *oro, atque obſecro, ut, priuatis offenſionibus omiſſis, ſummae reip. conſulatis; ne miſericordiam noſtram, exercitusq. noſtri in ciuili diſſenſione ſceleris loco ponatis. quod ſi ſalutis omnium, ac dignitatis rationem habueritis: melius & uobis, & reip. conſuletis. Data* III. *Kal. Iun. a Ponte Argenteo. Vale.*

## EXPLANATIO

IN, CIVIBVS *conſeruandis,*} ſic duo ueteres libri, & unus praeterea, quo ſum uſus adoleſcens, Vbaldini Bandinelli. Reliqui omnes, Obſeruandis. malo, Conſeruandis; ne ciuium caedes fieret. quod explanatur ſequentibus uerbis: Me tantae multitudinis ciuium R. ſalutis, atque incolumitatis cauſſam ſuſcipere coegit. Et infra: Miſericordiam noſtram, exercituſq. noſtri. Ad hanc ſententiam pertinent illa Planci uerba, ep. 21. Acceſsit eo, ut milites eius, cum Lepidus concionaretur, conclamarint uiri boni, pacem ſe uelle, neque eſſe cum ullis pugnaturos, duobus iam conſulibus ſingularibus amiſsis, tot ciuibus pro patria amiſſis. SEDITIONE *facta,*} de hac ſeditione Velleius, Plutarchus, Dio. III. KAL. IVN.} menſis Iunij nomen eſt in duobus antiquis libris; in quibuſdã Aprilis nominatur, errore perſpicuo: in alijs neque Aprilis, neque Iunius. in pleriſque libris antiquis eſt, IV. Kal. in nonnullis, ut in eo Vincentij Riccij, III. Kal. quod magis probo. nam etſi Lepidus IV. Kal. Iun. ſe cum Antonio coniunxit; ut ex Planci ep. 23. cognoſcitur: ueri tamen ſimilius uidetur, poſtridie Plancum ad ſenatum ſcripſiſſe, quam eodem die, in tanta rerum mutatione.

IN . EPISTOLARVM

# M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . VNDECIMVM

AD . BRVTVM . ET . ALIOS

PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

---

## Argumentum ep. I. lib. XI.

D. BRVTVS *habitum cum Hirtio, conſule deſignato, ſermonem exponit: poſtulatam a ſe liberam legationem ſignificat: ſuum conſilium oſtendit, tutam in urbe manſionem non eſſe, migrandum ex Italia: uel poſtulandum, ut ipſi, & M. Bruto, & Caſſio liceat eſſe in Vrbe publico praeſidio. Antonio, & Dolabella cos.*

### *D. Brutus S. D. M. Bruto, & C. Caſſio.* I.

*QVo in ſtatu ſimus, cognoſcite. Heri ueſperi apud me Hirtius fuit: qua mente eſſet Antonius, demonſtrauit, peſſima ſcilicet, & infideliſſima. nam ſe neque mihi prouinciam dare poſſe aiebat, neque arbitrari tuto in urbe eſſe quemquam noſtrum: adeo eſſe militum concitatos animos, & plebis. quod utrumque eſſe falſum, puto uos animaduertere; atque illud eſſe uerum, quod Hirtius demonſtrabat, timere eum, ne ſi mediocre auxilium dignitatis noſtrae habuiſſemus, nullae partes ijs in rep. relinquerentur. cum in his anguſtijs uerſarer, placitum eſt mihi, ut poſtularem legationem liberam mihi, reliquisq. noſtris; ut aliqua cauſſa proficiſcendi honeſta quaereretur. hoc ſe impetraturum pollicitus eſt: nec tamen impetraturum confido: tanta eſt hominum inſolentia, & noſtri inſectatio. ac, ſi dederint, quod petimus; tamen paullo poſt futurum puto, ut hoſtes iudicemur, aut aqua, & igni nobis interdicatur. Quid ergo eſt, inquis, tui conſilij? Dandus eſt locus fortunae: cedendum ex Italia, migrandum Rhodum, aut aliquo terrarum arbitror. ſi melior caſus fuerit, reuertemur Romam; ſi mediocris, in exſulio uiuemus; ſi peſſimus, ad nouiſſima auxilia deſcendemus. Succurret fortaſſe hoc loco alicui ueſtrum, cur nouiſſimum tempus exſpectemus potius, quam nunc aliquid moliamur.*

*moliamur. Quia, ubi conſiſtamus, non habemus, praeter Sex. Pompeium, & Baſſum Caecilium: qui mihi uidentur, hoc nuncio de Caeſare allato, firmiores futuri. ſatis in tempore ad eos accedemus, ubi, quid ualeant, ſcierimus. Pro Caſſio, & te ſi quid uelitis me recipere, recipiam. poſtulat enim hoc Hirtius ut faciam. Rogo uos, quamprimum mihi reſcribatis. nam non dubito, quin de his rebus ante horam quartam Hirtius me certiorem ſit facturus. quem in locum conuenire poſſimus, quo me uelitis uenire, reſcribite. Poſt nouiſſimum Hirtij ſermonem, placitum eſt mihi poſtulare, ut liceret nobis eſſe Romae publico praeſidio: quod illos nobis conceſſuros non puto. magnam enim inuidiam ijs faceremus. nihil tamen non poſtulandum putaui, quod aequum eſſe ſtatuerem. Valete.*

## EXPLANATIO

D BRVTVS} Iuniae gentis, adoptatus fortaſſe a Poſtumio aliquo, unde Albini cognomen acceperit. Albinus enim uocatur a Plutarcho, Appiano, Dione. Latini ſcriptores Brutum ſemper, non Albinum, appellant. PROVINCIAM} Galliam citeriorem, a Caeſare ipſo, dum uiueret, D. Bruto aſsignatam, mox, Caeſare mortuo, a ſenatu confirmatam. Suetonius in Auguſto, Appianus, Dio, alij. AIEBAT} Antonius: quippe cum eam ipſe appeteret, ſuis conſilijs aptam, quia poſt Caeſaris necẽ excitare bellum ciuile cupiebat. Macedoniam uero, quam ei ſenatus dederat, Decimo dare cogitabat. quod factum non eſt: ideo Brutum Antonius, Mutina incluſum, per menſes multos obſedit. MILITVM} ueteranorum, quos Caeſar beneficijs affecerat. SI. MEDIOCRE *auxilium*} quod mox non mediocre habuere, Decimus Galliam Ciſalpinam, iam antea a Caeſare attributam, Caſsius Syriam, M. Brutus Macedoniam, utramque a ſenatu decretam poſt interitum Caeſaris. PLACITVM *eſt*} ep. 4. lib. IIX. LEGATIONEM *liberam*} legationes liberae priuatarum rerum cauſſa ſenatoribus dabantur: tum quod ijs, non permittente ſenatu, abeſſe non licebat: tum etiam, ut eſſent honoratiores apud exteras nationes, addito legationis nomine. ep. 18. ad Att. lib. 2. & ep. 11. lib. XV. ad eundem, & in orationibus in Rullum, pro Flacco. RHODVM,} liberam ciuitatem. ep. 7. lib. IV. AD *nouiſſima auxilia deſcendemus.*} ep. 33. lib. X. Si nihil in Lepido ſpei ſit, deſcenſurum ad extrema, & non modo nationes, ſed etiam ſeruitia concitaturum. SEX. *Pompeium,*} Magni filium: qui erat in ulteriore Hiſpania. BASSVM} qui erat in Syria. ep. 11. lib. XII. & ep. 18. eiuſdem libri, & Strabo lib. XVI. Dio lib. XLVII. INVIDIAM} odium, ut ep. 1. lib. I. indignarentur, inquit, boni ciues, uindices libertatis egere praeſidio.

---

## Argumentum ep. 2.

*PEtunt ab Antonio conſule Brutus & Caſsius praetores, an ipſos putet in Vrbe, magna ueteranorum militum frequentia, tutos fore. Eodem anno.*

### *M. Brutus, & C. Caßius praet. S. D. M. Antonio cos.* 2.

*DE tua fide, & beneuolentia in nos niſi perſuaſum eſſet nobis, non conſcripſiſſemus haec tibi: quae profecto, quando iſtum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis, magnam ueteranorum multitudinem Romam conueniſſe iam, & ad Kal. Iun. futuram multo maiorem. de te ſi dubitemus, aut uereamur; ſimus noſtri diſſimiles. ſed certe, cum ipſi in tua poteſtate fuerimus; tuoq. adducti conſilio dimiſerimus ex municipijs noſtros neceſſarios; neque ſolum edicto, ſed etiam litteris id fecerimus; digni ſumus, quos habeas tui conſilij participes, in ea praeſertim re, quae ad nos pertinet. quare petimus a te, facias nos certiores tuae uoluntatis in nos; putes ne nos tutos fore in tanta frequentia ueteranorum: quos etiam de reponenda ara cogitare audimus: quod uelle te, probare uix quiſquam poſſe uidetur, qui nos ſaluos, & honeſtos uelit. nos ab initio ſpectaſſe otium, nec quidquam aliud libertate communi quaeſiſſe, exitus declarat. fallere nemo nos poteſt, niſi tu: quod certe abeſt a uirtute tua, & fide. ſed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. tibi enim uni credidimus, & credituri ſumus. maximo de nobis timore afficiuntur amici noſtri. quibus etſi tua fides explorata eſt, tamen illud in mentem uenit, multitudinem ueteranorum facilius impelli ab alio quolibet, quam a te retineri poſſe. Reſcribas nobis ad omnia, rogamus. Nam illud ualde leue eſt, ac nugatorium, ea re denunciatum eſſe ueteranis, quod de commodis eorum menſe Iunio laturus eſſes. quem enim impedimento futurum putas, cum de nobis certum ſit nos quieturos? Non debemus cuiquam uideri nimium uitae cupidi, cum accidere nobis nihil poſſit ſine pernicie, & confuſione omnium rerum. Vale.*

EXPLA-

## EXPLANATIO

FIDE, *& beneuolentia*} beneuolentia, ut uelit: fides, ut promiſſa ſeruet. ISTVM} cui confidimus, adducti fide, & beneuolentia in nos tua. AD. KAL. IVN.} in quem diem ſenatum Antonius edixerat. Phil. 1. Ecce Kalendis Iun. quibus ut adeſſemus, edixerat, mutata omnia. nihil per ſenatum, multa, & magna per populum, & abſente populo, & inuito. ueterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentiſsime cauerat, non ad conſeruationem earum rerum, quas habebant, ſed ad ſpem nouarum praedarum incitabantur. VELLE. TE,} alij ex ingenio, Velle, &. Sed ita referri neceſſe eſſet ad amicos Bruti, & Caſsij: de quibus non ſcriberent, Vix quiſquam, ſed, Prorſus nemo. ſequamur igitur & antiquos libros, & ſententiam. IN. TVA *poteſtate*} percuſſores Caeſaris, data Antonio & Lepido fide, & ab eis uiciſsim accepta, de Capitolio, quo poſt Caeſaris necem populi metu confugerant, deſcenderunt, Caſsiuſq. ſe Antonio, Brutus Lepido credidit. NOSTROS *neceſſarios*;} qui, ut ijs praeſidio eſſent, in Vrbem conuenerant. Phil. 10. de M. Bruto ſic: Praetor urbanus cum eſſet, urbe caruit, ius non dixit, cum omne ius reip. recuperaſſet: cumq. concurſu quotidiano bonorum omnium, qui admirabilis ad eum fieri ſolebat, praeſidioq. Italiae cunctae ſaeptus poſſet eſſe, abſens iudicio bonorum defenſus eſſe maluit, quam praeſens manu. TVI *conſilij*} quid ſentiret de ueteranis, noſſe cupiebant. DE *reponenda ara*} erecta tamquam Deo Caeſari mortuo a ſimulato C. Marij filio, euerſa a Dolabella conſule. qua de re diximus ep. 14. lib. IX. NEC *quidquam aliud libertate communi quaeſiſſe,*} genus loquendi ſumptum a Graecis, pro, Nec quidquam aliud, praeter libertatem. Sic & Horatius epiſt. ad Quinctiũ, lib. 1. Neue putes alium ſapiente, bonoq. beatum. Et ep. ad Auguſtum lib. 2. Edicto uetuit, ne quis ſe, praeter Apellem, Pingeret, aut alius Lyſippo duceret ora. Et Sat. 3. lib. 2. Qui ſpecies alias ueris, ſceleriſq. tumultu Permiſtas captet. Plato autem in Menone: Ἄλλο ἐπιστήμης, pro, diuerſum a ſcientia. & Ariſt. ἐν τῷ τῶν ἠθικῶν: φίλος ἕτερος τοῦ κόλακος. DENVNCIATVM *eſſe*} ut in urbem frequentes conuenirent. DE *commodis eorum*} Phil. 1. Veterani, quibus hic ordo diligentiſsime cauerat, non ad conſeruationem earum rerum, quas habebant, ſed ad ſpem nouarum ad praedarum incitabantur. NON *debemus cuiquam uideri nimium uitae cupidi,*} ut fortaſſe tibi uidemur, quia conſulimus te de ſalute noſtra.

# Argumentum ep. 3.

*EXpoſtulatio ad contumelioſas, & minaces Antonij litteras. Eodem anno.*

### *Brutus, & Caſsius praet. S.D. Antonio. cos.* 3.

LITTERAS *tuas legimus, ſimillimas edicti tui, contumelioſas, minaces, minime dignas, quae a te nobis mitterentur. nos, Antoni, te nulla laceſſiuimus iniuria: neque miraturum credidimus, ſi praetores, & ea dignitate homines, aliquid edicto poſtulaſſemus a conſule. quod ſi indignaris auſos eſſe id facere: concede nobis, ut doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto, & Caſſio tribui. Nam de delectibus habitis, & pecunijs imperatis, exercitibus ſollicitatis, & nuncijs trans mare miſſis, quod te queſtum eſſe negas: nos quidem tibi credimus, optimo animo te feciſſe: ſed tamen neque agnoſcimus quidquam eorum; & te miramur, cum haec reticueris, non potuiſſe continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Caeſaris obijceres. Illud uero quemadmodum ferendum ſit, tute cogita; non licere praetoribus, concordiae, ac libertatis cauſſa, per edictum de ſuo iure decedere, quin conſul arma minetur. quorum fiducia, nihil eſt, quod nos terreas. neque enim decet, aut conuenit nobis, periculo ulli ſubmittere animum noſtrum: neque eſt Antonio poſtulandum, ut ijs imperet, quorum opera liber eſt. nos ſi alia hortarentur, ut bellum ciuile ſuſcitare uellemus; litterae tuae nihil proficerent.* NVLLA *enim minantis auctoritas apud liberos eſt. ſed pulchre intelligis, non poſſe nos quoquam impelli: & fortaſſis ea re minaciter agis, ut iudicium noſtrum metus uideatur. nos in hac ſententia ſumus, ut te cupiamus etiam in libera rep. magnum, atque honeſtum eſſe; uocemus te ad nullas inimicitias; ſed tamen pluris noſtram libertatem, quam tuam amicitiam, aeſtimemus. tu etiam atque etiam uide quid ſuſcipias, quid ſuſtinere poſſis: neque quam diu uixerit Caeſar, ſed quam non diu regnarit, fac cogites. Deos quaeſumus, conſilia tua reip. ſalutaria ſint, ac tibi: ſi minus, ut, ſalua, atque honeſta rep. tibi quam minimum noceant, optamus. Pridie non. Sext.*

## EXPLANATIO

EDICTI *tui,*} ſententiam huius edicti ſcire nobis non licet: neque enim exſtat: ſed contumelioſum fuiſſe conſtat, miniſq. plenum, cũ ſimillimum uocetur eius litterarum. SI. PRAETORES,} & Brutus

Brutus quidem praetor urbanus erat, qui ceteris praetoribus dignitate praeſtat: itaque abſentibus conſulibus conſulare munus more maiorum ſuſtinet. ep. 12. lib. x. EDICTO} ſi fuiſſent extra urbem, litteris poſtulaſſent: cum eſſent in urbe, poſtulauerunt edicto. POSTVLASSEMVS} poſtulauerant, ut, ſaluis legibus abeſſe poſſent ultra dies decem. nam per decem licebat. hoc ita impetrari poterat, ſi conſul Antonius, ut ſoluerentur legibus, ad ſenatum retuliſſet. id primum ab Antonio negatum illis eſſe, ex hac intelligitur epiſtola: poſtea conceſſum, docet Philippica ſecunda: in qua ita ſcriptum eſt: Cur M. Brutus, te referente, legibus eſt ſolutus, ſi ab Vrbe plus quam decem dies abfuiſſet? NE HOC *quidem*} ne hoc quidem, quod poſtulemus, tribui a te Bruto, & Caſsio, amicis tuis; quibus maiora a te tribui, par eſſet. Si praetoribus, & hominibus ea dignitate praeditis, conſul gratificari non uis: hoc ſaltem nobis, non tamquam conſul praetoribus, ſed tamquam Bruto, & Caſsio, id eſt amicis tuis, qui & credidimus tibi, & crediturі ſumus, tribuere deberes. quod cum non facias; concede nobis, ut doleamus. DE DELECTIBVS *habitis*,} audierant queſtum eſſe Antonium de delectibus ab ipſis habitis, de pecunijs imperatis, &c. NVNCIIS *trans mare miſſis*,} ad ſollicitandos exercitus, praeſertim ſex legiones Macedonicas, quibus uti Caeſar in Parthico bello cogitauerat. TE FECISSE:} quod queſtus non ſis, licet audires ea de nobis. NEQVE *agnoſcimus quidquam eorum*;} Agnoſcere, eſt fateri: non agnoſcere, negare. ep. 4. lib. IV. CVM *haec reticueris*,} cum de delectibus habitis, alijſq. rebus, in nos falſo rumore collatis, queſtus non ſis. OBIICERES.} in litteris. CONCORDIAE, *ac libertatis cauſſa*,} ideo enim abeſſe cupiebant, ne qua in urbe ſeditio propter Caeſaris mortem concitaretur. timebant autem potiſsimũ ueteranos. ep 2. PER *edictum*} edicto propoſito ſignificauerant, uelle ſe abeſſe concordiae, ac libertatis cauſſa. id eſt autem, de ſuo iure decedere. nam cum praetor ultra decem dies abeſt, de ſuo iure decedit. Hoc eſſe edictum opinor paullo ante nominatum, idem ſcilicet, quod in Phil. 1. appellatur his uerbis: Nec ita multo poſt, edictum Bruti affertur, & Caſsij: quod quidem mihi plenum equitatis uidebatur. ARMA *minetur*.} ut minatus erat in ijs litteris; quae contumelioſae, minaceſq. dictae ſunt. NOBIS,} qui tyrannum occidimus, ut patriam ſeruitute liberaremus. LITTERAE *tuae nihil proficerent*.} quibus arma minatus erat, quaſi abeſſe ideo uellent, ut bellum ciuile ſuſcitarent: id Hirtius quoque timuit: itaque ſcripſit ad Ciceronem his uerbis: Brutus, & Caſsius utinam, quam facile a te de me impetrare poſſunt, ita per te exorentur, ne quod callidius ineant conſilium. cedentes enim haec ais ſcripſiſſe: quo? aut quare? retine, obſecro te, Cicero, illos: noli ſinere haec omnia perire. Et Phil. 10. Ab hoc igitur quiſquam bellum timet, qui, ante quam nos id coacti ſuſcepimus, in pace iacere, quam in bello uigere, maluit? Quamquam oratio illa eſt habita aliquanto poſt, quam hae litterae ſcriptae. QVOQVAM} ad ullam rerum nouitatem. IVDICIVM *noſtrum*} iudicio enim noſtro, non armorum tuorum timore, nihil noui cogitamus. HONESTVM} honoratum. ep. 15. lib. 2. Caeſarem honeſtum eſſe cupio. QVAM *non diu regnarit*,} regnauit, abſoluta poteſtate, nullo Pompeianorum partium metu, poſt uictos in Hiſpania Pompeij liberos, quinque tantum menſes. redijt enim Octobri menſe, occiſus eſt idibus Mart. quod Velleius lib. 2. faſti Capitolini, & aliorum teſtimonia docent.

## Argumentum ep. 4.

R*Es a ſe geſtas exponit: pro quibus, Ciceronem rogat, ut ſibi ſua ſententia ſupplicationes decernat. Eodem anno.*

### *D. Brutus imp. cos. des. S. D. Ciceroni.* 4.

S*I* DE *tua in me uoluntate dubitarem, multis a te uerbis peterem, ut dignitatem meam tuerere: ſed profecto eſt ita, ut mihi perſuaſi, me tibi eſſe curae. Progreſſus ſum ad inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quam cupiens militibus ſatisfacere, firmoſq. eos ad tuendas noſtras res efficere: quod mihi uideor conſecutus. nam & liberalitatem noſtram, & animum ſunt experti. cum omnium bellicoſiſſimis bellum geſſi: multa caſtella cepi, multa uaſtaui: non ſine cauſſa ad ſenatum litteras miſi. adiuua nos tua ſententia. quod cum facies, ex magna parte communi commodo inſeruieris. Vale.*

## EXPLANATIO

IMP.} appellatus a militibus ob rem bene geſtam. ep. 10. lib. 2. INALPINOS} alpium incolas: cum quibus & Metellus Celer bellum geſſerat. ep. 1. lib. v. NOMEN *captans imperatorium*,} ut ex re bene geſta imperator appellarer. ANIMVM} aduerſus hoſtes. modeſte, Animum, dixit, pro Virtutem. ADIVVA *nos tua ſententia*.} ut ſupplicationes impetrem. Videtur impetraſſe. nam ſupplicationes triumphus ſequebatur: & paratum illi triumphum fuiſſe, Phil. 6. oſtendit his uerbis. An ille non potuit, ſi Antonium conſulem, ſi Galliam Antonij prouinciam iudicaſſet, legiones Antonio, & prouinciã tradere? domum redire? triumphare?

## Argumentum ep. 5.

*EXcuſat ſe, quod Bruti litteris non reſponderit: hortatur ad libertatem recuperandam: ſua ſtudia, officiaq. pollicetur. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Bruto imp. 5.*

LVPVS, *familiaris noſter, cum a te ueniſſet, cumq. Romae quoſdam dies commoraretur; ego eram in ijs locis, in quibus maxime tuto me eſſe arbitrabar. eo factum eſt, ut ad te Lupus ſine meis litteris rediret, cum tamen curaſſet tuas ad me perferendas. Romam autem ueni ad* v. *id. Dec. nec habui quidquam antiquius, quam ut Panſam ſtatim conuenirem: ex quo ea de te cognoui, quae maxime optabam. Quare hortatione tu quidem non eges, ſi ne in illa quidem re, quae a te geſta eſt poſt hominum memoriam maxima, hortatorem deſideraſti: illud tamen breuiter ſignificandum uidetur, populum R. omnia a te exſpectare, atque in te aliquando recuperandae libertatis omnem ſpem ponere. Tu, ſi dies, noctesq. memineris, quod te facere certo ſcio, quantam rem geſſeris, non obliuiſcere profecto, quantae tibi etiam nunc gerendae ſint. ſi enim iſte prouinciam nactus erit; cui quidem ego ſemper amicus fui ante, quam illum intellexi non modo aperte, ſed etiam libenter cum rep. bellum gerere: ſpem reliquam nullam uideo ſalutis. Quamobrem te obſecro iiſdem precibus, quibus ſenatus populusq. R. ut in perpetuum remp. dominatu regio liberes; ut principijs conſentiant exitus. tuũ eſt hoc munus, tuae partes: a te hoc ciuitas, uel omnes potius gentes non exſpectant ſolum, ſed etiam poſtulant. Quamquam, cum hortatione non egeas, ut ſupra ſcripſi, non utar ea pluribus uerbis: faciam illud, quod meum eſt, ut tibi omnia mea officia, ſtudia, curas, cogitationes pollicear, quae ad tuam laudem, & gloriam pertinebunt. quamobrem uelim tibi ita perſuadeas, me tum reip. cauſſa quae mihi uita mea carior eſt, tum quod tibi ipſi faueam, tuamq. dignitatem amplificari uelim, tuis optimis conſilijs, amplitudini, gloriae nullo loco defuturum. Vale.*

### EXPLANATIO.

LVPVS,} Rutiliorum cognomen. TVTO *me eſſe*} timebat Antonium conſulem. PANSAM} conſulem deſignatum. QVAE *maxime optabam.*} te ſcilicet Antonio prouinciam nolle tradere, optimeq. erga remp. animatum eſſe. NE. IN *illa quidem re,*} in Caeſare occidendo. ISTE} Antonius. PROVINCIAM} Galliam ciſalpinam, cui praeerat Decimus. SEMPER *amicus fui*} ep. 23. lib. XVI. DOMINATV *regio liberes:*} Antonio tuae prouinciae finibus excludendo: in quo ſita uidetur ſalus reip. Dominatu regio, dicit, quia, cum rege iam liberati eſſent, dominatus tamen regius manebat. ep. 1. lib. XII. Non regno, ſed rege liberati uidemur. VT *principijs conſentiant exitus.*} ut, quemadmodum rege, ita nos dominatu regio liberes. TVIS *optimis conſilijs,*} quae ſpectant ad communem libertatem.

---

## Argumentum ep. 6.

*SVam dignitatem Brutus commendauerat. reſpondet Cicero, ſibi eam etiam atque etiam curae fore, idq. iam in ſenatu declaratum. Eodẽ anno.*

### *Cicero S. D. Bruto imp. 6.*

LVPVS *noſter cum Romam ſexto die Mutina ueniſſet, poſtridie me mane conuenit, tuaq. mihi mandata diligentiſſime expoſuit, & litteras reddidit. Quod mihi tuam dignitatem commẽdas: eodem tempore exiſtimo te mihi meam dignitatem commendare; quam mehercule non habeo tua cariorem. quare mihi gratiſſimum facies, ſi exploratum habebis; tuis laudibus nullo loco nec conſilium, nec ſtudium meum defuturum. Cum tribuni pl. edixiſſent, ſenatus adeſſet ad* XIII. *Kal. Ian. haberentq. in animo de praeſidio conſulum des. referre: quamquam ſtatueram in ſenatum ante Kal. Ian. non uenire; tamen, cum eo die ipſo edictum tuum propoſitum eſſet, nefas eſſe duxi, aut ita haberi ſenatum, ut de tuis diuinis in remp. meritis ſileretur; quod factum eſſet, niſi ego ueniſſem; aut etiam, ſi quid honorifice de te diceretur, me non adeſſe. itaque in ſenatum ueni mane. quod cum eſſet animaduerſum, frequentiſſimi ſenatores conuenerunt. quae de te in ſenatu egerim; quae in concione maxima dixerim, aliorum te litteris malo cognoſcere. illud tibi perſuadeas uelim, me omnia, quae ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quae eſt per ſe ampliſſima, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum, & defenſurum. quod quamquam intelligo me cum multis eſſe facturum: tamen appetam huius rei principatum. Vale.*

## EXPLANATIO

TRIBVNI . PL.} qui poteſtatem habebant uocandi ſenatus. Gellius lib. XIV. cap. 7. AD . XIII. *Kal. Ian.*} is dies eſt, quo Phil. 3. habuit Cicero, Antonio conſule, ſed in Galliam profecto in ep. ad Cornificium: Ad XIII. Kal. Ian. ſenatus frequens mihi eſt aſſenſus, cum de ceteris rebus magnis, & neceſſarijs, tum de prouincijs ab ijs, qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, niſi qui ex S. C. ſucceſsiſſet. Et ad eundem: Ego, quo die primum in ſpem libertatis ingreſſus ſum, &, cunctantibus ceteris, fundamenta reip. ieci; eo die. &c. Phil. 14. Memoria tenent, me ante diem XIII. Kal. Ian. principem reuocandae libertatis fuiſſe. Quos autem tribunos pl. in hac ep. ad Brutum, nominat, ij noui erant: nam magiſtratum inibant IV. id. Dec. ut ex Dionyſio didicimus. DE *praeſidio conſulum des.* Hirtij, & Panſae. Phil. 3. Praeclare facitis tribuni pl. qui de praeſidio conſulum, ſenatuſq. referatis. ANTE *Kal. Ian.*} antequam conſulatum iniuiſſent Hirtius, & Panſa. EDICTVM *tuum*} hac de re ſic Phil. 5. Ante diem XIII. Kal. Ian. decretis ueſtris eum concidiſtis. Et paullo poſt: Eodemq. die D. Bruti edicto allato, factum eum collaudaſtis: quodq. ille bellum priuato conſilio ſuſceperat, id uos auctoritate publica comprobaſtis. Idem Phil. 4. & 6. IN . SENATV} ſignificat ea, quae ſcripta ſunt in Phil. 3. IN . CONCIONE} ad populum. unde Phil. 4.

---

## Argumentum ep. 7.

***SVadet Bruto, ne in ſalute populi R. conſeruanda ſenatus auctoritatem exſpectet, ſed uoluntatem ſenatus pro eius auctoritate habeat. Eodē anno.***

### *Cicero S. D. Bruto imp.* 7.

*CVM adhibuiſſet domi meae Lupus me, & Libonem, & Seruium, conſobrinum tuum; quae mea fuerit ſententia cognoſſe te ex C. Seio arbitror; qui noſtro ſermoni interfuit. reliqua, quamquam ſtatim Seium Graeceius eſt ſubſecutus, tamen ex Graeceio poteris cognoſcere. Caput autem eſt hoc, quod te diligētiſſime percipere & meminiſſe uelim, ut ne in libertate, & ſalute populi R. conſeruanda auctoritatem ſenatus exſpectes nondum liberi: ne & tuū factū condemnes; (nullo enim publico conſilio remp. liberaſti: quo eſt etiam res illa maior, & clarior) & adoleſcentem, uel puerum potius Caeſarem iudices temere feciſſe, qui tantam cauſſam publicam priuato conſilio ſuſceperit; denique homines ruſticos, ſed fortiſſimos uiros, ciuesq. optimos, dementes fuiſſe iudices, primum milites ueteranos, commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem Quartam, quae ſuum conſulem hoſtem iudicauerunt, ſeq. ad ſalutem reip. defendendam contulerunt. uoluntas ſenatus pro auctoritate haberi debet, cum auctoritas impeditur metu. poſtremo; ſuſcepta tibi cauſſa iam bis eſt; ut non ſit integrum primum idibus Mart. deinde proxime, exercitu nouo, & copijs comparatis. quamobrem ad omnia ita paratus atque animatus eſſe debes, non, ut nihil facias, niſi iuſſus, ſed ut ea geras, quae ab omnibus ſumma cum admiratione laudentur. Vale.*

## EXPLANATIO

ADHIBVISSET} ep. 7. lib. IV. & ep. 25. lib. X. LIBONEM,} Scriboniae gentis. EX C. SEIO} qui ad Brutum iuerat. NONDVM *liberi*:} erant enim in ſenatu, qui Antonio fauerent, in primiſq. Q. Fufius Calenus. TVVM *factum*} cum tyrannum liberaſti. VEL *puerum potius*} annum agentem XIX. Velleius lib. 2. Tacitus lib. XIII. ep. 28. lib. I. Egregius puer Caeſar. PRIVATO *conſilio*} ep. 25. lib. 2. Puer egregius praeſidium ſibi primum, & nobis, deinde ſummae reip. comparauit: qui niſi fuiſſet, Antonij reditus a Brundiſio peſtis patriae fuiſſet. Et Phil. 3. C. Caeſar, adoleſcens, paene potius puer, incredibili, ac diuina quadam mente, atque uirtute, tum, cum maxime furor arderet Antonij, cumq. eius a Brundiſio crudelis & peſtifer reditus timeretur, nec poſtulantibus, nec cogitantibus, nec optantibus quidem nobis, quia fieri poſſe non uidebatur, firmiſsimum exercitum ex inuicto genere ueteranorum militum comparauit, patrimoniumq. ſuum effudit. Idem in alijs Philippicis & ep. 7. lib. XVI. ad Att. Velleius autem lib. 2. C. Caeſar, ait, XIX. annum ingreſſus, mira auſus, ac mira conſecutus, priuato conſilio, maiorem ſenatu pro rep. animum habuit: primumq. a Calatia, mox a Caſilino ueteranos exciuit paternos: quorum exemplum ſecuti alij, breui in formam iuſti coiere exercitus. Idem Dio, Appianus, & alij. RVSTICOS,} agros enim, aſsignatos a Caeſare tamquam diuturnae militiae praemia, milites ueterani colebant. ep. 7. lib. XVI. ad Att. Octauianus magna molitur: ueteranos, quiqui Caſilini, & Calatiae ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam: nec mirum: quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire.

Plane hoc ſpectat, ut ſe duce bellum geratur cum Antonio. Quamquam hoc, Homines ruſticos, non ad ueteranos tantum, militiae munere iam liberatos, ſed ad duas etiam legiones, Martiam, & Quartam, infra nominatas, pertinet. milites enim legionarij rura colebant, & in XXXI. ruſticis tribubus, quae conſtabant omnes e ciuibus ingenuis, nullo admiſto libertino, ſuffragium ferebant. Cato etiam apud Ciceronem, in libro de Senectute, qui militabant in legionibus, ruſticos fuiſſe omnes oſtendit. Scripſi, inquit, in Originibus, legiones noſtras in eum ſaepe locum profectas alacri animo, & erecto, unde ſe numquam redituras arbitrarentur. quod igitur adoleſcentes, & ij quidem non ſolum indocti, ſed etiam ruſtici, contemnunt, id docti ſenes extimeſcent? COMMILITONES *tuos,*} ſimul enim Caeſare duce in Gallia meruerant. LEGIONEM *Martiam, legionem Quartam*} uide Phil. 3. & alias, Velleium, Appianum, Dionem. VT NON *ſit integrum;*} non licet utrumuis. arbitrij tui iam non eſt, reip. curam uel ſuſcipere, uel omittere. bis enim te libertatis defenſorem profeſſus es. IDIBVS. MART.} cum tyrannum occidiſti. EXERCITV. NOVO,} ut Antonium ciſalpina Gallia excluderet.

## Argumentum ep. 8.

*SCribit de legatis ad Antonium de pace miſsis, quaeq. ſit omnium de Bruto exſpectatio, conſenſioq. ad libertatem recuperandam. Hirtio, & Panſa cos.*

### *Cicero S. D. Bruto imp.* 8.

*EO tempore Polla tua miſit, ut ad te ſi quid uellem, darem litterarum, cum, quid ſcriberem, non habebam. omnia enim erant ſuſpenſa propter exſpectationem legatorum: qui quid egiſſent, nihil dum nunciabatur. haec tamen ſcribenda exiſtimaui, primum, ſenatum populumq. R. de te laborare non ſolũ ſalutis ſuae cauſſa, ſed etiam dignitatis tuae. admirabilis eſt enim quaedam tui nominis caritas, amorq. in te ſingularis omnium ciuium. ita enim ſperant, atque confidunt, ut antea rege, ſic hoc tempore regno te remp. liberaturum. Romae delectus habetur, totaq. Italia: ſi hic delectus appellandus eſt, cum ultro ſe offerunt omnes: tantus ardor animos hominum occupauit deſiderio libertatis, odioq. diutinae ſeruitutis. De reliquis rebus a te iam exſpectare litteras debemus, quid ipſe agas, quid noſter Hirtius, quid Caeſar meus: quos ſpero breui tempore ſocietate uictoriae tecum copulatos fore. Reliquum eſt, ut de me id ſcribam, quod te ex tuorum litteris & ſpero, & malo cognoſcere; me neque deeſſe ulla in re, neque umquam defuturum dignitati tuae. Fac ualeas.*

### EXPLANATIO

POLLA} uxor Bruti, quae Triarij fuerat. uide ep. 10. lib. IIX. Paulla eadem uocatur, ut Olla pro Paulla. LEGATORVM:} L. Marcij Philippi, L. Calpurnij Piſonis. ep. 4. lib. XII. & Phil. 6. REGNO} dominatu regio. ep. 5. lib. XI. DELECTVS *habetur,*} a Panſa conſule, Hirtio iam cum Octauiano ad Mutinam profecto. ep. 5. lib. XII. ME *neque deeſſe ulla in re, neque umquam defuturum dignitati tuae.*} notanda uarietas uerborum in eadem ſententia. ep. 6. Mihi gratiſsimum facies, ſi exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec conſilium, nec ſtudium meum defuturum. Et in eadem infra: Illud tibi perſuadeas uelim, me omnia, quae ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quae eſt per ſe ampliſsima, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum, & defenſurum.

## Argumentum ep. 9.

*ROgat Ciceronem, proſpiciat, ne, utroque conſule ad Mutinam amiſſo, hoſtes reip. conualeſcant; monetq. quid agendum iudicet. Eodem anno.*

### *Brutus S. D. Ciceroni.* 9.

*PANSA amiſſo, quantum detrimenti reſp. acceperit, non te praeterit. nunc auctoritate, & prudentia tua proſpicias oportet, ne inimici noſtri, conſulibus ſublatis, ſperent ſe conualeſcere poſſe. ego, ne conſiſtere poſſit, in Italia Antonius, dabo operam. ſequar eum confeſtim. utrumque me praeſtaturum ſpero, ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius in Italia moretur. in primis rogo te, ad hominem uentoſiſſimum Lepidum mittas, ne nobis bellum redintegrare poſſit, Antonio ſibi coniuncto. Nam de Pollione Aſinio, puto te perſpicere,*

*quid*

*quid ſit facturus. multae, & bonae, & firmae ſunt legiones Lepidi, & Aſinij. Neque haec iccirco tibi ſcribo, quod te non eadem animaduertere ſciam, ſed quod mihi perſuaſiſſimum eſt; Lepidum recte facturum numquam: ſi forte nobis id de hoc dubium eſt. Plancum quoque confirmetis, oro: quem ſpero, pulſo Antonio, reip. non defuturum. Si ſe alpes Antonius tranſiecerit, conſtitui praeſidium in alpibus collocare, & te de omni re facere certiorem.* III. *Kal. Maij, ex caſtris, Regij.*

## EXPLANATIO

PANSA *amiſſo*,} Hirtium non nominat; quod in Panſa grauitas, & prudentia maior. INIMICI *noſtri*,} uidetur Octauianum ſignificare: qui percuſſores parentis ſui diligere non poterat: id quod, inita cum Antonio & Lepido ſocietate, declarauit. uide illud ep. 10. Quantamq. cupiditatem, &c. ELABATVR,} elapſus tamen eſt, itinere facto difficillimo. ep. 10. & ep. 17. 33. 34. lib. x. VENTOSISSIMVM} leuiſsimum, atque in primis mobilem. ep. ad M. Brutum: Datum Lepido tempus eſt, in quo leuitatem eius, ſaepe perſpectam, maioribus in malis experiremur. POLLIONE *Aſinio*,} qui longius aberat, quam Lepidus: praeerat enim Hiſpaniae citeriori. ep. 31. lib. x. PVTO *te perſpicere*,} propter amicitiam. non dubito, quin ille tibi ſuum ſenſum patefaciat. MVLTAE,} quattuor Lepidi, Aſinij duae, Appiano teſte lib. 3. ſed ipſe Aſinius ep. 32. tres habere ſe legiones ait. RECTE *facturum numquam*:} fauebat Lepidus Antonij partibus: tum quod percuſſores Caeſaris oderat: tum etiam, quod eius filio nupſerat Antonij filia: ipſeq. Antonij conſulis beneficio pontifex max. in locum Caeſaris creatus erat. Appianus, Dio, Plutarchus. PLANCVM} L. Plancum, conſulem deſignatum: cuius epiſtolae ſunt lib. x. IN. ALPIBVS} ne redire in Italiam poſsit.

---

# Argumentum ep. 10.

*QVeritur de quorundam maleuolentia; & reip. periculum exponit. Eodem anno.*

### *Brutus. S. D. Ciceroni.* 10.

NON *mihi remp. plus debere arbitror, quam me tibi. gratiorem me eſſe in te poſſe, quam iſti peruerſi ſint in me, exploratum habes: ſi tamen haec temporis uideantur dici cauſſa, malle me tuum iudicium, quam ex altera parte omnium iſtorum. tu enim a certo ſenſu, & uero iudicas de nobis: quod iſti ne faciant, ſumma maleuolentia, & liuore impediuntur. interpellent me, quo minus honoratus ſim; dum ne interpellent, quo minus reſp. a me commode adminiſtrari poſſit. quae quanto ſit in periculo, quam potero breuiſsime exponam. Primum omnium, quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus conſulum, quantamq. cupiditatem hominibus inijciat uacuitas, non te fugit. Satis me multa ſcripſiſſe, quae litteris commendari poſſint, arbitror. ſcio enim cui ſcribam. Reuertor nunc ad Antonium: qui ex fuga cum paruulam manum peditum haberet inermium, ergaſtula ſoluendo, omneq. genus hominum arripiendo, ſatis magnum numerum uidetur effeciſſe. huc acceſſit manus Ventidij: quae, trans Apenninum itinere facto difficillimo, ad Vada peruenit; atque ſe ibi cum Antonio coniunxit. eſt numerus ueteranorum, & armatorum ſatis frequens cum Ventidio. conſilia Antonij haec ſint neceſſe eſt; aut ad Lepidum ut ſe conferat, ſi recipitur: aut Apennino, alpibusq. ſe teneat, & decurſionibus per equites, quos habet multos, uaſtet ea loca, in quae incurrerit; aut rurſus ſe in Etruriam referat, quod ea pars Italiae ſine exercitu eſt. quod ſi me Caeſar audiſſet, atque Apenninum tranſiſſet: in tantas anguſtias Antonium compuliſſem, ut inopia potius, quam ferro, conficeretur. ſed neque Caeſari imperari poteſt: nec Caeſar exercitui ſuo: quod utrumque peſſimum eſt. Cum haec talia ſint: quo minus, quod ad me pertinebit, homines interpellent, ut ſupra ſcripſi, non impedio: haec quemadmodum explicari poſſint, aut, a te cum explicabuntur, ne impediantur, timeo. alere iam milites non poſſum. cum ad remp. liberandam acceſſi,* H-S *mihi fuit pecuniae* CD *amplius. tantum abeſt, ut meae rei familiaris liberum ſit quidquam, ut meos iam omnes amicos aere alieno obſtrinxerim. ſeptenum numerum legionum alo; qua difficultate, tu arbitrare. nõ, ſi uarronis theſauros haberem, ſuſtinere ſumptum poſſem. Cum primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorẽ. Tu me amabis, ita, ſi hoc idem me in te facere ſenſeris.* III. *non. Maij, ex caſtris, Dertona. Vale.*

## EXPLANATIO

NON *mihi remp. plus debere arbitror*,} quae tamen mihi, ob tyrannum a me caeſum, plurimum debet. POSSE,} aliquando poſſe: cum nunc non poſsim. ISTI *peruerſi*} In ep. ad M. Brutum: Quo die decreui, ut D. Bruti nomen in faſtis adſcriberetur, cognoui paullo plures in ſenatu maleuolos eſſe, quam gratos. SI *tamen haec temporis uideantur dici cauſſa*,} quod ſi haec a me ideo dici

uidentur, ut gratiam a te ineam, cuius opera, ſtudioq. indigeam, MALLE *me tuum iudicium*,} hoc refertur ad illud, Exploratum habes. Hunc locum olim emendauimus ex duobus antiquis libris, Vincentij Riccij, & Pauli Boti: quibus aliqua ex parte ſuffragantur ij, quibus nunc utor. in uno tamen eſt, Videatur, non Videantur. in omnibus autem Hoc, non Haec: ut legi etiam recte poſsit, Si tamen hoc temporis uideatur dici cauſſa. A *certo ſenſu*,} qui non errat, ſed, quale quidque eſt, tale iudicat. CONSVLVM,} Hirtij, & Panſae. CVPIDITATEM} rerum nouarum. Suſpicionem ſuam de Octauiano ſignificat: qui conſulatum petijt, non adeptus cum Antonio ſe coniunxit. Idem ep. 9. ſignificauit: idem & M. Brutus in ſua ad Ciceronem epiſtola: idem & Plancus ep. 24. l. x. VACVITAS,} uacua conſulatu reſp. Alibi Cicero, Vacuitas ab angoribus, Vacuitas aegritudinis. QVAE *litteris commendari poſſint*,} & hoc ad Octauianum pertinet. SATIS *magnum numerum uidetur effeciſſe*.} ſpeciem exercitus effecit, ep. 13. lib. XII. MANVS *Ventidij*:} tres legiones. ep. 33. 34. lib. x. AD VADA} qui locus iacet inter Alpes, & Apenninum, impeditiſsimus ad iter faciendum. ep. 13. QVOS *habet multos*,} ep. 33. 34. lib. x. RVRSVS} non, Rurſus, ut in Etruriam, (neque enim fuerat Antonius antea cum exercitu in Etruria) ſed, Rurſus, in Italiam. AD. ME} ad honorem meum. VT *ſupra ſcripſi*,} in eadem epiſtola. ſupra, & antea differunt. ſupra, rem ſignificat: antea tempus. quo modo etiam differunt Adhuc, & Hactenus. ep. 9. lib. VI. Tibi & illa polliceor, quae ſupra ſcripſi. Et ep. 6. lib. IIX. Quod tibi ſupra ſcripſi, Curionem frigere: iam calet. Et pro Caecina: Ille, quem ſupra deformaui. H-S MIHI *fuit pecuniae* CD *amplius*.} CD, ualet quadringenties, hoc eſt, duodecies centena ſcutatorum millia. AMICOS} & in ijs legatum ſuum, Q. Pontium Aquilam. Dio lib. XLVI. SEPTENVM *numerum*} ſic placet: & ſic omnes habent mei ueteres libri. VARRONIS} ſignificat Antonium, qui theſauros C. Caeſaris, ad Opis aedem depoſitos, abſtulerat. Phil. 2. & ep. ad Att. & omnis hiſtoria. uarronis autem, pro nequam hominis, & diſſoluti. uide ep. ult. lib. IX. Ille Baro. SVSTINERE. SVMPTVM} in alijs, Subſiſtere ſumptui: in duobus antiquis, Sufficere ſumptui. Omnia recte. TV *me amabis, ita, ſi hoc idem me in te facere ſenſeris*.} blanda ſimul, & ingenioſa petitio, conferenda cum illa Planci, ep. 9. lib. x. Te, ut diligas me, ſi mutuo te facturum ſcis, rogo. DERTONA.} colonia inter Genuam, & Placentiam. Plinius lib. III. cap. 5. Strabo lib. V.

## Argumentum ep. II.

*MErita Ciceronis erga ſe attingit: Antonij profectionem ad Lepidum, dubiam Planci fidem, ſuũ in remp. ſtudium ſignificat. Eodem anno.*

### *Brutus imp. cos. des. S. D. Ciceroni.* II.

EODEM *exemplo litterae a te mihi redditae ſunt, quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere exiſtimo, quantum perſoluere difficile eſt. Scripſi tibi, quae hic gererentur. in itinere eſt Antonius: ad Lepidũ proficiſcitur: ne de Planco quidem ſpem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt: in quibus, quos ad Aſiniũ, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, ſcribebat. ego tamen non habui ambiguũ, & ſtatim ad Plancum miſi; & biduo ab Allobrogibus, & totius Galliae legatos exſpecto; quos confirmatos domum remittam. Tu, quae iſtic opus erunt adminiſtrari, proſpicies, ut ex tua uoluntate, reiq. pub. cõmodo fiant. maleuolentiae hominum in me, ſi poteris, occurres: ſi nõ poteris, hoc te conſolabere, quod me de ſtatu meo nullis contumelijs deterrere poſſunt. Pridie non. Maij, ex caſtris, finibus Statiellenſium.*

## EXPLANATIO

QVANTVM *perſoluere difficile eſt*.} Perſoluere, quod debetur; Parem gratiam referre; Aſſequi merita; eleganter dicuntur eodem ſenſu. ANTONIVS:} proelio uictus ad Mutinam. AD LEPIDVM} cuius exercitu ſperant bellum ſe poſſe renouare. quod accidit. SPEM} ob amicitiam, quae inter eos fuit. ep. 33. lib. x. EX. LIBELLIS} Libelli differunt ab epiſtolis, tum quia breuiores, ut arbitror; tum etiam, quia non eodem modo complicabantur. ideo ſaepe legitur in antiquis lapidibus, libertus a libellis, libertus ab epiſtolis. QVOS *ad Aſinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum*} hi tres & exercitibus praeerant: &, quia Caeſarianarum partium omnes fuerant, propterea & ſpem in ijs Antonius collocabat, & ab ijsdem Brutus timendum exiſtimabat: ut ep. 9. AB *Allobrogibus*,} qui erant in prouincia Bruti. GALLIAE} ciſalpinae. nam tranſalpina ad Planci pertinebat imperium, excepta Narbonenſi, quam Caeſar, cum ei finitima Hiſpania, Lepido regendam attribuerat. CONFIRMATOS} fide, & animo. QVAE *iſtic opus erunt adminiſtrari*,} haec opus ſunt, Latine dici ſcio: haec opus ſunt adminiſtrari, quam Latine dicatur, uidero. PROSPICIES,} uides enim, quam non deſint, qui cauſſam reip. tuentibus obſiſtant. proſpiciendum igitur, & magna cura praecauendum, ne parum recte fiant, quae fieri opus erit. OCCVRRES:} obuiam ibis, reſiſtes.

tranſlatio ab ijs, qui occurrentes progredi aliquem non ſinunt. STATIELLENSIUM.} Statiellos, non Statiellenſes, nominat, locatq. in parte Liguriae ciſalpina Plinius lib. III. cap. 5. idem Statiellas urbem lib. XXXI, cap. 2. appellat; unde Statiellenſes populi dici poſſunt.

---

## Argumentum ep. 12.

*ITa queritur, bellum ab Antonio renouatum, ut in eo nonnullam Bruti culpam uideatur agnoſcere.*

### *Cicero S. D. Bruto imp. cos. des.* 12:

TRES *uno die a te accepi epiſtolas; unam breuē, quam Flacco Volumnio dederas; duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibij attulit, alteram ad me miſit Lupus. Ex tuis litteris, & ex Graeceij oratione non modo non reſtinctum bellum, ſed etiam inflammatum uidetur. non dubito autē pro tua ſingulari prudentia, quin perſpicias, ſi aliquid firmitatis nactus ſit Antonius, omnia illa tua praeclara in remp. merita ad nihilum eſſe uentura. ita enim Romam erat nunciatum, ita perſuaſum omnibus, cum paucis inermis, perterritis metu, fracto animo fugiſſe Antonium. qui ſi ita ſe habet, ut, quemadmodum audiebam de Graeceio, confligi cum eo ſine periculo non poſſit: non ille mihi fugiſſe a Mutina uidetur, ſed locum belli gerendi mutaſſe. itaque homines alij facti ſunt. nonnulli etiam queruntur, quod perſecuti non ſitis. opprimi potuiſſe, ſi celeritas adhibita eſſet, exiſtimant. omnino* EST *hoc populi, maximeq. noſtri, in eo potiſſimum abuti libertate, per quem eam conſecutus ſit. ſed tamen prouidendum eſt, ne quae iuſta querella eſſe poſſit. res ſic ſe habet. is bellum confecerit, qui Antonium oppreſſerit. hoc quam habeat uim, te exiſtimare malo, quam me apertius ſcribere. Vale.*

### EXPLANATIO

OMNIA *illa*} tria potiſsimum, necem Caeſaris, copias reip. cauſſa comparatas, Mutinenſem uictoriam. ep. 7. 14. AD. NIHILUM *eſſe uentura.*} partam antea gloriam amittes. Ad nihilum recidere, Phil. 8. INERMIS,} pro, Inermibus, ep. 34. lib. x. ALII *facti ſunt.*} non ijdem ſunt, qui erant: mutati ſunt. Plautus in Trin. Verbis paucis quam cito alium feciſti me. POTISSIMUM *abuti libertate*,} monet Brutum, ne committat, ut populus de eo queri iure poſsit. PER *quem eam conſecutus ſit.*} per ipſum Decimum libertatem ciuitas recuperauerat, Caeſare interfecto. IS *bellum confecerit, qui Antonium oppreſſerit.*} idem ep. 13. 19. 20. lib. x. QUAM *habeat uim*,} opinor, hoc dicit: plus tibi reſp. debebit, quam reliquis liberatoribus ſuis. APERTIUS} ne, ſi ſcribam apertius, laedam alios de rep. bene meritos.

---

## Argumentum ep. 13.

*TArditatem ſuam excuſat in Antonio perſequendo: quo res in ſtatu ſit, exponit. Eodem anno.*

### *Brutus imp. cos. des. S. D. Ciceroni.* 13.

IAM *non ago tibi gratias. cui enim re uix referre poſſum, huic uerbis non patitur res ſatisfieri. Attendere te uolo, quae in manibus ſunt. qua enim prudentia es, nihil te fugiet, ſi meas litteras diligenter legeris. Sequi confeſtim Antonium his de cauſſis, Cicero, non potui. eram ſine equitibus, ſine iumentis: Hirtium perijſſe neſciebā: Caeſari non credebam prius, quam conueniſſem, & collocutus eſſem. hic dies hoc modo abijt. poſtridie mane a Panſa ſum accerſitus Bononiam. cū in itinere eſſem, nunciatum mihi eſt, eum mortuum eſſe. recurri ad meas copiolas. ſic enim uere eas appellare poſſum. ſunt extenuatiſſimae, & inopia omnium rerum peſſime acceptae. biduo me Antonius anteceſſit, itinera multo maiora fugiens, quam ego ſequens. ille enim ijt paſſim, ego ordinatim. quacūque iuit, ergaſtula ſoluit, homines abripuit: conſtitit nuſquam prius, quam ad Vada uenit: quem locum uolo tibi eſſe notum. iacet inter Apenninum, & alpes, impeditiſſimus ad iter faciendum. cum abeſſem ab eo millia paſſuum triginta, & ſe iam Ventidius coniunxiſſet; concio eius ad me eſt allata; in qua petere coepit a militibus, ut ſe trans alpes ſequerentur: ſibi cum M. Lepido conuenire. ſuccla matum eſt, & frequenter a militibus Ventidianis, (nam ſuos ualde quā paucos habet) ſibi aut in Italia pereundum eſſe, aut uincendum. & orare coeperunt, ut Pollentiam iter facerent. cum ſuſtinere eos non poſſet, in poſterum diem iter ſuum contulit. hac re mihi nunciata, ſtatim quinque cohortes Pollentiam praemiſi, meumq. iter eo contuli. hora ante praeſidium*

*meum*

*meum Pollentiam uenit, quam Trebellius cū equitibus. ſanequam ſum gauiſus : in hoc enim uictoriam puto con ſiſtere. in ſpem uenerant, quod neque Planci quattuor legiones omnibus ſuis copijs pares arbitrabantur; neque ex Italia tam celeriter exercitum transijci poſſe credebant. quos ipſi adhuc ſatis arroganter Allobroges, equitatusq. omnis, qui eo praemiſſus erat a nobis, ſuſtinebant; noſtroq. aduentu ſuſtineri facilius poſſe cōfidimus. tamen, ſi quo etiam caſu Iſaram ſe transiecerint; ne quid detrimenti reip. iniungant, ſumma a nobis dabitur opera. Vos magnum animum, optimamq. ſpem de ſumma rep. habere uolumus; cum & nos, & exercitus noſtros, ſingulari concordia coniunctos, ad omnia pro uobis uideatis paratos. ſed tamen nihil de diligentia remittere debetis, dareq. operam, ut quamparatiſſimi ab exercitu, reliquisq. rebus pro ueſtra ſalute contra ſceleratiſſimam conſpirationem hoſtium confligamus. qui quidem eas copias, quas diu ſimulatione reip. comparabant, ſubito ad patriae periculum conuerterunt.*

## EXPLANATIO

CVI *enim re uix referre poſſum, &c.*} accepti beneficij magnitudinem uarie demonſtramus. ep. XI. Tan me tibi debere exiſtimo, quantum perſoluere difficile eſt. Pertinet ad hanc ſententiam illud ep. 4. lib. I. Si uitam pro tua dignitate profundam, nullam partem uidear tuorum meritorum aſſecutus. Et ep. 8. eiuſdem libri : Nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia aſſequi poſſum. Et ep. 24. lib. x. Cuius ille tanta merita habet, quanta nemo, praeter me. NON *credebam* } cur crederet eius filio, quem occiderat? CONVENISSEM,} conueniri noluit. Appianus lib. III. BONONIAM.} quo ex pugna fugerat. Appianus, Dio. PESSIME *acceptae.*} diuturna Mutinae obſidione. ITINERA *multo maiora fugiens, quam ego ſequens.*} ita dixit, Itinera fugere, & Itinera ſequi, ut dicebant ueteres, Ire uiam, Redire uiam. eſt autem, Itinera fugere, & Itinera ſequi, pro, in itineribus fugere, & ſequi. quod omnino durius : itaque malim, Itinere multo maiore. ERGASTVLA *ſoluit,*} ep. 10. VADA} ep. 10. & Plinius lib. III. cap. 5. CONIVNXISSET;} ep. 10. POLLENTIAM} Plinius lib. III. cap. 5. TREBELLIVS} is, qui tribunus pl. collegae ſuo Dolabellae, de tabulis nouis legem ferenti, reſtiterat. Phil. 6. 10. & Dio lib. XLII. PLANCI *quattuor legiones* } ep. 24. lib. x. EXERCITVM} reip. QVOS *ipſi adhuc ſatis arroganter Allobroges ſuſtinebant;*} Cum dicat, Ipſi, apparet Pollentiam, quae ab Antonio oppugnabatur, opidum Allobrogum fuiſſe. Pollentiam autem cis alpes eſſe, tum haec epiſtola demonſtrat, tum Silius poeta lib. XII. cum ait:

Vercellae, fuſcique ferax Pollentia uilli. nam Plinius unam uidetur agnoſcere Pollentiam, quam in maiore Balearium inſula ſtatuit. Strabo nullam nominat. Quod ſi Pollentia, ut oſtendi, opidum Allobrogum fuit : Allobrogum ditionem & cis alpes, & in alpibus, trans alpes etiam fuiſſe dicemus. trans alpes enim eos ponit Plinius in prouincia Narbonenſi : idq. confirmat lib. XIIX. cap. 8. Trans alpes, inquit, in Allobrogum tantum Aruernorumq. agro pertinax, in ceteris ibi partibus biennio in triticum tranſit. Aſſentitur Strabo lib. IV. Arroganter, dixit, pro, animoſe, & turpiter. ISARAM} ep. 15. 21. lib. x. NOS,} me, & Plancum, qui trans alpes erat.

## Argumentum ep. 14.

*Reſpondet Bruti litteris de decemuiris creandis, de Octauiano ornando, de legionibus Martia, & Quarta, de pecunia. Addit hominum admirationem propter bellum renatum : cuius exitus ne timeatur, ad ipſum Brutum pertinere dicit. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Bruto imp.* 14.

MIRABILITER, *mi Brute, laetor, mea conſilia, measq. ſententias a te probari de decemuiris, de ornando adoleſcente. ſed quid refert? mihi crede, homini non glorioſo, plane iam Brute frigeo. ὄργανον enim erat meum ſenatus : id iam eſt diſſolutum. tantam ſpem attulerat exploratae uictoriae tua praeclara Mutina eruptio, fuga Antonij conciſo exercitu; ut omnium animi relaxati ſint; meaeq. illae uehementes contentiones tamquam σκιαμαχίαι eſſe uideantur. Sed, ut ad rem redeam : legionem Martiam, & Quartam negant, qui illas norunt, ulla condicione ad te poſſe perduci. Pecuniae, quam deſideras, ratio poteſt haberi, eaq. habebitur. De Bruto accerſendo, Caeſareq. ad Italiae praeſidium tenendo, ualde tibi aſſentior : ſed, ut ſcribis, habes obtrectatores, quos equidem facillime ſuſtineo; ſed impediunt tamen. Ex Africa legiones exſpectantur : ſed bellum iſtic renatum homines mirantur. nihil tam praeter ſpem umquam. nam, die tuo natali uictoria nunciata, in multa ſaecula uidebamus remp. liberatam. noui timores retexunt ſuperiora. ſcripſiſti autem ad me ijs, quas idibus Maij dediſti, modo te accepiſſe a Planco litteras, non recipi a Lepido Antonium. id ſi ita eſt, omnia faciliora: ſin aliter,*

*ſin aliter, magnum negotium: cuius exitum ne extimeſcam, tuae partes ſunt. ego plus, quam feci, facere non poſſum. te tamen, id quod ſpero, omnium maximum, & clariſſimum uidere cupio. Vale.*

## EXPLANATIO

DE *decemuiris*, } aut creatis, aut creandis, qui conſulatus ab Antonio geſti rationem repoſcerent. Appianus lib. III. & ep. 20. 21. & ad Att. ep. 19. lib. XV. ADOLESCENTE. } Octauiano. HOMINI *non glorioſo*, } qui me iactare non ſoleo: nihil ad ueritatem addo. FRIGEO. } languidiores factae ſunt actiones meae. ὄργανον } inſtrumentum, quo utebar: quo diſſoluto, quid agere poſſum? itaque plane iam frigeo. MVTINA } ſic placet; quamquam omnes antiqui libri, praeter unum, habent, Mutinae. CONTENTIONES } actiones uehementes. ep. 1. lib. 1. & ep. 6. lib. 2. Σκιαμαχίαι } umbratiles pugnae. QVI *illas norunt*, } male in Decimum animatae erant legiones illae: quia cum C. Caeſare, quem occiderat Decimus, diu militauerant. RATIO *poteſt haberi*, } curari tibi pecunia poteſt. ep. 10. BRVTO } Marco, qui cum Caſsio mare tranſierat, copiaſq. comparauerat. ACCERSENDO, } in Italiam. AD *Italiae praeſidium tenendo*, } ut Decimus Antonium perſequeretur, Caeſar Italiae praeſidio eſſet. LEGIONES } ueteranae. ep. 26. & lib. X. ep. 24. DIE *tuo natali* } uide ep. ad M. Brutum, cuius initium, Meſſallam. IN. MVLTA *ſaecula* } ſic oratione 2. in Rullum: In hunc annum profeſſus ſum otij me, & concordiae patronum. RETEXVNT } mutant. tranſlatio, qua & Matius utitur ep. 28. MODO } paullo ante. TVAE *partes ſunt*. } ep. 21. Vide, ne tua iam, mi Brute, culpa futura ſit, ſi ego quidquam timeam. FACERE *non poſſum*. } uere. nihil enim omiſit, ut Antonium perderet, infenſum libertati. quod Philippici libri teſtantur.

---

# Argumentum ep. 15.

*LAudat officium, & diligentiam Bruti: magnamq. ex illius & Planci coniunctione laetitiam ſenatus, & populi R. ſignificat: hortatur, ut in tuenda rep. ſe ipſum uincat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Bruto imp. 15.*

*ETSI mihi tuae litterae iucundiſſimae ſunt: tamen iucundius fuit quod in ſumma occupatione tua Planco collegae mandaſti, ut te mihi per litteras excuſaret. quod fecit ille diligenter. mihi autem nihil amabilius officio tuo, & diligentia. Coniunctio tua cum collega, concordiaq. ueſtra, quae litteris communibus declarata eſt, ſenatui, populoq. R. gratiſſima accidit. Quod ſupereſt, perge, mi Brute, & iam non cum alijs, ſed tecum ipſe certa. Plura ſcribere non debeo, praeſertim ad te, quo magiſtro breuitatis uti cogito. Litteras tuas uehementer exſpecto, & quidem tales, quales maxime opto.*

## EXPLANATIO

PLANCO *collegae mandaſti*, } iam ſe Plancus Bruto coniunxerat. Velleius lib. 2. Plancus dubia, ideſt ſua fide, diu, quarum eſſet partium, ſecum luctatus, ac ſibi difficile conſentiens, & nunc adiutor D. Bruti, collegae ſui, mox eiuſdem proditor. Et Appianus lib. III. SENATVI, *populoq. R. gratiſſima accidit*. } Idem ad Plancum ep. 22. lib. X. Concordia ueſtra, quae ſenatui declarata litteris ueſtris eſt, mirifice & ſenatus, & cuncta ciuitas delectata eſt. MAGISTRO *breuitatis* } breuitatem in ſcribendo amabat Decimus. ep. 24. 25. TALES, } quae oppreſſum Antonium ſignificent.

---

# Argumentum ep. 16.

*COmmendat L. Aelium Lamiam in petitione praeturae. Antonio, & Dolabella cos.*

### *Cicero S. D. Bruto imp. 16.*

*PERMAGNI intereſt, quo tibi haec tempore epiſtola reddita ſit; utrum, cum ſollicitudinis aliquid haberes; an, cum ab omni moleſtia uacuus eſſes. itaque ei praecepi, quem ad te miſi, ut tempus obſeruaret epiſtolae*

*tibi*

*tibi reddendae. nam, quemadmodum coram, qui ad nos intempeſtiue adeunt, moleſti ſaepe ſunt: ſic epiſtolae offen- dunt, non loco redditae. ſi autem, ut ſpero, nihil te per- turbat, nihil impedit; & ille, cui mandaui, ſatis ſcite, & commode tempus ad te cepit adeundi: confido me, quod uelim, a te facile impetraturum. L. Lamia praeturam petit. hoc ego utor uno omnium plurimum. magna uetu ſtas, magna conſuetudo intercedit: quodq. plurimum ualet, nihil mihi eius eſt familiaritate iucundius. magno praeterea beneficio eius, magnoq. merito ſum obligatus. nam Clodianis temporibus, cum equeſtris ordinis prin- ceps eſſet, proq. mea ſalute acerrime propugnaret, a Gabinio cos. relegatus eſt: quod ante id tempus ciui Romano Romae contigit nemini. hoc cum populus R. meminerit, me ipſum non meminiſſe turpiſſimum eſt. quapropter perſuade tibi, mi Brute, me petere praeturã. quamquam enim Lamia ſummo ſplendore, ſumma gratia eſt, uſus magnificenitiſſimo munere aedilicio: tamen, quaſi ea ita non eſſent, ego ſuſcepi totum negotium. nunc, ſi me tanti facis, quanti certe facis; quando equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum noſtrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Non tenebo te pluribus: ponã in extremo, quod ſentio. nihil eſt Brute, cum omnia a te exſpectem, quod mihi gratius facere poſſis. Vale.*

## EXPLANATIO

NON. LOCO} non alieno tempore, cum reddendae non ſunt, non opportune. lib. III. de Leg. Senatori tria iuſſa ſunt, ut adſit; nam grauitatem res habet, cum frequens ordo eſt: ut loco dicat, ideſt rogatus: ut modo, ne ſit infinitus. Et in Partit. Loco tu quidem quaeris: ſed planius, quod uis, explicabitur, cum ad orationis ipſius, quaeſtionumq. rationem uenero. Et Terentius in Heaut. In loco, ego uero laudo. L. LAMIA} gentis Aeliae, cuius auctor antiquiſsimus fuiſſe La- mus uidetur: unde Lamia cognomen gentis. Horatius: Aeli, uetuſto nobilis ab Lamo. Eiuſdem gentis Mamurra ille Formianus fuit, quo Caeſar in Gallia praefecto fabrum uſus eſt. VETVSTAS,} ep. 15. lib. v. & ep. 10. lib. x. NIHIL *mihi eius eſt familiaritate iucundius.*} ep. 20. lib. XII. Ad haec offi- cia, uel merita potius, iucundiſsima conſuetudo accedit, ut nullo prorſus plus homine delecter. CVM *equeſtris ordinis princeps eſſet,*} hoc tempore non equeſtris ſed ſenatorij ordinis Lamia dicebatur. mino- ris enim ordinis appellationem omittebat, qui maiorem adeptus erat. RELEGATVS *eſt:*} uide ep. 29. lib. XII. & orationem pro Sextio, & pro domo. SVMMA *gratia*} apud populum, qui ma- xime muneribus aedilicijs conciliabatur: ep. ſequenti. VSVS *magnificentiſſimo munere aedilicio:*} Fun- ctus eſt aedilicio maximo munere, dixit Cicero de P. Craſſo lib. 2. Off. de L. Craſſo autem: Magnificen- tiſsima aedilitate functus eſt. Fuerat autem aedilis Lamia biennio ante: quod erat legitimum ſpatium inter aedilitatem, & praeturam. ep. 25. lib. x. MITTE *ad Lupum noſtrum,*} pro, ſignifica Lupo noſtro. Modus loquendi Tullio familiaris. ad Att. ep. 10. lib. XIII. Hodie Spintherem exſpecto: miſit enim Bru- tus ad me. Et ad Tironem, ep. 9. lib. XVI. Curio miſi, ut medico honos haberetur.

# Argumentum ep. 17.

*COmmendat eundem Lamiam. & uidetur hanc epiſtolam aliquanto poſt ſuperiorem ſcripſiſſe. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Bruto imp.* 17.

*LAMIA uno omnium familiariſſime utor. magna eius in me non dico officia, ſed merita, eaq. ſunt populo R. notiſſima. is, magnificentiſſimo munere aedili- tatis perfunctus, petit praeturam: omnesq. intelligunt, nec dignitatem ei deeſſe, nec gratiam. ſed is ambitus exſtare uidetur, ut ego omnia pertimeſcam, totamq. petitionem Lamiae mihi ſuſtinendam putem. in ea re quantum me poſſis adiuuare, facile perſpicio: nec uero, quãtum mea cauſſa uelis, dubito. uelim igitur, mi Brute, tibi perſuadeas, nihil me maiore ſtudio a te petere, ni- hil te mihi gratius facere poſſe, quam ſi omnibus tuis opibus, omni ſtudio Lamiam in petitione iuueris. quod ut facias, uehementer te rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

NON. DICO *officia, ſed merita,*} uinci meritis officia, declarat hic locus, & ille ep. 29. lib. XII. Ad haec officia, uel merita potius, iucundiſsima conſuetudo accedit. NEC *dignitatem ei deeſſe, nec gratiam.*} ep. ſuperiore: Summo ſplendore, ſumma gratia eſt. AMBITVS *exſtare*} & conſuetu- dine Latini ſermonis adducor, & praeterea quinque ueterum librorum teſtimonio, ut probem, Exſtare, nõ probem, Excitare, quod alijs placet. OMNIBVS *tuis opibus,*} pro eo, quantum ualebis. ep. 21.

## Argumentum ep. 18.

*REprehendit in Decimo nonnullam timoris ſignificationem. Scripta eſt poſt interfectos Hirtium & Panſam, conſules.*

### *Cicero S. D. Bruto imp.* 18.

*ETSI ex mandatis, quae Galbae, Volumnioq. ad ſenatum dediſti, quid timendum, ſuſpicandumq. putares, ſuſpicabamur; tamen timidiora mandata uidebantur, quam erat dignum tua, populiq. R. uictoria. ſenatus autem, mi Brute, fortis eſt, & habet fortes duces: itaque moleſte ferebat. ſe a te, quem omnium, qui cumque fuiſſent, fortiſſimum iudicaret, timidum, atque ignauum iudicari. etenim cum, te incluſo, ſpem maximã omnes habuiſſent in tua uirtute, florente Antonio; quis erat, qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec uero Lepidum timebamus. quis enim eſſet, qui illũ tam furioſum arbitraretur, ut, qui in maximo bello pacem uelle ſe dixiſſet, is in optatiſſima pace bellum reip. indiceret? Nec dubito, quin tu plus prouideas. ſed tamen, tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus, renouatio timoris magnã moleſtiam afferebat. Quare uelim equidem, id quod ſpero, ut plane abiectus, & fractus ſit Antonius: ſin aliquid uirium forte collegerit; ſentiet, nec ſenatui conſiliũ, nec populo R. uirtutem deeſſe, nec reip. te uiuo, imperatorem. XIV. Kal. Iun. Vale.*

## EXPLANATIO

GALBAE} ep. 30. lib. x. VICTORIA.} Mutinenſi. FORTES *duces:*} quorum auctoritate, & conſilio regitur. Se ipſum modeſte ſignificat. quod aliquanto apertius in ep. ad M. Brutum: Non ſemper eundem populum habebitis, neque ſenatum, neque ſenatus ducem. IN. MAXIMO *bello,*} florente Antonio, ante Mutinenſe proelium ep. 27. lib. x. & Phil. 13. PLVS} quam nos, qui Romae ſumus: cum tu ab Antonio, & Lepido non longe abſis. GRATVLATIONE} gratulabantur in uictoria diis immortalibus. ep. 4. 5. lib. xv. & Phil. 14. TVO *nomine*} quod eſſes obſidione liberatus. ep. 19. ad M. Brutum SIN *aliquid uirium forte collegerit;*} ep. 12. Si aliquid firmitatis nactus ſit. Et in eadem, infra: Si ita ſe habet, ut confligi cum eo ſine periculo non poſſit.

---

## Argumentum ep. 19.

*REip. uicem timet: Vicetinos commendat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Bruto imp.* 19.

*AD ſenatum quas litteras miſi, uelim prius perlegas; &, ſi qua tibi uidebuntur, commutes. neceſſario me ſcripſiſſe, ipſe animaduertes. nam cum putarem Quartam & Martiam legiones mecum futuras, ut Druſo, Paulloq. placuerat, uobis aſſentientibus; minus de reliquis rebus laborandum exiſtimaui. nunc uero cum ſim cum tironibus egentiſſimis; ualde & meam, & ueſtram uicem timeam neceſſe eſt. Vicetini me, & M. Brutum praecipue obſeruant. his ne quam patiare iniuriam fieri in ſenatu uernarum cauſſa, a te peto. cauſſam habent optimam, officium in remp. ſummum, genus hominum aduerſariorum ſeditioſum, & inertiſſimum XII. Kal. Iun. Vercellis.*

## XPLANATIO

MECVM *futuras,*} poſt mortem conſulum. uide ep. 14. DRVSO,} ſenatori, Liuiae gentis, patri fortaſſe Liuiae Druſillae, quae Auguſti uxor fuit. ep. 16. ad Att. lib. IV. Druſus reus factus eſt. Si modo idem eſt. PAVLLOQ.} L. Aemilio Paullo, qui conſul fuerat cum C. Marcello. ep. 12. lib. xv. Frater fuit M. Lepidi, eoq. mox triumuiro proſcriptus eſt. VOBIS *aſſentientibus;*} reliquo ſenatu. DE *reliquis rebus*} quas cum peterem, non impetrabam. ET. MEAM, *& ueſtram uicem timeam*} ne quid mihi, & uobis accidat aduerſi. ep. 5. lib. IV. An illius uicem, credo, doles? Et pro Domo: Mihi uni neceſſe erit, & meam, & aliorum uicem pertimeſcere? Timere uicem alicuius, eſt timere quod ad illum ſpectat. VERNARVM} uernis comparat Vicetinorum aduerſarios, ut homines nequam, abiectoſq. ſignificet. VERCELLIS.} firmiſsimum tranſpadanae regionis municipium Tacitus appellat lib. XVII.

# Argumentum ep. 20.

*TImere ſe ait Ciceronis cauſſa; eumq. monet, ut ueteranorum animos ſibi reconciliet. Eodem anno.*

## *Brutus imp. S. D. Ciceroni.* 20.

*QVOD pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaq. officia cogunt, ut timeam. ſaepe enim mihi cum eſſet dictum, neque a me contemptũ, nouiſſime Labeo Segulius, homo ſui ſimillimus, narrauit mihi, apud Caeſarem ſe fuiſſe, multumq. ſermonem de te habitum eſſe: ipſum Caeſarem nihil ſane de te queſtũ, niſi dictum, quod diceret te dixiſſe laudandum adoleſcentem, ornãdum, tollendum; ſe non eſſe cõmiſſurum, ut tolli poſſit. hoc ego Labeonem credo illi retuliſſe, aut finxiſſe dictum, non ab adoleſcente prolatum. Veteranos uero peſſime loqui, uolebat Labeo me credere, & tibi ab ijs inſtare periculum, maximeq. indignari, quod in x uiris neque Caeſar, neque ego habiti eſſemus, atque omnia ad ueſtrum arbitrium eſſent collata. Haec cum audiſſem, & iam in itinere eſſem, committendum non putaui, prius ut alpes tranſgrederer, quam, quid iſtic ageretur ſcirem. nam de tuo periculo crede mihi, iactatione uerborum, & denunciatione periculi ſperare eos, te pertimefacto, adoleſcente impulſo, poſſe magna conſequi praemia; & totam iſtam cantilenam ex hoc pendere, ut quamplurimum lucri faciant. neque tamen non te cautum eſſe uolo, & inſidias uitantem. nihil enim tua mihi uita poteſt eſſe iucundius, neque carius. illud uide, ne, timendo, magis timere cogare: &, quibus rebus poteſt occurri ueteranis, occurras: primum, quod deſiderant de decemuiris, facias: deinde de praemijs, ſi tibi uidetur, agros militum eorum, qui cum Antonio ueterani fuerunt, his dandos cenſeas ab utriſque nobis: de nummis, lente, ac ratione habita pecuniae: ſenatum de ea re conſtituturum. quattuor legionibus ijs, quibus agros dandos cenſuiſtis, uideo facultatem fore ex agris Sullanis, & agro Campano. aequaliter, aut ſorte agros legionibus aſſignari puto oportere. Haec me tibi ſcribere non prudentia mea hortatur. ſed amor in te, & cupiditas otij; quod ſine te conſiſtere non poteſt. Ego, niſi ualde neceſſe fuerit, ex Italia non excedam. legiones armo, paro: ſpero me non peſſimum exercitum habiturum ad omnes caſus, & impetus hominum. de exercitu, quem Panſa habuit, legionem mihi Caeſar non remittit. Ad has litteras ſtatim mihi reſcribe; tuorumq. aliquem mitte, ſi quid reconditum magis erit, meq. ſcire opus eſſe putaris. Vale. IIX. Kal. Iun. Eporaedia.*

## EXPLANATIO

HOMO *ſui ſimillimus*,} idem, qui ſolet eſſe. Accipiendum in malam partem. CAESAREM} Octauianum. NISI. DICTVM,} dictum dicere, eſt breuem, & acutam ſententententiam dicere. hic, Dictum, nomen eſt, pro breui ſententia. ADOLESCENTEM,} ipſum Caeſarem. TOLLENDVM;} ambiguum uerbum. nam & ad honorem, & ad necem pertinet. Velleius lib. 2. Hoc eſt illud tempus, quo Cicero, inſito amore Pompeianarum partium, Caeſarem laudandum & tollendum cenſebat; cum aliud diceret, aliud intelligi uellet. Suetonius in Auguſto: Vt cognouit, Antonium poſt fugam a M. Lepido receptum ceteroſq. duces & exercitus conſentire pro partibus: cauſam optimatium ſine cunctatione deſeruit, ad praetextum mutatae uoluntatis dicta factaq. quorundam calumniatus, quaſi alij ſe puerum, alij ornandum, tollendumq. iactaſſent, ne aut ſibi, aut ueteranis par gratia referretur. DECEMVIRIS} ideo creatis, ut ab Antonio geſti cõſulatus rationẽ repoſcerẽt. ep. 14. & 21. Appianus lib. III. AD *ueſtrum arbitriũ*} qui eſtis in urbe, nobis neglectis, qui pro rep. pugnamus. Erat autẽ Cicero in decẽuiris. ep. ſeq. IN. ITINERE} perſequebatur M. Antonium. PRIVS *ut Alpes tranſgrederer*,} mendoſus uidetur epiſtolarũ ordo. nam ſi nondũ Alpes tranſgreſſus eſt, coniungi Planco nondũ potuit. at coniunctus uidetur ep. 15. EOS,} ueteranos. TOTAM *iſtam cantilenam*} totũ hoc, quod iſti iactant, atque in te conferunt. cantilena enim, & id, quod canitur, & id, quod crebris ſermonibus uſurpatur: ut ad Att. ep. 17. lib. I. Crebro mihi inſuſurrat, Epicharmus cantilenam illam ſuam: Νῦφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖ. inde adagium, cantilenam eandem canere, apud Terentium in Phorm. Accipitur interdum pro conuicio. nam, ut ait Feſtus, Occentaſſint, antiqui dicebant, quod nunc, conuicium fecerint, dicimus: quod id clare, & cum quodam canore fit: inde Cantilenam dici, non cantus iucunditatem, puto. OCCVRRI} ut iratos mitiges. QVOD *deſiderant de decemuiris*,} ut in ijs ego, & Caeſar ſimus. AB. VTRISQVE *nobis*:} a me, & Caeſare. DE. NVMMIS,} quos ueterani appetunt. LENTE,} agas. CONSTITVRVM.} dicas. QVATTVOR *legionibus iis*,} opinor ſignificari Martiam, Quartam, Septimam, quae cum Hirtio & Panſa contra Antonium pugnauerant, & unam praeterea Decimi, quae nominatur ep. 24. lib. X. EX *agris Sullanis*,} ſic quinque libri ueteres. agros dicit, quos dictator Sulla, municipijs adẽptos Marianarum partium ſtudioſis, publicauerat. ep. 4. lib. XIII. AGRO *campano*.} ea ſcilicet parte, quam C. Caeſar primo ſuo conſulatu non diuiſerat. uide ep. 9. lib. I. & ep. 10. lib. IIX. LEGIONEM} tironum. nam ueterani cum Panſa non fuere. uide ep. 30. lib. I. *Eporoedia*.} Opidum in

Gallia

Gallia ciſalpina, tranſpadana, Sibyllinis libris a populo R. condi iuſſum, non procul a Vercellis. Plinius lib.III. cap.17. Tacitus lib. XVII. firmiſsimum tranſpadanae regionis municipium uocat.

# Argumentum ep.21.

*R Eſpondet ſuperiori epiſtolae.*

## *Cicero S. D. Bruto imp.* 21.

*DII iſti Segulio male faciant, homini nequiſſimo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt. quid? tu illum tecum ſolum, aut cum Caeſare, qui neminem praetermiſerit, quicum loqui potuerit, cui non eadem iſta dixerit? te tamen, mi Brute, ſic amo, ut debeo, quod iſtud, quidquid eſſet, nugarum me ſcire uoluiſti: ſignum enim magnum amoris dediſti. Nam, quod idem Segulius ait ueteranos queri, quod tu, & Caeſar in decem uiris non eſſetis; utinam ne ego quidem eſſem: quid enim moleſtius? ſed tamen, cum ego ſenſiſſem, de ijs, qui exercitus haberent, ſententiam ferri oportere; ijdem illi, qui ſolent, reclamarunt: itaque excepti etiam eſtis, me uehementer repugnante. quocirca Segulium negligamus, qui res nouas quaerit: non quo ueterem comederit: nullam enim habuit: ſed hanc ipſam recentem nouam deuorauit. Quod autem ſcribis, te, quod pro te ipſo non facias, id pro me facere, ut de me timeas aliquid: omni te, uir optime, mihiq. cariſſime Brute, de me metu libero. ego enim, quae prouideri poterunt, non fallar in ijs: quae cautionem non habebunt, de ijs non ita ualde laboro. ſim etenim impudens, ſi plus poſtulem, quam homini a rerum natura tribui poteſt. Quod mihi praecipis, ut caueam, ne, timendo, magis timere cogar: & ſapienter, & amiciſſime praecipis: ſed uelim tibi perſuadeas; cum te conſtet excellere hoc genere uirtutis, ut numquam extimeſcas, numquam perturbere, me huic tuae uirtuti proxime accedere. quamobrem neque metuam quidquã, & cauebo omnia. ſed uide, ne tua iam, mi Brute, culpa futura ſit, ſi ego quidquam timeam. tuis enim opibus, & conſulatu tuo, etiam ſi timidi eſſemus, tamen omnem timorem abijceremus; praeſertim cum perſuaſum omnibus eſſet, mihiq. maxime, nos a te unice diligi. Conſilijs tuis, quae ſcribis, de quattuor legionibus, deq. agris aſſignandis ab utriſque ueſtrum, uehementer aſſentior. itaque, cum quidam de collegis noſtris agrariam curationem ligurrirent, diſturbaui rem, totamq. uobis integram reſeruaui. ſi quid erit occultius, &, ut ſcribis, reconditum; meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te litterae perferantur. Vale. Pridie non. Iun.*

## EXPLANATIO

DII. ISTI *Segulio male faciant,*} ep.II.lib. V. Dalmatis dij male faciant. HOMINI *nequiſſimo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt.*} Modus amplificandi. Plautus in Per. Qui ſunt, qui fuerunt, quiq. futuri ſunt poſthac, ego ſolus omnibus antideo facile, miſerrimus hominũ ut uiuam. Catullus ad Aurelium. Aureli pater eſuritionum, Non harũ modo, ſed quot aut fuerunt, Aut ſunt, aut alijs erunt in annis. Idem ad puerum: O qui floſculus es Iuuentiorum, Non horum modo, ſed quot aut fuerunt, Aut poſthac alijs erunt in annis. Idem ad M. Tullium Ciceronem: Diſertiſsime Romuli nepotum, Quot ſunt, quotq. fuere, Marce Tulli, Quotq. poſt alijs erunt in annis. Cicero in oratione poſt reditum ad Quir. Cn. Pompeius, uir omnium, qui ſunt, fuerunt, erunt, uirtute, ſapientia, ac gloria princeps. HANC *ipſam*} uel hereditate acceptam, uel a C. Caeſare, cum uiueret, donatam. quod ueriſimilius uidetur. nam & Octauiani amicus erat: & ueteranis fauebat, ut ex epiſtola ſuperiore intelligitur: & uerbum, Deuorauit, uſurpatur Phil. 12. de ueteranis: Suis, inquit, rebus exhauſtis, beneficijs Caeſaris deuoratis, fortunas ueſtras concupiuerunt. Similiter Phil. 13. Comites Antonij, qui, poſtquam Caeſaris beneficia comederunt, conſulem deſignatum obſident. Fortaſſe igitur & hic Segulius ex ueteranis Caeſaris militibus unus fuit. RECENTEM *nouam*} ita differunt Recens, & Nouum, ut Vetus, & Antiquum. poteſt enim recens aliquid eſſe, quod nouum non ſit. ut recens hereditas, quae alicui nuper obtigit, non tamen noua, cum aliae poſsint hereditates eidem antea contigiſſe. nouum eſt enim, non quod nuper, ſed quod nunc primum habemus: recens uero, non quod nunc primum, ſed quod nuper. & nouum ad rem, recens ad tempus refertur. propterea, ut ſimul utrumque ſignificetur, coniunguntur: ut in oratione pro Flacco: Memineritis, quarum rerum inuidia, lege hac recenti, & noua, coetus eſt inquiſitioni comitum numerus conſtitutus. Et hic de Segulio: Hanc ipſam recentem nouam deuorauit: ideo dictum, quia nec illam habuiſſet eo tempore, cum illam accepit, nec umquam antea. nam, Recentem, ſpectat illud: Non quo ueterem commederit: nullam enim habuit. ſubauditur enim, Tum, cum illam accepit. Nouam autem, perpetuam uitae ſuperioris egeſtatem deſignat. Sic apud Plautum coniunguntur Vetus, & Antiquũ, duplex ut indicetur ſignificatio. in Amphitr. Veterẽ, atque antiquam rem, nouam ad uos profero. In Mil. Quin tu iſtam orationem hinc, ueterem, atque antiquam, amoues? In Per. Veterem, atque antiquum quaeſtum ſeruo, atque obtineo. In Trin. Hiſtoriam ueterem, atque antiquam haec mea ſenectus ſuſtinet. Patet igitur, & quae ſit, inter nouum, & recens differentia, & recenti rei opponi ueterem, antiquam nouae. Commemorarem, inquit ep.6. lib.VI. non ſolum uete-

rum, ſed horum etiam recentium uel ducum, uel comitum tuorum grauiſsimos caſus. Sim *etenim impudens,*} notandum Etenim, ſecundo loco: quod perquam rarum. pro Coelio: Sunt etenim iſta maledicta peruulgata in omnes. Cvlpa} quia perſecutus Antonium non erat. ep. 12. Nonnulli etiam queruntur, quod perſecuti non ſitis. Et ep. ad M. Brutum: Erat uictrix reſp. caeſis Antonij copijs, ipſo expulſo. Bruti deinde ita multa peccata, ut quodam modo uictoria excideret e manibus. perterritos, inermos, ſaucios non ſunt noſtri duces perſecuti. Hanc tamen a ſe culpam remouet Decimus ep. 13. Consvlatv *tuo,*} ſequentis anni. Ab vtrisqve *ueſtrum,*} non dixit, Ab utriſque uobis: ut dixerat Decimus, Ab utriſque nobis. Collegis *noſtris*} decemuiris, in quibus erat Cicero. Agrariam *curationem*} ut ipſi agros aſsignarent. Ligvrrirent,} uehementer appeterent. Ligurrire Verrem improbiſsima lucra, dixit Cicero.

# Argumentum ep.22.

*Commendat Ap. Claudium. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Bruto imp.* 22.

*Cvm Ap. Claudio C. F. ſumma mihi neceſſitudo eſt, multis eius officijs, & meis mutuis conſtituta. peto a te maiorem in modum, uel humanitatis tuae, uel mea cauſſa, ut eum auctoritate tua, quae plurimum ualet, conſeruatum uelis. uolo te, cum fortiſſimus uir cognitus ſis, etiam clementiſſimum exiſtimari. magno tibi erit ornamento, nobiliſſimum adoleſcentem beneficio tuo eſſe ſaluum. cuius quidem cauſſa hoc melior debet eſſe, quod, pietate adductus, propter patris reſtitutionem ſe cum Antonio coniunxit. quare, etſi minus ueram cauſſam habebis, tamen uel probabilem aliquam poteris inducere. nutus tuus poteſt hominem ſummo loco natum, ſummo ingenio, ſumma uirtute, officioſiſſimum praeterea, & gratiſſimum, incolumem in ciuitate retinere. quod ut facias, ita a te peto, ut maiore ſtudio, magis ne ex animo petere non poſſim. Vale.*

## EXPLANATIO

Cvm. Ap. *Claudio C. F.*} patris praenomen addidit, ut ab alijs, qui eodem praenomine, & nomine uterentur, eum diſtingueret. Conservatvm *uelis.*} ne hoſtis cum Antonio iudicetur. quandoquidem eum ſecutus erat. ep. ad M. Brutum: Hoſtes omnes iudicati, qui M. Antonij ſectam ſecuti ſunt. Fortissimvs} in Caeſaris nece, & Mutinenſi eruptione. Nobilissimvm} infra, Summo loco natum. erant enim Claudij maioribus clari, ſiue Pulchri, & Nerones, ideſt patricij, ſiue Marcelli, ideſt plebeij. Propter *patris reſtitutionem*} uidetur pater eius, cum exſularet, ab Antonio conſule in patriam reſtitutus. Minvs *ueram*} minus aequam. ſic alibi locutus. Poteris *inducere.*} ut eum litteris commendes ad amicos miſsis, uel etiam ad ſenatum.

# Argumentum ep.23.

*Hortatur Ciceronem ad bene de rep. ſperandum: & ſe litteras eius exſpectare dicit. Eodem anno.*

## *Brutus S. D. Ciceroni.* 23.

*Nos hic ualemus recte; &, quo melius ualeamus, operam dabimus. Lepidus commode de nobis ſentire uidetur. omni timore depoſito, debemus libere reip. conſulere. quod ſi omnia eſſent aliena, tamen tribus tantis exercitibus, proprijs reip. ualentibus, magnum animum habere debebas, quem & ſemper habuiſti, & nunc, fortuna adiuuante, augere potes. Quae tibi ſuperioribus litteris mea manu ſcripſi, terrendi tui cauſſa homines loquuntur. ſi frenum momorderis; peream, ſi te omnes, quotquot ſunt, conantem loqui ferre poterunt. Ego, tibi ut antea ſcripſi, dum mihi a te litterae ueniant, in Italia morabor. Vale.* IIX. *Kal. Iun. Eporaedia.*

## EXPLANATIO

Lepidvs *commode de nobis ſentire uidetur.*} nihil muto. nam, De nobis, pro De rep. dixit. Et, Commode nobis, in nullo reperitur antiquo. Sic locutus ep. 18. lib. x. Magnum periculum ea pars exercitus adiret, quae bene de rep. ſentit. Essent *aliena,*} uel ſi Lepidus ſe cum Antonio coniungat.

gat. TRIBVS} Decimi, Octauiani, Planci. FORTVNA *adiuuante*,} profligato iam Antonio pugna Mutinenſi. SVPERIORIBVS *litteris*} eodem die ſcriptis, ideſt IIX. Kal. Iun. quarum initium eſt: Quod pro me non facio. HOMINES *loquuntur*,} maxime Segulius. ep. 20. SI FRENVM *momorderis*;} ſi eos contempſeris. tranſlatio ab equis; qui, cum frenum momorderint, libero impetu feruntur, nec ab equitibus regi poſſunt. CONANTEM *loqui*} nedum loquentem.

## Argumentum ep. 24.

*SI quid antea timoris fuerat, adeptum ait ſuperioribus Bruti litteris. addit, quid agendum ei ſit, & de pecunia decreta. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Bruto.* 24.

NARRO *tibi: antea ſubiraſcebar breuitati tuarum litterarum: nunc mihi loquax eſſe uideor. te igitur imitabor. Quam multa quam paucis? te recte ualere, operamq. dare, ut quotidie melius: Lepidum commode ſentire: tribus exercitibus quiduis non oportere confidere. ſi timidus eſſem, tamen iſta epiſtola mihi omnem metum abſterſiſſes. ſed, ut mones, frenum momordi. etenim, qui, te incluſo, omnem ſpem habuerim in te; quid nunc putas? cupio iam uigiliam meam, Brute, tibi tradere, ſed ita, ut ne deſim conſtantiae meae. Quod ſcribis, in Italia te moraturum, dum tibi litterae meae ueniant: ſi per hoſtem licet, non erraris. multa enim Romae. ſin aduentu tuo bellum confici poteſt: nihil ſit antiquius. Pecunia, expeditiſſima quae erat, tibi decreta eſt. Habes amantiſſimum Seruilium. nos non deſumus. Vale.* IIX. *id. Iun.*

### EXPLANATIO

QVAM *multa quam paucis*?} complexus es. VIGILIAM *meam*,} tranſlatio ab excubantibus militibus: qui ſuccedunt per uigilias. nox autem in quattor uigilias diſtributa. Cupio, inquit, cum ſatis iam officio meo fecerim, curā in te meam transferre. Phil. 1. Manendum mihi ſtatuebam quaſi in uigilia quadam conſulari, ac ſenatoria. CONSTANTIAE *meae*.} eſt enim inconſtantis, deſerere ſuum munus. MVLTA *enim Romae*.} multa dicuntur eiuſmodi, ut in Italia diutius morandum tibi non eſſe uideatur. SERVILIVM.} Iſaurici filium. fauebat Decimo, infenſus Planco. ep. 12. lib. x.

## Argumentum ep. 25.

*EXſpectari a ſe Bruti litteras ait: ſibi nihil eſſe, quod ſcriberet: reip. ſpem in ipſo, & in eius collega Planco omnem eſſe: de M. Bruto nihil certi. Eodem anno:*

### *Cicero S. D. Bruto imp.* 25.

EXSPECTANTI *mihi tuas quotidie litteras Lupus noſter ſubito denunciauit, ut ad te ſcriberem ſi quid uellem. ego autem, etſi, quid ſcriberem, non habebam; (acta enim ad te mitti ſciebam: inanem autem ſermonem litterarum tibi iniucundum eſſe audiebam) breuitatem ſecutus ſum te magiſtro. Scito igitur, in te, & in collega ſpem omnem eſſe. De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego, quemadmodum praecipis, priuatis litteris ad bellum commune uocare non deſino. qui utinam iam adeſſet: inteſtinum urbis malum, quod eſt non mediocre, minus timeremus. Sed quid ago? non imitor* λακωνισμὸν *tuum. altera iam pagella procedit. uince, & uale.* XIV. *Kal. Quinct.*

### EXPLANATIO

TE. MAGISTRO.} ep. 15. COLLEGA} L. Planco. INTESTINVM *urbis malum*,} erant enim, qui Octauianum, interfectis Panſa & Hirtio conſulibus, ad petitionem conſulatus impellerent. ep. 24. lib. x. & ep. 14. ad M. Brutum: Caeſarem, meis conſilijs adhuc gubernatum, praeclara ipſum indole, admirabiliq. conſtantia, improbiſsimis litteris quidam, fallacibus interpretibus, ac nuncijs impulerunt in ſpem certiſsimam conſulatus. Et ep. 22. ad eundem: Quid dicam, in tanto ſenatus populiq. con-

ſenſu;

ſenſu; cum tantum reſideat intra muros mali? Maximo autem, cum haec ſcriberem,afficiebar dolore,quod,
cum me pro adoleſcentulo, ac paene puero reſp. uadem accepiſſet, uix uidebar, quod promiſeram,praeſta-
re poſſe. Et ibidem: Videtur eſſe indoles, ſed flexibilis aetas multiq. ad deprauandum parati : qui, ſplendo-
re falſi honoris obiecto, aciem boni ingenij perſtringi poſſe confidunt. Λακωνισμόν tuum. } Laconicam,
qua tu ſoles uti, breuitatem. ALTERA *iam pagella procedit.* } paucos igitur uerſus pagina capiebat:
breuis enim admodum haec epiſtola: & ad Att. ep.34. lib.XIII. cum perpauca ſcripſiſſet, dixit: Complere
paginam uolui. Rurſus Pagina, ſi modo una eſt, ſatis longa oſtenditur ep.13.lib.2. in eo loco, Extrema pa-
gella pupugit me tuo chirographo. Sed epiſtolae Coelianae, cui Cicero ibi reſpondet, cuius initium eſt,
Non dubito, non una, ſed plures pagellae, tres fortaſſe, aut quattuor, fuerint, neceſſe eſt: cuius ad extremã
Ciceronis illa uerba reſpondet. nam, ſi una tantum: longe differret ab hac ad Brutum: cuius primam pagel-
lam pauci uerſus implebant: & altera iam procedebat, ideſt ſcribi coepta erat. Eademq. breuitas pagellae
cernitur in illa, cuius teſtimonio ſum uſus, ad Att. ep. itaque plures omnino Coelianarum litterarum pagel
las fuiſſe, ueriſimile uidetur. Erant autem illae, niſi fallor, codicillorum pagellae, non Aegyptiacae chartae,
ex papyro confectae; quae plures uerſus in pagina capiebat; cum latitudo eſſet optimae digitorum trede-
cim, bonitate proximae undecim, aut decem: quod lib. XIII. cap.12. Plinius docet. De codicillis autem
uide quae diximus ep. 12. lib. IV.

## Argumentum ep. 26.

*SOllicitus ob Antonij cum Lepido cõiunctionem, poſtulat, ut legiones quã-primum ſibi, ſtipendiumq. mittatur. Eodem anno.*

### *Brutus imp. S. D. Ciceroni.* 26.

*IN maximo meo dolore hoc ſolatio utor, quod intelligunt homines, non ſine cauſſa me timuiſſe iſta, quae acciderunt. Deliberent, utrum transijciant legiones ex Africa, nec ne, & ex Sardinia; Brutum accerſant, nec ne; mihi ſtipendium dent, an non; decernant. ad ſenatum litteras miſi. crede mihi, niſi iſta omnia ita fiunt, quemadmodum ſcribo, magnum nos omnes adituros periculum. rogo te, uidete, quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant. & fide opus eſt, & celeritate. Vale. III. non. Iun. ex caſtris.*

### EXPLANATIO

ISTA *quae acciderunt.* } coniunctionem Lepidi cũ Antonio. DELIBERENT, } ironia cum ſtomacho. EX AFRICA, } ep.14. & lib.x. ep.24. BRVTVM } M. Brutum, qui erat in Macedonia. MAGNVM *nos omnes adituros periculum.* } uerisſimum augurium. nam, Nouembri menſe inita inter Lepidum, Antonium, Octauianum ſocietate, & omnes, & omnia perire. Velleius, Plutarchus, Appianus, Dio. III. NON. IVN. } haec dies hanc epiſtolam ante ſuperiorem ſcriptam eſſe oſtendit.

## Argumentum ep. 27.

*QVeſtus erat Matius, accuſari ſe a Cicerone, tum quod in lege quadam Caeſaris ſuffragium tuliſſet, tum etiam quod ludos, Caeſari mortuo ab Octauiano datos, curaſſet. Cicero ita ſe purgat, ut alterum negari a ſe dicat, alterum defendi. Eſt autem purgatio in primis accurata, & ab exquiſito quodam artificio deprompta. nam uoluntatis in Matium ſuae argumenta Cicero ſumit a uetuſtate, a mutua beneuolentia, a ueteribus Matij beneficijs, a familiaritate, a recentibus officijs, praeterea ab eiuſdem fide, conſilio, grauitate, conſtantia, lepore, humanitate, litteris: deinde ad Matij querelam reſpondet. Antonio, & Dolabella cos.*

### *Cicero S. D. C. Matio.* 27.

NONDVM *ſatis conſtitui, moleſtiae ne plus, an uoluptatis attulerit mihi Trebatius noſter, homo tum plenus officij, tum utriuſque noſtrum amantiſſimus. nam, cum in Tuſculanum ueſperi ueniſſem; poſt-*

*tridie*

*tridie ille ad me, nondum ſatis firmo corpore cum eſſet, mane uenit. quem cum obiurgarem, quod parum ualetudini parceret: tum ille, nihil ſibi fuiſſe longius, quam ut me uideret. numquidnam, inquam, noui? detulit ad me querellam tuam: de qua prius quam reſpondeo, pauca praeponam. Quantum memoria repetere praeterita poſſum, nemo eſt mihi te amicus antiquior. ſed* VETVSTAS *habet aliquid commune cum multis, amor non habet. dilexi te, quo die cognoui, meq. a te diligi iudicaui. tuus deinde diſceſſus, isq. diuturnus, ambitio noſtra, & uitae diſſimilitudo non eſt paſſa uoluntates noſtras conſuetudine conglutinari. tuum tamen erga me animum agnoui multis annis ante bellum ciuile, cum Caeſar eſſet in Gallia. quod enim uehementer mihi utile eſſe putabas, nec inutile ipſi Caeſari, perfeciſti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in ſuis. Multa praetereo, quae temporibus illis inter nos familiariſſime dicta, ſcripta, communicata ſunt. grauiora enim ſunt conſecuta. Et initio belli ciuilis, cum Brundiſium uerſus ires ad Caeſarem, ueniſti ad me in Formianum. primum, hoc ipſum quanti, praeſertim temporibus illis? deinde, oblitum me putas conſilij, ſermonis, humanitatis tuae? quibus rebus intereſſe memini Trebatium. Nec uero oblitus ſum litterarum tuarum, quas ad me miſiſti, cum Caeſari obuiam ueniſſem in agro, ut arbitror, Trebulano. Secutum illud tempus eſt, cum me ad Pompeium proficiſci ſiue pudor meus coegit, ſiue officium, ſiue fortuna. quod officium tuum, quod ſtudium uel in abſentem me, uel in praeſentes meos defuit? quem porro omnes mei & mihi, & ſibi te amiciorem iudicauerunt? Veni Brundiſium: oblitumne me putas, qua celeritate, ut primum audieris, ad me Tarento aduolaris? quae tua fuerit aſſeſſio, oratio, confirmatio animi mei, fracti communium miſeriarum metu? Tandem aliquando Romae eſſe coepimus: quid defuit noſtrae familiaritati? in maximis rebus, quonam modo me gererem aduerſus Caeſarem, uſus tuo conſilio ſum. in reliquis officijs cui tu tribuiſti, excepto Caeſare, praeter me, ut domum uentitares, horasq. multas ſaepe ſuauiſſimo ſermone conſumeres? tum, cum etiam, ſi meminiſti, ut haec φιλοσοφύμενα ſcriberem, tu me impuliſti. Poſt Caeſaris reditum quid tibi maiori curae fuit, quam ut eſſem ego illi quam familiariſſimus? quod effeceras. Quorſum igitur haec oratio longior, quam putaram? quia ſum admiratus, te, qui haec noſſe deberes, quidquam a me commiſſum, quod eſſet alienum noſtra amicitia, credidiſſe. nam praeter haec, quae cōmemoraui, quae teſtata ſunt, & illuſtria, habeo multa occultiora, quae uix uerbis exſequi poſſum. omnia me tua delectant, ſed maxime maxima cum fides in amicitia, conſilium, grauitas, conſtantia, tum lepos, humanitas, litterae. quapropter redeo nunc ad querellam. Ego, te ſuffagium tuliſſe in illa lege, primum non credidi: deinde, ſi crediſſem, numquam id ſine aliqua iuſta cauſſa exiſtimarem te feciſſe. dignitas tua facit, ut animaduertatur; quidquid facias; maleuolentia autem hominum, ut nulla durius, quam a te facta ſint, proferantur, ea ſi tu non audis; quid dicam, neſcio; equidem, ſi quando audio, tam defendo, quam me ſcio a te contra iniquos meos ſolere defendi. defenſio autem eſt duplex. alia ſunt, quae liquido negare ſoleam, ut de iſto ipſo ſuffragio: alia, quae defendam a te pie fieri, & humane, ut de curatione ludorum. ſed te, hominem doctiſſimum, non fugit, ſi Caeſar rex fuerit, quod mihi quidem uidetur, in utramque partem de tuo officio diſputari poſſe; uel in eam, qua ego uti ſoleo, laudandam eſſe fidem, & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas; uel in eam, qua nonnulli utuntur, libertatem patriae uitae amici anteponendam. ex his ſermonibus utinam eſſent delatae ad te diſputationes meae. Illa uero duo, quae maxima ſunt laudum tuarū, quis aut libentius, quam ego, commemorat, aut ſaepius; te & non ſuſcipiendi belli ciuilis grauiſſimum auctorem fuiſſe, & moderandae uictoriae? in quo qui mihi non aſſentiretur, inueni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio, familiari noſtro, qui mihi dedit cauſſam harum litterarum. quibus niſi credideris; me omnis officij, & humanitatis expertem iudicaris: quo nec mihi grauius quidquam poteſt eſſe, nec a te alienius. Vale.*

## EXPLANATIO

C. MATIO.} doctiſsimo uiro. ep. 15. lib. II. QVANTVM *memoria repetere praeterita poſſum*,} idem alijs uerbis in oratione pro Archia: Quoad longiſsime poteſt mens mea reſpicere ſpatium praeteriti temporis. VETVSTAS *habet aliquid commune cum multis*,} quod ad uetuſtatem attinet, comparare tibi multos poſſum: amore non poſſum. DISCESSVS,} cum in Galliam iuit. Proconſulem C. Caeſarem ſecutus. AMBITIO *noſtra*,} honorum enim ſtudium conſuetudinem tollit; cum ſuam quiſque rem curet. VITAE *diſſimilitudo*} non eſt Matius, aeque, ac Cicero, in foro, & curia uerſatus: diu enim cū Caeſare abfuit. VENISTI *ad me in Formianum*.} ep. 9. ad Att. lib. IX. TEMPORIBVS *illis?*} grauiſsimis, cum iam armis de iure publico diſceptaretur. CONSILII,} ne ullam belli partem attingerem. CAESARI} Brundiſio redeunti, cum Pompeium Italia expuliſſet. De hoc Ciceronis, Caeſariſq. congreſſu, & ſermone inter eos habito. ep. 17. ad Att. lib. IX. IN. AGRO, *ut arbitror Trebulano.*} Trebulae in agro Sabino fuerunt, ubi nunc eſt opidum, Mons Leo uocatum, cuius ad radices antiqui lapides, inſcripta Trebularum mentione, aliquot exſtant: quibus etiam lapidibus intelligitur id, quod ait ſeruius in illo Virgilij uerſu, Her͡cti manus omnis, oliuiferaeq. Mutuſcae: prius appellatum eſſe Mutuſcam, quam Trebulam: quamquam lapides non Mutuſcam, ſed Mutueſcam Trebulam nec Mutuſcanos, ſed Mutueſcanos Trebulanos nominant: & crediderim priſcos illos ita pronunciaſſe: nam poſteriores Mutuſcam dixere, ut Virgilius. & Plinius lib. III. cap. 12. Trebulani, qui cognominantur Mutuſcei. AD. POMPEIVM} in Graeciam. SIVE *pudor meus coegit, ſiue officium, ſiue fortuna.*} pudor, ſi cum ijs non coniungeret, qui remp. defendere putabantur: officium, uel patriae debitum a me, uel ipſi Pompeio, qui Clodianis temporibus egregiam in me reſtituendo operam nauauerat: fortuna, non conſilium, aut ratio, ſed fortuna ipſa, quae ſaepe nos in eam partem impellit, unde labores, pericula, damnaq. nobis impēdent. ep. 6. lib. VI.

lib. vi. Valuit apud me plus pudor meus, quam timor. ueritus ſum deeſſe Pompeij ſalute, cum ille ali-
quando non defuiſſet meae. itaque uel officio, uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut in fabulis Amphia
raus, ſic ego prudens, & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus. Et ep. 3. lib. vii. Pudori ma-
lui, famaeq. cedere, quam ſalutis meae rationem ducere. VENI *Brundiſium:* } poſt pugnam Pharſa-
licam Cicero, armorum odio, & uictoriae deſperatione, in Italiam redijt. ad Att. ep. 5. 6. lib. xi. COM-
MVNIVM *miſeriarum metu?* } metuebat interitum reip. Pompeio in Theſſalia deuicto: quod & Atticus
timuit. nam ad eum ita ſcripſit ep. 6. lib. xi. ſollicitum eſſe te cum de tuis, communibuſq. fortunis, tum ma
xime de me, ac de dolore meo, ſentio. QVID *haec* φιλοσοφούμενα } libros de Finibus, Tuſcula-
nas quaeſtiones, & alia, quae ſcripſit afflicta rep. POST *Caeſaris reditum* } confectis omnibus ciuili-
bus bellis. SVFFRAGIVM *tuliſſe in illa lege* } opinor legem ſignificari, quam Caeſar, ut ſcripſit ipſe
lib. iii. de bell. ci. pro debitoribus tulit, ut arbitri darentur, per quos fierent aeſtimationes poſſeſsionum,
& rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuiſſent, atque eae creditoribus traderentur. Hoc eo magis exi
ſtimo, quod ad hunc partem reſpondens Matius, Res, inquit, mea familiaris lege Caeſaris deminuta eſt.
QVID *dicam, neſcio; iniquos meos* } qui mihi inique detrahunt. Differunt autem, ut mihi uidetur, iniqui
ab inimicis. nam & multi poſſunt eſſe iniqui, nec tamen inimici; & inimici multi, nec tamen iniqui. LI-
QVIDO } facile. ep. 10. lib. x. HOMINEM *doctiſſimum*, ep. 15. lib. vii. DE. TVO *officio* } de tua
ludorum Caeſaris curatione. QVA *nonnulli utuntur*, } quorum in numero fortaſſe Cicero ipſe fuit.
nam ep. 2. ad Att lib. xv. Ludorum, ait, Octauij apparatus Matius, ac Poſtumius mihi procuratores non pla
cent. NON *ſuſcipiendi belli ciuilis grauiſſimum auctorem fuiſſe,* } ep. 9. ad Att. lib. ix. Venit ad me Matius
quinquatribus, homo mehercule, ut mihi uiſus eſt temperatus, & prudens: exiſtimatus quidem eſt ſemper
auctor otij. quam ille mihi quidem haec non probare uiſus eſt.

# Argumentum ep. 28.

*RESpondet Matius egregia ſane epiſtola litteris Ciceronis, purgatq. ſe aduerſus uituperatores ſuos.*

## *Matius. S. D. Ciceroni.* 28.

MAGNAM *uoluptatem ex tuis litteris cepi, quod, quam ſperaram, atque optaram, habere te de me opinionem cognoui. de qua etſi non dubitabam; tamen, quia maximi aeſtimabam, ut incorrupta maneret, laborabam. conſcius autem mihi eram, nihil a me commiſſum eſſe, quod boni cuiuſquam offenderet animum. eo minus credebam, plurimis, atque optimis artibus ornato tibi temere quidquam perſuaderi potuiſſe, praeſertim in quem mea propenſa, & perpetua fuiſſet, atque eſſet beneuolentia. quod quando, ut uolui, ſcio eſſe, reſpodebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, tua ſingulari bonitate, & amicitia noſtra ſaepe reſtitiſti. nota enim mihi ſunt, quae in me poſt Caeſaris mortem contulerint. Vitio mihi dant, quod mortem hominis neceſſarij grauiter fero, atque eum, quem dilexi, perijſſe indignor. aiunt enim patriam amicitiae praeponendam eſſe: proinde ac ſi iam uicerint, obitum eius reip. fuiſſe utilem. ſed non agam aſtute. fateor me ad iſtum gradum ſapientiae non perueniſſe. neque enim Caeſarem in diſſenſione ciuili ſum ſecutus: ſed amicum, quamquam re offendebar, tamen non deſerui: neque bellum umquam ciuile, aut etiam cauſſam diſſenſionis probaui, quam etiam naſcentem exſtingui, ſumme ſtudui. itaque, in uictoria hominis neceſſarij, neque honoris, neque pecuniae dulcedine ſum captus. quibus praemijs reliqui, minus apud eum, quam ego, cum poſſent, immoderate ſunt abuſi. Atque etiam res familiaris mea, lege Caeſaris deminuta eſt: cuius beneficio plerique, qui Caeſaris morte laetantur, remanſerunt in ciuitate. Ciuibus uictis ut parceretur, aeque, ac pro mea ſalute, laboraui. Poſſum igitur, qui omnes uoluerim incolumes, eum, a quo id impetratum eſt, perijſſe non indignari? cum praeſertim ijdem homines illi & inuidiae, & exitio fuerint. Plecteris ergo, inquiunt; quando factum noſtrum improbare audes. o ſuperbiam inauditam, alios in facinore gloriari, alijs ne dolere quidem impune licere. at haec etiam ſeruis ſemper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent ſuo potius, quam alterius, arbitrio. quae nunc, ut quidem iſti dictitant, libertatis auctores metu nobis extorquere conantur. ſed nihil agunt. nullius umquam periculi terroribus ab officio, aut ab humanitate deſciſcam.* NVMQVAM *enim honeſtam mortem fugiendam, ſaepe etiam appetendam putaui. Sed quid mihi ſuccenſent, ſi id opto, ut paeniteat eos ſui facti? cupio enim Caeſaris mortem omnibus eſſe acerbam. At debeo pro ciuili parte remp. uelle ſaluam. id quidem me cupere, niſi & ante acta uita, & reliqua mea ſpes, tacente me, probat; dicendo uincere non poſtulo. quare maiorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: mihique, ſi ſentis expedire recte fieri, credas nullam communionem cum improbis eſſe poſſe. an, quod adoleſcens praeſtiti, cum etiam errare cum excuſatione poſſem; id nunc, aetate praecipitata, commutem, ac me ipſe retexam? non faciam; neque, quod diſpliceat, committam, praeterquam quod hominis mihi coniunctiſſimi, ac uiri ampliſſimi doleo grauem caſum. quod ſi aliter eſſem animatus; numquam, quod facerem, negarem; ne & in peccando improbus, & in diſſimulando timidus, ac uanus exiſtimarer. At ludos, quos Caeſaris uictoriae Caeſar adoleſcens fecit, curaui. At id ad*

*priuatum*

*priuatum officium, non ad ſtatũ reip. pertinebat. quod tamen munus & hominis amiciſſimi memoriae, ac honoribus praeſtare etiam mortui debui; & optimae ſpei adoleſcenti, ac digniſſimo Caeſare, petenti negare non potui. Veni etiam conſulis Antonij ſaepe domum ſalutandi cauſſa: ad quem qui me parum patriae amantem eſſe exiſtimant, rogandi quidem aliquid, aut auferendi cauſſa frequentes uentitaſſe reperies. Sed quae haec eſt arrogantia, quod Caeſar numquam interpellauit, quin, quibus uellem, atque etiam quos ipſe non diligebat, tamen ijs uterer; eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me, efficere conari, ne, quos uelim, diligam? ſed non uereor, ne aut meae uitae modeſtia parum ualitura ſit in poſterum contra falſos rumores; aut etiam ijs, qui me non amant propter meam in Caeſarem conſtantiam, non malint mei, quam ſui ſimiles amicos habere: mihi quidem ſi optata contingent: quod reliquum eſt uitae, in otio Rhodi degam. ſin caſus aliquis interpellarit: ita ero Romae, ut recte fieri ſemper cupiam. Trebatio noſtro magnas gratias ago, quod tuum erga me animũ, ſimplicem, atque amicum, aperuit; & quod eum, quem ſemper dilexi lubenter, quo magis iure colere, atque obſeruare deberem, fecit. Bene uale, & me dilige.*

## EXPLANATIO

PATRIAM *amicitiae praeponendam eſſe:*} cum & ſententia pateat, & ita ſcriptum ſit in duobus antiquis meis libris; mutandum nihil duxi. alij legunt: Patriae amicitiam: hoc ſenſu: patriae amicitiam priuatae amicitiae praeponendam. quod mihi non probatur. nam, Patriae caritas, dicitur: Patriae uero amicitia, quis umquam dixit? amicitiam uero patriae praeponere, dixit hic noſter in ea pro Rabirio perduellionis reo. PROINDE *ac*} ep. 4. lib. x. Proinde ut: ep. XI. & 31. ibidem, Proinde ac: ep. 34. Proinde, ſimpliciter dictum pro Perinde. NON *agam aſtute.*} nihil diſsimulare placet: fateor ingenue, me ad iſtum ſapientiae gradum non perueniſſe. RE *offendebar,*} offendebar ciuili bello. NASCENTEM *exſtingui, ſumme ſtudui.*} ep. ſuperiore: Te non ſuſcipiendi belli ciuilis grauiſsimum auctorem fuiſſe. ep. 9. ad Att. lib. IX. Matius exiſtimatus eſt ſemper auctor otij. LEGE *Caeſaris,*} diximus in ep. ſuperiore. CIVIBVS *uictis ut parceretur, aeque ac pro mea ſalute, laboraui.*} quod Cicero dixit: Auctorem fuiſſe moderandae uictoriae. INVIDIAE,} odio, quod eos nimis ornaret. EXITIO eſt enim ab ijs occiſus, in quos maxima beneficia contulerat. ALIOS} percuſſores Caeſaris. ALIIS} ipſi Matio. APPETENDAM} Fugiendam, & Appetendam, opponuntur. tres ueteres libri, Oppetendam: ſex, Appetendam. utro modo legatur, diſcrimen in ſententia non erit. PRO *ciuili parte,*} pro ciuis officio. VT *rem potiorem oratione ducas:*} ut meae uitae potius, quam aliorum ſermonibus, credas. EXPEDIRE} utile eſſe. RECTE *fieri,*} nihil contra remp. committere. CVM *excuſatione,*} aetati enim aliquid conceditur. AETATE *praecipitata,*} in ſumma ſenectute; translatio a rebus non modo inclinatis, ſed etiam praecipitantibus, uel iam praecipitatis. Pro Domo: Tuo iam praecipitante, & debilitato tribunatu. Et Caeſar lib. III. bel. ci. Hiems iam praecipitauerat. COMMVTEM,} nunc improbos amem ſenex, quos odi adoleſcens. ME *ipſe retexam?*} qui retexit, mutat quod iam fecit, quaſi male factum. ep. 14. Noui timores retexunt ſuperiora. LVDOS,} eos, ut opinor, de quibus Plinius lib. 2. cap. 25. Cometes apparuit ludis quos faciebat Auguſtus Veneri genitrici, non multo poſt obitum patris Caeſaris. Et Suetonius: Ludis, quos primos conſecratos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit. Et Dio lib. XLV. Ludos fecit ſuis ſumptibus, ob perfectam Veneris aedem. CAESARIS *uictoriae,*} uouerat enim Caeſar aedem Veneri genitrici, ſi Pompeium praelio Pharſalico deuiciſſet. Appianus lib. 2. III. DIGNISSIMO *Caeſare,*} qui patre Caeſare digniſsimus eſt. Sic olim emendauimus ex libro Ioannis Scalae. cum legeretur in omnibus & uulgatis, & ſcriptis libris, Digniſsimo Caeſari repetenti. SI *optata contingent:*} ſi conſequor id, quod opto. opto autem procul a turbis, in otio uitam ducere. RHODI} quae libera ciuitas erat. ep. 7. lib. IV. QVOD *eum, quem ſemper dilexi lubenter, quo magis iure colere, atque obſeruare deberem, fecit.*} ſimilis illa Trebonij ſententia ep. 16. lib. XII. Tibi, quod uere facere poſſum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis, quod eum, quem neceſſe erat diligere, qualiſcumque eſſet, talem habemus, ut libenter quoque diligamus.

---

## Argumentum ep. ult.

*PRoficiſcens in Graeciam poſt Caeſaris obitum, res ſuas Oppio commendat, commemoratis ante beneficijs ab ipſo acceptis. Antonio, & Dolabella cos.*

## *Cicero S. D. Oppio.* 29.

*DVBITANTI mihi, quod ſcit Atticus noſter, de hoc toto conſilio profectionis, quod in utramque partem in mentem multa ueniebant, magnum pondus acceſſit ad tollendam dubitationem iudicium, & conſilium tuum. nam & ſcripſiſti aperte, quid tibi uideretur; & Atticus ad me ſermonem tuum pertulit. Semper iudicaui, in te & in capiendo conſilio prudentiam ſummam eſſe, & in dando fidem; maximeq. ſum expertus, cum initio ciuilis belli per litteras te conſuluiſſem, quid mihi faciendum eſſe cenſeres, eundum ne ad Pompeium, an manendum in Italia, ſuaſiſti, ut conſulerem dignitati meae. ex quo, quid ſentires, intellexi: & ſum admiratus fidem tuam, & in conſilio dando religionem; quod, cum aliud malle amiciſſimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quam illius uoluntas, fuit. Equidem & ante hoc tempus te dilexi: & ſemper, me a te diligi, ſenſi: & cum abeſſem, atque in magnis periculis eſſem, & me abſentem, & meos praeſentes a te cultos, & defenſos eſſe memini: & poſt meum reditum quam familiariter mecum uixeris, quaeq. ego de te & ſenſerim, & praedicarim, omnes, qui ſolent haec animaduertere, teſtes habemus. Grauiſſimũ uero iudicium de mea fide, & de conſtantia feciſti, cum poſt mortẽ Caeſaris totum te ad amicitiam meam cõtuliſti. quod tuum iudicium niſi mea ſumma beneuolentia erga te, omnibusq. meritis comprobaro, ipſe me hominem non putabo. Tu, mi Oppi, conſeruabis amorem tuum, (etſi more magis hoc quidem ſcribo, quam quo te admonendum putem) meaq. omnia tuebere: quae tibi ne ignota eſſent, Attico mandaui. A me autem, cum paullum otij nacti erimus, uberiores litteras exſpectato. Da operam, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.*

## EXPLANATIO

OPPIO} C. Oppio, Caeſaris amiciſsimo PROFECTIONIS,} in Graeciam. uide ep. 1. lib. x. & ep. 25. lib. XII. AMICISSIMVM *tuum*} C. Caeſarem: quem etiam ſecutus eſt in bello ciuili, fuitq. legatus eius in Africa. IN *magnis periculis*,} ciuili bello. DE *mea fide, & de conſtantia*,} fideliter enim, atque conſtanter te eſſe a me amatum, iudicaſti; licet diuerſarum partium fuiſſemus.

IN . EPISTOLARVM

# M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . DVODECIMVM

AD . CASSIVM . ET . ALIOS

## PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

---

## Argumentum ep.I. lib.XII.

DOLABELLAE *conſulis praeclarum facinus laudat: quaeritur, tyranno occiſo, tyrannidem tamen ſublatã non eſſe: Caſsium hortatur, ut una cum M. Bruto remp. omni perturbatione liberet. Antonio, & Dolabella cos.*

### *Cicero S. D. C. Caßio.* 1.

FINEM *nullum facio, mihi crede, Caſſi, de te, & de Bruto noſtro, id eſt de tota rep. cogitandi: cuius omnis ſpes in uobis eſt, & in D. Bruto: quam quidem iam habeo ipſe meliorem, rep. a Dolabella meo praeclariſſime geſta. manabat enim illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi, & otio diffiderem urbano: ſed ita compreſſum eſt, ut mihi uideamur omne iam ad tempus, ab illo dumtaxat ſordidiſſimo periculo, tuti futuri. reliqua magna ſunt, & multa, ſed poſita omnia in uobis. quamquam primum quidque explicemus. nam, ut adhuc quidem actum eſt, non regno; ſed rege liberati uidemur. interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur: neque uero id ſolum, ſed etiam, quae ipſe ille, ſi uiueret, non faceret, ea nos, quaſi cogitata ab illo probamus. nec eius quidem rei finem uideo. tabulae figuntur. immunitates dantur: pecuniae maximae diſcribuntur: exſules reducuntur:* S. C. *falſa referuntur: ut tantummodo odium illud hominis impuri, & ſeruitutis dolor depulſus eſſe uideatur: reſp. iacet in iјs perturbationibus, in quas eam ille coniecit. Haec omnia uobis ſunt expedienda; nec hoc cogitandum, ſatis iam habere remp. a uobis. habet illa quidem tantum, quantum numquam mihi in mentem uenit optare: ſed contenta non eſt; & pro magnitudine & animi, & beneficij ueſtri a uobis magna deſiderat. adhuc ulta ſuas iniurias eſt per*

*uos interitu tyranni: nihil amplius: ornamenta uero ſua quae recuperauit? an, quod ei mortuo paret, quem uiuum ferre non poterat? cuius aera refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? at enim ita decreuimus. fecimus id quidem temporibus cedentes, quae ualent in rep. plurimum: ſed immoderate quidam, & ingrate noſtra facilitate abutuntur. Verum haec propediem, & multa alia coram. interim uelim ſic tibi perſuadeas, mibi cum reip. quam ſemper habui cariſſimam, tum, amoris noſtri cauſſa, maximae curae eſſe tuam dignitatem. Da operam, ut ualeas.*

## EXPLANATIO

QVAM. QVIDEM} ſpem. PRAECLARISSIME *geſta.*} hoc quid ſit, ipſo
interprete Cicerone cognoſcitur. nam Phil. I. Cum ſerperet in urbe infinitum malum,
idq. manaret in dies latius, ijdemq. buſtum in foro facerent, qui illam inſepultam ſe-
pulturam effecerant; & quotidie magis magiſq. perditi homines, cum ſui ſimilibus
ſeruis, tectis, ac templis urbis minarentur: talis animaduerſio fuit cum in audaces, ſce-
leratoſq. ſeruos, tum in impuros, & nefarios liberos, taliſq. euerſio illius exſecratae
columnae, ut mihi mirum uideatur, tam ualde reliquũ tempus ab illo uno die diſſen-
ſiſſe. Et ep. 14. lib. IX. & ep. 2. lib. XI. & ad Att. ep. 15. 16. lib. XIV. Iam uero Suetonius, Plebs, inquit,
ſolidam columnam, prope uiginti pedum, lapidis Numidici, in foro ſtatuit, ſcripſitq. PARENTI
PATRIAE. apud eandem longo tempore ſacrificare, uota ſuſcipere, controuerſias quaſdam, interpo-
ſito per Caeſarem iureiurando, diſtrahere perſeuerauit. COMPRESSVM. EST,} quia dixerat,
Manabat, contrarium contrario reddidit: item ut ep. 12. ad Att. lib. III. Orationem illam ita compreſſe-
ram, ut numquam emanaturam putarẽ. Primus ego locum emendaui, ex uetere Vincentij Riccij libro: cum
in omnibus impreſsis, Compreſſa eſt, legeretur, AB *illo dumtaxat*} ſi non ab omni, ſaltem ab il-
lo periculo. SORDIDISSIMO} quod ab infima plebe, atque a ſeruis etiam impendebat bonis uiris.
PRIMVM *quidque*} tacite hortatur eos contra perturbantem remp. Antonium. quod proxime ſubie-
cta declarant. INTERFECTO *enim rege, regios omnes nutus tuemur:*} non acta modo Caeſaris, ſed
nutus etiam defendimus, ideſt ea, quae ſe facturum, leuiter, & uix oſtendit. Hoc dicit, quia, quidquid
reperiretur in Caeſaris commentarijs, id Antonius conſul, aeque ac reliqua illius acta, ratum uolebat eſſe.
Phil. I. An in commentariolis, & chirographis, & libellis, ſe uno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem,
ſed tantummodo dictis, acta Caeſaris firma erunt: quae ille in aes incidit, in quo populi iuſſa, perpetuaſq.
leges eſſe uoluit, pro nihilo habebuntur? Et Phil. 2. Quid ego de commentarijs infinitis, quid de chiro-
graphis loquar? Et Phil. 12. TABVLAE *figuntur:*} aereas tabulas in publico figebat Antonius, de-
cretum aliquod Caeſaris, aut beneficium continentes: quaſi ſcriptum id reperiſſet in Caeſaris commenta-
rijs. Phil. 5. Decreta falſa uendebat: regna, ciuitates, immunitates in aes, accepta pecunia, iubebat in-
cidi. haec ſe ex commentarijs Caeſaris, quorum ipſe auctor erat, agere dicebat. Reſtituebantur exſules
quaſi lege, ſine lege. S. C. pecunia accepta, falſa referebat. Et ad Att. ep. 12. lib. XIV. Antonius, accepta
grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei, uiuo illo,
mentio nulla. Phil. 12. DISCRIBVNTVR:} quae donentur quibus uelit Antonius, quaſi e Cae-
ſaris commentarijs: Eſt autem, Diſcribere, diuerſis diſtribuere. Sic ep. I. lib. I. ad Q. fr. Vectigal quod
ijs aequaliter Sulla diſcripſerat. In Verr. lib. V. Pro numero militum, pecuniarum ſummas diſcribere.
Et Phil. 5. Quorum bona ſtatim ſuis comitibus, compotoribuſq. diſcripſit. EXSVLES *reducuntur:*}
Phil. I. & 5. ep. 13. ad Att. lib. XIV. REFERVNTVR:} ad aerarium, Phil. 5. BENEFICII *ue-
ſtri*} quod eam tyranno liberaſtis. NIHIL *amplius:*} Modus loquendi, ut de fin. l. V. Virtutem
ipſam inchoauit: nihil amplius. & Acad. l. 2. excepit, unum tantum ſcire ſe, nihil ſe ſcire: nihil amplius.
& in Verrem lib. III. ſe ipſum abs te repetit, nihil amplius. Et in eundem lib. IV. Hactenus reprehendat
ſi quis uolet: nihil amplius. Et pro Caecina. In poſſeſsionem in praeſentia non reſtituetur; nihil amplius.
Et pro Flacco: Qua diſputatione orationem refellam eius, qui dicit, dedimus; nihil amplius. AERA}
leges aereis tabulis inciſas. ITA *decreuimus.*} decreuit ipſe in primis Cicero. nam Phil. I. Acta, in-
quit, Caeſaris ſeruanda cenſeo; non quo probem; quis enim id quidem poteſt? ſed quia rationem haben-
dam maxime arbitror pacis, & otij. TEMPORIBVS *cedentes,*} pacis, & otij cauſſa. Phil. I.
QVIDAM,} conſul Antonius.

## Argumentum ep. 2.

*INuehitur in Antonij immoderatam potentiam: reip. ſtatum deſcribit. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Caſsio.* 2.

VEHEMENTER *laetor tibi probari ſententiam & orationem meam. qua ſi ſaepius uti liceret; nihil eſſet negotij, libertatem, & remp. recuperare. ſed homo amens, & perditus, multoq. nequior, quam ille ipſe,*

*ipſe, quem tu nequiſſimum occiſum eſſe dixiſti, caedis initium quaerit: nullamq. aliam ob cauſſam me auctorem fuiſſe Caeſaris interficiendi criminatur, niſi ut in me ueterani incitentur. quod ego periculum non extimeſco, modo facti ueſtri gloriam cum mea laude communicet. ita nec Piſoni, qui in eum primus inuectus eſt, nullo aſſentiente; nec mihi, qui idem triceſimo poſt die feci, nec P. Seruilio, qui me eſt conſecutus, tuto in ſenatum uenire licet. caedem enim gladiator quaerit, eiuſq. initium ad* XIII. *Kal. Oct. a me ſe facturum putauit. at quam paratus uenerat, cum in uilla Metelli complures dies commentatus eſſet. quae autem in luſtris, & in uino commentatio potuit eſſe? itaque omnibus eſt uiſus, ut ad te antea ſcripſi, ſuo more uomere, non dicere. Quare quod ſcribis te confidere, auctoritate, & eloquentia noſtra aliquid profici poſſe: non nihil, ut in tantis malis, eſt profectum. intelligit enim populus R. tres eſſe conſulares qui quia, quae de rep. bene ſenſerint, libere locuti ſunt, tuto in ſenatum uenire non poſſint. nec eſt praeterea, quod quidquam exſpectes; tuus enim neceſſarius affinitate noua delectatur: itaque iam non eſt ſtudioſus ludorum; infinitoq. fratris tui plauſu dirumpitur. alter item affinis nouis commentarijs Caeſaris delenitus eſt. Sed haec tolerabilia: illud non ferendum, quod eſt, qui ueſtro anno conſulem filium ſuum futurum putet, ob eamq. cauſſam ſe huic latroni deſeruire praeſeferat. nam L. Cotta, familiaris meus, fatali quadam deſperatione, ut ait, minus in ſenatum uenit. L. Caeſar, optimus, & fortiſſimus ciuis, ualetudine impeditur. Ser. Sulpicius, & ſumma auctoritate, & optime ſentiens, non adeſt. reliquos, exceptis deſignatis, ignoſce mihi ſi non numero conſulares. Habes auctores conſilij publici. qui numerus etiam bonis rebus exiguus eſſet, quid cenſes, perditis? quare ſpes eſt omnis in uobis, qui ſi iccirco abeſtis, ut ſitis in tuto: ne in uobis quidem. ſin aliquid dignum ueſtra gloria cogitatis: uelim, ſaluis nobis: ſin id minus, res tamen publica per uos breui tempore ius ſuum recuperabit. Ego tuis neque deſum, neque deero: qui ſiue ad me referent, ſiue non; mea tibi tamen beneuolentia, fideſq. praeſtabitur. Vale.*

## EXPLANATIO

ORATIONEM *meam*.} ſecundam in Antonium, quae exſtat. QVA *ſi ſaepius uti liceret*;} ſi liceret in ſenatu libere loqui. ep. 2. lib. x. HOMO *amens*,} M. Antonius. QVAM *ille ipſe*,} quã C. Caeſar. ME *auctorem fuiſſe Caeſaris interficiendi*} epiſt. ſequ. Veſtri pulcherrimi facti ille furioſus me principem dicit fuiſſe. Et Philipp. 2. Haec uetera, illud uero recens, Caeſarem meo conſilio interfectum. PISONI,} L. Calpurnio Piſoni, C. Caeſaris ſocero. QVI *in eum primus inuectus eſt, nullo aſſentiente*;} Philipp. 1. Ex quo primum cognoui, quae Kalendis Sext. in ſenatu fuiſſet L. Piſonis oratio: qui quamquam parum erat, a quibus debuerat, adiutus; tamen & Bruti teſtimonio, quo quid poteſt eſſe grauius? & omnium praedicatione, quos poſtea uidi, magnam mihi uidebatur gloriam conſecutus. & Philip. 5. Homo amens, qui hanc conſuetudinem libere dicendi excluderet, (fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piſo, XXX. diebus ante) inimicitias mihi denunciauit. P. SERVILIO,} Iſaurici filio, qui conſul fuerat cum C. Caeſare. TVTO} uide ep. 2. lib. x. GLADIATOR} gladiatori ſimilis, in caedibus hominum exercitato. Philip. 7. Quem gladiatorem non ita appellaui, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari ſolet, ſed ut appellant ij, qui plane, & Latine loquuntur. AD. XIII. *Kal. Oct.*} Tota res ita ſe habet. Cum Cicero, poſt interitum Caeſaris, primum deſperata rep. in Graeciam abire cogitaſſet; deinde, allata ſpe quadam libertatis, & otij, mutato conſilio ad urbem reuertiſſet; M. Antonius conſul Kalend. Sept. de ſupplicationibus relaturus, eum de more in ſenatum uocauit. Cicero miſit, qui ſe excuſarent, quod de uia langueret. ille iratus, fabros ſe miſſurum, & domum illius diſturbaturum eſſe, audiente ſenatu, dixit. uenit Cicero poſttridie in ſenatum, ideſt, IV. non. Sept. & locutus eſt, abſente Antonio, de rep. liberius, quam pericula, minaeq. poſtulabant: eaq. nunc exſtat oratio, Philippicarum prima. Tum Antonius, furore percitus, adeſſe eum iuſsit in ſenatu ad XIII. Kal. Oct. ipſe interea totum illud ſpatium, quod eſt a quarto non. Sept. ad XIII. Kal. Oct. commentatus eſt in Tiburtino Metelli, quae contra Ciceronem diceret. eo die in ſenatum, diſſuadentibus amicis, Cicero non uenit; ſed mox accurate ſcripta oratione reſpondit, quae inter Philippicas ſecunda legitur. eſt autem ita ſcripta, quaſi praeſens praeſenti Antonio eodem die reſponderit. quod ex eo conſtat, quia XIII. Kal. Oct. inuectus eſt in Ciceronem Antonius, & eodẽ die habitam eſſe Philippicam ſecundam, fingit Cicero, cum ait in ea: Neſcis heri, quartum in circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? Nam qui dies quartum diem ludorũ Romanorum proxime ſequitur, eſt. XIII. Kal. Oct. ut ex marmoreis antiquorum dierum faſtis, quod Kalendarium uocant, intelligitur. Ac nequis in dubium uocet, quod ſcriptam eſſe dixi, non habitam: probabo ipſo teſte, non fuiſſe illum eo die in ſenatu, metu armorum Antonij: ſic enim inquit in Philippica v. Cum is dies, quo me adeſſe iuſſerat, ueniſſet; tum uero agmine quadrato in aedem Concordiae uenit, atque in me abſentem orationem ex ore impuriſsimo euomuit. quo die ſi per amicos mihi cupienti, in ſenatum uenire licuiſſet; caedis initium feciſſet a me: ſic enim ſtatuerat. Et in hac ipſa epiſtola, cum ait: Tuto in ſenatum uenire mihi non licet: Caedem enim gladiator quaerit, eiuſq. initium ad XIII. Kal. Oct. a me ſe facturum putauit: nonne ſe non fuiſſe in ſenatu eo die, ſignificat? Scriptam etiam, ut dixi, non habitam ſecundam Philippicam, indicant illa ad Att. ep. 10. lib. XVI. Vtinam eum diem uideam, cum iſta oratio libere uagetur. nam ſi ſcriptam edere non audebat: multo minus, ipſo praeſente Antonio, eam habere auſus eſſet. loquitur enim eo loco de ſecunda Philippica: ut in Commentarijs docuimus. PVTAVIT.} cum ſperaret, eo die me in ſenatum eſſe uenturum. AT QVAM *paratus uenerat*,} Libri ueteres, Ad quem; quod ſi probamus, ita dictum uidebitur, quod eum Antonius in ſenatu affuturum putaret: ut ſit; uenerat ad me paratus: ideſt, ut in me diceret ea, quae com-

plures

plures dies commentatus erat. Malo tamen, At quam: quod alij excogitarunt. IN . VILLA } Tibur-
tina. Philipp.5. quam Antonius occupauerat.Phil.2. METELLI } quae fuerat Metelli Scipionis, ſo-
ceri Pompeij Magni. Hic modo, ueterę cognomine, Scipio, quia Corneliae gentis erat, appellabatur, ut
Phil.2.& 5. & alibi: modo, Metellus, accepto cognomine a Q. Metello Pio, Numidici filio, qui eum ado-
ptauerat, ut ſcripſit Dio: interdum, utroque cognomine, Scipio Metellus, ut ep.1. lib.VI. ad Att.& in S.C.
in ep. Coelij lib.IIX. COMPLVRES *dies* } dies ſeptemdecim. uide Philip.5. COMMENTATVS
*eſſet.* } declamando. nam in Philipp. 5. Septemdecim, inquit, dies de me in Tiburtino Scipionis de-
clamitauit, ſitim quaerens: haec enim ei cauſſa eſſe declamandi ſolet. SVO *more* } nam & antea, uiuo
Caeſare, uomuerat in conſpectu populi Romani. Phil. 2. VOMERE, } ep. 25. Sic ſum in Antonium
inuectus, ut ille non ferret, omnemq. ſuum uinolentum furorem in me unum effunderet. TRES *eſſe con-
ſulares,* } L.Piſonem, qui primus, Ciceronē, qui ſecundus, P. Seruilium, qui tertius in Antonium eſt inue-
ctus. NEC . EST *praeterea, quod quidquam exſpectes.* } praeter hoc, quod profectum eſſe dixi; non eſt
quod quidquam exſpectes de cuiuſquam officijs erga remp. nam Lepidus, tuus neceſſarius, affinitate noua
delectatur: alter affinis nouis commentarijs Caeſaris delenitus eſt: L.Cotta minus in ſenatum uenit: L.Cae
ſar ualetudine impeditur: Ser. Sulpicius non adeſt: quare ſpes omnis eſt in uobis. TVVS *enim neceſſa-
rius* } M.Lepidus; qui ſororem M. Bruti unam habebat in matrimonio, alteram C. Caſsius. AFFI-
NITATE *noua* } M. Antonij: cuius filiam Lepidi filius uxorem duxerat. Dio lib.XLIV. LVDORVM; }
quia ludis Appollinaribus, quos praetor urbanus M. Brutus de more dederat, plaudi a populo uiderat L.
Caſsio tribuno pl. fratri C. Caſsij, propterea ludos non amplius amabat. FRATRIS *tui* } qui fratri
tuo datus eſt, ep. 2. ad Att. lib. XIV. Plauſus L. Caſsio datus etiam facetus mihi quidem uiſus eſt. DI-
RVMPITVR. } inuidia. ALTER *item affinis* } huius nomen ignoratur. NOVIS *commenta-
rijs Caeſaris* } nuper a M. Antonio prolatis. DELENITVS *eſt.* } accepta ab Antonio pecunia, tam-
quam e Caeſaris commentarijs. SED *haec tolerabilia: illud non ferendum,* } uenuſtus tranſitus ad aliam
ſententiam. Sic Philip. 2. Sed haec uetera, illud uero recens, Caeſarem meo conſilio interfectum. Figura
ſimilis ep.10.lib.III. Atque haec domeſtica: quid illa tandem popularia? VESTRO *anno* } anno uo-
bis deſtinato: poſt biennium: nam hoc anno praeturam gerebant Brutus, & Caſsius: & praeturam conſu-
latus, interpoſito biennio, ſequebatur. L. COTTA, } Aureliae gentis, qui conſul biennio ante Cicero-
nem fuerat. L. CAESAR, } auunculus M. Antonij. ep.5. ep.14. lib. IX. OPTIMVS *& fortiſſimus
ciuis* } ſic eum appellat orat. 4. in Catil. L. Caeſar, uir fortiſsimus, & amantiſsimus reip. ſororis ſuae ui-
rum, praeſentem, & audientem, uita priuandum eſſe dixit. DESIGNATIS, } conſulibus, Hirtio,
& Panſa. AVCTORES *conſilij publici.* } quorum auctoritate, & conſilio reſp. nititur. SALVIS
*nobis:* } ideſt, ne ante ueſtrum aduentum opprimamur. quod ita contigit. IVS *ſuum recuperabit.* } ſic
octo mei ueteres libri: recte: ut bene ominetur de Caſsio, & Bruto; uel ſi in Italia res male ſuccedat. ad Att.
ep.13. lib. XV. Videtur reſp. ius ſuum recuperatura. SIVE *non;* } hoc in uno tantum eſt uetere libro, a
reliquis abeſt. in tribus etiam hoc modo legitur: Qui ſi non ad me referent, mea tibi tamen beneuolentia,
fideſq. praeſtabitur. quod minime diſplicet. in tribus, Qui ſe nę ad me referent, mea tibi &c.

# Argumentum ep. 3.

*IN Antonium, eiuſq. ſectam inuehitur. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Caßio.* 3.

AVGET *tuus amicus furorem in dies. primum in ſtatua, quam poſuit in Roſtris, inſcripſit,* PARENTI . OPTIME . MERITO; *ut non modo ſicarij, ſed iam etiam parricidae iudicemini: quid dico, iudicemini? iudicemur potius: ueſtri enim pulcherrimi facti ille furioſus me principem dicit fuiſſe. utinam quidem fuiſſem: moleſtus nobis nō eſſet. ſed hoc ueſtrum fuit: quod quando praeterijt; utinam haberem, quid darem uobis conſilij. ſed ne mihi quidem ipſi, reperio, quid faciundum ſit.* QVID *enim eſt, quod contra uim ſine ui fieri poſſit? conſilium autem omne hoc eſt illorum, ut mortem Caeſaris perſequantur. itaque ante diem* VI. *non Oct. productus in concionem a Canutio, turpiſſime ille quidem diſceſſit, ſed tamen ea dixit de conſeruatoribus patriae, quae dici deberent de proditoribus: de me quidem non dubitanter, quin omnia de meo conſilio & uos feciſſetis, & Canutius faceret. cetera cuiuſmodi ſint, ex hoc iudica, quod legato tuo uiaticum eripuerūt. quid eos interpretari putas, cum hoc faciunt? ad hoſtem ſcilicet portari. o rem miſeram: dominum ferre non potuimus; conſeruo ſeruimus. & tamen, me quidem fauente magis, quam ſperante, etiam nunc reſidet ſpes in uirtute tua. ſed ubi ſunt copiae? de reliquo, malo te ipſum loqui tecum, quam dicta noſtra cognoſcere. Vale.*

## EXPLANATIO

TVVS *amicus* } Antonius. IN . STATVA, } C. Caeſaris. ME . PRINCIPEM } ep. 2. MOLESTVS *nobis non eſſet.* } nam illum cum Caeſare, impulſu meo, occidiſſetis. ep. ſeq. & ep. 28.

ep.28. lib. x. MORTEM *Caeſaris perſequantur.*} ulciſcantur interfectores Caeſaris. PRODVCTVS *in concionem*} Antonius. CANVTIO} Ti. Canutio, tribuno pl. quem poſtea necauit Octauianus. Velleius lib. 2. Suetonius de claris Rhet. Dio lib. XLIIX. TVRPISSIME} uexatus a Canutio. DE VOBIS} uide ep. 23. LEGATO *tuo*} erat enim Caſsius Syriae proconſul. VIATICVM} de publico dari ſolitum. DOMINVM} Caeſarem. CONSERVO} Antonio. LOQVI *tecum*,} conſilium capere a te ipſo. ep. 7. lib. 2. Tecum loquere; te adhibe in conſilium.

# Argumentum ep. 4.

*VAria complectitur haec epiſtola, de Antonij nequitia, de ſenatu, de populo, de legatis ad Antonium miſsis, de ipſo Caſsio. Hirtio, & Panſa cos.*

## *Cicero S. D. Caſsio.* 4.

VELLEM *idibus Mart. me ad cenam inuitaſſes: reliquiarum nihil fuiſſet, nunc me reliquiae ueſtrae exercent, & quidem praeter ceteros me. quamquam egregios conſules habemus, ſed turpiſſimos conſulares; ſenatum fortem, ſed infimo quemque honore fortiſſimum; populo uero nihil fortius, nihil melius, Italiaq. uniuerſa. nihil autem foedius Philippo, & Piſone legatis, nihil flagitioſius: qui cum eſſent miſſi, ut Antonio ex ſenatus ſententia certas res renunciarent, cum ille earum rerum nulli paruiſſet, ultro ab illo ad nos intolerabilia poſtulata retulerunt. itaque ad nos concurritur: factiq. iam in re ſalutari populares ſumus. Sed, tu quid ageres, quid acturus, ubi denique eſſes, neſciebam, fama nunciabat te eſſe in Syria: auctor erat nemo. De Bruto, quo propius eſt, eo firmiora uidentur eſſe, quae nunciantur. Dolabella ualde uituperabatur ab hominibus non inſulſis, quod tibi tam cito ſuccederet, cum tu uixdum triginta dies in Syria fuiſſes. itaque conſtabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus & tua, & Bruti eſt, quod exercitum praeter ſpem exiſtimamini comparaſſe. Scriberem plura, ſi rem, cauſſamq. noſſem: nunc quae ſcribo, ſcribo ex opinione hominum, atque fama. tuas litteras auide exſpecto. Vale.*

## EXPLANATIO

AD CENAM} ad Caeſarem occidendum. Simul enim Antonium occidiſſemus. ep. 28. lib. x. TVRPISSIMOS *conſulares*;} ep. 5. PHILIPPO, *& Piſone*} L. Marcio Philippo, uitrico Octauiani, & L. Calpurnio Piſone, qui ſocer C. Caeſaris fuerat. CERTAS *res*} quarum ſumma, ut Mutinae obſidionem relinqueret: alioqui paratum illi exitium. Phil. 7. INTOLERABILIA *poſtulata*} haec Antonij mandata cognoſcuntur ex Phil. 8. Haec tu, inquit, mandata L. Piſo, & tu L. Philippe, principes ciuitatis, non dico animo ferre, uerum auribus accipere potuiſtis? IN RE *ſalutari populares*} multi enim in re perniciosa populares, ut duo Gracchi, P. Clodius, C. Caeſar. DE BRVTO,} Marco. PROPIOR,} quam tu. Brutus etiam in Macedonia. VITVPERABATVR *ab hominibus non inſulſis, quod tibi tam cito ſuccederet cum tu uixdum triginta dies in Syria fuiſſes.*} Iocus eſt elegans in his uerbis. nam ſenatus ademptam Dolabellae Syriam Caſsio dederat. Dolabella uero ita in Syriam iuerat, quaſi Caſsio legitime ſucceſſurus. qua de re non inſulſi, nec infaceti homines, nimium cito Dolabellam Caſsio ſuccedere, cauillabantur: itaque recipiendum omnino non eſſe, quoniam legitimum tempus, quo Caſsius decedere deberet, exſpectare noluiſſet. CONSTABAT,} ideo conſtabat, eum recipi non oportere, quia tam cito ſuccederet. Iocus: non enim ſuccedere Dolabellam Caſsio ſenatus uoluerat, ſed potius ereptam Dolabellae Syriam Caſsio tradiderat. EXISTIMAMINI} nondum enim plane certum erat: quod & ſequentia declarant. REM, *cauſſamq.*} uniuerſum rerum tuarum ſtatum. In quo differant res, & cauſſa, diximus ep. 1. lib. 1. QVAE *ſcribo*,} te eſſe in Syria, & exercitum habere.

# Argumentum ep. 5.

*M. Brutum laudat, ut ad eius imitationem Caſsium accendat: addit de Mutinenſi bello, de ſtatu reip. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Caſsio.* 5.

HIEMEM *credo adhuc prohibuiſſe, quo minus de te certum haberemus, quid ageres, maximeq. ubi eſſes. loquebantur omnes tamen, credo quod uolebant in Syria te eſſe, habere copias. id autem eo facilius credebatur,*

*batur, quia ſimile uero uidebatur. Brutus quidem noſter egregiam laudem eſt conſecutus. res enim tantas geſſit, tamq. inopinatas, ut eae cum per ſe gratae eſſent, tum gratiores propter celeritatem. quod ſi tu ea tenes, quae putamus: magnis ſubſidijs fulta reſp. eſt. a prima enim ora Graeciae uſque ad Aegyptum optimorum ciuium imperijs muniti erimus, & copijs. quamquam, niſi me fallebat, res ſic ſe habebat, ut totius belli omne diſcrimen in D. Bruto poſitum uideretur: qui ſi, ut ſperabamus, erupiſſet Mutina; nihil belli reliquum fore uidebatur. paruis omnino iam copijs obſidebatur; quod magno praeſidio Bononiam tenebat Antonius. erat autem Claternae noſter Hirtius, ad Forum Cornelium Caeſar, uterque cum firmo exercitu: magnasq. Romae Panſa copias ex delectu Italiae compararat. hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil niſi conſiderate, ut mihi crebris litteris ſignificat, acturus uidebatur. praeter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus ſtudioſiſſimam reip. tuos etiam clientes tranſpadanos mirifice coniunctos cum cauſſa habebamus. erat firmiſſimus ſenatus, exceptis conſularibus: ex quibus unus L. Caeſar firmus eſt, & rectus. Ser. Sulpicij morte magnum praeſidium amiſimus. reliqui partim inertes, partim improbi. nonnulli inuident eorum laudi, quos in rep. probari uident. populi uero R. totiusq. Italiae mira conſenſio eſt. Haec erant fere, quae tibi nota eſſe uellem. nunc autem opto, ut ab iſtis orientis partibus uirtutis tuae lumen eluceat. Vale.*

## EXPLANATIO

RES *tantas geſſit,*} Vt omittam Plutarchi, Appiani, Dionis teſtimonia, cognoſcuntur ex Phil. 10. res a M. Bruto geſtae: quarum cauſſa in S. C. laudatus eſt his uerbis: quod eius opera, conſilio, induſtria, uirtute, difficillimo reip. tempore, prouincia Macedonia, Illyricum, cuncta Graecia, legiones, exercitus, equitatus in conſulum, ſenatus, populiq. R. poteſtate eſſent. A. PRIMA *euim ora Greaciae*} quam tenebat Brutus. VSQVE *ad Aegyptum*} quam partem Caſsius in poteſtate reip. continebat. Phil. 10. Exterae nationes a prima ora Graeciae uſque ad Aegyptum optimorum ciuium imperijs muniti erimus, & copijs. ERVPISSET} erupit, & uicit. ep. 14. lib. XI. CLATERNAE} Cliternam uocant Plinius & Strabo, Claternam idem Cicero Phil. 8. inde Hirtius Antonij praeſidium deiecit. FORVM *Cornelium*} quae poſtea Longobardorum temporibus Imola uocata. EXCEPTIS *conſularibus:*} ep. 4. L. CAESAR} ep. 2. & ep. 28. lib. x. MORTE} miſſus a ſenatu ad Antonium, Mutinam obſidentem, in legatione perijt: ſenatuſq. ſtatuam ei pedeſtrem aeneam in Roſtris collocandam, ipſum quam ampliſsime ſupremo die ſuo efferendum, ſepulcrum in campo Eſquilino publice dandum, e Ciceronis ſententia decreuit. Phil. 9. POPVLI *uero R.*} ep. 4. AB. ISTIS *Orientis partibus uirtutis tuae lumen eluceat.*} cum quodam lepore dictum: ut quaſi comparetur ſoli uirtus Caſsij. unde, inquit, ſol terras illuſtrat, inde fac ut eluceat uirtus tua.

---

# Argumentum ep. 6.

*STrabonem ita commendat, ut quaſi aliud agere uideatur. in Caſsio, & M. Bruto, ſi res ad Mutinam male geratur, ſpem omnem reip. ſitam eſſe dicit. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Caſsio.* 6.

*QVI ſtatus rerum fuerit tum, cum has litteras dedi, ſcire poteris ex C. Tidio Strabone, uiro bono, & optime de rep. ſentiente: nam quid dicam, cupidiſſimo tui, qui, domo, & fortunis relictis, ad te potiſſimum profectus ſit? itaque eum tibi ne commendo quidem. aduentus ipſius ad te ſatis eum commendabit. Tu uelim ſic exiſtimes, tibiq. perſuadeas, omne perfugium bonorum in te, & Bruto eſſe poſitum, ſi, quod nolim, aduerſi quid euenerit. res, cum haec ſcribebam, erat in extremum deducta diſcrimen. Brutus enim Mutinae uix iam ſuſtinebat. qui ſi conſeruatus erit; uicimus; ſin; (quod dij omen auertant) omnis omnium curſus eſt ad uos. proinde fac tantum animum habeas, tantumq. apparatum, quanto opus eſt ad uniuerſam remp. recuperandam. Vale.*

## EXPLANATIO

TIDIO *Strabone,*} malim, Titio: cum Titij noti ſint, Tidios autem ego quidem ignorem. & ep. 14. lib. XIII. Titius Strabo nominatur. SI. ADVERSI *quid euenerit.*} ſi quid offenſum ſit.} VIX *iam ſuſtinebat.*} uix ferebat obſidionem, omnium paene rerum inopia laborans. Hoc eſt, quod ad M. Brutum ſcripſit. Res exiſtimabatur in extremum adducta diſcrimen. triſtes enim de Bruto noſtro litterae nuntijq. afferebantur. QVI, SI *conſeruatus erit; uicimus:*} eodem modo ep. 20. lib. XIV. ad Att. Cui ſi

eſſe

eſſe in urbe tuto licebit; uicimus. SIN; } ominis cauſſa mentionem uitat aduerſae fortunae. Eadem figura, quae *ἀποσιώπησις* Graece dicta, ep. 3. lib. XIV. Si perficitis, quod agitis; me ad uos uenire oportet. Sin autem: ſed nihil eſt opus reliqua ſcribere. Et ep. 12. lib. XVI. ad Att. Si pares aeque inter ſe, quieſcendũ: ſin, latius manabit. Et apud obſceni carminis poetam: Sin; haec mei te uentris arma laxabant. OMNIS *omnium curſus eſt ad uos.* } Si offenſum eſſet in proelio Mutinenſi; ciuitas omnis, Antonij metu, in Graeciam ad M. Brutum confugiſſet. id quod ad ipſum Brutum Cicero ſcripſit his uerbis: Triduo, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam perculſa ciuitas, tota ad te ſe cum coniugibus, & liberis effundebat.

---

# Argumentum ep. 7.

*SEntentiam ab ſe in ſenatu ex Caſsij dignitate dictam, eamq. a ſe in concione defenſam, oſtendit. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Caſsio.* 7.

QVANTO *ſtudio dignitatem tuam & in ſenatu, & ad populum defenderim, ex tuis te malo, quam ex me, cognoſcere. quae mea ſententia in ſenatu facile ualuiſſet, niſi Panſa uehementer obſtitiſſet. ea ſententia dicta, productus ſum in concionem a tribuno pl. M. Seruilio. dixi de te quae potui, tanta contentione, quantum forum eſt; tanto clamore, conſenſuq. populi, ut nihil umquam ſimile uiderim. id uelim mihi ignoſcas, quod inuita ſocru tua fecerim. mulier timida uerebatur, ne Panſae animus offenderetur. in concione quidem Panſa dixit, matrem quoque tuam, & fratrem illam a me ſententiam noluiſſe dici, ſed me haec non mouebant: alia malebam: fauebam & reip. cui ſemper faui, & dignitati, ac gloriae tuae. Quod autem & in ſenatu pluribus uerbis diſſerui, & dixi in concione, in eo uelim fidem meam liberes. promiſi enim, & prope confirmaui, te non exſpectaſſe, nec exſpectaturum decreta noſtra. ſed te ipſum tuo more remp. defenſurum. & quamquam nihil dum audieramus, nec ubi eſſes, nec quas copias haberes: tamen ſic ſtatuebam, omnes, quae in iſtis partibus eſſent, opes, copiasq. tuas eſſe: per teq. Aſiam prouinciam confidebam iam reip. recuperatam. Tu fac in augenda gloria te ipſum uincas. Vale.*

### EXPLANATIO

IN. SENATV, } cum habuit Phil. XI. AD. POPVLVM } quae concio non exſtat. QVAE *mea ſententia* } ut Caſsius obtineret Syriam. PANSA } conſul. OBSTITISSET. } cum illam ſententiam ualere mallet, ut conſules, ideſt ipſe, & Hirtius, perſequendi Dolabellae cauſſa, Aſiam, & Syriam ſortirentur. Phil. XI. QVANTVM *forum eſt;* } quanta requiritur in foro, quantam fori magnitudo poſtulat. SOCRV *tua* } Seruilia, Catonis Vticenſis ſorore, matre M. Bruti, & Tertullae, uxoris Caſsij. FRATREM } L. Caſsium. ep. 2. FIDEM *meam liberes.* } quod ego promiſi, tu re ipſa praeſtes. RECVPERATAM. } eam enim Dolabella, occiſo per fraudem Proconſule Trebonio, inuaſerat, & occupauerat.

---

# Argumentum ep. 8.

*REnouatum eſſe Lepidi ſcelere bellum queritur: Caſsium hortatur ad remp. liberandam. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Caſsio.* 8.

SCELVS *affinis tui Lepidi, ſummamq. leuitatem, & inconſtantiam, ex actis, quae ad te mitti certo ſcio, cognoſſe te arbitror. itaque nos, confecto bello, ut arbitrabamur, renouatum bellum gerimus: ſpemq. omnes in D. Bruto, & Planco habemus: ſi uerum quaeris, in te, & in meo Bruto non ſolum ad praeſens perfugium, ſi, quod nolim, aduerſi quid acciderit, ſed etiam ad confirmationem perpetuae libertatis. Nos hic de Dolabella audiebamus, quae uellemus: ſed certos auctores non habebamus. te quidem magnum hominem & praeſenti iudicio, & reliqui temporis exſpectatione ſcito eſſe. hoc tibi propoſito, fac ut ad ſumma contendas. nihil eſt tantum, quod non populus R. a te perfici, atque obtineri poſſe iudicet. Vale.*

## EXPLANATIO

SCELVS} quia ſe cum Antonio coniunxerat. AFFINIS *tui*} ep.2. CONFECTO *bello*,} uicto ad Mutinam Antonio. AVDIEBAMVS, *quae uellemus*:} oppreſſum a te. ep.9. HOC *tibi propoſito, fac ut ad ſumma contendas.*} laudationem ſequitur cohortatio. ep.21. lib. xv.

# Argumentum ep. 9.

*EIuſdem argumenti cum ſuperiore: hoc amplius, quod in Italiam Caſſium uocat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Caſſio.* 9.

BREVITAS *tuarum litterarum me quoque breuiorem in ſcribendo facit: & , uere ut dicam, non ſatis occurrit, quod ſcribam. noſtras enim res in actis perferri ad te certo ſcio: tuas autem ignoramus. tamquam enim clauſa ſit Aſia, ſic nihil perfertur ad nos, praeter rumores de oppreſſo Dolabella, ſatis illos quidem conſtantes, ſed adhuc ſine auctore. Nos confectum bellum cum putaremus, repente a Lepido tuo in ſummam ſollicitudinem adducti ſumus. itaque perſuade tibi, maximam reip. ſpem in te, & in tuis copijs eſſe. firmos omnino exercitus habemus: ſed tamen, ut omnia, ut ſpero, proſpere procedant, multum intereſt te uenire. exigua eſt enim ſpes reip. nam nullam non libet dicere: ſed, quaecumque eſt, ea deſpondetur anno conſulatus tui. Vale.*

## EXPLANATIO

LEPIDO *tuo*} affine. FIRMOS *exercitus*} D. Bruti, & Planci. MVLTVM *intereſt*} ep.10. VENIRE.} in Italiam. DESPONDETVR} promittitur. CONSVLATVS *tui*,} & M. Bruti. eodem enim anno conſules futuri erant. ep.2. Anno ueſtro dixit.

# Argumentum ep. 10.

*ET lepidum hoſtem a ſenatu iudicatum ſcribit, & omnino rem poſcere, ut Caſſius cum exercitu in Italiam ueniat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Caſſio.* 10.

LEPIDVS, *tuus affinis, meus familiaris, pridie Kal. Quinct. ſententijs omnibus hoſtis a ſenatu iudicatus eſt, ceteriq. qui una cum illo a rep. defecerunt, quibus tamen ad ſanitatem redeundi ante Kal. Sept. poteſtas facta eſt. fortis ſane ſenatus, ſed maxime ſpe ſubſidij tui. bellum quidem, cum haec ſcribebam, ſane magnum erat ſcelere, & leuitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie, quae uolumus, audimus, ſed adhuc ſine capite, ſine auctore, rumore nuncio. quod cum ita eſſet, tamen litteris tuis, quas nonis Maij ex caſtris datas acceperamus, ita perſuaſum erat ciuitati, ut illum iam oppreſſum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam uenire cum exercitu: ut, ſi haec ex ſententia confecta eſſent. conſilio, atque auctoritate tua; ſin quid forte titubatum eſſet, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. quem quidem ego exercitum quibuſcumque potero rebus ornabo. cuius rei tum tempus erit, cum, quid opis reip. laturus exercitus ſit, aut quid iam tulerit, notum eſſe coeperit. nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi illi quidem, & praeclariſſimi, ſed geſta res exſpectatur: quam quidem aut iam eſſe aliquam, aut appropinquare confido. tua uirtute, & magnitudine animi nihil eſt nobilius. itaque optamus, ut quamprimum te in Italia uideamus. remp. nos habere arbitrabimur, ſi uos habebimus. praeclare uiceramus, niſi ſpoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepiſſet Antonium. itaque numquam tanto odio ciuitati Antonius fuit, quanto eſt Lepidus. ille enim ex turbulenta rep. hic ex pace, & uictoria bellum excitauit. huic oppoſitos conſules deſignatos habemus; in quibus eſt magna illa quidem ſpes, ſed anceps cura propter incertos exitus proeliorum. perſuade tibi igitur, in te, & in Bruto tuo eſſe omnia, uos exſpectari, Brutum quidem iam iamq. quod ſi, ut ſpero, uictis hoſtibus noſtris, ueneritis: tamen auctoritate ueſtra reſp. exſurget, & in aliquo ſtatu tolerabili conſiſtet. ſunt enim permulta, quibus erit medendum, etiam ſi reſp. ſatis eſſe uidebitur ſceleribus hoſtium liberata. Vale.*

EXPLA-

eſſe in urbe tuto licebit; uicimus. SIN; } ominis cauſſa mentionem uitat aduerſae fortunae. Eadem figura, quae ἀποσιώπησις Graece dicta, ep. 3. lib. XIV. Si perficitis, quod agitis; me ad uos uenire oportet. Sin autem: ſed nihil eſt opus reliqua ſcribere. Et ep. 12. lib. XVI. ad Att. Si pares aeque inter ſe, quieſcendũ: ſin, latius manabit. Et apud obſceni carminis poetam: Sin; haec mei te uentris arma laxabant. OMNIS *omnium curſus eſt ad uos.* } Si offenſum eſſet in proelio Mutinenſi; ciuitas omnis, Antonij metu, in Graeciam ad M. Brutum confugiſſet. id quod ad ipſum Brutum Cicero ſcripſit his uerbis: Triduo, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam perculſa ciuitas, tota ad te ſe cum coniugibus, & liberis effundebat.

---

## Argumentum ep. 7.

*SEntentiam ab ſe in ſenatu ex Caſsij dignitate dictam, eamq. a ſe in concione defenſam, oſtendit. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Caſsio. 7.*

QVANTO *ſtudio dignitatem tuam & in ſenatu, & ad populum defenderim, ex tuis te malo, quam ex me, cognoſcere. quae mea ſententia in ſenatu facile ualuiſſet, niſi Panſa uehementer obſtitiſſet. ea ſententia dicta, productus ſum in concionem a tribuno pl. M. Seruilio. dixi de te quae potui, tanta contentione, quantum forum eſt; tanto clamore, conſenſuq. populi, ut nihil umquam ſimile uiderim. id uelim mihi ignoſcas, quod inuita ſocru tua fecerim. mulier timida uerebatur, ne Panſae animus offenderetur. in concione quidem Panſa dixit, matrem quoque tuam, & fratrem illam a me ſententiam noluiſſe dici, ſed me haec non mouebant: alia malebam: fauebam & reip. cui ſemper faui, & dignitati, ac gloriae tuae. Quod autem & in ſenatu pluribus uerbis diſſerui, & dixi in concione, in eo uelim fidem meam liberes. promiſi enim, & prope confirmaui, te non exſpectaſſe, nec exſpectaturum decreta noſtra. ſed te ipſum tuo more remp. defenſurum. & quamquam nihil dum audieramus, nec ubi eſſes, nec quas copias haberes: tamen ſic ſtatuebam, omnes, quae in iſtis partibus eſſent, opes, copiasq. tuas eſſe: per teq. Aſiam prouinciam confidebam iam reip. recuperatam. Tu fac in augenda gloria te ipſum uincas. Vale.*

### EXPLANATIO

IN. SENATV, } cum habuit Phil. XI. AD. POPVLVM } quae concio non exſtat. QVAE *mea ſententia* } ut Caſsius obtineret Syriam. PANSA } conſul. OBSTITISSET. } cum illam ſententiam ualere mallet, ut conſules, ideſt ipſe, & Hirtius, perſequendi Dolabellae cauſſa, Aſiam, & Syriam ſortirentur. Phil. XI. QVANTVM *forum eſt;* } quanta requiritur in foro, quantam fori magnitudo poſtulat. SOCRV *tua* } Seruilia, Catonis Vticenſis ſorore, matre M. Bruti, & Tertullae, uxoris Caſsij. FRATREM } L. Caſsium. ep. 2. FIDEM *meam liberes.* } quod ego promiſi, tu re ipſa praeſtes. RECVPERATAM. } eam enim Dolabella, occiſo per fraudem Proconſule Trebonio, inuaſerat, & occupauerat.

---

## Argumentum ep. 8.

*REnouatum eſſe Lepidi ſcelere bellum queritur: Caſsium hortatur ad remp. liberandam. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Caſsio. 8.*

SCELVS *affinis tui Lepidi, ſummamq. leuitatem, & inconſtantiam, ex actis, quae ad te mitti certo ſcio, cognoſſe te arbitror. itaque nos, confecto bello, ut arbitrabamur, renouatum bellum gerimus: ſpemq. omnes in D. Bruto, & Planco habemus: ſi uerum quaeris, in te, & in meo Bruto non ſolum ad praeſens perfugium, ſi, quod nolim, aduerſi quid acciderit, ſed etiam ad confirmationem perpetuae libertatis. Nos hic de Dolabella audiebamus, quae uellemus: ſed certos auctores non habebamus. te quidem magnum hominem & praeſenti iudicio, & reliqui temporis exſpectatione ſcito eſſe. hoc tibi propoſito, fac ut ad ſumma contendas. nihil eſt tantum, quod non populus R. a te perfici, atque obtineri poſſe iudicet. Vale.*

## EXPLANATIO

SCELVS} quia ſe cum Antonio coniunxerat. AFFINIS *tui*} ep.2. CONFECTO *bello*,} uicto ad Mutinam Antonio. AVDIEBAMVS, *quae uellemus*:} oppreſſum a te. ep.9. HOC *tibi propoſito, fac ut ad ſumma contendas.*} laudationem ſequitur cohortatio. ep.21. lib. xv.

# Argumentum ep. 9.

*EIuſdem argumenti cum ſuperiore: hoc amplius, quod in Italiam Caſſium uocat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Caſſio.* 9.

BREVITAS *tuarum litterarum me quoque breuiorem in ſcribendo facit: &, uere ut dicam, non ſatis occurrit, quod ſcribam. noſtras enim res in actis perferri ad te certo ſcio; tuas autem ignoramus. tamquam enim clauſa ſit Aſia, ſic nihil perfertur ad nos, praeter rumores de oppreſſo Dolabella, ſatis illos quidem conſtantes, ſed adhuc ſine auctore. Nos confectum bellum cum putaremus, repente a Lepido tuo in ſummam ſollicitudinem adducti ſumus. itaque perſuade tibi, maximam reip. ſpem in te, & in tuis copijs eſſe. firmos omnino exercitus habemus: ſed tamen, ut omnia, ut ſpero, proſpere procedant, multum intereſt te uenire. exigua eſt enim ſpes reip. nam nullam non libet dicere: ſed, quaecumque eſt, ea deſpondetur anno conſulatus tui. Vale.*

## EXPLANATIO

LEPIDO *tuo*} affine. FIRMOS *exercitus*} D. Bruti, & Planci. MVLTVM *intereſt*} ep.10. VENIRE.} in Italiam. DESPONDETVR} promittitur. CONSVLATVS *tui*.} & M. Bruti. eodem enim anno conſules futuri erant. ep.2. Anno ueſtro dixit.

# Argumentum ep. 10.

*ET lepidum hoſtem a ſenatu iudicatum ſcribit, & omnino rem poſcere, ut Caſſius cum exercitu in Italiam ueniat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Caſſio.* 10.

LEPIDVS, *tuus affinis, meus familiaris, pridie Kal. Quinct. ſententijs omnibus hoſtis a ſenatu iudicatus eſt, ceteriq. qui una cum illo a rep. defecerunt, quibus tamen ad ſanitatem redeundi ante Kal. Sept. poteſtas facta eſt. fortis ſane ſenatus, ſed maxime ſpe ſubſidij tui. bellum quidem, cum haec ſcribebam, ſane magnum erat ſcelere, & leuitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie, quae uolumus, audimus, ſed adhuc ſine capite, ſine auctore, rumore nuncio. quod cum ita eſſet, tamen litteris tuis, quas nonis Maij ex caſtris datas acceperamus, ita perſuaſum erat ciuitati, ut illum iam oppreſſum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam uenire cum exercitu: ut, ſi haec ex ſententia confecta eſſent. conſilio, atque auctoritate tua; ſin quid forte titubatum eſſet, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. quem quidem ego exercitum quibuſcumque potero rebus ornabo. cuius rei tum tempus erit, cum, quid opis reip. laturus exercitus ſit, aut quid iam tulerit, notum eſſe coeperit. nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi illi quidem, & praeclariſſimi, ſed geſta res exſpectatur; quam quidem aut iam eſſe aliquam, aut appropinquare confido. tua uirtute, & magnitudine animi nihil eſt nobilius. itaque optamus, ut quamprimum te in Italia uideamus. remp. nos habere arbitrabimur, ſi uos habebimus. praeclare uiceramus, niſi ſpoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepiſſet Antonium. itaque numquam tanto odio ciuitati Antonius fuit, quanto eſt Lepidus. ille enim ex turbulenta rep. hic ex pace, & uictoria bellum excitauit. huic oppoſitos conſules deſignatos habemus; in quibus eſt magna illa quidem ſpes, ſed anceps cura propter incertos exitus proeliorum. perſuade tibi igitur, in te, & in Bruto tuo eſſe omnia, uos exſpectari, Brutum quidem iam iamq. quod ſi, ut ſpero, uictis hoſtibus noſtris, ueneritis: tamen auctoritate ueſtra reſp. exſurget, & in aliquo ſtatu tolerabili conſiſtet. ſunt enim permulta, quibus erit medendum, etiam ſi reſp. ſatis eſſe uidebitur ſceleribus hoſtium liberata. Vale.*

*probitatem aliquando retundi, & non pati impunitate augeri, non ſolum utile eſt reip. noſtrae, ſed etiam neceſſarium. De noſtra dignitate uelim tibi ut ſemper curae ſit; & quocumque tempore occaſionem habueris, & in ſenatu, & in ceteris rebus laudi noſtrae ſuffragere. Quoniam conſulibus decreta eſt Aſia; & permiſſum eſt ijs, ut, dum ipſi uenirent, darent negotium, qui Aſiam obtineant: rogo te, petas ab ijs, ut hanc dignitatem potiſſimum nobis tribuant; & mihi dent negotium, ut Aſiam obtineam, dum ipſorum alteruter uenit. nam, quod huc properent in magiſtratu uenire, aut exercitum mittere, cauſſam non habent. Dolabella enim in Syria eſt; &, ut tu diuina tua mente proſpexiſti, & praedicaſti, dum iſti uenient, Caſſius eum opprimet. excluſus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando male acceptus, nulla alia confiſus urbe, Laodiceam, quae eſt in Syria ad mare, ſe contulit: ibi ſpero celeriter eum poenas daturum. nam neque, quo refugiat, habet: neque diutius ibi poterit tantum exercitum Caſſii ſuſtinere. ſpero etiam confectum eſſe iam, & oppreſſum. quare non puto Panſam, & Hirtium in conſulatu properaturos in prouincias exire, ſed Romae acturos conſulatum. itaque, ſi ab his petieris, ut interea nobis procurationem Aſiae dent; ſpero te poſſe impetrare. praeterea mihi promiſerunt Panſa, & Hirtius coram, & abſenti mihi ſcripſerunt, Verrioq. noſtro Panſa affirmauit, ſe daturum operam, ne in ſuo coſulatu mihi ſuccedatur. ego porro non medius fidius cupiditate prouinciae produci longius ſpatium mihi uolo. nam mihi fuit iſta prouincia plena laboris, periculi, detrimenti. quae ego ne fruſtra ſubierim, ne ue prius, quam reliquias meae diligentiae conſequar, decedere cogar, ualde laboro. nam, ſi potuiſſem, quam exegeram, pecuniam uniuerſam mittere; poſtularem, ut mihi ſuccederetur. nunc, quod Caſſio dedi, quod Trebonij morte amiſimus, quod etiam crudelitate Dolabellae, aut perfidia eorum, qui mihi fidem, reiq. pub. non praeſtiterunt, id conſequi, & reficere uolo. quod aliter non poteſt fieri, niſi ſpatium habuero. id ut per te conſequar, uelim, ut ſolet, tibi curae ſit. ego me de rep. puto eſſe meritum, ut non prouinciae iſtius beneficium exſpectare debeam, ſed tantum, quantum Caſſius, & Bruti, non ſolum illius facti, periculiq. ſocietate, ſed etiam huius temporis ſtudio, & uirtute. primus enim ego leges Antonianas fregi: primus equitatum Dolabellae ad remp. tranſduxi, Caſſioq. tradidi; primus delectus habui pro ſalute omnium contra coniurationem ſceleratiſsimam: ſolus Caſſio, & reip. Syriam, exercitusque, qui ibi erant, coniunxi. nam, niſi ego tantam pecuniam, tantaq. praeſidia, & tam celeriter Caſſio dediſſem; ne auſus quidem eſſet ire in Syriam; & nunc non minora pericula reip. a Dolabella inſtarent, quam ab Antonio. atque haec omnia is feci, qui & ſodalis, & familiariſſimus Dolabellae eram, coniunctiſſimus ſanguine Antonijs; prouinciam quoque illorum beneficio habebam: ſed πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, omnibus meis bellum primus indixi. haec etſi adhuc non magnopere mihi tuliſſe fructum animaduerto: tamē non deſpero, nec defatigabor permanere non ſolum in ſtudio libertatis, ſed etiam in labore, & periculis. attamen, ſi etiam aliqua gloria iuſta, & merita prouocabimur, ſenatus, & optimi cuiuſque officijs; maiore cum auctoritate apud ceteros erimus, & eo plus prodeſſe reip. poterimus. Filium tuum, ad Brutum cum ueni, uidere non potui, ideo quod iam in hiberna cum equitibus erat profectus; ſed mediusfidius, ea eſſe eum opinione, & tua, & ipſius, & in primis mea cauſſa gaudeo. fratris enim loco mihi eſt, qui ex te natus, teq. dignus eſt. Vale, D. IV. Kal. Iun. Pergae.*

# EXPLANATIO

LENTVLVS} filius Lentuli Spintheris, ad quem ſunt lib. I. Ciceronis epiſtolae, augur erat, ut lib. XXXIX. ſcripſit Dio. quaeſtor in Aſiam profectus erat cum Trebonio proconſule. quo mortuo, propraetoris nomen aſſumpſerat, quo maiore auctoritate ſocijs imperare poſſet: nec tamen quaeſtoris officium intermiſerat: itaque proquaeſtor uocabatur, ut inſcriptio docet epiſtolae ſequentis. IN LYCIA} quam poſtea Veſpaſianus, adempta libertate, in prouinciae formam redegit. Suetonius. AMPLIVSQ. *centum naues onerarias,*} obſeſſas a claſſe Dolabellae, ut, exercitu in eas impoſito, Italiam petere poſſet. ep. ſeq. FRVSTRATA} Caſsio Syriam tenente ep. 5. PROFLIGATA *eſt:*} minus eſt, quam, ad exitum perducta. de hoc uerbo ſupra diximus. QVAM *re uera furere eos inueni. quod uero aliquid de his ſcripſi,*} totum hoc non erat in impreſsis libris: ego addidi ante multos annos, ex antiquo Vincentij Riccij libro: cum quo poſtea uidi conſentire & Sigonij librum, & quattuor praeterea, quos nunc habeo. NEC *in me ullae priuatim iniuriae umquam.*} ſubaudi, Fuere. ſic duo ueteres libri, & recte. FVGIENTEM} ex Pharſalica pugna. Caeſar lib. III. de bel. ci. PATREM *meum,*} P. Lentulum, Spintherem. L. LENTVLVM,} qui conſul cum C. Marcello fuit anno primo ciuilis belli. POMPEIVM} Magnum. CONSVLIBVS} Panſae, & Hirtio: quos Lentulus, cum haec ſcriberet, obijſſe neſciebat. LAODICEAM, *quae eſt in Syria ad mare,*} Laodiceae duae fuerunt, haec in Syria, quam lib. V. cap. 20. Plinius, & lib. XI. Strabo nominat: altera in Aſia, quam idem Plinius infra, & Strabo lib. XII. Syriacam numquam uideo ſeiunctam ab eius imperio, qui Syriae praeerat. Aſiatica uero cum ad Aſiae iuriſdictionem attineret, interdum tamen Ciliciae rectoribus honoris gratia tribuebatur. notum eſt Ciceronis exemplum: cuius ex ep. 67. lib. XIII. ad Seruilium Aſiae proconſulem recitabo. Ex prouincia mea Cilicienſi, cui ſcis τρεῖς διοικήσεις Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiarius uſus, quam Androne Laodicenſi. Opinor tamen hanc Laodiceam tum diſiungi ſolitam ab Aſiae imperio, & adiungi Ciliciae, cum & Aſiam praetorius aliquis, & Ciliciam conſularis adminiſtraret. alioqui fuiſſet ignominia, ſi uel a conſulari ad conſularem, uel a praetorio ad praetorium, multo etiam maior, ſi a conſulari ad praetorium transferretur. SPERO} ſpem comprobauit euentus. Velleius, & alij. TANTVM *exercitum Caſſij*} decem legiones. ep. 13. QVAM *reliquias meae diligentiae conſequar,*} hoc paullo poſt

lo poſt explanatur. QVI *mihi fidem, reiq. pub. non praeſtiterunt,*} qui debitam pecuniam non ſoluerunt. ep. 7. lib. I. ſi rex amicis tuis, qui per prouinciam imperij tui pecunias ei credidiſſent, fidem ſuam praeſtitiſſet. PROVINCIAE *iſtius,*} Aſiae. &, Iſtius, pro Huius: ut alibi quoque. CASSIVS,} C. Caſsius. BRVTI,} Marcus, & Decimus. ILLIVS *facti, periculiq. ſocietate,*} cum Caeſarem occidimus. Plutarchus in Caeſare, quoſdam falſo gloriatos eſſe de nece Caeſaris, ait, quaſi interfuiſſent: nominatq. hunc Lentulum, & Octauium quendam. LEGES *Antonianas*} quas conſul M. Antonius tulerat. FREGI:} quia primus contra eas facere auſus eſt. abrogauit enim Panſa conſul, non Lentulus, e ſententia Ciceronis, Phil. v. PROVINCIAM *quoque illorum beneficio habebam:*} mihi non uidetur ullam prouinciam Lentulus habuiſſe, quippe qui Aſiae adminiſtrationem ſibi a conſulibus demandari poſtulet: dixit enim ſupra: Rogo te, petas ab ijs, ut mihi dent negotium, ut Aſiam obtineam, dum ipſorum alteruter uenit. Prouinciam igitur uſurpat pro quaeſtorio munere, ſicuti cum dixit paullo ante: Mihi fuit iſta prouincia plena laboris, periculi, detrimenti. & infra: Quae extrema regio eſt prouinciae meae. Cum uero dicat, Illorum beneficio: annum ſuperiorem proximum ſignificat, quo M. Antonius conſul fuit, fratres autem eius praetor Caius, tribunus pl. Lucius. nec uero ante idus Martias, quo die necatus eſt Caeſar, iuit in prouinciam Lentulus: nam ſe affuiſſe, cum Caeſar interficeretur, ipſe teſtatus eſt ijs uerbis: Illius facti, periculiq. ſocietate. Iuit igitur poſt Caeſaris necem, Antoniorum beneficio: cum ex eorum uoluntate adminiſtrarentur omnia. Πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν,} patriam meam magis amans. Integrum ſenarium recitat Plutarchus ἐν τῷ πολιτικῶν παραγγελμάτων: Φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ. quem dimidiatum, & parua quadam mutatione, Lentulus attulit. Hoc acceptum referatur philoſopho praeſtantiſsimo, & elegantiori doctrina perpolito, ueterrimo optimoq. amico, Octauiano Ferrario. OMNIBVS. MEIS} Antonijs: quibus ſe eſſe ſanguine coniunctiſsimum dixit. reſpexit fortaſſe ad prima duo uerba ſupradicti ſenarij: φιλῶ τέκνα. patriam enim ille filijs, Lentulus autem ſuis omnibus anteponendam putauit. IN. HIBERNA} anno ſuperiore, quo Lentulus ad Brutum uenit. OPINIONE,} quam ſe habere de bonorum cauſſa oſtendit.

---

# Argumentum ep. 15.

*ET hic res a ſe geſtas commemorat: in Rhodios inuehitur: de Dolabella optabilia ſignificat. Eodem anno.*

## *P. Lentulus P. F. proquaes. propraet. S. D. cos. praet. trib. pl. ſenatui, populo, plebiq. R.* 15.

*SI ualetis, liberiq. ueſtri ualent, bene eſt: ego ualeo. Scelere Dolabellae oppreſſa Aſia in proximam prouinciam Macedoniam, praeſidiaq. reip. quae M. Brutus, uir clariſſimus, tenebat, me contuli; & id egi, ut, per quos celerrime poſſet, Aſia prouincia, uectigaliaq. in ueſtram poteſtatem redigerentur. quod cum pertimuiſſet Dolabella; &, uaſtata prouincia, correptis uectigalibus, praecipue ciuibus R. omnibus crudeliſſime denudatis, ac diuenditis, celerius Aſia exceſſiſſet, quam eo praeſidium adduci potuiſſet: diutius morari, aut exſpectare praeſidium non neceſſe habui; & quamprimum ad meum officium reuertendum mihi eſſe exiſtimaui: ut & reliqua uectigalia exigerē; &, quam depoſui, pecuniam colligerem; quidquid ex ea correptum eſſet, aut quorum id culpa accidiſſet, cognoſcerem quamprimum, & uos de omni re facerem certiores. Interim, cum per inſulas in Aſiam nauiganti mihi nunciatum eſſet, claſſem Dolabellae in Lycia eſſe, Rhodiosq. naues complures inſtructas, & paratas in aqua habere: cum ijs nauibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparauerat Patiſcus proquaes. homo mihi cum familiaritate, tum etiam ſenſibus in rep. coniunctiſſimus, Rhodum reuerti, confiſus auctoritate ueſtra, ſenatusq. conſulto, quo hoſtem Dolabellam iudicaratis, foedere quoque, quod cum ijs M. Marcello, Ser. Sulpicio cos. renouatum erat; quo iurauerant Rhodij, eoſdem hoſtes ſe habituros, quos ſenatus, populusq. R. quae res nos uehementer feſellit. tantum enim abfuit, ut illorum praeſidio noſtram firmaremus claſſem, ut etiam a Rhodijs urbe portu, ſtatione, quae extra urbem eſt, commeatu, aqua denique prohiberentur noſtri milites, nos uix ipſi ſingulis cum nauigiolis reciperemur. quam indignitatem, deminutionemq. maieſtatis non ſolum iuris noſtri, ſed etiam imperij, populiq. R. iccirco tulimus, quod, interceptis litteris, cognoramus, Dolabellam, ſi deſperaſſet de Syria, Aegyptoque, quod neceſſe erat fieri, in naues cum omnibus ſuis latronibus, atque omni pecunia conſcendere eſſe paratum, Italiamq. petere; iccirco etiam naues onerarias, quarum minor nulla erat duum millium amphorum, contractas in Lycia a claſſe eius obſideri. Huius rei timore P. C. percitus, iniurias perpeti, & cum contumelia etiam noſtra omnia prius experiri malui. itaque ad illorum uoluntatem introductus in urbem, & in ſenatum eorum, quamdiligentiſſime potui, cauſſam reip. egi; periculumq. omne, quod inſtaret, ſi ille latro cum omnibus ſuis naues cōſcendiſſet, expoſui. Rhodios autem tanta in prauitate animaduerti; ut omnes firmiores putarent, quam bonos; ut hanc concordiam, & conſpirationē omnium ordinum ad defendendam libertatem propenſe non crederent eſſe factam; ut patientiam ſenatus,*

*& optimi*

*probitatem aliquando retundi, & non pati impunitate augeri, non ſolum utile eſt reip. noſtrae, ſed etiam neceſſarium. De noſtra dignitate uelim tibi ut ſemper curae ſit; & quocumque tempore occaſionem habueris, & in ſenatu, & in ceteris rebus laudi noſtrae ſuffragere. Quoniam conſulibus decreta eſt Aſia; & permiſſum eſt ijs, ut, dum ipſi uenirent, darent negotium, qui Aſiam obtineant: rogo te, petas ab ijs, ut hanc dignitatem potiſſimum nobis tribuant; & mihi dent negotium, ut Aſiam obtineam, dum ipſorum alteruter uenit. nam, quod huc properent in magiſtratu uenire, aut exercitum mittere, cauſſam non habent. Dolabella enim in Syria eſt; &, ut tu diuina tua mente proſpexiſti, & praedicaſti, dum iſti uenient, Caſſius eum opprimet. excluſus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando male acceptus, nulla alia confiſus urbe, Laodiceam, quae eſt in Syria ad mare, ſe contulit. ibi ſpero celeriter eum poenas daturum. nam neque, quo refugiat, habet: neque diutius ibi poterit tantum exercitum Caſſii ſuſtinere. ſpero etiam confectum eſſe iam, & oppreſſum. quare non puto Panſam, & Hirtium in conſulatu properaturos in prouincias exire, ſed Romae acturos conſulatum. itaque, ſi ab his petieris, ut interea nobis procurationem Aſiae dent; ſpero te poſſe impetrare. praeterea mihi promiſerunt Panſa, & Hirtius coram, & abſenti mihi ſcripſerunt, Verrioq. noſtro Panſa affirmauit, ſe daturum operam, ne in ſuo coſulatu mihi ſuccedatur. ego porro non medius fidius cupiditate prouinciae produci longius ſpatium mihi uolo. nam mihi fuit iſta prouincia plena laboris, periculi, detrimenti. quae ego ne fruſtra ſubierim, ne ue prius, quam reliquias meae diligentiae conſequar, decedere cogar, ualde laboro. nam, ſi potuiſſem, quam exegeram, pecuniam uniuerſam mittere; poſtularem, ut mihi ſuccederetur. nunc, quod Caſſio dedi, quod Trebonij morte amiſimus, quod etiam crudelitate Dolabellae, aut perfidia eorum, qui mihi fidem, reiq. pub. non praeſtiterunt, id conſequi, & reficere uolo. quod aliter non poteſt fieri, niſi ſpatium habuero. id ut per te conſequar, uelim, ut ſolet, tibi curae ſit. ego me de rep. puto eſſe meritum, ut non prouinciae iſtius beneficium exſpectare debeam, ſed tantum, quantum Caſſius, & Bruti, non ſolum illius facti, periculiq. ſocietate, ſed etiam huius temporis ſtudio, & uirtute. primus enim ego leges Antonianas fregi: primus equitatum Dolabellae ad remp. tranſduxi, Caſſioq. tradidi: primus delectus habui pro ſalute omnium contra coniurationem ſceleratiſſimam: ſolus Caſſio, & reip. Syriam, exercitusque, qui ibi erant, coniunxi. nam, niſi ego tantam pecuniam, tantaq. praeſidia, & tam celeriter Caſſio dediſſem; ne auſus quidem eſſet ire in Syriam; & nunc non minora pericula reip. a Dolabella inſtarent, quam ab Antonio. atque haec omnia is feci, qui & ſodalis, & familiariſſimus Dolabellae eram, coniunctiſſimus ſanguine Antonijs; prouinciam quoque illorum beneficio habebam: ſed πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, omnibus meis bellum primus indixi. haec etſi adhuc non magnopere mihi tuliſſe fructum animaduerto: tamē non deſpero, nec defatigabor permanere non ſolum in ſtudio libertatis, ſed etiam in labore, & periculis. attamen, ſi etiam aliqua gloria iuſta, & merita prouocabimur, ſenatus, & optimi cuiuſque officijs; maiore cum auctoritate apud ceteros erimus, & eo plus prodeſſe reip. poterimus. Filium tuum, ad Brutum cum ueni, uidere non potui, ideo quod iam in hiberna cum equitibus erat profectus: ſed mediusfidius, ea eſſe eum opinione, & tua, & ipſius, & in primis mea cauſſa gaudeo. fratris enim loco mihi eſt, qui ex te natus, teq. dignus eſt. Vale, D. IV. Kal. Iun. Pergae.*

# EXPLANATIO

LENTVLVS} filius Lentuli Spintheris, ad quem ſunt lib. I. Ciceronis epiſtolae, augur erat, ut lib. XXXIX. ſcripſit Dio. quaeſtor in Aſiam profectus erat cum Trebonio proconſule. quo mortuo, propraetoris nomen aſſumpſerat, quo maiore auctoritate ſocijs imperare poſſet; nec tamen quaeſtoris officium intermiſerat: itaque proquaeſtor uocabatur, ut inſcriptio docet epiſtolae ſequentis. IN. LYCIA} quam poſtea Veſpaſianus, adempta libertate, in prouinciae formam redegit. Suetonius. AMPLIVSQ. *centum naues onerarias,*} obſeſſas a claſſe Dolabellae, ut, exercitu in eas impoſito, Italiam petere poſſet. ep. ſeq. FRVSTRATA} Caſsio Syriam tenente ep. 5. PROFLIGATA *eſt:*} minus eſt, quam, ad exitum perducta. de hoc uerbo ſupra diximus. QVAM *re uera furere eos inueni. quod uero aliquid de his ſcripſi,*} totum hoc non erat in impreſsis libris: ego addidi ante multos annos, ex antiquo Vincentij Riccij libro: cum quo poſtea uidi conſentire & Sigonij librum, & quattuor praeterea, quos nunc habeo. NEC *in me ullae priuatim iniuriae umquam.*} ſubaudi, Fuere. ſic duo ueteres libri, & recte. FVGIENTEM} ex Pharſalica pugna. Caeſar lib. III. de bel. ci. PATREM *meum,*} P. Lentulum, Spintherem. L. LENTVLVM,} qui conſul cum C. Marcello fuit anno primo ciuilis belli. POMPEIVM} Magnum. CONSVLIBVS} Panſae, & Hirtio: quos Lentulus, cum haec ſcriberet, obijſſe neſciebat. LAODICEAM, *quae eſt in Syria ad mare,*} Laodiceae duae fuerunt, haec in Syria, quam lib. V. cap. 20. Plinius, & lib. XI. Strabo nominat: altera in Aſia, quam idem Plinius infra, & Strabo lib. XII. Syriacam numquam uideo ſeiunctam ab eius imperio, qui Syriae praeerat. Aſiatica uero cum ad Aſiae iuriſdictionem attineret, interdum tamen Ciliciae rectoribus honoris gratia tribuebatur. notum eſt Ciceronis exemplum: cuius ex ep. 67. lib. XIII. ad Seruilium Aſiae proconſulem recitabo. Ex prouincia mea Cilicienſi, cui ſcis τρεῖς διοικήσεις Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiarius uſus, quam Androne Laodicenſi. Opinor tamen hanc Laodiceam tum diſiungi ſolitam ab Aſiae imperio, & adiungi Ciliciae, cum & Aſiam praetorius aliquis, & Ciliciam conſularis adminiſtraret. alioqui fuiſſet ignominia, ſi uel a conſulari ad conſularem, uel a praetorio ad praetorium, multo etiam maior, ſi a conſulari ad praetorium transferretur. SPERO} ſpem comprobauit euentus. Velleius, & alij. TANTVM *exercitum Caſſij*} decem legiones. ep. 13. QVAM *reliquias meae diligentiae conſequar,*} hoc paullo poſt

lo poſt

lo poſt explanatur. QVI *mihi fidem, reiq. pub. non praeſtiterunt*,} qui debitam pecuniam non ſoluerunt. ep. 7. lib. I. ſi rex amicis tuis, qui per prouinciam imperij tui pecunias ei crediidiſſent, fidem ſuam praeſtitiſſet. PROVINCIAE *iſtius*,} Aſiae. &, Iſtius, pro Huius: ut alibi quoque. CASSIVS,} C. Caſsius. BRVTI,} Marcus, & Decimus. ILLIVS *facti, periculiq. ſocietate*,} cum Caeſarem occidimus. Plutarchus in Caeſare, quoſdam falſo gloriatos eſſe de nece Caeſaris, ait, quaſi interfuiſſent: nominatq. hunc Lentulum, & Octauium quendam. LEGES *Antonianas*} quas conſul M. Antonius tulerat. FREGI:} quia primus contra eas facere auſus eſt. abrogauit enim Panſa conſul, non Lentulus, e ſententia Ciceronis. Phil. v. PROVINCIAM *quoque illorum beneficio habebam*:} mihi non uidetur ullam prouinciam Lentulus habuiſſe, quippe qui Aſiae adminiſtrationem ſibi a conſulibus demandari poſtulet: dixit enim ſupra: Rogo te, petas ab ijs, ut mihi dent negotium, ut Aſiam obtineam, dum ipſorum alteruter uenit. Prouinciam igitur uſurpat pro quaeſtorio munere, ſicuti cum dixit paullo ante: Mihi fuit iſta prouincia plena laboris, periculi, detrimenti. & infra: Quae extrema regio eſt prouinciae meae. Cum uero dicat, Illorum beneficio: annum ſuperiorem proximum ſignificat, quo M. Antonius conſul fuit, fratres autem eius praetor Caius, tribunus pl. Lucius. nec uero ante idus Martias, quo die necatus eſt Caeſar, iuit in prouinciam Lentulus; nam ſe affuiſſe, cum Caeſar interficeretur, ipſe teſtatus eſt ijs uerbis: Illius facti, periculiq. ſocietate. Iuit igitur poſt Caeſaris necem, Antoniorum beneficio: cum ex eorum uoluntate adminiſtrarentur omnia. Πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν,} patriam meam magis amans. Integrum ſenarium recitat Plutarchus ἐν τῷ πολιτικῶν παραγγελμάτων: Φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ. quem dimidiatum, & parua quadam mutatione, Lentulus attulit. Hoc acceptum referatur philoſopho praeſtantiſsimo, & elegantiori doctrina perpolito, ueterrimo optimoq. amico, Octauiano Ferrario. OMNIBVS, MEIS} Antonijs: quibus ſe eſſe ſanguine coniunctiſsimum dixit. reſpexit fortaſſe ad prima duo uerba ſupradicti ſenarij: φιλῶ τέκνα. patriam enim ille filijs, Lentulus autem ſuis omnibus anteponendam putauit. IN. HIBERNA} anno ſuperiore, quo Lentulus ad Brutum uenit. OPINIONE,} quam ſe habere de bonorum cauſſa oſtendit.

---

# Argumentum ep. 15.

*Ethic res a ſe geſtas commemorat: in Rhodios inuehitur: de Dolabella optabilia ſignificat. Eodem anno.*

## *P. Lentulus P. F. proquaes. propraet. S. D. cos. praet. trib. pl. ſenatui, populo, plebiq. R.* 15.

*SI ualetis, liberiq. ueſtri ualent, bene eſt: ego ualeo. Scelere Dolabellae oppreſſa Aſia in proximam prouinciam Macedoniam, praeſidiaq. reip. quae M. Brutus, uir clariſſimus, tenebat, me contuli; & id egi, ut, per quos celerrime poſſet, Aſia prouincia, uectigaliaq. in ueſtram poteſtatem redigerentur. quod cum pertimuiſſet Dolabella; &, uaſtata prouincia, correptis uectigalibus, praecipue ciuibus R. omnibus crudeliſſime denudatis, ac diuenditis, celerius Aſia exceſſiſſet, quam eo praeſidium adduci potuiſſet: diutius morari, aut exſpectare praeſidium non neceſſe habui; & quamprimum ad meum officium reuertendum mihi eſſe exiſtimaui: ut & reliqua uectigalia exigerē; &, quam depoſui, pecuniam colligerem; quidquid ex ea correptum eſſet, aut quorum id culpa accidiſſet, cognoſcerem quamprimum, & uos de omni re facerem certiores. Interim, cum per inſulas in Aſiam nauiganti mihi nunciatum eſſet, claſſem Dolabellae in Lycia eſſe, Rhodiosq. naues complures inſtructas, & paratas in aqua habere: cum ijs nauibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparauerat Patiſcus proquaes. homo mihi cum familiaritate, tum etiam ſenſibus in rep. coniunctiſſimus, Rhodum reuerti, confiſus auctoritate ueſtra, ſenatusq. conſulto, quo hoſtem Dolabellam iudicaratis, foedere quoque, quod cum ijs M. Marcello, Ser. Sulpicio cos. renouatum erat; quo iurauerant Rhodij, eoſdem hoſtes ſe habituros, quos ſenatus, populusq. R. quae res nos uehementer fefellit. tantum enim abfuit, ut illorum praeſidio noſtram firmaremus claſſem, ut etiam a Rhodijs urbe portu, ſtatione, quae extra urbem eſt, commeatu, aqua denique prohiberentur noſtri milites, nos uix ipſi ſingulis cum nauigiolis reciperemur. quam indignitatem, deminutionemq. maieſtatis non ſolum iuris noſtri, ſed etiam imperij, populiq. R. iccirco tulimus, quod, interceptis litteris, cognoramus, Dolabellam, ſi deſperaſſet de Syria, Aegyptoque, quod neceſſe erat fieri, in naues cum omnibus ſuis latronibus, atque omni pecunia conſcendere eſſe paratum, Italiamq. petere; iccirco etiam naues onerarias, quarum minor nulla erat duum millium amphorum, contractas in Lycia a claſſe eius obſideri. Huius rei timore P. C. percitus, iniurias perpeti, & cum contumelia etiam noſtra omnia prius experiri malui. itaque ad illorum uoluntatem introductus in urbem, & in ſenatum eorum, quamdiligentiſſime potui, cauſſam reip. egi; periculumq. omne, quod inſtaret, ſi ille latro cum omnibus ſuis naues cōſcendiſſet, expoſui. Rhodios autem tanta in prauitate animaduerti; ut omnes firmiores putarent, quam bonos; ut hanc concordiam, & conſpirationē omnium ordinum ad defendendam libertatem propenſe non crederent eſſe factam; ut patientiam ſenatus,*

*& optimi*

*& optimi cuiuſque manere etiam nunc confiderent, nec potuiſſe audere quemquam Dolabellam hoſtem iudicare; ut denique omnia, quae improbi fingebant, magis uera exiſtimarent, quam quae uere facta erant, & a nobis docebantur. qua mente etiam ante noſtrum aduentũ, poſt Trebonij indigniſſimã caedem, ceteraq. tot, tamq. nefaria facinora, binae profectae erant ad Dolabellam legationes eorum, & quidem nouo exemplo, contra leges ipſorum, prohibentibus ijs, qui tum magiſtratus gerebant. haec ſiue timore, ut dictitant, de agris, quos in continenti habent, ſiue furore, ſiue potentia paucorum, qui & antea pari contumelia uiros clariſſimos affecerant, & nunc maximos magiſtratus gerentes, nullo ex emplo, ne que ueſtra ex parte, neque noſtro praeſentium, neque imminenti Italiae, urbiq. noſtrae periculo, ſi ille parricida cum ſuis latronibus nauibus, ex Aſia Syriaq. expulſus, Italiam petijſſet: mederi, cum facile poſſent, uoluerunt. nonnullis etiam ipſi magiſtratus ueniebant in ſuſpicionem, detinuiße nos, & demorati eſſe, dum claſſis Dolabellae certior fieret de aduentu noſtro. quam ſuſpicionem conſecutae res aliquot auxerunt, maxime quod ſubito ex Lycia Sex. Marius, & C. Titius legati Dolabellae, a claſſe diſceſſerunt, nauiq. longa profugerunt, onerarijs relictis, in quibus colligendis non minimum temporis, laborisq. conſumpſerunt. itaque, cum Rhodo cum ijs, quas habueramus, nauibus in Lyciam ueniſſemus, naues, onerarias recepimus, dominisq. reſtituimus: ijdemque, quod maxime uerebamur, ne poſſet Dolabella cum ſuis latronibus in Italiam uenire, timere deſijmus: claſſem fugientem perſecuti ſumus uſque Sydam: quae extrema regio eſt prouinciae meae. ibi cognoui partem nauium Dolabellae diffugiſſe, reliquas Syriam, Cyprumq. petijſſe. quibus diſiectis, cum ſcirem C. Caſſii, ſingularis ciuis, & ducis, claſſem maximam fore praeſto in Syria, ad meum officium reuerti: daboq. operam, ut meum ſtudium, & diligentiam uobis P. C. & reip. praeſtem, pecuniamque, quam maximam potero, & quam celerrime, cogam, omnibusq. cum rationibus ad uos mittam. ſi percurrero prouinciam; & cognouero, qui nobis, & reip. fidem praeſtiterunt in conſeruanda pecunia a me depoſita; quiq. ſcelere, ultro deferentes pecuniam publicam, hoc munere ſocietatem facinorum cum Dolabella inierunt: faciam uos certiores. de quibus, ſi uobis uidebitur, ſi, ut meriti ſunt, grauiter conſtitueritis; nosq. ueſtra auctoritate firmaueritis: facilius & reliqua exigere uectigalia, & exacta ſeruare poterimus. interea, quo commodius uectigalia tueri, prouinciamq. ab iniuria defendere poſſim, praeſidium neceſſarium, uoluntariumq. comparaui. His litteris ſcriptis, milites circiter* XXX, *quos Dolabella ex Aſia conſcripſerat, e Syria fugientes in Pamphyliam uenerunt. hi nunciauerunt, Dolabellam Antiochiam, quae in Syria eſt, ueniſſe, non receptum: conatum eſſe aliquoties ui introire, repulſum ſemper eſſe cum magno ſuo detrimento: itaque, centum circiter amiſſis, aegrisq. compluribus relictis, noctu Antiochia profugiſſe Laodiceam uerſus: ea nocte omnes fere Aſiaticos milites ab eo diſceſſiſſe: ex his ad octingentos Antiochiam redijſſe & ſe ijs tradidiſſe, qui, a Caſſio relicti, urbi illi praeerant: ceteros per Amanum in Ciliciam deſcendiſſe: quo ex numero ſe quoque eſſe dicebant: Caſſium autem cum ſuis omnibus copijs, nunciatum eſſe, quatridui iter a Laodicea abfuiſſe tum, cum Dolabella eo tenderet. quamobrem opinione celerius, confido, ſceleratiſſimum latronem poenas daturum.* IV. *non. Iun. Pergae.*

## EXPLANATIO

P. F. } P. Lentuli Spintheris filius. quamquam, a Torquato eſſet adoptatus, ut ait Dio: a quo tamen nec praenomen, nec cognomen ſumpſit: quippe cum ea tantum cauſſa ſit adoptatus, ut augur eſſe poſſet. PROQVAES. PROPRAET.} quaeſtor fuit, uiuo proconſule Trebonio: eo mortuo, proquaeſtoris, & propraetoris nomen aſſumpſit, praeſidio comparato, ut prouinciam ab iniuria defendere poſſet. infra. SCELERE} & quod alienam prouinciam hoſtili more inuaſit: & quod Trebonium, cum quo familiariſsime collocutus erat, uiolata fide occidit. OPPRESSA. ASIA,} Smyrna capta. VIR *clariſſimus*,} eadem laus in adoleſcentem conuenit. Phil. 10. ADDVCI} a me. AD *meum officium*,} quod ſequentibus uerbis explanatur. VECTIGALIA *exigerem*;} pecuniae cura ad quaeſtorem pertinebat. ep. 17. PROQVAES.} ipſius Lentuli, poſt obitum Trebonij. IVRAVERANT} hoc in omnibus foederibus obſeruatum animaduerti. PORTV, *ſtatione*,} differunt: nam portus tutior, quam ſtatio. Virg. lib. 2. Aen. nunc tantum ſinus, & ſtatio male fida carinis. NAVES *onerarias*,} ep. 14. DVVM *millium amphorum*,} antiquiſsimus grammaticus Iulius Romanus admonuit, Amphorum, dici, cum additur numerus; Amphorarum, per ſe: ut eſt apud Cariſium. TREBONII} a Dolabella occiſi. ep. 12. HAEC} non eſt, a quo uerbo regatur: & ſubaudiri uidetur, faciunt. nonnulli ueteres libri habent: Hoc ſiue timor eſt, ut dictitant, agris, quos in continenti habent, ſiue furor, ſiue patientia paucorum. &c. Omnes autem ſcripti libri, Patientia, non Potentia: ſed, Potentia, magis placet, licet, ut opinor, ex ingenio ſit. VIROS *clariſſimos*,} Lentulum, & Pompeium. ep. 14. MAXIMOS *magiſtratus gerentes*,} qui antea pari contumelia uiros, clariſsimos affecerant, ijdem nunc maximos magiſtratus cum gerant, nullo exemplo &c. Infra, Ipſi magiſtratus. NVLLO *exemplo*,} maiorum ſuorum. NEQVE *ueſtra ex parte*,} neque ſtudio ueſtrarum partium. ILLE *parricida*,} Dolabella. MEDERI, *cum facile poſſent uoluerunt*.} ſic duo ueteres libri: reliqui, Noluerunt. ſed Latini ſermonis conſuetudo poſtulat, Voluerunt. non enim dicitur: Neque noſtro praeſentium, neque imminenti Italiae periculo mederi noluerunt. Nam id eſſet, Mederi uoluerunt: cum ex geminata negatione fiat affirmatio. PROFVGERVNT,} aduentus noſtri timore. ideo nos demorati erant Rhodij, ut ſpatium fugiendi legatis Dolabellae daretur. VSQVE. SYDAM:} ultra non licuit. nam prouinciae fines praeterire leges uetabant. Syda uero in Pamphylia fuit: & Pamphylia ad imperium Aſiae pertinuit: quod paullo poſt intelligitur.

# Argumentum ep. 16.

*GRatulatur de filij Ciceronis indole ad uirtutem: uerſus mittit, in ciuem improbum a ſe conſcriptos: petit, ut includatur in ſcripta Ciceronis de Caeſaris interitu. Antonio, & Dolabella cos.*

## *C. Trebonius S. D. Ciceroni.* 16.

*SI uales, bene eſt. Athenas ueni ad* XI. *Kal. Iun. atque ibi, quod maxime optabam, uidi filium tuum, deditum optimis ſtudijs, ſummaq. modeſtiae fama. qua ex re quātam uoluptatem ceperim, ſcire potes etiam me tacente. non enim neſcis, quanti te faciam, & quam pro noſtro ueterrimo, uerißimoq. amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono, gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare. nihil adoleſcente tuo, atque adeo noſtro, (nihil enim mihi a te poteſt eſſe ſeiunctum) aut amabilius omnibus ijs, qui Athenis ſunt, eſt, aut ſtudioſius earum artium, quas tu maxime amas, hoc eſt, optimarum. itaque tibi, quod uere facere poſſum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis; quod eum, quem neceſſe erat diligere, qualiſcumque eſſet, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. qui cum mihi in ſermone inieciſſet, ſe uelle Aſiam uiſere; non modo inuitatus, ſed etiam rogatus eſt a me, ut id potiſſimum, nobis obtinentibus prouinciam, faceret. cui nos & caritate, & amore tuum officium praeſtaturos, non debes dubitare. illud quoque erit nobis curae, ut Cratippus una cum eo ſit; ne putes in Aſia feriatum illum ab ijs ſtudijs, in quae tua cohortatione incitatur, futurum. nam illum paratum, ut uideo, et ingreſſum pleno gradu, cohortari non intermittemus, quo in dies longius, diſcendo, exercendoq. ſe, procedat. Vos quid ageretis in rep. cum has litteras dabam, non ſciebam. audiebam quaedam turbulenta: quae ſcilicet cupio eſſe falſa; ut aliquando otioſa libertate fruamur: quod uel minime adhuc mihi contigit. ego tamen, nactus in nauigatione noſtra puſillum laxamenti, concinnaui tibi munuſculum ex inſtituto meo; & dictum, cum magno noſtro honore a te dictum, concluſi, & tibi infra ſubſcripſi, in quibus uerſiculis ſi tibi quibuſdam uerbis* ἀθυρρημονέστερος *uidebor: turpitudo perſonae eius, in quam liberius inuehimur, nos uindicabit. ignoſces etiam iracundiae noſtrae, quae iuſta eſt in eiuſmodi & homines, & ciues. deinde, qui magis hoc Lucilio licuerit aſſumere libertatis, quam nobis? cum, etiamſi odio par fuerit in eos, quos laeſit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate uerborum incurreret. Tu, ſicut mihi pollicitus es, adiunges me quamprimum ad tuos ſermones. namque illud non dubito, quin, ſi quid de interitu Caeſaris ſcribas, non patiaris me minimam partem & rei, & amoris tui ferre. Vale, & matrē, meosq. tibi commendatos habe.* D. IIX. *Kal. Iun. Athenis.*

## EXPLANATIO

TREBONIVS} proconſul ibat in Aſiam prouinciam: tribunus pl. Pompeio & Craſſo iterum cos. legem tulerat de prorogandis Caeſari Gallijs in alterum quinquennium: poſtea praetor fuerat anno ſecundo ciuilis belli: conſulem ſibi eum Caeſar in quarto conſulatu cum Q Fabio Maximo ſuffecit uſque ad exitum anni. OBTINENTIBVS} conſulari imperio. Phil. 10. Conſularem hominem, conſulari imperio prouinciam Aſiam obtinentem, Samiario exſuli tradidit. CRATIPPVS} qui philoſophiam peripateticam eximia cum laude Athenis docebat. ep. 21. lib. XVI. & lib. I. & 3. de off. PLENO *gradu,*} qui, auctore Vegetio, parum diſtat a curſu. Salluſtius in Iug. Diſperſos milites in unum contrahit, dein cunctos pleno gradu in collem ſubducit. Liuius autem lib. XXXIV. differre plenum gradum a curſu ſatis oſtendit. Pleno, inquit, gradu ad caſtra hoſtium oppugnanda ſuccedere iubet: ſi quis extra ordinem auidius procurrit, interequitās ſparo percutit. Ibidem: ſecundam legionem, ceteris omnibus effuſis, ad ſequendos hoſtes, pleno gradu ſub ſignis compoſitam inſtructamq. ſubire ad portam caſtrorum iuſsit. Idem lib. IV. peditum inſtructam aciem pleno gradu in aciem inducit. Et lib. x. Vbi nemo obuius ibat, pleno gradu ad caſtra hoſtium tendunt. QVAEDAM *turbulenta*} uera: nam conſul Antonius liberatam Caeſaris interitu remp. rurſus opprimere conabatur. LAXAMENTI,} otij, uacui temporis a negotijs. MVNVSCVLVM} librum. ep. 21. lib. XV. DICTVM} librum ſcripſerat Trebonius de dictis Ciceronis. Eiuſdem dicta in tres libros libertus eius Tiro collegit, uel potius congeſsit. nam Quintilianus lib. VI. cap. 3. de riſu, Vtinam, inquit, libertus eius Tiro, aut alius, quiſquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulſiſſent, & plus iudicij in eligendis, quam in congerendis, ſtudij adhibuiſſent. minus obiectus calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, ut in omni eius ingenio, facilius, quid reijci, quā quid adijci poſsit, inueniunt. CVM *magno noſtro honore a te dictum,*} ergo non omnia Ciceronis dicta, ſed ea tantum, quae Trebonij cum honore dixerat, in eo libro continebantur. Dicere dicta, uſitatum apud Ciceronem. CONCLVSI,} non ſimpliciter ipſa Ciceronis dicta poſuerat; ſed praefatus nonnulla, in extremo dicta ſubiunxerat. quod ep. 21. lib. XV. Cicero declarat his uerbis: Ante quam ad me ueniatur, riſus omnis paene conſumitur. TIBI *infra ſubſcripſi.*} ſubſcripſi nomen tuum. VERSICVLIS}

non

non poeticis, uerum oratione ſoluta. nam utrique uerſus dicuntur. E'υθυῤῥημονέϛερος} apertior in loquendo. ep. 22. lib. IX. ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔστι. Personae *eius*, } fortaſſe M. Antonij. Vindicabit.} defendet. Lvcilio} poetae Satyrico, in multos liberius inuecto. Par} mihi: cum aeque illos, ut ego hunc, oderit. Ad . tvos *ſermones*.} dialogos: in quos includi uolebat. Non *dubito, quin non patiaris*} mihi certum eſt paſſurum te non eſſe. Me *minimam partem & rei, & amoris tui ferre.*} non patieris extremo loco me collocari inter eos, qui Caeſarem occiderunt, & qui a te diliguntur. laudabis me neque minimum, neque uulgari cum indicio beneuolentiae tuae.

## Argumentum ep. 17.

*Cornificio, Africam regenti, uiuo adhuc Caeſare, uaria ſcribit, de rumoribus e Syria allatis, de otio ciuitatis, de Oratore a ſe ſcripto, de ſuo erga illum ſtudio. Q. Fabio Maximo, C. Trebonio cos.*

### *Cicero S. D. Q. Cornificio collegae.* 17.

Grata *mihi uehementer eſt memoria noſtri tua, quam ſignificaſti litteris: quam ut conſerues, non quo de tua conſtantia dubitem, ſed, quia mos eſt ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tumultuoſiora quaedam nunciata ſunt: quae, quia tibi ſunt propiora, quam nobis, tua me cauſſa magis mouent, quam mea. Romae ſummum otium eſt, ſed ita, ut malis ſalubre aliquod, & honeſtum negotium, quod ſpero fore, quia uideo id curae eſſe Caeſari. Me ſcito, dum tu abſis, quaſi occaſionem quandam, & licentiam nactum, ſcribere audacius, & cetera quidem fortaſſe, quae etiam tu concederes: ſed proxime ſcripſi de optimo genere dicendi: in quo ſaepe ſuſpicatus ſum te a iudicio noſtro, ſic ſcilicet, ut doctum hominem a non indocto, paullulum diſſidere. huic tu libro maxime uelim ex animo; ſi minus, gratiae cauſſa ſuffragere. dicam tuis, ut eum ſi uelint, deſcribant, ad teq. mittant. puto enim, etiam ſi rem minus probabis, tamen in iſta ſolitudine, quidquid a me profectum ſit, iucundum tibi fore. Quod mihi exiſtimationē tuam dignitatemq. commendas: facis tu quidem omnium more: ſed uelim ſic exiſtimes, me cum amori, quem inter nos mutuum eſſe intelligam, plurimum tribuere, tum de ſummo ingenio, & de optimis tuis ſtudijs, & de ſpe ampliſſimae dignitatis ita iudicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos. Vale.*

## EXPLANATIO

Collegae.} in auguratū. Mos *eſt ita rogandi*,} uide ep. 29. lib. XI. Tvmvltvosiora *quaedam*} ſeditionem faciente Q. Caecilio Baſſo, qui poſtea ſe cum legione C. Caſsio tradidit. ep. 11. & 18. lib. XLVII. & ad Att. ep. 9. lib. XIV. & Strabo lib. XVI. Tibi *ſunt propiora*,} cum in Africa ſis. ep. 21. 26. 27. Salvbre} cum ſalute reip. Video *id curae eſſe Caeſari*.} uideo Caeſarem de conſtituenda rep. cogitare. De . optimo *genere dicendi*:} quem librum, Orator, inſcripſit. ep. 18. lib. VI. & ep. 20. lib. XV. Vt *doctum hominem*} ſcripſit & Cornificius de arte Rhetorica, ut auctor eſt Quintilianus lib. III. Dissidere.} non ſolum Cornificio, ſed etiam M. Bruto parum probata eſt de optimo genere dicendi Ciceronis opinio. ep. 20. ad Att. lib. XIV. Cum ſcripſiſſem ad Brutū de optimo genere dicendi, non modo mihi, ſed etiam tibi ſcripſit, ſibi illud, quod mihi placeret, non probari. Differebant autem, niſi fallor, in eo, quod elocutioni Cicero tribuebat plurimum, Brutus autem rebus haud paullo plus, quam uerbis. In . ista *ſolitudine*,} ſolitudine potius, quam ſolicitudine, e tribus antiquis libris, & e ſenſu legēdum putaui. dixit enim ſolitudine, pro, Summo otio: quod apertius ſequenti epiſtola: Etſi, inquit, periniquo patiebar animo te a me digredi: tamen eo tempore me conſolabar, quod & in ſummum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotijs diſcedere.

## Argumentum ep. 18.

*Purgat ſe de infrequentia litterarum: prudentiam Cornificij, grauitatemq. laudat: praeſentem reip. ſtatum, cum excuſatione Caeſaris, accuſat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Cornificio collegae.* 18.

*QVOD extremum fuit in epiſtola, quam a te proxime accepi, ad id primum reſpondebo. animaduerti enim hoc uos magnos oratores facere nonnumquam. Epiſtolas requiris meas. ego autem numquam, cum mihi denunciatum eſſet a tuis ire aliquem, non dedi. Quod mihi uideor ex tuis litteris intelligere, te nihil commiſſurum eſſe temere, nec ante, quam ſciſſes, quo iſte neſcio qui Caecilius Baſſus erumperet, quidquam certi conſtituturum: id ego & ſperaram, prudentia tua fretus; &, ut confiderem, fecerunt tuae grauiſſimae litterae. idq. ut facias quam ſaepiſſime, ut, & quid tu agas, & quid agatur, ſcire poſſim, & etiam quid acturus ſis, ualde te rogo. Etſi periniquo patiebar animo te a me digredi: tamen eo tempore me conſolabar, quod & in ſummum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotijs diſcedere. utrumque contra accidit. iſtic enim bellum eſt exortum, hic pax conſecuta, ſed eiuſmodi pax, in qua, ſi adeſſes, multa te non delectarent, ea tamen, quae ne ipſum Caeſarem quidem delectent. BELLORVM enim ciuilium ij ſemper exitus ſunt, ut non ea ſolum fiant, quae uelit uictor, ſed etiam ut ijs mos gerendus ſit, quibus adiutoribus parta ſit uictoria. equidem ſic iam obdurui, ut ludis Caeſaris noſtri aequiſſimo animo uiderem T. Plancum, audirem Laberij, & Publij poemata. nihil tam deeſſe ſcito, quam qui cũ haec familiariter, docteq. rideã, is tu eris, ſi quamprimum ueneris. quod ut facias, non mea ſolum, ſed etiam tua intereſſe arbitror. Vale.*

### EXPLANATIO

VOS *magnos oratores*} tale illud, Noui ego uos magnos Patronos, ep.14. lib. 2. FACERE *nonnumquam.*} in agendis cauſsis: cum ad extrema primum reſpondeatis. CAECILIVS *Baſſus*} totam hiſtoriam uide apud Dionem lib. XLVII. ISTIC} in Syria, Caecilij Baſsi opera. IIS *mos gerendus ſit, quibus adiutoribus parta ſit uictoria.*} eadem ſententia ep. 9. lib. IV. Multa uictori eorum arbitrio, per quos uicit, etiam inuito facienda ſunt. OBDVRVI,} conſuetudine malorum. Callere, ep.5. lib.IV. Callum obducere, ep.2. lib. IX. LVDIS} quos Caeſar dedit uictor ex Hiſpania reuerſus. Suetonius. T. PLANCVM,} Burſam, Ciceronis inimicum, lege de ui ſtante rep. damnatum, a Caeſare reſtitutum. ep.2. lib.VII. LABERII, *& Publij poemata.*} mimos. de Laberio diximus ep.11. lib.VII. contendiſſe cum Laberio ſene iuuenem Publium, ait Macrobius lib.2. Sat.

---

## Argumentum ep. 19.

*GRatulatur de Syriae adminiſtratione illi a Caeſare mandata: eamq. optat a Parthico bello uacuam: quod ſi bellum ſit, exemplum ei proponit M. Bibuli, qui ſe opido munitiſsimo tenuerat, quamdiu Parthi in prouincia fuerunt. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Cornificio.* 19.

*LIBENTISSIME legi tuas litteras: in quibus iucundiſſimum mihi fuit, quod cognoui meas tibi redditas eſſe. non enim dubitabam, quin eas libenter lecturus eſſes: uerebar, ut redderentur. Bellum, quod eſt in Syria, Syriamq. prouinciam tibi tributam eſſe a Caeſare, ex tuis litteris cognoui. eandem rem tibi uolo bene, & feliciter euenire. quod ita fore confido, fretus & induſtria, & prudentia tua. Sed de Parthici belli ſuſpicione quod ſcribis, ſane me commouit. quantum copiarum haberes, cum ipſe coniectura conſequi poteram, tum ex tuis litteris cognoui. itaque opto, ne ſe illa gens moueat hoc tempore, dum ad te legiones eae perducantur, quas audio duci. quod ſi pares copias ad confligendum non habebis; non te fugiet uti conſilio M. Bibuli, qui ſe opido munitiſſimo, & copioſiſſimo tamdiu tenuit, quamdiu in prouincia Parthi fuerunt. Sed haec melius ex re, & ex tempore conſtitues. mihi quidem uſque curae erit, quid agas, dum, quid egeris, ſciero. Litteras ad te numquam habui cui darem, quin dederim. a te, ut idem facias, peto, inprimiſque, ut ita ad tuos ſcribas, ut me tuum ſciant eſſe. Vale.*

### EXPLANATIO

VEREBAR, *ut redderentur.*} de uerbo, Vereor, uide quae diximus. ep.1. lib.2. EANDEM} eam rem, quo diligentius in ſententiam intueor, eo magis placet. INDVSTRIA,} uirtus eſt, quae uerſatur in agendo. ep.9. lib.XIII. M. BIBVLI} qui Syriae praefuerat eo anno, quo Cicero Ciliciae. ep.11.17. lib.2. & ep.1.3.4. lib.XV. Dio lib.XL. QVI *ſe opido munitiſſimo tãdiu tenuit, quãdiu in prouincia Parthi*

*cia Parthi fuerunt.*} eadem ſententia ep. 8. ad Att. lib. VI. Ego, niſi Bibulus, qui, dum unus hoſpes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quam domo ſua, adniteretur de triumpho, aequo animo eſſem. Et ad eundem ep. 2. lib. VII. Illum, qui pedem porta, quo ad hoſtis cis Euphratem fuit, non extulerit.

## Argumentum ep. 20.

*IOcatur, quia Sinueſſanae uillae hoſpitio Cornificius uti noluerat; & crebras ab eo litteras petit. Scripta uidetur haec epiſtola eo tempore, cum in Africam prouinciam Cornificius iret.*

### *Cicero S. D. Cornificio collegae.* 20.

GRATAE *mihi tuae litterae, niſi quod Sinueſſanum diuerſoriolum contempſiſti. quam quidem contumeliam uilla puſilla iniquo animo feret, niſi in Cumano, & Põpeiano reddideris* πάντα περὶ πάντων. *ſic igitur facies; meq. amabis, & ſcripto aliquo laceſſes. ego enim reſpondere facilius poſſum, quam prouocare. quod ſi, ut es, ceſſabis: laceſſam; nec tua ignauia etiam inertiam afferet. Plura otioſus. haec, cum eſſem in ſenatu, exaraui. Vale.*

## EXPLANATIO

IN CVMANO, *& Pompeiano*} in Cumana, & Pompeiana Ciceronis uilla. REDDIDERIS πάντα περὶ πάντων.} ubi quid eſt praetermiſſum, plena compenſatio demonſtratur his uerbis, πάντα περὶ πάντων, addito uerbo ad ſententiam accommodato, ut ep. 17. lib. XV. Exſpecta Πάντα περὶ πάντων. VT, ES,} quae tua conſuetudo eſt. NEC *tua ignauia etiam inertiam afferet.*} ſcientiam auget exercitatio, negligentia minuit. non agendo enim efficitur, ut male agere dediſcamus. quapropter ignauia parit inertiam, ideſt agendi inſcientiam. ep. 8. lib. IIX. Siue negligentia, ſiue inertia eſt. EXARAVI.} Exarare, eſt raptim ſcribere. ep. 26. lib. IX.

## Argumentum ep. 21.

*ANicium ſenatorem, eiuſq. negotia, & dignitatem commendat. Incertus annus.*

### *Cicero S. D. Cornificio.* 21.

C. ANICIVS, *familiaris meus, uir omnibus rebus ornatus, negotiorum ſuorum cauſſa legatus eſt in Africam, legatione libera. eum, uelim, rebus omnibus adiuues; operamq. des, ut quam commodiſſime ſua negotia conficiat. in primiſque, quod ei cariſſimum eſt, dignitatem eius tibi commendo: idq. a te peto, quod ipſe in prouincia facere ſum ſolitus non rogatus, ut omnibus ſenatoribus lictores darem: quod idem, acceperam, & cognoueram, a ſummis uiris factitatum. hoc igitur mi Cornifici facies: ceteriſq. rebus omnibus eius dignitati, reique, ſi me amas, conſules. id erit mihi gratiſſimum. Da operam, ut ualeas.*

## EXPLANATIO

LEGATIONE *libera.*} ſenatoribus ad ſua negotia proficiſcentibus concedi ſolita. ep. 1. lib. XI. & ad Att. ep. 18. lib. 2. & ep. 12. lib. XV.

## Argumentum ep. 22.

*NArrat de ſtatu reip. poſt Caeſaris interitum: hortatur, ut prouinciam retineat in poteſtate reip. Antonio, & Dolabella cos.*

*Cicero*

## Cicero S. D. Cornificio 22.

NOs hic cum homine gladiatore, omnium nequiſſimo, collega noſtro, Antonio bellum gerimus, ſed non pari condicione. contra arma uerbis. at etiam de te concionatur: nec impune: nam ſentiet, quos laceſſierit. ego autē acta ad te omnia arbitror perſcribi ab alijs: a me futura debes cognoſcere: quorum quidem non eſt difficilis coniectura. Oppreſſa omnia ſunt: nec habēt ducem boni. noſtri τυραννοκτόνοι longe gentium abſunt. Panſa & ſentit bene, & loquitur fortiter. Hirtius noſter tardius conualeſcit. quid futurum ſit, plane neſcio. ſpes tamen una eſt, aliquando populum R. maiorum ſimilem fore. ego certe reip. non deero: &, quidquid acciderit, a quo mea culpa abſit, animo forti feram. illud profecto, quoad potero, tuam famam, & dignitatem tuebor. Ad XIII. Kal. Ian. ſenatus frequens mihi eſt aſſenſus cum de ceteris rebus magnis, & neceſſarijs, tum de prouincijs ab ijs, qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, niſi qui ex S. C. ſucceſſiſſet. hoc ego cum reip. cauſſa cenſui, tum mehercule in primis retinendae dignitatis tuae. quamobrē te amoris noſtri cauſſa rogo, reip. cauſſa hortor, ut ne cui quidquam iuris in tua prouincia eſſe patiare, atque ut omnia referas ad dignitatem; qua nihil poteſt eſſe praeſtantius. Vere tecum agam, ut neceſſitudo noſtra poſtulat: in Sempronio, ſi meis litteris obtemperaſſes, maximam ab omnibus laudem adeptus eſſes. ſed illud & praeterijt, & leuius eſt: haec magna res eſt. fac ut prouinciam retineas in poteſtate reip. Plura ſcripſiſſem: niſi tui feſtinarent: itaque Cherippo noſtro me uelim excuſes. Vale.

## EXPLANATIO

HOMINE *gladiatore*,} ſanguinario, & in hominum caedem, more gladiatorum, exercitato. COL-
LEGA *noſtro*,} in auguratu. ep. 14. lib. IIX. & ad Att. ep. 14. lib. x. Phil. 2. & Plutarchus. Alij, Ve-
ſtro, legunt hiſtoria refragante. nam ueteres libri utrumque habent. CONTRA *arma*} Stipatus enim
armatis hominibus incedebat Antonius conſul. ep. 2. lib. x. Phil. 2. Τυραννοκτόνοι} qui tyrannum occide-
runt. LONGE *gentium abſunt*.} M. Brutus in Graecia, C. Caſsius in Syria. PANSA} conſul de-
ſignatus cum Hirtio. CONVALESCIT.} aegrotauit Hirtius grauiter paullo ante quam iniret con-
ſulatum, ſic, ut pro eius ſalute populus R. uota fecerit. Phil. 7. & 14. SIMILEM *fore*.} in tuenda li-
bertate. AD XIII. *Kal. Ian.*} ep. 6. lib XI. ep. 25. huius lib. Phil. 14. MIHI *eſt ſenatus aſſenſus*} cen
ſuit hoc Cicero in Phil. 3. DE. PROVINCIIS} ep. 25. RETINENDAE *dignitatis tuae*.} ne
C. Caluiſius in Africam iret, ei traditam ab Antonio, ſine S. C. IN. SEMPRONIO} ep. 25. EX-
CVSES.} quod ei non reſcripſi.

---

# Argumentum ep. 23.

*PRimum reſpondet ad ea, quae de prouincia Cornificij a Stratorio cognouerat: deinde quaſi formam reip. mittit: poſtremo philoſophiam, & Stratorium laudat. Antonio, & Dolabella cos.*

## Cicero S. D. Cornificio 23.

OMNEM condicionem imperij tui, ſtatumq. prouinciae mihi demonſtrauit Stratorius. o multa intolerabilia locis omnibus. ſed, quo tua maior dignitas, eo, quae tibi acciderūt, minus ferenda. neque enim, quae tu propter magnitudinem & animi, & ingenij moderate fers, a te non ulciſcenda ſunt, etiam ſi non ſint dolenda. Sed haec poſterius. Rerum urbanarum acta tibi mitti certo ſcio. quod ni ita putarem, ipſe perſcriberem, in primisq. Caeſaris Octauiani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen uidetur, ut in pecuniam adoleſcentis impetum faceret. prudentes autem, & boni uiri & credunt factum, & probant. quid quaeris? magna ſpes eſt in eo. nihil eſt, quod non exiſtimetur laudis, & gloriae cauſſa facturus. Antonius autem, noſter familiaris, tanto ſe odio eſſe intelligit, ut, cum interfectores ſuos domi comprehenderit, rem proferre non audeat. Ad VII. id. Oct. Brundiſium uenerat, profectus obuiam legionibus Macedonicis quattuor: quas ſibi conciliare pecunia cogitabat, easq. ad urbem adducere & in ceruicibus noſtris collocare. Habes formam reip. ſi in caſtris poteſt eſſe reſp. in qua tuam uicem ſaepe doleo, quod nullam partem per aetatem ſanae & ſaluae reip. guſtare potuiſti. atque ante hac quidem ſperare ſaltem licebat; nunc etiam illud ereptum eſt. quae enim ſpes eſt, cum in concione dicere auſus ſit Antonius, Canutium apud eos locum ſibi quaerere, quibus, ſe ſaluo, locus in ciuitate eſſe non poſſet? Equidem & haec, & omnia, quae homini accidere poſſunt, ſic fero, ut magnam habeam philoſophiae gratiam, quae me non modo a ſollicitudine abducit, ſed etiam contra omnes fortunae impetus armat. tibiq. idem cenſeo faciundum, nec, a quo culpa abſit, quidquam in malis numerandū. Sed haec tu melius. Stratorium noſtrum cum ſemper probaſſem; tum maxime in tuis rebus ſummam eius fidem, diligentiam, prudentiamq. cognoui. Da operam, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

EXPLA-

## EXPLANATIO

STRATORIVS.} fortaſſe legendum, Statorius, ex Feſto in Lacus Lucrinus. LOCIS *omnibus.*} non modo Romae, ſed etiam in Africa. QVAE *tibi acciderunt,*} Dio lib. XLIIX. prodidit, T. Sextium, Numidiae rectorem, impetu in Africam facto Adrumetum cepiſſe, & aliquanto poſt, Cornificiumq. proelio uictum occidiſſe. CONATVM:} pro rep. uide ep. 28. lib. x. ep. 7. lib. XI. MVLTITVDINI *fictum ab Antonio crimen uidetur,*} dicebat Antonius, comprehendiſſe ſe domi ſuae quos ad ſe occidendum Octauianus miſiſſet. id ab Antonio fictum, uulgo putabatur, ut ex, eo caperet occaſionem impetum faciendi in Octauiani pecuniam. PECVNIAM *adoleſcentis*} teſtamento ei a Caeſare relictam. CREDVNT *factum,*} fictum nón putant, ut multitudo, ſed uere miſſos ab Octauiano credunt, qui Antoniũ domi ſuae interficerent. quod Suetonius quoque confirmat in Auguſto. Hortantibus, ait, nonnullis, percuſſores ei ſubornauit. hac fraude deprehenſa, periculum, inuicem metuens, ueteranos ſimul in ſuum ac reip. auxilium quanta potuit largitione contraxit. QVID *quaeris?*} ſimile illud ep. 4. lib. IV. Noli quaerere. Nec illud ualde diuerſum, ep. 31. lib. x. Quaeres, quanti faciam. NOSTER *familiaris,*} olim. ep. 15. lib. XI. ep. 23. lib. XVI. INTERFECTORES *ſuos*} ab Octauiano miſſos. MACEDONICIS} ex Macedonia profectis. ibi enim Caeſar eas collocarat, ducturus in Parthos, quibus inferre bellum cogitabat. QVATTVOR:} Martiam, Quartam, Secundam, Trigeſimamquintam, quarum duae, Martia, & Quarta illum ſequi noluerunt, ſeq. Octauiano tradiderunt, ut ep. 7. lib. XI. in Phil. 3. & in alijs, & in Velleio lib. 2. & in Dione lib. XLV. reliquae uero duae, id eſt ſecunda, & Trigeſimaquinta, pro eo cõtra Panſam proelio Mutinenſi pugnarunt ut ep. 30. lib. x. QVATTVOR:} Appianus lib. III. ſcripſit, ſex fuiſſe Macedonicas legiones: quarum unam Antonium Dolabellae, collegae ſuo, in Syriam proficiſcenti conceſsiſſe: reliquas ipſum accepiſſe. quod ſi ita eſt: legendum hic uidetur, Quinque, non Quattuor: ut Antonius duabus quidem in proelio ad Mutinam ſit uſus, unam uero caſtris praeſidio reliquerit: quae fortaſſe fuit Alaudarum legio, quam cum Antonio fuiſſe Cicero oſtendit ep. 7. ad Att. lib. XVI. ita quinque legionũ numerus reperietur. IN CERVICIBVS *noſtris collocare.*} cum libertatem armis uellet opprimere. ep. ſeq. CANVTIVM} tribunum pl. APVD *eos*} apud eos, qui partibus reip. ſtuderent. ep. 3. LOCVM *ſibi quaerere,*} quid concionibus Antonium uexaret.

## Argumentum ep. 24.

*Cornificium hortatur, ut omni cura in remp. incumbat: ſcribit de legatis ad Antonium a ſenatu miſsis: Pinarium commendat. Hirtio, & Panſa cos.*

### *Cicero S. D. Cornificio.* 24.

*EGO nullum locum praetermitto (nec enim debeo) non modo laudandi tui, ſed ne ornandi quidem. ſed mea ſtudia erga te, & officia malo tibi ex tuorum litteris, quam ex meis, eſſe nota. Te tamen hortor, ut omni cura in remp. incumbas. hoc eſt animi, hoc eſt ingenij tui, hoc eius ſpei, quam habere debes amplificandae dignitatis tuae. Sed hac de re alias ad te pluribus. cum enim haec ſcribebam, in exſpectatione erant omnia. nondum legati redierant, quos ſenatus non ad pacem deprecandam, ſed ad bellum denunciandum miſerat, niſi legatorum nuncio paruiſſet. ego tamen, ut primum occaſio data eſt, meo priſtino more remp. defendi: me principem ſenatui, populoq. R. profeſſus ſum: nec, poſtea quam ſuſcepi cauſſam libertatis, minimum tempus amiſi tuendae ſalutis, libertatisq. communis. Sed haec quoque te ex alijs malo. T. Pinarium, familiariſſimum meum, tanto tibi ſtudio commendo, ut maiore non poſſim: cui cum propter omnes uirtutes, tum etiam propter ſtudia communia ſum amiciſſimus. is procurat rationes, negotiaq. Dionyſii noſtri; quem & tu multũ amas, & ego omnium plurimum. ea tibi ego non debeo commendare, ſed commendo tamen. facies igitur, ut ex Pinarij, gratiſſimi hominis, litteris tuum & erga illum, & erga Dionyſium ſtudium perſpiciamus. Vale.*

## EXPLANATIO

LEGATI} miſsi ad Antonium a ſenatu, ut Mutinae obſidionem omitteret. ep. 8. lib. XI. ep. 4. huius lib. VT *primum occaſio data eſt,*} XIII. Kal. Ian. ep. 22. 25. NEC *minimum tempus amiſi tuendae ſalutis, libertatisq. communis.*} idem aliter ep. 24. lib. IX. Sic tibi mi Paete perſuade, me dies, & noctes nihil aliud agere, nihil curare, niſi ut mei ciues ſalui, liberiq. ſint. PINARIVM,} Pinarij, gens antiquiſsima, ante urbem conditam. Liuius lib. I. DIONYSII *noſtri;*} opinor eſſe, qui nominatur ep. 15. lib. IV. ad Att.

Argu-

## Argumentum ep. 25.

*SCribit, S.C. eſſe factum ex litteris Cornificij: hortatur ut reip. cauſſam defendat: Lucceio ſe nulla re defuturum pollicetur. Eodem anno, conſulibus interfectis.*

### *Cicero S. D. Cornificio. 25.*

LIBERALIBVS *litteras accepi tuas, quas mihi Cornificius altero uiceſimo die, ut dicebat, reddidit. eo die non fuit ſenatus, neque poſtero. Quinquatrilus, frequenti ſenatu, cauſſam tuam egi, non inuita Minerua. etenim eo ipſo die ſenatus decreuit, ut Minerua noſtra, Cuſtos urbis, quam turbo deiecerat, reſtitueretur. Panſa tuas litteras recitauit. magna ſenatus approbatio conſecuta eſt, cum ſummo gaudio, & offenſione Minotauri, id eſt Clauiſii, & Tauri. factum de te S. C. honorificum. poſtulabatur, ut etiam illi notarentur: ſed Panſa clementior. Ego, mi Cornifici, quo die primum in ſpem libertatis ingreſſus ſum, &, cunctantibus ceteris, ad* XIII. *Kal. Ian. fundamēta reip. ieci; eo ipſe die prouidi multum, atque habui rationem dignitatis tuae. mihi enim eſt aſſenſus ſenatus de obtinendis prouincijs. nec uero poſtea deſtiti labefactare eū, qui ſumma cum tua iniuria, contumeliaq. reip. prouinciam abſens obtinebat. itaque crebras, uel potius quotidianas compellationes meas non tulit, ſeq. in urbem recepit inuitus; neque ſolum ſpe, ſed certa re iam, & poſſeſſione deturbatus eſt, meo iuſtiſſimo, honeſtiſſimoq. conuicio. Te tuā dignitatem ſumma tua uirtute tenuiſſē, prouinciaeq. honoribus ampliſſimis affectum, uehementer gaudeo. Quod te mihi de Sempronio purgas: accipio excuſationem. fuit enim illud quoddam caecum tempus ſeruitutis. Ego tuorum conſiliorum auctor dignitatiſq. fautor, iratus temporibus, in Graeciam, deſperata libertate, rapiebar; cum me Eteſiae, quaſi boni ciues, relinquentem remp. proſequi noluerūt: Auſterq. aduerſus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit: atque inde uentis. remiſq. in patriam omni feſtinatione properaui; poſtridieq. in ſumma reliquorum ſeruitute liber unus fui: ſic ſum in Antonium inuectus, ut ille non ferret, omnemq. ſuum uinolentum furorem in me unum effunderet, meq. cum elicere uellet ad caedis cauſſam, tum tentaret inſidijs: quem ego ructantem, & nauſeantem cōfeci in Caeſaris Octauiani plagas. puer enim egregius praeſidium ſibi primum, & nobis, deinde ſummae reip. comparauit: qui niſi fuiſſet, Antonij reditus a Brūdiſio peſtis patriae fuiſſet. quae deinceps acta ſint, ſcire te arbitror. ſed redeamus ad illud, unde diuertimus. Accipio excuſationem tuam de Sempronio. neque enim ſtatuti quid in tanta perturbatione habere potuiſti. nunc hic dies aliam uitam affert, alios mores poſtulat, ut ait Terentius. quamobrem, mi Quincte, conſcende nobiſcum, & quidem ad puppim. una nauis eſt iam bonorum omnium: quam quidem, nos damus operam, ut rectam teneamus, utinam proſpero curſu; ſed, quicumque uenti erunt, ars noſtra certe non aberit. quid enim praeſtare aliud uirtus poteſt? Tu fac ut animo magno ſis, & excelſo, cogitesq. omnem dignitatem tuam cum rep. coniunctā eſſe debere. P. Lucceium mihi meum commendas; quem, quibuſcumque rebus potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem, & Panſam, collegas noſtros, homines in conſulatu reip. ſalutares, alieno ſane tempore amiſimus, rep. Antoniano quidem latrocinio liberata, ſed nondum omnino explicata: quam nos, ſi licebit, more noſtro tuebimur: quamquam admodum ſumus iam defatigati: ſed* NVLLA *laſſitudo impedire officium, & fidem debet. Verum haec hactenus. ab alijs te de me, quam a me ipſo, malo cognoſcere. De te audiebamus ea, quae maxime uellemus. De Cn. Minucio, quem tu quibuſdam litteris ad caelum laudibus extuliſti, rumores duriores erant. id quale ſit, omninoq. quid iſtic agatur, facias me uelim certiorem. Vale.*

## EXPLANATIO

LIBERALIBVS} xvi. Kal. Apr. qui dies Baccho dicatus erat. ALTERO *uiceſimo die,*} die uiceſimo ſecundo. nam, alter, ſecundum obtinet locum. quod ex antiquo lapide intelligitur, in Caſinati reperto, in ruinis uillae.

MEMORIAE

SEX . VIGELLI . AQVINAT . QVI
ANN . ATTIGIT . CENTENS.
SET . ALTERVM . ET . NONAGENS.
PERPET . INOFFENSA . VALETVD.
EXEGIT . RELIQVOS . SEPTEM . ET . D . XIIX
DECVBVIT . ET . OCCVBVIT
NAT . LVD . SAECVL . VIII . OBIIT . SEQVENT.

Et Tacitus in dialogo de oratoribus tres aetates adoleſcentium oratorum deſignat, his uerbis: Nonodecimo aetatis anno L. Craſſus C. Carbonem, uno et xx. Caeſar Dolabellam, altero & xx. Aſinius Pollio Catonem,

tonem, non multo aetate antecedens Caluus Vatinium ijs orationibus inſecuti ſunt, quas hodieq. cum admiratione legimus. NON *inuita Minerua.*} feliciter. iocatur autem in nomine Mineruae: quod ea ſibi fauerit, quia ſit in eum locum ſenatus decreto reſtituta. unde eam turbo deiecerat. ep. I. lib. III. MINERVA *noſtra,*} Mineruae Simulacrum, a Cicerone in exſulium eunte conſecratum in Capitolio. Dio lib. XXXIIX. CVSTOS *urbis*} Mineruae cognomen, πολιάς. Plutarchus in Demoſthene, Lucianus in Lagith. & Cicero ſimulacrum illud, φυλακίς, inſcripſerat. Dio. Vrbes autem ex Mineruae liberalitate proceſsiſſe, Ariſtides auctor eſt. DEIECERAT,} quod Ciceroni mortem portendit. Dio, Obſequens in lib. de prodigijs. PANSA} conſul. GAVDIO} bonorum. MINOTAVRI,} Caluiſium ſignificat contumelioſo uerbo. IDEST *Clauiſii, & Tauri.*} delendum hoc arbitror, ut gloſſema. ILLI} legati duo Clauiſij, qui erant in Africa. NOTARENTVR} quod prouinciam adminiſtrare uellent abſentis Clauiſij nomine: in quo dignitas Cornificij laedebatur, infra de Clauiſio: Prouinciam abſens obtinebat. AD. XIII. *Kal. Ian.*} ep. 22. & lib. XI. ep. 6. Phil. 14. OBTINENDIS} ab ijſdem, qui obtinerent. ep. 22. LABEFACTARE} debilitare, frangere. EVM, Clauiſium. ABSENS *obtinebat,*} per legatos: cum ipſe ad urbem eſſet cum imperio. reuertit autem in urbem, depoſito imperio. uide ep. 30. COMPELLATIONES} crebras appellationes uehementioribus uerbis: cum eum Cicero, crebro compellans, in urbem reuocaret. CONVICIO} conuicium fuit compellatio quotidiana. ep. 26. lib. XVI. PVRGAS:} quod meis litteris non obtemperaueris. ep. 22. QVODDAM *caecum tempus ſeruitutis.*} in quo non eluceret honeſtum, in quo homines recta non uiderent: ut facile tamquam in tenebris, errarent, ac laberentur. Hanc ego ueram eſſe huius loci ſententiam arbitror: eaq. duorum ueterum librorum teſtimonio comprobatur. In alijs pro, Caecum, legitur, Graecum: quod mendoſum puto. Sunt qui ex ingenio, Egregium, legendum exiſtiment. ex quo quaenam elici apta ad hunc locum ſententia poſsit, non equidem intelligo. In alijs, Gratum, mendoſe. TVORVM *conſiliorum auctor*} auctor, ut optime de rep. ſentires. RAPIEBAR} poſt Caeſaris necem, uexata ab Antonio conſule rep. ep. I. lib. X. Phil. I. Off. lib. I. Rapiebar, ſummam uoluntatem diſcedendi ex Italia demonſtrat. Diſceſsit autem ea mente, ut adeſſet. Kal. Ian. quo die noui conſules, Hirtius, & Panſa ſenatum habituri erant. ETESIAE} uenti euntibus in Graeciam ſecundi, in Italiam aduerſi. uide ep. 15. lib. 2. PROSEQVI *noluerunt:*} cum ſpirare per XL. dies perpetuo, & adiuuare curſum nauigantium ex Italia in Graeciam ſoleant. AVSTERQ. *aduerſus maximo flatu*} ep. 6. lib. XVI. ad Att. Reiectus ſum auſtro uehementi ad eandem Leucopetram. TRIBVLES *tuos*} Rhegienſes, legis Iuliae beneficio ciuitatem Romanam adepti, ſuffragium in tribu Attici ferebant. RHEGIVM} non Rhegium, ſed agri Rhegini promontorium Leucopetram: ut ex Phil. I. cognoſcitur. VENTIS, *remisq.*} Phil. I. Tanta ſum cupiditate incenſus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque uenti ſatisfacerent. POSTTRIDIEQ.} IV. non. Sept. nam in patriam Kal. Sept. peruenit. quo die uocatus in ſenatum ab Antonio conſule, non iuit. poſttridie autem, abſente Antonio, uenit in ſenatum, & Philippicam primam habuit: de qua loquitur, cum hic ſubiungit: Sic ſum in Antonium inuectus, ut ille non ferret. Et Phil. 5. Veni poſttridie: ipſe non uenit. locutus ſum de rep. minus etiam libere, quam mea conſuetudo, liberius tamen, quam pericula, minaeq. poſtulabant. IN *Antonium*} abſentem. VT *ille non ferret,*} inimicitias enim Ciceroni denunciauit. Phil. 5. VINOLENTVM} ideo ſubiungitur, Ructantem, & nauſeantem. EFFVNDERET,} apte, cum dixerit, Effunderet, orationem Antonij ſignificat: de qua in Phil. 5. In me abſentem orationem ex ore impuriſsimo euomuit. ELICERE *uellet ad caedis cauſſam,*} nam ad XIII. Kal. Oct. ideo Ciceronẽ Antonius adeſſe iuſsit in ſenatu, ut ab eo caedis initium faceret. quod Cicero ſuſpicatus, in ſenatum non iuit. hoc dilucide narratur Phil. 5. & ep. 2. h. l. INSIDIIS} ſi me elicere non poſſet ad caedis cauſſam: ideſt ſi ego in ſenatum non irem. caedem enim meam ſenatus primum occaſione quaeſiuit, deinde, ſi ego in ſenatum non irem, inſidijs. CONFECI *in Caeſaris Octauiani plagas.*} ſuam laudem cum Octauiano communicat. Confeci, inquit, ac perdidi Antonium, in Octauiani plagas, ideſt, ut Octauianus eum & ipſe conficeret. Placeret tamen, ut olim, Conieci, pro Confeci, unius litterae mutatione: nam F ab I, ſi maiuſculae ſcribantur, ut olim, non admodum differt. PVER *egregius*} ep. 7. lib. XI. ANTONII *reditus a Brundiſio*} ep. 23. & ad Att. ep. 7. lib. XVI. & Phil. 3. 4. 5. IN *tanta perturbatione*} quanta fuit uexata ab Antonio conſule rep. HIC *dies aliam uitam affert,*} uerba Terentij in Andr. Quidam legunt, Haec dies: opinor, ut tempus potius, quam certus dies oſtendatur. Mihi placet interpretatio, mutatio non placet: primum, ne diſſentiam ab antiquis libris, qui conſentiunt omnes in, Hic dies: quod etiam Donatus probat: deinde, quia dies uirili genere interdum tempus deſignat, itemq. muliebri certum diem. uide ep. 2. lib. I. ne iterentur eadem. CONSCENDO} communem bonorum nauem, tu quoque, inquit, cum bonis omnibus conſpira ad tuendam libertatem. VT *rectam teneamus*} ne naufragium reip. fiat. ep. 2. lib. I. ad Q. fratrem: ὀρθὰν τὰν ναῦν, & ἅπαξ θανεῖν. quod ab aliquo poeta ſumptum, uidetur. Ariſtides: εὖ ἴσθι ποσιδᾶν, ὅτι ὀρθὰν τὰν ναῦν καταδύσω. quod ita uertit Seneca lib. XII. epiſt. Neptune, numquam hanc nauem, niſi rectam. Inde prouerbium. QVID *enim praeſtare aliud uirtus poteſt?*} non poteſt praeſtare uirtus, id quod maxime uellem, ut bonorum nauis proſpero curſu feratur: hoc tamen poteſt, ne gubernatoris uigilantia, arteq. careat: quod certe non aberit. CVM *rep. coniunctam eſſe debere.*} non a paucorum potentia petendam. P. LVCCEIVM} quis non uidet initium eſſe alterius epiſtolae? cum infra de Panſa mortuo, ſupra de uiuo fiat mentio. De eodem Lucceio ep. 30. HIRTIVM, *& Panſam*} conſules. COLLEGAS *noſtros,*} in auguratu. Phil. 7. LIBERATA,} uicto ad Mutinam Antonio. NONDVM *omnino explicata:*} quia fugerant ex praelio Mutinenſi notiſsimi la-

tronum duces, ut ep.14. lib.x. ſcripſit ad Plancum: integro Antonij equitatu, ut ep. 34. SI *licebit*,} ſi aberit uis. interdum enim non licuerat. ep. 2. lib.x. CN. *Minucio*,} uel Cornificij legato, uel finitimã ei regionem adminiſtranti.

## Argumentum ep. 26.

*HEredes Turij commendat. Incertus annus.*

### *Cicero S. D. Cornificio.* 26.

*Q. TVRIVS, qui in Africa negotiatus eſt, uir bonus, & honeſtus, heredes fecit ſimiles ſui Cn. Saturninum, Sex. Aufidium, C. Anneium, Q. Conſidium Gallum, L. Seruilium Poſtumum, C. Rubellinum. ex eorum oratione intellexi, gratiarũ actione eos magis egere, quam commendatione. tanta enim liberalitate ſe tua uſos praedicabant, ut ijs plus a te tributum intelligerem, quam ego auderem te rogare. audebo tamen. ſcio enim, quantum ponderis mea commendatio ſit habitura. Quare a te peto, ut ad eam liberalitatem, quã ſine meis litteris uſus es, quammaximus his litteris cumulus accedat. Caput autem eſt meae commendationis, ne patiare Erotem Turium, Q. Turij libertum, ut adhuc fecit, hereditatem Turianam auertere; ceteriſq. omnibus rebus habeas eos a me commendatiſſimos. magnam ex eorum ſplendore, & obſeruantia capies uoluptatem. quod ut uelis, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

HONESTVS} ad honeſtatem familiae, non ad hominis mores, refertur. GRATIARVM *actione eos magis egere, quam commendatione.*} magis eſſe, cur tibi gratias agant, liberaliter iam a te tractati, quam quod tibi a me commendentur. LIBERALITATE} humanitate potius, quam largitione: ut ep. 7. lib. I. Tua praeſtanti in eum liberalitate. EROTEM} nomen ſerui, quod in liberto remanſit. SPLENDORE.} ſpecie quadam tum ex rei familiaris copia, tum ex quadam liberalis animi ſignificatione. ep. ſeq. & ep. 3. lib. I. VT *ſumma ſeueritas cum humanitate iungatur.*} Hae ſunt illae uirtutes, quae ſpecie diſpares, prudentia iunguntur: ut ait Cicero in Oratore. inde ſumitur ad laudandum egregia ſententia. itaque cum Cicero M. Brutum in libro de perfecto oratore laudat, Quid, inquit, tam diſtans, quam a ſeueritate comitas? quis tamen umquam te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior? Lib. III. de Leg. Quid eſt elegantia tua dignius? cuius & uita, & oratio conſecuta mihi uidetur difficillimam illam ſocietatem grauitatis cum humanitate. Eodem pertinet, quod ſcripſit ad Q. fratrem ep. I. lib. III. Quibus ille rebus fortaſſe nimis lenis uideretur, niſi haec lenitas illam ſeueritatem tueretur. Et paullo poſt: Haec illius ſeueritas acerba uideretur, niſi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Et ibidem, infra: Cyrus ille a Xenofonte non ad hiſtoriae fidem ſcriptus, ſed ad effigiem iuſti imperij: cuius ſumma grauitas ab illo philoſopho cum ſingulari comitate coniungitur. Et in Catone: Erat in illo uiro comitate condita grauitas. Nec diſsimile illud in Bruto: Sine arrogantia grauis eſſe uidebatur, & ſine ſegnitie uerecundus. Hanc laudem in Pomponio Attico ſcriptor uenuſtiſsimus Nepos fuiſſe oſtendit. Eius, inquit, comitas non ſine ſeueritate erat, neque grauitas ſine facilitate: ut difficile eſſet intellectu, utrum eum amici magis uererentur, an amarent. Cicero etiam filius de quodam Bruttio, rhetore Latino, ep. 24. lib. XVI. Cuius, inquit, cum frugi, ſeueraq. eſt uita, tum etiam iucundiſsima conuictio. Eodem illud pertinet lib. I. off. Ita probanda eſt manſuetudo, atque clementia, ut adhibeatur reip. cauſſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt. Tribuit hanc laudem Cicero L. Craſſo lib. I. de Orat. cum ait: Quo quidem in ſermone multa diuinitus a tribus illis conſularibus Cotta & commemorata, & deplorata dicebat: ut nihil incidiſſet poſtea ciuitati mali, quod non impendere illi tanto ante uidiſſent. eo autem ſermone confecto, tantam in Craſſo humanitatem fuiſſe, ut, cum lauti accubuiſſent. tolleretur omnis illa ſuperioris triſtitia ſermonis; eaq. eſſet in homine iucunditas, & tantus in iocando lepos, ut dies inter eos curiae fuiſſe uideretur, conuiuium Tuſculani. Idem de Catilina dixit in oratione pro Coelio: Cum triſtibus ſeuere, cum remiſsis iucunde, cum ſenibus grauiter, cum iuuentute comiter. Nec diſsimile illud pro Murena: Si illius comitatem, & facilitatem tuae grauitati, ſeueritatiq. aſperſeris. Quae collegimus more noſtro, ut in pulcherrima ſententia latini ſermonis copia cognoſcatur.

## Argumentum ep. 27.

*AVfidij, equitis Romani, Africana negotia commendat. Incertus annus.*

Cicero

### *Cicero S. D. Cornificio. 27.*

*SEx. Aufidius & obſeruantia, qua me colit, accedit ad proximos; & ſplendore equitis Romani nemini cedit. eſt autem ita temperatis, moderatisq. moribus, ut ſumma ſeueritas cum humanitate iungatur. cuius tibi negotia, quae ſunt in Africa, ita commendo, ut maiore ſtudio, magis ue ex animo commendare non poſſim. pergratum mihi feceris, ſi dederis operam, ut is intelligat meas apud te litteras maximum pondus habuiſſe. hoc te uehementer, mi Cornifici, rogo. Vale.*

### EXPLANATIO

PROXIMOS; } propinqui, ſunt ſanguine coniuncti: proximi, coniunctiores, quam propinqui. Phil. 14. Conſolemur eorum proximos.

---

## Argumentum ep. 28.

*COrnificij conſilium non probat, quia non animaduerterat in quoſdam Lilybaeo minantes: ſtudium eius in remp. laudat: de omittenda gratiarum actione aſſentitur: addit de pecunia, & de rep. Hirtio, & Panſa cos.*

### *Cicero S. D. Cornificio. 28.*

*ASSENTIOR tibi, eos, quos ſcribis Lilybaeo minari, iſtic poenas dare debuiſſe: ſed metuiſti, ut ais, ne nimis liber in ulciſcendo uiderere. metuiſti igitur, ne grauis ciuis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus uiderere. Quod ſocietatem reip. conſeruandae, tibi mecum a patre acceptam, renouas; gratum eſt: quae ſocietas inter nos ſemper, mi Cornifici, manebit. Gratum etiam illud, quod mihi tuo nomine gratias agendas non putas. nec enim id inter nos facere debemus. Senatus ſaepius pro dignitate tua appellaretur, ſi, abſentibus cõſulibus, umquam, niſi ad rem nouam, cogeretur. itaque nec de* H-S XX, *nec de* H-S DCC *quidquam agi nunc per ſenatum poteſt. tibi autem ex* S. C. *imperãdum, mutuumq. ſumendum cenſeo. In rep. quid agatur, credo te ex eorum litteris cognoſcere, qui ad te acta debent perſcribere. ego ſum ſpe bona: conſilio, cura, labore non deſum: omnibus inimicis reip. eſſe me acerrimum hoſtem praemefero. res neque nunc difficili loco mihi uidetur eſſe, & fuiſſet facillimo, ſi culpa a quibuſdam abfuiſſet. Vale.*

### EXPLANATIO

LILYBAEO } tria Siciliae promontoria, Pelorus in Italiam ſpectans, Pachynum in Graeciam Lilybaeum in Africam. TVO *nomine* } obſtudia in te mea. APPELLARETVR, } ſic unus omnino uetus liber, & recte. quamquam &, Appellaret, ſententiam habet, ſed, ut arbitror, minus aptam. potius enim pro alicuius dignitate ſenatus appellatur, qnam appellat. ABSENTIBVS } Mutinam profectis ad D. Brutum obſidione liberandum. H-S XX, } ſi, ſeſtertium uiginti millia, interpretemur: ſexcenti ſcutati erunt: exigua ſumma: itaque uereor, ne, uicies, melior ſit interpretatio: ideſt, ſcutatorum ſexaginta millia. H-D DCC } unum & uiginti millia ſcutatorum. TIBI *ex S. C. imperandum*, } ut, quam tibi ſenatus imperandi poteſtatem dedit, ea utaris. MVTVVM *ſumendum* } ut milites alere poſſis. ep. 30. QVIBVSDAM } ſi haec epiſtola ſcripta eſt ante praelium Mutinenſe, notat eos, qui Antonij cauſſam in ſenatu defendebant, ut Calenum, & alios: ſi poſt, Lepidum, & eos, qui Octauianum, caeſis Hirtio & Panſa, in ſpem conſulatus impulerant.

---

## Argumentum ep. 29.

*COmmendat ſtudioſe L. Lamiae negotia; eumq. ſuſpectum Cornificio, quaſi cuidam S. C. contra dignitatem eius facto affuiſſet, excuſat. Hirtio, & Panſa cos. uel eodem anno poſt eorum interitum.*

## *Cicero S. D. Cornificio.* 29.

NON *modo tibi, cui omnia noſtra notiſſima ſunt, ſed neminē in populo R. arbitror eſſe, cui ſit ignota ea familiaritas, quae mihi cum L. Lamia eſt. etenim magno theatro ſpectata eſt tum, cum eſt ab A. Gabinio cos. relegatus, quod libere, & fortiter ſalutem meam defendiſſet. nec ex eo amor inter nos natus eſt: ſed, quod erat uetus, & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitauit. ad haec officia, uel merita potius, iucundiſſima conſuetudo accedit, ut nullo prorſus plus homine delecter. Non puto te iam exſpectare, quibus eum tibi uerbis commendem. cauſſam enim tanti amoris intelligis. quae uerba deſideret, ijs me omnibus uſum putato. tantum uelim exiſtimes, ſi negotia Lamiae, procuratores, libertos, familiam, quibuſcumque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quam ſi ea tua liberalitas pertinuiſſet ad rem familiarem meam. nec dubito, quin ſine mea commendatione, quod tuum eſt iudicium de hominibus, ipſius Lamiae cauſſa ſtudioſe omnia facturus ſis. quamquam erat nobis dictum, te exiſtimare, alicui* S. C. *quod contra dignitatem tuam fieret, ſcribendo Lamiam affuiſſe: qui omnino conſulibus illis numquam affuit ſcribendo. deinde omnia tum falſa* S. C. *deferebantur. niſi forte etiam illi Semproniano* S. C. *me cenſes affuiſſe, qui ne Romae quidem tum fui, ut de eo ad te ſcripſi re recēti. Sed haec hactenus. Te, mi Cornifici, etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiae negotia, mea putes eſſe; curesque, ut intelligat hanc commendationem maximo ſibi uſui fuiſſe. hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura ut ualeas.*

## EXPLANATIO

L. LAMIA} Aeliae gentis. uide ep. 16. lib. XI. MAGNO *theatro*} palam, ut in theatro. RELEGATVS,} quo tempore princeps erat equeſtris ordinis; nunc autem ſenator, edilitate iam geſta. ep. 16. lib. XI. & orat. pro Sextio. SALVTEM *meam*} a Clodio trib. pl. oppugnatam. OFFICIA, *uel merita potius,*} ep. 17. lib. XI. FAMILIAM,} ſeruos. ep. 3. lib. I. OMNIA *tum falſa S. C. deferebantur.*} Antonio, ut opinor, & Dolabella cos. uide ep. 1. SEMPRONIANO S. C.} Sempronij cauſſa facto. ep. 25. NE *Romae quidem tum fui,*} diſceſsit, ut in Graeciam iret, deſperata libertate. ep. 25. AD *te ſcripſi*} ſignificat eam partem ep. 25. in qua ſcripſit illa: Ego, tuorū conſiliorum auctor, &c.

---

# Argumentum ep. ult.

*PVrgat ſe Cornificio, officium litterarum requirenti: ſcribit de bello Antoniano renouato: de ſuo ſtudio in amicitia colenda, de anguſtijs pecuniae publicae, de Dionyſio, Lucceio, & Caluiſij legatis. Poſt obitum Hirtij, & Panſae.*

## *Cicero S. D. Cornificio.* 30.

IT A *ne? praeter litigatores, nemo ad te meas litteras? multae iſtae quidem. tu enim perfeciſti, ut nemo ſine litteris meis tibi ſe commendatum putaret. ſed quis umquam tuorum mihi dixit eſſe, cui darem, quin dederim? aut quid mihi iucundius, quam, cum coram tecum loqui non poſſim, aut ſcribere ad te, aut tuas legere litteras? illud magis mihi ſolet eſſe moleſtum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te ſcribendi meo arbitratu facultas nulla detur. non enim te epiſtolis, ſed uoluminibus laceſſerem, quibus quidem me a te prouocari oporteret. quamuis enim occupatus ſis, otij tamen plus habes: aut, ſi ne tu quidem uacas, noli impudens eſſe, nec mihi moleſtiā exhibere, & a me litteras crebriores, cum tu mihi raras mittas, flagitare. nam cum antea diſtinebar maximis occupationibus; propterea quod omnibus curis remp. mihi tuendam putabam: tum hoc tempore multo diſtineor uehementius. V T enim grauius aegrotant ij, qui, cum leuati morbo uiderentur, in eum deintegro inciderunt: ſic uehementius nos laboramus, qui, profligato bello, ac paene ſublato, renouatum bellum gerere conamur. Sed haec hactenus. Tu tibi, mi Cornifici, fac ut perſuadeas, non eſſe me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut a te uinci poſſim aut officijs, aut amore. non dubitabam equidem: uerumtamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus. o hominem ſemper illum quidem mihi aptum, nunc uero etiam ſuauem. uultus mehercule tuos mihi expreſſit omnes; non ſolum animum, ac uerba pertulit. itaque noli uereri, ne tibi ſuccenſuerim, quod eodem exemplo ad me, quo ad ceteros. requiſiui equidem proprias ad me unum a te litteras, ſed neque uehementer, & amanter. De ſumptu, quem te in rem militarem facere, & feciſſe dicis, nihil ſane poſſum tibi opitulari: propterea quod & orbus ſenatus, conſulibus amiſsis; & incredibiles anguſtiae pecuniae publicae: quae conquiritur undique, ut optime meritis militibus promiſſa ſoluantur: quod quidem fieri ſine tributo poſſe non arbitror. De Attio Dionyſio nihil puto eſſe, quoniam mihi nihil dixit Strato-*

*rius. De P. Lucceio, nihil tibi concedo, quo ſtudioſior eius ſis, quam ego ſum. eſt enim nobis neceſſarius. ſed, a magiſtris cum contenderem de proferendo die, probauerunt mihi, ſeſe, quo minus id facerent, & compromiſſo, & iureiurando impediri. quare ueniendum arbitror Lucceio. quamquam, ſi meis litteris obtemperauit, cum tu haec leges, illum Romae eſſe oportebit. Ceteris de rebus, maximeq. de pecunia, cum Panſae mortem ignorares, ſcripſiſti quae per nos ab eo conſequi te poſſe arbitrarere. quae te non fefelliſſent, ſi uiueret. nam te diligebat. poſt mortem autem eius quid fieri poſſet, non uidebamus. De Venuleio, Latino, Horatio, ualde laudo. illud non nimium probo, quod ſcribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademiſſe. honore enim cum ignominia dignis non erant comparandi: eosq. ex S. C. ſi non decedunt, cogendos, ut decedant, exiſtimo. Haec fere ad eas litteras, quas eodem exemplo binas accepi. De reliquo, uelim tibi perſuadeas, non eſſe mihi meam dignitatem tua cariorem. Vale.*

# EXPLANATIO

MVLTAE *iſtae quidem.*} uel ſi uerum ſit, quod ſcribis, neminem ad te, praeter litigatores, meas litteras afferre: multae tamen hae ſunt. VOLVMINIBVS} paucae enim epiſtolae uolumina ſunt ep. 7. lib. III. VACAS,} otium habes. ep. 3. lib. IIX. NEC *mihi moleſtiam exhibere*,} Etſi, Nec, a uerbo Noli pendeat: ſententia tamen propter duas negationes ad affirmationem non traducitur, ſed uim retinet negandi: quod uſitatum non modo Ciceroni, ſed alijs etiam animaduerti, ep. 15. lib. VII. ad Att. Plerique negant, Caeſarem in condicione manſurum; poſtulataq. haec ab eo interpoſita eſſe, quo minus, quod opus eſſet ad bellum, a nobis pararetur. Quo loco ex uerbo, Negant, elicitur primum negatio, deinde affirmatio: ut negatio referatur ad, Caeſarem in condicione manſuram: affirmatio ad, Poſtulata interpoſita eſſe. Sic lib. III. de Orat. Nemo extulit eum uerbis, qui ita dixiſſet, ut, qui adeſſent, intelligeret quid diceret; ſed contempſit eum, qui minus id facere potuiſſet. Pro Roſcio com. Aduerſaria in iudicium protulit nemo: codicem protulit. lib. III. bel. ci. L. Straberius obſides ab Apolloniatibus exigere coepit. illi uero daturos ſe negare; neque portas conſuli praecluſuros. Horatius Sat. I.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus uiuat: laudet diuerſa ſequentes.

nam uerbum, Laudet, non reſpicit Nemo, ſed incluſam in Nemo affirmationem. Et infra, in eadem Sat. VT. ENIM *grauius aegrotant ij*,} ep. 12. lib. XVI. Graues ſolent offenſiones eſſe ex grauibus morbis. LABORAMVS,} non diſceſsit a uerbo, Morbis accommodato. PROFLIGATO *bello, ac paene ſublato*,} Profligare quid hic ſit, intelliget, qui legerit ea, quae diximus ep. 6. lib. IIX. RENOVATVM *bellum*} Lepidi ſcelere, qui Antonium, pugna Mutinenſi fractum, inermem, fugientem recepit, & auxilio exercitus ſui confirmauit. ep. 8. 10. MIHI *aptum*,} accommodatum naturae meae. NOLI *uereri*,} uereri ſe, ſcripſerat Cornificius. DE *ſumptu*,} de quo ep. 28. IN *rem militarem facere*,} impenſam facere, ep. 2. lib. XIV. CONSVLIBVS *amiſſis*;} Hirtio, & Panſa. ep. 23. NIHIL *ſane poſſum tibi opitulari*:} idem ſcripſit ep. 28. OPTIME *meritis*} bello Mutinenſi. uide Phil. 14. INCREDIBILES *anguſtiae pecuniae publicae*:} & ad M. Brutum: Maximus in rep. nodus eſt, inopia rei pecuniariae. TRIBVTO} quod impoſitum populo non erat poſt deuictam ab Aemilio Paullo Macedoniam. lib. 2. off. Plutarchus in Paulli uita. in epiſtola uero ad M. Brutum; Obdureſcunt magis quotidie boni uiri ad uocem tributi: quod ex centeſima collatum, impudenti cenſu locupletum, in duarum legionum praemijs omne conſumitur. DE. ATTIO *Dionyſio*} ſi eſt idem, de quo in ep. 24. Attico legi malim, quam Attio: ut ab Attico & cognomen, & nomen acceperit. quod etiam Corrado placuit. ep. 15. lib. IV. ad Att. DE. P. *Lucceio*,} ep. 26. MAGISTRIS} auctionum. DIE,} auctionum. VENVLEIO, *Latino, Horatio*,} legatis C. Caluiſij, per quos Africam prouinciam abſens obtinebat. ep. 25. VALDE *laudo*.} quod lictores illis ademeris. HONORE} digni. IGNOMINIA *dignis*} Dignus tam in malam, quam in bonam partem accipitur. lib. I. de Fin. Dignus odio. Terentius in Eun. Contumelia digna ſum.

IN . EPISTOLARVM

# M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . TERTIVMDECIMVM

AD . MEMMIVM . ET . ALIOS

# PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

## Argumentum ep. I. lib. XIII.

EXVLABAT *C. Memmius, de ambitu biennio antè damnatus, accuſante Q. Curtio. quod ex ep. 2. lib.* III. *ad Q. fr. cognoſcitur. Eum Cicero, ad Ciliciae adminiſtrationem proficiſcens, cum Athenis non reperiſſet, (nam pridie Mitylenas profectus erat) petijt ab eo per litteras, ut rediret in gratiam cum Patrone Epicureo, eiq. locum, ubi habitauerat Epicurus, concederet. Ser. Sulpicio Rufo, M. Claudio Marcello cos.*

*Cum haec epiſtola ceteris omnibus commendaticijs, quae in hoc libro continentur, ordine, & ſubtilitate antecellat; utpote quam ipſe Cicero in quadam ad Atticum epiſtola, ſcriptam accurate, fateatur; gratam ſtudioſis operam nos eſſe nauaturos exiſtimauimus, ſi, diſtributo in partes argumento, quid artificij ſingulae partes habeant, quid in ſingulis animaduerti, cognoſciq. expediat, oſtenderemus.*

*Acturus cum C. Memmio de parietinis Epicuri, philoſopho Epicureo Patroni concedendis, oratorio more, prius quam aggrediatur, eius gratiam, & beneuolentiam inſinuatione quadam aucupatur. Quae uero ad conciliandā bene-*

*beneuolentiam, & gratiam cauſſae ualent, earum duas elicit ex amore ſuo, quas priore loco ponit, duas ex iudicio, quas proxime ſubiungit. Amorem declarat ſignificatio uel moleſtiae; uel uoluptatis. Nam & uoluptate afficitur, qui amicum uidet, & moleſtia, qui eundem uidet exſulantem. Iudicium oſtenditur in eo, quia, cum duo nobis optanda magnopere ſint, unum, ut culpa uacemus, alterum, ut aduerſa modice feramus; utrumque Memmio tribuit: cum & iniuriam appellat eius caſum; & ſapientiam in ferendo laudat. Nec uero argumentum illud amoris obſcurum eſt, quod ait: Vidiſſe te mallem: nec mediocre illud; Non dubitabo dare operam, ut te uideam. Collecta Memmij gratia, aggreditur ea, quae ad impetrandum pertinent. Nam cum ait: Per litteras agam, quod, ut arbitror, confici poteſt: aequitatem petitionis indicat, cum infert: A te illud primum rogabo; ne quid inuitus mea cauſſa facias; & quae ſequuntur: inutili modeſtia non utitur. magis enim apud bonum & ſapientem uirum proficit uerecundia petentis, quam contentio. Hoc uſus exordio, tranſit ad narrationem. ea quattuor habet partes, omnes, ut opinor, obſeruatione dignas: quando non ita videmur natura praeſtare, vt, imitatione nulla, poſsimus excellere: quamquam nec imitationi, & ſtudio, ſi abſit naturae vis, quidquam tribuerim. Primum de ipſo Patrone, qui commendatur, ſermo inducitur: deinde res exponitur: tum, quaſi nec in homine, nec in re multum ponatur, Attici voluntas & ſtudium oſtenditur: extremum petitio locum obtinet. Hanc diuiſionem ſequitur alia: quae naſcitur e ſingulis partibus: ſingulae enim habent, quod conſiderari vtiliter poſsit. In prima, commendandi cauſſas Cicero iuſtas proponit, quod eum commendet, qui cum ſibi omnia ſint; eum, qui ſe coluerit in primis; eum, quē ipſe cum alijs quidem, praecipua tamen cura defenderit: ut in eo nunc tuendo, & commendando non ſolum amicitiae, uerum etiam conſtantiae ſuae rationem habere videatur. Nec uero illud otioſum eſt, aut inculcatum temere, quod ipſum quoque Memmium a Patrone ait obſeruatum eſſe. nam ea commemoratio alienatum eius animum fortaſſe ad lenitatem reuocare poteſt. Denique fidem agi ſuam oſtendit: cum ſibi a Phaedro philoſopho, uiro bono, & ſuaui, & officioſo, traditus olim Patro, commendatuſq. ſit. Hactenus de homine: de re ſubiunguntur, quae placare Memmium, & id, quod petitur, impetrare poſſint. Ad placandum quid ualet? ſupplex uoluntas eius, qui laeſit; extenuatio culpae; interceſsio communis amici. Voluntas Patronis exſtat in ijs uerbis: Cum ad me litteras miſiſſet, uti te ſibi placarem. Extenuatio culpae colligitur ex tribus cauſsis. Prima oſtenditur in eo: ſi qua offenſiuncula facta eſt animi tui. quo delictum leuiſsimum demonſtratur. Altera: Peruerſitate aliquorum. non enim parui refert, utrum improbitate, an peruerſitate peccetur: cum peruerſitas ad ſtultitiam quandam, improbitas ad uitioſam uoluntatem referatur. Tertia; noui gentem illam. non enim unius hominis*

*propria,*

propria, ſed omnium eſt culpa communis. Accedit interceßio Ciceronis. quae nec ipſa caret artificio: nam & petitionem & ſuaſionem continet. rurſus petitio non eſt ſimplex, ſed conſtat ex tribus partibus quarum prima; Velim des te ad lenitatem; ipſa per ſe non ita multum ualet, ſed quaſi uires auget acceſſione proximarum, uel propter tuam ſummam humanitatem, uel honoris mei cauſſa. Suaſio petitionem adiuuat: affert enim rationem, cur negari non poßit. Hoc, inquit, ſi a te nec humanitas tua, nec impetrat honor meus: impetret ratio. Siquidem id, quod ut aſſequatur, Patro contendit, eiuſmodi non eſt, ut repugnare debeas. Laborare autem ſine cauſſa, tibi multo minus, quam illi, conceditur. quamquam ille, cur laboret, cauſſam habet, leuem quidem opinione noſtra, illius tamẽ iudicio ſatis grauem. de parietinis enim illis ideo laborat, quia ſibi honorem, officium, teſtamentorum ius, Epicuri auctoritatem, ueſtigia ſummorum uirorum tuenda eſſe dicit. At in hoc ipſo peccat, quod haec tanti facit. (id enim obijcere Memmius poterat) ſit ita: ueruntamen ignoſcere fortaſſe debemus ei, qui etiam ſi peccat, magis ineptijs, quam improbitate peccat. Vt omittam, quod, ſi errorem ſocietas minuit, quoſdam homines, quibus non ualde inimici ſumus, eadem illa delectant. Haec neque ad impetrandum leuia ſunt, & grauiora fiunt accedente Attici uoluntate. is enim & Ciceroni uehementer Patronis negotium commendauerat: & ei Cicero petenti, quem ſic amaret ut fratrem, negare nihil poterat. Claudit epiſtolã breuis & modeſta petitio. Breuitas excuſatur: quia plura uerba res non deſiderat; cum ſatis multa dicta iam ſint. Modeſtia uero, tantum abeſt, ut nocere poßit, ut etiam ſuffragetur, & eo magis, quod ex ijs, quae dicta ſunt, cupiditas apparet.

## *Cicero S. D. C. Memmio.* I.

ETSI non ſatis mihi conſtiterat, cum aliqua ne animi mei moleſtia, an potius libenter te Athenis uiſurus eſſem; quod iniuria, quam accepiſti, dolore me afficeret, ſapientia tua, qua fers iniuriam, laetitia: tamen uidiſſe te mallem. nam, quod eſt moleſtiae, non ſane multo leuius eſt, cum te non uideo: quod eſſe potuit uoluptatis, certe, ſi uidiſſem te, plus fuiſſet. itaque non dubitabo dare operam, ut te uideam, cum id ſatis commode facere potero. interea, quod per litteras & agi tecum, &, ut arbitror, confici poteſt, agam. nunc a te illud primum rogabo, ne quid inuitus mea cauſſa facias; ſed id, quod mea intelliges multum, tua nullam in partem intereſſe, ita mihi des, ſi tibi, ut id libenter facias, ante perſuaſeris. Cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt; niſi quod in philoſophia uehementer ab eo diſſentio. ſed & initio Romae, cum te quoque, & tuos omnes obſeruabat, me coluit in primis: & nuper, cum ea, quae uoluit, de ſuis commodis, & praemijs conſecutus eſt, me habuit ſuorum defenſorum, & amicorum fere principem: & iam a Phaedro, qui nobis, cum pueri eſſemus, ante quam Philonem cognouimus, ualde, ut philoſophus, poſtea tamen, ut uir bonus, & ſuauis, & officioſus, probabatur, traditus mihi, commendatusq. eſt. Is igitur Patro cum ad me Romam litteras miſiſſet, uti te ſibi placarem, peteremque, ut neſcio quid illud Epicuri parietinarum ſibi concederes: nihil ſcripſi ad te ob eam rem, quod aedificationis tuae conſilium mea commendatione nolebam impediri. idem ut ueni Athenas, cum, idem ut ad te ſcriberem, rogaſſet; ob eam cauſſam impetrauit, quod te abieciſſe illam aedificationem, conſtabat inter omnes amicos tuos. quod ſi ita eſt: & ſi iam plane tua nihil intereſt: uelim, ſi qua offenſiuncula facta eſt animi tui, peruerſitate aliquorum; (noui enim gentem illam) des te ad lenitatem, uel propter tuam ſummam humanitatem, uel etiam honoris mei cauſſa. equidem, ſi, quid ipſe ſentiam, quaeris; nec, cur ille tantopere contendat, uideo, nec cur tu repugnes: niſi tamen multo minus tibi concedi poteſt, quam illi, laborare ſine cauſſa. quamquam, Patronis & orationem, & cauſſam tibi cognitam eſſe, certo ſcio. honorem,

officium,

*officium, teſtamentorum ius, Epicuri auctoritatem, Phaedri obteſtationem, ſedem, domicilium, ueſtigia ſummorum hominum ſibi tuenda eſſe dicit. totam hominis uitam, rationemque, quam ſequitur in philoſophia, derideamus licet, ſi hanc eius contentionem uolumus reprehendere. ſed mehercule, quando illi, ceteriſque, quos illa delectant, non ualde inimici ſumus; neſcio an ignoſcendum ſit huic, ſi tantopere laborat: in quo etiam ſi peccat, magis ineptijs, quam improbitate peccat. Sed, ne plura; (dicendum enim aliquando eſt) Pomponium Atticum ſic amo, ut alterum fratrem. nihil eſt illo mihi nec carius, nec iucundius. is, non quo ſit ex iſtis, (eſt enim omni liberali doctrina politiſſimus: ſed ualde diligit Patronem, ualde Phaedrum amauit) ſic a me hoc contendit, homo minime ambitioſus, minime in rogitando moleſtus, ut nihil umquam magis: nec dubitat, quin ego a te nutu hoc conſequi poſſim, ita etiam, ſi aedificaturus eſſes. nunc uero, ſi audierit te aedificationem depoſuiſſe, neque tamen a te impetraſſe; non te in me illiberalem, ſed me in ſe negligentē putabit. Quamobrem peto a te, ut ſcribas ad tuos, poſſe tua uoluntate decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν illi uocant, tolli. Sed redeo ad prima. prius uelim tibi perſuadeas, ut hoc mea cauſſa libenter facias, quam ut facias. ſic tamen habeto; ſi feceris, quod rogo, fore mihi gratiſſimum. Vale.*

## EXPLANATIO

C. MEMMIO.} Hic eſt ille Memmius, qui Pompeij Magni uxorem, miſsis per Niciam grammaticū codicillis, de ſtupro appellauit. Suetonius in libro de claris gramm. Idem L. Lucullum, ex bello Mithridatico redeuntem, tribunus pl. die ad populum dicta, triumphare aliquandiu prohibuit. Plutarchus in Lucullo. Aliquanto poſt cum uxore M. Luculli, Lucij fratris, adulterium commiſit. ep. 16. lib. I. ad Att. Biennio poſt praetor de ſuperioris anni actis ad ſenatum retulit, ut C. Caeſar, qui ſuperiore anno conſul fuerat, actorum ſuorum rationem reddere cogeretur. quaeſtionem cum exercere uellet in Vatinium, lege Licinia, & Iulia accuſatum, ui de tribunali deturbatus aufugit. Suetonius in Caeſare, interrogatio in Vatinium. Poſt triennium, cum Appio, & Ahenobarbo cos. obtinendi conſulatus gratia, turpi pactione coiuit: idemq. poſtea pactionem illam in ſenatu recitauit. ep. ult. lib. IV. ad Att. Eodem anno de ambitu accuſatus, & damnatus, Athenas in exſulium profectus eſt. erant enim quaedam liberae ciuitates, in quibus tuto Romanis exſulibus liceret eſſe, Athenae, Mitylenae, Rhodus, Smyrna, Dirrhachium, Maſsilia, & aliae. ep. 2. lib. III. ad Q. fr. & Appianus lib. III. Memmia gens plebeia fuit: quod uel uno probatur argumento; quia Memmius hic, ad quem Cicero ſcribit, tribunus pl. fuit. non licuiſſe autem homini patricio tribunatum pl. gerere, ſatis conſtat. Hanc gentem a Mneſtheo, Aeneae ſocio, originem duxiſſe, ait Seruius lib. IV. Aen. in illo uerſu: Mox Italus Mneſtheus. ET. SI. NON *ſatis mihi conſtiterat*,} ſimile principium ep. 27. lib. XI. Nondum ſatis conſtitui, &c. ATHENIS} pridie quam Cicero in Ciliciam proficiſcens Athenas uenit, (ep. X. lib. V. ad Att.) Memmius Mitylenas profectus erat: (ep. XI. ad eundem) quod animi parum amici ſignum fuit. etſi perbelle quidem id Cicero diſsimulat. ac mihi cauſſam quaerenti, cur Ciceronis congreſſum uitauerit Memmius, uenit in mentem ſuſpicari, quia reum de ambitu Cicero defendere noluerit. nuſquam enim ſignificat, eum a ſe defenſum. quin etiam ep. 2. lib. III. ad Q. fr. bene ſentire ſe oſtendit de eius accuſatore Curtio, quem uocat bonum & eruditum adoleſcentem; peſsime autem de ipſo Memmio, cum ſubiungit; eius abſolutionem legum interitum fore. INIVRIA,} quod iniuſto iudicio damnatus eſſet. Ad Memmij gratiam hoc dicit. aliter enim eum ſentire, perſpicue cognoſcitur ex ijs uerbis, quae ſunt in ep. 2. lib. III. ad Q. fr. QVOD *eſt moleſtiae*,} in te exſule uidendo. CVM *te non uideo*:} quia fructu careo ſuauiſsimae conſuetudinis tuae. QVOD *eſſe potuit uoluptatis*,} quaſi, non poſsit eſſe ſumma, ob amici calamitatem: ſed, quae potuit eſſe, maior, ſi te uidiſſem, fuiſſet, quam eſt, cum te non uideo. nam etſi, cum ſapientiam tuam, qua fers iniuriam, diſiunctus a te cogito; uoluptatem aliquam capio: tamen, ſi te uidiſſem, aliquanto maiorem cepiſſem. manſiſſet enim uoluptatis eadem cauſſa: & aliquid praeterea, cum te praeſens praeſentem uiderem, tuoq. ſermone fruerer, acceſsiſſet. NON *dubitabo dare operam*,} licet cum aliqua moleſtia te ſim uiſurus: non dubitabo tamen operam dare, ut te uideam. CVM *id ſatis commode facere potero*,} his uerbis cum ſpes futuri temporis, tum excuſatio praeſentis affertur. nec abeſt in Memmium aculeus, qui, cum audiret Ciceronis aduentum appropinquare, diſceſſerit. ET, *ut arbitror confici poteſt*,} non enim a te petam, quod impetrare non debeam. CVM *patrone Epicureo*,} hic uidetur principem locum Athenis tenuiſſe in Epicurea familia. quod infra perſpicuum fit ex ijs uerbis: Honorem, officium, &c. MIHI *omnia ſunt*;} utrum hoc ad amicitiam, an ad mutua pertinet officia? ad amicitiam, opinor. nam officia potuit quidem Cicero in Patronem & plurima, & maxima conferre: ille in Ciceronem, Graeculus homo, nullis opibus, nulla auctoritate, quae potuit? atque etiam id, quod ſequitur: Niſi quod in philoſophia uehementer ab eo diſſentio: pertinere magis ad amicitiam uidetur. idem intelligitur ſubiectis exemplis. nam ep. 10. lib. XV. Si mihi tecum minus eſſet, quam eſt, cum tuis omnibus: allegarem ad te illos, a quibus intelligis me praecipue diligi. Et ad Att. ep. 17. lib. XII. Mihi ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio. Ad eundem: ep. 15. lib. XIV. Bruto meo nullo loco deero: idq. etiam ſi mihi cum illo nihil fuiſſet, facerem propter eius ſingularem, incredibilemq. uirtutem. In Verr. lib. V. Non, ut quiſque maxime eſt, qui cum tibi aliquid ſit, ita tui huiuſcemodi criminis maxime eum pudet? DISSENTIO.} ep. 25. lib. IX. Eius opera utor in ijs controuerſijs, quas habeo cum tuis combibo-

nibus Epicureis. Summum bonum Epicurus in uoluptate, Academici, quorum ſententiam Cicero probauit, in honeſto, & uirtute collocarunt. quamquam Epicurus quoque uoluptatem ſuam a uirtute non diſiunxit. uide ep. 17. lib. xv. & Laertium. DE *ſuis commodis, & praemijs,*} quae nam haec ſint commoda, & praemia, diuinare non licet: niſi ſi, quod inter Epicureos excelleret, commoda ſibi aliqua & praemia poſtulauit: qua de re lite orta, Romam uenit, & patrono in primis Cicerone, quae uoluit, a ſenatu conſecutus eſt. A PHAEDRO,} principes Epicureae ſectae, Ciceronis aetate, uidentur fuiſſe, primum Phaedrus, poſt eum Philo, poſt Philonem Patro. Nobilis philoſophus in Philippica quinta Phaedrus uocatur. ANTE *quam Philonem cognouimus,*} Philo enim eruditior. ep. 8. lib. IX. De fin. lib. v. ſic autem Tuſc. 2. Noſtra memoria Philo, quem nos frequenter audiuimus, inſtituit alio tempore rhetorum praecepta tradere, alio philoſophorum. ad quam nos conſuetudinem a familiaribus noſtris adducti in Tuſculano, quod datum eſt temporis, in eo conſumpſimus. COGNOVIMVS,} cognouit eum Sulla & Pompeio cos. ut in libro de claris orat. VT *uir bonus,*} non amplius, ut philoſophus. in quo notandum, uirum bonum uocari, qui cum Epicuro ſentiat: cum tamen dixerit, ſe ab eo uehementer in philoſophia diſſentire. ſed aliud eſt, in uita: aliud, in philoſophia diſſentire. TRADITVS *mihi,*} in clientelam, & fidem. VTI *te ſibi placarem,*} iratum Patroni Memmium fuiſſe, ad Atticum ſcripſit ep. XI. lib. v. cur fuerit iratus, neque in illa epiſtola, neque in hac oſtendit. quin etiam ſcire ſe diſsimulat, cum ait: Si qua offenſiuncula facta eſt animi tui peruerſitate aliquorum. NESCIO *quid illud Epicuri parietinarum*} minimam rem a ſe petroſtendit, quo facilius impetret; & ſimul ut pudeat Memmium de parietinis illis laborare. minus autem eſt, Neſcio quid illud parietinarum, quam ſi dixiſſet, parietinas illas neſcio quas. ep. 4. lib. xv. Quaeres fortaſſe, quid ſit, quod ego hoc neſcio quid gratulationis, & honoris a ſenatu, tanti aeſtimem. AEDIFICATIONIS *tuae conſilium,*} Areopagitae, decreto facto, Memmio conceſſerant, ut aedes Epicuri ueteres, quas Cicero ut in contemptionem adduceret, parietinas uocauit, commodi ſui gratia exaedificare poſſet. IDEM *ut ad te ſcriberem,*} Mitylenas. ABIECISSE *illam aedificationem,*} pro, abieciſſe aedificandi conſilium. infra: Aedificationem depoſuiſſe. & ad Att. ep. XI. lib. v. Memmius aedificandi conſilium abiecerat. ſic ep. 15. lib. IX. Domum Sullanam non abieci: pro, conſilium emendi domum Sullanam non abieci. SI *iam plane tua nihil intereſt:*} ſiquidem aedificandi conſilium abieciſti. SI QVA *offenſiuncula facta eſt animi tui,*} ſi qua re leuiter offenſus eſt animus tuus. nam ſi grauiter eſſet offenſus, petere a te non auderem, ut ad lenitatem te dares. PERVERSITATE} qui, contra quam debet, agit, peruerſus eſt; peruertit enim ordinem rerum: & actio ipſa peruerſitas. nec tamen ſequitur, ut, qui peruerſe agit, idem improbe agat: nam peruerſitas non ſemper cum peccandi uoluntate coniungitur: atqui improbe, idem peruerſe. ep. 7. lib. I. Eſt incredibilis hominum peruerſitas; (grauiore enim uerbo uti non libet) qui nos, quos fauendo in communi cauſſa retinere potuerunt, inuidendo abalienauerunt. ALIQVORVM;} remouet culpam a Patrone, uel certe minuit, quia cum alijs eam communicat. GENTEM. ILLAM} non, omnes Graecos, uerum Epicureos tantum. dixit autem hoc non ſine contemptione quadam. DES *te ad lenitatem,*} iracundiam deponas. VEL *propter tuam ſummam humanitatem, uel etiam honoris mei cauſſa.*} hoc tribue uel humanitati tuae, quae te non patitur offenſiore cuiquam eſſe animo; uel honori meo, qui hoc a te peto: ut aliquid apud te, atque adeo multum interceſsio mea ualere uideatur. NISI. TAMEN} pro, Sed tamen: ut ep. 73. De re nihil poſſum iudicare: niſi illud mihi certe perſuadeo, te, talem uirum, nihil temere feciſſe. Et ad Att. ep. 14. lib. v. ep. 6. 23. lib. XI. Terentius in Andr. Quamobrem? neſcio niſi mihi deos ſatis ſcio fuiſſe iratos, qui auſcultauerim. LABORARE *ſine cauſſa.*} cur enim labores de parietinis illis? CAVSSAM} qua adducitur, ut tantopere contendat. HONOREM,} quod ibi habitauerit Epicurus. OFFICIVM,} ſuum, debitum Epicuri aedibus. TESTAMENTORVM *ius,*} tuenda enim teſtamentorum iura ſunt. hoc dicit, quia ſuos hortos Epicurus, in quibus habitare, ac docere ſolitus erat, amico ſuo Metrodoro moriens teſtamento reliquerit, eo iure, ut poſt eius obitum ad alios Epicureae ſectae principes poſſeſsio perueniret. Laertius: EPICVRI *auctoritatem,*} quae minuitur, ſi, quibus in locis habitauit, ea deſerantur. PHAEDRI *obteſtationem,*} obteſtatus erat Phaedrus, cum uiueret, ne hortos Epicuri negligerent, ne ue occupari a quoquam ſinerent. SEDEM, *domicilium,*} ſedes poſſeſsionem antiquam, domicilium habitationem ſignificat. poteſt autem & ſedes ſine domicilio eſſe, & domicilium ſine ſede. coniunguntur hic, & infra, ep. 4. VESTIGIA *ſummmorum hominum*} ſolum ipſum, ueſtigijs impreſſum maximorum hominum Epicureorum. VITAM,} ex Epicuri traductam inſtituto. RATIONEMQ.} ſententiam. DERIDEAMVS *licet,*} cum uero non derideamus; nam nec illi, nec ceteris, quos illa delectant, ualde inimici ſumus; hanc eius contentionem reprehendere non debemus. NON *ualde inimici ſumus,*} ſi dixiſſet, Minime inimici ſumus, quod erat uerius; Epicuri philoſophiam probare uiſus eſſet. in quo diſcreparet a ſe ipſo. dixit enim ſupra: Cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt; niſi quod in philoſophia uehementer ab eo diſſentio. Quare Memmio gratificans, Non ualde, inquit, inimici ſumus. Tantum porro abeſt, ut Cicero Patroni, & ceteris, quos Epicuri philoſophia delectabat, ualde inimicus eſſet, ut eos etiam ualde diligeret. de Patrone ipſo dixit iam: Me habuit ſuorum defenſorum, & amicorum fere principem. Atticum, Paetum, Caſsium, Panſam Ciceroni cariſsimos, & iucundiſsimos fuiſſe, ſcriptae ad eos epiſtolae demonſtrant. qui omnes quin idem, quod Epicurus, de uoluptate ſenſerint, negari non poteſt. de Paeto ſatis plane cognoſcitur ex ep. 25. lib. IX. de Caſsio ex ep. 16. 17. 19. lib. xv. & ex Plutarchi Bruto: de Panſa ex ep. 12. lib. VII. ep. 19. lib. xv. de Attico infra pluribus uerbis. NESCIO, *an ignoſcendum ſit huic,*} fortaſſe ignoſcendum eſt huic. Ne

hic

hic quidem audet dicere, Ignoſcendum eſt huic: ne uitam hominis, rationemq. probare uideatur. NON *quo ſit ex iſtis,*} hoc dicit, ut Attico petenti auctoritatem augeat; non quod is reuera Epicureus non eſſet. nam ep. 19. lib. v. ad eum, & lib. I. de Leg. condiſcipulos eius uocat Epicureos. OMNI *liberali doctrina,*} doctrinas adimit Epicuro lib. I. de Fin. Vellem, inquit, doctrinis fuiſſet inſtructior: eſt enim non ſatis politus ijs artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur. Liberali: quae decet hominem liberaliter educatum. POLITISSIMVS} Politus, Expolitus, Perpolitus, dixit Cicero: Politus e ſchola, in Piſonem: Politus artibus, lib. I. de Fin. Expolitus uita, atque cultu, in libro de claris oratoribus: Perpolitus non ſolum philoſophia, ſed etiam litteris, in Piſonem. Varro lib. I. de re ruſt. Politus omnibus uirtutibus. NVTV} ep. 22. lib. XI. Nutus tuus poteſt eum incolumem in ciuitate retinere. TVA *uoluntate,*} inuito enim Memmio impetrari non poterat ab Areopagitis, ut decretum illud tollerent, Policharmo praetore factum. ep. XI. lib. v. ad Att. Ὑπομνηματισμὸν} ad rei memoriam litteris mandatum. REDEO *ad prima,*} ſic ep. 10. lib. I. ad Att. Vt ad prima illa redeam, nihil ego illa impudentius, aſtutius, lentius uidi. SIC *tamen habeto;*} indicat ſuam cupiditatem. QVOD *rogo,*} plus eſt, quam peto.

---

## Argumentum ep. 2.

*ANte quam Cicero Athenis diſcederet, ſcripſit ad Memmium de Euandro quoque ſtatuario, rogans, ut ei de habitatione accommodaret.*

### *Cicero S. D. Memmio.* 2.

C. AVIANO *Euandro, qui habitat in tuo ſacrario, & ipſo multum utor, & patrono eius M. Aemilio familiariſſime. peto igitur a te maiorem in modum, quod ſine tua moleſtia fiat, ut ei de habitatione accommodes. nam, propter opera inſtituta multa multo rum, ſubitum eſt ei remigrare Kal. Quinct. Impedior uerecundia, ne te pluribus uerbis rogem. neque tamen dubito, quin, ſi tua nihil, aut non multum interſit, eo ſis animo, quo ego eſſem, ſi quid tu me rogares. mihi certe gratiſſimum feceris. Vale.*

## EXPLANATIO

C. AVIANO *Euandro,*} illud primum conſtat, libertum hunc eſſe M. Aemilij, qui poſt nominatur: deinde, cum liberti retinere ſoleant ſeruile nomen, patere arbitror, Euandro nomen huic fuiſſe, cum ſeruiret, Auiani autem cognomen ab eo, qui manumiſit, accepiſſe. non enim ijs aſſentior, qui, Auianio, legunt, opinati Auianiam gentem Romae fuiſſe. nam liberti eodem, quo patroni, nomine utebantur. patrono autem Euandri, Aemilio, nomen fuit, cognomen Auiano. itaque ep. 21. cum eius libertum C. Auianum Hammonium Cicero commendare uellet, ſic orſus eſt: M. Aemilius Auianus ab ineunte adoleſcentia me obſeruauit. Et ep. 27. C. Auianus Hammonius incredibiles mihi gratias per litteras egit & ſuo, & Aemilij Auiani, patroni ſui, nomine. Quod ſi opinionem ſuam ueteris libri auctoritate defenderint: nos contra non uno, aut altero, ſed pluribus utemur teſtibus antiquis libris: quibus ipſa ratio maxime ſuffragatur. nam ſi patronus M. Aemilius Auianus uocatur; quod in dubium ne immutatores quidem iſti uocant: qui poteſt eius libertus Auianius dici potius, quam Auianus? Id me magis aliquanto mouet, quod primum huius Euandri nomen eſt Caius, non, ut eius patroni, Marcus: & quod eiuſdem Aemilij libertus Hammonius item Caius, non Marcus, appellatur: ut ex duabus epiſtolis, 21. & 27. cognoſcitur. Expediemus hunc fortaſſe nodum, ſi putabimus, Euandrum & Hammonium duobus fratribus C. & M. Aemilijs Auianis ſeruijſſe, manumiſſoſq. praenomen a fratre maiore Caio accepiſſe. Nec uero de duobus fratribus Auianis incerta & inanis coniectura eſt. nam ep. ult. huius libri, facta patris eorum C. Auiani Flacci mentione, ſubiungun tur haec: C. Auianus in Sicilia eſt: Marcus eſt nobiſcum. Licet etiam opinari, manumiſſos Euandrum & Hammonium non ab horum fratrum altero, ſed ab utriuſque patre C. Auiano Flacco, & ab eo praenomen accepiſſe: nam, quo tempore in Ciliciam Cicero profectus eſt, uiuebat Flaccus: perijt autem aliquot poſt annis, Allieno Siciliam obtinente, ut ex epiſtola ult. huius libri colligitur. Nam quod ijdem in ceteris quoque, quae infra leguntur, epiſtolis, 21. 27. 35. 79. atque etiam lib. VII. ep. 23. Auiani nomen in Auianium mutarunt: eadem ratione refelluntur: ut omittam ueterum librorum, quibus quidem ego utor, teſtimonium: quod illi tamen contemnunt, niſi ſi cum ſuo ſingulari libro conſentiat: nos tamen, contemni non debere, ſaepae ſumus experti: contra, in illo, quẽ ſe unũ ſequi profitentur, mendoſa eſſe quãplurima nõ ignoramus. SACRARIO} parte aedium urbanarum exſulis C. Memmij. nam ſacraria nõ modo in ſacris aedibus, uerum in profanis etiam eſſe poterant, loca quaedam conſecrata, uel ubi ſacrae res cuſtodirentur, uel ubi ſacra gentilicia fierent. In Verrem: Erat apud Neium ſacrarium, cum magna dignitate in aedibus, a maioribus traditum. Suetonius in Auguſto: Natus eſt in regione Palatina, ad Capita bubula, ubi nũc ſacrarium habetur, aliquanto poſt, quam exceſsit, conſtitutum. nam cum C. Laetorius, adoleſcens patricij generis, in depre-

canda grauiore adulterij poena, praeter aetatem, atque natales, hoc quoque patribus conſcriptis allegaret, eſſe ſe poſſeſſorem, ac uelut aedituum ſoli, quod primum diuus Auguſtus naſcens attigiſſet, peteretq. donari quaſi proprio ſuo ac peculiari Deo; decretum eſt, ut ea pars domus conſecraretur. In Tiberio. Codicillos e ſacrario Auguſti protulit. Eam igitur ſuarum aedium partem locauerat, ante quam ab urbe diſcederet, Memmius Euandro ſtatuario. SVBITVM *eſt*} nimis anguſta praefinita dies facit, ut ſubitum ſit; incommodum ob temporis breuitatem. nam neque ante Kal. Quinct. poteſt ea, quae inſtituit, opera perficere: neque ſuo commodo, niſi prius ea perficiat, remigrare. Eodem modo Plautus in Aul. Verum e caſtor non poteſt. ſubitum eſt nimis. REMIGRARE} e Memmij ſacrario in ueterem domum. uel, Remigrare, dictum eſt, non ob reditum in priſtinam domum, ſed ob diſceſſum, in quamcumque iturus eſſet. KALENDIS *Quinct.*} praefinita Euandro die, qua e ſacrario migraret. Kalendae Quinctiles in Vrbe primus erat locationum dies. Ad Q. fratrem ep. 3. lib. 2. Poſt Kal. Quinct. in tuam domum commigrabis. Suetonius in Tiberio: Senatori latum clauum ademit, quem cognouiſſet ſub Kal. Iulij demigraſſet in hortos, quo uilius poſt eam diem aedes in urbe conduceret.

## Argumentum ep. 3.

*FVſium commendat, quem antea quoque praeſens praeſenti commendarat. Non uidetur eodem anno ſcripta, ſed ſequenti; cum ad urbem Cicero reuertiſſet, Memmiumq. Athenis in reditu allocutus eſſet.*

### *Cicero S. D. Memmio.* 3.

*A. FVFIVM, unum ex meis intimis, obſeruantiſſimum, ſtudioſiſſimumq. noſtri, eruditum hominem & ſumma humanitate, tuaq. amicitiaq. digniſſimum, uelim ita tractes, ut mihi coram recepiſti. tam mihi gratum id erit, quam quod gratiſſimum. ipſum praeterea, ſummo officio, & ſumma obſeruantia, tibi in perpetuum deuinxeris. Vale.*

### EXPLANATIO

VNVM *ex meis intimis,*} ducta commendatio ab officio eius, qui commendat, & a laude eius, qui commendatur. debet enim Cicero, quantum in ipſo eſt, eum fouere, ac iuuare, qui ſit ex intimis amicis, ipſumq. uehementer obſeruet, & colat. debet autem eo magis quod ille doctrina, humanitate, alijſq. rebus, quibus amor excitatur, excellit. TVAQ. *amicitia digniſſimum,*} ſumma laus: & hoc ſufficere uidebatur ad Fufij commendationem: ſed nominatim addere eruditionem, & humanitatem, non alienum fuit. SVMMO *officio,*} cum amicos, & de ſe bene meritos, omni genere officij colat.

## Argumentum ep. 4.

*VOlaterranos accurate commendat. Q. Fabio Max. C. Trebonio cos. reuerſo ex Hiſpania Caeſare poſt deuictos Pompeij liberos. quod ex eo loco ſequentis epiſtolae cognoſcitur: Hoc tempore eum Caeſar in ſenatum legit. ſenatum enim reuerſus ex Hiſpania Caeſar ſuppleuit, ut auctor eſt Dio.*

### *Cicero S. D. Q. Valerio, Q. F. Orcae, legato, propraet.* 4.

*CVM municipibus Volaterranis mihi ſumma neceſſitudo eſt. magno enim meo beneficio affecti, cumulatiſſime mihi gratiam retulerunt. nam nec in honoribus meis, nec in laboribus umquam defuerunt. cum quibus ſi mihi nulla cauſſa intercederet; tamen, quod te uehementiſſime diligo, quodq. me a te plurimi fieri ſentio, & monerem te, & hortarer, ut eorum fortunis conſuleres, praeſertim cum prope praecipuam cauſſam haberent ad ius obtinendum: primum, quod Sullani temporis acerbitatem deorum immortalium benignitate ſubterfugerunt: deinde, quod ſummo ſtudio populi R. a me in conſulatu meo defenſi ſunt. cum enim tribuni pl. legem iniquiſſimam de eorum agris promulgaſſent; facile ſenatui, populoq. R. perſuaſi, ut eos ciues, quibus fortuna peperciſſet, ſaluos eſſe uellent. hanc actionem meam C. Caeſar primo ſuo conſulatu in lege agraria comprobauit. agrumq. Volaterranum, & opidum omni periculo in perpetuum liberauit: ut mihi dubium non*

*ſit, quin*

*ſit, quin is, qui nouas neceſſitudines adiungat, uetera ſua beneficia conſeruari uelit. quamobrem eſt tuae prudentiae, aut ſequi eius auctoritatem, cuius ſectam, atque imperium ſumma cum tua dignitate ſecutus es; aut certe illi integram omnem cauſſam reſeruare. Illud uero dubitare non debes, quin tam graue, tam firmum tam honeſtum municipium tibi tuo ſummo beneficio in perpetuum obligari uelis. Sed haec, quae ſcripta ſunt ſupra, eo ſpectant, ut te horter, & ſuadeam: reliqua ſunt, quae pertinent ad rogandum: ut non ſolum tua cauſſa tibi conſilium me dare putes, ſed etiam, quod mihi opus ſit, me a te petere, & rogare. Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi Volaterranos omnibus rebus integros, incolumesq. eſſe uolueris. eorum ego domicilia, ſedes, rem, fortunas, quae & a dijs immortalibus, & a praeſtantiſſimis in noſtra rep. ciuibus ſummo ſenatus, populiq. R. ſtudio conſeruatae ſunt, tuae fidei, iuſtitiae, bonitatiq. commendo. ſi pro meis priſtinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere poſſem Volaterranos, quemadmodum conſueui tueri meos: nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodeſſe poſſem, praetermitterem, ſed, quando apud te nihilo minus hoc tempore ualere me confido, quam ualuerim ſemper apud omnes: pro noſtra ſumma neceſſitudine, pariq. inter nos, & mutua beneuolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut exiſtiment eũ quaſi diuino conſilio iſti negotio praepoſitum eſſe, apud quem unum nos, eorum perpetui defenſores, plurimum ualere poſſemus. Vale.*

## EXPLANATIO

LEGATO} praepoſito a Caeſare agris diuidundis. PROPRAETORI} auctoritatem, & poteſtatem Valerio Caeſar auxit, addito Propraetoris nomine. MAGNO *enim meo beneficio affecti,*} quod legem, a tribunis pl. promulgatam, de agris eorum diuidendis, perferri conſul non ſum paſſus, infra. NEC *in honoribus meis, nec in laboribus umquam defuerunt.*} auge copiam e loco ſimili ep. 29. In omni genere & honorum, & laborum meorum & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis praeſto fuit, & paruit & temporibus, & fortunae meae. Nec alienum illud ep. 8. lib. XV. Vel defenſus triſtibus temporibus, uel ornatus ſecundis. Huc etiam illud pertinet ep. 9. eiuſdem lib. Cuius erga me ſingularem beneuolentiam uel in labore meo, uel in honore perſpexi. NVLLA *cauſſa*} cur eos commendarem. MONEREM *te,*} miſericordia commotus, & aequitate. AD *ius obtinendum:*} ne agri eorum diuidantur. SVLLANI *temporis*} cum L. Sulla dictator agros eorum, quia Marianis partibus fauiſſent, publicare uellet. TRIBVNI. PL.} praeſertim Rullus, in quem orationes exſtant. QVIBVS *fortuna pepercisset,*} tempore Sullano. IN *Lege agraria*} quam de agro Campano, & Stellate diuidundo tulit. Suetonius, & alij. OPIDVM} ne municipes uectigal unquam penderent. EIVS} Caeſaris. SVMMA *cum tua dignitate*} quia ſummo loco apud Caeſarem fuerat. ILLI *integram omnem cauſſam reſeruare.*} non attinggere agros Volaterranorum, ſed eos uoluntati, & iudicio Caeſaris relinquere. TAM *graue, tam firmum, tam honeſtum*} graue, moribus; firmum, opibus; honeſtum, ſplendore municipium. DOMICILIA, *ſedes,*} uide quae diximus ep. I. A. DIIS *immortalibus,*} Sullanis temporibus. A. PRAESTANTISSIMIS *in noſtra rep. ciuibus*} C. Caeſarem, de quo proxime locutus eſt, ſignificat, fortaſſe etiam ſe ipſum, qui Volaterranos in cõſulatu ſuo defenderat. PRO *meis priſtinis opibus*} amiſsis bello ciuili, Caeſare uictore. CERTAMEN,} ep. 6. lib. 2. Omni non modo contentione, ſed etiam dimicatione. ISTI *negotio*} agrorum diuiſioni.

---

## Argumentum ep. 5.

*ET rogat, & rationibus etiam perſuadere conatur, agrum Curtij non eſſe diuidendum. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Q. Valerio, Q. F. Orcae, legato, propraet. 5.*

*NON moleſte fero, eam neceſſitudinem, quae mihi tecum eſt, notam eſſe quamplurimis. neque tamẽ ob eam cauſſam, quod tu optime exiſtimare potes, te impedio, quo minus ſuſceptum negotium pro tua fide, & diligentia ex uoluntate Caeſaris, qui tibi rem magnã, difficilemq. commiſit, gerere poſſis. nam, cum multi a me petant multa; quod de tua erga me uoluntate non dubitẽt; non committo, ut ambitione mea conturbem officium tuum. C. Curtio ab ineunte aetate familiariſſime ſum uſus. eius & Sullani temporis iniuſtiſſima calamitate dolui: &, cum ijs, qui ſimilem iniuriam acceperant, amiſſis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam uoluntate omnium concedi uideretur; adiutor incolumitatis fui. is habet in Volaterrano poſſeſſionem, cum in eam, tamquam e naufragio, reliquias contuliſſet. hoc autem tempore eum Caeſar in ſenatum legit: quem ordinem ille, iſta poſſeſſione amiſſa, tueri uix poteſt. grauiſſimum autem eſt, cum ſuperior factus ſit ordine, inferiorem eſſe fortuna: minimeq. conuenit, ex eo agro, qui Caeſaris iuſſu diuidatur, eum moueri, qui Caeſaris beneficio ſenator ſit. Sed mihi minus libet multa de aequitate rei ſcribere; ne cauſſa potius apud te ualuiſſe uidear, quam gratia. Quã obrem te maiorem in modum rogo, ut C. Curtij rem meam putes eſſe; quidquid mea cauſſa faceres, ut id, C.*

Curtij

*Curtij cauſſa cum feceris, meum exiſtimas. quod ille per me habuerit, id me habere abs te putato. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

QVOD *tu optime exiſtimare potes,*} ſiquidem me noſti, quam faueam dignitati tuae. NON *committo,*} captat beneuolentiam a modeſtia ſua. SVLLANI *temporis*} cum omnes ei fortunas ademit Sulla. TVERI *uix poteſt.*} nemo enim ſenator eſſe poterat, niſi DCCC millia poſsideret. Suetonius in Auguſto. NE *cauſſa potius apud te ualuiſſe uidear, quam gratia.*} notetur locus. nam in commendando, ſi de ipſa re loquimur, poſſumus hanc ſententiam, qua nunc Cicero utitur, ſubiungere. ſin ordimur a commemoratione amicitiae, quae nobis cum eo, ad quem ſcribimus, intercedit; conuertere ſententiá licet, hoc modo: ſed mihi minus libet multa de noſtra amicitia ſcribere; ne gratia potius apud te ualuiſſe uidear, quam cauſſa.

# Argumentum ep. 6.

*CVſpij amicos omnes generatim commendat, nominatim L. Iulium, & P. Cornelium. Incerto anno-*

## *Cicero S. D. Q. Valerio, Q. F. Orcae, legato, procos. 6.*

*SI uales, bene eſt, ego quidem ualeo. Credo te memoria tenere, me & coram P. Cuſpio tecum locutum eſſe, cum te proſequerer paludatum; & item poſtea plurimis uerbis tecum egiſſe, ut, quoſcumque tibi eius neceſſarios commendarem, haberes eos in numero meorum neceſſariorium. id tu pro tua ſumma erga me beneuolentia, perpetuaq. obſeruantia mihi liberaliſſime, atque humaniſſime, recepiſti. Cuſpius, homo in omnes ſuos officioſiſſimus, mirifice quoſdam homines ex iſta prouincia tuetur, & diligit; propterea quod fuit in Africa bis, cum maximis ſocietatis negotijs praeeſſet. itaque hoc eius officium, quod adhibet erga illos, ego mea facultate, & gratia ſoleo, quantum poſſum, adiuuare. quare Cuſpianorum omnium commendationis cauſſam hac tibi epiſtola exponendam putaui: reliquis epiſtolis, tantum faciam, ut notam apponam eam, quae mihi tecum conuenit, & ſimul ſignificem de numero eſſe Cuſpij amicorum; ſed hanc commendationem, quam his litteris conſignare uolui, ſtito eſſe omnium grauiſſimam. nam P. Cuſpius ſingulari ſtudio contendit a me, ut tibi quamdiligentiſſime L. Iulium commendarem. eius ego ſtudio uix uideor mihi ſatisfacere poſſe, ſi utar uerbis ijs, quibus, cũ diligentiſſime quid agimus, uti ſolemus. noua quaedam poſtulat; & putat me eius generis artificium quoddam tenere. ei ego pollicitus ſum, me ex intima noſtra arte deprompturum mirificum genus commendationis. id quando aſſequi non poſſum, tu re uelim efficias, ut ille genere mearum litterarum incredibili quodam perfectum arbitretur. id facies, ſi omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate, & poteſtate tua proficiſci poterit, non modo re, ſed etiam uerbis, uultu denique expreſſeris. quae quantum in prouincia ualeant, uellem expertus eſſes. ſed tamen ſuſpicor ipſum hominem, quem tibi commendo, perdignum eſſe tua amicitia: non ſolum, quia mihi Cuſpius dicit, credo: tametſi id ſatis eſſe debebat; ſed quia noui eius iudicium in hominibus, & amicis deligendis. Harum litterarum uis quanta fuerit, propediem iudicabo; tibique, ut confido, gratias agam. ego, quae te uelle, quaeq. ad te pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe, diligenterq. curabo. Cura ut ualeas.*

*P. Cornelius, qui tibi has litteras reddidit, eſt mihi a P. Cuſpio commendatus. cuius cauſſa quantopere cuperem, deberemque, profecto ex me facile cognouiſti. uehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendationem mihi Cuſpius quammaximas, quamprimum, quamſaepiſſime gratias agat.*

## EXPLANATIO

PROCOS.} ſupra propraetor eſt dictus: ſed tunc praepoſitus erat a Caeſare agris diuidundis: nunc Africam adminiſtrat, & proconſul uocatur licet conſulatum non geſſerit. uide quae diximus ep. I. lib. I. CVM *te proſequerer paludatum;*} paludati ibant in prouincias. ep. 17. lib. XV. SOCIETATIS} publicanorum, qui Africae uectigalia exigebant. erant autem ſingularum prouinciarum ſocietates: & Bithynica nominatur ep. 9. NOTAM} inter Ciceronem, & Valerium in Africam proficiſcentẽ conuenerat, ut, quibus litteris ei Cicero aliquem uere, atque ex intimo animi ſui ſenſu, non ex aliorum uoluntate, commendaret, ſignum quoddam apponeret, ut graues cõmendationes a leuibus diſtinguerentur. VALEANT.} cum animaduertuntur ab alijs. VELLEM *expertus eſſes.*} ergo Valerius paullo ante in prouinciam uenerat. SED *tamen ſuſpicor ipſum hominem,*} primum poſuit liberalitatis fructum: Quae quantum ualeant in prouincia, uellem expertus eſſes: alterum ſubiungit: Ipſum tamen hominem ſuſpicor amicitia tua

perdignum

perdignum eſſe. Id . satis *eſſe debebat*; } eſt enim amico credendum. Deligendis. } ſic opinor melius, quam Diligendis; nam in delectu iudicium oſtenditur. porro, quam parum differat Deligendis a Diligendis, qui libros ueteres maiuſculis deſcriptos litteris norunt, facile perſpiciunt.

## Argumentum ep. 7.

P*Etit a Cluuio, ne municipij Atellani uectigalis ager diuidatur, ſed integram Caeſari cauſſam reſeruet. Q. Fabio Max. C. Trebonio cos.*

### *Cicero S. D. C. Cluuio.* 7.

C*Vm, in Galliam proficiſcens, pro noſtra neceſſitudine, tuaq. ſumma in me obſeruantia, ad me domum ueniſſes; locutus ſum tecum de agro uectigali municipij Atellani, qui eſſet in Gallia; quantoq. opere eius municipij cauſſa laborarem, tibi oſtendi. poſt tuam autem profectionem, cum & maxima res municipij honeſtiſſimi, mihiq. coniunctiſſimi, & ſummum meum officium ageretur: pro tuo animo in me ſingulari exiſtimaui me oportere ad te accuratius ſcribere. etſi non ſum neſcius, & quae temporum ratio, & quae tua poteſtas ſit: tibiq. negotium datum eſſe a C. Caeſare, non iudicium, praeclare intelligo. quare a te tantum peto, quantum et te facere poſſe, & libenter mea cauſſa facturum eſſe arbitror. Et primum uelim exiſtimes, quod res eſt, municipij fortunas omnes in iſto uectigali conſiſtere; his autem temporibus hoc municipium, maximis oneribus preſſum, ſummis affectum eſſe difficultatibus. hoc etſi commune uidetur eſſe cum multis: tamen mihi crede ſingula res huic municipio calamitates accidiſſe: quas iccirco nõ commemoro, ne, de miſerijs meorum neceſſariorum conquerens, homines, quos nolo, uidear offendere. itaque, niſi magnam ſpem haberem, C. Caeſari nos cauſſam municipij probaturos; non erat cauſſa, cur a te hoc tempore aliquid contenderem. ſed, quia confido, mihiq. perſuaſi, illum & dignitatis municipij, & aequitatis, & uoluntatis etiam erga ſe habiturum eſſe rationem: ideo a te non dubitaui contendere, ut hanc cauſſam illi integram conſeruares. quod etſi nihilo minus a te peterem, ſi nihil audiuiſſem te tale feciſſe: tamen maiorem ſpem impetrandi nactus ſum, poſtea quam mihi dictum eſt, hoc idem a te Regienſes impetrauiſſe. qui etſi te aliqua neceſſitudine attingunt: tamen tuus amor in me ſperare me cogit, te, quod tuis neceſſarijs tribueris, idem eſſe tributurũ meis: praeſertim cum ego pro his unis petam, habeam autem, qui ſimili cauſſa laborent, complures neceſſarios. Hoc me non ſine cauſſa facere, neque aliqua leui ambitione commotum a te contendere, etſi te exiſtimare arbitror: tamen mihi affirmanti credas uelim, me huic municipio debere plurimum; nullum umquã fuiſſe tempus neque honorum, neque laborum meorum, in quo non huius municipij ſtudium in me exſtiterit ſingulare. Quapropter a te etiam atque etiam pro noſtra ſumma coniunctione, proq. tua in me perpetua, & maxima beneuolentia maiorem in modum peto, atque contendo, ut, cum fortunas agi eius municipij intelligas, quod ſit mihi neceſſitudine, officijs, beneuolentia coniunctiſſimum, id mihi des: quod erit huiuſmodi, ut, ſi a Caeſare, quod ſperamus, impetrauerimus, tuo beneficio nos id conſecutos eſſe iudicemus; ſin minus, pro eo tamen id habeamus; quando a te data ſit opera, ut impetraremus. hoc cum mihi gratiſſimum feceris: tum uiros optimos, homines honeſtiſſimos, eoſdẽq. gratiſſimos, & tua neceſſitudine digniſſimos, ſummo beneficio in perpetuum tibi, tuiſq. deuinxeris. Vale.*

## EXPLANATIO

CLvvio } Puteolano. ep. 56. In . galliam } ciſalpinam. De *agro uectigali* } unde fructum capit Atellanum municipium. Qvi *eſſet in Gallia*; } cum reliqui Atellanorum agri eſſent in campania. Mevm *officium* } Atellanis a me debitum. Negotivm } agrorum diuidendorum. Et . libenter *me cauſſa facturum eſſe arbitror.* } ep. 1. eadem ſententia. Maximis *oneribus* } a Caeſare dominante impoſitis. Homines, *quos nolo,* } uel Caeſarem, uel Caeſarianum aliquem ſignificat. Et . dignitatis *municipij & aequitatis, & uoluntatis etiam erga ſe* } tribus rebus Atellanorum cauſſa nititur, dignitate municipij, aequitate rei, ſtudio erga illum, apud quem agetur. Aliqva *neceſſitudine* } erant fortaſſe in Cluuij clientela. Neqve *honorum, neque laborum meorum,* } ep. 4. eadem ſententia diuerſe enunciata. Pro . nostra *ſumma coniunctione, proq. tua in me perpetua & maxima beneuolentia* } initio epiſtolae dixit: Pro noſtra neceſsitudine, tuaq. ſumma in me obſeruantia. Qvando *a te data ſit opera,* } ut uoluntas pro re ſit.

## Argumentum ep. 8.

R*Ogat Rutilium, ut in agrorum diuiſione Albini praedia ne attingat. Eodem anno.*

*Cicero*

### *Cicero S. D. M. Rutilio.* 8.

*CVM & mihi conſcius eſſem, quanti te facerem; & tuam erga me beneuolentiam expertus eſſem; non dubitaui a te petere, quod mihi petendum eſſet. P. Sextium quanti faciam, ipſe optime ſcio; quanti autem facere debeam, & tu, & omnes homines ſciunt. is cum ex alijs te mei ſtudioſiſſimum eſſe cognoſceret, petiuit a me, ut ad te quamaccuratiſſime ſcriberem de re C. Albini ſenatoris: cuius ex filia natus eſt L. Sextius, optimus adoleſcens, filius P. Sextij. Hoc iccirco ſcripſi, ut intelligeres non ſolum me pro P. Sextio laborare debere, ſed Sextium etiam pro Albino. res autem haec eſt. A M. Laberio C. Albinus praedia in aeſtimationem accepit: quae praedia Laberius emerat a Caeſare de bonis Plotianis. ea ſi dicam non eſſe e rep. diuidi, docere te uidear, non rogare. ſed tamen cum Caeſar Sullanas uenditiones, & aßignationes ratas eſſe uelit, quo firmiores exiſtimentur ſuae: ſi ea praedia diuidentur, quae ipſe Caeſar uendidit, quae tandem in eius uenditionibus eße poterit auctoritas? ſed hoc quale ſit, tu pro tua prudentia conſiderabis. Ego te plane rogo, atque ita, ut maiore ſtudio, iuſtiore de cauſſa, magis ex animo rogare nihil poſſim, ut Albino parcas, praedia Laberiana ne attingas. magna me affeceris non modo laetitia, ſed etiam quodam modo gloria, ſi P. Sextius homini maxime neceſſario per me ſatisfecerit. cum ego illi plurimum debeam. quod ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. maius mihi dare beneficium nullum potes. id mihi intelliges eße gratiſſimum. Vale.*

## EXPLANATIO

CVM. ET *mihi conſcius eſſem,*} munitur ad impetrandum uia, mutuae uoluntatis & beneuolentiae commemoratione. NON *dubitaui a te petere, quod mihi petendum eſſet.*} ſimilis locus ep. 6. lib. 2. Non dubitaui id a te per litteras petere, quod mihi omnium eſſet maximum, maximeq. neceſſarium. P. SEXTIVM} qui tribunus pl. Ciceronem ab exſulio reduxit. ALBINI} Poſtumiae gentis: ut argenteus nummus indicat optimi & clariſsimi uiri, Andreae Lauretani. CVIVS *ex filia natus eſt L. Sextius,*} in oratione pro Sextio: Duxit honeſtiſsimi, & ſpectatiſsimi uiri C. Albini filiam: ex qua hic eſt filius, & nupta iam filia. In eadem oratione praenomen Sextij pueri eſt Publius, idem quod patris, non Lucius. Antea in omnibus impreſsis, Cuius ex familia &c. legebatur. Primi nos locum emendauimus. IN *aeſtimationem*} aeſtimata lege Caeſaris, quanti fuerant ante ciuile bellum. uide, quae diximus ep. 16. lib. IX. ACCEPIT:} a Laberio debitore. A CAESARE} in ea auctione, quam de bonis Plotij, Pompeianas partes ſecuti, Caeſar fieri iuſsit. E REP.} ex ea, quae tum erat, Caeſare dominante. DIVIDI} militibus Caeſaris. SVLLANAS} cum tamen Caeſar Sullanam ſectam oderit. QVALE *ſit,*} tale enim eſt, ut, ſi diuidantur Albini praedia, quae Caeſar uendidit, in reliquis eius uenditionibus auctoritas nulla futura uideatur. MAGIS *ex animo*} dixit iam, Maiore ſtudio: ſed hoc ſubiunxit, quia poteſt aliquid peti maximo ſtudio, nec tamen ex animo. NON *modo laetitia, ſed etiam quodam modo gloria,*} non diſsimile illud ep. 6. lib. 2. ſtatui me in eo non officij ſolum fructum, ſed etiam pietatis laudem debere quaerere. HOMINI *maxime neceſſario*} Albino ſocero ſuo. TE *uehementer etiam atque etiã rogo.*} paullo ante: Ego te plane rogo, atque ita, ut maiore ſtudio, iuſtiore de cauſſa, magis ex animo rogare nihil poſsim. INTELLIGES} aliquanto, ex officijs in te meis.

---

## Argumentum ep. 9.

*CRaſsipedi, Bithyniae quaeſtori, Bithynicam publicanorum ſocietatem, in primiſq. Cn. Pupium, commendat. Incertus annus.*

### *Cicero S. D. Craßipedi.* 9.

*QVAMQVAM tibi praeſens commendaui, ut potui diligentiſſime, ſocios Bithyniae; teq. cum mea commendatione, tum etiam tua ſponte intellexi cupere ei ſocietati, quibuſcumque rebus poſſes, commodare: tamen, cum ij, quorum res agitur, magni ſua intereſſe arbitrarentur, me etiam per litteras declarare tibi, qua eſſem erga ipſos uoluntate: non dubitaui haec ad te ſcribere. Volo enim te exiſtimare, me, cum uniuerſo ordini publicanorum multum ſemper libentiſſime tribuerim, idq. pro magnis eius ordinis erga me meritis facere debuerim, tum in primis amicum eſſe huic Bithynicae ſocietati; quae ſocietas ordine ipſo, hominum genere pars eſt maxima ciuitatis. cõſtat enim ex ceteris ſocietatibus: & caſu permulti ſunt in ea ſocietate ualde mihi familiares, in primisq. is, cuius praecipuum officium agitur hoc tempore, P. Rupilius P. F. Men. qui eſt magiſter in ea ſocietate. Quae cum ita ſint: maiorem in modum a te peto, Cn. Pupium, qui eſt in operis eius ſocietatis, omnibus tuis officijs, atque omni liberalitate tueare; curesque, ut eius operae, quod tibi facile factu eſt, quamgratiſſimae ſint ſocijs; remque, & utilitatem ſociorum ( cuius rei quantam poteſtatem quaeſtor habeat,*

*beat, non ſum ignarus) per te quammaxime defenſam, & auctam uelis. id cum mihi gratiſſimum feceris: tum illud tibi, expertus, promitto, & ſpondeo, te ſocios Bithyniae, ſi ijs commodaris, memores eſſe, & gratos cogniturum. Vale.*

## EXPLANATIO

VT. POTVI *diligentiſſime,*} quam diligentiſsime potui. SOCIOS *Bithyniae;*} publicani erant ex equeſtri ordine: itaque ep. 65. homines amplisſimi uocantur. ij diuidebantur in plures ſocietates, quae a prouincijs, quarum uectigalia exigenda ſuſceperant, appellabantur. CVPERE *ei ſocietati commodare:*} cupere, quae ad eius ſocietatis commodum pertinerent. Incommodare, contrarium: unde apud Terentium, in Andr. Non tam ut obſequatur gnato, quam mihi ut incommodet. NON *dubitaui haec ad te ſcribere.*} non recuſaui, tergiuerſatus non ſum, facile ſum adductus, ut haec ad te ſcriberem. ORDINE *ipſo, hominum genere*} & quod eſt ex equeſtri ordine, & quod ex hominibus amplisſimis conſtat. EX *ceteris ſocietatibus:*} cum eſſent multae publicanorum ſocietates, ex omnibus Bithynica conſtabat. PRAECIPVVM *officium*} quia magiſter eſt in ea ſocietate. MEN.} Menenia tribu. uide, quae de tribubus diximus lib. IIX. MAGISTER} qui ceteris ſocijs praeſcribit, atque imperat, quod agant. QVI *eſt in operis eius ſocietatis,*} operae modo ſunt homines mercede conducti, ut ep. XI. lib. I. ad Att. Operae comparantur. Et ep. 12. ad eundem, ibidem: Operae Clodianae pontes occuparant. Modo ſunt actiones ipſae, ut hic, & ep. 65. EIVS *operae,*} ea, quae facit. QVAESTOR} hinc licet intelligere, quaeſtorem Bithyniae Craſsipedem fuiſſe. NON *ſum ignarus,*} quaeſtor enim in Sicilia fuerat Cicero.

# Argumentum ep. 10.

*Caeſar, in Africam traiecturus contra Scipionem, Catonem, Iubam regem, Galliae ciſalpinae M. Brutum, eum, a quo poſtea eſt interfectus nondum praetorium, & Pompeij partes antea ſecutum, praepoſuit. is cum in prouinciam iuiſſet, proficiſcentem ad eum M. Varronem, eius quaeſtorem, Cicero familiaris utriuſque commendat. Haec autem commendatio quattuor in partes diſtribuitur. Primo loco, quaeſtoris cum praetore ſuo neceſsitudo exponitur. Deinde, origo amicitiae, & Varronis erga ſe officia narrantur. ſequitur de illius modeſtia, prudentia, moderatione, diligentia, induſtria teſtimonium. Claudit epiſtolam petitio generalis: ut Varronem Brutus omni liberalitate complectatur. ſcripta Caeſare* III, *& Lepido Cos. quod ex ep. 6. lib.* VI. *& libro, qui Orator inſcribitur, praeterea ex Plutarcho, Appianoq. intelligitur.*

## *Cicero S. D. M. Bruto.* 10.

CVM *ad te tuus quaeſtor M. Varro proficiſceretur, commendatione egere eum non putabam. ſatis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipſo more maiorum: qui, ut te non fugit, hanc quaeſturae coniunctionem liberorum neceſſitudini proximam uoluit eſſe. ſed, cum ſibi ita perſuaſiſſet ipſe, meas de ſe accurate ſcriptas litteras maximum apud te pondus habituras; a meq. contenderet, ut quam diligentiſſime ſcriberem: malui facere, quod meus familiaris tanti ſua intereſſe arbitraretur. ut igitur debere me facere hoc intelligas; cum primum M. Terentius in forum uenit, ad amicitiam ſe meam contulit. deinde, ut ſe corroborauit, duae cauſſae acceſſerunt, quae meam in illum beneuolentiam augerent: una, quod uerſabatur in hoc ſtudio noſtro, quo etiam nunc maxime delectamur, & cum ingenio. ut noſti, nec ſine induſtria: deinde, quod mature ſe contulit in ſocietates publicanorum, quod quidem nollem: maximis enim damnis affectus eſt. ſed tamen cauſſa communis ordinis mihi commendatiſſimi fecit amicitiam noſtram firmiorem. deinde uerſatus in utriſque ſubſellijs optima & fide, & fama, iam ante hanc commutationem reip. petitioni ſeſe dedit, honoremq. honeſtiſſimum exiſtimauit fructum laboris ſui. his autem temporibus a me Brundiſio cum litteris, & mandatis profectus eſt ad Caeſarem. qua in re & amorem eius in ſuſcipiendo negotio perſpexi, & fidem in conficiendo, ac renunciando. Videor mihi, cum ſeparatim de probitate eius, & moribus dicturus fuiſſem, ſi prius cauſſam, cur eum tantopere diligerem, tibi expoſuiſſem, in ipſa cauſſa exponenda ſatis etiam de probitate dixiſſe. ſed tamen ſeparatim*

Ttt *promitto,*

*promitto, in meq. recipio, fore eum tibi & uoluptati, & uſui: nam & modeſtum hominem cognoſces, & prudentem, & a cupiditate omni remotiſſimum, praeterea magni laboris, ſummaeq. induſtriae. neque ego haec polliceri debeo, quae tibi ipſi, cum bene cognoueris, iudicanda ſunt: ſed tamen* In *omnibus nouis coniunctionibus intereſt, qualis primus aditus ſit, & qua commendatione quaſi amicitiae fores aperiantur. quod ego his litteris efficere uolui: etſi id ipſa per ſe neceſſitudo quaeſturae effeciſſe debet: ſed tamen nihilo infirmius illud, hoc addito. Cura igitur, ſi me tanti facis, quanti & Varro exiſtimat, & ipſe ſentio, ut quamprimum intelligam, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attuliſſe, quantum & ipſe ſperarit, nec ego dubitarim. Vale.*

## EXPLANATIO

M. Varro} Romanorum doctiſsimus, cuius hodie libri exſtant de re ruſt. & de lingua Lat. intercidere plurimi. Liberorum *neceſſitudini*,} ep. 26. & in Diuinatione, & in Orat. pro Plancio. Cum *primum in forum uenit*,} toga uirili ſumpta, quae ſumebatur ineunte aetatis anno XVII, in forum ibant, ut oratores audirent, eosq. diſcerent imitari. Vt *ſe corroborauit*,} ut ad uirilem aetatem acceſsit. Sic in Orat. pro Coelio: Cum is iam ſe corroborauiſſet, ac uir inter uiros eſſet. Et in eadem, Non modo haec aetas, ſed etiam corroborata, ideſt non modo adoleſcentes, ſed etiam uiri. Et ſupra eiuſdem orationis initio, eos, qui non, ut Coelij accuſator, adoleſcentes eſſent, ſed uiri, Robuſtiores appellauit. Alibi etiam in hanc ſententiam eodem uerbo uſus eſt. Inde Robuſta aetas. In *hoc ſtudio noſtro*,} eloquentiae, non philoſophiae. Etiam *nunc*} licet afflicta rep. qua ſtante delectabamur multo magis. Delectamur} non agendis in foro cauſsis, ſed priuatis exercitationibus, de quibus ep. 33. lib. VII. & ep. 18. lib. IX. Nec *ſine induſtria*:} nec ita, ut langueret in otio, domeſtico & priuato ſtudio deditus, ſed cauſſas in foro ageret. induſtria enim actione cognoſcitur. Matvre} cito: quod auxit amorem meum. Sed *tamen*} quamquam maximis damnis affectus ſit: ea tamen cauſſa ſe cit amicitiam noſtram firmiorem. Sed *tamen cauſſa communis ordinis*,} plerique ueteres libri, ſed tamen communis ordinis: quod mendoſum eſſe conſtat: itaque legendum putabat Vbaldinus Bandinellus, quod item alijs placere uideo: ſed tamen communio ordinis. Equidem nec improbo, quod placet doctis uiris; nec tamen ſtatuo, ſit ne hoc melius, quam illud, Cauſſa communis ordinis: quod mihi quidem ideo magis placet, quia ſumptum eſt ex quibuſdam antiquis libris. ſunt, qui opinentur, Communis, recte legi: & ſubaudiri, ſocietas: ut publicanorum omnium tota ſocietas intelligatur. id mihi uidetur durius, & acerſitum nimis longe. In *utriſque ſubſellijs*,} in publicis, priuatiſq. cauſsis, ideſt, in maioribus, & minoribus. Sunt enim ſubſelliorum, ſi habetur hominum ratio, tria genera; ſi cauſſarum, duo. nam & iudices, & patroni, & accuſatores in ſubſellijs conſidebant: cauſſae uero uel de publicis rebus erant, uel de priuatis. Quod autem Pedianus maiores cauſſas tribunalibus, & ſellis curulibus, minores autem ſubſellijs tribuit: magiſtratus, iudicijs propoſitos, non iudices, diſtinguit. nam iudices, ſiue cum tribunis pl. triumuiris, quaeſtoribus, aedilibus pl. ſiue cum praetoribus, & aedilibus cur. iudicarent, in ſubſellijs conſidebant: magiſtratus autem uel in ſubſellijs, ut ij, qui curules non erant, quos proxime nominaui, uel in ſellis curulibus, ut aedilis cur. & praetor: & aedilis quidem ſine tribunali, praetor autem cum tribunali. Haec uidetur eſſe Pediani ſententia, cum ait: alij, Alienum, non nomen proprium putant eſſe, ſed alienum & alterius iudicij, & non ex auditorio praetoris, maiorumq. cauſſarum, ſed a ſubſellijs, hoc eſt, non a tribunalibus. ſunt enim ſubſellia tribunorum, trium uirorum, quaeſtorum, & huiuſcemodi minora iudicia exercentium, qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſellijs conſidebant. Dixit igitur Cicero, uerſatum eſſe Varronem in utriſque ſubſellijs, ideſt, egiſſe cauſſas & apud eos iudices, qui ſimul cum magiſtratu non curuli, paruis de rebus, & apud eos, qui, cum curuli de maioribus cognoſcerent. Hic addam quaſi πάρεργον, tertium quoddam genus iudicum fuiſſe, qui ſtantes iudicarent: de quibus Cicero in Bruto, ſi anguſte, inquit, & exſiliter dicere, eſt Atticorum; ſint ſane Attici, ſed in Comitium ueniant, ad ſtnatem iudicem dicant. ſubſellia grandiorem, & pleniorem uocem deſiderant. Hos opinor leui aliqua de re, a magiſtratu mandata, ſeparatim iudicaſſe. nam ſtantem iudicaſſe uel triumuirum, uel alium minorem magiſtratum, credibile non eſt: & Pedianus triumuirum ſediſſe oſtendit; & idem Cicero confirmat, cum ait in Cluentiana: Hominem ante pedes Q. Manilij, qui tum erat triumuir, conſtituunt. Petitioni} petijt, & adeptus eſt triumuiratum, & tribunatum pl. ut ait Gellius lib. XIII. cap. 12. ſed utrum tribunatum ante quaeſturam, ideſt, ante hanc epiſtolam, eo quaeſtore ſcriptam, an poſt, incertum uidetur. ſcimus, poſt quaeſturam peti ſolitum eſſe tribunatum: idq. declarat, ut alia omittam argumenta, ep. ult. lib. 2. uerum, petijſſe Varronem, bonum uirum, bonumq. ciuem, tribunatum poſt hoc tempus, id eſt poſt amiſſam libertatem, cum nihil iure, nihil more gereretur, ad unius uoluntatem omnia referrentur, mihi quidem non fit uериſimile. rurſus, quis credat eum, geſto iam tribunatu, quaeſturam potius, quam aedilitatem cur. aut etiam, aedilitate relicta, praeturam petere uoluiſſe? omnino, ut in re difficili aliquid ſtatuam, ſi poſt quaeſturam Varro tribunatum geſsit, ut magiſtratuum ordo poſtulat, geſsiſſe Auguſto principe, libentius crediderim, quam C. Caeſare dominante. Honestissimvm} non omnis laborum fructus honeſtus, ſed honor fructus honeſtiſsimus. Pro lege Manilia: Meus labor in priuatorum periculis caſte, integreq. uerſatus, ex ueſtro iudicio fructum eſt ampliſsimum conſecutus. Laboris svi.} quem ſuſcepit, cum uerſaretur in utriſque ſubſellijs. His *autem temporibus*,} commutata rep. Brvndisio} quo ſe poſt pugnam Pharſalicam Cicero contulit. ep. 27. lib. XI. & ep. 6. ad Att. lib. XI.

lib. xi. MANDATIS,} ut ageret cum Caeſare, ut in Italia, atque etiam in urbe, ſi uellet, Ciceroni liceret eſſe. AD *Caeſarem*} bellum in Aegypto gerentem. RENVNCIANDO} mihi. SI *prius cauſſam; cur eum tantopere diligerem, tibi expoſuiſſem*,} idem loquendi genus ep. 5. lib. IV. Si hoc unum propoſuero, finem faciam. Vide, quae ibi diximus. VSVI.} utilitati. ep. 16. Multis in rebus mihi magno uſui fuit & fides eius, & prudentia. Ep. 1. lib. 1. ad Att. Fuit & mihi, & Quinto fratri magno uſui in noſtris petitionibus. Terentius in Heaut. Mihi ſic eſt uſus. In Hec. Si eſſet ex uſu noſtro hoc matrimonium. Interdum ualet, conſuetudo, ut ep. 1. lib. IX. Eorum uſum dimiſeram. Interdum peritia, exercitatione parta, ut ep. 16. Valet ingenio: habet uſum. MODESTVM, *prudentem, a cupiditate omni remotiſſimum, magni laboris, ſummae induſtriae*.} haec in quaeſtore requiruntur, praeſertim illud, ut ſit ab omni cupiditate remotiſsimus. multi enim pecunias in prouincia contra leges capiebant. FORES *aperiantur*.} pergit in tranſlatione, quia dixerat, Aditus. Non diſsimilis illa tranſlatio apud Terentium, in Heaut. Quantam feneſtram ad nequitiam patefeceris. ET *ipſe ſperarit, nec ego dubitarim*.} quemadmodum, Nec, Et, dicitur, ut ep. 1. lib. 1. Nec miror, & gaudeo: ſic contra, Et, Nec, ut in hoc loco, & Phil. XI. Patebat uia & certa, neque longa. Et in eadem, infra: Mihi quidem & ille perueniſſe uidetur, quoad progredi potuit feri hominis amentia; neque Antonius ullius ſupplicij adhibendi, ſi poteſtatem habeat, ullam partem eſt relicturus.

---

## Argumentum ep. 11.

*Commendat Bruto & ea uectigalia, quae Arpinates habebant in Gallia, & legatos, qui ad ea exigenda proficiſcebantur. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Bruto.* II.

QVIA *ſemper animaduerti, ſtudioſe te operam dare, ut ne quid meorum tibi eſſet ignotum: propterea non dubito, quin ſcias, non ſolum cuius municipij ſim, ſed etiam quam diligenter ſoleam meos municipes Arpinates tueri. quorum quidem omnia commoda, omnesq. facultates, quibus & ſacra conficere, & ſarta tecta aedium ſacrarum, locorumq. communium tueri poſſint, conſiſtunt in ijs uectigalibus, quae habent in prouincia Gallia. ad ea uiſenda, pecuniaſque, quae a colonis debentur, exigendas, totamq. rem & cognoſcendam, & adminiſtrandam legatos equites Romanos miſimus, Q. Fufidium Q. F. M. Faucium M. F. Q. Mamercium Q. F. peto a te maiorem in modum pro noſtra neceſſitudine, ut ea res tibi curae ſit: operamq. des, ut per te quamcommodiſſime negotium municipij adminiſtretur, quamprimumq. conficiatur: ipſosque, quorum nomina ſcripſi, ut quamhonorificentiſſime pro tua natura, & quamliberaliſſime tractes. bonos uiros ad tuam neceſſitudinem adiunxeris; municipiumq. gratiſſimum beneficio tuo deuinxeris: mihi uero etiam eo gratius feceris, quod cum ſemper tueri municipes meos conſueui, tum hic annus praecipue ad meam curam, officiumq. pertinet. nam, conſtituendi municipij cauſſa, hoc anno aedilem filium meum fieri uolui, & fratris filium, & M. Caeſium, hominem mihi maxime neceſſarium: (is enim magiſtratus in noſtro municipio, nec alius ullus, creari ſolet) quos cohoneſtaris, in primisq. me, ſi reſp. municipij tuo ſtudio, & diligentia bene adminiſtrata erit. quod ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

QVIA *ſemper animaduerti*,} tollit rogandi neceſsitatem, explicata commendandi cauſſa. SACRA} publica. SARTA *tecta aedium ſacrarum, locorumq. communium*,} quae cum & conſeruanda maxime ſint, nec ſine uectigalibus conſeruari queant; ſummo ſtudio prouidendum eſt, ne qua res aut impediat agrorum uectigalium fructus, aut imminuat. IN *prouincia Gallia*.} ut Atellani. ep. 7. IS *enim magiſtratus*,} aedilitas. NEC *ullus alius*,} in alijs enim municipijs uel dictator creari ſolebat, ut Lanuuij; (orat. pro Milone) uel couſul, ut Tuſculi; uel duumuir, ut Corfinij; (Caeſar lib. 1. bel. ci.) uel quattuoruir, ut Neapoli, & Cumis, (ep. XI. lib. X. ad Att. & in Cluentiana) uel quaeſtor, ut Sidicini, & Ferenti: (Gellius lib. X. cap. 3.) Spartianus in Hadriano: Per opida Latina dictator, aedilis, duumuir fieri uoluit.

---

## Argumentum ep. 12.

*Q. Fufidium, Arpinatum legatum commendat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Bruto.* 12.

A L I A *epiſtola communiter commendaui tibi legatos Arpinatum, ut potui diligentiſſime: hac ſeparatim Q. Fuſidium, quocum mihi omnes neceſſitudines ſunt, diligentius commendo; non ut aliquid de illa commendatione deminuam, ſed ut hanc addam. nam & priuignus eſt M. Caeſii, mei maxime & familiaris, & neceſſarij: & fuit in Cilicia mecum tribunus mil. quo in munere ita ſe tractauit, ut accepiſſe ab eo beneficium uiderer, non dediſſe. eſt praeterea, quod apud te ualet plurimum, a noſtris ſtudijs non abhorrens. quare uelim eum quamliberaliſſime complectare; operamq. des, ut in ea legatione, quam ſuſcepit contra ſuum commodum, ſecutus auctoritatem meam, quammaxime eius excellat induſtria. uult enim, id quod optimo cuique natura tributum eſt, quammaximam laudem cum a nobis, qui eum impulimus, tum a municipio conſequi. quod ei continget, ſi hac mea commendatione tuum erga ſe ſtudium erit conſecutus. Vale.*

## E X P L A N A T I O

Q V O C V M *mihi omnes neceſſitudines ſunt,*} ep. 1. cum Patrone mihi omnia ſunt. ep. 14. Omnia cum eo intercedunt iura ſummae neceſsitudinis. N O N *ut aliquid de illa commendatione deminuam, ſed ut hanc addam,*} ſimile illud ep. 10. Nihilo infirmius illud, hoc addito. Alij aliter. nos hic emendauimus ex uetuſto Maſaeiorum libro. I N *Cilicia*} pro, in Ciliciensi prouincia, cui tres διοικήσεις attributae erant: ut ep. 67. non enim ſolam Ciliciam rexit Cicero. T R I B V N V S *mil.*} primum in legione locum poſt legatum tribunus mil. obtinebat. Sex autem in ſingulis legionibus Polybius conſtituit. Aſconius duo genera facit, unum eorum, qui Rufuli uocabantur, qui creari ſolebant in exercitu: alterum, qui Comitiati, Romae comitijs deſignati. V T *accepiſſe ab eo beneficium uiderer, non dediſſe.*} ſententia ſimilis ep. 19. lib. VI. In qua ille ſe dediſſe beneficium putabit, non accepiſſe. Recitat Gellius pulcherrimum Publij mimi Senarium: Beneficium dando accepit, qui digno dedit. S E C V T V S *auctoritatem meam,*} auctor enim ei fui, ut eam legationem ſuſciperet. Sequitur proxime: Qui eum impulimus.

# Argumentum ep 13.

L. *Caſtronium Lucenſem commendat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Bruto.* 13.

L. C A S T R O N I V S *Paetus, longe princeps municipij Lucenſis, eſt honeſtus, grauis, plenus officij, bonus plane uir, & cum uirtutibus, tum etiam fortuna, ſi quid hoc ad rem pertinet, ornatus: meus autem eſt familiariſſimus, ſic prorſus, ut noſtri ordinis obſeruet neminem diligentius. quare & ut meum amicum, & ut tua dignum amicitia, tibi commendo: cui quibuſcumque rebus commodaueris, tibi profecto iucundum, mihi certe erit gratum. Vale.*

## E X P L A N A T I O

H O N E S T V S, *grauis, plenus officij,*} nihil redundat: ſingula enim ſingulis aliquid addunt. ut enim poteſt eſſe aliquis honeſtus, nec tamen grauis, aut officij plenus: ita contra. honeſtus autem refertur ad genus, & familiam, quod honeſto loco natus: grauis, ad aetatem, & mores: plenus officij, ad probitatem, & conſuetudinem uel bene merendi, uel remunerandi. B O N V S *plane uir,*} ad hanc laudem addi nihil poteſt: & augetur ex ea maiorem in modum commendatio, praeſertim apud Brutum, inſigni bonitate uirum. F O R T V N A,} ijs rebus, quae ſunt in fortunae poteſtate. S I *quid hoc ad rem pertinet,*} ſi fortuna locum habet inter ea, quae ad commendandum ualent. F A M I L I A R I S S I M V S, *ſic prorſus,*} ratio non uidetur ferre, ut, ſit, cum ſuperlatiuo iungatur, ſed ipſa ratio refellitur exemplis. ep. 33. Cn. Otacilio Naſone utor familiariſsime, ita prorſus, ut illius ordinis nullo familiarius. N O S T R I *ordinis,*} ſenatorij. I V C V N D V M,} promitto, in meq. recipio, fore eum tibi uoluptati. ep. 10.

# Argumentum ep. 14.

P *Etit, ut exactionem eius pecuniae, quam L. Straboni P. Cornelius debet, ſuo ſtudio, & diligentia curet. Eodem anno.*

*Cicero*

## *Cicero S. D. Bruto.* 14.

*L. T*ITIO *Strabone, equite Romano in primis honeſto, & ornato, familiariſſime utor. omnia mihi cũ eo intercedunt iura ſummae neceſſitudinis. huic in tua prouincia pecuniam debet P. Cornelius. ea res a Volcatio, qui Romae ius dicit, reiecta in Galliam eſt. peto a te hoc diligentius, quam ſi mea res eſſet, quo eſt honeſtius de amicorum pecunia laborare, quam de ſua, ut negotium conficiendum cures, ipſe ſuſcipias, tranſigas; operamq. des, quod tibi aequum, & rectum uidebitur, ut quamcommodiſſima condicione libertus Strabonis, qui eius rei cauſſa miſſus eſt, negotium conficiat, ad nummosq. perueniat. id & mihi gratiſſimum erit: & tu ipſe L. Titium cognoſces amicitia tua digniſſimum. quod ut tibi curae ſit, ut omnia ſolent eſſe, quae me uelle ſcis, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

OMNIA *mihi cum eo intercedunt iura ſummae neceſſitudinis.*} ep. 12. Quocum mihi omnes neceſſitudines ſunt. VOLCATIO} praetore urbano, qui ceteris praetoribus nobilitate praeſtabat. ep. 12. lib. x. Feſtus.

# Argumentum ep. 15.

*PRaecilium adoleſcentem, patre natum Caeſaris amiciſsimo, cõmendat. Caeſare cos.* IIII. *ſine collega. nam ſcripta uidetur haec epiſtola, item ut ea, quae ſequitur, eo tempore, cum Caeſar aduerſus Pompeij liberos in Hiſpania pugnaret. quod etiam doctis uiris placuiſſe uideo. Et quia Caeſari Imperatori inſcribitur; licet intelligere, ſcriptam eſſe poſt* XI. *Kal. Mart. quo die imperatorẽ appellatum, Ategua in Hiſpania capta, ſcribit Oppius.*

## *Cicero S. D. C. Caeſari imp.* 15.

*P*RAECILIVM *tibi commendo unice, tui neceſſarij, mei familiariſsimi, uiri optimi filium. quem cum adoleſcentem ipſum propter eius modeſtiam, humanitatem, animum, & amorem erga me ſingularem mirifice diligo: tum patrem eius, re doctus, intellexi, & didici mihi fuiſſe ſemper amiciſsimum. hem hic ille eſt, de illis maxime, qui irridere, atque obiurgare me ſolitus eſt, quod me non tecum, praeſertim cum abs te honorificentiſsime inuitarer, coniungerem.*

ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ ϛήθεσσιν ἔπειθεν.

*audiebam enim noſtros proceres clamitantes,*

ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

ὣς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.

*ſed tamen idem me conſolatur. etiam, hominem peruſtũ, etiamnum gloria uolunt incẽdere; atque ita loquuntur:*

μὴ μὰν ἀσπουδᾶ γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

*ſed me minus iam mouent, ut uides: itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad uera praecepta* Εὐριπίδου:

Μισῶ σοφιϛὴν, ὅϛις οὐχ αὑτῷ σοφός.

*quem uerſum ſenex Praecilius laudat egregie: & ait poſſe eundem &* ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω *uidere, & tamen nihilo minus*

αἰὲν ἀριϛεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

*Sed, ut redeam ad id, unde coepi; uehementer mihi gratum feceris, ſi hunc adoleſcentem humanitate tua, quae eſt ſingularis, comprehenderis, & ad id, quod ipſorum Praeciliorum cauſſa te uelle arbitror, addideris cumulum commendationis meae. Genere nouo ſum litterarum ad te uſus, ut intelligeres non uulgarem eſſe commendationem. Vale.*

## EXPLANATIO

PRAECILIVM *tibi commendo unice,*} cauſae ſunt huius commendationis duae: quarum altera ſumitur ab adoleſcente Praecilio, qui modeſtia, & humanitate excellat, Ciceronemq. ipſum ſingulariter diligat: Altera ab eius patre, cuius & in Caeſarem, Ciceronemq. non uulgaris beneuolentia, & probitas eximia ſit. Praecilia gens & plebeia, nec ullo clara conſulatu, ne praetura quidem, quod ſciam. HEM *hic ille eſt*} inſignis ad mouendum locus: tum quia ſenſus Praecilij, & ſtudium erga Caeſarem declaratur: tum etiam, quia Cicero, qua ſibi re offenſum Caeſarem putat, in ea dat operam, ut illum ſibi, erroris confeſsione, reconciliet. Hem, particula non dolentis, ſed indicantis potius: ut Phil. 5. Hem cauſſam, cur lex tam egregia ferretur, ut eos iudices haberemus, quos hoſpites habere nemo uelit. Et Terentius in And.

Obſecro

Obſecro te, quamprimum hoc me libera miſeram metu. D. hem libero. In And. Hem tibi, reſciuit omnem rem. Et alibi. Similiter Plautus in Aſin. Hem nunc, ſi uelis da, commoda homini amico. Et in Capt. Hem mihi iam otium eſt. Et alibi. IRRIDERE} initio ciuilis belli. NON *tecum coniungerem.*} coniunxit ſe cum Pompeio. HONORIFICENTISSIME} ep. 9. lib. IX. Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν} ſed meum numquam animum in pectoribus perſuaſerunt. Homeri uerſus, *οδ. η.* NOSTROS *proceres*} Pompeianos. Proceres uocat cum ironia: quia defendi a ſe remp. gloriarentur. *ἄλκιμος ἔσσ', &c.*} fortis eſto ut aliquis te & poſterorum laudet. Homerus. *Οδ. α. & γ. ὡς νεφέλη*} ſic nebula occultauit atra. ideſt: ita non uidi, quod utilius mihi fuit: ita mihi quaſi nebula quaedam uidendi facultatem ademit. *Οδ. ω.* IDEM} idem ſenex Praecilius, qui me irridebat antea, & obiurgabat. CONSOLATVR.} cum dicat me tibi eſſe cariſsimum. ETIAM, *hominem peruſtum, etiamnum gloria uolunt incendere;*} Etiamnum, non placet: uidetur enim abundare, cum iam dictum ſit, Etiam. Augent mendi ſuſpicionē ueteres libri. nam pro, Etiamnum, tres habent, Et intimū: unus, Et iam non: duo, Et inanem: unus, Et inani: unus, Inani: unus, quo ſum uſus adoleſcens, Vincentij Riccij, Immani: quod in ſcholijs noſtris olim teſtati ſumus: unus omnino, Etiamnum. Quae uarietas dubitationem mihi quidem non paruam affert. placuit olim, Inani gloria: placet idem nunc, ita, ſi docti uiri probant. non enim is ſum, qui meas opiniones mordicus retineam. *μὴ μὰν ἀσπουδί γε, &c.*} ne negligenter, & ſine gloria peream, ſed magno aliquo edito facinore, & poſteris audiendo. Il. χ. VT. VIDES:} quia non ſequor partes eorum, ſed in urbe ſum. AB *homeri magniloquentia confero me ad uera praecepta Εὐριπίδου*} quid Homerus dicat, non attendo: Euripidem audio libentius. Magnifice loquitur Homerus, quia ſuperioribus uerſibus ad gloriam hortatur. VERA} qui enim deſipiat, in re ſua, ſapere eum in aliena quis exiſtimet? Μισῶ σοφιστήν,} odi ſapientem, qui non ſibi ſapit. Cur eos, inquit, monentes audiam; cum ipſi ſibi, tecum decertantes, non optime conſulant? Senarius hic ex Euripidis Medea uidetur eſſe. uide ep. 6. lib. VII. LAVDAT} quaſi uere dictum, & eorum exemplo comprobatum, qui mihi conſilium dant, cum ipſis eorum conſilia non proſint. POSSE *eundem,*} poſſe, qui ſuis rationibus proſpiciat, id quod ego facio, eundem praeclare agere, & alijs praeſtare. Cum enim proceres illi, Ciceronem incendere gloria cupientes, ita loquerentur: *μὴ μὰν ἀσπουδί γε* &c. potes, aiebat Praecilius, & praeclare agere, quod iſti monent, & ſimul tamen ante & poſt uidere, ideſt conſilia tuta & ſalutaria capere: quod e Caeſaris amicitia conſequeris. *Ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω uidere,*} praeterita ſimul & ſequentia inſpicere: quod qui facit, errare non poteſt. facit autem is, aiebat Praecilius, qui cum Caeſare, opibus, honoribus, gloria florentiſsimo, non contendit. Sumptum, ex Homero, qui Achillem ob ereptam ſibi ab Agamennone Briſeidem ita conquerentem inducit Il. lib. 1.

*— ἦ γὰρ ὅγ' ὀλοιῇσι φρεσὶ θύει,*
*οὐδέ τι οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω,*
*ὅππως οἱ παρὰ νηυσὶ σόοι μαχέοιντο ἀχαιοί.* Et in Od. lib. ult.
*τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε γέρων ἥρως ἁλιθέρσης*
*μαστορίδης. ὁ γὰρ οἶος ὅρα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω.*

Αἰὲν ἀριστεύειν} ſemper egregie ſe gerere, & alijs antecellere Homerus Il. 2, Λ. GENERE *nouo,*} ob interpoſitos Graecos uerſus.

# Argumentum ep. 16.

*APollonium, P. Craſsi libertum, Caeſari, bellum in Hiſpania contra Pompeij liberos gerenti, commendat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Caeſari imp.* 16.

P. CRASSVM, *ex omni nobilitate, adoleſcentem dilexi plurimum: &, ex eo cum ab ineunte eius aetate bene ſperauiſſem, tum optime exiſtimare coepi ex ijs iudicijs, quae de eo feceram, cognitis. eius libertum Apollonium iam tum equidem, cum ille uiueret, & magni faciebam, & probabam. erat enim & ſtudioſus Craſſi, & ad eius optima ſtudia uehementer aptus: itaque ab eo admodum diligebatur. poſt mortem autem Craßi, eo mihi etiam dignior uiſus eſt, quem in fidem, atque amicitiam meam reciperem, quod eos a ſe obſeruandos, et colendos putabat, quos ille dilexiſſet, & quibus carus fuiſſet. itaque & ad me in Ciliciam uenit; multisq. in rebus mihi magno uſui fuit & fides eius, & prudentia: &, ut opinor tibi in Alexandrino bello, quantum ſtudio, & fidelitate conſequi potuit, non defuit. quod cum ſperaret te quoque ita exiſtimare, in Hiſpaniam ad te maxime ille quidem ſuo conſilio, ſed etiam me auctore eſt profectus. cui ego commendationem non ſum pollicitus: non quin eam ualituram apud te arbitrarer: ſed neque mihi egere commendatione uidebatur, qui & in bello tecum fuiſſet, & propter memoriam Craſsi de tuis unus eſſet: &, ſi uti commendationibus uellet, etiam per alios eum uidebam id conſequi poſſe. teſtimonium meum de eo iudicij, quod & ipſe magni aeſtimabat, & ego apud te ualere eram expertus, ei libenter dedi. Doctum igitur hominem cognoui, & ſtudijs optimis deditum, idq. a puero. nam domi meae cum Diodoto Stoico, homine, meo iudicio, eruditiſsimo, multum a puero fuit. nunc*

*autem*

*autem incenſus ſtudio rerum tuarum, eas litteris Graecis mandare cupiebat. poſſe arbitror. ualet ingenio, habet uſum: iampridem in eo genere ſtudij, litterarumq. uerſatur: ſatisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meae teſtimonium: ſed tu hoc facilius multo, pro tua ſingulari prudentia, iudicabis. & tamen quod negaueram, commendo tibi eum quidquid ei commodaueris, erit mihi maiorem in modum gratum. Vale.*

## EXPLANATIO

P. CRASSVM,} Liciniae gentis, plebeiae, M. Craſsi, a Parthis interempti, filium. ep. 8. lib. v. EX OMNI *nobilitate*,} nobiles enim & plebeij generis homines dicebantur, ob honores ab eorum parentibus, & maioribus praeclare geſtos. ep. 64. Pluris ex omni nobilitate neminem facio. Quo loco de homine patricio loquitur. COGNITIS} robuſtiore eius aetate. OPTIMA *ſtudia*} eloquentiae P. Craſſus operam dedit: ideoq. Ciceronis conſuetudine perlibenter utebatur: cumq. cum patre diſsidentem in gratiam reduxit. auctor Plutarchus. Cicero autem in Bruto, Quae quidem, inquit, etiam cum P. Craſſo M. F. cum initio aetatis ad amicitiam ſe meam contuliſſet, ſaepe egiſſe me arbitror; cum eum uehementer hortarer, ut eam laudis uiam rectiſsimam eſſe duceret, quam maiores eius ei tritam reliquiſſent. erat enim cum inſtitutus optime, tum etiam perfecte planeq. eruditus: ineratq. & ingenium ſatis acre, & orationis non inelegans copia: praetereaq. ſine arrogantia grauis eſſe uidebatur, & ſine ſegnitia uerecundus. POST *mortem autem Craſſi*,} perijt Publius cum patre in Parthis. AD. ME} proconſulem. IN *Alexandrino bello*} quod Caeſar, poſt Pharſalicam pugnam, cum Ptolemaeo puero geſsit. exſtat eo de bello uel Hirtij, uel Oppij liber. PROPTER *memoriam Craſſi de tuis unus eſſet*:} quia P. Craſſus in Gallia Caeſaris legatus fuerat. DIODOTO *Stoico*,} ep. 4. lib. IX. POSSE *arbitror*.} mos Ciceronis eſt, aliqua re praepoſita, breuiter ſuum ſenſum oſtendere, ut ep. I. lib. XVI. Is omnia pollicitus eſt, quae tibi eſſent opus. facturum puto. Et ep. 4. lib. X. ad Att. Iurabat ad ſummam, quod nullo negotio faceret, amiciſsimum mihi Caeſarem. eſſe debet. VSVM:} peritiam exercitatione partam. IN. EO *genere ſtudij*,} in hiſtoria. IMMORTALITATI} quas nulla dies exſtinguet. IVDICABIS.} de doctrina hominis, de ingenio, de uſu, & an Graecis litteris res tuas mandare poſsit. ET. TAMEN *quod negaueram, comendo tibi eũ*.} ſimile artificiũ ep. 18. Quod modo uerebar tibi gratias agere, nunc plane ago.

## Argumentum ep. 17.

*SVlpicio, iuriſconſultorum principi, Achaiae praefecto. Manium Curiũ, Patris negotiantem, commendat. Caeſare quartum conſule, ſine collega, pugnante in Hiſpania contra Pompeij liberos. nam eo anno fuiſſe in Achaia Sulpicium, inde conijcio, quod Ciceronem litteris e prouincia miſsis, quae lib.* IV. *leguntur, de obitu Tulliae filiae conſolatus eſt. Tullia uero perijt Hiſpanienſi bello: ut ex ep.* 22. *ad Att. lib.* XII. *cognoſcitur: & ex Hiſpania Caeſar ipſe ad Ciceronem conſolatorias litteras miſit: ut ex ep.* 20. *lib.* XIII. *ad eundem.*

### *Cicero S. D. Ser. Sulpicio.* 17.

M'. CVRIVS, *qui Patris negotiatur, multis, & magnis de cauſsis a me diligitur. nam & amicitia peruetus mihi cum eo eſt, ut primum in forum uenit, inſtituta: & Patris cum aliquoties antea, tum proxime hoc miſerrimo bello domus eius tota mihi patuit: qua, ſi opus fuiſſet, tam eſſem uſus, quam mea. maximum autem mihi uinculum cum eo eſt, quaſi ſanctioris cuiuſdam neceſsitudinis, quod eſt Attici noſtri familiariſſimus, eumq. unum praeter ceteros obſeruat, ac diligit. quem ſi tu iam forte cognouiſti; puto me hoc, quod facio, facere ſerius. ea enim eſt humanitate, & obſeruantia, ut eum tibi iam ipſum per ſe commendatum putem. quod tamen ſi ita eſt; magnopere a te quaeſo, ut ad eam uoluntatem, ſi quam in illum ante has meas litteras contuliſti, quammaximus poſtea commendatione cumulus accedat. ſin autem propter uerecundiam ſuam minus ſe tibi obtulit; aut eum nondum ſatis habes cognitum; aut quae cauſſa eſt cur maioris commendationis indigeat: ſic tibi eum commendo, ut neque maiore ſtudio quemquam, neque iuſtioribus de cauſſis commendare poſſim. faciamq. id, quod debent facere ij, qui religioſe, & ſine ambitione commendant. ſpondebo enim tibi, uel potius ſpondeo, in meq. recipio, eos eſſe M'. Curij mores eamq. tum probitatem, tum etiam humanitatem, ut eum & amicitia tua, & tam accurata commendatione, ſi tibi ſit cognitus, dignum ſis exiſtimaturus. mihi certe gratiſſimum feceris, ſi intellexero has litteras tantum, quantum ſcribens confidebam, apud te pondus habuiſſe. Vale.*

## EXPLANATIO

M'.} MANIVS praenomen a Mane,ut a Luce Lucius. Familiare fuit Curiorum,& Aciliorum praenomen. CVRIVS,} is eſt, ad quem ſunt ep. 28. 30. 31. lib. VII. & ipſius etiam una ad Ciceronem. nominatur praeterea ep. 50. huius lib.& ep. 1. 6. 9. 10. lib. XVI. & ep. 2. 3. ad Att. lib. VII. & ad eundem ep. 5. 6. lib. IIX. VT *primum in foro uenit,* } ſic ep. 10. BELLO} quod geſtum eſt inter Caeſarem, & Pompeium. QVAM *maximus poſtea commendatione cnmulus accedat.* } pro, Poſtea, Poteſt mea, mihi placere, ſcholia mea in has epiſtolas, ante triginta annos edita, & ſaepe deinde impreſſa, teſtantur. itaque non diſputo, quam recte faciant, qui, quod noſtrum eſt, ad alios transferant: cum praeſertim, Scholia noſtra ſe uidiſſe, infitias ire non poſsint. equidem, quod ad me attinet, non laboro: minima enim haec duco; & magis id ſpecto, ut ſtudioſis meo labore conſulam, quam, ut inanem gloriam quaeram: ſed iniquam noſtrorum temporum conſuetudinem notandam putaui. De correctione nihil addo. notus enim loquendi modus. uno tamen utar exemplo. ep. 4. lib. XV. Quam potui maximis itineribus ad Amanum ire contendi. RELIGIOSE, *& ſine ambitione* } quaſi religioni aduerſetur ambitio. nam religio ueritatem exigit: ambitio ſaepe ueris falſa praeponit.

# Argumentum ep. 18.

*PRimum agit gratias de optima in Pomponium Atticum uoluntate: deinde non neceſſariam commendationem addit, ut neque in Epiroticis negotijs, neque alijs in rebus Attico deſit. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Sulpicio* 18.

*NON concedam, ut Attico noſtro, quem elatum laetitia uidi, iucundiores tuae, ſuauiſſime ad eum, & humaniſſime ſcriptae, litterae fuerint, quam mihi. nam etſi utrique noſtrum prope aeque gratae erãt: tamen ego admirabar magis, te, quaſi rogatus, aut certe admonitus liberaliter Attico reſpondiſſes, (quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat) ultro ad eum ſcripſiſſe, eiq. nec opinanti uoluntatem tuam tantam per litteras detuliſſe. de quo non modo rogare te, ut eo ſtudioſius mea quoque cauſſa facias, non debeo, (nihil enim cumulatius fieri poteſt, quam polliceris) ſed ne gratias quidem agere, quod tu & ipſius cauſſa, & tua ſponte feceris. illud tamen dicam, mihi id, quod feciſti, eſſe gratiſſimum. tale enim tuum iudicium de homine eo, quem ego unice diligo, non poteſt mihi non ſumme eſſe iucundum. quod cum ita ſit, eſſe gratum neceſſe eſt. ſed tamen, quando mihi, pro coniunctione noſtra, uel peccare apud te in ſcribendo licet: utrumque eorum, quae negaui mihi facienda eſſe, faciam. nam & ad id, quod Attici cauſſa te oſtendiſti eſſe facturum, tantum uelim addas, quantum ex noſtro amore acceſſionis fieri poteſt: &, quod modo uerebar, tibi gratias agere, nunc plane ago: teq. ita exiſtimare uolo, quibuſcumque officijs in Epiroticis, reliquisq. rebus Atticum obſtrinxeris. ijſdem me tibi obligatum fore. Vale.*

## EXPLANATIO

ELATVM *laetitia* } ep. 10. lib. 2. Poſt comitia iſta praeclara, quae me laetitia extulerunt. ROGATVS *aut certe admonitus* } correctio, quia rogari amicus ab amico non uult. ep. 9. lib. 1. quae mihi commendas, ea tantae mihi curae ſunt, ut me nolim admoneri, rogari uero ſine magno dolore uix poſsim. Et ep. 4. lib. XV. Admonendum te potius, quam rogandum puto. Et. ep. 13. lib. IX. Peto a te, uel, ſi pateris, oro. QVIN *ita futurum fuerit,* } te reſponſurum liberaliter fuiſſe, dubium nobis non erat. VLTRO *ad eum ſcripſiſſe,* } ita ſcripſiſſe ad eum ultro, quaſi rogatus, aut certe, quoniam rogari amor non patitur, admonitus liberaliter ei reſpondiſſes. NEC *opinanti* } ſic maluit, quam Inopinanti. inopinatum autem paſsiue, ut grammatici loquuntur, ſaepe dixit. Hic, Nec, ualet non, ut ep. 4. lib. XV. Praeſentibus inſidijs nec opinantem liberaui. Et in eadem infra: Pleroſque nec opinantes oppreſsimus. Et lib. III. de Fin. Quod cum accidiſſet, ut alter alterum nec opinato uideremus, ſurrexit ſtatim. Et lib. III. de legi ſenatori, qui nec aderit, aut cauſſa, aut culpa eſto. QVOD *tu & ipſius cauſſa, & tua ſponte feceris.* } ſi enim id mea cauſſa feciſſes, gratias ipſe agere deberem: cum uero ipſius cauſſa feceris, ad eum pertinere gratiarum actio uidetur. quamquam ne ille quidem gratias debet agere: non enim ab eo rogatus, aut admonitus, ſed ultro ipſe nec opinanti uoluntatem ei tuam tantam per litteras detuliſti. itaque gratiarum actio nulla aequare poteſt officium tuum. ESSE *gratum neceſſe eſt* } quia, quod iucundum, idem gratum, non contra. uide quae diximus ep. 6. lib. IV. VTRVMQVE *eorum, quae negaui mihi facienda eſſe, faciam.* } ſolet in commendationibus, hoc uti Cicero genere artificij, ut, quos primum negauit oportere commendari, eoſdem

poſtea

poſtea commendet: ut ep. 16. Et tamen, quod negaueram, commendo tibi eum. Et ad Catonem, ep. 4. lib. xv. cum haec iam dixiſſet: Etſi talibus de rebus grauiſsimos homines & rogare ſolere, & rogari ſcio; tamen admonendum potius te a me, quam rogandum puto: ſubiunxit aliquanto infra: Huic meae uoluntati, ut faueas, adiutorq. ſis, quod paullo ante me negaram rogaturum, uehementer te rogo. Vide & initium ep. 47. & ep. 63. QVANTVM *acceſſionis fieri poteſt:*} ep. 1. lib. 2. Quantaecumque tibi acceſsiones fient & fortunae, & dignitatis. EPIROTICIS} poſſeſsiones in Epiro Atticus habuit, ut epiſtolae ad eum ſcriptae, & Nepos in uita demonſtrat. Epirus autem hoc tempore ad imperium Sulpicij, Achaiam regentis, pertinuit: antea Macedoniae prouinciae pars fuit: ut oſtendit oratio in Piſonem.

---

## Argumentum ep. 19.

*ROgat, ut Lyſonem, quem antea quoque commendauerat, in fidem neceſsitudinemq. recipiat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Sulpicio.* 19.

*CVM Lyſone Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitium uetus; quam ego neceſſitudinem ſancte colendam puto: ſed ea cauſſa, etiam cum alijs compluribus, familiaritas tanta nullo cum hoſpite, & ea cum officijs eius multis, tum etiam conſuetudine quotidiana ſic eſt aucta; ut nihil ſit familiaritate noſtra coniunctius. is cum Romae annum prope ita fuiſſet, ut mecum uiueret: etſi eramus in magna ſpe, te meis litteris, commendationeq. diligentiſſime facturum id, quod feciſti, ut eius rem, & fortunas abſentis tuerere; tamen, quod in unius poteſtate erant omnia, & quod Lyſo fuerat in noſtra cauſſa, noſtrisq. praeſidijs, quotidie aliquid timebamus. effectum tamen eſt & ipſius ſplendore, & noſtro, reliquorumq. hoſpitum ſtudio, ut omnia, quae uellemus, a Caeſare impetrarentur. quod intelliges ex ijs litteris, quas Caeſar ad te dedit. nunc non modo non remittimus tibi aliquid ex noſtra commendatione, quaſi adepti iam omnia; ſed eo uehementius a te contendimus, ut Lyſonem in fidem, neceſſitudinemq. tuam recipias. cuius dubia fortuna timidius tecum agebamus, uerētes, ne quid accideret eiuſmodi, ut ne tu quidem mederi poſſes: explorata uero eius incolumitate, omnia a te ſtudia ſumma cura peto. quae ne ſingula enumerem, totam tibi domum commendo, in his adoleſcentem filium eius: quem C. Memmius Gemellus, cliens meus, cum in calamitate exſulij ſui Patrenſis ciuis factus eſſet, Patrenſium legibus adoptauit: ut eius ipſius hereditatis ius, cauſſamq. tueare. Caput illud eſt, ut Lyſonem, quem ego uirum optimum, gratiſſimumq. cognoui, recipias in neceſſitudinem tuam. quod ſi feceris; non dubito, quin in eo diligendo, ceterisq. poſtea commendando, idem, quod ego, ſis iudicij, & uoluntatis habiturus. quod cum fieri uehementer ſtudeo; tum etiam illud uereor, ne, ſi minus cumulate uideberis feciſſe aliquid eius cauſſa, me ille negligenter ſcripſiſſe de ſe putet, non te oblitum mei. quanti enim me faceres, cum ex ſermonibus quotidianis meis, tum ex epiſtolis etiam tuis potuit cognoſcere. Vale.*

## EXPLANATIO

LYSONE} is eſt, cui Tironem aegrum commendauit. ep. 1. 6. 9. lib. xvi. NECESSITVDINEM} cuius arctiora quaedam uincula ſunt, quam amicitiae. itaque ſequitur, Sancte colendam. ſancta enim hoſpitij iura. unde hoſpitalis Iuppiter, qui hoſpitijs praeeſſet, ep. 10. lib. 2. ad Q. fr. & in orat. pro Deiotaro, & lib. III. de Fin. ABSENTIS} quia Romae, non Patris, eſſet. IN. NOSTRA *cauſſa, noſtrisq. praeſidijs,*} Pompeium ſecutus eſt in ciuili bello. TIMEBAMVS.} a Caeſare. QVAS *Caeſar ad te dedit.*} poteſt eas litteras Caeſar in Hiſpania ſcripſiſſe: ſed ueri ſimilius eſt, in Vrbe: cum dicat Cicero, Et noſtro, reliquorumq. hoſpitum ſtudio. quod ſi ita eſt; iuit Sulpicius in Achaiam, ante quam in Hiſpaniā; (ep. 4. lib. IV.) manſit uſque ad exitum belli. nam, ut diximus iam, Caeſar, & Sulpicius, hic ex Achaia, ille miſsis ex Hiſpania litteris, in obitu filiae conſolati ſunt. ACCIDERET} uoluntate Caeſaris. C. MEMMIVS *Gemellus,*} poteſt eſſe is Memmius, ad quem ſupra leguntur Ciceronis epiſtolae. nam & praenomen ideſt eſt, & exſulauit uterque. PATRENSIS *ciuis*} amiſſa Romana ciuitate. nam duarum ciuitatum ciuis eſſe nemo poterat. ME. ILLE *negligenter de ſe ſcripſiſſe putet, non te oblitum mei.*} Simile illud ep. 1. Non te in me illiberalem, ſed me in ſe negligentem putabit.

---

## Argumentum ep. 20.

*COmmendat Aſclaponem medicum. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Sulpicio.* 20.

*ASCLAPONE Patrenſi, medico, utor ualde familiariter; eiusq. tum conſuetudo mihi iucunda fuit, tum etiam ars, quam ſum expertus in ualetudine meorum: in qua mihi tum ipſa ſcientia, tum etiam fidelitate, beneuolentiaq. ſatisfecit. hunc igitur tibi commē do: & a te peto, ut des operam, ut intelligat, diligenter me ſcripſiſſe de ſe, meamq. commendationem uſui magno ſibi fuiſſe. erit id mihi uehementer gratum. Vale.*

### EXPLANATIO

MEDICO, } medicinam Romae ingenui homines, ut artem illiberalem, non colebant. MEORVM: } Tironis, quem ex Cilicia decedens aegrum Patris reliquit. ep. 1.6.9. lib. XVI.

## Argumentum ep. 21.

*DOmum, & rem familiarem M. Aemilij, maximeq. C. Hammonium, libertum eius, commendat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Sulpicio.* 21.

*M. AEMILIVS Auianus ab ineunte adoleſcētia me obſeruauit, ſemperq. dilexit, uir cum bonus, tum perhumanus, & in omni genere officij diligendus. quem ſi arbitrarer eſſe Sicyone; & niſi audirem, ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Cibyrae commorari: nihil eſſet neceſſe plura me ad te de eo ſcribere. perficeret enim ipſe profecto ſuis moribus, ſuaq. humanitate, ut ſine cuiuſquam commendatione diligeretur abs te non minus, quam & a me, & a ceteris ſuis familiaribus. ſed, cum illum abeſſe putem; commendo tibi maiorem in modum domum eius, quae eſt Sicyone, remq. ſamiliarem, maxime C. Auianum Hammonium, libertum eius: quē quidem tibi etiam ſuo nomine commendo. nam cum propterea mihi eſt probatus, quod eſt in patronum ſuum officio, & fide ſingulari; tum etiam, quod in me ipſum magna officia contulit, mihiq. moleſtiſſimis temporibus ita fideliter; beneuoleq. praeſto fuit, ut ſi a me manumiſſus eſſet. itaque peto a te, ut eum Hammonium & in patroni eius negotio ſic tueare, ut eius procuratorem, quem tibi commendo; & ipſum ſuo nomine diligas, habeasq. in numero tuorum. hominem pudentē, & officioſum cognoſces, & dignum, qui a te diligatur. Vale.*

### EXPLANATIO

IN. OMNI *genere officij diligendus.* } non delector mutatione: facio tamen libenter, ut in locis mendum redolentibus teſtificer ſententiam meam. In omni genere officij diligendus, ferri poteſt, & eo magis, quod omnes libri ueteres conſentiunt: uerumtamen, quia Diligens, & Diligendus, non admodum diuerſa ſunt; ſcripſi olim, nihil tamen affirmans, magis mihi placere Diligens, quam Diligendus: ut mentio fiat in officio Diligentiae potius, quam amoris, ex conſuetudine Ciceronis: quam ſi quis contemnit, eum a me diſſentire nec miror, nec moleſte fero. Ciceronis haec ſunt, pro Plancio: In omni officio diligētiſsimus. Pro Caelio: Viro omnis officij diligentiſsimo. Pro Cluentio: In omnibus officijs retinendis diligentior eſſe nemo poteſt. C. AVIANVM } ep. 27. miror a nonnullis, Auianium, legi: cum tamen initio epiſtolae, M. Aemilius Auianus, legant. cur autem liberti nomen a patroni nomine diſſentiat? MOLESTISSIMIS *temporibus* } cum exſularet, a Clodio pulſus. EVM *Hammonium* } fortaſſe abundat, Hammonium.

## Argumentum ep. 22.

*T. Manlium ſuo, Varroniſque Murenae nomine commendat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Sulpicio.* 22.

*T. MANLIVM, qui negotiatur Theſpijs, uehementer diligo. nam & ſemper me coluit, diligentiſſimeq. obſeruauit; & a ſtudijs noſtris non abhorret. accedit eo, quod Varro Murena magnopere eius cauſſa uult omnia. qui ita exiſtimauit, etſi ſuis litteris, quibus tibi Manlium commendabat, ualde confideret, tamen mea commendatione aliquid acceſſionis fore. me quidem cum Manlij familiaritas, tum Varronis ſtudium commouit, ut ad te quam accuratiſſime ſcriberem. Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi huic commendationi meae*

*tantum*

*tantum tribueris, quantum cui tribuiſti plurimum, id eſt ſi T. Manlium quammaxime, quibuſcumque rebus honeſte, ac pro tua dignitate poteris, iuueris, atque ornaueris. ex ipſius praeterea gratiſſimis, & humaniſsimis moribus, confirmo tibi, eum te, quem ſoles fructum a bonorum uirorum officijs exſpectare, eſſe capturum. Vale.*

## EXPLANATIO

VARRO *Murena*} Varro Terentiae gentis, Murena Liciniae cognomen. hic igitur uel ex Terentia in Liciniam, uel, quod magis arbitror, ex Licinia in Terentiam adoptatus, nouum cognomen accepit, uetere conſeruato: ut Pompeij Magni ſocer Scipio Metellus, adoptatus a Q. Caecilio Metello Pio, cũ eſſet antea Corneliae gentis: ut Varro Lucullus, qui anno Vrbis 680. Conſul fuit, accepto Terentiae gentis cognomine, Liciniae retento. Hunc ego Varronem Murenam facile crediderim eius Varronis Murenae patrem fuiſſe, qui cum Auguſto anno 730. conſulatum geſsit. Muraena uero ſcribendum eſſe, non Murena, cum a μύραινα piſce deducatur, ut alia Romanarum gentium cognomina, licet aduerſante lapidum antiquorum auctoritate, libenter exiſtimauerim. QVIBVSCVMQVE *rebus honeſte, ac pro tua dignitate poteris,*} eodem modo ep. 31. Similiter ep. 32. & ep. 67.

## Argumentum ep. 23.

L. *Coßinium libertum commendat.*

### *Cicero S. D. Sulpicio.* 23.

L. COSSINIO, *amico, & tribuli meo, ualde familiariter utor. nam & inter noſmet ipſos uetus uſus intercedit: & Atticus noſter maiorem etiam mihi cum Coſinio conſuetudinem fecit: itaque tota Coſinij domus me diligit, in primisq. libertus eius L. Coſinius Anchialus, homo & patrono, & patroni neceſſarijs, quo in numero ego ſum, probatiſſimus. hunc tibi ita commendo, ut ſi meus libertus eſſet, eodemq. apud me loco eſſet, quo & eſt apud patronum ſuum, maiore ſtudio commendare non poſſem. quare pergratum mihi feceris, ſi eum in amicitiam tuam receperis. atque eum, quod ſine moleſtia tua fiat, ſi qua in re opus ei fuerit, iuueris. id & mihi uehementer gratum erit, & tibi poſtea iucundum. hominem enim ſumma probitate, humanitate, obſeruantiaq. cognoſces. Vale.*

## Argumentum ep. 24.

P*Rimum agit gratias Sulpicio, quod ſe totum Lyſoni remiſiſſet: deinde rogat, ut eundem omnibus officijs, omniq. liberalitate complectatur. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Sulpicio.* 24.

CVM *antea capiebam ex officio meo uoluptatem; quod memineram, quam tibi diligenter Lyſonem, hoſpitem, & familiarem meum, commendaſſem: tum uero, poſtea quam ex litteris eius cognoui, tibi eum falſo ſuſpectum fuiſſe, uehementiſſime laetatus ſum, me tam diligentem in eo commendando fuiſſe. ita enim ſcripſit ad me, ſibi meam commendationem maximo adiumento fuiſſe; quod ad te delatum diceret, ſeſe contra dignitatem tuam Romae de te loqui ſolitum eſſe. de quo etſi pro tua facilitate, & humanitate purgatum ſe tibi ſcribit eſſe: tamen primum, ut debeo, tibi maximas gratias ago, cum tantum litterae meae potuerunt, ut, ijs lectis, omnem offenſionem ſuſpicionis, quam habueras de Lyſone, deponeres: deinde, credas mihi affirmanti, uelim, me hoc non pro Lyſone magis, quam pro omnibus, ſcribere; hominem eſſe neminem, qui umquam mentionem tui ſine tua ſumma laude fecerit. Lyſo uero cum mecum prope quotidie eſſet, unaq. uiueret; non ſolum quia me libenter audire arbitrabatur, ſed quia libentius ipſe loquebatur, omnia mihi tua & facta, & dicta laudabat. quapropter, etſi a te ita tractatur, ut iam non deſideret commendationem meam; uniſq. ſe litteris meis omnia conſecutum putet: tamen a te peto maiorem in modum, ut eum etiam atque etiam tuis officijs, liberalitate complectare. ſcriberem ad te, qualis uir eſſet, ut ſuperioribus litteris fecerã: niſi eum iam per ſe ipſum tibi ſatis eſſe notum arbitrarer. Vale.*

## EXPLANATIO

VNIS LITTERIS} ep. 19. TVIS *officijs, liberalitate complectare.*} omiſit copulam, ut ep. 28. Homini gratiſsimo, iucundiſsimo. & lib. III. ep. 8. 10. 12. lib. V. ep. 17. lib. VII. ep. 5. lib. IIX. ep. 6. lib. IX. ep. I. item alibi ſaepe.

## Argumentum ep.25.

*Hageſaretum breuiter, ſed accurate commendat.*

*Cicero S. D. Sulpicio. 25.*

HAGESARETVS *Lar'ſaeus, magnis meis beneficijs ornatus in conſulatu meo, memor, & gratus fuit, meq. poſtea diligentiſsime coluit. eum tibi magnopere commendo, ut & hoſpitem, & familiarem meum, & gratum hominem, & uirum bonum, & principem ciuitatis ſuae, & tua neceſſitudine digniſſimum. pergratum mihi feceris, ſi dederis operam, ut is intelligat hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuiſſe. Vale.*

## Argumentum ep. 26.

*COmmendat Meſcinij Achaica negotia. Eodem anno.*

*Cicero S. D. Sulpicio. 26.*

L. MESCINIVS *ea mecum neceſſitudine coniunctus eſt, quod mihi quaeſtor fuit: ſed hanc cauſſam, quam ego, ut a maioribus accepi, ſemper grauem duxi, fecit uirtute, & humanitate ſua iuſtiorem. itaque eo ſic utor, ut nec familiarius ullo, nec libentius. is quamquam confidere uidebatur, & ſua cauſſa, quae honeſte poſſes, libenter eſſe facturum; magnum tamen eſſe ſperauit apud te meas quoque litteras. id cum ipſe ita iudicabat; tum pro familiari conſuetudine ſaepe ex me audierat, quam ſuauis eſſet inter nos, & quanta coniunctio. Peto igitur a te, tanto ſcilicet ſtudio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi neceſſario, & tam familiari, ut eius negotia, quae ſunt in Achaia, ex eo quod heres eſt M. Mindio, fratri ſuo, qui Elide negotiatus eſt, explices, & expedias tum iure, & poteſtate, quam habes, tum eciam auctoritate, & conſilio tuo. ſic enim praeſcripſimus ijs, quibus ea negotia mandauimus, ut omnibus in rebus, quae in aliquam controuerſiam uocarentur, te arbitro, &, quod commodo tuo fieri poſſet, te diſceptatore uterentur. id ut honoris mei cauſſa ſuſcipias, uehementer te etiam atque etiam rogo. Illud praeterea, ſi non alienum tua dignitate putabis eſſe, feceris mihi pergratum; ſi qui difficiliores erunt, ut rẽ ſine controuerſia confici nolint, ſi eos, quando cum ſenatore res eſt, Romam reieceris. quod quo minore dubitatione facere poſſis, litteras ad te a M. Lepido conſule, non quae te aliquid iuberent, (neque enim id tuae dignitatis eſſe arbitrabamur) ſed quodam modo quaſi commendaticias ſumpſimus. Scriberem, quam id beneficium bene apud Meſcinium poſiturus eſſes; niſi & te ſcire cõſiderem & mihi peterem. ſic enim uelim exiſtimes, non minus me de illius re laborare, quam ipſum de ſua. ſed cum illum ſtudeo quamfacillime ad ſuum peruenire; tum illud laboro, ut non minimum hac mea commendatione ſe conſecutum arbitretur.*

## EXPLANATIO

QVAESTOR *fuit:*} in Cilicia. ep.20.21.lib.v. & 6.lib.xvi. GRAVEM *duxi,*} ep.10. LIBENTER *te eſſe facturum:*} ab omnibus antiquis libris, uno excepto, abeſt Te: nec ſane neceſſarium uidetur. MEAS *quoque litteras.*} etſi neque numerus, neque genus loquendi admodum mihi ſatisfacit: quid enim eſt, Meae litterae magnum ſunt apud te? conſenſus tamen facit ueterum librorũ, ut acquieſcam. in uulgatis legebatur, Meas quoque litteras pondus habituras: apte: ſed antiquitatis, ut arbitror, nullo teſtimonio. M. MINDIO,} ep.20. lib.v. ELIDE} in qua urbe delubrum Iouis Olympij, fuit. Plinius lib.iv. cap.5. QVOD *commodo tuo fieri poſſet,*} quod ſine moleſtia tua fiat, ep. 23. & ep.ſeq. Quod commodo tuo fiat. DISCEPTATORE} rei, quae in controuerſiam uocatur, moderatore. In Partitionibus hoc uerbum Cicero ipſe interpretatur: Aut auſcultator eſt modo, qui audit, aut diſceptator, ideſt rei, ſententiaeq. moderator. Eo uſus eſt Aſinius cuius haec recitat Quinctil. l.ix.c.ultimo ſi, Caeſar, ex omnibus mortalibus, qui ſint, ac fuerint, poſſet huic cauſſae diſceptator legi, non quiſquam te potius optandus nobis fuit. ALIENVM *tua dignitate*} ſic locutus ep.14. lib.ix.

## Argumentum ep 27.

*GRatias agit Sulpicio, quod Aemilium Auianum liberaliter, honorificeq. tractaſſet: eundemq. rurſus commendat. Laudat in extremo Seruium filium. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Sulpicio.* 27.

LICET eodem exemplo ſaepius tibi huius generis litteras mittam, cum gratias agam, quod meas commendationes tam diligenter obſerues: quod feci in alijs, & faciam, ut uideo, ſaepius: ſed tamen non parcam operae; &, ut uos ſoletis in formulis, ſic ego in epiſtolis de eadē re alio modo. C. Auianus igitur Hammonius incredibiles mihi gratias per litteras egit & ſuo, & Aemilij Auiani, patroni ſui, nomine, nec liberalius, nec honorificentius potuiſſe tractari nec ſe praeſentem, nec rem familiarem abſentis patroni ſui. id mihi cum iucundum eſt eorum cauſſa; quos ego tibi, ſumma neceſſitudine, & ſumma coniunctione adductus, commendaueram; quod M. Aemilius unus eſt ex meis familiariſſimis, atque intimis maxime neceſſarius, homo & magnis meis beneficijs deuinctus, & prope omnium, qui mihi aliquid debere uidentur, gratiſſimus: tum multo iucundius, te eſſe in me tali uoluntate, ut plus proſis amicis meis, quam ego praeſens fortaſſe prodeſſem: credo, quod magis ego dubitarem, quid illorū cauſſa facerem, quam tu, quid mea. ſed hoc non dubito quin exiſtimes mihi eſſe gratum: illud te rogo, ut illos quoque gratos homines eſſe putes: quod ita eſſe tibi promitto, atque confirmo. quare uelim, quidquid habent negotij; des operam, quod commodo tuo fiat, ut te obtinente Achaiam, conficiant. Ego cum tuo Seruio iucundiſſime, coniunctiſſimeq. uiuo; magnamq. cū ex ingenio eius, ſingulariq. ſtudio, tum ex uirtute, & probitate uoluptatē capio. Vale.

## EXPLANATIO

NON *parcam operae;*} commendare non deſinam. VT VOS *ſoletis in formulis,*} ſic plane in antiquo Fuluij Vrſini libro, & recte: alij duo, Vt ſoletis in formulis: reliqui mendoſe, Vt uoletis in formulis. Notae ſunt iuriſconſultorum formulae. COMMENDAVERAM;} ep. 21. CVM *tuo Seruio*} ep. 3. lib. IV. VIRTVTE, *& probitate*} hic, & ep. ſequenti, & 4. lib. IV. & 5. lib. VI. uirtus non pro doctrina, ſed pro quadam praeſtantia ſumitur.

# Argumentum ep. 28.

*AGit gratias de Meſcinio humaniſsime tractato: rogatq. ut ſua in eum beneficia quibus poſsit rebus augeat. Commendat etiam Lacedaemonios: ſi modo una eſt epiſtola: quod non arbitror. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Sulpicio.* 28.

*ETSI libenter petere a te ſoleo, ſi quid opus eſt meorum cuipiam: tamen multo libentius gratias tibi ago, cum feciſti aliquid commendatione mea: quod ſemper facis. incredibile eſt enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter a me tibi commendati. quae mihi omnia grata, ſed de L. Meſcinio gratiſſimum. ſic enim eſt mecum locutus, te, ut meas litteras legeris, ſtatim procuratoribus ſuis pollicitum eſſe omnia, multo uero plura, & maiora feciſſe. Id igitur (puto enim etiam atque etiam mihi dicendum eſſe) uelim exiſtimes, mihi te feciſſe gratiſſimum. quod quidem hoc uehementius laetor, quod ex ipſo Meſcinio te uideo magnam capturum uoluptatem. eſt enim in eo cum uirtus, & probitas, & ſummum officium, ſummaq. obſeruantia; tum ſtudia illa noſtra, quibus antea delectabamur, nunc etiam uiuimus. Quod reliquum eſt, uelim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quae te erunt dignae: ſed duo, quae te nominatim rogo: primum, ut, ſi quid ſatisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, ut ſatis detur fide mea: deinde, cum fere conſiſtat hereditas in ijs rebus, quas auertit Oppia, quae uxor Mindij fuit, adiuues, ineasq. rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur. quod ſi putarit illa fore; ut opinio noſtra eſt, negotium conficiemus. hoc ut aſſequamur, te uehementer etiam atque etiam rogo. Illud, quod ſupra ſcripſi, id tibi confirmo, in meq. recipio; te ea, quae feciſti Meſcinij cauſſa, quaeq. feceris, ita bene collocaturum, ut ipſe iudices, homini te gratiſſimo, iucundiſſimo benigne feciſſe. uolo enim ad id, quod mea cauſſa feciſti, hoc etiam accedere. Nec Lacedaemonios dubitare arbitror, quin ipſi ſua, maiorumq. ſuorum auctoritate ſatis commendati ſint fidei, & iuſtitiae tuae: & ego, qui te optime nouiſſem, non dubitaui, quin tibi notiſſima & iura, & merita populorum eſſent. itaque, cum a me peteret Philippus Lacedaemonius, ut tibi ciuitatem commendarem; etſi memineram me ei ciuitati omnia debere; tamen reſpondi, commendatione Lacedaemonios apud te non egere. itaque ſic uelim exiſtimes, me omnes Achaiae ciuitates arbitrari, pro horum temporum perturbatione, felices, quod tu ijs praeſis; eundemq. me ita iudicare, te, quod unus optime noſſes non noſtra ſolum, ſed etiam Graeciae monumenta omnia, tua ſponte amicum Lacedaemonijs & eſſe, & fore. Quare tantum a te peto, ut, cum ea facies Lacedaemoniorum cauſſa, quae tua fides, amplitudo, iuſtitia poſtulat; his, ſi tibi uidebitur, ſignifices, te non moleſte ferre, quod intelligas,*

*telligas, ea, quae facias, mihi quoque grata eſſe. perti- net enim ad officium meum, eos exiſtimare, curae mihi ſuas res eſſe. hoc te uehementer etiam atque et- iam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

LIBENTER} ſpe impetrandi. VIRTVS, *& probitas,*} ep.27. STVDIA *illa noſtra,*} phi
loſophiae: ut patet ſequentibus uerbis. QVIBVS *antea delectabamur, nunc etiam uiuimus.*} ep.2.
lib.IX. Stet nobis illud, una uiuere in ſtudjs noſtris, a quibus antea delectationem modo petebamus, nunc
uero etiam ſalutem. uide ep.3. lib.IV. ep.13 lib.V. ep.12. lib.VI. ep.3. lib.IX. copiam enim auget locorum ſi-
militudo. QVAE *te erunt dignae:*} quas tua fides, amplitudo, iuſtitia poſtulat: ep. 28. Quibus rebus
honeſte, ac pro tua dignitate poteris: ep. 22. Quantum tua dignitas, fideſq. patietur. 32. DVO, *quae te*
*nominatim rogo:*} duo quidem te, in omnibus fere ueteribus libris. quod placet. AMPLIVS *eo nomi-*
*ne non peti,*} neminem eo nomine in poſterum eſſe petiturum, neque Meſcinium, neque alium quemquam.
NEGOTIVM *conficiemus.*} ad aequas enim condiciones, ideſt ad ea, quae auertit, reſtituenda, ſi puta-
bit ſibi Romam eſſe ueniendum, facile adducetur. ILLVD *quod ſupra ſcripſi, id tibi confirmo,*} Id, non
abundat, ſed additum confirmationis gratia. ep. 57. Illud, quod tecũ & coram, & per litteras diligentiſsi-
me egi, id & nunc etiam atque etiam rogo. Et lib.VII. ep.26. Lex ſumptuaria, quae uidetur λιτότητα attu-
liſſe, ea mihi fraudi fuit. Et pro Coelio: Illud tẽpus aetatis quod ipſum ſua ſponte infirmũ, aliorũ libidine in-
feſtũ eſt, id hoc loco defendo. Plautus in Pſeud. Tibicinã illã, tuus quã gnatus deperit, eã circũducam lepide.
Varro lib.III. de re ruſt. Thebae, quae ante cataclyſmon Ogygi conditae dicuntur, eae tamen circiter duo
millia annorum, & centũ ſunt. Duo uerba, Tibi confirmo, ſumpſimus ex antiquis libris: quod ideo teſtifica
mur, quia, locum ex ingenio ſuppletum, alij crediderunt, hoc argumento ducti, quod in ſuo uetere libro
deeſſe aliquid cernerent. GRATISSIMO, *iucundiſſimo*} omiſſa copula, ut ep.24. officijs, liberalita-
te complectare. NEC} ſequitur, Et, ut ep.1. lib.X. Nec miror, & gaudeo, Opinor autem hoc eſſe prin
cipium alterius epiſtolae. QVI *te optime nouiſſem,*} paullo poſt: Quod unus optime noſſes non noſtra
ſolum, ſed etiam Graeciae monumenta omnia. ET. IVRA, *& merita populorum*} iura, quae illis
tueri, non imminuere, debemus: merita, erga populum R. quibus commendati nobis eſſe debent. PRO
*horum temporum perturbatione,*} quantum licet per haec tempora, quibus plane felix eſſe nemo poteſt. Pro
malis temporum, ep.2. lib.VI. Vt in tantis malis ep.2. lib.XII. MONVMENTA} ueteres hiſtorias. TVA
*ſponte*} propter antiquam Lacedaemoniorum nobilitatem: principes enim Graeciae fuerunt. TE *non*
*moleſte ferre,*} tibi non ingratum eſſe. PERTINET *ad officium meum,*} cum illis omnia debeam.

## Argumentum ep.29.

*CApitonem diligentiſsime commendat pro hereditate Antiſtij. Eodem anno.*

### *M.Cicero S. D. L.Planco.* 29.

NON *dubito, quin ſcias, in ijs neceſſarijs, qui tibi a patre relicti ſunt, me tibi eſſe uel coniunctiſſimum, non ijs modo cauſſis, quae ſpeciem habent magnae coniunctionis, ſed ijs etiam, quae familiaritate, & conſuetudine tenentur; quam ſcis mihi iucundiſſimam cum patre tuo, & ſummam fuiſſe. ab his initijs noſter in te amor profectus, auxit paternam neceſſitudinem, & eo magis, quod intellexi, ut primum per aetatem iudicium facere potueris quanti quiſque tibi faciendus eſſet, me a te in primis coeptum eſſe obſeruari, coli, diligi. accedebat non mediocre uinculum cum ſtudiorum, quod ipſum eſt per ſe graue, tum eorum ſtudiorũ, earumq. artium, quae per ſe ipſae eos, qui uoluntate eadem ſunt, etiam familiaritate deuinciunt. Exſpectare te arbitror, haec tam longe repetita principia quo ſpectent. id primũ ergo habeto, non ſine magna iuſtaq. cauſſa hanc a me commemorationem eſſe factam. C. Ateio Capitone utor familiariſſime. notae tibi ſunt uarietates meorum temporum. in omni genere & honorum, & laborum meorum & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis praeſto fuit, & paruit & temporibus, & fortunae meae. huius propinquus fuit T. Antiſtius. qui cum ſorte quaeſtor Macedoniam obtineret; neque ei ſucceſſum eſſet: Pompeius in eam prouinciam cum exercitu uenit. facere Antiſtius nihil potuit. nam ſi potuiſſet; nihil ei fuiſſet antiquius, quam ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reuerti; praeſertim cum ſciret, quanti is Caeſarem faceret, ſemperq. feciſſet: ſed oppreſſus, tantum attigit negotij, quantum recuſare non potuit. cum ſignaretur argentum Apolloniae, non poſſum dicere eum praefuiſſe, neque poſſum negare eum affuiſſe, ſed non plus duobus, aut tribus menſibus. deinde abſuit a caſtris: fugit omne negotium. hoc mihi, ut teſti, uelim credas. meam enim ille maeſtitiam in illo bello uidebat: mecum omnia communicabat. itaque abdidit ſe in intimam Macedoniam, quo potuit longiſſime a caſtris; non modo ut nõ praeeſſet ulli negotio, ſed etiã ut ne intereſſet quidẽ. is poſt proelium ſe ad hominem neceſſarium A. Plancium in Bithyniam contulit. ibi eum Caeſar cum uidiſſet; nihil aſpere,*

nibil

*nihil acerbe dixit; Romam iuſſit uenire. ille in morbum continuo incidit, ex quo non conualuit. aeger Corcyram uenit: ibi eſt mortuus. teſtamento, quod Romae Paullo, & Marcello cos. fecerat, heres ex parte dimidia, & tertia eſt Capito. in ſextante ſunt ij, quorum pars ſine ulla cuiuſquam querella publica poteſt eſſe. ea eſt ad H-S XXX. ſed de hoc Caeſar uiderit. Te, mi Plance, pro paterna neceſſitudine, pro noſtro amore, pro ſtudijs, & omni curſu noſtro totius uitae ſimillimo, rogo, & a te ita peto, ut maiore cura, maiore ſtudio non poſſim; ut hanc rem ſuſcipias, meam putes; enitare, contendas, efficias, ut mea commendatione, tuo ſtudio, Caeſaris beneficio hereditatem propinqui ſui C. Capito obtineat. omnia, quae potui in hac ſumma gratia tua, ac potentia a te impetrare, ſi petiuiſſem, ultro te ad me detuliſſe putabo, ſi hanc rem impetrauero. Illud fore tibi adiumento ſpero; cuius ipſe Caeſar optimus eſſe iudex poteſt: ſemper Caeſarem Capito & dilexit, & coluit. ſed ipſe huius rei teſtis eſt. noui hominis memoriam. itaque te nihil doceo: tantum tibi ſumito pro Capitone apud Caeſarem, quantum ipſum meminiſſe ſenties. ego, quod in me ipſo experiri potui, ad te deferam: in eo quantum ſit ponderis, tu uidebis. quam partem in rep. cauſſamq. defenderim; per quos homines, ordineſq. ſteterim; quibuſq. munitus fuerim; non ignoras. hoc mihi uelim credas: ſi quid fecerim hoc ipſo in bello minus ex Caeſaris uoluntate; quod intellexerim ſcire ipſum Caeſarem; me inuitiſſimum feciſſe: id feci aliorum conſilio, hortatu, auctoritate: quod fuerim moderatior, temperatiorque, quam in ea parte quiſquam; id me feciſſe maxime auctoritate Capitonis. cuius ſimiles ſi reliquos neceſſarios habuiſſem, reip. fortaſſe non nihil, mihi certe plurimum profuiſſem. Hanc rem mi Plance ſi effeceris; meam de tua erga me beneuolentia ſpem confirmaueris; ipſumq. Capitonem, gratiſſimum, officioſiſſimum, optimum uirum, ad tuam neceſſitudinem tuo ſummo beneficio adiunxeris. Vale.*

## EXPLANATIO

PLANCO} cum Caeſare in Africa contra Scipionem, & Iubam regem pugnante. Hic eſt, ad quem ſunt epiſtolae lib. x. QVI *tibi a patre relicti ſunt,*} uide ep. 3. & 4. lib. x. VARIETATES *meorum temporum.*} exſulium ſuum ſignificat. HONORVM *& laborum meorum,*} uide ep. 4. & lib. xv. ep. 8. 9. PARVIT *& temporibus, & fortunae meae.*} ſimiliter pro Deiotaro: Teq. Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit. SORTE} quaeſtores quoque prouincias ſortiebantur. ep. ult. lib. 2. pro Murena, Suetonius in Claudio. OPPRESSVS} ſubito Pompeij aduentu quaſi captus. CVM *ſignaretur argentum;*} iuſſu Pompeij. AFFVISSE,} in quo Caeſaris animum offendit. A. CASTRIS} Pompeij. NON *modo ut non praeeſſet ulli negotio, ſed etiam ut ne intereſſet quidem.*} contra, ep. 6. lib. I. Omnibus negotijs non interfuit ſolum, ſed praefuit. POST *praelium*} Pharſalicum, quo uictus Pompeius Aegyptum petijt. A. PLANCIVM} qui Bithyniae praeerat, Caeſaris partium fautor, & adiutor. EX *parte dimidia, & tertia.*} tota hereditas nomine aſsis uocatur, partes autem hereditatis partibus aſsis. diuiditur in unciam, ſextantem, quadrantem, trientem, quincuncem, ſemiſſem, ſeptuncem, beſſem, dodrantem, dextantem, deuncem; Pars igitur hereditatis dimidia, & tertia, ſi ab aſsis partibus uocetur, erit, ſemis, & triens, uel, unico uocabulo, dextans. quamquam neque dextantem, neque deuncem, neque quincuncem, ſeptuncem, beſſem, pro partibus hereditatis uſurpari a ueteribus uideo, ſed tantum haec, unciam, ſextantem, quadrantem, trientem, ſemiſſem, dodrantem, aſſem. PVBLICA *poteſt eſſe.*} Antiſtij bona, ut Pompeiani, publica eſſe, uictore Caeſare, debebant. partem Capitoni relictam Cicero conſeruare conatur, adiutore Planco. reliquum ſextantem, ait, poſſe Caeſarem capere, nulla cuiuſquam querella, fortaſſe quod ij, quibus ſexta hereditatis pars legata fuerat, Pompeianarum partium fuiſſent: cum capito abſtinuiſſet omnino ab armis, Caeſaremq. potius, quam Pompeium, dilexiſſet. H-S XXX.} non, ſeſtertium triginta millia (nam parua pecunia fuiſſet, ſcutati noſtrates nongenti) ſed, ſeſtertium tricies, ideſt, ſcutatorum nonaginta millia: de qua ſumma iure ſubiungit: ſed de hoc Caeſar uiderit. CAESAR *uiderit.*} ad quem ſextans ille, Pompeianis ab Antiſtio relictus, uidetur iure belli pertinere. POTENTIA} apud Caeſarem. CVIVS} neutro genere, haud ſatis uſitate. IPSVM *meminiſſe,*} de Capitonis erga illum amore, & obſeruantia. IN *me ipſo experiri*} quanti Caeſarem fecerit capito, in me ipſo ſum expertus. quod enim fuerim moderatior, ac temperatior in ciuili bello, quam quiſquam Pompeianus; id auctore Capitone potiſsimum feci. AD *te deferam:*} conferam ad arbitrium tuum: ut ipſe iudices, id quanti ſit. Deferre aliquid ad aliquem, eſt illius arbitrio committere. nam ep. 9. lib. I. cum dixiſſet: Iſtam partem uitae, conſuetudiniſq. noſtrae totam ad te defero: ſubiunxit: Quantum litteris, quantum ſtudijs conſequi poterimus, id omne ad arbitrium tuum libentiſsime conferemus. QVIBVSQ. *munitus fuerim;*} hunc locum uacare mendo, perſuaderi mihi uix poteſt. antiquus liber unus, Quibus & munitus: alius, Quibuſq. monitus: reliqui omnes, Quibuſq. munitus fuerim. mihi placeret, Quibuſq. inimicus fuerim. Vt in eo Pompeiani ſignificentur, Per quos homines, ordineſq. ſteterim Caeſariani in hoc, Quibuſq. inimicus fuerim. QVOD *intellexerim ſcire ipſum Caeſarem;*} hoc refer non ad ſuperiora, ſed ad ea, quae ſequuntur. ALIORVM *conſilio,*} culpam ſuam aliorum culpa tegit. AVCTORITATE *Capitonis.*} auctore Capitone. ſuaſit enim, ut, quam minimum poſſem, Caeſarem offenderem. Sane Cicero, ſumptis armis, nullam belli partem attigit in Italia: Pharſalico autem proelio non interfuit. REIP. *fortaſſe non nihil,*} quia manſiſſem in Italia, & quaſi medius inter utramque partem agere de pace potuiſſem. MIHI *certe plurimum,*} non enim ad Pompeium in Graeciam nauigaſſem: quod feci diſſuadente

dente Capitone, reliquis neceſſarijs hortantibus. ADIVNXERIS.} adiunxit, & ita quidem, ut eius apud Plancũ opera in Attici re Cicero ſit uſus: quod eius ad Capitonem epiſtola declarat, lib. XVI. ad Att.

# Argumentum ep. 30.

*L. Manlium, familiariſsimum ſuum, in hereditate fraterna, omnibuſq. rebus commendat: & quo magis commendatio ualeat, ornat eum probitatis, & doctrinae laudibus. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Acilio procos.* 30.

L. MANLIVS *eſt Soſis. is fuit Catinenſis: ſed eſt una cum reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus, decurioq. Neapoli. erat enim adſcriptus in id municipium ante ciuitatem socijs, & Latinis datam. eius frater Catinae nuper mortuus eſt. nullam omnino arbitramur de ea hereditate controuerſiam eum habiturum: & eſt hodie in bonis: ſed, quando habet praeterea negotia uetera in Sicilia ſua; & hanc hereditatem fraternam, & omnia eius tibi commendo, in primiſq. ipſum, uirum optimum, mihiq. familiariſſimum, ijs ſtudijs litterarum, doctrinaeq. praeditum, quibus ego maxime delector. peto igitur abs te, ut eum, ſiue aderit, ſiue non uenerit in Siciliam, in meis intimis, maximeq. neceſſarijs ſcias eſſe; itaq. tractes, ut intelligat meam commendationem ſibi magno adiumento fuiſſe. Vale.*

## EXPLANATIO

ACILIO} praeerat Siciliae proconſulari imperio licet conſulatum non geſsiſſet. uide quae diximus ep. I. lib. I. L. MANLIVS *eſt Soſis*} In litteris commendaticijs primum locum obtinet uel narratio, uel prooemium: hoc, ut exponantur cauſſae, quibus ad commendandum adducimur: illa, ut ſtatim res ipſa, nullo exculta artificio, perſpicua ueritate ſtudium, & patrocinium boni uiri conſequatur. Hic narratio incipit a nominibus, ut in Diuinatione, Agonis eſt quaedam Lilybetana: & lib. I. in Verrem, C. Sulpicius Olympus fuit: lib. III. in eundem, Nympho eſt Centuripinus: & alibi. L. Manlius Soſis, duo ſunt Romana nomina, tertium Siculum. qui enim peregrini Romanam ciuitatem aſſequebantur, eorum aſſumebant & praenomina, & nomina, quorum opera & beneficio ciues Romani facti erant, uetere nomine conſeruato. exemplum exſtat illud ep. 36. Cum Demetrio Mega mihi uetuſtum hoſpitium eſt, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. ei Dolabella, rogatu meo, ciuitatem a Caeſare impetrauit: qua in re ego interfui: itaq. nunc P. Cornelius uocatur. Et in Verrem. lib. IV. Tu maximam & pulcherrimam menſam citream a Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio a L. Sulla ciuis Romanus factus eſt, abſtuliſti. IS *fuit Catinenſis.*} eſſe deſijt poſteaquam in municipium Neapolitanum adſcriptus eſt. ciuis enim duarum ciuitatum eſſe nemo poteſt. Nepos in Attici uita. Catina in Sicilia: opidum locuples, honeſtum, copioſum Cicero appellat lib. IV. in Verrem. ERAT *enim adſcriptus in id municipium ante ciuitatem ſocijs, & Latinis datam.*} rationem affert, quo modo, Catinenſis cum fuerit, ciuis Romanus factus ſit. Quo tempore, inquit, ſocijs, & Latinis data ciuitas eſt, (datam eſſe lege Iulia, oſtendit Cicero in oratione pro Balbo) adſcriptus iam erat Manlius in municipium Neapolitanum: ita cum reliquis Neapolitanis ciuitatem eſt adeptus. Haec uerba Ciceronis, factum eſſe ciuem Romanum Manlium beneficio legis Iuliae, uidentur oſtendere, non eius legis, quae a tribunis pl. Siluano & Carbone poſtea lata eſt, cuius haec ſententia fuit, ut adſcriptis in foederatos populos ciuitas daretur, ita, ſi tum cum lex ferebatur, in Italia domicilium haberent, & ſi ſexaginta diebus apud praetorem eſſent profeſsi. Nam ſi ad hanc Siluani & Carbonis legem Cicero reſpexiſſet, non hoc argumento uſus eſſet, quod in id municipium eſſet adſcriptus ante ciuitatem ſocijs, & Latinis datam, ſed hoc potius, quod in Italia domicilium habuiſſet, cum eam legem Siluanus & Carbo tulerunt. Non negauerim, eam legem ad peregrinos attinuiſſe, & peregrinorum in numero Catinenſes fuiſſe: uerum ea lege non eſt uſus Manlius, qui aliquanto ante ciuis Romanus legis Iuliae beneficio factus eſſet. Quid igitur ſpectauit, aut quorſum lata eſt Siluani lex & Carbonis: ſi quidem adſcripti foederatas in ciuitates iura ciuium Romanorum lege Iulia adepti iam erant? Primum confirmabat eis legis Iuliae beneficium, ſed ita, ſi tum, cum haec poſterior lex ferebatur, in Italia domicilium haberent, & ſi ſexaginta dies apud praetorem profeſsi eſſent: alioqui datam antea ciuitatem eripiebat: deinde, ne certatim in poſterum peregrini homines foederatis ciuitatibus adſcribi uellent, ut ea mox ratione in ciuitatis Romanae cenſum irreperent, ademit eis hanc ſpem, dato ijs tantum ciuitatis iure, qui tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium haberent: nam, ſi poſt latam legem, nihil proderat. DECVRIO} decuriones in municipijs erant, ut ſenatores Romae. ID *municipium*} Italici iuris municipium fuiſſe, oſtendit & oratio pro Archia. SOCIIS, *& Latinis*} cum Latio Italici omnes deſignantur. Italiam appello, non quam alpibus natura terminauit, ſed quae iure ciuili duobus municipijs Arimino a ſupero mari, Luca ab infero, a Gallia ciſalpina diſiungitur. & quamquam pars Italiae Latium

fuerit,

fuerit, & ius Latij differat a iure Italico: quod argumentum uir excellentis doctrinae Carolus Sigonius tribus libris pleniſsime tractauit: ſaepe tamen & Liuius, & alij, cum Italos omnes una cum Latio ſignificare uellent, ſocij Latini nominis, aut ſocij Latini, dixere. cuius generis exempla multa non afferam, uno contentus ero. Liuius enim lib. IX. cum dixiſſet: In omni defectione ſociorum Latini nominis, urbano prope delectu decem ſcribebantur legiones: infra, qui eſſent ſocij Latini nominis, oſtendit his uerbis: Latium omne, cum Sabinis & Volſcis, & equis, & omni Campania, & parte Vmbriae, Etruriaeq. & Picentibus, & Marſis, Pelignisq. ac Veſtinis, atque Apulis, adiunctaq. omnis ora Graecorum inferi maris a Thurijs Neapolim, & Cumas, & inde Antio, atque Oſtia Samnites. Et . est *hodie in bonis:*} argumentum, cur nullam ſit habiturus de ea hereditate controuerſiam: quia nemo prohibuit, quo minus eam adiret. cum facilius eſſet, excludere, quam de poſſeſsione deijcere. Eſſe in bonis, eſſe in poſſeſsione bonorum, bona poſsidere, & idem ſunt, & aeque Tulliana. Virum *optimum,*} dignum igitur amore tuo. Mihi q. *familiariſsimum,*} quo potes intelligere, quantum eius cauſſa cupiam. Iis . studiis *litterarum, doctrinaeq. praeditum, quibus ego maxime delector.*} utrum philoſophiae ſtudia ſignificat, an eloquentiae? hominem Siculum ab eloquentia laudari uix arbitror: de philoſophia potius adducor, ut credam: cum praeſertim eam Cicero, oppreſſa rep. maxime coluerit.

## Argumentum ep. 31.

*Flauium, Piſonis, generi ſui, cum uiueret, perneceſſarium, commendat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Acilio procos.* 31.

C. Flavio, *honeſto, & ornato equite Romano utor ualde familiariter. fuit enim generi mei C. Piſonis perneceſſarius; meq. diligentiſſime obſeruat & ipſe, & L. Flauius, frater eius. quapropter uelim, honoris mei cauſſa, quibus rebus honeſte, & pro tua dignitate poteris, quam honorificentiſſime, & quam liberaliſſime C. Flauium tractes. id mihi ſic erit gratum, ut gratius eſſe nihil poßit. ſed praeterea tibi aſſirmo, neque id ambitione adductus facio, ſed tum familiaritate, & neceſſitudine, tum etiam ueritate; te ex C. Flauij officio, & obſeruantia, & praeterea ſplendore, atque inter ſuos gratia magnam uoluptatem eſſe capturum. Vale.*

### EXPLANATIO

Honesto, *& ornato*} cum dicit, ornato, ipſum laudat: cum, Honeſto, genus. C. Pisonis} Calpurniae gentis. ep. 2. ad Att. lib. I. Tulliolam C. Piſoni L. F. Frugi deſpondimus. Hic primus fuit Ciceronis gener: alter Craſsipes, qui nominatur ep. 7. lib. I. & ep. 5. lib. 2. ad Q. fr. tertius Dolabella, de quo ep. 16. lib. 2. ep. 12. lib. III. ep. 9. & 12. lib. IIX. & alibi.

## Argumentum ep. 32.

*Commendat hoſpites ſuos, Archagathum, & Philonem. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Acilio procos.* 32.

In *Aleſina ciuitate, tam lauta, quam nobili, coniunctiſſimos habeo & hoſpitio, & familiaritate M. & C. Clodios, Archagathum, & Philonem. ſed uereor, ne, quia complures tibi praecipue commendo, exaequare uidear ambitione quadam commendationes meas. quamquam a te quidem cumulate ſatisfit & mihi, & meis omnibus. ſed uelim ſic exiſtimes, hanc familiam, & hos mihi maxime eſſe coniunctos uetuſtate, officijs, beneuolentia. quamobrem peto a te maiorem in modum, ut his omnibus in rebus, quantum tua dignitas, fidesq. patietur, commodes. id ſi feceris, erit mihi uehementiſſime gratum. Vale.*

### EXPLANATIO

Lavta,} eleganti, & omnibus rebus ornata. qualis hodie Florentia. Archagnatvm, *& Philonem.*} M. Clodium Archagathum, C. Clodium Philonem. horum cognomina Graeca ſunt, praenomina uero, & nomina Romana. primum enim Siculi cum eſſent ciuitatis Romanae ius adepti, ſimul appellationem ſuſceperunt, uetere nomine retento, more libertorum. Sic, L. Manlius Soſis, ep. 30. Ambitione *quadam*} ut oſtendam ijs, quos tibi praecipue commendo, me apud te ualere plurimum. Vetvstate,} uetuſta notitia. ep. 15. lib. V. ep. 10. lib. X. ep. 16. lib. XI.

## Argumentum ep. 33.

*Naſonis libertos, & negotia commendat. Eodem anno.*

*Cicero S. D. Acilio procos.* 33.

CN. *Otacilio Naſone utor familiariſſime, ita prorſus, ut illius ordinis nullo familiarius. nam & humanitate eius, & probitate in conſuetudine quotidiana magnopere delector. nihil iam opus eſt exſpectare te, quibus eum uerbis tibi commendem, quo ſic utar, ut ſcripſi. habet is in prouincia tua negotia; quae procurant liberti Hilarius, Antigonus, Demoſtratus; quos tibi, negotiaq. omnia Naſonis non ſecus commendo, ac ſi mea eſſent. gratiſſimum mihi feceris, ſi intellexero hanc commendationem magnum apud te pondus habuiſſe. Vale.*

### EXPLANATIO

ITA PRORSVS,} uide ep. 13. ILLIVS *ordinis*} non hic ſenatorius, aut equeſtris ordo ſignificatur, ſed condicio quaedam. ut enim diuerſa hominum genera, ſic diuerſi ordines. ep. 2. lib. 1. Cum eius familiares omnium ordinum uideo. Et lib. III. off. Qui eſſet, ut argentarius, apud omnes homines gratioſus. Et de Amic. Núquam ſe ille Philo, numquam Rupilio, antepoſuit, numquam inferioris ordinis amicis.

## Argumentum ep. 34.

*Commendat Lyſonem, hoſpitem ſuum. Eodem anno.*

*Cicero S. D. Acilio procos.* 34.

AVITVM *mihi hoſpitium eſt cum Lyſone, Lyſonis filio, Lilybaetano; ualdeq. ab eo obſeruor; cognouiq. dignum & patre, & auo; eſt enim nobiliſſima familia. quapropter commendo tibi maiorem in modum rem, domumq. eius: magnoq. opere abs te peto, cures, ut is intelligat, meam commendationem maximo ſibi apud te & adiumento, & ornamento fuiſſe. Vale.*

### EXPLANATIO

DOMVMQ. *eius:*} domeſticos eius. ep. 38.

## Argumentum ep. 35.

*Commendat hoſpitem, & familiarem ſuum, Philoxenum. Eodem anno.*

*Cicero S. D. Acilio procos.* 35.

C. AVIANVS *Philoxenus antiquus eſt hoſpes meus, &, praeter hoſpitium, ualde etiam familiaris: quem Caeſar, meo beneficio, in Nouocomenſes retulit. nomen autem Auiani conſecutus eſt, quod homine nullo plus eſt uſus, quam Flacco Auiano, meo, quemadmodem te ſcire arbitror, familiariſſimo. quae ego omnia collegi, ut intelligeres, non uulgarem eſſe commendationem hanc meam. peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod ſine moleſtia tua facere poſſis, ei commodes, habeasq. in numero tuorum; perficiasque, ut intelligat has litteras meas magno ſibi uſui fuiſſe. erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.*

### EXPLANATIO

MEO *beneficio,*} me rogante. IN. NOVO *Comenſes retulit.*} in eos, quos Nouumcomum deductos in primo conſulatu ciuitate donauit. ij fuere quinque millia, & Graeci maxime illuſtres quingenni. Philoxenus autem Graecus, quia Siculus. Suetonius, & Strabo. poſtea uero dictator idem Caeſar

ſar tranſpadanos omnes, ut ait Dio, ciuitate donauit. NOMEN *Auiani*} immo & praenomen. uide ep. 79. HOMINE *nullo plus eſt uſus*,} Eſt uſus, dixit, quia perierat Auianus Flaccus.

## Argumentum ep. 36.

*Commendat Demetrium Megam in iure ciuitatis, omnibusq. in rebus.*

### *Cicero S. D. Acilio procos.* 36.

*CVM Demetrio Mega mihi uetuſtum hoſpitium eſt, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. ei Dolabella, rogatu meo, ciuitatem a Caeſare impetrauit: qua in re ego interfui: itaque nunc P. Cornelius uocatur. cumque, propter quoſdam ſordidos homines, qui Caeſaris beneficia uendebant, tabulam, in qua nomina ciuitate donatorum inciſa eſſent, reuelli iuſſiſſet; eidē Dolabellae, me audiente, Caeſar dixit, nihil eſſe, quod de Mega uereretur; beneficium ſuum in eo manere. Hoc te ſcire uolui, ut eum in ciuium Romanorum numero habe:res. ceterisq. in rebus tibi eum ita commendo, ut maiore ſtudio neminem commendarim. gratiſſimum mihi feceris, ſi eum ita tractaris, ut intelligat meam commendationem magno ſibi ornamento fuiſſe. Vale.*

### EXPLANATIO

DOLABELLA,} P. Cornelius Dolabella, qui gener fuerat Ciceronis. nam diuortium fecit poſt pugnam Pharſalicam. P. CORNELIVS *uocatur.*} aſſumpto praenomine, & nomine Dolabellae, cuius beneficio ciuitatem impetrauerat. TABVLAM} aeneam, in publico fixam. REVELLI} ne ualeret.

## Argumentum ep. 37.

*Commendat Hippiam in liberatione bonorum. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Acilio procos.* 37.

*HIPPIAM, Philoxeni filium, Calactinum, hoſpitem, & neceſſarium meum, tibi commendo maiorem in modum. eius bona, quemadmodum ad me delata res eſt, publice poſſidentur alieno nomine, contra leges Calactinorum. id ſi ita eſt, etiam ſine mea commendatione ab aequitate tua res ipſa impetrare debet, ut ei ſubuenias. quoquo modo autem ſe res habet; peto a te, ut honoris mei cauſſa eum expedias; tantumq. ei commodes & in hac re, & in ceteris, quantum tua fides, dignitasq. patietur. id mihi uehementer gratum erit. Vale.*

### EXPLANATIO

CALACTINVM,} a Calacta, Siciliae urbe. Ptolemaeus. PVBLICE *poſſidentur*} legem apud Calactinos fuiſſe crediderim, quae uetaret, ne quidquam publice, niſi publico nomine, poſſideretur. Hippiae autem bona alieno nomine, puta cuiuſpiam abſentis, uel pupilli, publice poſſidebantur.

## Argumentum ep. 38.

*Bruttij negotia, procuratoreſq. commendat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Acilio procos.* 38.

*L. BRVTTIVS, eques Romanus, adoleſcens omnibus rebus ornatus, in meis familiariſſimis eſt, meq. obſeruat diligentiſſime: cuius cum patre magna mihi fuit amicitia iam inde a quaeſtura mea Sicilienſi. omnino nunc ipſe Bruttius Romae mecum eſt: ſed tamen domum eius, & rem familiarem, & procuratores tibi ſic commendo, ut maiore ſtudio commendare non poſſim. gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris, ut intelligat, id quod ei recepi, hanc meam commendationem ſibi magno adiumento fuiſſe.*

## EXPLANATIO

IAM *inde a quaeſtura mea Sicilienſi.* } Siculi igitur erant hi Bruttij, pater, & filius. quaeſtor in Sicilia fuerat Cicero praetore Sex. Peducaeo, ut ait Pedianus.

## Argumentum ep. 39.

*Commendat Titurnium Rufum.*

### *Cicero S. D. Acilio procos. 39.*

*CVM familia Titurnia neceſſitudo mihi intercedit uetus: ex qua reliquus eſt M. Titurnius Rufus; qui mihi omni diligentia, atque officio eſt tuendus. eſt igitur in tua poteſtate, ut ille in me ſatis ſibi praeſidij putet eſſe. quapropter eum tibi commendo maiorem in modum, & abs te peto, efficias, ut is commendationem hanc intelligat ſibi magno adimento fuiſſe. erit id mihi uehementer gratum.*

## Argumentum ep. 40.

*L. & C. Aurelios fratres commendat. Pompeio Magno, & M. Craſſo ſecundum conſulatum gerentibus, uel Domitio &, Appio cos. nam opinor epiſtolam hanc ad eum Ancharium ſcriptam eſſe, qui Macedoniae poſt Piſonem praefuit, ut Ciceronis oratio declarat. Piſo autem, auctore Pediano, e prouincia redijt Pompeio, & Craſſo cos.*

### *Cicero S. D. Q. Anchario, Q. F. procos. 40.*

*L. ET C. Aurelios L. F. quibus & ipſis, & patre eorum, uiro optimo; familiariſſime utor, commendo tibi maiorem in modum, adoleſcentes omnibus optimis artibus ornatos, meos perneceſſarios, tua amicitia digniſſimos. ſi ulla mea apud te commendatio ualuit, quod ſcio multas plurimum ualuiſſe; haec ut ualeat, rogo. quod ſi eos honorifice, liberaliterq. tractaris: & tibi gratiſſimos, optimosq. adoleſcentes adiunxeris; & mihi gratiſſimum feceris. Vale.*

## EXPLANATIO

Q. ANCHARIO } tribunus pl. fuerat Caeſare, & Bibulo cos. praetor Marcellino & Philippo. PROCOS. } non geſto tamen conſulatu. uide quae diximus ep. 1. lib. 1. QVOD *ſcio multas plurimum ualuiſſe;* } notandum, Quod, ita uſurpatum, ut ep. ult. ad Att. lib. IX. quo loco genus hoc loquendi probauimus exemplis. L. ET *C. Aurelios* } Oreſtas, duos enim Aurelios Oreſtas, ſuperioris tamen aetatis, Cicero nominat in Bruto.

## Argumentum ep. 41.

*GRatias agit & ſuo, & Pompeij nomine de Lucceio benigniſſime tractato: eundemq. denuo commendat. Incerto anno.*

### *Cicero S. D. L. Culleolo. 41.*

*QVAE feciſti L. Lucceij cauſſa, ſcire te plane uolo, te homini gratiſſimo commodaſſe, & cum ipſi, quae feciſti, pergrata ſunt: tum Pompeius, quotieſcumque me uidet, (uidet autem ſaepiſſime) gratias tibi agit ſingulares. addo etiam illud, quod tibi iucundiſſimum eſſe certo ſcio, me ipſum, ex tua erga Lucceium benignitate, maxima uoluptate affici. quod ſupereſt, quamquam mihi non eſt dubium, quin cum anteā noſtrā cauſſa, nunc iam etiam tuae conſtantiae gratia manſurus ſis in eadem iſta liberalitate; tamen abs te uehementer etiam atque etiam peto, ut ea, quae initio oſtendiſti, deindeq. feciſti, etiam ad exitum augeri, & cumulari*

per

*per te uelis. id & Lucceio, & Pompeio ualde gratum fore, teq. apud eos praeclare poſiturum, confirmo, & ſpondeo. De rep. deq. his negotijs, cogitationibusq. noſtris perſcripſeram ad te diligenter paucis ante diebus; easq. litteras dederam pueris tuis. Vale.*

## EXPLANATIO

L. CVLLEOLO} uidetur Culleolus Illyrico praefuiſſe: quia nominantur in epiſtola ſequenti Bylliones Illyrici populi. quod ſi ita eſt, praefuit ante primum Caeſaris cõſulatum. nam Caeſari primum conſuli Galliae utriuſque, & Illyrici adminiſtratio mandata eſt. nec uero poſt Caeſarem Culleolus in Illyricum ire potuit. nam uiuo Pompeio Magno epiſtolam ſcriptam eſſe conſtat. (VIDET *autem ſaepiſſime*)} nón caret elegantia eiuſdem uerbi repetitio. ep.53. & ep.2. l.III. ep.5. lib.VI. ep. 6. l.X. TVAE *conſtantiae gratia*} ep.5. & 8. lib.V. eadem conſtantia nominatur. OSTENDISTI,} te facturum. ep. 8. lib. IX. Quamuis quis oſtenderit.

---

## Argumentum ep.42.

*Eundem Lucceium commendat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. L. Culleolo procos.* 42.

L. LVCCEIVS *meus, homo omnium gratiſſimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cùm diceret, omnia te cumulatiſsime, & liberaliſſime procuratoribus ſuis pollicitum eſſe. cum oratio tua tam ei grata fuerit, quam gratam rem ipſam exiſtimas fore, cum, ut ſpero, quae pollicitus es, feceris? Omnino oſtenderunt Bulliones, ſeſe Lucceio Pompeij arbitratu ſatiſfacturos: ſed uehementer opus eſt nobis, & uoluntatem, & auctoritatẽ, & imperium tuum accedere. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. illudq. mihi gratiſſimum eſt, quod ita ſciunt Lucceij procuratores, & ita Lucceius ipſe ex litteris tuis, quas ad eum miſiſti, intellexit; hominis nullius apud te auctoritatem, aut gratiam ualere plus, quam meam. id ut re experiatur, iterum, & ſaepius te rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

LVCCEIVS *meus*,} ſummam beneuolentiam, & familiaritatem pronomen indicat. ep. 64. Nero meus mirificas apud me tibi gratias egit. ep.12. lib. VII. Indicauit mihi Panſa meus Epicureum te eſſe factum. Ep.IX. lib. XI. Quid ipſe agas, quid noſter Hirtius, quid Caeſar meus. ep. 10. lib. XVI. Curio meus illum incitabat. BVLLIONES,} ſic omnes libri ueteres, pro Bylliones. interdum tamen Graeca littera, Y, ſeruatur ut in Pyrrhus, Phryges: quod Cicero, contra ueterẽ conſuetudinem, probat in libro de perfecto oratore. Populi ſunt ſupra Epidamnum, a Byllide, ſiue Bullide urbe, quae eſt in Illyrico. Plinius, Strabo lib.VII. Stephanus. SATISFACTVROS:} pecuniam Lucceio debebant.

---

## Argumentum ep. 43.

*Oppium Gallio commendat. Incertus annus.*

### *Cicero S. D. Q. Gallio.* 43.

ETSI *plurimis rebus ſpero fore, ut perſpiciã, quod tamen iam pridem perſpicio, me a te amari: tamen nunc ea cauſſa tibi datur, in qua facile declarare poſſis tuam erga me beneuolentiam. L. Oppius M. F. Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris. eum tibi unice commendo, eoq. magis, quod cum ipſum diligo, tum quod negotia procurat L. Egnatij Rufi; quo ego uno equite Romano familiariſſime utor, & qui cum conſuetudine quotidiana, tum officijs plurimis, maximisq. mihi coniunctus eſt. Oppium igitur praeſentem ut diligas; Egnatij abſentis rem ut tueare; aeque a te peto, ac ſi mea negotia eſſent. uelim, memoriae tuae cauſſa, des litterarum aliquid, quae tibi in prouincia reddantur: ſed ita conſcribas, ut tum, cum eas leges, facile recordari poſſis huius meae commendationis diligentiam. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

Q. GALLIO.} fortaſſe hic eſt ille Q. Gallius, quem M. Calidius. accuſauit de ueneficio, ut eſt in Bruto. fuerunt autem duo fratres Gallij, M. & Q. & Quinctum accuſatum a Calidio defendit Cicero, ut ait Valerius lib. IIX. cap. 10. eiuſque orationis uerba quaedam recitat ipſe Cicero in Bruto, alia

Quincti-

Quinctilianus lib. IIX. c. 3, lib. XI. cap. ult. & Nonius, Cariſius, Aquila, Is hoc tempore cum Philippo, Aſiae proconſule, legatus, ut exiſtimo, in prouinciam ibat. uide ep. 45. & 73. EA . CAVSSA} uide quae diximus ep. I. lib. I. EGNATII *Rufi*} ep. 44. 45. 73. 74. & ad Att.

## Argumentum. ep. 44.

*Eundem Oppium rurſus eidem commendat.*

### *Cicero S. D. Gallio.* 44.

ETSI *ex tuis, & L. Oppij, familiariſſimi mei, litteris cognoui, te memorem commendationis meae fuiſſe; idq. pro tua ſumma erga me beneuolentia, proq. noſtra neceſſitudine, minime ſum admiratus: tamen etiam atque etiam tibi L. Oppium praeſentem, & L. Egnatij, mei familiariſſimi, abſentis negotia commendo. tanta mihi cum eo neceſſitudo eſt, familiaritasque; ut ſi mea res eſſet, non magis laborarem. quapropter mihi gratiſſimum feceris, ſi curaris, ut is intelligat me a te tantum amari, quantum ipſe exiſtimo. hoc mihi gratius facere nihil potes. idq. ut facias, uehementer te rogo Vale.*

## Argumentum ep. 45.

*EGnatij & ſeruum Anchialum, & negotia Appuleio commendat. Incertus annus.*

### *Cicero S. D. Appuleio proquaes.* 45.

L. EGNATIO *uno equite Romano uel familiariſſime utor. eius Anchialum ſeruum, negotiaque, quae habet in Aſia, tibi commendo non minore ſtudio, quam ſi rem meam commendarem. ſic enim exiſtimes uelim, mihi cum eo non modo quotidianam conſuetudinē ſummam intercedere, ſed etiam officia magna, & mutua noſtra inter nos eſſe. quamobrem etiam atque etiam a te peto, ut cures, ut is intelligat, me ad te ſatis diligenter ſcripſiſſe. nam de tua erga me uoluntate non dubitabat. id ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.*

### EXPLANATIO

PROQVAES.} Q. Philippi procos. nam utrique Egnatium Cicero commendat. ep. 73. 74.

## Argumentum ep. 46.

*Noſtium coheredem ſuum commendat.*

### *Cicero S. D. Appuleio proquaes.* 46.

L. NOSTIVS *Zoilus eſt coheres meus, heres autem patroni ſui. ea re utrumque ſcripſi, ut & mihi cum illo cauſſam amicitiae ſcires eſſe; & hominem probum exiſtimares, qui patroni iudicio ornatus eſſet. eum tibi igitur ſic commendo, ut unum ex noſtra domo. ualde mihi gratum erit, ſi curaris, ut intelligat hanc commendationem ſibi apud te magno adiumento fuiſſe. Vale.*

## Argumentum ep. 47.

*Egnatium, communem amicum, commendat.*

### *Cicero S. D. Silio.* 47.

QVID *ego tibi commendem eum, quem tu ipſe diligis? ſed tamen, ut ſcires eum non a me diligi ſolum, uerum etiam amari, ob eam rem tibi haec ſcribo. Omnium tuorum officiorum, quae & multa, & magna*

*& magna ſunt, mihi gratiſſimum fuerit, ſi ita tractaris Egnatium, ut ſentiat & ſe a me, & me a te amari. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Illa noſtra ſcilicet ceciderunt. utamur igitur uulgari conſolatione: quid, ſi hoc melius? ſed haec coram. Tu fac, quod facis, ut me ames, teq. amari a me ſcias. Vale.*

## EXPLANATIO

QVID *ego tibi commendem eum,* } ſimile artificium ep. 16. in eo loco: Et tamen, quod negaueram, commendo tibi eum. & ep. 18. Quod modo uerebar, tibi gratias agere, nunc plane ago. & ep. 4. lib. xv. Quod paullo ante me negaram rogaturum, uehementer te rogo. NON *a me diligi ſolum, uerum etiam amari,* } ep. 14. lib. ix. Tantum acceſsit ad amorem, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexiſſe. Et ad M. Brutum: Clodius ualde me diligit, uel, ut ἐμφατικώτερον, ualde me amat. ILLA *noſtra ſcilicet ceciderunt.* } Abierunt illa tempora, cum & dignitate, & honoribus, & hominum ampliſsimorum amicitijs in rep. florebamus. conſolemur igitur nos, non exquiſita aliqua ratione, ſed quo modo ſolet uulgus: cuius haec fere in aduerſis rebus eſt ſententia: Quid, ſi hoc melius? Cecidit auctoritas principum, in oratione de aruſp. reſp. Cecidit grauitas optimatum, lib. III. de Leg.

# Argumentum ep. 48.

*OMnes Cyprios, maximeq. Paphios commendat. in quo eſt admonitio quaedam, tecta uerbis amorem ſignificantibus; ne quid inſtituat, quod alij non probent; ſed, lege Lentuli obſeruata, laudi ſuae conſulat. De anno epiſtolae quod affirmem, non habeo.*

### *Cicero S. D. C. Sextilio Rufo quaes.* 48.

OMNES *tibi commendo Cyprios, ſed magis Paphios: quibus tu quaecumque commodaris, erũt mihi gratiſſima. eoq. facio libentius ut eos tibi commendem, quod & tuae laudi, cuius ego fautor ſum, conducere arbitror, cum primus in eam inſulam quaeſtor ueneris, ea te inſtituere, quae ſequantur alij. quae, ut ſpero, facilius conſequere, ſi & P. Lentuli, neceſſarij tui, legem, & ea, quae a me conſtituta ſunt, ſequi uolueris. quam rem tibi confido magnae laudi fore. Vale.*

## EXPLANATIO

CVM *primus in eam inſulam quaeſtor ueneris,* } antea enim Cyprus regnum fuerat, non prouincia. ſed cum in eã lege Clodia M. Cato ueniſſet; rexq. Ptolemaeus, audito eius aduentu, mortem ſibi conſciuiſſet; regno publicato, prouincia praetoria facta eſt, manſitq. ad Strabonis aetatem: ut ipſe lib. xv. ſcriptum reliquit. Nec uero P. Lentuli, qui Cyprum cum Cilicia primus rexit; ut ex epiſtola 7. lib. I. cognoſcitur, quaeſtor fuit hic Sextilius. nam ſi Lentulus quaeſtorem ſuum ad ius dicendum in Cyprum miſiſſet; feciſſet idem poſtea Cicero, qui eandem prouinciam rexit. at ille non modo neutrum e quaeſtoribus ſuis, (duos enim habuit, Meſcinium, & Coelium) ſed nec ullum e quattuor legatis miſit: Q. Voluſium, unum e ſuis familiaribus, ei muneri praepoſuit: quod in ep. 21. lib. v. ad Atticum ſcripſit. Deinde, ſi quaeſtor Lentuli Sextilius fuiſſet; dixiſſet potius Cicero, ſi P. Lentuli, proconſulis tui legem ſequi uolueris; quam, ſi P. Lentuli, neceſſarij tui. Iam legis Lentuli obſeruationem cur Sextilij permittat arbitrio? quis crederet quaeſtorem a ſui proconſulis lege in ea iuriſdictione, quam idem ſibi proconſul demandaſſet, diſceſſurum fuiſſe? quo animo Lentulus ferret, contra eam legem, quam ipſe conſul tuliſſet, ius dicere quaeſtorem ſuum? Poſtremo illa uerba, Ea, quae a me conſtituta ſunt, ſatis conſtat eſſe dicta de Cicerone Ciliciae proconſule, cuius prouinciae pars Cyprus fuit. Cum igitur poſt Ciceronem proconſulem ſcripta ſit epiſtola, ſuſpicari aliquis poſſit, primo ſcriptam eſſe belli ciuilis anno, ideſt Lentulo, & Marcello cos. antequam Cicero ad Pompeium in Graeciam nauigaret, uiuo P. Lentulo: qui ex Pharſalica pugna fugientem Pompeium ſecutus, ut lib. III. bel. ci. Caeſar ſcripſit, obijſſe paullo poſt uidetur. nam neque poſt Pharſalicam pugnam commendaticias litteras Cicero, confectus omni miſeria, miſiſſet: nec poſtea quam in Graeciam nauigaſſet, ardente bello: potius eum ſcripſiſſe, cum adhuc in Italia maneret, integra adhuc auctoritate, & apud Caeſarem gratia, credibile eſt. Vt omittam, quod illa uerba, ſi P. Lentuli, neceſſarij tui, legem ſequi uolueris, mihi quidem de uiuo potius Lentulo, quam de mortuo, uidentur eſſe dicta. Quod ſi de epiſtolae tempore non erramus: quaerendum relinquitur, a populo ne, an a proconſule aliquo miſſus uenerit in Cyprum Sextilius. Vtrumque nego. nam nec imperium quaeſtori populus dare, nec ſine imperio praeeſſe quiſquam prouinciae ſolebat. Proconſul uero poſt Ciceronem, impedita propter bellum ciuile prouinciarum ſucceſsione, aliquandiu nemo fuit. Itaque cogimur credere miſſum eſſe a Caeſare, urbe Roma potito: cum eius uoluntas pro legibus eſſet, Cicerone nondum in Graeciam ad Pompeium profecto.

## Argumentum ep. 49.

*Commendat Q. Pompeium.*

### *Cicero S. D. Curio procos.* 49.

Q. POMPEIVS *Sex. F. multis, & ueteribus cauſſis neceſſitudinis mihi coniunctus eſt. is cum antea meis commendationibus & rem, & gratiam, & auctoritatem ſuam tueri conſueuerit, nunc profecto, te prouinciam obtinente, meis litteris aſſequi debet, ut nemini ſe intelligat commendatiorem umquam fuiſſe. quamobrem a te maiorem in modum peto, ut, cum omnes meos aeque ac tuos obſeruare pro noſtra neceſſitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, ut ipſe intelligat, nullam rem ſibi maiori uſui, aut ornamento, quam meam commendationem, eſſe potuiſſe. Vale.*

## Argumentum ep. 50.

*Petit, ut M'. Curium ab omni incommodo, detrimento, moleſtia ſincerum, integrumq. conſeruet. C. Caeſare* v. *& Antonio cos.*

### *Cicero S. D. Aucto procos.* 50.

SVMPSI *hoc mihi pro tua in me obſeruantia, quam penitus perſpexi, quamdiu Brundiſij fuimus, ut ad te familiariter, & quaſi pro meo iure ſcriberem, ſi qua res eſſet, de qua ualde laborare. Man. Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris eſt, ut nihil poſsit eſſe coniunctius. multa illius in me officia, multa in illum mea; quodq. maximum eſt, ſummus inter nos amor, & mutuus. quae cum ita ſint, ſi ullam in amicitia mea ſpem habes; ſi ea, quae in me officia, & ſtudia Brundiſij contuliſti, uis mihi etiam gratiora efficere; quamquam ſunt gratiſsima, ſi me a tuis omnibus amari uides, hoc mihi da, atque largire, ut Man. Curium ſartum & tectum, ut aiunt, ab omniq. incommodo, detrimento, moleſtia ſincerum, integrumq. conſerues. & ipſe ſpondeo & omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia, & ex tuo in me officio maximum te fructum, ſummamq. uoluptatem eße capturum. Vale.*

## EXPLANATIO

AVCTO.} uidetur hic eſſe Acilius Auctus, qui Ser. Sulpicio, adminiſtraturus Achaiam, ſucceſsit. ep. 30. lib. VII. BRVNDISII} ubi Cicero aliquandiu fuit poſt pugnam Pharſalicam, reditum Caeſaris ex bello Alexandrino exſpectans. ep. 10. His temporibus a me Brundiſio cum litteris, & mandatis profectus eſt ad Caeſarem. Et ep. 27. lib. XI. Veni Brundiſium. Et ep. 6. ad Att. lib. XI. CVRIVS,} de quo ep. 17. MVLTA *in illum mea; quodq. maximum eſt, ſummus inter nos amor*,} quanto hoc uenuſtius, quam ut eſt in uulgatis libris, Multa in illum mea quoque. maximum eſt, ſummus inter nos amor. Sic autem ante multos annos ex antiquo libro Vincentij Riccij emendauimus. nunc eo magis confirmor in ſententia, quia uideo ſic & legi, & diſtingui in Petri Pagani libro: in alio autem, Multa in illum mea, quod maximũ eſt, &c. SARTVM *& tectum, ut aiunt*,} quod rei eſt inanimatae, ad hominem tranſtulit. nam ſarta tecta, ut ait Feſtus, uocabantur, quae locabant cenſores, ut ea deinde integra exigerent. ep. XI. Sarta tecta aedium ſacrarum nominantur. cum uero, addita copula, dicitur, ſartum & tectum, pleniorem eſſe locutionem ait Aſconius. quid autem hic Cicero ſignificet, ſequentibus uerbis oſtenditur.

## Argumentum ep. 51.

P. *Meßienum commendat.*

### *Cicero S. D. P. Caeſio.* 51.

P. MESSIENVM, *equitem Romanum, omnibus rebus ornatum, meumq. perfamiliarem, tibi commendo ea commendatione, quae poteſt eſſe diligentiſſima. peto a te & pro noſtra, & pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, eiusq. rem, famamq. tueare. uirum bonum, tuaq. amicitia dignum tibi adiunxeris; mihiq. gratiſſimum feceris.*

Argu-

## Argumentum ep. 52.

*Hoſpitem ſuum Ariſtotelem commendat. Incertus annus: ſed poſt Africanum bellum ſcriptum eſſe conſtat: cum dicat Cicero: Hunc ego a Caeſare liberaui: &, Diutius in cauſſa eſt, quam nos, commoratus.*

### *Cicero S. D. Regi.* 52.

A. LICINIVS *Ariſtoteles, Melitenſis, antiquiſſimus eſt hoſpes meus, & praeterea coniunctus magno uſu familiaritatis. haec cum ita ſint, non dubito, quin tibi ſatis commendatus ſit. etenim ex multis cognoſco, meam commendationem plurimum apud te ualere. hunc ego a Caeſare liberaui. frequens enim fuerat nobiſcum: atque etiam diutius in cauſſa eſt, quam nos, commoratus. quo melius te de eo exiſtimaturum arbitror. fac igitur, mi Rex, ut intelligat has ſibi litteras plurimum profuiſſe. Vale.*

### EXPLANATIO

REGI.} cognomen gentis Marciae: ut e Salluſtio, Valerio, Suetonio conſtat, addito etiam teſtimonio Ciceronis ep. 14. ad Att. lib. I. & Plutarchi in uita Ciceronis. Abſurde nonnulli putant hunc eſſe Deiotarum regem: cum tamen; Deiotaro regi, non ſit in titulo, ſed tantum Regi. praeterea inepta familiaritas illa eſſet in ijs uerbis, quae ſunt infra: Fac igitur, mi Rex, &c. A. CAESARE *liberaui.*} uenia impetrata. NOBISCVM:} in partibus Pompeianis. IN. CAVSSA} cauſſa Pompeij, & cauſſa Caeſaris uocatur id, quod Pompeius, & Caeſar defendunt. QVO *melius te de eo exiſtimaturum arbitror.*} his uerbis adducor, ut ſuſpicer, in cauſſa Pompeij Regem fuiſſe.

---

## Argumentum ep. 53.

*CVrum in omnibus rebus, praecipue uero in Helleſpontijs negotijs commendat. Scripta eſt uel Ser. Sulpicio, M. Marcello cos. uel anno ſequenti, Paullo & Marcello. quo enim tempore proconſul Cicero Ciliciae, eodem Aſiae Thermus praeerat: ut apparet ex ep. 54. 55. 57. & ep. 18. lib. 2.*

### *Cicero S. D. Q. Thermo propraet.* 53.

L. GENVCILIO *Curuo iampridem familiariſſime utor, optimo uiro, & homine gratiſſimo. eum tibi penitus commendo, atque trado: primum ut omnibus in rebus ei te commodes, quoad fides tua, dignitasq. patietur: patietur autem in omnibus: nihil enim abs te umquam, quod ſit alienum tuis, aut etiam ſuis moribus, poſtulabit. praecipue autem tibi commendo negotia eius, quae ſunt in Helleſponto: primum, ut obtineat id iuris in agris, quod ei Pariana ciuitas decreuit, & dedit, & quod ſemper obtinuit ſine ulla controuerſia deinde, ſi quid habebit cum aliquo Helleſpontio, controuerſiae, ut in illam* διοίκησιν *reijcias. Sed non mihi uideor, cum tibi totum hominem diligentiſſime commendarim, ſingulas ad te eius cauſſas perſcribere debere. Summa illa ſit. quidquid officij, beneficij, honoris in Genucilium contuleris, id te exiſtimabo in me ipſum, atque in rem meam contuliſſe. Vale.*

### EXPLANATIO

EI. TE *commodes.*} malim, Ei Commodes. Sic enim Cicero locutus ep. 9. 13. 32. 35. 37. 41. 54. 69. 70. 75. h. l. PATIETVR *autem in omnibus:*} ſimilis repetitio, in qua ineſt quiddam elegantiae, ep. 41. & lib. III. ep. 2. lib. VI. ep. 5. lib. X. ep. 6. IN. HELLESPONTO:} Helleſpontum ad Aſiae adminiſtrationem attinuiſſe, hic locus oſtendit. PARIANA *ciuitas*} Parion ciuitas in Helleſponto. Plinius, Strabo Stephanus. IN. ILLAM *διοίκησιν reijcias*} Helleſpontiam: ne in Epheſina διοικήσει, (Epheſus enim primaria urbs erat eorum, qui Aſiae prouinciae praeerant ep. 55 & ad Att. ep. 13. lib. V.) incommodo ſuo, litigare cogatur. SINGVLAS *eius cauſſas*} ſingula eius negotia.

---

## Argumentum ep. 54.

*PRimum agit gratias Thermo, quod Marcilium liberaliſsime tractauerit: deinde petit, operam det, ne Marcilij ſocrus rea fiat. Paullo & Marcello coſ.*

### *Cicero S. D. Thermo propraet.* 54.

*CVM mihi multa grata ſunt, quae tu, adductus mea commendatione, feciſti; tum in primis, quod M. Marcilium, amici, atque interpretis mei filium, liberaliſſime tractauiſti. uenit enim Laodiceam, & tibi apud me, mihiq. propter te gratias maximas egit. Quare, quod reliquum eſt, a te peto, quando apud gratos homines beneficium ponis, ut eo libentius his commodes; operamq. des, quoad fides tua patietur, ut ſocrus adoleſcentis rea ne fiat. ego cum antea ſtudioſe commendabam Marcilium, tum multo nunc ſtudioſius, quod in longa apparitione ſingularem, & prope incredibilem patris Marcelli fidem, abſtinentiam, modeſtiamq. cognoui. Vale.*

## EXPLANATIO

INTERPRETIS *mei*} interpretes praeibant proconſulibus. infra: In longa apparitione. LAODICEAM,} quae fuit in imperio Ciceronis, caput unius Aſiaticae *διοικήσεως*. ibi Cicero forum egit ex idibus Febr. uſque ad Kal. Mai. inde in Ciliciam profectus eſt. ep. 1.2. ad Att. lib. VI. MIHIQ.} qui tibi eum commendaſſem. PROPTER *te*} propter tuum in ſe officium. MARCILIVM} patrem. IN. LONGA *apparitione*} in ſuo munere multorum menſium. nam Laodiceam primum uenit pr. Kal. Sext. eodem redijt ineunte menſe Februario, ut conijcere licet ex ep. 21. ad Att. lib. v. manſit uſque ad idus Mai. ut ex eadem con ſtat. ad eum igitur, cum eſſet iterum Laodiceae, Marcilius adoleſcens uenit. ex quo de anno epiſtolae coniecturam fecimus. IN. LONGA *apparitione*.} Omnes, qui apparebant, ideſt praeibant magiſtratibus, apparitores dicebantur. & apparitio munus ipſum. apparitores autem erant ſcribae, interpretes, accenſi, praecones, lictores, uiatores, ſtatores, & huius generis alij. quos omnes ut libertos fuiſſe putem, multis adducor exemplis.

---

## Argumentum ep. 55.

*COmmendat Anneium, legatum ſuum, in controuerſia Sardiana. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Thermo propraet.* 55.

*ETSI mihi uideor intellexiſſe, cum tecum Epheſi de re M. Anneij, legati mei, locutus ſum, te ipſius cauſſa uehementer omnia uelle: tamen & M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem praetermittendum, quod illius interſit; & me a te tanti fieri puto, ut non dubitem, quin ad tuam uoluntatem magnus cumulus accedat commendationis meae. nam cum iamdiu diligerem M. Anneium; deq. eo ſic exiſtimarem, ut res declarat, quod ultro ei detulerim legationem, cum multis petentibus denegaſſem: tum uero, poſtea quam mecum in bello, atque in re militari fuit, tantam in eo uirtutem, prudentiam, fidem, tantamq. erga me beneuolentiam cognoui, ut hominem neminem pluris faciam. Eum cum Sardianis habere controuerſiam ſcis. cauſſam tibi expoſuimus Epheſi: quam tu tamen coram facilius, meliusq. cognoſces. De reliquo mihi mehercule diu dubium fuit, quid ad te potiſſimum ſcriberem. ius enim quemadmodum dicas, clarum, & magna cum tua laude notum eſt: nobis autem in hac cauſſa nihil aliud opus eſt, niſi te ius inſtituto tuo dicere. ſed tamen, cum me non fugiat, quanta ſit in praetore auctoritas, praeſertim iſta integritate, grauitate, clementia, qua te eſſe inter omnes conſtat: peto abs te pro noſtra coniunctiſſima neceſſitudine, plurimisq. officijs paribus, ac mutuis, ut uoluntate, auctoritate, ſtudio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat, te & ſibi amicum eſſe, quod non dubitat; ſaepe enim mecum locutus eſt; & multo amiciorem his meis litteris eſſe factum. in tuo toto imperio, atque prouincia nihil eſt, quod mihi gratius facere poſsis. iam, apud ipſum, gratiſsimum hominem, atque optimum uirum, quam bene poſiturus ſis ſtudium tuum, atque officium, dubitare te non exiſtimo. Vale.*

## EXPLANATIO

M. ANNEII, *legati mei,*} quattuor legatos habuit Cicero in prouincia, Q. fratrem, C. Pontinium, utrumque praetorium, Pontinium etiam triumphalem, praeterea L. Tullium, M. Anneium. ep. 4. lib. xv. & ep. 15. lib. 2. & alibi. IN. BELLO,} quod exponitur ſatis glorioſe ep. 4. lib. xv. CVM *Sardianis*} cum populo Sardiano. ep. 57. Sardis autem urbs Lydiae. Plinius, & alij. CORAM} cum apud te cauſſa haec agetur. IN. PRAETORE} dixi iam, Praetores etiam eos appellari, qui poſt praeturam, aut etiam conſulatum prouinciam regerent. ep. 17. lib. 2.

## Argumentum ep. 56.

*NEgotia commendat Cluuij Puteolani. Sulpicio & Marcello cos. uel anno ſequenti.*

### *Cicero S. D. Thermo propraet.* 56.

CLVVIVS *Puteolanus ualde me obſeruat, ualdeq. eſt mihi familiaris. is ita ſibi perſuadet, quod in tua prouincia negotij habet, niſi, te prouinciam obtinente, meis commendationibus confecerit, id ſe in perditis, & deſperatis habiturum. nunc, quando mihi ab amico officioſiſſimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me ſummis officijs, ita tamen, ut tibi nolim moleſtus eſſe. Mylasij, & Alabandenſes pecuniam Cluuio debent. dixerat mihi Euthydemus, cum Epheſi eſſem, ſe curaturum, ut ecdici Mylaſii Romam mitterentur. id factum non eſt. legatos audio miſſos eſſe: ſed malo ecdicos, ut aliquid confici poſſit. quare peto a te, ut eos, & Alabandenſes iubeas ecdicos Romam mittere. Praeterea Philotes Alabādenſis ὑποθήκας Cluuio dedit: hae commiſſae ſunt. uelim cures, ut aut de hypothecis decedat, easq. procuratoribus Cluuij tradat; aut pecuniam ſoluat. Praeterea Heracleotae, & Bargyletae, qui item debent, aut pecuniam ſoluant, aut fructibus ſuis ſatisfaciant. Caunij praeterea debent; ſed aiunt ſe depoſitam pecuniā habuiſſe. id uelim cognoſcas: &, ſi intellexeris eos neque ex edicto, neque ex decreto depoſitam habuiſſe, des operam, ut uſurae Cluuio, inſtituto tuo, conſeruentur. His de rebus eo magis laboro, quod agitur res Cn. Pompeij etiam, noſtri neceſſarij, & q od is magis etiam mihi laborare uidetur, quam ipſe Cluuius: cui ſatisfactum eſſe a nobis, ualde uolo. His de rebus te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

CLVVIVS} is fortaſſe, ad quem ſcribit ep. 7. MYLASII, & *Alabandenſes*} ſic diſerte ſcriptum eſt in meo uetere libro: in alijs, Mylaſij, & Alabandes: in quibuſdam, Mylaſis, & Alabandes, Graeco more. Mylaſa, & Alabanda nominantur a Plinio, & alijs. ECDICI} quaſi quaeſtores quidam, rationem nummariam curantes. *ὑποθήκας Cluuio dedit:*} pignoris loco quaedam Cluuio creditori ſuo aſsignauit, ea condicione, ut, niſi ei pecuniam, quam debebat, certa quadam die, de qua inter eos conuenerat, ſoluiſſet, hypothecae Cluuij propriae efficerentur. propterea ſubiungit Cicero, Hae commiſſae ſunt: ideſt, cum abierit dies, qua ſe Philotes Cluuio pecuniam ſoluturum promiſerat, amiſit ius, quod habebat in hypothecis, eae Cluuiae factae ſunt. Sic, fiduciam tibi commiſſam dicis, pro, fundum, fiduciario nomine acceptum, tui iuris factum eſſe dicis, in orat. pro Flacco. Et, commiſſam hereditatem Veneri Erycinae, commiſſam palaeſtrae, in Verr. lib. 1. & 2. DE *hypothecis decedat,*} cedat hypothecis, ius hypothecarum relinquat: quandoquidem commiſſae ſunt, ideſt, nihil iam ad eum pertinent, elapſa die ſolutionis. AVT *pecuniam ſoluat.*} aequa condicio. nam cum hypothecae commiſſae eſſent; Cluuius tamen, ſi ſibi pecunia ſolueretur, contentus erat, & hypothecis credere uolebat. HERACLEOTAE, & *Bargiletae*} populi Cariae, de quibus Plinius lib. v. cap. 29. Heracleae autem plures. FRVCTIBVS} quos ex agris colligunt. CAVNII} & hi Cariae populi. Plinius, Strabo. NEQVE *ex edicto, neque ex decreto*} edicto praetoris, decreto ſenatus. CN. POMPEII} Magni.

## Argumentum ep. 57.

*PEtit a Thermo, ut Anneium, legatum ſuum, remittat; eumq. commendat in negotio ſuo. Paullo, & Marcello cos.*

## *Cicero S. D. Thermo propraet.* 57.

*QVo magis quotidie ex litteris, nuncijsque, bellum magnum eſſe in Syria, cognoſco, eo uehementius a te pro noſtra neceſſitudine contendo, ut mihi M. Anneium legatum primo quoque tempore remittas. nam eius opera, conſilio, ſcientia rei militaris uel maxime intelligo me, & remp. adiuuari poſſe. quod niſi tanta res eius ageretur: nec ipſe adduci potuiſſet, ut a me diſcederet; neque ego, ut eum a me dimitterem. ego in Ciliciam proficiſci cogito circiter Kal. Maias. ante eam diem Anneius ad me redeat, oportet. Illud, quod tecum & coram, & per litteras diligentiſſime egi, id & nunc etiam atque etiam rogo, curae tibi ſit, ut ſuum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro cauſſae ueritate, & pro ſua dignitate conficiat. intellexi ex tua oratione, cum tecum Epheſi locutus ſum, te ipſius Anneij cauſſa omnia uelle: ſed tamen ſic uelim exiſtimes, te mihi nihil gratius facere poſſe, quam ſi intellexero, per te illum ipſum negotium ex ſententia confeciſſe. idq. quamprimum ut efficias, te etiam atque etiam rogo. Vale.*

### EXPLANATIO

BELLVM *magnum*} Parthicum. ad Att. ep. 3. 4. 5. lib. VI. IN CILICIAM} nunc enim erat Laodiceae, in Aſia: ibiq. ut diximus iam, forum egit ex idibus Febr. ad Kal. Maij. ILLVD, *quod tecum & coram, & per litteras diligentiſſime egi, id & nunc etiam atque etiam rogo,*} Cum dixerit, Illud, ſubiungit, Id. ſic locutus ep. 28. Illud, quod ſupra ſcripſi, id tibi confirmo. & ep. 26. lib. VII. Lex ſumptuaria ea mihi fraudi fuit.

## Argumentum. ep. 58.

*COmmendat L. Cuſtidium. Eodem anno, aut ſuperiore. ſcripſit enim hanc epiſtolam, cum eſſet in prouincia.*

## *Cicero S. D. C. Titio L. F. Rufo praet. urb.* 58.

L. CVSTIDIVS *eſt tribulis, & municeps, & familiaris meus. is cauſſam habet, quam cauſſam ad te deferet. commendo tibi hominem, ſicuti tua fides, & meus pudor poſtulat; tantum, ut faciles ad te aditus habeat; quae aequa poſtulabit, ut lubente te impetret, ſentiatq. meam ſibi amicitiam, etiam cum longiſſime abſim, prodeſſe in primis apud te. Vale.*

### EXPLANATIO

CVM *longiſſime abſim,*} erat enim in Cilicia.

## Argumentum ep. 59.

*Commendat M. Fabium Curtio praetori. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. C. Curtio Peducaeano praet.* 59.

M. FABIVM *unice diligo: ſummaq. mihi cum eo conſuetudo, & familiaritas eſt peruetus. in eius controuerſijs quid decernas, a te non peto, (ſeruabis, ut tua fides, & dignitas poſtulat, edictum, & inſtitutum tuum) ſed ut quam facillimos ad te aditus habeat: quae erunt aequa, lubente te impetret: ut meam amicitiam ſibi, etiam cum procul abſim, prodeſſe ſentiat, praeſertim apud te. hoc uehementer etiam atque etiam te rogo. Vale.*

### EXPLANATIO

PEDVCAEANO,} ex Peducaea gente in Curtiam adoptato. Excipiatur hoc nomen a regula nominũ Romanorum, in ius deſinentium. omnes enim & lapides, & libri, Peducaeus, habent. M. FABIVM} opinor eundem eſſe, quem commendat Coelio lib. 2. ep. 14. & Paeto lib. IX. ep. 25. & Caſsio lib. XV. ep. 14. CVM *procul abſim,*} ſcripſit igitur, cum eſſet in prouincia.

Argu-

## Argumentum ep. 60.

*Commendat Liuineium libertum. Incertus annus.*

### *Cicero S. D. C. Munatio C. F.* 60.

L. LIVINEIVS *Trypho eſt omnino L. Reguli, familiariſſimi mei, libertus, cuius calamitas etiam officioſiorem me facit in illum: nam beneuolentior, quam ſemper fui, eſſe non poſſum: ſed ego libertum eius per ſe ipſum diligo. ſumma enim eius erga me officia exſtiterunt iis noſtris temporibus, quibus facillime bonā beneuolentiam hominum, & fidem perſpicere potui. eum tibi ita commendo, ut homines grati, & memores bene meritos de ſe commendare debent. pergratum mihi feceris, ſi ille intellexerit, ſe quod pro ſalute mea multa pericula adierit, ſaepe hieme ſumma nauigarit, pro tua erga me beneuolentia gratum etiam tibi feciſſe. Vale.*

### EXPLANATIO

L. REGVLI} Liuineij: eius enim gentis cognomen Regulus fuit: quod argentei nummi teſtantur. CALAMITAS} fortaſſe exſulium. nam & ep. 19. calamitatem exſulij nominauit: & ep. 4. lib. xv. ETIAM *officioſiorem me facit in illum: nam beneuolentior, quam ſemper fui, eſſe non poſſum:* } Eodem fere modo ad Appium, ep. 12. lib. III. Beneuolentior tibi, quam fui, nihilo ſum factus, diligentior quidem ad declarandam beneuolentiam multo. IIS *noſtris temporibus,* } cum exſularet. quod hic dicitur, comprobatur teſtimonio ep. 17. ad Att. lib. III. Liuineius, inquit, L. Reguli libertus, ad me a Regulo miſſus uenit. &c. BONAM *beneuolentiam* } fidelis beneuolentia, dixit ep. 16. lib. IX.

---

## Argumentum ep. 61.

*Commendat Pinnium in exactione pecuniae, quam ei Nicaeenſes debent. Scripta a proconſule Cicerone: quod ex ep. 64. intelligitur.*

### *Cicero S. D. P. Silio propraet.* 61.

T. PINNIO *familiariſſime me uſum eſſe, ſcire te arbitror. quod quidem ille teſtamento declarauit, qui me tum tutorem, tum etiam ſecundum heredem inſtituerit. eius filio, mire ſtudioſo, & erudito, & modeſto, pecuniam Nicaeenſes grandem debent, ad H-S octogies: &, ut audio, in primis uolunt ei ſoluere. pergratum igitur mihi feceris; quando non modo reliqui tutores, qui ſciunt quanti me facias, ſed etiam puer ipſe ſibi perſuaſit, te omnia mea cauſſa facturum eſſe; ſi dederis operam, quo ad tua fides, dignitasq. patietur, ut quamprimum pecunia Pinnio ſoluatur Nicaeenſium nomine. Vale.*

### EXPLANATIO

PROPRAET.} Bithyniae: in qua ſunt Nicaeenſes, qui nominantur in epiſtola. AD. H-S *octogies* } ducenta quadraginta millia ſcutatorum. MIRE *ſtudioſo,* } ſtudioſus, interdum addito generandi caſu dicitur, interdum ſimpliciter, ut hic, & in epiſtola ad Titinium: Quod ſtudioſiſsimus quiſque apud eum exerceretur.

---

## Argumentum ep. 62.

*Primum de Atilio gratias agit, deinde Q. fratrem commendat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Silio propraet.* 62.

ET *in Atilij negotio te amaui: cum enim ſero ueniſſem, tamen honeſtum equitem Romanum beneficio tuo conſeruaui, & mehercule ſemper ſic in animo habui, te in meo aere eſſe propter Lamiae noſtri coniunctionem, & ſingularem neceſſitudinem. itaque primum tibi ago gratias, quod me omni moleſtia liberas: deinde*

*impudentia proſequor: ſed idem ſarciam. te enim ſemper ſic colam, & tuebor, ut quem diligentiſſime. Quinctum, fratrem meum, ſi me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me. ita magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris. Vale.*

## EXPLANATIO

ET. IN *Atilij negotio te amaui:*} ab eadem particula orditur ep. ult. & lib. x. ep. 1. & ad Att. ep. 9. lib. 1. ep. 7. lib. x. SERO *ueniſſem,*} in prouinciam. TE. IN *meo aere eſſe*} meum eſſe. ducta ſimilitudine a nummorum poſſeſsione. ep. 14. lib. xv. Multi ſunt anni, cum ille in aere meo eſt. LAMIAE} L. Lamiae, de quo uide ep. 16. lib. xi. & ep. 29. lib. xii. IMPVDENTIA *proſequor:*} quia tibi alios quoque commendo, ut Q. fratrem. SARCIAM.} remunerabor officia tua. MAGNVM *beneficium tuum*} quod Atilium adductus commendatione mea conſeruaſti.

# Argumentum ep. 63.

*Commendat ſtudioſe in primis M. Laenium. Eodem anno:*

### *Cicero S. D. Silio propraet.* 63.

NON *putaui fieri poſſe, ut mihi uerba deeſſent; ſed tamen in M. Laenio commendando deſunt. itaque rem tibi exponam paucis uerbis, ſed tamen ut plane perſpicere poſſis uoluntatem meam. Incredibile eſt, quanti faciamus & ego, & frater meus, qui mihi cariſſimus eſt, M. Laenium. id fit cum plurimis eius officijs, tum ſumma probitate, & ſingulari modeſtia. eum ego a me inuitiſſimus dimiſi, tum propter familiaritatem, & conſuetudinis ſuauitatem; tum quod conſilio eius fideli, ac bono libenter utebar. Sed uereor, ne iam mihi ſupereſſe uerba putes, quae dixeram defutura. Commendo tibi hominem, ſicut intelligis me, de quo ea ſupra ſcripſerim, debere commendare: atq. uehementer etiam atque etiam peto, ut, quod habet in tua prouincia negotij, expedias: quod tibi uidebitur rectum eſſe, ipſi dicas. hominem facillimum, liberaliſſimumq. cognoſces. itaque te rogo, ut eum ſolutum, liberum, confectis eius negotijs per te, quamprimum ad me remittas. id mihi, fratriq. meo gratiſſimum feceris. Vale.*

## EXPLANATIO

NON *putari fieri poſſe, ut mihi uerba deeſſent; ſed tamen in M. Laenio commendando deſunt.*} Simile illud ep. xi. lib. 2. Putares ne umquam accidere poſſe, ut mihi uerba deeſſent? deſunt autem propter hanc cauſſam, &c. M. LAENIO} Brundiſino, de cuius officio in Ciceronem uide ep. 4. lib. xiv. & in oratione pro Plancio, & pro Sextio. DIMISI,} ex prouincia.

# Argumentum ep. 64.

*AGit gratias de Nerone honorificentiſſime tractato: & eundem Neronem omnibus in rebus, praetereaq. familiares eius Niſaeos, & Strabonem Seruilium commendat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Silio propraet.* 64.

NERO *meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorſus incredibiles; ut nullum honorem ſibi haberi potuiſſe diceret, qui a te praetermiſſus eſſet. magnum fructum ex ipſo capies. nihil eſt enim illo adoleſcente gratius. ſed mehercule mihi quoque gratiſſimum feciſti. pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. itaque, ſi ea feceris, quae ille per me tecum agi uoluit; gratiſſimum mihi feceris. primum de Pauſania Alabandenſi, ſuſtentes rem, dum Nero ueniat. uehementer enim eius cauſſa cupere eum intellexi: itaque hoc ualde te rogo. deinde Niſaeos, quos Nero in primis habet neceſſarios, diligentiſſimeq. tuetur, ac defendit, habeas tibi commendatiſſimos: ut intelligat illa ciuitas, ſibi in Neronis patrocinio ſummum eſſe praeſidium. Strabonem Seruilium tibi ſaepe commendaui: nunc eo facio id impenſius, quod eius cauſſam Nero ſuſcepit. tantum a te petimus, ut agas eam rem, nec relinquas hominem innocentem ad alicuius, tui diſſimilis, quaeſtum. id tum gratum mihi erit: tum etiam exiſtimabo te humanitate tua eſſe uſum. Summa huius epiſtolae haec eſt, ut ornes omnibus rebus Neronem, ſicut inſtituiſti, atque feciſti. magnum theatrum habet iſta prouincia, non ut haec noſtra, adoleſcentis nobilis, ingenioſi, abſtinentis commendationem, atque gloriam. quare ſi te fautore uſus erit, ſicut & utetur profecto, & uſus eſt; ampliſſimas clientelas, acceptas a maioribus, confirmare poterit, & beneficijs ſuis*

*obligare*

*obligare. hoc in genere ſi eum adiuueris eo ſtudio, quo oſtendiſti; apud ipſum praeclariſſime poſueris, ſed mihi etiam gratiſſimum feceris. Vale.*

## EXPLANATIO

NERO *meus*} non uulgarem beneuolentiae ſignificationem habet pronomen Meus. uide ep. 42. Hic eſt Ti. Claudius Nero, cuius uxorem Liuiam Druſillam Auguſtus poſtea praegnantem abduxit. Matrimonium Tulliae, Ciceronis filiae, hoc ipſo tempore uidetur expetiſſe: nec recuſauit Cicero, ſed, quos homines ea de re ad uxorem & filiam miſerat, ij Romam uenerunt factis cum Dolabella ſponſalibus. ep. 6. lib. VI. ad Att. Quaeſtor fuit C. Caeſaris Alexandrino bello: pontifex in locum P. Scipionis ſubſtitutus: Colonias Narbonam, & Arelate duxit: occiſo Caeſare, de praemijs tyrannicidarum referendum cenſuit: praeturam geſsit: Antonios in diſſenſione ciuili ſecutus eſt: poſtremo, pace facta, in urbem reuerſus, uxorem ſuam Liuiam, ante iam Tiberium, qui poſtea imperator fuit, enixam, petenti Auguſto conceſsit: nec multo poſt e uita ceſsit. Suetonius, Velleius, Dio, alij. Nero Sabinum uocabulum eſt, pro, fortis, ac ſtrenuus: ut ait Suetonius. Ex *omni nobilitate*} Nerones Claudij, & Pulchri, patricij; Marcelli uero plebeij. Sed nobilitas non a genere patricio, (multi enim patricij nullos geſſere, aut male geſſere, magiſtratus: itaque nobiles non fuere) ſed a parentum, aut maiorum uirtute ſumitur. unde plebij multi nobiles. ep. 16. P. Craſſum, ex omni nobilitate, adoleſcentem dilexi plurimum. IMPENSIVS,} uehementius. unde Impenſum pretium, pro magnum, dixit & hic noſter ep. 13. lib. XIV. ad Att. & Caeſar lib. IV. bel. Gal. MAGNVM *theatrum*} ut in theatro ſpectantur ea, quae delectant: ſic iſta prouincia ſpectare & noſſe Neronis uirtutes, iiſq. frui poteſt.

### Argumentum ep. 65.

*HIſponem in eo commendat, ut pactiones cum ciuitatibus conficiat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Silio propraet.* 65.

*CVM P. Terentio Hiſpone, qui operas in ſcriptura pro magiſtro dat, mihi ſumma familiaritas, conſuetudoq. eſt. multaque, & magna inter nos officia paria, & mutua intercedunt. eius ſumma exiſtimatio agitur in eo, ut pactiones cum ciuitatibus reliquis conficiat. non me praeterit, nos eam rem Epheſi expertos eſſe, neque ab Epheſijs ullo modo impetrare potuiſſe. ſed quando, quemadmodum omnes exiſtimant, & ego intelligo, tua cum ſumma integritate, tum ſingulari humanitate, & manſuetudine conſuetudine conſecutus es, ut, libentiſsimis Graecis, nutu, quod uelis, conſequare: peto a te maiorem in modum, ut, honoris mei cauſſa, hac laude Hiſponem affici uelis. Praeterea cum ſocijs ſcripturae mihi ſumma neceſſitudo eſt, non ſolum ob eam cauſſam, quod ea ſocietas uniuerſa in mea fide eſt, ſed etiam, quod plerisq. ſocijs utor familiariſſime. ita & Hiſponē meum per me ornaris; & ſocietatē mihi coniunctiorem feceris: tuq. ipſe & ex eius obſeruantia, gratiſſimi hominis, & ex ſociorum gratia, hominum ampliſſimorum, maximum fructum capies; & me ſummo beneficio affeceris. ſic enim uelim exiſtimes, ex tota tua prouincia, omniq. iſto imperio, nihil eſſe, quod mihi gratius facere poſſis. Vale.*

## EXPLANATIO

OPERAS *in ſcriptura pro magiſtro dat*,} negotia publicanorum curat. Eodem ſenſu dixit ep. 9. Eſt in operis ſocietatis. Scriptura uero eſt ratio tota publicanorum, qui uel decumas, uel portoria, uel paſcua redimunt. Sed hic Terentius uidetur non in decumis, aut paſcuis, uerum in portu tantum operas dediſſe. nam ep. 10. lib. XI. ad Att. P. Terentius, meus neceſſarius, operas in portu, & ſcriptura Aſiae pro magiſtro dedit. PACTIONES} pro pecunia publicanis debita. nam inter ſociorum ciuitates & publicanos Romanos controuerſia fere ſemper oriebatur in exactione uectigalium. NOS} cum in prouinciam uenirem. NVTV, *quod uelis, conſequare*:} ep. 22. Nutus tuus poteſt hominem in ciuitate retinere. HISPONEM *meum*} ep. 42. 64.

### Argumentum ep. 66.

*CAecinam in colligendis Aſiaticae negotiationis reliquijs commendat. Caeſare III. Lepido cos.*

*Cicero*

### *Cicero S. D. Seruilio Iſaurico, procos.* 66.

A. Caecinam, *maxime proprium clientem familiae ueſtrae, non commendarem tibi, cum ſcirem qua fide in tuos, qua clementia in calamitoſos ſoleres eſſe; niſi me & patris eius, quo ſum familiariſſime uſus, memoria, & huius fortuna ita moueret, ut homi nis omnibus mecum ſtudijs, officijsq. coniunctiſſimi mouere debeat. A te hoc omni contentione peto, ſic ut maiore cura, maiore animi labore petere non poſſim; ut ad ea, quae tua ſponte ſine cuiuſquam commendatione faceres in hominem tantum, & talem, calamitoſum, aliquem afferant cumulum meae litterae, quo ſtudioſius eum, quibuſcumque rebus poſſis, iuues. quod ſi Romae fuiſſes, etiam ſalutem A. Caecinae eſſemus, ut opinio mea fert, per te conſecuti: de qua tamen magnam ſpem habemus, freti clementia collegae tui. nunc, quando, iuſtitiam tuam ſecutus, tutiſſimum ſibi portum prouinciam iſtam eſſe duxit: etiam atque etiam te rogo, atque oro, ut eum & in reliquijs ueteris negotiationis colligendis iuues, & ceteris rebus tegas, atque tueare. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.*

## EXPLANATIO

P. Servilio *Iſaurico*} cognomen accepit a patre, qui de Iſauris triumphauerat. Procos.} Aſiae. A. caecinam} Liciniae gentis. Plinius lib.xx c.18.ep.5.lib.vi. Patris *eius*,} patrem Caecinae nobiliſsimum, optimumq. uirum uocat ep.6. lib.vi. Hvivs *fortuna*} exſulabat, quia Pompeianas partes ſecutus erat, & Caeſari praeterea, ſcripto libro, maledixerat. ep. 7. lib.vi. Si. Romae *fuiſſes*} in Aſia enim fuit, cum Caeſari de ſalute Caecinae, ideſt de reditu in urbem, ſupplicatum eſt, nec impetratum. Collegae *tui*} Caeſaris, qui ſecundum conſulatum cum Seruilio geſsit. Provinciam *iſtam*} Aſiam. Veteris *negotiationis*} Aſiaticae. uide ep.8. lib.vi.

# Argumentum ep. 67.

### *Commendat Andronem Laodicenſem. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Seruilio.* 67.

Ex *prouincia mea Cilicienſi, cui ſcis τρεῖς διοικήσεις Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiarius uſus, quam Androne, Arthemonis filio, Laodicenſi: eumq. habui in ea ciuitate tum hoſpitem, tum uehementer ad meae uitae rationem, & conſuetudinem accommodatum. quem quidem multo etiam pluris, poſtea quam deceſſi, facere coepi, quod multis rebus expertus ſum gratum hominem, meiq. memorem: itaque eum Romae libentiſſime uidi. non te enim fugit, qui plurimis in iſta prouincia benigne feciſti, quam multi grati reperiantur. Haec propterea ſcripſi, ut me non ſine cauſſa laborare intelligeres, & ut tu ipſe eum dignum hoſpitio tuo iudicares. Feceris igitur mihi gratiſſimum, ſi ei declararis quanti me facias, id eſt, ſi receperis eum in fidem tuam, &, quibuſcumque rebus honeſte, ac ſine moleſtia tua poteris, adiuueris. hoc mihi uehementer erit gratum. idq. ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

Ex. provincia *mea Cilicienſi*,} Cilicienſi, non Cilicia, dixit, quia non Cilicia tantum, ſed Aſiae quoque pars ad eius imperium pertineret. ipſe τρεῖς διοικήσεις Aſiaticas uocat. eae fuere, Laodicea, Cibyra, Apamea; quas Appius quoque rexerat, ut ex epiſtolis lib. iii. licet intelligere. quattuor praeterea διοικήσεις cum ea prouincia tum fuere, Cilicia ipſa, unde tota adminiſtratio nomen accipiebat, Pamphylia, Lycaonia, & Phrygiae maioris pars ultra Maeandrum. qua de re diximus uberius ep.1.lib.v.ad Att. Ad. meae *uitae rationem, & conſuetudinem accommodatum.*} ep.30.lib. 1. Hominem mihi aptum. Qvam *multi*} ideſt, quam pauci. eſt enim dictum cum ironia.

# Argumentum ep 68.

*Significat, quam ſibi gratum fuerit, curſus illius nauigationis cognoſcere. petit, ut de ſtatu prouinciae, inſtitutiſq. ſuis perſcribat. poſtremo ſuum officium ad omnia pollicetur. Eodem anno. ſed hanc epiſtolam ceteris, ad eundem Seruiliū ſcriptis praeponendam eſſe, ex ipſo facile intelligitur argumēto.*

Cice.o

## Cicero S. D. Seruilio Iſaurico, procos. collegae. 68.

*GRATAE mihi uehementer tuae litterae fuerũt; ex quibus cognoui curſus nauigationum tuarum: ſignificabas enim memoriam tuã noſtrae neceſſitudinis; qua mihi nihil poterat eſſe iucundius. Quod reliquum eſt, multo etiam erit gratius, ſi ad me de rep. id eſt de ſtatu prouinciae, de inſtitutis tuis familiariter ſcribes. quae quamquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentiſſime ex tuis litteris cognoſcam. Ego ad te, de reip. ſumma quid ſentiam, non ſaepe ſcribam, propter periculum eiuſmodi litterarũ: quid agatur autem, ſcribam ſaepius: ſperare tamen uideor, Caeſari, collegae noſtro, fore curae, & eſſe, ut habeamus aliquam remp. cuius conſilijs, magni referebat, te intereſſe: ſed, ſi tibi utilius eſt, id eſt glorioſius, Aſiae praeeſſe, & iſtam partem reip. male affectam tueri; mihi quoque idem, quod tibi, & laudi tuae profuturum eſt, optatius debet eſſe. Ego, quae ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, ſummo ſtudio, diligentiaq. curabo: in primisq. tuebor omni obſeruantia clariſſimum uirum, patrem tuum: quod & pro uetuſtate neceſſitudinis, & pro beneficijs ueſtris, & pro dignitate ipſius facere debeo. Vale.*

### EXPLANATIO

COLLEGAE} in auguratu. CAESARI, *collegae noſtro,*} non poteſt eſſe Caeſar, niſi in auguratu, collega Ciceronis. habuit igitur duo ſacerdotia: nam & pontifex maximus erat: quod ex hiſtoria patet. auguratus autem cognoſcitur ex oratione 2. in Antonium, & Dionis lib. XLII. Sic Q. Fabius Maximus, ille cunctator, pontifex & augur fuit. Liuius lib. XXX. Augur in locum eius inauguratus Q. Fabius Maximus, filius eius: in eiuſdem locum pontifex (nam duo ſacerdotia habuit) Ser. Sulpicius Galba. TVEBOR} non, defendam, ſed colam. PATREM *tuum*:} qui cognomen Iſaurici, capta Iſauro, adeptus eſt. perijt extrema ſenectute, eodem anno, quo Caeſar eſt occiſus.

## Argumentum ep. 69.

*PEtit, ut C. Curtium in fidem recipiat, habeatq. in numero ſuorum. Eodem anno.*

## Cicero S. D. Seruilio collegae. 69.

*C. CVRTIVS Mithres eſt ille quidem, ut ſcis, libertus Poſtumij, familiariſſimi mei, ſed me colit, & obſeruat aeque, atque illum ipſum patronum ſuum. apud eum ego ſic Epheſi fui, quotieſcumque fui, tamquam domi meae: multaq. acciderunt, in quibus & beneuolentiam eius erga me experirer, & fidem: itaque, ſi quid aut mihi, aut meorum cuipiam in Aſia opus eſt, ad hunc ſcribere conſueui, huius cum opera, & fide, tum domo, & re uti, tamquam mea. Haec ad te eo pluribus ſcripſi, ut intelligeres, me non uulgariter, nec ambitioſe, ſed ut pro homine intimo, ac mihi perneceſſario, ſcribere. Peto igitur a te, ut in ea controuerſia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio, & in ceteris rebus, quantum fides tua patietur, quãtumq. tuo commodo poteris, tantum ei, honoris mei cauſſa, commodes. etſi, ut eius modeſtiam cognoui, grauis tibi nulla in re erit. ſi & mea commendatione, & ſua probitate, aſſecutus erit, uti de ſe bene exiſtimes: omnia ſe adeptũ arbitrabitur. ut igitur eum recipias in fidem, habeasq. in numero tuorum, te uehementer etiam atque etiam rogo. ego, quae te uelle, quaeq. ad te pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe, diligenterq. curabo. Vale.*

### EXPLANATIO

LIBERTVS *Poſtumij,*} & Poſtumij, & Poſtumi, eſt in ueteribus libris. Si, Poſtumij, legas: non uidebitur Mithres a patrono ſuo nomen accepiſſe, cum uocetur Curtius: itaque fortaſſe rectius, Poſtumi, legetur; quod fuerit C. Curtij cognomen: unde poſtea libertus C. Curtius Poſtumus Mithres dictus ſit. quamquam ſiletur interdum nouum cognomen, & uetus, nomen ponitur, ut hic, C. Curtius Mithres, & ep. 70. T. Ampius Menander. IN ASIA} Epheſus autem, ubi habitabat Mithres, in Ionia eſt, Ionia uero in Aſia. Varro lib. IV. de ling. Lat. Vt Aſia, ſic coelum dicitur duobus modis. nam & Aſia, quae non Europa, in qua eſt Syria; & Aſia dicitur prioris pars Aſiae, in qua eſt Ionia, & prouincia noſtra Cilicia. HAEC *ad te eo pluribus ſcripſi, ut intelligeres, &c.*} Sic ep. 68. cum praepoſuiſſet commendandi cauſſas, intulit: Haec propterea ſcripſi, ut me non ſine cauſſa laborare intelligeres. GRAVIS} in petendo. ep. 76. Numquam me grauem uobis eſſe uoluiſſe.

## Argumentum ep. 70.

*Commendat libertum Balbi Menandrum. Eodem anno.*

Cicero S. D. Seruilio collegae. 70.

*QVIA non eſt obſcura tua in me beneuolentia, ſic fit, ut multi per me tibi uelint commendari. ego autem tribuo non numquam in uulgus, ſed plerumque neceſſarijs, ut hoc tempore. nam cum T. Ampio Balbo mihi ſumma familiaritas, neceſſitudoq. eſt. eius libertum T. Ampium Menandrum, hominem frugi, & modeſtum, & patrono, & nobis uehementer probatum, tibi commendo maiorem in modum. uehementer mihi gratum feceris, ſi, quibuſcumque rebus ſine tua moleſtia poteris, ei commodaris. quod ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

## EXPLANATIO

TRIBVO *non numquam in uulgus,*} alienos etiam interdum commendo. T. AMPIO *Balbo*} ep. 12. lib. VI. FRVGI,} Frugi, & Nequam, opponuntur. eſt autem propria laus in ſeruo, & in liberto: ſed transfertur etiam ad ingenuos: & in rege quoque Deiotaro frugalitatem Cicero laudauit. nam in oratione pro illo habita, Omnes, inquit, ſunt in illo regiae uirtutes, ſed praecipue ſingularis, & admiranda frugalitas.

# Argumentum ep. 71.

T. *Aguſium commendat, ueterem amicum. Eodem anno.*

Cicero S. D. Seruilio collegae. 71.

*MVLTOS tibi commendem, neceſſe eſt; quando omnibus nota noſtra neceſſitudo eſt, tuaq. in me beneuolentia. ſed tametſi omnium cauſſa, quos commendo, uelle debeo: tamen cum omnibus non eadem mihi cauſſa eſt. T. Aguſius & comes meus fuit illo miſerrimo tempore, & omnium itinerum, nauigationum, laborum, periculorum meorum ſocius: neque hoc tempore diſceſſiſſet a me, niſi ego ei permiſiſſem. quare ſic tibi eum commendo, ut unum de meis domeſticis, & maxime neceſſarijs. pergratum mihi feceris, ſi eum ita tractaris, ut intelligat hanc commendationem ſibi magno uſui, atque adiumento fuiſſe. Vale.*

## EXPLANATIO

MVLTOS *tibi commendem, neceſſe eſt;*} ſententia eadem, non ijſdem uerbis, initio ſuperioris epiſtolae. ILLO *miſerrimo tempore,*} exſulij mei.

# Argumentum ep. 72.

*Petit a Seruilio, ut omnibus rebus Caerelliae benigne faciat. Eodem anno.*

Cicero S. D. Seruilio collegae: 72.

*CAERELLIAE, neceſſariae meae, rem, nomina, poſſeſſiones Aſiaticas commendaui tibi praeſens in hortis tuis quam potui diligentiſſime: tuq. mihi, pro tua conſuetudine, proq. tuis in me perpetuis, maximisq. officijs, omnia te facturum liberaliſſime recepiſti. meminiſſe te id ſpero: ſcio enim ſolere: ſed tamen Caerelliae procuratores ſcripſeruut, te, propter magnitudinem prouinciae, multitudinemq. negotiorum, etiam atque etiam eſſe commonefaciendum. Peto igitur, ut memineris, te omnia, quae tua fides pateretur, mihi cumulate recepiſſe. equidem exiſtimo habere te magnam facultatem (ſed hoc tui eſt conſilij, & iudicij) ex eo S. C. quod in heredes C. Vennonij factum eſt, Caerelliae commodandi. id S. C. tu interpretabere pro tua ſapientia. ſcio enim eius ordinis auctoritatem ſemper apud te magni fuiſſe. quod reliquum eſt, ſic uelim exiſtimes, quibuſcumque rebus Caerelliae benigne feceris, mihi te gratiſſimum eſſe facturum. Vale.*

## EXPLANATIO

CAERELLIAE,} haec mulier, philoſophiae dedita, ualde Ciceronem obſeruauit, eiuſq. ſcripta libenter legit. ep. 21. ad Att. lib. XIII. Mirifice Caerellia, ſtudio uidelicet philoſophiae flagrans, deſcribit a tuis: iſtos ipſos de finibus habet. Dio lib. XLVI. Caleni uerba recitat, laſciuiam ac libidinoſam cum Caerellia

rellia conſuetudinem Ciceroni exprobrantis. NOMINA,} pecuniam illi debitam. QVAE *tua fides pateretur,*} qui iuſtitiam, & dignitatem reip. tuetur, fidem ſeruat. INTERPRETABERE} iudicabis, an eam, quam ego arbitror, facultatem habeas ex eo S. C. Caerelliae commodandi.

## Argumentum ep.73.

*GRatulatur Philippo, quod incolumi fama & rep. ſaluus ad urbem reuertiſſet: de Egnatio, & Oppio gratias quodam modo agit: petit, ut Antipatri filios ſibi condonet. Incertus annus: & haec epiſtola uidetur poſt ſequentem fuiſſe collocanda. haec enim ſcripta, reuerſo ad urbem Philippo: illa, prouinciam adminiſtrante.*

### *Cicero S. D. Q. Philippo procos.* 73.

*GRATVLOR tibi, quod ex prouincia ſaluum te ad tuos recepiſti incolumi fama, & rep. quod ſi Romae te uidiſſem, coram gratias egiſſem, quod tibi L. Egnatius, familiariſſimus meus, abſens, L. Oppius praeſens curae fuiſſet. Cum Antipatro Derbete mihi non ſolum hoſpitium, uerum etiam ſumma familiaritas intercedit. ei te uehementer ſuccenſuiſſe audiui, & moleſte tuli. de re nihil poſſum iudicare. niſi illud mihi certe perſuadeo, te talem uirum nihil temere feciſſe. A te autem pro uetere noſtra neceſſitudine etiam atque etiam peto, ut eius filios, qui in tua poteſtate ſunt, mihi potiſſimum condones: niſi quid exiſtimas in ea re uiolari exiſtimationem tuam: quod ego ſi arbitrarer, numquam te rogarem, mihiq. tua fama multo antiquior eſſet, quam illa neceſſitudo eſt. ſed mihi ita perſuadeo, (poteſt fieri, ut fallar) eam rem laudi tibi potius, quam uituperationi, fore. quid fieri poſſit, & quid mea cauſſa facere poſsis, (nam, quid uelis, non dubito) uelim, ſi tibi graue non erit, certiorem me facias. Vale.*

## EXPLANATIO

Q. PHILIPPO} Marciae gentis. opinor eum eſſe, qui belli ciuilis anno primo tribunus pl. fuit Caeſar lib. I. bel. ci. PROCOS.} ſuſpicor hoc uerbum abundare, & additum ab aliquo, qui putauit, cum in ſequentis epiſtolae inſcriptione Proconſul Philippus uocetur, multo magis in hac, quae ordine antecedit, uocari debere: cum peruerſus, ut iam diximus, ordo ſit, & illam, quae ſequitur, huic omnino praeponendam eſſe conſtet. Quo modo enim proconſul appellari poteſt, cum in urbem, depoſito imperio, redierit? in urbe enim potius Philippum eſſe, quam ad urbem, facile credo: cum dicat Cicero: Quod ſi Romae te uidiſſem, coram gratias egiſſem: & quia, qui ad urbem morabantur, triumphum exſpetebant: cuius rei nulla fit mentio in epiſtola: nec uero triumphauit umquam hic Q. Philippus. EX. PROVINCIA} Aſia: in qua negotiabatur L. Oppius, qui nominatur in hac, & commendatur in ſequenti epiſtola. ſupra, ep. 43. L. Oppius Philomeli negotiatur. Philomelum autem quis neſcit in Aſia fuiſſe? praeterea L. Egnatij, qui cum Oppio hic nominatur, Aſiatica negotia nominantur ep. 45. NISI *illud*} Niſi, pro Sed, ut ep. I. Niſi tamen multo minus tibi concedi poteſt, quam illi, laborare ſine cauſſa. FACERE *poſſis,*} quid tibi liceat per exiſtimationem tuam: nam de uoluntate non dubito.

## Argumentum ep.74.

*Oppium praeſentem, & Egnatij abſentis negotia commendat.*

### *Cicero S. D. Philippo procos.* 74.

*ETSI non dubito pro tua in me obſeruantia, proq. noſtra neceſsitudine, quin commendationem meam memoria teneas: tamen etiam atque etiam eundem tibi L. Oppium, familiarem meum, praeſentem, & L. Egnatij, familiariſsimi mei, abſentis, negotia commendo. tanta mihi cum eo neceſsitudo eſt, familiaritasque; ut, ſi mea res eſſet, non magis laborarem. quapropter gratiſsimum mihi feceris, ſi curaris, ut is intelligat me a te tantum amari, quantum ipſe exiſtimo. hoc mihi gratius facere nihil potes. idq. ut facias, te uehementer rogo. Vale.*

## Argumentum ep. 75.

*COmmendat Auianum Flaccum. Cum ſcripta ſit haec epiſtola anno ſequenti poſt frumentariam Pompeij Magni curationem; quod ex ipſa liquet; & Pompeius ei muneri, quinquennium praefuerit; quod Cicero ep. I. lib. IV. ad Att. & Dio lib. XXXIX. teſtantur: apte uidetur in eum annum referri poſſe, quo conſules fuere Pompeius III. & Scipio, aut initio conſulatus Sulpicij, & Marcelli.*

### *Cicero S. D. T. Titio T. F. legato.* 75.

*ETSI non dubito, quin apud te mea commendatio prima ſatis ualeat: tamen obſequor homini familiariſsimo C. Auiano Flacco: cuius cauſſa omnia tum cupio, tum mehercule etiam debeo. de quo & praeſens tecum egi diligenter, cum tu mihi humaniſſime reſpondiſti: & ſcripſi ad te accurate antea. ſed putat intereſſe ſua, me ad te quamſaepiſſime ſcribere. quare uelim mihi ignoſcas, ſi, illius uoluntati obtemperans, minus uidebor meminiſſe conſtantiae tuae. A te idem illud peto, ut de loco, quo deportet frumentum, & de tempore Auiano commodes. quorum utrumque per eundem me obtinuit triennium, dum Pompeius iſti negotio praefuit. ſumma eſt, in quo mihi gratiſſimum facere poſſis, ſi curaris, ut Auianus, quando ſe a me amari putat, me a te amari ſciat. erit id mihi pergratum. Vale.*

### EXPLANATIO

LEGATO} rei frumentariae praepoſito: ut infra cognoſcitur. OBSEQVOR *homini familiariſſimo.*} infra, Illius uoluntati obtemperans. DE. LOCO, *& de tempore,*} utrumque cupiebat Auianus, ut frumentum ſuum in opportunum locum deferre, tantumq. temporis habere poſſet, quantum ad eam rem ſatis eſſe uideretur. DVM *Pompeius iſti negotio praefuit.*} non triennium, ſed quinquennium frumentario negotio praefuit Pompeius. notat igitur Cicero tempus, non quo Pompeius eam curam geſſit, ſed quo beneficium Auiano impetrauit.

---

## Argumentum ep.76.

*PEtit, ut C. Valgius emptam in agro Fregellano poſſeſsionem, liberam, immunemq. habeat. Incertus annus.*

### *Cicero S. D. quattuoruiris, & decurionibus.* 76.

*TANTAE mihi cum Q. Hippio cauſſae neceſſitudinis ſunt, ut nihil poſſit eſſe coniunctius, quam nos inter nos ſumus. quod niſi ita eſſet, uterer mea conſuetudine, ut uobis nulla in re moleſtus eſſem. etenim uos mihi optimi teſtes eſtis, cum mihi perſuaſum eſſet, nihil eſſe, quod a uobis impetrare non poſſem, numquam me tamen grauem uobis eſſe uoluiſſe. uehementer igitur uos etiam atque etiam rogo, ut honoris mei cauſſa liberaliſſime C. Valgium Hippianum tractetis, remq. cum eo conficiatis; ut, quam poſſeſſionem habet in agro Fregellano, a uobis emptam, eam liberam, & immunem habere poſſit. id ſi a uobis impetraro; ſummo me beneficio ueſtro affectum arbitrabor. Valete.*

### EXPLANATIO

QVATTVORVIRIS, *& decurionibus.*} Fregellanis. Fregellae, colonia fuit, deducta, ut oſtendit Velleius, anno urbis 424. quattuoruiri igitur non modo municipijs, uerum colonijs quoque praeerant, item ut conſules Romae: quamquam & duumuiri in pleriſque colonijs, atque adeo in non nullis municipijs fuere. quod lib. 2. de Antiquo Italiae iure Carolus Sigonius egregie docuit. DECVRIONIBVS} uide ep. 18. lib. VI. C. VALGIVM *Hippianum*} Q. Hippij, ſupra nominati, filium naturalem, adoptatum autem a C. Valgio, a quo praenomen, & nomen uetere producto nomine, accepit.

Argu-

## Argumentum ep. 77.

*NArrat officium ſuum in ſupplicatione decernenda; ſeq. numquam ei de futurum pollicetur: commendat M. Bolanum: petit, ut ſibi ſeruum ſuum fugitiuum Dionyſium reſtituendum curet. Caeſare IIII. cos. ſine collega, confecto Hiſpanienſi bello: ex quo reuertit in urbem, ut ait Velleius, menſe Octobri.*

### *Cicero S. D. P. Sulpicio imp.* 77.

*CVM his temporibus non ſane in ſenatum uentitarem; tamen, ut tuas litteras legi, non exiſtimaui me, ſaluo iure noſtrae ueteris amicitiae, multorumq. inter nos officiorum, facere poſſe, ut honori tuo deeſſem: itaque affui, ſupplicationemq. tibi lubēter decreui: nec reliquo tempore ullo aut rei, aut exiſtimationi, aut dignitati tuae deero. atque ut hoc tui neceſſarij ſciant; hoc me animo erga te eſſe, uelim facias eos per litteras certiores; ut, ſi quid tibi opus ſit, ne dubitent mihi iure ſuo denunciare. M. Bolanum, uirum bonum, & fortem, & omnibus rebus ornatum, meumq. ueterem amicum, tibi magnopere commendo. pergratum mihi feceris, ſi curaris, ut is intelligat hanc commendationem ſibi magno adiumento fuiſſe. ipſumq. uirum optimum, gratiſſimumq. cognoſces. promitto tibi, te ex eius amicitia magnam uoluptatem eſſe capturum. Praeterea a te peto maiorem in modum pro noſtra amicitia, & pro tuo perpetuo in me ſtudio, ut in hac re etiam elabores. Dionyſius, ſeruus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractauit, cum multos libros ſurripuiſſet, nec ſe impune laturum putaret, aufugit. is eſt in prouincia tua. eum & M. Bolanus, familiaris meus, & multi alij Naronae uiderunt. ſed cum ſe a me manumiſſum eſſe diceret, crediderunt. hunc tu ſi mihi reſtituendum curaris; non poſſum dicere, quam mihi gratum futurum ſit. res ipſa parua, ſed animi mei dolor magnus eſt. ubi ſit, & quid fieri poſſit, Bolanus te docebit. ego, ſi hominem per te recuperaro, ſummo me a te beneficio affectum arbitrabor. Vale.*

## EXPLANATIO

P. SVLPICIO} Bernardinns Rutilius, qui opiniones quaſdam ſuas in familiares, ut uocant, Ciceronis epiſtolas, me puero, edidit, legendum arbitrabatur, P. Vatinio, adductus in hanc ſententiam ea ratione, quia Cicero de ſeruo ſuo Dionyſio ſcribit in hac epiſtola: de quo item Vatinius ad Ciceronem in duabus, 9. 10. lib. v. & ad eum Cicero ep. XI. ibidem. Senſit idem poſtea Corradus in ſuis ſcholijs. Mihi non ſatis neque Rutilij, neque Corradi ſententia, quam alij poſtea ſecuti ſunt, probatur. nam ut illud omittam, quod haec huius epiſtolae uerba: Saluo iure noſtrae ueteris amicitiae: & quae ſunt infra: Pro tuo perpetuo in me ſtudio: non uidentur in Vatinium conuenire, cuius erga Ciceronem perpetuum certe ſtudium non fuerat, inimicitijs, oratione aduerſus eum notiſsimis, ut hoc, inquam, omittam, quod exigui ponderis nō eſt; ualde me mouet ea ratio, quod poſt ſupplicationem decretam ſcribit Cicero de ſeruo ſuo ad Sulpicium: at Vatinio decreta ſupplicatio uidetur Octobri menſe, ut ex ep. 10. lib. v. non dubiam facere coniecturam licet. Scripſit enim Vatinius Nonis Dec. eam epiſtolam; cum de ſupplicatione decreta iam e Ciceronis litteris cognouiſſet. ante Nouembrem autem alteram eiuſdem epiſtolam acceperat Cicero, datā V. id. Quinct. in qua de fuga ſerui Dionyſij ſe audiuiſſe ſignificauit. quod cum ita ſit; cui ueriſimile uideatur, hanc epiſtolam, Sulpicio inſcriptam, in qua de ſupplicatione decreta fit mentio, ad Vatinium de Dionyſij fuga, multo ante ſupplicationem ei cognita, ut ignota de re miſſam eſſe? Ad hanc rationem accedit altera, ipſa quoque, ut arbitror, non contemnenda. Nam cum Cicero ſupplicationem decretam Sulpicio ſignificat, eodem tempore M. Bolanum commendat. Vatinius autem in epiſtola ſua de ſupplicatione ſibi decreta reſpondens, uerbum de Bolano nullum facit. Conſenſum omitto ueterum librorum, quibus in omnibus perſpicue ſcriptū uideo, ne una quidem littera ueritatem obſcurante, P. Sulpicio. Reſtat illa dubitatio: cum in Vatinij imperio urbs Narona fuerit, ut ex ipſius epiſtolis intelligitur, qui poſsit eadem urbs eſſe in imperio Sulpicij. Placere uideo doctis uiris, id quod ego quoque ſemper exiſtimaui, Vatinij, qui tribunatum e Caeſaris primū conſulis uoluntate geſſerat, & Sulpicij, qui eiuſdem Caeſaris legatus fuerat, in Gallia, communem fuiſſe prouinciam Illyricum; & eo magis, quod ijdem in re quoque maritima, contra Octauium Pompeianum in Illyrico praeclare geſta, collegae fuerant: ut apud Oppium ſcriptum eſt. At Vatinium de Illyrico ſine Sulpicio triumphaſſe, faſti docent: ex quo ſequi uidetur, ut ſolus Illyrico praefuerit. Hoc refellere non difficile eſt. potuit enim toto triennio, quo Vatinius Illyricum adminiſtrauit, ideſt a quarto Caeſaris conſulatu ad Lepidum, & Plancum conſules, aliquid in prouincia Sulpicius aliquid offendere, aut a Caeſare ipſo reuocari, aut poſt obitum Caeſaris ab Octauiano rerum petito: potuit ante Lepidi, & Planci conſulatum interire: fortaſſe etiam hunc honorem Octauianus, cum omnia non iure, non more, ſed ex dominantium libidine gererentur, uni Vatinio gratiae cauſſa largiri uoluit. HIS *temporibus*} amiſſa libertate: ut bono ciui,

no ciui, quae de rep. ſentit, ſine periculo dicere non liceat. EXISTIMATIONI, *aut dignitati*} plus eſt Dignitas, quam Exiſtimatio. nam dignitas honoribus comparatur: exiſtimatio ad priuatae quoque uitae laudem ſpectat. itaque diſtinguuntur in epiſtola quoque ad M. Brutum: Reſpondi id, quod ſentiebam & dignitati, & exiſtimationi tuae maxime conducere. SERVVS *meus,*} anagnoſtes. ep.9.lib. v. MVLTORVM *nummorum*} magni pretij. ita locutus & in Verr. lib.IV. Signum a Socijs pecuniae magnae ſuſtulit. NARONAE *uiderunt.*} hoc Vatinius non audiuit, cum Naronae tamen ſatis diu fuerit, ſed eũ cum Vardaeis eſſe. quod mirari licet. quamquam & fieri poteſt, & ſaepe contingit, ut longinqua ſciamus, quae propinqua neſcimus.

## Argumentum ep. 78.

*Petit, ut Democritum Sicyonium in ſuam fidem recipiat. Caeſare* III. *& Lepido cos.*

### *Cicero S. D. Allieno procos.* 78.

DEMOCRITVS *Sicyonius non ſolum hoſpes meus eſt, ſed etiam, quod non multis contingit, Graecis praeſertim, ualde familiaris. eſt enim in eo ſumma probitas, ſumma uirtus, ſumma in hoſpites liberalitas, & obſeruantia: meq. prae ceteris & colit, & obſeruat, & diligit. eum tu non modo ſuorum ciuium, uerumetiam prope Achaiae principem cognoſces. huic ego tantummodo aditum ad tuam cognitionem patefacio, & munio. cognitum, per te ipſum, quae tua natura eſt, dignum tua amicitia, atque hoſpitio iudicabis. Peto igitur a te, ut, his litteris lectis, recipias eum in tuam fidem, polliceare omnia te facturum mea cauſſa. de reliquo, ſi, id quod confido fore, dignum eum tua amicitia, hoſpitioq. cognoueris; peto, ut eum complectare, diligas, in tuis habeas. erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.*

### EXPLANATIO

ALLIENO *procos.*} Proconſul uocatur, nondum tamen geſto conſulatu. Oppius in libro de bello Africo modo Praetorem, modo proconſulem uocat, utrumque more. ep.17. lib. 2. Praeerat autem Siciliae Allienus: ut idem Oppius oſtendit, & ex epiſtola ſequenti cognoſcitur. Allienus opinor gentis nomen eſſe, ex ijs, quae a deſinentibus in ius excipiuntur, ut a Vibio Vibienus, a Matio Matienus, Sic ab Allio Allienus. Alliam autem gentem in commodo Lampridius nominat. SICYONIVS} a Sicyone, Achaiae urbe. ET. COLIT, *& obſeruat,*} colit, honore: obſeruat, aſsiduitate, & officio. Colimus etiam ea, quae oculis non cernimus, ut Deum; obſeruamus tantum ea, quae ſub oculos cadunt, ut homines. itaque, & Deum, & homines colere, proprie dicitur; obſeruare Deum, non dicitur. MVNIO.} pro Cluentio: Vt ad hoc nefarium facinus accederet, aditum ſibi alijs ſceleribus ante munuit. Munire uiam, proprie dicitur: ad alia multa transfertur. quod Ciceronis exempla declarant. QVAE *tua natura eſt,*} Simile illud ep.5.lib.IV. Qui illius amor in te fuit. Ad quem locum exempla contulimus. COMPLECTARE, *diligas, in tuis habeas.*} nihil otioſum. plus enim eſt, Diligas, quam Complectare: plus, in tuis habeas, quam Diligas. non enim, quos complectimur, ſemper diligimus: neque, quos diligimus, ſemper in noſtris habemus.

## Argumentum ep. ult.

*Caium, & Marcum, Auianos, fratres, commendat. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Allieno procos.* 79.

ET *te ſcire arbitror, quanti fecerim C. Auianum Flaccum: & ego ex ipſo audieram, optimo, & gratiſſimo homine, quam a te liberaliter eſſet tractatus. eius filios, digniſſimos illo patre, meosq. neceſſarios, quos ego unice diligo, commendo tibi ſic, ut maiore ſtudio nullos commendare poſſim. C. Auianus in Sicilia eſt: Marcus eſt nobiſcum. ut illius dignitatem praeſentis ornes, rem utriuſque defendas, te rogo. hoc mihi gratius in iſta prouincia facere nihil potes. idq. ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

### EXPLANATIO

ET. TE *ſcire arbitror,*} ſimile principium ep. 62. & ad Att. ep. 9. lib. I. ep. 7. lib. X. C. AVIANVM *Flaccum*} Auianus Aemiliorum cognomen fuit, ep. 21. Flaccus Valeriorum, fortaſſe igitur

hic ge-

hic gemino cognomine utebatur, quia, cum eſſet Valeriae gentis, adoptione tranſijt in Aemiliam, ita & uetus remanſit, & nouum cognomen acceſsit. Perierat autem, cum haec epiſtola ſcripta eſt. ep. 35. QVANTI *fecerim,*} ſuum familiariſsimum uocat ep. 35. QVAM *a te liberaliter eſſet tractatus.*} uixit igitur Allieno Siciliam obtinente. DIGNITATEM} uel ipſius propriam, uel familiae. Tironem patroni ſui Ciceronis epiſtolas eo, quo paſsim leguntur, ordine collocaſſe, proditum eſt. id ego non libenter credo: libenter enim eum, quem Cicero ipſe & uehementer dilexit, & laudauit ſaepe ut litteratum, ac diligentem, graui negligentiae culpa libero. Feramus illud, atque etiam probemus conſilium, quod eas epiſtolas, quae ad unum ſcriptae ſunt, puta ad Lentulum, Coelium, Appium, alios ue, ſimul omnes uoluerit coniungere, & rationem habere perſonarum potius, quam temporum: cum ſatis conſtet, ſi tempora ſpectentur, interponi debuiſſe multas: ſed peccaſſe eum in ijs ipſis, quas eidem inſcriptas aggregabat, nec uidiſſe ordinem, quem uel adſcripta cuique dies, uel argumentum oſtendebat, magnopere miror. quid, quod in ijs diſponendis, quas ad ipſum ſcripſerat Cicero, item ut in alijs peccauit? quod uitium quia non licet excuſare; libenter, ut dixi, Tirone abſoluto, quemuis alium condemnauerim. quis eſt autem, qui neſciat, cum ad intelligentiam, tum ad memoriae diuturnitatem pertinere plurimum, ſi, quo geſtae, ſcriptae ue ſunt, eodem res ordine cognoſcantur? itaque operaepretium eſſe duxi, has ad Terentiam epiſtolas per annos digerere, ordine ſeruato, quem docti homines ante nos & uiderunt, & rationibus probarunt. Prima eſt, quam ſcripſit in exſulio, anno urbis

DCXCV. Piſone & Gabinio cos. Ego minus ſaepe. pridie Kal. Mai.
Noli putare. In exſulio, III. non. Oct. Et litteris multorum. In exſulio, VI. Kal. Dec.
Accepi. In exſulio, pridie Kal. Dec.
DCCIII. Paullo & Marcello cos. Si tu, & Tullia, lux noſtra. Cum ex prouincia rediret, XV. Kal. Nou.
DCCIV. Lentulo & Marcello cos. Conſiderandum. Cum ortum eſſet ciuile bellum, & orae Campanae Cicero praeeſſet. IX Kal. Febr. Veſtrum iam conſilium eſt. Poſttridie, Minturnis.
Omnes moleſtias. Cum ad Pompeium in Graeciam nauigaturus eſſet. VII id. Iun.
DCCV. Caeſare II, Seruilio cos. Valetudinem tuam. In caſtris Pompeij. IV. non. Iun.
Da operam. In caſtris Pompeij. Nec ſaepe eſt. In caſtris Pompeij. idibus Quinct.
Quod nos. Brundiſij, cum in Italiam Cicero poſt Pharſalicam pugnã ueniſſet. pridie non. Nou.
In maximis. Brundiſij. Ad Ceteras. Brundiſij. Si quid haberem. Brundiſij.
DCCVI Caeſare dictatore iterum, nondũ creatis conſulibus. Etſi eiuſmodi Brundiſij, pridie non. Ian.
Tullia noſtra. Brundiſij, XVII Kal. Quinct.
Conſtitueramus. Brundiſij, XII Kal. Quinct.
Quid fieri placeret. Brundiſij, VII id. Quinct.
Quod ſcripſi. Brundiſij, VI id. Quinct.
Nos neque. Brundiſij, IV id. Quinct.
Redditae. Brundiſij, pridie id. Sext.
Nos quotidie. Brundiſij, Kalendis Sept.
In Tuſculanum. Brundiſij, Kalendis Oct.

# IN . EPISTOLARVM
# M . TVLLII . CICERONIS
## QVAE
## FAMILIARES
## VOCANTVR
## LIBRVM . QVARTVMDECIMVM
### AD . TERENTIAM . VXOREM
# PAVLLI . MANVTII
## COMMENTARIVS

## Argumentum ep.I. lib.XIV.

*PVLSVS e patria, P. Clodij tribuni pl. rogatione iniquiſſima, deflet ſuam ſuorumq. calamitatem, culpam conferens in amicorum conſilia. De reditu in patriam, licet obſtent multa, ſtudio tamen fretus tribunorum pl. Lentuli conſulis, Pompeij, & Caeſaris, non deſperat. Subiungit de familia, de peſtilentia, de Plancij, Macedoniae quaeſtoris, erga ſe officio, de Piſonis, generi ſui, humanitate, uirtute, amore in ſe, ſuosq. omnes. Purgat ſe de Q. fratre. Gratias a ſe per litteras ijs eſſe actas dicit, quibus agendas eſſe Terentia ſcripſerat. Vici uenditionem prorſus improbat. Piſone, & Gabinio cos.*

### *Cicero Terentiae ſuae, Tulliolae ſuae, Ciceroni ſuo. S. D.* 1.

ET. LITTERIS *multorum, & ſermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam uirtutem, & fortitudinem eſſe, teq. nec animi, nec corporis laboribus defatigari. me miſerum, te, iſta uirtute, fide, probitate, humanitate, in tantas aerumnas propter me incidiſſe? Tulliolamq. noſtram, ex quo patre tantas uoluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus? nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum ſapere coepit, acerbiſſimos dolores, miſeriasq. percepit. quae ſi, ut tu ſcribis, fato facta putarem; ferrem paullo facilius: ſed omnia ſunt mea culpa commiſſa; qui ab ijs me amari putabam, qui inuidebant; eos non ſequebar, qui petebant. quod ſi noſtris conſilijs uſi eſſemus; neque apud nos tantum ualuiſſet ſermo aut*

*ſtultorum*

*ſtultorum amicorum, aut improborum: beatiſſimi uiueremus. nunc, quando ſperare nos amici iubent; dabo operam, ne mea ualetudo tuo labori deſit. res quanta ſit, intelligo, quantoq. fuerit facilius manere domi, quam redire. ſed tamen, ſi omnes tribunos pl. habemus, ſi Lentulum tam ſtudioſum, quam uidetur, ſi uero etiam Pompeium, & Caeſarem: non eſt deſperandum. De familia, quo modo placuiſſe amicis ſcribis, faciemus. De loco, nunc quidem iam abijt peſtilentia; ſed, quamdiu fuit, me non attigit. Plancius, homo officioſiſsimus, me cupit eſſe ſecum, & adhuc retinet. ego uolebam loco magis deſerto eſſe in Epiro, quo neque Hiſpo ueniret, nec milites: ſed adhuc Plancius me retinet. ſperat poſſe fieri, ut mecum in Italiam decedat. quem ego diem ſi uidero; & ſi in ueſtrum complexum uenero; ac ſi & uos, & me ipſum recuperaro: ſatis magnum mihi fructum uidebor percepiſſe & ueſtrae pietatis, & meae. Piſonis humanitas, uirtus, amor in omnes nos tantus eſt, ut nihil ſupra poſſit. utinam ea res ei uoluptati ſit: gloriae quidem uideo fore. De Q. fratre nihil ego te accuſaui; ſed uos, cum praeſertim tam pauci ſitis, uolui eſſe quam coniunctiſſimos. Quibus me uoluiſti agere gratias, egi, & me a te certiorem factum eſſe ſcripſi. Quod ad me, mea Terentia, ſcribis, te uicum uenditu ram: quid, obſecro te, (me miſerum) quid futurum eſt? &, ſi nos premet eadem fortuna; quid puero miſero fiet? Non queo reliqua ſcribere; (tanta uis lacrymarum eſt) ne te in eundem fletum adducam. tantum ſcribo: ſi erunt in officio amici, pecunia non deerit: ſi non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. Per fortunas miſeras noſtras, uide, ne puerum perditum perdamus. cui ſi aliquid erit, ne egeat: mediocri uirtute opus eſt, & mediocri fortuna, ut cetera conſequatur. Fac ualeas, & ad me tabellarios mittas; ut ſciam, quid agatur, & uos quid agatis. mihi omnino iam breuis exſpectatio eſt. Tulliolae, & Ciceroni ſalutem dic. Valete. D. ante diem* VI. *Kal. Dec. Dyrrhachij. Dyrrhachium ueni; quod & libera ciuitas eſt, & in me officioſa, & proxima Italiae. ſed, ſi offendet me loci celebritas, alio me conferam, & ad te ſcribam.*

## EXPLANATIO

TERENTIAE} haec quater nupſit, Ciceroni, Salluſtio hiſtorico, Meſſallae Coruino, Vibio Rufo. Dio lib. LVII. & diuus Hieronymus lib. I. aduerſus Iouinianum. Vixit annos CIII. Plinius lib. VII. c. 48. CVM *primum ſapere coepit*,} hoc tempore annum agebat aetatis ſuae Cicero filius octauum. natus enim erat Cotta & Torquato coss. ut ex ep. I. lib. I. ad Atticum licet intelligere. AB *ijs me amari putabam, qui inuidebant*;} carpit Pompeium, Hortenſium, Arrium, & alios; qui auctores ei fuerunt, ut Clodio tribuno pl. cederet, ne ciuilis contentionis cauſſa eſſet. hos deſignat ep. 10. lib. III. ad Att. cum ait: Hic utrum tandem ſum accuſandus, quod doleo, an, quod commiſi, ut haec aut non retinerē; quod facile fuiſſet, niſi intra parietes meos de mea pernicie conſilia inirentur; aut certe uiuus amitterem? Et ibidem, ep. 13. Quod ſcribis, te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi uero mens integra eſt, atque utinā tam in periculo fuiſſet, cum ego ijs, quibus meam ſalutem cariſsimā eſſe arbitrabar, inimiciſsimis, crudeliſsimiſq. ſum uſus: qui ut me paullum inclinari timore uiderunt, ſic impulerunt, ut omni ſuo ſcelere, perfidia abuterentur ad exitium meum. Et ep. 15. ibidem: Quod ſi quiſquam fuiſſet, qui me, Pompeij minus liberali reſponſo perterritum, a turpiſsimo conſilio reuocaret; aut occubuiſſem honeſte, aut uictores hodie uiueremus. Et in eadem, infra: Proditus, inductus, coniectus in fraudem, omnia mea praeſidia neglexi, totam Italiam, in me erectam ad me defendendam, deſtitui, & reliqui. Et ep. 19. ibidem: Si me a meis conſiliarijs proditum, & proiectum uides. Et ep. 3. lib. I. ad Q. fr. Quantum Hortenſio credendum ſit, neſcio: me ſumma ſimulatione amoris, ſummaq. aſsiduitate quotidiana ſceleratiſsime, inſidioſiſsimeq. tractauit, adiuncto quoque Arrio: quorum ego conſilijs, promiſsis, praeceptis deſtitutus in hanc calamitatem incidi. EOS *non ſequebar, qui petebant*.} L. Lucullum praecipue ſignificat, qui ſuaſit, ut armis cum Clodio decertaret potius, quam in exſulium iret. Plutarchus. Vel hoc de Caeſare dixit: a quo delatam legationem accipere noluit. ep. 3. Meum fuit officium, legatione uitare periculum. & ad Att. ep. 18. lib. 2. NOSTRIS *conſilijs*,} ut pugnarem potius, quam e patria diſcederem. DABO *operam, ne mea ualetudo tuo labori deſit*.} dabo operam, ut ualeam: ne tu pro mea ſalute fruſtra laborem ſuſcipas. QVANTO *fuerit facilius, manere domi, quam redire*.} ep. 3. Eijcere nos magnum fuit, excludere facile eſt. OMNES *tribunos pl.*} deſignatos. nondum enim magiſtratum inierant. octo tribuni pl. Ciceroni opem tulerunt, T. Milo, P. Sextius, C. Sextilius, M. Ciſpius, T. Fadius, M. Curtius, C. Meſcinius, Q. Fabricius: qui nominantur in oratione poſt reditum in ſenatu: duo reliqui, partium Clodianarum, Sex. Atilius Serranus, Numerius Quinctius fuere: quos in oratione in Piſonem, de lapide emptos Cicero ait, quia mercede id faciebant, ut Aſconius interpretatur. LENTVLVM} P. Lentulum, conſulem deſignatum: qui poſtea de reditu Ciceronis legem centuriatis comitijs tulit. DE. FAMILIA,} de ſeruis: quos poſtea liberauit, ueritus ne cum ceteris bonis publicarentur. ep. 4. PLANCIVS} Cn. Plancius, quaeſtor in Macedonia: pro quo exſtat oratio. uide & eam poſt reditum in ſenatu habitam. ME *cupit eſſe ſecum, & adhuc retinet*.} ep. 22. lib. III. ad Att. Me adhuc Plancius liberalitate ſua retinet, iam aliquoties conatum ire in Epirum. ſpes homini eſt iniecta, non eadem quae mihi, poſſe nos una decedere. quam rem ſibi magno honori ſperat fore. ſed iam, cum aduentare milites dicentur; faciendum nobis erit, ut ab eo diſcedamus. LOCO *magis deſerto*} ut ignoraretur a militibus. HISPO} centurionis fortaſſe nomen. Hiſponem quendam nominat Quinctilianus lib. VI. cap. de riſu. Hic nonnulli ueteres libri habent, Ipſo: alij, Ipſe: quinque no-

ſtri, Hiſpo. Ex hac uarietate legendum fortaſſe, Piſo, uel potius, Ipſe: ut de eodem accipiatur: cuius nomen omitti potuit, cum Terentiae litteris, L. Piſonem, Ciceronis inimicum, eius anni conſulem, ad Macedoniam regendam propediem iturum ſignificantibus, reſponderet. nominare enim, qui conſul adhuc erat, non audebat. MILITES:} a L. Piſone in Macedoniam praemiſsi, quorum ipſe opera proconſul uteretur. ep. 3. Cum inimici noſtri uenire dicentur, tum in Epirum ibo. PISONIS} C. Calpurnij Piſonis L. F. Frugi, Ciceronis generi: qui perijt ante reditum quam ab exſulio Cicero rediret: ut in duabus poſt reditum orationibus. EI *uoluptati ſit.*} quam uoluptatem capiat me reſtituto. quod non euenit. VOLVI *eſſe quamconiunctiſsimos.*} diſcordiae igitur aliquid inter Q. fratrem, & Terentiam extiterat. AGERE *gratias,*} quod optime ſint erga me animati, operamq. ſuam conferant ad ſalutem meam. VICVM *uendituram:*} ut mihi pecuniam ſuppeditare poſsis. QVID *puero miſero fiet?*} quibus facultatibus, me afflicto, ſuſtentabitur? EFFICERE} id quod effici opus eſt, ut ego in hac miſera fortuna non egeam. PER *fortunas miſeras noſtras,*} uide, quae diximus ep. 16. lib. IIX. NE *puerum perditum perdamus.*} perditum, calamitate noſtra: perdamus, uico uendito, & rei familiaris iactura. ET *mediocri fortuna*} uirtuti fortunam adiungit: ut ep. 3. lib. X. Omnia conſecutus es, uirtute duce, comite fortuna. IAM *breuis exſpectatio eſt.*} fore arbitror, ut breui litteras ueſtras accipiam. LIBERA} ſui iuris: ut in ea Romani exſules tuto eſſe poſſent. IN *me officioſa,*} quia ſemper a me defenſa. ep. 3. & ad Att. ep. 22. lib. III. Ego, quod mei ſtudioſos habeo Dyrrhachinos, ad eos perrexi; cum illa ſuperiora Theſſalonicae ſcripſiſſem. In oratione pro Plancio: Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi. ALIO *me conferam,*} in Epirum ſe contulit. ep. 3. & ep. 22. 23. ad Att. lib. III.

## Argumentum ep. 2.

*Breuitatem ſuarum litterarum excuſat: Piſonis generi officia erga ſe laudat: Terentiae uicem laudat: rogat, ut ſumptus de ſuo ne faciat, & ualetudini ſeruiat. Iisdem cos.*

### *Cicero S. D. Terentiae, & Tulliolae, & Ciceroni, ſuis.* 2.

NOLI *putare me ad quemquam longiores epiſtolas ſcribere, niſi ſi quis ad me plura ſcripſit, cui puto reſcribi oportere. nec enim habeo, quod ſcribam: nec hoc tempore quidquam difficilius facio. ad te uero, & ad noſtram Tulliolam, non queo ſine plurimis lacrumis ſcribere. uos enim uideo eſſe miſerrimas, quas ego beatiſsimas ſemper eſſe uolui: idq. praeſtare debui, &, niſi tam timidi fuiſſemus, praeſtitiſſem. Piſonem noſtrum merito eius amo plurimũ. eũ, ut potui, per litteras cohortatus ſum, gratiasq. egi, ut debui. In nouis tribunis pl. intelligo ſpem te habere. id erit firmũ, ſi Pompeij uoluntas erit. ſed Craſſum tamen metuo. A te quidem omnia fieri fortiſſime, & amantiſſime uideo; nec miror: ſed maereo caſum eiuſmodi, ut tãtis tuis miſerijs meae miſeriae ſubleuẽtur. nã ad me P. Valerius, homo officioſus, ſcripſit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum a Veſtae ad Tabulam Valeriam ducta eſſes. hem mea lux, meum deſiderium, unde omnes opem petere ſolebant, te nunc, mea Terentia, ſic uexari, ſic iacere in lacrumis, & ſordibus, idq. fieri mea culpa, qui ceteros ſeruaui, ut nos periremus? Quod de domo ſcribis, hoc eſt de area: ego uero tum denique mihi uidebor reſtitutus, ſi illa nobis erit reſtituta. uerum haec non ſunt in noſtra manu. illud doleo, quae impenſa facienda eſt, in eius partem te, miſeram, & deſpoliatam, uenire. quod ſi conficitur negotium; omnia conſequemur. ſin eadem nos fortuna premet; etiam ne reliquias tuas miſera proijcias? obſecro te, mea uita, quod ad ſumptum attinet, ſine alios, qui poſſunt, ſi modo uolunt, ſuſtinere: & ualetudinem iſtam infirmam, ſi me amas, noli uexare. nam mihi ante oculos dies noctesq. uerſaris: omnes labores te excipere uideo; timeo, ut ſuſtineas: ſed uideo in te eſſe omnia. quare, ut id, quod ſperas, & quod agis, conſequamur, ſerui ualetudini. Ego, ad quos ſcribam, neſcio, niſi aut ad eos, qui ad me ſcribunt, aut ad eos, de quibus ad me uos aliquid ſcribitis. Longius, quoniam uobis ita placet, non diſcedam: ſed uelim quamſaepiſſime litteras mittatis, praeſertim ſi quid eſt firmius, quod ſperemus. Valete, mea deſideria, ualete. Datum ad* III. *non. Oct. Theſſalonicae.*

## EXPLANATIO

NEC *hoc tempore quidquam difficilius facio.*} abhorret enim a ſcribendo fractus malis, & deiectus maerore animus. PRAESTARE} efficere. NISI *tam timidi fuiſſemus,*} timorem ſuum accuſat, quod e patria diſcedere maluerit, quam armis decertare. PISONEM *noſtrum,*} generum. COHORTATVS *ſum,*} ne intermittat officia ſua. NOVIS} deſignatis. CRASSVM} quem Publius filius cum Cicerone in gratiam reduxit. Plutarchus. FORTISSIME,} ſuperiore epiſtola Terentiae uirtutem, & fortitudinem laudauit, quae nec animi, nec corporis laboribus defatigaretur. MAEREO *caſum eiuſmodi,*} cum accuſandi caſu, ut Tuſc. I. Cum grauiter filij mortem maereret. VT *tantis tuis miſerijs meae miſeriae ſubleuentur.*} non diſsimile illud ep. 21. lib. XVI. Ex meis anguſtijs

ſtijs illius ſuſtento tenuitatem. P. VALERIVS,} de hoc Phil. I. Cum intempeſta nox eſſet; manſiſſemq. in uilla P. Valerij, comitis, & familiaris mei. A VESTAE.} a templo Veſtae. Plautus in Poen. Quo te agis? Ad. ego ne? in Veneris. Terentius in Adel. Vbi ad Dianae Veneris, ito ad dextram. & pro Milone: Cum falcibus ad Caſtoris, cum gladijs toto foro uolitarunt. Graeca figura. AD *tabulam Valeriam*} locus in foro fuit, quo tribuni pl. conuenire ſoliti ſunt: In Vatinium: Cum eum tu conſulem in uincula duceres, & a Tabula Valeria collegae tui mitti iuberent. Fuit etiam Tabula Sextia, quae nominatur in oratione pro Quinctio, his uerbis: Ipſe ſuos neceſſarios ab atrijs Licinijs, & a faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam ſibi adſint hora ſecunda poſttridie. ueniunt frequentes: teſtificatur iſte, P. Quinctium non ſtitiſſe, & ſe ſtitiſſe. tabulae maximae ſignis hominum nobilium conſignantur. diſceditur. Quibus uerbis locum fuiſſe cognoſcitur, ubi ius diceretur. quod ſi ita eſt: de Tabula Valeria idem exiſtimare poſſumus. OPEM *petere*} ut, ea intercedente, patrocinio Ciceronis uterentur. ET *ſordibus*,} ſordes maerorem conſequuntur. affecto enim grauiter animo, nec de munditiae corporis, nec de nitore & elegantia ueſtis laboramus. QVI *ceteros ſeruaui, ut nos periremus?*} cum indignatione dictum. nam, ſi perit is, qui ceteros ſeruauit; quid iniquius? ſeruatos autem a ſe ciues ſuos Catilinae coniurationis tempore, & hic, & alibi uere Cicero gloriatur. DE. AREA:} euerſa enim domo, area ſuperat: quae poſtea reuerſo in patriam Ciceroni reſtituta eſt, & ſuperficies aeſtimata. HAEC} ut reſtituantur nobis ea, quae amiſimus. QVAE *impenſa facienda eſt, in eius partem te, miſeram, & deſpoliatam, uenire.*} ueteres libri, quos quidem ego uiderim, Te, non habent: & uidetur ſubaudiri poſſe. SI *conficitur negotium*;} ſi reſtituor. OMNIA *conſequemur.*} reſarcietur omnis iactura. RELIQVIAS *tuas*} quae tibi facultates reliquae ſunt, amiſsis meis. VALETVDINEM *iſtam infirmam*,} uixit tamen ultra centum annos: ut diximus. TIMEO, *ut ſuſtineas*:} timeo, ne ſuſtinere non poſsis. eodem modo ep. 14. Vereor, ut Dolabella ipſe ſatis uobis prodeſſe poſsit. pro: Vereor, ne non ſatis prodeſſe poſsit. Vide illud. ep. I. lib. 2. Non enim uereor, ne non ſcribendo te expleam. III. NON. OCT.} ergo ſcripta eſt ante ſuperiorem, ſicuti ante hanc ea, quae incipit: Ego minus: ut quartus locus ei tribuatur, cuius initium eſt, Accepi. quod adſcripta dies iudicat.

---

# Argumentum ep. 3.

*SVa culpa factum eſſe dolet, ut & ipſe, & omnes ſui maximas in miſerias inciderint: deinde ad uaria litterarum Terentiae capita reſpondet; ſed ita dolenter, ut ideo a nonnullis, iure fortaſſe, tamquam mollis, reprehendatur. Iiſdem cos.*

## *Tullius S. D. Terentiae, Tulliolae, & Ciceroni, ſuis.* 3.

*ACCEPI ab Ariſtocrito tres epiſtolas, quas ego lacrumis prope deleui. conficior enim maerore, mea Terentia: nec me meae miſeriae magis excruciant, quam tuae, ueſtraeque. ego autem hoc miſerior ſum, quam tu, quae es miſerrima, quod ipſa calamitas communis eſt utriuſque noſtrum, ſed culpa mea propria eſt. meum fuit officium, uel legatione uitare periculum, uel diligentia, & copijs reſiſtere, uel cadere fortiter. hoc miſerius, turpius, indignius nobis nihil fuit. quare cum dolore conficior, tum etiam pudore. pudet enim me uxori meae optimae, ſuauiſſimis liberis uirtutem, & diligentiam non praeſtitiſſe. nam mihi ante oculos dies noctesq. uerſatur ſqualor ueſter, & maeror, & infirmitas ualetudinis tuae: ſpes autem ſalutis pertenuis oſtenditur. inimici ſunt multi, inuidi paene omnes. eijcere nos magnum fuit, excludere facile eſt. ſed tamen, quamdiu uos eritis in ſpe, non deficiam; ne omnia mea culpa cecidiſſe uideantur. Vt tuto ſim, quod laboras: id mihi nunc facillimum eſt, quem etiam inimici uolunt uiuere in tantis miſerijs. ego tamen faciam, quae praecipis. Amicis, quibus uoluiſti, egi gratias: & eas litteras Dexippo dedi: meq. de eorum officio ſcripſi a te certiorem eſſe factam. Tiſonem noſtrum mirifico eſſe ſtudio in nos, & officio, & ego perſpicio, & omnes praedicant. dij faxint, ut tali genero mihi praeſenti tecum ſimul, ac cum liberis noſtris frui liceat. nunc ſpes reliqua eſt in nouis tribunis pl. & in primis quidem diebus: nam, ſi inueterarit, actum eſt. ea re ad te ſtatim Ariſtocritum miſi, ut ad me continuo initia rerum, & rationem totius negotij poſſes ſcribere. etſi Dexippo quoque ita imperaui, ſtatim ut recurreret: & ad fratrem miſi, ut crebro tabellarios mitteret. nam ego eo nomine ſum Dyrrhachij hoc tempore, ut quamcelerrime, quid agatur, audiam, & ſim tuto. ciuitas enim haec ſemper a me defenſa eſt. cum inimici noſtri uenire dicentur, tum in Epirum ibo. Quod ſcribis, te, ſi uelim, ad me uenturam; ego uero, cum ſciam magnam partem iſtius oneris abs te ſuſtineri, te iſtic eſſe uolo. ſi perficitis, quod agitis; me ad uos uenire oportet. ſin autem: ſed nihil eſt opus reliqua ſcribere. ex primis, aut ad ſummum ſecundis litteris tuis conſtituere poterimus, quid nobis faciendum ſit. tu modo ad me uelim omnia diligentiſſime perſcribas. etſi magis iam rem, quam litteras, debeo exſpectare. Cura ut ualeas: & ita tibi perſuadeas, mihi te carius nihil eſſe, nec umquam fuiſſe. Vale mea Terentia: quam ego uidere uideor, itaque debilitor lacrumis. Vale. pridie Kal. Dec. Dyrrhachij.*

## EXPLANATIO

LEGATIONE *uitare periculum,*} nam ſi legationem, a Caeſare, Galliae proconſule, delatam, accepiſſet; Clodij tribuni pl. furorem uitaſſet. diem enim ei dicere, qui reip. cauſſa abeſſet, non licebat. ep. 18. ad Att. lib. 2. A Caeſare ualde liberaliter inuitor in legationem illam, ſibi ut ſim legatus. atque etiam libera legatio uoti cauſſa datur. Sed haec & praeſidij apud furorem Pulchelli non habet ſatis, & a fratris aduentu me ablegat: illa & munitior eſt, & non impedit, quo minus adſim, cum uelim. VIRTVTEM} in reſiſtendo. EIICERE *nos magnum fuit, excludere facile eſt.*} ep. I. Intelligo, quanto facilius fuerit, manere domi, quam redire. FRVI *liceat.*} non licuit. ante reditum Ciceronis obijt. IN. PRIMIS *quidem diebus:*} primus dies tribunatus pl. erit, quarto idus Dec. ut Dionyſius docet. VT *quam celerrime, quid agatur, audiam,*} eſt enim ciuitas Italiae proxima. ep. I. SI. PERFICITIS, *quod agitis;*} ep. 2. Si conficitur negotium. SIN AVTEM: *ſed nihil opus eſt plura ſcribere.*} ἀποσιώπησις: ut Virg. lib. I. Aen. Quos ego: ſed motos praeſtat componere fluctus. MAGIS *iam rem, quam litteras,*} dixit ſupra: Spes reliqua eſt in nouis tribunis pl. & in primis quidem diebus: nam ſi inueterarit, actum eſt.

# Argumentum ep. 4.

*Scripta eſt haec epiſtola non ſolum dolenter, ſed etiam molliter. argumentum eſt multiplex, quia reſpondet ad diuerſa capita litterarum Terentiae. Iiſdem cos.*

### *Tullius S. D. Terentiae, Tulliolae, & Ciceroni, ſuis.* 4.

EGO *minus ſaepe ad uos do litteras, quam poſſum: propterea quod cum omnia mihi tempora ſunt miſera; tum uero, cum aut ſcribo ad uos, aut ueſtras lego, conficior lacrumis ſic, ut ferre non poſſim. quod utinam minus uitae cupidus fuiſſem: certe nihil, aut non multum in uita mali uidiſſemus. quod ſi nos ad aliquam alicuius commodi aliquando recuperandi ſpem fortuna reſeruauit: minus eſt erratum a nobis. ſin haec mala fixa ſunt: ego uero te quamprimum, mea uita, cupio uidere, & in tuo complexu emori: quando neque dij, quos tu caſtiſſime coluiſti, neque homines, quos ego ſeruaui ſemper, nobis gratiam retulerunt. Nos Brundiſij apud M. Laenium Flaccum dies* XIII. *fuimus, uirum optimum, qui periculum fortunarum, & capitis ſui pro mea ſalute neglexit; neque legis improbiſſimae poena deductus eſt, quo minus hoſpitij, & amicitiae ius, officiumq. praeſtaret. huic utinam aliquando gratiam referre poſſimus, habebimus quidem ſemper. Brundiſio profecti ſumus ad* II. *Kal. Maias. per Macedoniam Cyzicum petebamus. o me perditum, o me afflictum: quid nunc rogem te, ut uenias, mulierem aegram, & corpore, & animo confectam? non rogem? ſine te igitur ſim? opinor, ſic agam. ſi eſt ſpes noſtri reditus; eam confirmes, & rem adiuues. ſin, ut ego metuo, tranſactum eſt: quoquo modo potes, ad me fac uenias. unum hoc ſcito: ſi te habebo, non mihi uidebor plane periſſe. Sed quid de Tulliola mea fiet? iam id uos uidete: mihi deeſt conſilium: ſed certe, quoquo modo res ſe habebit, illius miſellae & matrimonio, & famae ſeruiendum eſt. Quid Cicero meus, quid aget? iſte uero ſit in ſinu ſemper, & complexu meo. Non queo iam plura ſcribere: impedit maeror. Tu quid egeris, neſcio, utrum aliquid teneas, an, quod metuo, plane ſis ſpoliata. Piſonem, ut ſcribis, ſpero fore ſemper noſtrum. De familia liberata, nihil eſt, quod te moueat. primum tuis ita promiſſum eſt, te facturam eſſe, ut quiſque eſſet meritus. eſt autem in officio adhuc Orpheus, praeterea magnopere nemo. ceterorum ſeruorum ea cauſſa eſt, ut, ſi res a nobis abeſſet, liberti noſtri eſſent, ſi obtinere potuiſſent; ſin ad nos pertinerent, ſeruirent, praeterquā oppido pauci. Sed haec minora ſunt. Tu quod me hortaris, ut animo ſim magno, & ſpem habeam recuperandae ſalutis: id uelim ſit eiuſmodi, ut recte ſperare poſſimus. nunc miſer quando tuas iam litteras accipiam? quis ad me perferet? quas ego exſpectaſſem Brundiſij, ſi eſſet licitum per nautas, qui tempeſtatem praetermittere noluerunt. Quod reliquum eſt, ſuſtenta te, mea Terentia, ut potes. honeſtiſſime uiximus: floruimus. non uitium noſtrum, ſed uirtus noſtra nos afflixit. peccatum eſt nullum, niſi quod non una animam cum ornamentis amiſimus. ſed, ſi hoc fuit liberis noſtris gratius, nos uiuere; cetera, quamquam ferenda non ſunt, feramus. atque ego, qui te confirmo, ipſe me non poſſum. Clodium Philetaerum, quod ualetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem, remiſi. Salluſtius officio uincet omnes ſpes. Cennius eſt perbeneuolus nobis: quem ſemper ſpero tui fore obſeruantem. Sica dixerat ſe mecū fore, ſed Brundiſio diſceſſit. Cura, quoad potes, ut ualeas: & ſic exiſtimes, uehemētius me tua miſeria, quam mea, commoueri. Mea Terentia, fidiſſima, atque optima uxor, & mea cariſſima Tulliola, & ſpes reliqua noſtra Cicero, ualete. Pridie Kal. Maij, Brundiſio.*

## EXPLANATIO

QVOD *utinam minus uitae cupidus fuiſſem:*} Quod pro Sed: ut ep. 14. lib. IIX. Quod non dubito, quin te quoque haec deliberatio ſit perturbatura. Et Phil. 10. Quod qui ab illo abducit exercitum, & reſpectum pulcherrimum, & praeſidium firmiſsimum adimit reip. Et in Verr. lib. I. Quod uos oblitos, non arbitror, quae multitudo. Se ipſum accuſat qui Clodianis armis ceſſerit. infra: Peccatum eſt nullum, niſi quod non una animam cum ornamentis amiſimus. ep. 2. Niſi tam timidi fuiſſemus, praeſtitiſſem. FIXA *ſunt:*} perpetuo eadem futura. infra: Sin, ut ego metuo, tranſactum eſt. QVOS *ego ſeruaui ſemper,*} ſic unus antiquus liber: omnes reliqui: Quibus ego ſeruiui ſemper. quod magis placet. NOBIS *gratiam retulerunt.*} qui nos immerentes opprimi paſsi ſunt. M. LAENIVM *Flaccum*} uide ep. 63. lib. XIII. & in oratione pro Plancio, & pro Sextio. LEGIS *improbiſſimae*} Clodiae: quae poenam irrogabat ijs, qui Ciceronem tecto recepiſſent intra CD millia paſſuum. ep. 4. ad Att. lib. III. & in oratione pro domo. AD . . V. *Kal. Maias.*} ad II. Kal. Maias, legendum eſſe conſtat ex die extremae epiſtolae adſcripta, & ex ep. 7. ad Att. lib. III. PER *Macedoniam Cyzicum petebamus.*} ep. 6. ad Att. lib. III. Nobis iter eſt in Aſiam, maxime Cyzicum. EAM *confirmes, & rem adiuues.*} ſic ueteres libri, & recte. Confirmare ſpem, dixit Cicero in Diuinatione. TRANSACTVM *eſt:*} actum eſt: ſpes nulla ſupereſt. ſupra: Sin haec mala fixa ſunt. QVID *de Tulliola mea fiet?*} Cum ita ſit in meis omnibus antiquis libris; non uideo, cur mutem. etſi ſcio, Quid Tulliola mea fiet, quod ad Latini ſermonis conſuetudinem attinet, recte legi poſſe: ut ep. I. ad Att. lib. VI. Quid illo fiet, quem reliquero? MATRIMONIO,} diximus, hoc tempore uxorē C. Piſonis Tulliolam fuiſſe. eius doti, & famae, ſe abſente Cicero timebat. CETERORVM *ſeruorum ea cauſſa eſt,*} ueritus Cicero amiſsionem ſeruorum cum tota re, manumiſit eos hac condicione, ut, ſi per legem Clodiam bonis omnibus priuandus eſſet, ij ſuo beneficio liberti eſſent, ſi modo id obtineri poſſet: ſin autem lex ſeruos non adimeret, &, ut ad ueterem dominum pertinerent, concederet; ſeruirent, ut antea, praeterquam paucissimi, quos ob fidem, & diligentiam omnino liberatos uellet. Dixit autem, ceterorum ſeruorum, cum de ſuis loqueretur. nam ex Terentiae ſeruis neminem manumiſerat (neque enim poterat) tantum ijs, eam facturam eſſe, ut quiſque eſſet meritus, promiſerat. Hic locus in omnibus libris impreſsis mendoſe legebatur. nos cum diſtinctione tantum reſtituimus. TEMPESTATEM} facultatem nauigandi. CLODIVM *Philetaerum,*} libertum, qui, cum ſeruiret, Graeco nomine Philetaerus, quaſi amator amicorum, uocabatur. SALLVSTIVS} fortaſſe is, de quo ep. XI. OFFICIO *uincet omnes ſpes.*} mutationem ſententia non requirit, praeſertim confirmata non uno, aut altero, ſed omnibus ueteribus libris. bene ſperauimus, inquit, de Salluſtio: ſed ille officio uincet omnes ſpes. Nouum autem, uel abſurdum uideri non debet, Vincere ſpes, neque quod ad ſententiam, neque quod ad loquendi genus attinet. Eodem modo, ſpem ſummam ciuium uirtute ſuperare, dixit in libro de Amicitia. Spes autem, numero multitudinis, & apud Ciceronem ipſum, & apud alios uſitatum eſt. SICA} cuius in fundo Vibonenſi fuerat. uide ep. 2. & 4. ad Att. lib. III.

---

## Argumentum ep. 5.

*REditum ſuum ex Cilicia prouincia ſignificat: Terentiae diligentiam in ſcribendo laudat: litterarum eius breuitatem excuſat: mandat quae fieri uelit de bonorum Praetianorum auctione. Scripta eſt aliquot annis poſt ſuperiores, L. Paullo, C. Marcello cos.*

### *Tullius S. D. Terentiae ſuae.* 5.

*SI tu, & Tullia, lux noſtra, ualetis; ego, & ſuauiſſimus Cicero ualemus. Pridie id. Oct. Athenas uenimus, cum ſane aduerſis uentis uſi eſſemus, tardeque, & incommode nauigaſſemus. de naue exeuntibus nobis Acaſtus cum litteris praeſto fuit uno & uigeſimo die, ſane ſtrenue. Accepi tuas litteras: quibus intellexi te uereri, ne ſuperiores mihi redditae non eſſent. omnes ſunt redditae; diligentiſſimeq. a te perſcripta ſunt omnia; idq. mihi gratiſſimum fuit. neque ſum admiratus, hanc epiſtola, quam Acaſtus attulit, breuem fuiſſe. iam enim me ipſum expectas, ſiue nos ipſos: qui quidem quamprimum ad uos uenire cupimus. etſi, in quam remp. uenimus, intelligo. cognoui enim ex multorum amicorum litteris, quas attulit Acaſtus, ad arma rem ſpectare: ut mihi, cum uenero, diſſimulare non liceat, quid ſentiam. ſed, quando ſubeunda fortuna eſt, eo citius dabimus operam, ut ueniamus, quo facilius de tota re deliberemus. tu uelim, quod commodo ualetudinis tuae fiat, quam longiſſime poteris, obuiam nobis prodeas. De hereditate Praetiana, quae quidem mihi magno dolori eſt, (ualde enim illum amaui) hoc uelim cures; ſi auctio ante meum aduentum fiet, ut Pomponius, aut, ſi is minus poterit,*

*Camillus*

*Camillus noſtrum negotium curet. nos cum uenerimus, reliqua per nos agemus. ſin tu iam Roma profecta eris; tamen curabis, ut hoc ita fiat. nos, ſi dij adiuuabunt, circiter id. Nou. in Italia ſpera mus fore. Vos, mea ſuauiſſima, & optatiſſima Terentia, & Tulliola, ſi nos amatis, curate ut ualeatis. Athenis, ad* XV. *Kal. Nou.*

## EXPLANATIO

ACASTVS} ſeruus Ciceronis ep. 9. lib. VI. ad Att. In Piraeea cum exiſſem pridie idus Oct. accepi ab Acaſto, ſeruo meo litteras. VNO *& uigeſimo die, ſane ſtrenue.*} Similiter ep. 18. lib. XIV. ad Att. Tuas litteras ueſperi acceperam in Pompeiano, ſane celeriter, tertio abs te die. Ad Att. ep. 5. lib. XVI. Magis commode, quam ſtrenue, nauigaui. SIVE *nos ipſos*} erant enim cum ipſo (filius, frater, fratris filius. AD. ARMA *rem ſpectare:*} propinquum uideri bellum, quod poſtea geſtum eſt inter Caeſarem, & Pompeium. QVANDO *ſubeunda fortuna eſt,*} cum fortunam impendentem uitare non liceat. Fortunam uocat, quia cum offenſionem uel Caeſaris, uel Pompeij non poſsit effugere, aleae ſe committere uidetur in dicenda de rep. ſententia. CAMILLVS} ep. 15. & ep. 20. lib. V.

## Argumentum ep. 6.

*EXcuſationem affert, cur litteras raras mittat. uoluntatem ſuam in aere alieno diſſoluendo ſignificat. adiungit de Terentiae meritis in Tulliolam. Pollicem ſeruum ad ſe ſtatim mitti poſtulat. Scripta uidetur e caſtris Pompeij, cum eſſet in Graecia, Caeſare* II. *& Seruilio cos.*

### *Cicero S. D. Terentiae ſuae.* 6.

NEC *ſaepe eſt, cui litteras demus: nec rem habemus ullam, quam ſcribere uelimus. Ex tuis litteris, quas proxime accepi, cognoui praedium nullum uenire potuiſſe. quare uideatis uelim, quo modo ſatisfiat ei, cui ſcitis me ſatisfieri uelle. Quod noſtra tibi gratias agit; id ego nõ miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere poſſit. Pollicẽ, ſi ad huc non eſt profectus, quam primum fac extrudas. Cura ut ualeas. idibus Quinct.*

## EXPLANATIO

CICERO *S. D. Terentiae ſuae.*} ſic quattuor ueteres libri, quos ſecuti ſumus: unus, Terentiae, & Tulliae: duo, Suis S. D. M. Cicero: quos non probamus: cur enim aut eorum nomen, ad quos ſcribit, aut etiam ſuum Cicero occultaret, non uideo. quaſi uero manus illius a multis agnoſci non poſſet: aut cuius ſeruus eſſet Pollex, qui nominatur in extrema epiſtola, reperire difficile eſſet. praeterea cur inſcribatur, ſuis: cum ad unam Terentiam epiſtola mittatur? quod illa indicant: Ex tuis litteris: &, Noſtra tibi gratias agit: &, Pollicem extrudas. non enim huic ſententiae illud aduerſatur, quod, quaſi plures alloquatur, ait: Videatis, uelim, quo modo ſatisfiat ei, cui ſcitis me ſatisfieri uelle. uult enim Terentiam ea de re cum amicis conſilium capere. NOSTRA} fortaſſe Tulliola. POLLICEM,} ep. 45. ad Att. lib. XIII. Pollex, ut dixerat, mihi Lanuuij praeſto fuit, ſed plane pollex, non index. Placuit hunc locum recitare: ne, Pollucem, ut antea, legendum aliquis putaret.

## Argumentum ep. 7.

*QVae ſibi fuerit moleſtiarum, & ſollicitudinum cauſſa, quo modo liberatus ſit, exponit: ſcribit de ſua ad Pompeium profectionem: hortatur eã, & monet, ut forti animo ſit, bene de rep. ſperet, ualetudinem curet, militum iniuriam uitet, Arpinati fundo utatur. anno primo ciuilis belli, Lentulo & Marcello cos.*

### *Cicero S. D. Terentiae ſuae.* 7.

OMNES *moleſtias, & ſollicitudines, quibus & te miſerrimam habui, id quod mihi moleſtiſſimum eſt, Tulliolamque, quae nobis noſtra uita dulcior eſt, depoſui, & eieci. quid cauſſae autem fuerit poſtridie intellexi,*

*tellexi, quam a uobis diſceſſi. χολὴν ἄκρατον noctu eieci. ſtatim ita ſum leuatus, ut mihi deus aliquis me dicinam feciſſe uideatur. cui quidem tu deo, quemadmodum ſoles, pie, & caste ſatisfacias, id eſt Apollini, & Aeſculapio. Nauim ſpero nos ualde bonam habere. in eam ſimul atque conſcendi, haec ſcripſi. deinde conſcribam ad noſtros familiares multas epiſtolas: quibus te, & Tulliolam noſtram diligentiſſime commendabo. Cohortarer uos, quo animo fortiore eſſetis, niſi uos fortiores cognoſcerem, quam quemquam uirum, & tamen eiuſmodi ſpero negotia eſſe, ut & uos iſtic commodiſſime ſperem eſſe, & me aliquando cum ſimilibus noſtri remp. defenſurum. Tu primum ualetudinem tuam uelim cures: deinde, tibi ſi uidebitur, uillis ijs utare, quae longiſſime aberunt a militibus. fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, ſi annona carior fuerit. Cicero belliſſimus tibi ſalutem plurimam dicit. Etiam atque etiam uale. Datum* VII. *id. Iun.*

## EXPLANATIO

Χολὴν ἄκρατον} bilem miram, ex qua oriebantur moleſtiae, & ſollicitudines. EIECI.} euomui. PIE, *& caſte*} pia mente, caſto corpore. IDEST *Apollini, & Aeſculapio.*} gloſſema hoc eſſe interdum putaui. Apollinem uero, & Aeſculapium ideo nominat, quia praeeſſe illos curandis morbis antiquitas credidit. CICERO} filius. nam & is ad bellum cum patre profectus eſt: eumq. Pompeius alae equitum alteri praefecit. off. lib. 2.

## Argumentum ep. 8.

*Rogat uxorem, ut ualetudinem curet: laudat eius diligentiam: eaq. ut deinceps utatur, mandat. anno ſecundo ciuilis belli, Caeſare* II. *Seruilio cos. ante Pharſalicam pugnam.*

### *Cicero S. D. Terentiae ſuae.* 8.

*Si uales, bene eſt: ego quidem ualeo. Valetudinem tuam uelim cures diligentiſſime. nam mihi & ſcriptum, & nunciatum eſt, te in febrim ſubito incidiſſe. Quod celeriter me feciſti de Caeſaris litteris certiorem; feciſti mihi gratum. item poſthac, ſi quid opus erit, ſi quid acciderit noui, facies ut ſciam. Cura ut ualeas. Vale. Datum* VI. *non. Iun.*

## EXPLANATIO

IV. NON. IVN.} haec dies oſtendit, epiſtolam ſcriptam eſſe altero belli ciuilis anno, cum eſſet in caſtris Pompeij. nam haec omnino poſt ſuperiorem uidetur ſcripta. quod ſi ita eſt: certe anno ſequenti. alioqui dies utrique adſcripta priorem hanc eſſe indicaret. prior autem non eſt, quia, poſtea quam a Terentia diſceſsit, ſtatim de uomitione ſua ſignificauit VII. id. Iun.

## Argumentum ep. 9.

*Dolorem ſuum, ex Dolabellae generi, Tulliaeq. ualetudine ſuſceptũ, ſignificat. Eodem anno, poſt Pharſalicam pugnam, cum in Italiã rediſſet.*

### *Cicero S. D. Terentiae ſuae.* 9.

*Ad ceteras meas miſerias acceſſit dolor e Dolabellae ualetudine, & Tulliae. omnino de omnibus rebus nec quid conſilij capiam, nec quid faciam, ſcio. Tu uelim tuam, & Tulliae ualetudinẽ cures. Vale.*

## EXPLANATIO

TVLLIAE} ep. 6. ad Att. lib. XI. Tulliae meae morbus, & imbecillitas corporis me exanimat.

Argu-

## Argumentum ep. 10.

*MAndat, ut cum Attico loquatur, litterasq. mittat. tertio belli ciuilis anno, Caeſare dictatore* II. *nondum creatis conſulibus, qui extremo anno, ut ait Dio, facti ſunt, Q. Fuſius Calenus, P. Vatinius.*

### *Cicero S. D. Terentiae ſuae.* 10.

*QVID fieri placeret, ſcripſi ad Pomponium, ſerius, quam oportuit. cum eo ſi locuta eris, intelliges, quid fieri uelim. apertius ſcribi, quando ad illum ſcripſeram, neceſſe non fuit. de ea re, & de ceteris rebus quamprimum uelim nobis litteras mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale.* VII. *id. Quinct.*

---

## Argumentum ep. 11.

*TVlliam ad ſe ueniſſe dicit: ſibi autem in animo eſſe, Ciceronem filium ad Caeſarem mittere. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Terentiae ſuae.* II.

*SI uales, bene eſt: ego ualeo. Tullia noſtra uenit ad me prid. id. Iun. cuius ſumma uirtute. & ſingulari humanitate, grauiore etiam ſum dolore affectus, noſtra factum eſſe negligentia, ut longe alia in fortuna eſſet, atque eius pietas, ac dignitas poſtulabat. Nobis erat in animo, Ciceronem ad Caeſarem mittere, & cum eo Cn. Salluſtium. ſi profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale.* XVII. *Kal. Quinct.*

## EXPLANATIO

VENIT *ad me*} Brundiſium. uide ep. 17. ad Att. lib. XI. Plutarchus ait, praeter alias cauſſas, quibus adductus Cicero diuortium cum Terentia fecit, hanc maxime fuiſſe, quod nec ipſa ad eum Brundiſium iuerit, & euntem Tulliolam tenui uiatico inſtruxerit. NEGLIGENTIA} curare enim diligenter debui, ut meliore fortuna talis filia uteretur. ep. 17. ad Att. lib. XI. Incredibili ſum dolore affectus tale ingenium in tam miſera fortuna uerſari, idq. nullo ipſius delicto, ſumma culpa mea. PIETAS} erga patrem: ad quem longo itinere profecta eſt, ut animi dolore perturbatum aſpectu & ſermone ſuo conſolaretur. Pietas quam late pateat, diximus ep. 1. lib. 1. DIGNITAS} Dignitas eſt in feminis ob claritatem uirorum; ut cum uxores, aut filiae, aut ſorores conſulum, aut conſularium ſunt. ep. 14. ad Att. lib. VII. De mulieribus noſtris, quaeſo uideas, ut ſatis honeſtum nobis ſit, eas Romae eſſe; cum ceterae ulla dignitate diſceſſerint. CICERONEM *ad Caeſarem mittere,*} qui peteret, ut ei, quod Pompeium in bello ſecutus eſſet, ignoſceret. ep. 17. 18. ad Att. lib. XI. Ego cum Salluſtio Ciceronem ad Caeſarem mittere cogitabam. Tulliam autem, non uidebam eſſe cauſſam, cur diutius tanto in communi maerore retinerem. XVII. *Kal. Quinct.*} ſcripta igitur eſt ante ſuperiorem.

---

## Argumentum ep. 12.

*MEtuere ſe ait, ne in Italiam, uicto in Pharſalia Pompeio, temere uenerit. monet uxorem, ne ad ipſum eat. anno ſecundo belli ctuilis, Caeſare* II. *& Seruilio cos.*

### *Cicero S. D. Terentiae ſuae.* 12.

*QVOD nos in Italiam ſaluos ueniſſe gaudes; perpetuo gaudeas uelim: ſed perturbati dolore animi, magnisq. iniurijs, metuo, ne id cōſilij ceperimus, quod non facile explicare poſſimus. quare, quantum potes, adiuua.*

*adiuua. quid autem poſsis, mihi in mentem non uenit. In uiam quod te des hoc tempore, nihil eſt. & longum eſt iter, & non tutum: & non uideo quid prodeſſe poſsis ſi ueneris. Vale Datum pridie non. Nou. Brundiſio.*

## EXPLANATIO

PERTVRBATI *dolore animi, magisq. iniur ijs,*} ep. 6. ad Att. lib. XI. ſuam in Italiam nimis celerem profectionem excuſat his uerbis: Quae me cauſſae mouerint, quam acerbae, quam graues, quam nouae, coegerintq. impetu magis quodam animi uti, quam cogitatione, non poſſum ad te ſine maximo dolore ſcribere. Iniurias, quas hic ſignificet, non intelligo: niſi ſi, quod ei filius Pompeij Magni, quia uicti exercitus dux eſſe recuſaret, mortem minitatus eſt, ut ait Plutarchus. Vel iniurias uocat fratris, eiuſq. filij in ſe maleuolentiam (ep. 5. ad Att. lib. XI.) Vel interpretatur, iniuria ſe affectum ab ijs, quorum conſilio in Italiam uenerit, detruſus de ſua ſententia: ut ep. 16. QVOD *non facile explicare poſſimus.*} quod exitum non habeat, quod e ſententia non ſuccedat. ep. 1. ad Att. lib. XIV. Nihil perditius: explicari rem non poſſe. etenim ſi ille tali ingenio exitum non reperiebat, quis nunc reperiet? ADIVVA.} ut mihi Caeſar ignoſcat, quod & aduerſus eum arma ceperim, & eiuſdem in iuſſu in Italiam uenerim. ep. 6. ad Att. lib. XI. In opido mallem reſediſſe, quoad accerſerer.

---

## Argumentum ep. 13.

*PErmittit uxori, ut de nuncio remittendo conſilium capiat ex tempore. anno tertio ciuilis belli, Caeſare dictatore iterum, nondū creatis conſulibus.*

### *Cicero S. D. Terentiae ſuae.* 13.

*QVOD ſcripſi ad te proximis litteris de nuncio remittendo; quae ſit iſtius uis hoc tempore, & quae concitatio multitudinis, ignoro. ſi metuendus iratus eſt, quies tamen ab illo fortaſſe naſcetur. totum iudicabis quale ſit; &, quod in miſerrimis rebus minime miſerū putabis, id facies. Vale. VI. id. Quinct.*

## EXPLANATIO

DE. NVNCIO *remittendo;*} ut doti Terentiae caueretur, conuenerat inter eos de nuncio remittendo, ideſt de diuortio faciendo: quod tamen poſtea reuera factum eſt: quia res domeſticas Cicero nihilo meliores, quam publicas, poſt bellum Pharſalicum ad urbem reuerſus offendit. ep. 14. lib. IV. & ad Att. ep. 23. lib. XI. Placet mihi, & idem tibi, nuncium remitti. ISTIVS} Caeſaris ex Aegypto redeuntis. VIS} impetus. non enim de Caeſaris potentia loquitur, quam ſummam eſſe non ignorabat, uicto Pompeio Magno, urbe & in Italia in illius poteſtatem redacta. ep. 18. Si qua uis, & ſi quae rapinae fieri coeperint. & ad Att. ep. XI. lib. VII. Te puto iam uidere, quae ſit ὁρμὴ Caeſaris, qui populus, qui totius negotij ſtatus. MVLTITVDINIS} urbanae. SI *metuendus iratus eſt; quies tamen ab illo fortaſſe naſcetur.*} proponit quod obijci poteſt: & idem confutat. Si quis dixerit, metuendum eſſe Caeſarem iratum: non negabo: ueruntamen quies ab illo fortaſſe naſcetur. poſita enim ſunt omnia in illius uoluntate. idem & exitium, & otium afferre poteſt. quare timenda pernicies, nec tamen deſperanda ſalus. Equidem ualde miror, obſcuram quibuſdam hanc ſententiam, & mendoſum locum uideri. nam quod pro, Quies, eſt in uno uetere libro, Quieſces: id me quidem parum mouet. habeo enim ſex antiquos libros, in quibus nulla uarietate, Quies, legitur: & ſententia patet: itaque mutationem ſine cauſſa non quaero. TOTVM} hoc totum, quod ego diſputo, iudicabis. MINIME *miſerum*} diuortium ſibi non diſplicere ſignificat: ſed id non ſatis aperte: non Terentiam non amare uideatur, & ideo diuortium ſuadere.

---

## Argumentum ep. 14.

*INitio belli ciuilis, cum Caeſar amnem Rubiconem tranſiſſet, eiusq. aduentus metueretur, Pompeius & conſules urbem reliquerunt. cum hic eſſet rerum ſtatus, Cicero de uxore & filia ſollicitus, monet eas, ut cum amicis conſiderent, utrum Caeſaris aduentum in urbe exſpectent, aut ante diſcedant.*

*ſcedant. Addit de Labieno ad Pompeij partes adiuncto, de Piſone a Caeſaris generi ſui cauſſa diſsidente. Anno primo ciuilis belli, Lentulo & Marcello cos.*

## *Tullius S. D. Terentiae, & pater Tulliolae, duabus animis ſuis; & Cicero matri optimae, ſuauiſsimae ſorori.* 14.

*SI uos ualetis, nos ualemus. Veſtrum iam conſilium eſt, non ſolum meum, quid ſit nobis faciendum. ſi ille Romam modeſte uenturus eſt: recte in praeſentia domi eſſe poteſtis. ſin homo amens diripiendam urbem daturus eſt: uereor, ut Dolabella ipſe ſatis uobis prodeſſe poßit. etiam illud metuo, ne iam intercludamini, ut, cum uelitis, exire non liceat. Reliquum eſt, quod ipſae optime conſiderabitis, ueſtri ſimiles feminae ſint ne Romae. ſi enim non ſunt; uidendum eſt, ut honeſte uos eſſe poſſitis. quo modo quidem nunc ſe res habet; modo ut haec nobis loca tenere liceat, belliſſime uel mecum, uel in noſtris praedijs eſſe poteritis. Etiam illud uerendum eſt, ne breui tempore fames in urbe ſit. His de rebus uelim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus uobis uidebitur, conſideretis: ad ſummam, animo forti ſitis. Labienus rem meliorem fecit. adiuuat etiam Piſo, quod ab urbe diſcedit, & ſceleris condemnat generum ſuum. Vos, meae cariſſimae animae, quamſaepiſſime ad me ſcribite & uos quid agatis, & quid iſtic agatur. Quinctus pater, & filius, & Rufus uobis ſalutem dicunt. Valete* XII. *Kal. Quinct.* Minturnis.

## EXPLANATIO

VESTRVM *iam conſilium eſt, non ſolum meum,* } ep. 18. VEREOR, VT } pro, uereor ne non. uide quae diximus ep. 1. lib. 2. DOLABELLA *ipſe* } gener Ciceronis, qui cum Caeſare erat. VESTRI *ſimiles* } iſto loco, dixit ep. 18. & ep. 14. ad Att. lib. VII. VIDENDVM. EST, } dubitandi cum habet quaſi dicat. Vereor, ne non poſsitis. ut ep. Q. Ciceronis, lib. XVI. Vide, ut probare poſsit, te non peccaſſe. ideſt: uereor, ne non poſsit. Alij utrumque locum ſine cauſſa mutant. QVO *modo quidem nunc ſe res habet;* } ut ſe nunc res habet: pro ſtatu rerum praeſenti. ep. 2. lib. 2. ad Q. fr. Quo modo ſe res habet, non eſt facillima. ad Att. ep. 2. lib. XIII. Quo modo nunc eſt, pedem ubi ponat in ſuo, non habet. lib. 2. de Orat. Quo modo nunc ſe iſtorum artes habent, pertimeſcenda eſt multitudo cauſſarum. HAEC *loca* } oram Campanam, & maritimam. ep. 10. lib. XVI. Italiae regiones deſcriptae ſunt, quam quiſque partem tueretur. nos Capuam ſumpſimus. & ep. XI. eiuſdem libri: Ego adhuc orae maritimae praeſum a Formijs. & ep. XI. ad Att. lib. VII. TENERE *liceat,* } metuebat, ea ne loca Caeſar occuparet. BELLISSIME *uel mecum, uel in noſtris praedijs eſſe poteritis.* } cupiebat omnino ſecum eas eſſe; etſi uideatur earum conſilio permittere. nam ep. 14. ad Att. lib. XIV. Velim, inquit, eas cohortere, ut exeant; praeſertim cum ea praeſidia in ora maritima habeamus, ut in his pro re nata non incommode poſsint eſſe. Iuere poſtea ad Ciceronem Formias. ep. 17. ad Att. lib. VII. ETIAM *illud uerendum eſt, ne breui tempore fames in urbe ſit.* } impedita re frumentaria, ut in bellis. Quinque cauſſas colligit Cicero, quibus mulieres ſuas, ut exeant, impellat: etſi, quid ipſe uelit, plane non aperit. Prima eſt illa: ſin homo amens diripiendam urbem daturus eſt: uereor, ut Dolabella ipſe ſatis uobis prodeſſe poſsit. Altera: Etiam illud metuo, ne iam intercludamini, ut, cum uelitis, exire non liceat. Tertia: Reliquum eſt, quod ipſae optime conſiderabitis, ueſtri ſimiles feminae ſint ne Romae. Similes autem earum feminas, ac minore etiam dignitate, diſceſsiſſe non ignorabat. itaque ep. 18. Illud, inquit, me mouet, quod uideo omnes bonos abeſſe Roma, & eos mulieres ſuas ſecum habere. & ad Att. ep. 14. lib. VII. De mulieribus noſtris, quaeſo, uideas, ut ſatis honeſtum nobis ſit, eas Romae eſſe; cum ceterae ulla dignitate diſceſſerint. Quarta: Belliſsime uel mecum, uel in noſtris praedijs eſſe poteritis. Poſtrema: Verendum eſt, ne breui tempore fames in urbe ſit. CAMILLO } poſt Atticum amiciſsimo Ciceronis. ut ep. 5. & ep. 20. lib. V. LABIENVS } T. Atius Labienus, qui multos annos Caeſaris legatus in Gallia fuerat, egregiamq. in re militari uirtutem oſtenderat, orto ciuili bello ad Pompeij partes tranſijt. ep. XI. lib. XVI. Maximam plagam accepit, quod is, qui ſummam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus ſocius ſceleris eſſe noluit, reliquit illum, & nobiſcum eſt. Et ep. 13. ad Att. lib. VII. Labienum ἥρωα iudico facinus iamdiu nullum ciuile praeclarius. PISO } L. Calpurnius Piſo, in quem extat oratio. ep. 13. ad Att. lib. VII. Amo etiam Piſonem: cuius iudicium de genero ſuſpicor uiſum iri graue. AB. VRBE *diſcedit,* } non contulit ſe ad Pompeium, ſed ab urbe diſceſsit: in quo non probare Caeſaris, generi ſui, conſilia uiſus eſt. nam ſi probaret, eum in urbe exſpectaret. RVFVS } fortaſſe M. Coelius Rufus: quem ad Ciceronem in Cumanum ueniſſe, conſtat ex ep. 16. lib. 2. Vel, ſi hoc non probatur, dictum putemus de Meſcinio Rufo, qui Ciceronis quaeſtor in prouincia fuerat. ep. 19. 20. lib. V. IIX. *Kal. Quinct.* } recte Sigonius coniecit, legendum eſſe, IIX. Kal. Febr. quod ex ep. 18. & ex XI. lib. XVI. colligitur. Praeterea, cum ad Atticum ſcriberet, L. Caeſarem, inquit, uidi Minturnis, IIX. Kal. Febr.

## Argumentum ep. 15.

*Conſilij ſui mittendo ad Caeſarem Cicerone filio mutationem ſignificat. anno tertio ciuilis belli, Caeſare dictatore iterum, nondum creatis conſulibus.*

### *Tullius S. D. Terentiae ſuae.* 15.

*Si uales, bene eſt: ego ualeo. Conſtitueramus, ut ad te antea ſcripſeram, obuiam Ciceronem Caeſari mittere: ſed mutauimus conſilium, quia de illius aduentu nihil audiebamus. De ceteris rebus, etſi nihil erat noui, tamen, quid uelimus, & quid hoc tempore putemus opus eſſe, ex Sica poteris cognoſcere. Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale.* XII. *Kal. Quinct.*

### EXPLANATIO

Vt. ad *te antea ſcripſeram,*} ep. XI. Caesari} ex Aegypto ad urbem redeunti. Mvtavimvs *conſilium,*} ep. 18. ad Att. lib. XI. De illius ab Alexandria diſceſſu, nihil adhuc rumoris, contraq. opinio, ualde eſſe impeditum: itaque nec mitto, ut conſtitueram, Ciceronem: &c. Miſit autem Cicero Philotimum ad Caeſarem: ut ex ep. 23. intelligitur, & ad Att. ep. 19. 24. lib. XI. Qvid *uelimus,*} uolebat, diutius Brundiſij non eſſe. ep. ad Att. ſupradicta, quae eſt eodem, quo haec, die ſcripta: Te rogo ut me hinc expedias. quoduis enim ſupplicium leuius eſt hac permanſione. Sica} ep. 4. Tvlliam *adhuc mecum teneo.*} Tullia Brundiſium ad eum uenerat XVII. Kal. Quinct. ideſt ante quattuor dies, quam hae litterae ſcriptae ſunt. ep. XI.

---

## Argumentum ep. 16.

*De litteris, de Volumnia, de ſuo dolore. anno tertio ciuilis belli, Caeſare dictatore iterum, ſine conſulibus.*

### *Tullius S. D. Terentiae ſuae.* 16.

*Si uales, bene eſt: ego ualeo: Etſi eiuſmodi tempora noſtra ſunt, ut nihil habeam, quod aut a te litterarum exſpectem, aut ipſe ad te ſcribam: tamen neſcio quo modo & ipſe ueſtras litteras exſpecto, & ſcribo ad uos, cum habeo, qui ferat. Volumnia debuit in te officioſior eſſe, quam fuit; & id ipſum, quod fecit, potuit diligentius facere, & cautius. quamquam alia ſunt, quae magis curemus, magiſq. doleamus: quae me ita conficiunt, ut ij uoluerunt, qui me de mea ſententia detruſerunt. Cura ut ualeas. pridie non. Ian.*

### EXPLANATIO

Eivsmodi *tempora noſtra ſunt,*} Brundiſij iacebat in maerore. nam & Pompeianos offenderat, & uictorē Caeſarē timebat. temere enim, quod ipſe ep. 8. ad Att. lib. XI. fatetur, nō accerſitus a Caeſare in Italiam uenerat. nam neque palam cum lictoribus ad urbem audebat accedere, ne quis impetus Caeſarianorum militum fieret: & lictores, ante bellum ciuile ſibi a populo datos, omnino dimittere nolebat. in hoc ſtatu, nec habebat quod ſcriberet, nec a Terentia cur litteras exſpectaret. Volvmnia} quae ſe parum officioſe in Terentiam geſſerat. Et. cavtivs.} nec debuit Volumnia facere, quod fecit: & id ipſum, quod fecit, facere diligentius, & cautius: quo minus exiſtimationi tuae noceret. Fortaſſe ob debitam ſibi pecuniam Volumnia Terentiam appellauerat. Eguiſſe autem hoc tempore Terentiam, illud oſtendit ep. 7. lib. XI. ad Att. Alterum eſt, cur te nolim diſcedere, quod ſcribis Terentiam flagitare. Et ibidem, ep. 16. Tempora monent, ut uideat, ut ſatisfaciat quibus debeat. Et ibidem ep. 23. Te oro, ut de hac miſera cogites, & illud, de quo ad te proxime ſcripſi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulſandam. Alia *ſunt, quae magis curemus,*} ſuam uicem dolet, quod Brundiſij iaceat. Vt *ij uoluerunt,*} tacite Dolabellam accuſat, cuius conſilio in Italiam uenerit. ep. 7. ad Att. lib. XI. Miſi ad Antonium L. Lamiam, qui demonſtraret, Caeſarem Dolabellae dixiſſe, ut ad me ſcriberet, ut in Italiam quamprimum uenirem: eius me litteris ueniſſe. Hoc etiam queritur ep. 12. Perturbati, inquit, dolore animi, magniſq. iniurijs, metuo, ne id conſilij ceperimus, quod non facile explicare poſsimus.

---

## Argumentum ep. 17.

MAteriam ſcribendi ſibi deeſſe dicit: ſuum dolorem ex Leptae & Trebatij ſermone poſſe cognoſci. Terentiam curare & ſuam, & Tulliae ualetudinem iubet. Scripta uidetur ante ſuperiorem, Decembri menſe, cum Cicero Brundiſii eſſet. nam quod hic de Lepta. & Trebatio ſcribitur, idem ep. 8. ad Att. lib. XI. Quantis curis afficiar, cognoſces ex Lepta, & Trebatio.

### Tullius S. D. Terentiae ſuae. 17.

SI quid haberem, quod ad te ſcriberem; facerem id & pluribus uerbis, & ſaepius. nunc quae ſunt negotia, uides. ego autem quo modo ſim affectus, ex Lepta, & Trebatio poteris cognoſcere. fac ut tuam, & Tulliae ualetudinem cures. Vale.

---

## Argumentum ep. 18.

VXoris & filiae conſilio permittit, quid faciant, Romae ne ſint in aduentu Caeſaris, an cum ipſo in aliquo tuto loco. anno primo ciuilis belli, Lentullo & Marcello cos.

### Tullius S. D. Terentiae, & pater ſuauiſſimae filiae; Cicero matri, & ſorori. 18.

COnsiderandvm uobis etiam atque etiam, animae meae, diligenter puto, quid faciatis, Romae ne ſitis, an mecum in aliquo tuto loco. id non ſolum meum conſilium eſt, ſed etiam ueſtrum. mihi ueniunt in mentem haec; Romae uos eſſe tuto poſſe per Dolabellam, eamq. rem poſſe nobis adiumento eſſe, ſi qua uis, aut ſi quae rapinae fieri coeperint. ſed rurſus illud me mouet, quod uideo omnes bonos abeſſe Roma, & eos mulieres ſuas ſecum habere. haec autem regio, in qua ego ſum, noſtrorum eſt tum opidorum, tum etiam praediorum: ut & multum eſſe mecum, &, cum abieritis, commode etiam in noſtris praedijs eſſe poſſitis. mihi plane non ſatis conſtat adhuc, utrum ſit melius. uos uidete, quid aliae faciant iſto loco feminae, & ne, cum uelitis, exire liceat: id uelim diligenter etiã atque etiam uobiſcum, & cum amicis, conſideretis. Domus ut propugnacula, & praeſidium habeat, Philotimo dicetis. Et uelim tabellarios inſtituatis certos, ut quotidie aliquas a uobis litteras accipiam. Maxime autẽ date operam, ut ualeatis, ſi nos uultis ualere. IIX. Kal. Febr. Formijs.

### EXPLANATIO

HAec *autem regio,*} Campana, & maritima ora, cui praeerat. ep. 14. lib. XVI. ep. XI. Nostrorvm *opidorum,*} Opida ſua uocat, quibus praepoſitus erat. Esse *mecum,*} in opidis noſtris. Isto *loco*} iſta dignitate, ueſtri ſimiles. ep. 14. & ad Att. ep. 14. lib. VII. & pro Cluentio: Pro loco, pro antiquitate generis. Terentius etiam in Eun. Conueni quendam mei loci, atque ordinis. Locus enim ad ſtatum, & condicionem refertur, ſiue ſit obſcurior, ſiue clarior. Philotimo} Terentio liberto. ep. 2. lib. IV. IX. Kal. Formiis.} pridie quam illas alteras litteras dedit, quarum initiũ eſt: Veſtrum iam conſiliũ.

---

## Argumentum ep. 19.

DOlorem ſuum ex filiae ualetudine, & difficultatem propius accedendi ſignificat. Secundo belli ciuilis anno, Caeſare II. Seruilio cos. poſt Pharſalicam pugnam, Brundiſii.

Tullius

### *Tullius S. D. Terentiae ſuae.* 19.

*IN maximis meis doloribus excruciat me ualetudo Tulliae noſtrae. de qua nihil eſt, quod ad te plura ſcribam. tibi enim aequae magnae curae eſſe certo ſcio. Quod me propius uultis accedere. uideo ita eſſe faciendum: etiam ante feciſſem: ſed me multa impedierunt, quae ne nunc quidem expedita ſunt. a Pomponio exſpecto litteras, quas ad me quamprimum perferendas cures uelim. Da operam ut ualeas.*

## EXPLANATIO

IN . MAXIMIS *meis doloribus* } quod in Italiam uenerim non accerſitus. VALETVDO *Tulliae.* } ep. 6. ad Att. lib. XI. quae ſcripta eſt IV. Kal. Dec. de Tullia ſic: Tulliae meae morbus, & imbecillitas corporis me exanimat. ME *multa impedierunt,* } praecipue lictores: quos non nominat: quia cautius agit cum femina, quam cum prudenti uiro Attico: ad quem enim ſcribens ep. 6. lib. XI. Propius, inquit, accedere, ut ſuades, quo modo ſine lictoribus, quos populus dedit, poſſum? qui mihi incolumi adimi nō poſſunt.

## Argumentum ep. 20.

*CVm a Caeſare ſatis liberales litteras accepiſſet, de quibus ep. ult. ſit mentio, propius accedere non dubitauit. Mandat igitur uxori, ut in Tuſculano curet parata eſſe omnia, quae ſint ad uictum, & ad ualetudinem neceſſaria: cum praeſertim eo cum amicis aliquot iturum ſe putet. Anno tertio ciuilis belli, Caeſare dictatore iterum, nondum creatis conſulibus.*

### *Tullius S. D. Terentiae ſuae.* 20.

*IN Tuſculanum nos uenturos putamus aut nonis, aut poſtridie. ibi fac ut ſint omnia parata. plures enim fortaſſe nobiſcum erunt; &, ut arbitror, diutius ibi commorabimur. labrum ſi in balneo non eſt, fac ut ſit item cetera, quae ſunt ad uictum, & ad ualetudinem neceſſaria. Vale. Kalendis Oct. de Venuſio.*

## Argumentum ep. 21.

*HAnc epiſtolam opinor ſcriptam eſſe anno primo ciuilis belli, Lentulo & Marcello cos. ante quam Cicero in Graeciam nauigaret; cum tamen, ut mihi uidetur, nauigationem cogitaret. quod ex ijs uerbis conijcio: Quod opus erit, ut res, tempuſq. poſtulat, prouideas, atque adminiſtres. nam illud: Ad me de omnibus rebus quam ſaepiſſime litteras mittas: certe indicat eum eſſe in Italia.*

### *Tullius S. D. Terentiae ſuae.* 21.

*SI uales, bene eſt: ego ualeo. Da operam ut conualeſcas: quod opus erit, ut res, tempuſq. poſtulat, prouideas, atque adminiſtres, & ad me de omnibus rebus quam ſaepiſſime litteras mittas. Vale.*

## Argumentum ep. 22.

*SCripta uidetur poſt pugnam Pharſalicam, anno tertio ciuilis belli, cum Cicero, acceptis a Caeſare, ex Aegypto in Italiam redeunte, litteris ijs, quae nominantur ep. ult. incertus conſilij eſſet, utrum ei obuiam procederet, an eum Brundiſij exſpectaret.*

*Tullius S. D. Terentiae ſuae.* 22.

*SI uales, bene eſt: ego ualeo. Nos quotidie tabellarios ueſtros exſpectamus: qui ſi uenerint, fortaſſe erimus certiores, quid nobis faciendum ſit; faciemusq. te ſtatim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Kal. Sept.*

Argumentum ep. 23.

*HAec biduo ante eam, quae ſequitur, ſcripta eſt. quod adſcripta utrique dies indicat: & in hac Caeſaris litteras exſpectat, in illa ſe accepiſſe demonſtrat.*

*Tullius S. D. Terentiae ſuae.* 23.

*SI uales, bene eſt: ego ualeo. Nos neque de Caeſaris aduentu, neque de literis, quas Philotimus habere dicitur, quidquam adhuc certi habemus. ſi quid erit certi, faciam te ſtatim certiorem. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale. IV. id. Sext.*

EXPLANATIO

DE. CAESARIS *aduentu*,} ex Aegypto. DE. LITTERIS,} Caeſaris, Philotimo ad Ciceronem datis. Philotimū Cicero, mutato mittendi filij cōſilio, ad Caeſarē miſerat. ep. 24. ad Att. lib. XI.

Argumentum ep. 24.

*SCribit de redditis ſibi a Caeſare litteris, de fama eius aduentus, de ancipiti conſilio uel obuiam procedendi, uel eum exſpectandi. anno tertio ciuilis belli, Caeſare dictatore iterum, cum Cicero Brundiſii adhuc eſſet.*

*Tullius S. D. Terentiae ſuae.* 24.

*SI uales, bene eſt: ego ualeo. Redditae mihi iam tandem ſunt a Caeſare litterae, ſatis liberales: & ipſe opinione celerius uenturus eſſe dicitur. cui utrum obuiam procedam, an hic eum exſpectem, cum conſtituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi uelim quam primum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. pridie id. Sext.*

EXPLANATIO

SATIS *liberales*} in oratione pro Ligario: Caeſar ad me ex Aegypto litteras miſit, ut eſſem idem, qui fuiſſem.

IN. EPI-

IN . EPISTOLARVM

# M · TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . QVINTVMDECIMVM

AD . SENATVM . ET . ALIOS

# PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

## Argumentum ep.I. lib. XV.

CVM *Parthi, duce Pacoro, Orodis regis filio, maximis copijs Euphratem flumen, Romani imperij terminum, tranſiſſent; ſollicitus Cicero cum de Cilicienſi prouincia, quam conſulari imperio regebat, tum de reliquis etiam ab impetu belli non longe remotis, monet conſules, praetores, tribunos pl. & ſenatum, ut maiores exercitus ad earum prouinciarum praeſidium primo quoque tempore mittantur. Haec epiſtola, Sulpicio, Marcello cos. quo anno in prouinciam iuit, ſcripta eſt: ſed collocari debuit poſt eam, quae ſequitur, ea uero poſt eam, quae ſcripta eſt ad Catonem, hoc initio: Cum ad me legati: in qua, nihil adhuc ſe publice de bello Parthico ſcripſiſſe, ſignificat.*

### *M. Tullius M. F. Cicero procos. S. D. cos. praet. trib. pl. ſenatui.* 1.

SI VOS *bene ualetis, bene eſt: ego quidem ualeo. etſi non dubie mihi nunciabatur, Parthos tranſiſſe Euphratem cum omnibus fere ſuis copijs: tamen, quod arbitrabar a M. Bibulo procos. certiora de his rebus ad uos ſcribi poſſe, ſtatuebam mihi non neceſſe eſſe publice ſcribere ea, quae de alterius prouincia nunciarentur. poſtea uero quam certiſſimis auctoribus, legatis, nuncijs, litteris ſum certior factus: uel quod tanta res erat, uel quod nondum audieramus Bibulum in Syriam ueniſſe, uel quia adminiſtratio huius belli mihi cum Bibulo paene eſt communis; quae ad me delata eſſent, ſcribenda ad uos putaui. Regis Antiochi*

*Commageni legati primi mihi nunciarunt, Parthorum magnas copias Euphratem tranſire coepiſſe. quo nuncio allato, cum eſſent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent, ſtatui exſpectandum eſſe, ſi quid certius afferretur. Ad* XIII. *Kal.Oct. cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniae, & Cappadociae mihi litterae redditae ſunt a Tarcondimoto, qui fideliſſimus ſocius trans Taurum, amiciſſimusq. populi R. exiſtimatur; Pacorum, Orodis regis Parthorum filium, cum permagno equitatu Parthico tranſiſſe Euphratem, & caſtra poſuiſſe Tybae; magnumq. tumultum eſſe in prouincia Syria excitatum. eodem die ab Iamblico, phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene ſentire, amicumq. eſſe reip. noſtrae, litterae de iiſdem rebus mihi redditae ſunt. His rebus allatis, etſi intelligebam ſocios infirme animatos eſſe, & nouarum rerum exſpectatione ſuſpenſos: ſperabam tamen eos, ad quos iam acceſſeram, quiq. noſtram conſuetudinē, integritatemq. perſpexerant, amiciores populo R. eſſe factos; Ciliciam autem firmiorem fore, ſi aequitatis noſtrae particeps facta eſſet. & ob eam cauſſam; & ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis eſſent; & ut hoſtis is, qui eſſet in Syria, ſciret exercitum populi R. non modo non cedere his nunciis allatis, ſed etiam propius accedere; exercitum ad Taurum inſtitui ducere. ſed, ſi quid apud uos auctoritas mea ponderis habet, in iis praeſertim rebus, quas uos audiſtis, ego paene cerno; magnopere uos & hortor, & moneo, ut his prouinciis, ſerius uos quidem quam decuit, ſed aliquando tamen, conſulatis. nos quēadmodum inſtructos, & quibus praeſidiis munitos ad tanti belli opinionem miſeritis, non eſtis ignari. quod ego negotium, non ſtultitia obcaecatus, ſed uerecundia deterritus, non recuſaui. neque enim umquam ullum periculum tantum putaui, quod ſubterfugere mallem, quam ueſtrae auctoritati obtemperare. hoc autem tempore res ſeſe ſic habet, ut, niſi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere ſoletis, mature in has prouincias miſeritis, ſummum periculum ſit, ne amittendae ſint omnes hae prouinciae, quibus uectigalia populi R. continentur. quamobrem autem in hoc prouinciali delectu ſpem habeatis aliquam, cauſſa nulla eſt. neque multi ſunt: & diffugiunt, qui ſunt, metu oblato: &, quod genus hoc militum ſit, iudicauit, uir fortiſſimus, M. Bibulus in Aſia: qui, cum ei permiſiſſetis, delectum habere noluerit. nam ſociorum auxilia, propter acerbitatem, atque iniurias imperii noſtri, aut ita imbecilla ſunt, ut non multum nos iuuare poſſint; aut ita alienata a nobis, ut neque exſpectandum ab iis, neque committendum iis quidquam eſſe uideatur. regis Deiotari & uoluntatem, & copias, quantaecumque ſunt, noſtras eſſe duco. Cappadocia eſt inanis. reliqui reges, tyranniq. neque opibus ſatis firmi, nec uoluntate ſunt. mihi, in hac paucitate militum, animus certe non deerit; ſpero, ne conſilium quidem. quid caſurum ſit, incertum eſt. utinam ſaluti noſtrae conſulere poſſimus: dignitati certe cōſulemus. Valete.*

# EXPLANATIO

EVPHRATEM} Meſopotamiae flumen, ex Niphate, ut ait Strabo, Armeniae mon-
te ortum, imperii Romani terminum, qui ad Traianum imperatorem permanſit. nam
is, Armenia, Meſopotamia, Aſsyriaq. ad populi Romani ditionem adiectis, ad flu-
men Tigrim fines imperii protulit. mox Hadrianus, inuidens Traiani gloriae, ueterem
imperii terminum Euphratem eſſe uoluit, captaſq. a Traiano prouincias Perſis reſti-
tuit. CVM *omnibus fere ſuis copiis:*} ep. 18. ad Att. lib. v. Parthi Euphratem tran-
ſierunt duce Pacoro, Orodis, Parthorum regis filio, cunctis referto copiis. PRO-
COS.} Syriae. CERTIORA} quia Parthis propinquior Bibulus, quam Cicero. DE *alterius*
*prouincia*} de Syria, quam a Parthorum ditione diuidebat Euphrates. PAENE} quia Syriae fini-
tima Cilicia, quae Ciceronis erat prouincia. ep. 10. lib. 2. Cum ueniſſem ad Amanum, qui mons mihi
cum Bibulo communis eſt, diuiſus aquarum diuortiis. REGIS *Antiochi Commageni*} cuius ſoror
uxor fuerat Orodis Parthorum regis. Dio lib. XLIX. Commageni citra Euphratem Aſiae regio eſt: cuius
caput Samoſatam urbem Plinius nominat lib. v. cap. 24. TRANSIRE} in Syriam. ep. 4. IN CI-
LICIAM} erat enim in Aſia: cuius tres dioeceſes adminiſtrabat. ep. 67. lib. XIII. De hoc itinere ep. 20.
ad Att. lib. v. his uerbis: Ad caſtra ueni ad VII. Kal. Sept. ad III. exercitum luſtraui apud Iconium. ex his
caſtris, cum graues de Parthis nuncii uenirent, perrexi in Ciliciam, per Cappadociae partem eam, quae
Ciliciam attingit. A TARCONDIMOTO,} regulo in Ciliciae parte, qui ciuili bello contra Cae-
ſarem pro Pompeio pugnauit: eiq. poſtea uictor Caeſar ignouit. poſt interitum Caeſaris, copias pro reip.
partibus comparante C. Caſsio, cum eo ſe coniunxit. Caſsio mortuo, ſecutus Antonium cum Octauia-
no dimicantem, an Agrippa nauali prooelio caeſus eſt. Dio lib. XLI. XLVII. L. Strabo lib. XIV.
Florus lib. IV. PACORVM} dux eſſe uidebatur, quia regis filius: reuera autem copias Oſaces
ducebat: quem poſtea C. Caſsius prooelio uictum occidit. Pacorus autem hoc tempore nondum ex Ephe-
bis exceſſerat. Dio lib. XL. eum poſt aliquot annos cum omnibus copiis caeſum a Ventidio, qui de Par-
this primus triumphauit. idem Dio lib. XLIX. Iuſtinus lib. XLII. & alii prodiderunt. AB IAM-
BLICHO,} Strabo lib. XVI. Tarcondimoti filium appellat. Dio uidetur aliter ſenſiſſe lib. L. & LIV.
occiſum autem ait a M. Antonio, de proditione ſuſpectum. PHILARCHO} regem fuiſſe in
quadam Arabiae parte, auctor eſt Dio lib. L. eius filio paternum principatum ab Auguſto reſtitu-
tum, lib. LIV. Phylarchum dignitatis apud Arabas nomen fuiſſe, Strabo docet. NOSTRAM
*conſuetudinem, integritatemq.*} etſi neque ueteres libri mutant; & Conſuetudinis uerbo ſignificari
laudem conſtat: probo tamen coniecturam Hieronymi Ferrarii, qui legendum putabat, Manſuetu-
dinem, adductus in hanc opinionem ſimilitudine locorum. nam ep. 3. Mihi maxime curae eſt, ut, quae

copiis,

copijs, & opibus tenere uix poſſumus, manſuetudine, & continentia noſtra, ſociorum fidelitate teneamus. Et ep. 5. Manſuetudine, & innocentia imperatoris, prouinciam retentam, atque conſeruatam. Ep. 9. ad Att. lib. v. Faciam, ut ſumma modeſtia, & ſumma abſtinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Et ep. 16. ad eundem: ſocijs incredibilis uidetur & noſtra manſuetudo, & abſtinētia. CILICIAM} prouinciae ſuae partem, in quam nondum peruenerat. AEQVITATIS *noſtrae*} duo ueteres libri, Equitatus noſtri. & ep. 2. Cum equitatum in Ciliciam miſiſſem. Malo tamen, Aequitatis noſtrae. plus enim praeſidij, ad continendos in fide ſocios, in aequitate ſua, quam in uniuerſo exercitu, non modo in equitatu, Cicero ſibi eſſe conſtitutum exiſtimabat: ut ep. 3. & hic proxime, quid profecerit integritas ſua, iam oſtendit. QVI *ex Cilicum gente in armis eſſent*,} Amanienſes ſignificat. uide ep. 4. & lib. 2. ep. 10. NOS *quemadmodum inſtructos*,} ep. 2. & lib. IIX. ep. 5. QVIBVS *uectigalia populi R. continentur*. Aſiae uectigalia maxima erant. Pro lege Manilia, Ceterarum, inquit, prouinciarum uectigalia tanta ſunt, ut his ad ipſas prouincias tutandas uix contenti eſſe poſsimus: Aſia uero tam opima eſt, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & uarietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. IN. ASIA:} nondum in Syria peruenerat Bibulus, ſed erat adhuc in Aſia. DEIOTARI} Galatiae rex. QVANTAECVMQVE. SVNT,} fuere cohortes triginta, quadringenorum peditum ſingulae, ideſt peditum duodecim millia, legiones uidelicet duae; equitum uero duo millia. ep. 1. ad Att. lib. VI. & ad eundem ep. 18. lib. v. INANIS} uacua praeſidio. in ea regnabat Ariobarzanes, qui nominatur ep. 2. 4. & lib. 2. ep. 17. ad Att. ep. 20. lib. v. IN *hac paucitate*} duas tantum legiones habebat. ep. 15. ad Att. lib. v. & Plutarchus. DIGNITATI *certe conſulemus*.} nihil indecore faciemus, nihil turpiter.

## Argumentum ep. 2.

*EXponit, audito Parthorum aduentu quid egerit pro tuenda prouincia, ſocijsq. in fide continendis: adiungit de rege Ariobarzane ab inſidijs liberato. Eodem anno.*

### *Cicero procos. S. D. cos. praet. trib. pl. ſenatui.* 2.

*SI uos bene ualetis, bene eſt: ego quidē ualeo. Cum pridie Kal. Sext. in prouinciam ueniſſem; neque maturius propter itinerum, & nauigationum difficultatem uenire potuiſſem: maxime conuenire officio meo, reiq. pub. conducere putaui, parare ea, quae ad exercitum, quaeq. ad rem militarem pertinerent. quae cum eſſent a me cura magis, & diligentia, quam facultate, & copia, conſtituta; nuncijque, & litterae de bello a Parthis in prouinciam Syriam illato quotidie fere afferrentur: iter mihi faciendum per Lycaoniam, & per Iſauros, & per Cappadociam arbitratus ſum. erat enim magna ſuſpicio, Parthos, ſi ex Syria egredi, atque irrumpere in meam prouinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quod ea maxime pateret, eſſe facturos. itaque cum exercitu per Cappadociae partem eam, quae cum Cilicia continens eſt, iter feci: caſtraq. ad Cybiſtra, quod opidum eſt ad montem Taurum, locaui: ut Artuaſdes, rex Armenius, quocumque animo eſſet, ſciret non procul a ſuis finibus exercitum populi R. eſſe: & Deiotarum, fideliſſimum regem, atque amiciſſimum reip. noſtrae, maxime coniunctum haberem hominem cuius & conſilio, & opibus adiuuari poſſet reſp. quo cum in loco caſtra haberem; equitatumq. in Ciliciam miſiſſem; ut & meus aduentus ijs ciuitatibus, quae in ea parte eſſent, nunciatus, firmiores animos hominum faceret; & ego mature, quid ageretur in Syria, ſcire poſſem: tempus eius tridui, quod in ijs caſtris morabar, in magno officio, & neceſſario mihi ponendum putaui. cum enim ueſtra auctoritas interceſſiſſet, ut ego regem Ariobarzanem, Euſeben, & Philoromaeum, tuerer, eiusq. regis ſalutem, & incolumitatem regni defenderem; regi, regnoq. praeſidio eſſem; adiunxiſſetisque, ſalutem eius regis populo, ſenatuiq. magnae curae eſſe; quod nullo umquam de rege decretum eſſet a noſtro ordine: exiſtimaui me iudicium ueſtrum ad regem deferre debere, eiq. praeſidium meum, & fidem & diligentiam polliceri: ut, quando ſalus ipſius, & incolumitas regni mihi commendata eſſet a uobis, diceret, ſi quid uellet. Quae cum eſſem in conſilio meo cum rege locutus; initio ille orationis ſuae uobis maximas, ut debuit, deinde etiam mihi gratias egit; quod ei permagnum, & perhonorificum uidebatur, ſenatui, populoque R. tantae curae eſſe ſalutem ſuam, meq. tantam diligentiam adhibere, ut & mea fides, & commendationis ueſtrae auctoritas perſpici poſſet. atque ille primo, quod mihi maxime laetitiae fuit, ita mecum locutus eſt, ut nullas inſidias neque uitae ſuae, neque regno diceret ſe aut intelligere, fieri, aut etiam ſuſpicari. Cum ei ego gratulatus eſſem, idq. me gaudere dixiſſem, cohortatus ut recordaretur caſum illum interitus paterni, & uigilanter ſe tueretur, atque admonitu ſenatus conſuleret ſaluti ſuae: tum a me diſceſſit in opidum Cybiſtra. poſtero autem die cum Ariarathe, fratre ſuo, & cum paternis amicis, maioribus natu, ad me in caſtra uenit, perturbatusque, & flens, cum idem & frater faceret, & amici, meam fidem, ueſtram commendationem implorare coepit. cum admirarer, quid accidiſſet noui, dixit, ad ſe indicia manifeſtarum inſidiarum eſſe delata; quae eſſent ante aduentum meum occultata, quod ij, qui ea patefacere poſſent, propter metum reticuiſſent: eo autem tempore, ſpe mei praeſidij, complures ea, quae ſcirent,*

audacter ad ſe detuliſſe: in his amantiſſimum ſui, ſumma pietate praeditum, fratrem dicere ea, quae is me quoque audiente dicebat, ſe ſollicitatum eſſe, ut regnare uellet: id, uiuo fratre ſuo, accidere non potuiſſe: ſe tamen ante illud tempus eam rem numquam in medium propter periculi metum protuliſſe. Quae cum eſſet locutus; monui regem, ut omnem diligentiam ad ſe conſeruandum adhiberet: amicosq. in patris eius fide, atque iudicio probatos, hortatus ſum, regis ſui uitam, docti caſu acerbiſſimo patris eius, omni cura, cuſtodiaq. defenderent. Cum rex a me equitatum, cohortesq. de exercitu meo poſtularet: etſi intelligebam ueſtro S. C. non modo poſſe me id facere, ſed etiam debere; tamen, cum reſp. poſtularet, propter quotidianos ex Syria nuncios, ut quamprimum exercitum ad Ciliciae fines adducerem; cumq. mihi rex, patefactis iam inſidijs, non egere exercitu populi R. ſed poſſe ſe ſuis opibus defendere uideretur; illum cohortatus ſum, ut in ſua uita conſeruanda primum regnare diſceret; a quibus perſpexiſſet ſibi inſidias paratas, in eos uteretur iure regio; poena afficeret eos, quos neceſſe eſſet; reliquos metu liberaret; praeſidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa eſſent, timorem potius, quam ad contentionem uteretur: fore autem, ut omnes, quando S. C. noſſent, intelligerent me regi, ſi opus eſſet, ex auctoritate ueſtra praeſidio futurum. Ita, confirmato illo, ex eo loco caſtra moui, & iter in Ciliciam facere inſtituti; cum hac opinione e Cappadocia diſcederem, ut conſilio ueſtro, caſu incredibili, ac paene diuino, regem, quem uos honorificentiſſime appellaſſetis nullo poſtulante, quemq. meae fidei commendaſſetis, & cuius ſalutem magnae uobis curae eſſe decreuiſſetis, meus aduentus praeſentibus inſidijs liberaſſet. quod ad uos a me ſcribi, non alienum putaui; ut intelligeretis ex ijs, quae paene acciderunt uos multo ante, ne ea acciderent, prouidiſſe. Eoq. uos ſtudioſius feci certiores, quod in rege Ariobarzane ea mihi ſigna uideor uirtutis, ingenij, fidei, beneuolentiaeq. erga uos perſpexiſſe, ut non ſine cauſſa tantam curam, diligentiamq. in eius uos ſalutem uideamini contuliſſe. Valete.

## EXPLANATIO

CVM *pridie Kal. Sext. in prouinciam ueniſſem;*} ep. 4. & lib. III. ep. 6. & ad Att. ep. 13. lib. V.
NAVIGATIONVM *difficultatem*} ad Att. ep. 12. lib. V. Negotium magnum eſt nauigare, at-
que id. menſe Quinct. Sexto die Delum Athenis uenimus, pridie non. Quinct. a Piraeto ad Zoſtera, uento
moleſto. &c. FACVLTATE, *& copia*,} ep. 3. Opibus, & copijs. ISAVROS,} de quibus
anno 679. triumphauerat P. Seruilius, & Iſaurici cognomen acceperat. QVOD *ea maxime pateret*,}
ep. 4. Cappadocia patet a Syria. PER *Cappadociae partem eam*,} ep. 6. lib. III. QVAE *cum Cilicia*
*continens eſt*,} quae Ciliciam attingit. ep. 4. CYBISTRA} opidum Cappadociae, ubi quinque
dies caſtra habuit. ep. 20. lib. V. ARTVASDES, *rex Armenius, quocumque animo eſſet*,} cuius ſo-
ror Pacoro, regis Parthorum filio, nupta erat, filia uero Deiotari regis filio pacta. ep. 3. & ad Att. ep. 21.
lib. V. Appianus in Parthico. Artauaſdes, non Artuaſdes, uocatur ep. 20. 21. lib. ad Att. & a Paterculo.
Dicit autem, Quocumque animo eſſet, quia propter affinitatem cum rege Parthorum contractam dubita-
ri poterat. idq. ſignificat apertius ep. 20. lib. V. Perrexi, ait, in Ciliciam per Cappadociae partem eam,
quae Ciliciam attingit, eo conſilio, ut Armenius Artauaſdes, & ipſi Parthi Cappadocia ſe excludi putarent.
REGEM} Cappadociae. EVSEBEN, *& Philoromaeum*.} pius, & amicus Romanorum. Sic ap-
pellabatur, Graecis nominibus ad Latinam conſuetudinem tranſductis. A NOSTRO *ordine*:} a ſe-
natu. IN *conſilio meo*} praeſentibus qui maioris apud eum dignitatis erant, quaeſtore Meſcinio, le-
gatis quattuor, C. Pontinio, Q. Cicerone, M. Anneio, L. Tullio, praefecto fabrum Lepta, tribunis mil.
& alijs fortaſſe. CASVM *illum interitus paterni*,} huius Ariobarzanis patrem, quem regno expul-
ſum a Mithridate Pompeius Magnus reſtituerat, per inſidias interfectum, haec uerba, & alia inferiora de-
clarant. AMICOSQ. *in patris eius fide, atque iudicio probatos*,} ſic habent duo ueteres libri: unus,
Amicoſq. patris eius atque iudicio probatos: reliqui omnes, Amicosq. in patris eius atque iudicio proba-
tos. Fortaſſe legendum: Amicoſq. patris eius fide, atque iudicio probatos. ideſt, quibus pater eius fidem
haberet, de quibus optime iudicare ſolitus erat. REGNARE *diſceret*;} non multo enim ante rex a ſe-
natu appellatus erat a ſenatu, Cicerone conſule. ep. 17. lib. 2. IN *eos uteretur regio*;} hoc, & quae ſe-
quuntur, ſignificauit, cum dixit: Regnare diſceret. CONSILIO *ueſtro*,} qui, facto S. C. de Ariobar-
zanis ſalute, & incolumitate regni a me defendenda, prouidiſtis, ne acciderent ea, quae paene acciderunt.
infra. NVLLO *poſtulante*,} Cicerone tamen conſule referente. ep. 17. lib. 2. TANTAM *curam,*
*diligentiamq.*} cum decreueritis de eo, quod nullo umquam de rege. ſupra.

## Argumentum ep. 3.

*SCribit de rumore Parthici belli. & affert excuſationem, cur publice nihil ſcripſerit. Eodem anno.*

## *M. Cicero imp. S. D. M. Catoni.* 3.

*CVm ad me legati, miſſi ab Antiocho Commageno, ueniſſent in caſtra ad Iconium ante diem* III. *non. Sept. ijq. mihi nunciaſſent, regis Parthorum filium, quocum eſſet nupta regis Armeniorū ſoror, ad Euphratem cum maximis Parthorum copijs, multarumq. praeterea gentium magna manu ueniſſe, Euphratemq. iam tranſire coepiſſe; dicique, Armenium regem in Cappadociam impetum eſſe facturum: putaui pro noſtra neceſſitudine me hoc ad te ſcribere oportere. publice propter duas cauſſas nihil ſcripſi: quod & ipſum Commagenum legati dicebant ad ſenatum ſtatim nuncios, litterasq. miſiſſe: & exiſtimabam M. Bibulum procos. qūi circiter id. Sext. ab Epheſo in Syriam nauibus profectus erat, quod ſecundos uentos habuiſſet, iam in prouinciam ſuam perueniſſe: cuius litteris omnia certiora perlatum iri ad ſenatum putabam. Mihi, ut in eiuſmodi re, tantoq. bello, maximae curae eſt, ut, quae copijs, & opibus tenere uix poſſumus, ea manſuetudine, & continentia noſtra, ſociorum fidelitate teneamus. Tu uelim, ut conſueſti, nos abſentes diligas, & defendas. Vale.*

## EXPLANA IO

M. CICERO. IMP.} imperator Cicero appellatus eſt III id. Oct. caeſis Amanienſibus, ut ep. 20. ad Att. lib. v. Ea res geſta nondum erat, cum hae litterae ſcriptae ſunt, ac ne cum quidem, cum illae ſuperiores ad ſenatum, quas poſt has miſſas eſſe ſatis liquet: ait enim in his Cicero: Publice propter duas cauſſas nihil ſcripſi. Quare mendoſam hanc imperatoris appellationem ſemper duxi. &, opinor, librarius, cum uideret in titulo ſequentis epiſtolae, Cicero imperator; eodem modo hanc eſſe inſcribendam, ignarus temporum, exiſtimauit. Hoc & Sigonium uideo ſuſpicatum eſſe. AB *antiocho Commageno*} ep. I. 4. AD. ICONIVM} in caſtra uenit Cicero, quae fuere apud Iconium, VII Kal. Sept. cū Iconij decem dies fuiſſet: ut ep. 20. ad Att. lib. v. Ab Iconio caſtra mouit pridie Kal. Sept. ep. 6. lib. III. Itaque legendum uidetur, III Kal. Sept. eodemq. modo in ep. ſequ. ubi nunc legitur: Kal. Sept. legati a rege Commageno ad me miſsi. REGIS *Parthorum filium*,} Pacorum ep. I. REGIS *Armeniorum*} Artuaſdis. ep. 2. MVLTARVMQ. *praeterea gentium*.} Arabum. ep. 4. Magnas Parthorum copias, & Arabum ad opidum Antiochiam acceſsiſſe. AD. TE} cuius in clientela Cappadocia eſt. ep. 4. Duae maximae clientelae tuae, Cyprus inſula, & Cappadociae regnum. VT *in eiuſmodi re*,} rei difficultatem hic loquendi modus indicat. ſic ep. 9. lib. IV. Adhuc & factum tuum probatur, ut, in tali re, etiam fortuna laudatur. CERTIORA} quia Syria, Bibuli prouincia, Parthis finitima.

## Argumentum ep. 4.

*REs a ſe in prouincia geſtas ordine exponit: & , ut earum cauſſa ſupplicatio ſibi, fauente Catone, decernatur a ſenatu, cupere ſe ingenue confitetur. Paullo, Marcello cos. Tres partes huius epiſtolae ſunt, prooemium, narratio, petitio. prooeminm, cur narretur, oſtendit; narratio, cur petatur. In prima prooemij parte, Catonis beneuolentia quaeritur, commemorata eius auctoritate, & uirtute, utraque ſumma, & ſingulari. in fine, non ſolere Catonem, oſtenditur, ambitionis cauſſa quidquam concedere, ſed, quod ab eo petendum ſit, probari prius oportere. Narratio duo genera complectitur, unū, res bellicas, alterum, inſtituta pacis, & rationem adminiſtratae prouinciae. Petitio multas habet partes. Petitur ab eo, cuius allatura ſummam laudem ſententia uideatur. Rogare non eſt neceſſe: non enim patitur amicitia, mutuis officijs & ſtudijs confirmata, & aucta: admonere ſatis eſt. Amouetur inanis gloriae ſuſpicio: quod fieri neceſſe erat, cum ad ſtoicum hominem Catonem, qui ad unam uirtutem omnia referret, ſcriberetur. Preces adhibentur, cum ea tamen condicione, ſi res geſtae ſupplicatione dignae uideantur. quamquam id, quod armis & militari uirtute geſtum ſit illuſtrius, ac*

maius, cum adiungitur aequitas imperatoris, & abſtinentia. Poſtremo, quaſi haec ad impetrandum non ſufficiant, allegatur ad Catonem philoſophia, quae petitionem adiuuet, ſuiq. alumni laudem alteri alumno commendet. Abſoluta petitione, opinionem & iudicium ſuum de Catonis officio, ſi eum ornare ſua ſententia, & ſupplicationis honorem decernere uoluerit, ita Cicero demonſtrat, ut, ſi aſſequatur quod cupit, id acceptum illi referre uelit: quaſi reliquorum amicorum ſtudijs aſſequi non potuerit, niſi Catonis auctoritas acceßiſſet.

## M. Cicero imp. S. D. M. Catoni. 4.

SVMMA tua auctoritas fecit, meumq. perpetuum de tua ſingulari uirtute iudicium, ut magni mea intereſſe putarem, & res eas, quas geßiſſem, tibi notas eſſe, & non ignorari a te, qua aequitate, & continentia tuerer ſocios, prouinciamq. adminiſtrarem. his enim a te cognitis, arbitrabar facilius me tibi, quae uellem, probaturum. Cum in prouinciam pridie Kal. Sext. ueniſſem, & propter anni tempus ad exercitum mihi confeſtim eſſe eundum uiderem; biduum Laodiceae fui, deinde Apameae quatriduum, triduum Synnadis, totidem dies Philomeli. quibus in opidis cum magni conuentus fuiſſent; multas ciuitates acerbißimis tributis, & grauißimis uſuris, & falſo aere alieno liberaui. cũq. ante aduentum meum ſeditione quadam exercitus eſſet dißipatus; quinque cohortes ſine legato, ſine tribuno mil. denique etiam ſine centurione ullo apud Philomelum conſediſſent; reliquus exercitus eſſet in Lycaonia: M. Anneio legato imperaui, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret; coactoq. in unum locum exercitu, caſtra in Lycaonia apud Iconium faceret. quod cum ab illo diligenter eſſet actum; ego in caſtra ad VII. Kal. Sept. ueni: cum interea ſuperioribus diebus ex S. C. & euocatorum firmam manum, & equitatum ſatis idoneum, & populorum liberorum, regumq. ſociorum auxilia uoluntaria comparauiſſem. interim cum, exercitu luſtrato, iter in Ciliciam facere coepiſſem; Kal. Sept. legati a rege Commageno ad me miſſi, pertumultuoſe, neque tamen non uere, Parthos in Syriam tranſiſſe, nunciauerunt. quo audito, uehementer ſum cõmotus cum de Syria, tum de mea prouincia, de reliqua denique Aſia. itaque exercitum mihi ducendum per Capadociae regionem eam, quae Ciliciam attingeret, putaui. nam ſi me in Ciliciam demiſiſſem, Ciliciam quidem ipſam propter montis Amani naturam facile tenuiſſem; (duo ſunt enim aditus in Ciliciam ex Syria, quorum uterque paruis praeſidijs propter anguſtias intercludi poteſt: nec eſt quidquam Cilicia contra Syriam munitius) ſed me Cappadocia mouebat, quae patet a Syria, regesq. habet finitimos: qui etiam ſi ſunt amici nobis, tamen aperte Parthis inimici eſſe non audent. itaque in Cappadocia extrema, non longe a Tauro, apud opidum Cybiſtra caſtra feci; ut & Ciliciam tuerer; & Cappadociam tenẽs, noua finitimorum conſilia impedirem. Interea in hoc tanto motu, tantaq. exſpectatione maximi belli, rex Deiotarus, cui non ſine cauſſa plurimum ſemper & meo, & tuo, & ſenatus iudicio tributum eſt, uir cum beneuolentia, & fide erga populum R. ſingulari, tum praeſentia, magnitudine, & animi, & conſilij, legatos ad me miſit, ſe cũ omnibus ſuis copijs in mea caſtra eſſe uenturum. Cuius ego ſtudio, officioq. commotus, egi ei per litteras gratias: idq. ut maturaret, hortatus ſum. Cum autem ad Cybiſtra propter rationem belli quinque dies eſſem commoratus; regem Ariobarzanem, cuius ſalutem a ſenatu te auctore commendatam habebam, praeſentibus inſidijs nec opinantem liberaui: neque ſolum ei ſaluti fui, ſed etiam curaui, ut cum auctoritate regnaret. Metram, & eum, quem tu diligenter mihi commendaras, Athenaeum, importunitate Athenaidis exſulio multatos, maxime apud regem auctoritate, gratiaq. conſtitui. Cumq. magnum bellum in Cappadocia concitaretur, ſi ſacerdos armis ſe, quod facturus putabatur, defenderet, adoleſcens & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus, & toto, ijs qui nouari aliquid uolebant: perfeci, ut e regno ille diſcederet; rexq. ſine tumultu, ac ſine armis, omni auctoritate aulae communita, regnum cum dignitate obtineret. Interea cognoui multorum litteris, atque nuncijs, magnas Parthorum copias, & Arabum ad opidum Antiochiã acceſſiſſe, magnumq. eorum equitatum, qui in Ciliciam tranſiſſet, ab equitum meorum turmis, & a cohorte praetoria, quae erat Epiphaneae praeſidij cauſſa, occidione occiſum. Quare cum uiderem, a Cappadocia Parthorum copias auerſas, non longe a finibus eſſe Ciliciae; quam potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. quo ut ueni, hoſtem ab Antiochia receſſiſſe, Bibulum Antiochiae eſſe cognoui; Deiotarumq. confeſtim, iam ad me uenientem cum magno, & firmo equitatu, & peditatu, & cum omnibus ſuis copijs, certiorem feci, non uideri eſſe cauſſam, cur abeſſet a regno; meq. ad eum, ſi quid forte noui accidiſſet, ſtatim litteras, nunciosq. miſſurum eſſe. cumq. eo animo ueniſſem, ut utrique prouinciae, ſi ita tempus ferret, ſubuenirem: tamen id, quod iam ante ſtatueram uehementer intereſſe utriuſque prouinciae, pacare Amanum, & perpetuum hoſtem ex eo monte tollere, agere perrexi. cumq. me diſcedere ab eo monte ſimulaſſem, & alias partes Ciliciae petere; abeſſemq. ab Amano iter unius diei; & caſtra apud Epiphaneam feciſſem: ad IV. id. Oct. Cum aduesperaſceret; expedito exercitu ita noctu iter feci, ut ad III. id. Oct. cum luceſceret, in Amanum adſcenderem: diſtributisq. cohortibus, & auxilijs, cum alijs Quinctus frater legatus mecum ſimul, alijs C. Pontinius legatus, reliquis M. Anneius,

*neius , & L. Tullius , legati , praeeſſent , pleroſque nec opinantes oppreſſimus; qui occiſi , captiq. ſunt, intercluſi fuga . Eranam autem, quae fuit non uici inſtar, ſed urbis, quod erat Amani caput, itemq. Sepyram, & Commorim acriter , & diu repugnantibus , Pontinio illam partem Amani tenente , ex antelucano tempore uſque ad horam diei decimam , magna multitudine hoſtium occiſa , cepimus : caſtellaq. ſex capta : complura incendimus. his rebus ita geſtis , caſtra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quattriduum : & in reliquijs Amani delendis , agriſq. uaſtandis , quae pars eius montis meae prouinciae eſt , id tempus omne conſumpſimus. confectis his rebus , ad opidum Eleutherocilicũ Pindeniſſum exercitũ adduxi . quod cum eſſet altiſſimo, & muniti ſſimo loco ; ab ijsq. incoleretur , qui ne regibus quidem umquam paruiſſent ; cum & fugitiuos reciperent , & Parthorum aduentum acerrime exſpectarent : ad exiſtimationem imperij pertinere arbitratus ſum , comprimere eorum audaciam , quo facilius etiam ceterorum animi : qui alieni eſſent ab imperio noſtro , frangerentur. uallo, & foſſa circundedi : ſex caſtellis, caſtriſq. maximis ſaepſi: aggere , uineis , turribus oppugnaui : uſuſq. tormentis multis, multis ſagittarijs, magno labore meo, ſine ulla moleſtia , ſumptu ue ſociorum , ſeptimo quinquageſimo die rem confeci ; ut , omnibus partibus urbis diſturbatis , aut incenſis , compulſi in poteſtatem meam peruenirent . His erant finitimi pari ſcelere, & audacia, Tebarani . ab his , Pindeniſſo capto , obſides accepi : exercitum in hiberna dimiſi : Quinctum fratrem negotio praepoſui, ut in uicis aut captis , aut male pacatis exercitus collocaretur . Nunc uelim tibi ſic perſuadeas ; ſi de his rebus ad ſenatum relatum ſit , me exiſtimaturum ſummam mihi laudem tributam , ſi tu honorem meum ſententia tua comprobaris . idque , etſi talibus de rebus grauiſſimos homines & rogare ſolere , & rogari ſcio , tamen admonendum potius te a me , quam rogandum, puto . Tu es enim is , qui me tuis ſententijs ſaepiſſime ornaſti ; qui oratione, qui praedicatione, qui ſummis laudibus in ſenatu, in concionibus ad caelum extuliſti; cuius ego ſemper tanta eſſe uerborũ pōdera putaui, ut , uno uerbo tuo cum mea laude coniuncto, omnia conſequi me arbitrarer . Te denique memini , cũ cuidam clariſſimo , atque optimo uiro ſupplicationẽ non decerneres, dicere, te decreturũ, ſi referretur ob eas res , quas cōſul in urbe geſſiſſet. Tu idem mihi ſupplicationẽ decreuiſti togato, nō, ut multis, rep. bene geſta, ſed, ut nemini, rep. conſeruata . Mitto, quod inuidiam, quod pericula, quod omnes meas tēpeſtates & ſubieris, & multo etiam magis, ſi per me licuiſſet, ſubire paratiſſimus fueris ; quod denique inimicum meũ , tuum inimicum putaris : cuius etiam interitũ , ut facile intelligerem, mihi quantum tribueres, Milonis cauſſa in ſenatu defendenda approbaris . A me autem haec ſunt profecta , quae ego in beneficij loco non pono , ſed in ueri teſtimonij , atque iudicij : non ut praeſtantiſſimas tuas uirtutes tacitus admirarer, ( quis enim id non facit ? ) ſed in omnibus orationibus , ſententijs dicendis , cauſſis agendis, omnibus ſcriptis , Graecis , Latinis, omni denique uarietate litterarum mearum te non modo ijs , quos uidiſſemus , ſed ijs , de quibus audiſſemus , omnibus anteferrem . Quaeres fortaſſe , quid ſit, quod ego hoc neſcio quid gratulationis , & honoris a ſenatu, tanti aeſtimem. agam iam tecum familiariter, ut eſt & ſtudijs, & officijs noſtris mutuis , & ſumma amicitia dignum, & neceſſitudine etiam paterna . Si quiſquam fuit umquam remotus & natura , & magis etiam, ut mihi quidem ſentire uideor , ratione , atque doctrina ab inani laude, & ſermonibus uulgi; ego profecto is ſum . teſtis eſt conſulatus meus: in quo , ſicut in reliqua uita , fateor ea me ſtudioſe ſecutum , ex quibus uera gloria naſci poſſet, ipſam quidem gloriam per ſe numquam putaui expetendam : itaque & prouinciam ornatam , & ſpem non dubiam triumphi neglexi . ſacerdotium denique , cum, quemadmodum te exiſtimare arbitror , non difficillime conſequi poſſem, non appetiui . idem poſt iniuriam acceptam , quam tu reip. calamitatem ſemper appellas, meam non modo non calamitatem , ſed etiam gloriam, ſtudui quam ornatiſſima ſenatus , populiq. R. de me iudicia intercedere. itaque & augur poſtea fieri uolui, quod antea neglexeram: & eum honorem , qui a ſenatu tribui rebus bellicis ſolet , neglectum a me olim , nunc mihi expetendum puto. Huic meae uoluntati, in qua ineſt aliqua uis deſiderij ad ſanandum uulnus iniuriae , ut faueas, auditorque ſis, quod paullo ante me negaram rogaturum, uehementer te rogo , ſed ita , ſi non ieiunum hoc neſcio quid , quod ego geſſi , & contemnendum uidebitur , ſed tale, atque tantum, ut multi , nequaquam paribus rebus , honores ſummos a ſenatu conſecuti ſint . Equidem etiam mihi illud animaduertiſſe uideor , ( ſcis enim , quam attente te audire ſoleam ) te non tam res geſtas , quam mores , inſtituta , atque uitam imperatorum ſpectare ſolere in habendis , aut non habendis honoribus . quod ſi in mea cauſſa conſiderabis : reperies me exercitu imbecillo contra metum maximi belli firmiſſimum praeſidium habuiſſe aequitatem , & continentiam . his ego ſubſidijs ea ſum conſecutus , quae nullis legionibus conſequi potuiſſem : ut ex alieniſſimis ſocijs amiciſſimos , ex infideliſſimis firmiſſimos redderem ; animoſq. nouarum rerum exſpectatione ſuſpenſos , ad ueteris imperij beneuolentiam transducerem . Sed nimis haec multa de me , praeſertim ad te , a quo uno omnium ſociorum querellae audiuntur . cognoſces ex ijs , qui meis inſtitutis ſe recreatos putant . cumq. omnes uno prope conſenſu de me apud te ea , quae mihi optatiſsima ſunt , praedicabunt : tum duae maximae clientelae tuae , Cyprus inſula, & Cappadociae regnum , tecum de me loquentur : puto etiam regem Deiotarum , qui uni tibi eſt maxime neceſſarius. Quae ſi etiam maiora ſunt ; & in omnibus ſaeculis pauciores uiri reperti ſunt , qui ſuas cupiditates , quam qui hoſtium copias , uincerent : eſt profecto tuum , cum ad res bellicas haec , quae rariora , & difficiliora ſunt , genera uirtutis adiunxeris , ipſas etiam illas res geſtas iuſtiores eſſe , & maiores , putare . Extremum illud eſt, ut, quaſi diffidens rogationi meae , philoſophiam ad te allegem: qua nec mihi carior ulla umquam res in uita fuit , nec hominum generi maius a deis munus ullum eſt datum. haec igitur , quae mihi tecum communis eſt , ſocietas ſtudiorum , atque artium noſtrarum , quibus a pueritia dediti, ac deuincti ſoli propemodum nos philoſophiam illam ueram, & antiquam , quae quibuſdam otij eſſe , ac deſidiae uidetur, in forum, atque in remp. atque in ipſam aciem paene deduximus , tecum agit de mea laude : cui negari a Catone fas eſſe non puto . Quamobrem ſic tibi perſuadeas uelim : ſi mihi tua ſententia tributus honos ex meis litteris fuerit , me exiſtimaturum , cum auctoritate tua , tum beneuolentia erga me mihi , quod maxime cupierim , contigiſſe. Vale.*

EXPLA-

# EXPLANATIO

SVMMA *tua auctoritas*} tanta fuit Catonis auctoritas ob ſingularem eius integritatem, ut, quae illi placerent, ea demum & recta, & honeſta omnes ducerent. argumentum illud inſigne, quod, ambitus cum eſſet maximus, tribunicij candidati iurarunt ſe arbitrio Catonis perituros, depoſitis apud eum H-S quingenis; ut, qui a Catone damnatus eſſet, id perderet, & competitoribus tribueretur. ita uiſus eſt Cato plus unus poſſe, quam omnes leges, omneſq. iudices. ep. 15. ad Att. lib. IV. & ep. 14. ad Q. fr. lib. 2. PROPTER *anni tempus*} ut ante hiemem geri aliquid poſſet. EXERCITVM} quo Appius proconſul uſus erat. eae fuere legiones duae. ep. 3. 5. lib. III. & ad Att. ep. 15. lib. VII. BIDVVM *Laodiceae fui, deinde Apameae quattriduum, &c.*} aliter ad Att. ep. 16. Moratus triduum Laodiceae, triduum Apameae, totidem dies Synnade. Et ibidem, ep. 20. ait ſe moratum eſſe biduum Laodiceae, quinque dies Apameae, triduum Synnadis, Philomeli quinque dies, Iconij decem. MAGNI *conuentus*} ius enim dixit in ijs opidis, tributaq. ademit ab Appio impoſita. ep. 16. ad Att. lib. V. Audiuimus nihil aliud, niſi imperata ἐπικεφάλαια ſoluere non poſſe: poſſeſsiones omnium uenditas: ciuitatum gemitus, ploratus, monſtra quaedam non hominis, ſed ferae neſcio cuius immanis. leuantur tamen miſerae ciuitates, quod nullus fit ſumptus in nos. Et ad eundem, ep. 20. Iniurias reuellimus ſuperiores. nihil ea iuriſdictione aequabilius, nihil plenius, nihil gratius. Et ep. 91. Satis habeo negotij ſanandis uulneribus, quae ſunt impoſita prouinciae. quod, do operam, ut faciam quam minima illius contumelia. Et ad eundem, ep. 1. 2. lib. VI. FALSO *aere alieno*} quod uere non debebatur: erat enim contractũ ob ſolutionẽ tributorum: quibus liberatae ciuitates, aere ſimul alieno liberatae ſunt. QVINQVE *cohortes*} opinor eſſe eas, de quibus ep. 6. lib. III. SINE *legato, ſine tribuno mil. denique etiam ſine centurione*} in ſingulis legionibus erant ſinguli legati, interdum tamen bini, (nam Cicero proconſul duas tantum legiones, quattuor legatos habuit) tribuni mil. ſeni, centuriones triceni. auctor Polybius. M. ANNEIO} ep. 57. lib. XIII. hoc nomen uarie legitur in antiquis libris. EVOCATORVM} praefecto Antonio. ep. 6. lib. III. EXERCITV *luſtrato*,} cum exercitum duces educere in exſpeditionem uellent prius, quam caſtra mouerent, exercitum luſtrabant, ideſt recognoſcebant. KAL. SEPT.} III. Kal. Sept. legendum eſſe, iam oſtendimus. SYRIA} Bibuli prouincia. MEA *prouincia*,} & Aſiaticis tribus dioeceſibus. ep. 67. lib. XIII. DVO *aditus*} uterque per Amanum montem. A TAVRO} de hoc monte Plinius lib. v. cap. 17. OPIDVM *Cybiſtra*} Cappadociae. ep. 20. ad Att. lib. v. PRAESENTIA, *magnitudine, & animi, & conſilij*,} pro, Animi praeſentia, magnitudine conſilij: praeſenti animo, magno conſilio. In oratione pro Milone, Praeſentiam animi, dixit Cicero, & Caeſar lib. v. bel. Gal. Interdum ita commiſcentur conſilium, &c. Animus, urbanitas conſilium pendeat: quia metus conſilium impedit. Cic. lib. I. off. Praeſentis animi uti conſilio. CVM *omnibus ſuis copijs*} cohortibus triginta quadrigenarijs, equitum duobus millibus. ad Att. ep. 18. lib. v. & 1. lib. VI. CVM *auctoritate regnaret*,} hoc explanatur infra. ANTHENAIDIS}. malo nomen eſſe mulieris, quam ciuitatis: ut regis uxor, mater ue fuerit. nam, Importunitate, aptius de muliere dici puto, quã de ciuitate. Suffragatur huic opinioni antiqua inſcriptio, quã Romae uidimus in hortis Carpenſibus.

C. POPILLIVS. ALBAEVS
VIX. AN. XXXV
ATHENAIS. AVGVSTAIS. VNCT
POSIT. FRATRIS

SACERDOS} Comanorum ſacerdos Archelaus, à Pompeio Magno, ut ſcribit Appianus, Mithridate deuicto, praefectus: poſt quem ſacerdos fuit Nicomedes, a Caeſare, poſt ſuperatum Pompeium, praepoſitus. Eius ſacerdotis poteſtas, quae fuerit, oſtendit Hirtius de bello Alexandrino, his uerbis: Comana, uetuſtiſsimum, & ſanctiſsimum in Cappadocia Bellonae templum, quod tanta religione colitur, ut ſacerdos eius deae, maieſtate, imperio, & potentia ſecundus a rege conſenſu gentis illius habeatur, id homini nobiliſsimo Nicomedi Bithynio adiudicauit. Videndus & Strabo lib. XII. ADOLESCENS *& equitatu, & peditatu, & pecunia paratus*,} Latine quoque dicebant cum praepoſitione, A, uel Ab. Plancus ep. 8. lib. x. Cum, Deum benignitate, ab omni re ſumus paratiores. Coelius ep. 8. lib. IIX. Qui ſcirem, quam paratus ab exercitu eſſes. Imparati cum a militibus tum a pecunia, ep. 15. lib. 2. ad Att. Cicero dixit: Imparatiſsimus omnibus rebus, ſine praepoſitione, lib. I. bel. ci. Caeſar. TOTO} ignoratio Latini ſermonis quoſdam induxit, ut hoc mendoſum putarent, & inepta quaedam comminiſcerentur. Sed, Toto, Cicero dixit, pro, ea re, quae ſumma eſt, & in qua ſunt omnia. Ad Att. ep. 20. lib. v. Eſt totum, quid Kalendis Mart. futurum ſit. Et ep. ad Capitonem: Totum hoc, ut, quod ſemper exiſtimaui, nunc plane intelligam, me a te multum amari. Et ep. 1. lib. III. ad Q. fr. Totum in eo eſt, tectorium ut continuum ſit. ANTIOCHIAM} quae erat in Syria, Bibuli prouincia. ep. 10. lib. 2. EQVITVM *meorum*} equitatum a ſe in Ciliciam eſſe miſſum, dixit ep. 2. COHORTE *praetoria*} quae firmiſsima in exercitu manus erat. ep. 30. lib. x. EPIPHANEAE} Plinius lib. v. cap. 24. OCCIDIONE *occiſum*} Phil. 14. Cum A. Hirtius M. Antonij copias occidione occiderit, ſuo exercitu incolumi. Sic & Liuius & Tacitus, & alij locuti. HOSTEM *ab Antiochia receſsiſſe*,} Caſsio inſequente. ep. 20. lib. v. ad Att. Rumore aduentus noſtri, & Caſsio, qui Antiochia tenebatur, animus acceſsit, & Parthis timor iniectus eſt. itaque eos cedẽtes ab opido Caſsius inſecutus, rem bene geſsit. qua in fuga magna auctoritate, Oſaces, dux Parthorum, uulnus accepit, eoq. in-

terijt

teſijt paucis poſt diebus. Cvm *magno, & firmo equitatu, & peditatu,* } equitum duobus millibus. ep. I.
lib. vi. ad Att. A regno; } Galatia. Vtriqve *prouinciae,* } Syriae, & Ciliciae. Inter-
esse *utriuſque prouinciae,* } eſt enim terminus inter utramque, & utrique communis, aquarum diuor-
tio diuiſus. ep. 10. lib. 2. Perpetvvm *hoſtem* } ep. 10. lib. 2. Cum meis copijs omnibus uexaui Ama
nienſes, hoſtes ſempiternos. multi occiſi, capti: reliqui diſsipati. L. Tvllivs, } cuius auaritiam car
pit ep. ult. lib. v. ad Att. Sepyram, *& Commorim* } obſcura uicorum potius, quam opidorum no-
mina. Apvd *Aras Alexandri* } iterare eadem non oportet. uide ep. 10. lib. 2. Elevthero *Cili-
cum* } liberorum Cilicum, qui ſuis legibus utebantur ep. 2. lib. v. ad Att. Qvi *ne regibus quidem um-
quam paruiſſent;* } quod eſt argumentum ſummae peruicaciae. Tacitus de Thracibus lib. iv. Ne regibus
quidem parere, niſi ex libidine, ſoliti. Tvrribvs } unica turri: ep. 20. lib. v. ad Att. Tebarani, }
ignota geographis gens: nimium enim negotij fuiſſet, Latronum Amani montis nomina perſequi. Latroci-
nia enim exercebant eius montis incolae. Tibarenos & Plutarchus in lucullo nominat, & Plinius lib. v. cap.
4. ubi Temiſcyrae regionis gentes perſequitur. Avt *captis, aut male pacatis* } ep. 20. lib. v. ad Att. Exer
citum in hiberna agri male pacati deducendum Quincto fratri dabam. Relatvm *ſit,* } ut mihi ſup
plicationes decernantur. Gravissimos *homines* } hoc dicit, quia grauitas reſpuere preces, ut in
decoras, uidetur, & L. Craſſus, ille orator ſummus, cum petere magiſtratum blandius, ideſt rogare uellet,
ſocerum ſuum Scaeuolam dimittebat; cum ei ita diceret, ſe uelle ineptum eſſe: id erat petere blandius: quod
niſi inepte fieret, bene non poſſet fieri. De orat. lib. I. Admonendum potius te a me, quam rogandum, puto.
rogamus enim eos, quorum uoluntati parum confidimus: admonemus tantum, quos erga nos optime
animatos eſſe credimus. ep. 9. lib. I. Quae mihi commendas, & tantae mihi curae ſunt, ut me nolim admo-
neri, rogari uero ſine magno dolore uix poſsim. ep. 18. lib. xiii. Ego admirabar magis te, quaſi rogatus, aut
certe admonitus, liberaliter Attico reſpondiſſes. Cvm *cuidam clariſſimo, atque optimo uiro ſupplicationem
non decerneres,* } Caeſarem ſignificari, nonnulli arbitrantur: quod ego non ſentio. uirum enim optimum
Caeſarem non uocaret, Catonis inimicum, praeſertim cum in hac tota epiſtola gratiam Catonis aucupe-
tur. C. Antonium, collegam Ciceronis in conſulatu, deſignari potius opinor. nam ei decretam ob uictum
Catilinam ſupplicationem, indicat Dio lib. xxxvii. Clariſsimo: ob uictoriam de Catilina relatam. Qvas
*conſul in urbe geſſiſſet.* } ex quattuor antiquis libris ita lego. alij: Quas is conſul in urbe geſsiſſet. Ego Cato
nem, cuius in ſe officia hic Cicero commemorat, cum C. Antonio ſupplicationem ſua ſententia non decer
neret, dixiſſe puto, decreturũ ſe, ſi referretur ob res a conſule, ideſt a Cicerone, in urbe geſtas: cum ea plu-
ris aeſtimaret, quae rogatus Cicero conſul in urbe geſsiſſet, quam quae foris armatus Antonius. Hanc ſen-
tentiam confirmant ea, quae ſequuntur. Mihi *ſupplicationem decreuiſti togato, non, ut multis, rep. bene
geſta, ſed, ut nemini, rep. conſeruata.* } Idem gloriatur in oratione in Piſonem: Mihi togato ſenatus non, ut
multis, bene geſtae, ſed, ut nemini, conſeruatae reip. ſingulari genere ſupplicationis deorum immortalium
templa patefecit. Et oratione ſecunda in Antonium: Senatus clariſsimis ciuibus bene geſtae reip. teſtimoniũ
multis, mihi uno conſeruatae dedit. In eundem xiv. Mihi conſuli ſupplicatio, nullis armis ſumptis, non ob
caedem hoſtium, ſed ob conſeruationem ciuium, nouo & inuſitato genere decreta eſt. Invidiam, }
odium. ep. I. lib. I. Meas *tempeſtates* } Clodianis temporibus. Svbieris, } ſponte: quod me
uexari innocentem indicares, quia remp. domeſtico malo liberaſſem. Si. per *me licuiſſet,* } ſi armis
cõtra Clodium certare uoluiſſem. ep. 9. lib. I. Qui meos ciues & a me ſeruatos, & me ſeruare cupientes, ſeruis
armatis obijci noluerim. Inimicvm *meum,* } P. Clodium. Milonis } qui Clodium occide
rat. In *ſenatu defendenda* } inter Milonis patronos Catonem Pedianus nominat, eumq. ait ſtuduiſſe in
petitione conſulatus Miloni, & reo adfuiſſe, nec diſsimulaſſe, bene actum eſſe cum rep. morte P. Clodij A
me *autem haec ſunt profecta,* } hoc uerbum interdum Cicero ad beneficiorum & ſtudiorum commemo-
rationem accommodat, ut ep. ult. lib. 2. Quaecunque a me ornamenta in te proficiſcentur. Et ep. 14. lib. ix.
Si omnis tua laus a meis conſilijs profecta uideatur. Graecis } Graece etiam Cicero ſcripſit, ut com
mentarium de conſulatu ſuo. ep. I. lib. 2. ad Att. Hoc *neſcio quid gratulationis, & honoris* } honorem
ſupplicationum: quem ſe ſua ſponte non magnifacere oſtendit, cum ait: Hoc neſcio quid: ut ep. I. lib. xiii.
Neſcio quid illud parietinarum. Gratulabantur autem dijs immortalibus ob uictoriam, decreta a ſenatu ſup
plicatione ep. 5. Si tu dijs immortalibus gratulari nos, quã tibi referre acceptum, mauis. Et ep. 18. lib. xi. Tam
recẽti gratulatione, quã tuo nomine ad omnia deorũ tẽpla fecimus. Phil. 14. Supplicationẽ decernitis: hoſtẽ
non appellatis. gratae uero noſtrae dijs immortalibus gratulationes erunt, gratae uictimae. Et. na-
tvra, *& magis etiam ratione, atque doctrina,* } magis laudandi, qui ratione, & doctrina aliquid agunt,
quam qui natura: itaque Nepos in Attici uita, Neque id fecit, inquit, natura ſolum, (quamquam omnes
ei parere debemus) ſed etiam doctrina. ſic pro Cluentio: nihil tam remotum ab accuſatione, quam
Cluentius, & natura, & uoluntate, & inſtituta ratione uitae. Iacet enim natura, niſi uoluntas accedat, &
conſuetudo: & haec omnia ratio & doctrina uehementer adiuuat. Ego *perfecto is ſum.* } ſimiliter lo-
cutus, in re diuerſa, ep. 14. lib. vi. Si quiſquam eſt timidus in magnis periculoſisq. rebus, ſemperq. magis
aduerſos rerum exitus metuens, quam ſperãs ſecundos; is ego ſum. Et *natura, & magis etiam, ut mihi
quidem ſentire uideor, ratione, atque doctrina* } lib. I. in Verr. Ab hominibus & natura, & conſuetudine,
& diſciplina leuiſsimis. Per. se } gloriam non ſpectaui, cum recte agerem: ſed ea ſtudioſe geſsi,
ex quibus gloria naſci poſſet. Provinciam } quam in concione depoſuit. ep. 2. lib. v. & Phil. xi.
Inſtructam, ornatamq. a ſenatu prouinciam depoſui. Ea uero prouincia, Gallia citerior fuit. nam in ora-
tione in Piſonem, Prouinciam, inquit, Galliam, ſenatus auctoritate, exercitu, & pecunia inſtructam, &

ornatam,

ornatam, in concione depoſui, reclamante populo Romano. Et ad Att. ep. I. lib. 2. SPEM *non dubiam triumphi*} triumphare poterat e Salaſsis, & in alpinis gentibus, quae populo Romano non parebant. cum his bellum geſsit & Metellus Celer, ut ep. I. lib. V. & D. Brutus, ut ep. 4. lib. XI. SACERDOTIVM} auguratum. INIVRIAM} EXSVLIVM ſuum ſignificat. AVGVR *poſtea fieri uolui*, } in locum P. Licinij Craſsi, M. F. qui a Parthis occiſus eſt. EVM *honorem*} triumphum. NVNC *mihi expetendum puto*. } ut, ſi quam antea, pulſus in exſulium, dignitatis iacturam feciſſet, honore nouo ita ſarciret, ut de priſtino ſtatu detractum nihil, additum potius aliquid ad gloriam uideretur. cauſſam hanc attigit ep. 6. lib. VI. ad Att. his uerbis: Amicorum litterae me ad triumphum uocant, rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν noſtram, non negligendam. AD *ſanandum uulnus iniuriae*, } iniuria, ideſt exſulium, iniuſte mihi irrogatum, quaſi uulnus fuit, cuius medicina triumphus erit. VT FAVEAS} in ſupplicatione adipiſcenda, quae triumphi praerogatiua erat. ep. 4. QVOD *Paullo ante me negaram rogaturum, uehementer rogo*, } dixi iam de hoc artificij genere, ep. 16. 18. 47. lib. XIII. HONORES *ſummos*} triumphos. EQVIDEM *etiam mihi illud &c.*} cognita Catonis conſuetudine, ne totum ponere uideatur in bellicis rebus, quae plerumque a fortuna pendent, aequitatem, & continentiam ſuam commemorat; eaq. ſibi ait contra metum impendentis Parthici belli, & ad ſociorum animos recuperandos, firmiſsima praeſidia fuiſſe. QVAM *attente te audire ſoleam*} cum de habendis, aut non habendis honoribus in ſenatu ſententiam dicis. IN *mea cauſſa*} in hoc negotio, de quo tecum ago. EXERCITV *imbecillo*, } duabus legionibus. ep. 15. lib. V. ad Att. & Coelius ep. 5. lib. IIX. Si Parthus mouet aliquid, ſcio non mediocrem fore contentionem. tuus porro exercitus uix unum ſaltum tueri poteſt. MAXIMI *belli*, } Parthici, quod, poſt Craſſum interfectum, caeſasq. eius copias, formidoloſum in primis erat. VETERIS *imperij*, } imperij Romani, cui parere ſoliti erant. PRAESERTIM *ad te*, } cum enim omnes ſocij ſuas querellas ad te deferant; nimirum nihil eorum ignoras, quae in prouincijs geruntur. itaque narrari haec a me de me ipſo, neceſſe non uidetur. QVI MEIS *inſtitutis ſe recreatos putant*. } cum Appij inſtitutis afflicti eſſent. ep. 16. lib. V. ad Att. & ep. I. lib. VI. ad eundem. DVAE *maximae clientelae tuae, Cyprus inſula, Cappadociae regnum*, } Cyprus ea cauſſa, quia lege P. Clodij, Ciceronis inimici, Piſone & Gabinio coſ. profectus in eam inſulam Cato, regis Ptolemaei, qui ſibi ueneno mortem conſciuit, publicatis bonis, maximam pecuniae uim in aerarium intulerat. mos autem ueterum fuit, ut, quorum opera natio aliqua in populi Romani poteſtatem ueniſſet, eorum in clientela perpetuo eſſet. itaque Siculi Marcellorum, Paeni Scipionem clientes. Citicos quoque, qui erant in Cypro inſula, Catonis clientes lib. IV. de Fin. Cicero uocat. Cappadociae regnum ideo clientela Catonis erat, quia regem Ariobarzanem uehementer diligebat, auctorq. ſenatui fuit, ut cum Ciceroni commendaret. de quo ſupra, Regem Ariobarzanem, inquit, cuius ſalutem a ſenatu te auctore commendatam habebam, praeſentibus inſidijs nec opinantem liberaui. Maximas autem clientelas appellat, quia priuatae quoque tenuiorum hominum erant. DE *me loquentur*. } Cyprum enim inſtitutis meis recreaui: Cappadociae regem inſidijs liberaui. QVAE *ſi etiam maiora ſunt*; } quam res geſtae. ſupra enim dixit: Equidem etiam mihi illud animaduertiſſe uideor, te non tam res geſtas, quam mores, inſtituta, atque uitam imperatorum ſpectare ſolere in habendis, aut non habendis honoribus. IN *omnibus ſaeculis pauciores uiri reperti ſunt, qui ſuas cupiditates, quam qui hoſtium copias uincerent*: } fortaſſe hanc ſententiam e Xenophontis Ageſilao ſumpſit. Πολὺ πλέονες, inquit, τῶν πολεμιῶν, ἢ τῶν τοιούτων, δύνανται κρατεῖν. Et infra: Καλὸν μὲν δοκεῖ εἶναι, τείχη ἀνάλωτα ἵστασθαι ὑπὸ πολεμίων: πολὺ μέντοι ἔγωγε κάλλιον κρίνω, τὸ τὴν αὑτοῦ ψυχὴν ἀνάλωτον κατασκευάσαι, καὶ ὑπὸ χρημάτων, καὶ ὑπὸ ἡδονῶν, καὶ ὑπὸ φόβου. HAEC *genera uirtutis*, } aequitatem, & continentiam. IVSTIORES} profecto, qui ſententiam attenderit, legendum, Illuſtriores, intelliget bellicis enim rebus non iuſtitiam, ſed ſplendorem addunt aequitas, & continentia. ALLEGEM} mittam. ep. 10. Allegarem ad te illos. IN *forum, atque in remp.* } cum uterque locos graues ex philoſophia, abhorrentes ab uſu forenſi, & publico, magna cum laude in iudicijs, in concionibus, in ſenatu tractaret. uide prooemium Paradoxorum. IN *ipſam aciem paene deduximus*. } otio, & deſidiae, forum, remp. aciem opponit. aciẽ autem pro ſumma contentione poſuit, non quaſi tertiũ quiddam, a duobus proxime dictis, ideſt a foro, & a rep. diuerſum, ſed quod & foro, & reip. iungatur: quaſi dixerit, in maiores & fori, & reip. contentiones. qua ſimilitudine lib. I. de Orat. forenſem aciem appellauit. NEGARI} negauit tamen. ep. ſequ. & lib. IIX. ep. XI. & ad Att. ep. I. 2. lib. VII. A CATONE} ab eo, qui philoſophiam ipſam uehementer amat. uis eſt in nomine: ut ad Curionem ep. 4. lib. 2. Quid eſt, quod poſsit grauiter a Cicerone ſcribi ad Curionem, niſi de rep. EX *meis litteris*, } ex his litteris quibus a te peto, ut mihi tua ſententia faueas, adiutorq. ſis. AVCTORITATE TVA, } quam ſummam eſſe dixit initio litterarum. MIHI, *quod maxime cupierim, contigiſſe*. } ſupplicationem ipſam.

---

## Argumentum ep. 5.

*MIrum in hac epiſtola uidere licet artificium. cum enim ſe Cato excuſet, quia ſupplicationem non decreuerit; idem tamen decretam eſſe gaudet.*

*rurſus,*

*rurſus, cum ſupplicationis honorem Ciceroni ſua ſententia non tribuerit; ſe tamen de illo ſenſiſſe honorificentius, quam eos, qui ſupplicationem decreuerunt, probare conatur. Paullo, & Marcello coſ.*

## *M. Cato S. D. M. Ciceroni imp.* 5.

QVOD *& reſp. me, & noſtra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam uirtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in maximis rebus togati, armati foris pari induſtria adminiſtrari gaudeam. itaque, quod pro meo iudicio facere potui, ut innocentia, conſilioq. tuo defenſam prouinciam, ſeruatum Ariobarzanis cum ipſo rege regnum, ſociorum reuocatam ad ſtudium imperij noſtri uoluntatem, ſententia mea, & decreto laudarem, feci. ſupplicationem decretam, ſi tu, qua in re nihil fortuito, ſed ſumma tua ratione, & continentia reip. prouiſum eſt, dijs immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum mauis; gaudeo. quod ſi triumphi praerogatiuam putas ſupplicationem; & iccirco caſum potius, quam te, laudari uis: neque ſupplicationẽ ſequitur ſemper triũphus: & triumpho multo clarius eſt, ſenatum iudicare, potius mãſuetudine, & innocentia imperatoris prouinciã, quam ui militum, aut benignitate deorũ, retentam, atque conſeruatam eſſe: quod ego mea ſententia cenſebam. Atque haec ego iccirco ad te contra conſuetudinem meam pluribus ſcripſi, ut, quod maxime uolo, exiſtimes me laborare, ut tibi perſuadeam, me & uoluiſſe de tua maieſtate, quod ampliſſimum ſum arbitratus; &, quod tu maluiſti, factum eſſe gaudere. Vale, & nos dilige, & inſtituto itinere ſeueritatem, diligentiamq. ſocijs, & reip. praeſta.*

## EXPLANATIO

INNOCENTIAM,} hoc addidit, quia poteſt eſſe uirtus ſine innocentia: nam hic uirtus eſt praeſtantia quaedam & animi, & ingenij: qualem in multis fuiſſe diſiunctam ab innocentia, hiſtoriae teſtantur. COGNITAM *in maximis rebus domi togati,*} cum remp. Catilinae coniurationis exitio togatus liberaſti. ep. 13. lib. XII. Tua toga omnium armis felicior. ADMINISTRARI} exerceri. PRO *meo iudicio,*} non laudaui te gratiae cauſſa, ſed adductus iudicio meo: cum ij, qui ſupplicationem tibi decreuerunt, gratiae fortaſſe potius id tribuerint, quam iudicio. INNOCENTIA, *conſilioq. tuo*} ut ſupra cum uirtute innocentiam, ita coniungit hoc in loco cum innocentia conſilium. nam ut reip. ſine innocentia uirtus, ita ſine conſilio innocentia nihil prodeſt. DEFENSAM} contra metum Parthici belli, non quod Cicero cum Parthis pugnauerit. & ipſe in epiſtola ſuperiore, Reperies, inquit, me exercitu imbecillo contra metum maximi belli firmiſsimum praeſidium habuiſſe aequitatem, & continentiam. QVA *in re nihil fortuito,*} Fortuito geri eas res oſtendit, quarum cauſſa ſupplicatio decerni, & dijs immortalibus gratulatio fieri ſoleret. ita bellicas uictorias fortunae tribuit, Ciceronis autem continentiae, & aequitati defenſam prouinciam, ſeruatum Ariobarzanis cum ipſo rege regnum, ſociorum reuocatam ad ſtudium imperij uoluntatem. qua ſententia uideri uolebat, plus decreuiſſe Ciceroni, quam ſi ſupplicationem decreuiſſet. ſed Cicero aliter accepit, dolorem tamen ſuum diſsimulauit, ut intelligitur ex epiſtola ſequenti: ad Atticum autem cum ſcriberet: Aueo ſcire, inquit, Cato quid agat: qui quidem in me turpiter fuit maleuolus: dedit integritatis, iuſtitiae, clementiae, fidei mihi teſtimonium, quod non quaerebam; quod poſtulabam, negauit. itaque Caeſar ijs litteris, quibus mihi gratulatur, & omnia pollicetur, quo modo exultat Catonis, in me ingratiſsimi, iniuria? at hic idem Bibulo dierum uiginti: ignoſce mihi, non poſſum haec ferre, nec feram. Et ep. 3. ibidem, inuidiſſe ait Catonem ſuae dignitati. GAVDEO.} ſi tu mauis, ea, quae, pro rep. feciſti, non rationi, & continentiae tuae, ſed dijs immortalibus tribui; ſupplicationem decretam gaudeo. TRIVMPHI *praerogatiuam*} quae tribus, quaeq. centuria ſuffragium ferebat, praerogatiua dicebatur, quod prima rogaretur, ut ait Aſconius, quos uellet conſules fieri. & quoniam praerogatiuae tanta auctoritas erat, ut eam ceterae tribus, & centuriae ſequerentur: inde factum, ut praerogatiua pro certo acciperetur ſigno, futuram rem praenunciante. CASVM *potius, quam te, laudari uis;*} fortuitum euentum, beneficio deorum immortalium, potius, quam aequitatem, & continentiam tuam. Lib. III. de nat. de. Hoc quidem omnes mortales ſic habent, omnem commoditatem, proſperitatemq. uitae a dijs ſe habere: uirtutem nemo umquam acceptam deo retulit. nimirum recte: propter uirtutem enim iure laudamur, & in uirtute recte gloriamur: quod non contingeret, Si id donum a deo, non a nobis, haberemus. at uero honoribus aucti, aut re familiari, aut ſi aliud quippiam nacti ſumus fortuiti boni, aut depulimus mali; cum dijs gratias agimus, tum nihil noſtrae laudi aſſumptũ arbitramur. &c. CONTRA *conſuetudinem meam,*} Stoicorum enim breuis oratio. Stoicus autem Cato: ut indicat oratio pro Murena, Plutarchus, & alij. QVOD *maxime uolo,*} maxime uolo exiſtimes, laborare me &c. DE *tua maieſtate,*} de tua dignitate. QVOD *ampliſſimum ſum arbitratus;*} duxi ampliſsimum eſſe, rationi & continentiae tuae acceptam referri defenſionem prouinciae, quod mea ſententia cenſui; non benignitati deorum immortalium; quod cenſuerunt ij, qui ſupplicationem decreuerunt. QVOD *tu maluiſti,*} maluiſti, ſupplicationem decerni: quod factum eſſe gaudeo. SEVERITATEM,} ne quid contra leges committatur. qua uirtute Cato ipſe in primis excelluit.

# Argumentum ep. 6.

*EXponit, eximia cum Catonis laude, quantam ceperit uoluptatem ex eius ſententia, & ex litterarum gratulatione: petitque, ut, ſi fauere noluerit in adipiſcendo triumpho, ſaltem, ſi adipiſcatur, gaudeat. Eodem anno.*

## *Cicero S. D. Catoni. 6.*

LAETVS *ſum laudari me, inquit Hector, opinor apud Naeuium, abs te pater laudato uiro. ea eſt enim profecto iucunda laus, quae ab ijs proficiſcitur, qui ipſi in laude uixerunt. ego uero, uel gratulatione litterarum tuarum, uel teſtimonijs ſententiae dictae, nihil eſt, quod me non aſſecutum putem. idq. mihi tum ampliſſimum, tum gratiſſimum eſt, te libenter amicitiae dediſſe, quod liquido ueritati dares. &, ſi non modo unus, uerum etiam multi Catones eſſent in ciuitate noſtra, in qua unum exſtitiſſe mirabile eſt: quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? nam ad meum ſenſum, & ad illud ſincerum, ac ſubtile iudicium nihil poteſt eſſe laudabilius, quam ea tua oratio, quae eſt ad me perſcripta a meis neceſſarijs. ſed cauſſam meae uoluntatis (non enim dicam, cupiditatis) expoſui tibi ſuperioribus litteris. quae etiam ſi parum iuſta tibi uiſa eſt, hanc tamen habet rationem, ut non nimis concupiſcendus honos, ſed tamen, ſi deferatur a ſenatu, minime aſpernãdus eſſe uideatur. ſpero autem illum ordinem, pro meis ob remp. ſuſceptis laboribus; me non indignum honore, uſitato praeſertim, exiſtimaturum. quod ſi ita erit; tantum ex te peto, quod amiciſſime ſcribis; ut cum tuo iudicio, quod ampliſſimum eſſe arbitraris, mihi tribueris; ſi id, quod maluero, acciderit, gaudeas. ſic enim feciſſe te, & ſenſiſſe, & ſcripſiſſe uideo: reſq. ipſa declarat, tibi illum honorem noſtrum ſupplicationis fuiſſe iucundum, quod ſcribendo affuiſti. haec enim S. C. non ignoro ab amiciſſimis eius, cuius de honore agitur, ſcribi ſolere. Ego, ut ſpero, te propediem uidebo, atque utinam rep. meliore, quam timeo. Vale.*

## EXPLANATIO

LAETVS *ſum laudari me*} Senarij finis eſt, Laetus ſum: alter ſenarius integer, Laudari me, pater, abs te laudato uiro. Tuſc. 4. OPINOR, *apud Naeuium,*} opinor, ait, memoriae uitium ſimulans dignitatis cauſſa: ne uideatur homo conſularis, & iam ſenior poetas lectitare. quod eo uideri turpius putabat, quia non ad iuuenem quendam ſcribebat, fabellis poeticis deditum, non ad eum, qui mediocrem prudentiam conſecutus eſſet, uerum ad grauiſsimum & ſapientiſsimum uirum Catonem, ab omni abhorrentem uoluptate, addictum philoſophiae, eamq. uita & moribus exprimentem C. Naeuius poeta Campanus, ut ex Gellij lib. 1. cap. 24. licet conijcere, ſcripſit carmine bellum Punicum primum, & in eo bello ipſe militauit: fabulas praeterea multas, quarum exemplis utuntur ſaepe Varro, Feſtus, Nonius, alij. LAVDATO *uiro.*} quae enim laus eſt a non laudato? Recte Plautus in Epid. Strenuiori deterior ſi praedicat ſuas pugnas, de illius ore fiunt ſordidae. AMPLISSIMVM,} uſus eſt Catonis uerbo, qui ſcripſerat: Me uoluiſſe de tua maieſtate, quod ampliſsimum ſum arbitratus. LIBENTER *amicitiae dediſſe,*} & hic, ut opinor, ad Catonis uerba reſpexit. dixerat enim initio epiſtolae ſuae: Quod & reſp. me, & noſtra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam uirtutem, &c. Laudaſti, inquit, me amicitiae cauſſa. libenter enim amicitiae tribuiſti, quod ueritati facile tribueres. ET . SI *non modo unus, uerum etiam multi Catones eſſent &c.*} unus es uere Cato, iſto plane dignus cognomine, antiqua maiorum uirtute decorato: uerum, ſi multi praeterea Catones eſſent; ego tamen ſententiae tuae teſtimonium omnibus triumphis anteponerem: quanto magis, cum ſis unus: quo tua maior eſt auctoritas, tua uirtus illuſtrior. Cum uero dixit: Si non modo unus, uerum etiam multi Catones eſſent: Catonum praeſtantiam, non numerum, cogitauit. nam alij quoque Catones erant, ut C. Cato, qui ep. 2. 4. 5. lib. 1. nominatur. Video quoſdam legere, Omnes, non Vnus: quorum opinionem non improbo. eodem enim fere ſpectat, & ad ſtipulatores habet ueteres libros: quorum teſtimonio noſtra quoque ſententia comprobatur. QVEM *ego currum, aut quam lauream*} quem triumphũ. nam & currus, & laurea corona ſunt inſtrumenta triumphantium. AD . MEVM *ſenſum,*} ut quidem ego ſentio. alij fortaſſe pluris faciunt ſupplicationem decretam: mihi tamen ſententia tua, quae ſupplicationem non decreuit, nihil uidetur laudabilius, & praeſtantius eſſe poſſe. AD . ILLVD *ſincerum, ac ſubtile iudicium*} quaſi non ſincere, nec ſubtiliter iudicent, qui aliter ſentiunt. Pronomen, Illud, non commune, ſed ſingulare quiddam hic deſignat: ut ep. 9. lib. IIX. Si ad illam ſummam ueritatem legitimum ius exegeris. Et pro Marcello: Illa ipſa rerum humanarum domina fortuna. Et alibi. CAVSSAM *meae uoluntatis*} dixit enim in ſuperioribus litteris, cupere ſe ſupplicationem, non quia delectetur inani laude, ſed ut acceptam ab inimicis iniuriam nouis honoribus compenſet. PARVM *iuſta tibi uiſa eſt,*} quia ſupplicationem non decreuiſti. HONOS,} & ſupplicatio, & triumphus. HONORE, *uſitato praeſertim,*} triumpho: nam ſupplicationem ſenatus iam decreuerat. TANTTM *ex te peto,*} non peto, ut mihi triumphum decernas: ſed illud tantum peto, ſi triumphum ſenatus detulerit, ut gaudeas. QVOD

*ampliſſimum*

*ampliſſimum eſſe arbitraris,*} ampliſsimum eſſe iudicaſti, uirtutem, innocentiam, diligentiam meam laudari: idq. mihi tribuiſti. QVOD *malucro*,} malebat triumphum, quam ſine triumpho laudari. SIC *enim feciſſe te uideo:*} uideo te ſupplicatione mihi decreta gauiſum eſſe; quia, cum S. C. ſcriberetur, affuiſti. ET. SENSISSE,} ſenſu intimo, non uultu ſolum, qui ſaepe mentitur, gauiſum eſſe. SCRIPSISSE} gaudere enim ſe, factum eſſe, quod Cicero maluiſſet, ideſt ſupplicationem decretam, in ſuis litteris Cato dixerat. SCRIBENDO *affuiſti.*} uide illud, ſcribendo affuerunt, ep.7.lib.IIX. QVAM *timeo.*} emergebat iam inter Caeſarem & Pompeium diſcordia, quae ciuile bellum, reip. pernicioſum, excitauit.

# Argumentum ep.7.

*M. Marcello gratulatur de fratre patruele conſule deſignato: petitq. ab eo, ut ſibi quamprimum, annuo prouinciae imperio finito, ſucceſſor mittatur. Sulpicio, & Marcello cos.*

## *Cicero procos. S. D. M. Marcello cos.* 7.

*TE & pietatis in tuos, & animi in remp. & clariſſimi atque optimi conſulatus, C. Marcello conſule facto, fructum cepiſſe, uehementer gaudeo. non dubito, quid praeſentes ſentiant. nos quidem longinqui, & a te ipſo miſſi in ultimas gentes, ad caelum mehercule te tollimus ueriſſimis, ac iuſtiſſimis laudibus. nam cum te a pueritia tua unice dilexerim; tuq. me in omni genere ſemper ampliſſimum eſſe & uolueris, & iudicaris: tum hoc uel tuo facto, uel populi R. de te iudicio, multo acrius, uehementiusq. diligo; maximaq. laetitia afficior, cum ab hominibus prudentiſſimis, uirisq. optimis, omnibus dictis, factis, ſtudijs, inſtitutis uel me tui ſimilem eſſe audio, uel te mei. unum uero ſi addis ad praeclariſſimas res conſulatus tui, ut aut mihi ſuccedat quamprimum aliquis, aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & S. C. & lege finiſti: omnia me per te conſecutum putabo. Cura ut ualeas & me abſentem diligas, atque defendas. Quae mihi de Parthis nunciata ſunt; quia non putabam a me etiam nunc ſcribenda eſſe publice, propterea ne pro familiaritate quidem noſtra uolui ad te ſcribere; ne, cum ad conſulem ſcripſiſſem, publice uiderer ſcripſiſſe. Vale.*

## EXPLANATIO

C. MARCELLO *conſule facto,*} deſignatus erat conſul in annum ſequentem C. Marcellus: qui ſi frater germanus fuiſſet M. Marcelli, addidiſſet Cicero, fratre tuo. erat autem frater patruellis: poſt quem conſul fuit alter C. Marcellus, Marci frater germanus: de quo ep.9. lib. IV. A TE *ipſo miſſi*} a te conſule, & Ser. Sulpicio, collega tuo. ep.3.lib.III. Infra: quod tu mihi & S. C. & lege finiſti. VLTIMAS *gentes,*} inter ultimas imperij Romani. nam ultra Ciliciam Syria eſt. ep. 9. lib. I. Recordare, quibus laudationem ex ultimis terris miſeris. Cum Hiſpaniam citeriorem, non ulteriorem ſignificet. DILEXERIM;} &, Dilexi, uſitatum erat. utrique enim modo ſeruit particula, Cum, ſequente Tum, ut ep. 6. lib. IX. Cum enim te ſemper magnum hominem duxi; tum quod his tempeſtatibus es prope ſolus in portu. TVO *facto,*} quod opera, gratia, ſtudio tuo factum ſit, ut conſul crearetur C. Marcellus patruelis frater tuus. POPVLI *R. de te iudicio,*} quid enim populus de te iudicet, fratre tuo conſule facto declarauit. VEL *me tui ſimilem eſſe audio, uel te mei.*} comparari ſolitum Ciceroni M. Marcellum, & iudicari ſimillimum, hic locus, & alter in Bruto declarat. interroganti enim Ciceroni, Quid de Marcello iudicas, quem ſaepe audiſti? reſpondet Brutus: Quid cenſes, niſi id, quod habiturus es ſimilem tui? Et infra: Itaque cum eum ante tui ſimilem in dicendo uiderim; tum uero nunc, a doctiſsimo uiro Cratippo inſtructum omni copia, multo uidebam ſimiliorem. AVT *mihi ſuccedat quamprimum aliquis,*} quamprimum, ideſt poſt abſolutum annuum imperium. AVT *ne quid accedat temporis,*} aut, ſi nemo ſuccedat, ſaltem diſcedere mihi liceat, eo tempore decurſo, quod tu mihi & S. C. & lege finiſti. quod ita contigit. nemine enim ſuccedente, Coelium, quaeſtorem ſuum, decedens Cicero prouinciae praepoſuit. TV. MIHI} immo uterque conſul. Sed unum, ad quem ſcribit, affatur, ut ſupra, A te ipſo miſsi. ET *S. C. & lege*} lex curiata ſignificatur: de qua diximus ep.9. lib.I. in eo loco: Si licitum eſſet legem curiatam ferre. NON *putabam a me etiam nunc ſcriberda eſſe publice.*} nondum enim ſatis certa: quae poſtea legatis primum Antiochi regis Commageni, deinde litteris Tarchondimoti, & Iamblici confirmata ſunt. ep.1. huius libri. quamquam primus locus, habita ratione temporum, huic epiſtolae debetur.

## Argumentum ep. 8.

*C. Marcello de conſulatu gratulatur: ſuamq. illi dignitatem commendat. Eodem anno.*

### *Cicero procos. S. D. C. Marcello cos. des.* 8.

MAXIMA *ſum laetitia affectus, cum audiui te conſulem factum eſſe: eumq. honorem tibi deos fortunare uolo, atque a te pro tua, parentisq. tui dignitate adminiſtrari. nam cum te ſemper dilexi, amauique, quod mei amantiſſimum cognoui in omni uarietate rerum mearum: tum patris tui pluribus beneficijs, uel defenſus triſtibus temporibus; uel ornatus ſecundis, neceſſe eſt ut & ſim totus ueſter. & eſſe debeam: cum praeſertim matris tuae, grauiſſ.me, atque optimae feminae, maiora erga ſalutem, dignitatemq. meam ſtudia, quam erant a muliere poſtulanda, perſpexerim. quapropter a te peto maiorem in modum, ut me abſentem diligas, atque defendas. Vale.*

## EXPLANATIO

C. MARCELLO} Hic locus, non ſemper credendum ueteribus libris, facile probat. ſcriptum eſt enim in omnibus, Marco, non, Caio, falſo, ut oſtendam, praenomine. Tres Marcelli, unus Marci, duo Caij praenomine, per triennium deinceps conſules fuere: primo anno Marcus, M. F. ut ait Dio, Ser. Sulpicio collega quibus non conſulibus deſignatis ſed conſulatum gerentibus, Cicero in prouinciam profectus eſt, ut e ſuperiore ep. & ex ep. 3. lib. III. perſpicuum fit: altero anno cum L. Paullo Caius, C. F. Ciceronis in auguratu collegae, Marci uero non frater germanus, ſed, ut perſpicue narrat Suetonius, patruelis. nam ſi germani eſſent fratres, in patris praenomine congruerent. at Marcus Marco patre, Dione teſte, natus eſt: Caius autem Caio: quod ex epiſtola, quae ſequitur hoc initio: Marcellum tuum, intelligitur. atque his conſulibus Cicero, abſoluto annuo imperio, ex prouincia deceſsit. Tertio anno alter Caius, M. F. ut lapides Capitolini, & Dio ſignificat, Marci, biennio ante conſulis, frater germanus, quod ex parentis praenomine cognoſcitur, cum L. Lentulo, anno ciuilis belli primo, conſul fuit. cuius anni primis diebus, ideſt pridie non. Ian. Cicero procos. ad urbem acceſsit: ut ep. 10. lib. XVI. Haec ad infirmandum conſenſum ueterum librorum, & ueritatem hiſtoriae teſtimonio reſtituendã, arbitror ſufficere. Eſt enim hic (ut ἐγ ἐπιτομῇ ſupra dicta colligantur) C. non M. Marcellus, ut quidam crediderunt, M. Marcelli, ad quem ſuperior eſt epiſtola, frater patruelis, Caij, ad quem ſequens, filius. FORTVNARE} etſi Fortunae uocabulum ſit ambiguum; propterea q. aduerſa, uel ſecunda, diſtinctionis gratia, appellari ſoleat: fortunare tamen uerbum, & fortunatus, in bonam partem ſemper accipiuntur. ep. 2. lib. 2. Tibi patrimonium dij fortunent. VOLO,} pro Cupio: ut ep. 19. lib. XII. Eandem rem tibi uolo bene, & feliciter euenire. Et ep. 1. lib. 1. Regis cauſſa, ſi qui ſunt, qui uelint. Hanc ſententiam expreſsit alijs uerbis ep. XI. Tibi uelim ij ſint exitus, quos mereris: quos fore confido. Et ep. 7. lib. 2. Vt ſempiternae laudi tibi ſit iſte tribunatus, exopto. PARENTISQ. *tui*} C. Marcelli, ad quem ſcribit Cicero epiſtolam ſequentem. IN. OMNI *uarietate rerum mearum:*} ep. ſeq. Vel in labore, uel in honore meo. & ep. 4. 29. lib. XIII. VESTER,} tuus, & parentis tui. MATRIS *tuae,*} Iuniae. ep. ſequ. ERGA *ſalutem,*} in laboribus meis. ep. XI. DIGNITATEM} in honoribus. Proxime utrumque dixit: In omni uarietate rerum mearum. DILIGAS, *atque defendas.*} praeſertim in conſulatu. timebat enim Cicero, ne ſibi, propter Galliarum controuerſiã, Pompeio eas Caeſari ante legitimum tempus eripere cupiente, uel ſuccederet nemo, uel etiam prouinciae tempus prorogaretur. ep. 7. & lib. IIX. ep. 5. 6. 8.

---

## Argumentum ep. 9.

*Gratulatur C. Marcello de filio conſule deſignato: petitq. ut ſe abſentem diligat, atque defendat. Eodem anno.*

### *Cicero procos. S. D. C. Marcello collegae.* 9.

MARCELLVM *tuum conſulem factum, teq. ea laetitia affectum eſſe, quam maxime optaſti, mirum in modum gaudeo, idq. cum ipſius cauſſa, tum quod te omnibus ſecundiſſimis rebus digniſſimum iudico:*

*cuius*

*cuius erga me ſingularem beneuolentiam uel in labore meo, uel in honore perſpexi: totam denique domum ueſtram uel ſalutis, uel dignitatis meae ſtudioſiſſimam, cupidiſſimamq. cognoui. Quare gratum mihi feceris, ſi uxori tuae Iuniae, grauiſſimae, atque optimae feminae meis uerbis eris gratulatus. A te id, quod conſueſti, peto, me abſentem diligas, atque defendas. Vale.*

## EXPLANATIO

COLLEGAE.} in auguratu. hoc ipſe docet Cicero lib. 2. de Diuin. & Cariſius. MARCELLVM *tuum*} filium. VEL *in labore meo, uel in honore*} idem alijs uerbis in epiſtola ſuperiore: Patris tui pluribus beneficijs, uel defenſus triſtibus temporibus, uel ornatus ſecundis. & ep. 10. VEL *ſalutis, uel dignitatis meae*} proxime dixit: uel in labore meo, uel in honore. IVNIAE} matri C. Marcelli, conſulis deſignati.

# Argumentum ep. 10.

*QVando id accidit, ſic mei quinque ueteris libri: reliqui, Quomodo, Cum, Quom. placet, Quando.*

### *M. Cicero imp. S. D. C. Marcello C. F. cos.* 10.

*QVANDO id accidit, quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam, (mirificus enim generis, ac nominis ueſtri fuit erga me ſemper animus) quando ergo ita accidit, ut omnium ueſtrum ſtudio tuus conſulatus ſatisfacere poſſet, in quem meae res geſtae, lauſque, & honor earum potiſſimum incideret: peto a te id, quod facillimum factu ſit, non aſpernante, ut confido, ſenatu; ut quam honorificentiſſimum* S. C. *litteris meis recitatis, faciendum cures. Si mihi tecum minus eſſet, quam eſt cum tuis omnibus; allegarem ad te illos, a quibus intelligis me praecipue diligi. Patris tui beneficia in me ſunt ampliſſima. neque enim ſaluti meae, neque honori amicior quiſquam dici poteſt. frater tuus quanti me faciat, ſemperq. fecerit, eſſe hominem, qui ignoret, arbitror neminem: domus tua denique tota me ſemper omnibus ſummis officijs proſecuta eſt. neque uero tu in me diligendo cuiquam conceſſiſti tuorum. Quare a te peto maiorem in modum, ut me per te quam ornatiſſimum uelis eſſe, meamq. & in ſupplicatione decernenda, & in ceteris rebus exiſtimationem ſatis tibi eſſe commendatam putes. Vale.*

## EXPLANATIO

MARCELLINORVM *etiam,*} eorum etiam, qui ex familia ueſtra in alias adoptione tranſierunt. deſignat maxime Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum: de quo uide quae diximus. ep. 1. GENERIS,} Claudiae gentis. NOMINIS} nomen interdum accipitur pro familia, interdum & pro praenomine, uel cognomine. hic uidetur eſſe dictum de familia. LAVSQ. *& honor earum*} ut laudari, & honorari, te conſule poſſent, ſupplicatione decreta. SI MIHI *tecum minus eſſet,*} diximus hoc de genere loquendi. ep. 1. lib. XIII. ALLEGAREM} mitterem. ep. 4. Philoſophiam ad te allegem. NEQVE *enim ſaluti meae, neque honori amicior quiſquam dici poteſt.*} Idem alijs uerbis ep. 8. 9. FRATER *tuus*} patruelis, M. Marcellus. ep. 7. NEQVE *uero tu in me diligendo cuiquam conceſſiſti tuorum.*} paullo ante dixit: Si mihi tecum minus eſſet, quam eſt cum omnibus tuis. IN *ſupplicatione decernenda*} uterque conſul, magis tamen Paullus, Ciceroni ſtuduit in ſupplicatione decernenda; uide ep. 11. lib. IIX.

# Argumentum ep. 11.

*AGit gratias conſuli Marcello de ſupplicatione decreta: eo ſe propediem ad urbem fore ſignificat.*

### *Cicero imp. S. D. C. Marcello cos.* 11.

*QVANTAE tibi curae meus honos fuerit, & quam idem exſtiteris conſul in me ornando, & amplificando, qui fueras ſemper cum parentibus tuis, & cum tota domo; etſi res ipſa loquebatur, cognoui*

*tamen*

*tamen ex meorum omnium litteris. itaque nihil eſt tantum, quod ego non tua cauſſa debeam, facturusq. ſim cum ſtudioſe, tum libenter. nam magni intereſt, cui debeas: debere autem nemini malui, quam tibi: cui me cum ſtudia communia, beneficia paterna, tuaq. iam ante coniunxerant; tum accedit, mea quidem ſententia, maximum uinculum, quod ita remp. geris, atque geſſiſti, qua mihi carius nihil eſt, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantundem ego unus debeam, non recuſem. quamobrem tibi uelim ij ſint exitus, quos mereris: quos fore confido. Ego, ſi me nauigatio non morabitur, quae incurrebat in ipſos Eteſias, propediem, te ut ſpero, uidebo. Vale.*

## EXPLANA IO

MEVS . HONOS} ſupplicatio. CVM *parentibus tuis*,} matrem quoque ſignificat: de qua uide ep. 8. RES *ipſa loquebatur*,} cum decreta mihi ſupplicatio eſſet. MAGNI *intereſt, cui debeas*:} cauſſam affert, cur dixerit, Tum libenter. non enim omnibus libenter debemus. IAM ANTE} ante quam conſul eſſes. VT, *quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantundem ego unus debeam non recuſem*.} ſimile illud ep. 18. lib. VI. Non recuſo, quin, quantum de illo libro, tantundem de mei iudicij fama detrahatur. TIBI *uelim ij ſint exitus, quos mereris*:} ep. 8. Eum honorem tibi deos fortunare uolo. IN *ipſos Eteſias*,} de his uentis, certo anni tempore flantibus, unde nomen accepere, diximus ep. 15. lib. 2.

# Argumentum ep. 12.

*ET gratulatur Paullo de conſulatu, ſicuti ep. 8. gratulatus eſt Marcello: & ab eo petit, ut operam det, ne quid ſibi temporis ad annuum prouinciale munus addatur. Marcello, & Ser. Sulpicio cos.*

### *Cicero imp. S. D. L. Paullo cos. des.* 12.

*ETSI mihi numquam fuit dubium, quin te populus R. pro tuis ſummis in remp. meritis, & pro ampliſſima familiae dignitate, ſummo ſtudio, cunctis ſuffragijs conſulem facturus eſſet: tamen incredibili laetitia ſum affectus, cum id mihi nunciatum eſt: eumq. honorem tibi deos fortunare uolo, a teq. ex tua, maiorumq. tuorum dignitate adminiſtrari. atque utinam praeſens illum diem, mihi optatiſſimum, uidere potuiſſem, proq. tuis ampliſſimis erga me ſtudijs, atque beneficijs tibi operam meam, ſtudiumq. nauare. quam mihi facultatem quando hic nec opinatus, & improuiſus prouinciae caſus eripuit: tamen, ut te conſulem remp. pro tua dignitate gerentem uidere poſſim, magnopere a te peto, ut operam des, efficias, ne quid mihi fiat iniuriae, ne ue quid temporis ad meum annuum munus accedat. quod ſi feceris; magnus ad tua priſtina erga me ſtudia cumulus accedet. Vale.*

## EXPLANATIO

L. PAVLLO} Aemiliae gentis, patriciae. uidetur is eſſe, qui Catilinam lege Plautia, ut ait Salluſtius, interrogarat. COS. DES.} cum C. Marcello. NEC *opinatus, & improuiſus*,} hae duae particulae, Nec, Et, ſic uſurpantur interdum, ut antecedat ea, quae negat, ſequatur quae affirmat. ep. 1. lib. x. Nec miror, & gaudeo. PROVINCIAE *caſus*,} ep. 2. lib. III. Cum & contra uoluntatem meam, & praeter opinionem accidiſſet, ut mihi cum imperio in prouinciam proficiſci neceſſe eſſet.

# Argumentum ep. 13.

*PEtit, ut ſibi ſupplicationem decernendam curet: ſuamq. ceteris in rebus exiſtimationem commendat. Paullo, & Marcello cos.*

### *M. Cicero imp. S. D. L. Paullo cos.* 13.

*MAXIME mihi fuit optatum, Romae eſſe tecũ, multas ob cauſſas, ſed praecipue, ut & in petẽdo, & in gerendo conſulatu meum tibi debitum ſtudium perſpicere poſſes. ac petitionis quidẽ tuae ratio mihi ſem*

*per fuit explorata: ſed tamen nauare operam uolebam. in conſulatu uero cupio equidem te minus habere negotij: ſed moleſte fero, me conſulem tuum ſtudium adoleſcentis perſpexiſſe, te meum, cum id aetatis ſim, perſpicere non poſſe. ſed ita fato neſcio quo contigiſſe arbitror, ut tibi ad me ornandum ſemper detur facultas, mihi ad remunerandum nihil ſuppetat praeter uoluntatem. ornaſti conſulatum, ornaſti reditum meum. incidit meum tẽpus rerum gerendarum in ipſum conſulatum tuum. itaque cum & tua ſumma amplitudo, & dignitas, & meus magnus honos, magnaq. exiſtimatio poſtulare uideatur, ut a te pluribus uerbis contendam, ac petam, ut quamhonorificentiſſimum* S. C. *de meis rebus geſtis faciendum cures: non audeo uehementer a te contendere; ne aut ipſe tuae perpetuae conſuetudinis erga me oblitus eſſe uidear, aut te oblitum putem. quare, ut te uelle arbitror, ita faciam; atque ab eo, quem omnes gentes ſciunt de me optime meritum, breuiter petam. Si alij conſules eſſent: ad te potiſſimum Paulle mitterem, ut eos mihi quamamiciſſimos redderes. nunc, cum tua ſumma poteſtas, ſummaq. auctoritas, notaq. omnibus noſtra neceſſitudo ſit; uehementer te rogo, ut & quamhonorificentiſſime cures decernendum de meis rebus geſtis, & quamcelerrime. dignas res eſſe & honore, & gratulatione, cognoſces ex ijs litteris, quas ad te, & ad collegam, & ſenatum publice miſi: omniumq. mearum reliquarum rerum, maximeq. exiſtimationis meae procurationem ſuſceptam, uelim habeas; in primisq. tibi curae ſit, quod abs te ſuperioribus quoque litteris petiui, ne mihi tempus prorogetur. cupio te conſulem uidere, omniaque, quae ſpero, cum abſens, tum etiam praeſens te conſule aſſequi. Vale.*

## EXPLANATIO

FVIT *explorata:*} numquam dubitaui, quin te populus R. conſulem cunctis ſuffragijs facturus eſſet. ORNASTI} ſtudijs, & officijs tuis. REDITVM *meum.*} ab exſulio. RERVM *gerendarum,*} in prouincia. AMPLITVDO, *& dignitas,*} quae conſulis eſt. OMNES *gentes,*} ſignificat, praedicari a ſe etiam in prouincia, quantum Paullo debeat. HONORE,} ſupplicationis. GRATVLATIONE,} ut gratulatio fiat dijs immmortalibus ob res proſpere geſtas. AD *collegam,*} C. Marcellum. eae litterae non exſtant. PROCVRATIONEM, *ſuſceptam, uelim habeas;*} quam antea ſuſcepiſti, eam uelim habeas. CVM *abſens, tum etiam praeſens,*} abſens ſupplicationem, praeſens triumphum.

---

## Argumentum ep. 14.

*FActurum ſe ſtudioſe Fabij cauſſa, quae Caſſius rogauerat, pollicetur: dolet, ſe Caſſium non uidiſſe ad urbem, e prouincia redeuntem: rogat, operam det, ne quid ſibi temporis ad annuam prouinciae adminiſtrationem accedat. Paullo, & Marcello cos.*

### *Cicero S. D. C. Caſſio proquaes.* 14.

M. FABIVM *quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quaeſtum. multi enim anni ſunt, cum ille in aere meo eſt, & a me diligitur propter ſummam ſuam humanitatem, & obſeruantiam. ſed tamen, quod te ab eo egregie diligi ſenſi, multo amicior ei ſum factus. itaque quamquam profecerunt litterae tuae; tamen aliquanto plus commendationis apud me habuit animus ipſius erga te mihi perſpectus, & cognitus. Sed de Fabio faciemus ſtudioſe, quae rogas. Tu, multis de cauſſis, uellem, me conuenire potuiſſes; primum, ut te, quem tamdiu plurimi facio, tanto interuallo uiderem: deinde, ut tibi, quod feci per litteras, poſſem praeſens gratulari: tum, ut, quibus de rebus uellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus; poſtremo, ut amicitia noſtra, quae ſummis officijs ab utroque culta eſt, ſed longis interuallis temporum interruptam conſuetudinem habuit, confirmaretur uehementius. id quando non accidit, utemur bono litterarum, & eadem fere abſentes, quae ſi coram eſſemus, conſequemur. unus ſcilicet fructus, qui in te uidendo eſt, percipi litteris non poteſt. alter gratulationis eſt, is quidem exſilior, quam ſi tibi, te ipſum intuens, gratularer: ſed tamen & feci ante, & facio nunc, tibiq. cum pro rerum magnitudine, quas geſſiſti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quod te de prouincia decedentem ſumma laus, & ſumma gratia prouinciae proſecuta eſt. Tertium eſt, ut id, quod de noſtris rebus coram communicaſſemus inter nos, conficiamus idem litteris. Ego ceterarum rerum cauſſa tibi Romam properandum magnopere cenſeo: (nam & ea, quae reliqui, tranquilla de te erant: & hac tua recenti uictoria tanta clarum aduentum tuum fore intelligo) ſed, ſi quae ſunt onera tuorum; ſi tanta ſunt, ut ea ſuſtinere poſſis; propera: nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius: ſin maiora, conſidera, ne in alieniſſimum tempus cadat aduentus tuus. huius rei totum conſilium tuum eſt. tu enim ſcis, quid ſuſtinere poſſis. ſi potes; laudabile, atque populare eſt: ſin plane non potes, abſens hominum ſermones facilius ſuſtinebis. De me autem idem tecum his ago litteris, quod ſuperioribus egi, ut omnes tuos neruos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc prouinciam, quam & ſenatus, & populus annuam eſſe uoluit, temporis prorogetur.*

*prorogetur. hoc a te ita contendo, ut in eo fortunas meas poſitas putem. habes Paullum noſtrum noſtri cupidiſſimum: eſt Curio: eſt Furnius. ſic uelim enitare, quaſi in eo ſint mihi omnia. Extremum illud eſt de ijs, quae propoſueram, confirmatio noſtrae amicitiae: de qua pluribus uerbis nihil opus eſt. tu puer me appetiſti: ego autem ſemper ornamento te mihi fore duxi. fuiſti etiam praeſidio triſtiſſimis meis temporibus. acceſſit poſt tuum diſceſſum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. itaque in ueſtro ingenio, & induſtria mihi plurimum & ſuauitatis, & dignitatis conſtitutum puto. id tu ut tuo ſtudio confirmes, te uehementer rogo, litteraſq. ad me & continuo mittas, &, cum Romam ueneris, quamſaepiſſime. Vale.*

## EXPLANATIO

C. CASSIO} qui poſtea Caeſarem occidit. PROQVAES.} quaeſtor cum M. Craſſo procos. in Syriam iuerat. eo mox a Parthis interfecto, proquaeſtor uſque ad Bibuli procos. aduentum in prouincia remanſit. M. FABIVM} fortaſſe is eſt, quem Coelio commendat ep. 14. lib. 2. Paeto ep. 25. lib. IX. Curtio ep. 59. lib. XIII. IN AERE MEO EST,} inter meos. ep. 62. lib. XIII. Semper in animo habui, te in meo aere eſſe propter Lamiae noſtri coniunctionem. ME *conuenire potuiſſes*:} ante quam ab urbe diſcederem, in prouinciam proficiſcens. TANTO *interuallo*,} poſt triennium. nam Caſsius cum Craſſo proconſule in Syriam iuerat Domitio & Appio cos. Cicero autem Sulpicio & Marcello. GRATVLARI} ob rem bene geſtam. infra: Hac tua uictoria tanta. Et ep. 10. lib. 2. & ad Att. ep. 20. lib. V. TVM,} cum de duabus rebus agit Cicero, primum, deinde, ſolet uſurpare: cum de tribus, primum, deinde, poſtremo: cum de quattuor, tertio loco, Tum, inſerit. BONO *litterarum*,} commodo litterarum. VNVS *ſcilicet fructus*,} etſi uideo eſſe in aliquot antiquis libris, Vnus ſcilicet uni fructus: mihi tamen magis arridet uerbum enim, Vni, quem hic locum habeat, non ſatis intelligo. quid enim eſt, Vnus uni fructus percipi litteris non poteſt? quaſi uero non id omnium commune ſit. nemo enim ex amici litteris eum fructum, quem ex praeſentis conſpectu, & ſermone, percipit. PRO *opportunitate temporis*,} hoc uidetur dicere, quia parabatur in eum accuſatio, fortaſſe de repetundis. nam auaritiae nomine male audijt Caſsius. quod & Plutarchus in Bruti uita narrat: & Coelij quoque teſtimonio cognoſcitur. ait enim ep. 8. lib. IIX. In eam opinionem Caſsius uenerat; quae diripuiſſet ipſe, ut uiderentur ab hoſte iactata, finxiſſe bellum, & Arabas in prouinciam immiſiſſe, eoſq. Parthos eſſe ſenatui renunciaſſe, ſatis igitur Caſsij patet auaritia. accuſationem autem demonſtrant illa uerba: Si quae ſunt onera tuorum; ſi tanta ſunt, ut ea ſuſtinere poſsis: &c. Recte igitur gratulatur Cicero pro opportunitate temporis, quia ſummam in eum decedentem prouincia beneuolentiam oſtenderat. quod inimicorum ſermones refellebat. EA, *quae reliqui*,} cum ab urbe diſceſsi, turbulenti nihil erat aduerſus te: ſed allatus poſtea uictoriae tuae nuncius clariorem faciet aduentum tuum. HAC *tua recenti uictoria*} Parthos enim Caſsius fudit, fugauitq. poſt aduentum Ciceronis in prouinciam. id oſtendit ep. 10. lib. 2. fudit tamen Parthos Caſsius ante Bibuli Syriae proconſulis aduentum. qua de re ſic in Philipp. XI. Magnas ille res geſsit ante Bibuli, ſummi uiri, aduentum, cum Parthorum nobiliſsimos duces, maximaſq. copias fudit, Syriamq. immani Parthorum impetu liberauit. De hac uictoria Dio lib. XL. & alij. SI *quae ſunt onera tuorum*;} Quae ſunt haec onera? opinor uel propinquus aliquis Caſsij, uel amicus, qui cum eo fuiſſet in prouincia, pecuniae contra leges captae, aut ereptae accuſabatur: qui ſi damnatus eſſet, manifeſtum praeiudicium fuiſſet in Caſsium. SI *tanta ſunt*,} Tanta, minuit hic potius, quam auget magnitudinem: ut ep. 8. lib. IIX. Sin aut non erit iſtic bellum, aut tantum erit, ut uos, aut ſucceſſores, paruis additis copijs, ſuſtinere poſsint. EA *ſuſtinere*,} efficere, ne damnentur. Tranſlatio, quia dixerat, Onera. PROPERA: *nihil tibi erit lautius*,} ex omnibus antiquis libris, unus omnino Maſſeorum eſt, in quo ita legatur. nam reliqui mei, Prope, Mediceus, Propere, habet. ex quo patet, qui ueritatem e tenebris uelit educere, multos ei conſulendos eſſe ueteres libros. Sententia ſatis aperta. LAVTIVS,} elegantius. SCIS, *quid ſuſtinere poſſis*.} ſcis, an tuis opibus efficere poſsis, ut abſoluantur tui. Tecta admonitio: quaſi dicat: ſi damnantur tui; tibi quoque periculum impendet. SENATVS} ſenatus conſulto. POPVLVS} lege. ep. 7. PALLVM} Conſulem. ep. XIII. EST *Curio: eſt Furnius*.} uterque tribunus pl. ep. XI. lib. IIX. & ad Att. ep. 18. lib. V. ENITARE,} Supra: Omnes tuos neruos in eo contendas. QVASI *in eo ſint mihi omnia*.} Supra: Vt in eo fortunas meas poſitas putem. TRISTISSIMIS *meis temporibus*.} Clodianis: cum in exſulium Cicero pulſus eſt. CVM *Bruto tuo*,} M. Bruto: cuius ſoror uxor erat Caſsij. Plutarchus, & alij. SVAVITATIS,} habet rationem aetatis: nam erant Cicerone multis annis iuniores.

# Argumentum ep. 15.

*Conſilium ſuum de non renouando ciuili bello demonſtrat: clementiam Caeſaris laudat: Italiae gemitum, & ciuitatis querellas oſtendit: Caſſij ſententiam*

*ſententiam non de praeſentibus modo, ſed etiam de futuris rebus exquirit. Caeſare iterum, & Seruilio cos.*

### *Cicero S. D. Caßio.* 15.

ETSI *uterque noſtrum, ſpe pacis, & odio ciuilis ſanguinis, abeſſe a belli pertinacia uoluit: tamen, quando eius conſilij princeps ego fuiſſe uideor, plus fortaſſe tibi praeſtare ipſe debeo, quam a te exſpectare. etſi, ut ſaepe ſoleo mecum recordari, ſermo familiaris meus tecum, & item mecum tuus adduxit utrumque noſtrum ad id conſilium, ut uno prooelio putaremus ſi non totam cauſſam, at certe noſtrum iudicium definiri conuenire. neque quiſquam hanc noſtram ſententiam uere umquam reprehendit, praeter eos, qui arbitrantur melius eſſe deleri omnino remp. quam imminutam & debilitatam manere. ego autem ex interitu eius nullam ſpem ſcilicet mihi proponebam, ex reliquijs magnam. ſed ea ſunt conſecuta, ut magis mirum ſit accidere illa potuiſſe, quam nos non uidiſſe ea futura, nec, cum homines eſſemus, diuinare potuiſſe. equidem fateor meam coniecturam hãc fuiſſe, ut, illo quaſi quodam fatali prooelio facto, & uictores cõmuni ſaluti conſulere uellent, & uicti ſuae. utrumque autem poſitum eſſe arbitrabar in celeritate uictoris. quae ſi fuiſſet, eandem clementiam experta eſſet Africa, quam cognouit Aſia, quam etiam Achaia, &, ut opinor, ipſo legato, ac deprecatore. amiſſis autem temporibus, quae plurimum ualent, praeſertim in bellis ciuilibus, interpoſitus annus alios induxit, ut uictoriam ſperarent, alios, ut ipſum, uinci, contemnerent. atque horum malorum omnium culpam fortuna ſuſtinet. quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adiunctum iri, aut neſcio quem iſtum Pharnacem Aſiae terrorem illaturum putaret? nos tamen, in conſilio pari, caſu diſſimili uſi ſumus. tu enim eam partem petiſti, ut & conſilijs intereſſes, & , quod maxime curam leuat, futura animo proſpicere poſſes: ego, qui feſtinaui, ut Caeſarem in Italia uiderẽ, (ſic enim arbitrabamur) eumque, multis honeſtiſſimis uiris conſeruatis, redeuntem, ad pacem currentem, ut aiunt, incitarem, ab illo longiſſime & abſim, & abfui: uerſor autem in gemitu Italiae, & in urbis miſerrimis querellis: quibus aliquid opis fortaſſe, ego pro mea, tu pro tua, pro ſua quiſque parte ferre potuiſſet, ſi auctor affuiſſet. quare uelim pro tua erga me perpetua beneuolentia ſcribas ad me, quid uideas, quid ſentias, quid exſpectandum, quid agendum nobis exiſtimes. magni erunt mihi tuae litterae. atque utinam primis illis, quas Luceria miſeras, paruiſſem. ſine ulla enim moleſtia dignitatem meam retinuiſſem. Vale.*

## EXPLANATIO

VTERQVE *noſtrum*,} uterque enim, uicto in Pharſalia Pompeio, ab armis diſceſsit, uerum prior Cicero: propterea ſubiungit: Eius conſilij princeps ego fuiſſe uideor. SPE *pacis*,} fore enim ſperabam, ut, illo in Pharſalia quaſi quodam fatali prooelio facto, pax conſequeretur. ſed, cum homines eſſemus, ea futura, quae acciderunt, diuinare non potuimus. ODIO *ciuilis ſanguinis*,} uerum: tamen illud uerius, ſpe pacis. nam bellum in Africa renouatum iri non putauit. quod infra ſignificat: & ad Atticum aperte, ep. 16. lib. XI. PLVS *fortaſſe tibi praeſtare ipſe debeo quam a te exſpectare*.} efficere ipſe debeo, ne te paeniteat conſilij tui, non a te exſpectare, ut ea ſcribas ad me, quibus in ſententia confirmer. Hoc praeponit, quia dicturus erat, quod in extremo poſuit: Velim ſcribas ad me, quid uideas, quid ſentias, quid exſpectandum, quid agendum nobis exiſtimes. Hanc enim ob cauſſam ſcripſiſſe uidetur has litteras. SI *non totam cauſſam*,} fieri enim poſſet, ut Pompeiana cauſſa uno prooelio uicta, tamen afflicta & perdita plane non eſſet. NOSTRVM *iudicium definiri conuenire*.} ut arma deponeremus. iudicare enim ex una pugna potuimus, perſequi nos belli ciuilis extrema non debere. DELERI} deletur enim reſp. cum de communi iure, pace contempta, diſceptatur armis. IMMINVTAM} uno prooelio. SCILICET} eleganter uſurpatum pro nimirum. ep. 6. lib. I. & 21. lib. IX. & ad Att. ep. 10. lib. XIII. NOS *non uidiſſe*,} non enim fore putauimus, ut in Africa tantum bellum, tantis Pompeianorum copijs, excitaretur. Videtur ſignificare, ab armis fortaſſe diſceſſurum neque ipſum, neque Caſsium fuiſſe, ſi uidiſſent ea futura, quae poſtea praeter utriuſque opinionem acciderunt. iam enim dixit, utrumque ſpe pacis abeſſe a belli pertinacia uoluiſſe. quod apertius ad Atticum ſcripſit, ep. 16. lib. XI. Qui ex Aſia inquit, ueniunt, nihil auditum eſſe dicunt de pace: cuius ego ſpe in hanc fraudem incidi. CVM *homines eſſemus*,} quibus diuinare non licet. ET *uictores communi ſaluti conſulere uellent*,} pace facta, uictis ignoſcendo. ET *uicti ſuae*.} depoſitis armis, uenia praeteritorum petita. AFRICA,} Pompeiani, qui ſe poſt Pharſalicum prooelium in Africam contulerant. Metonymia: nam ab eo, quod continet, ſignificatur id, quod continetur. QVAM *cognouit Aſia, quam etiam Achaia*,} quam cognouerunt ij, qui poſt Pharſalicam pugnam ſe in Aſiam, & in Achaiam receperunt. Videtur autem hic locus indicare, ſcriptam eſſe hanc epiſtolam poſtea quam Caeſar ex Alexandrino bello per Aſiam, & Achaiam in Italiam reuertit. Ego aliter ſentio. nam, ante reditum ſuum in Italiam, Pompeianis multis, uel in Aſia, uel in Achaia commorantibus, Caeſar ignouit. hoc probatur uerbis ep. 14. lib. XI. ad Att. Cum adhuc Caeſar eſſet Alexandriae, tamen in illa epiſtola ſcribit Cicero ignotum eſſe quibuſdam Pompeianis, qui uel in Achaia, uel in Aſia conſiderant. Praeterea cum ait in hac ad Caſsium epiſtola: Quis neſcio quem iſtum Pharnacem Aſiae terrorem illaturum putaret? num dubie ſignificat, Caeſarem cum Pharnace bellum gerere? Iam illud, Ego, qui feſtinaui, ut Caeſarem in Italiam uiderem; ſatis aperte, ut mihi uidetur,

demonſtrat, Ciceronem Brundiſij adhuc eſſe, nec dum Caeſarem uidiſſe. IPSO} Caeſare. LEGATO, *ac deprecatore.*} non exſpectaſſet, ut Pompeiani legatos ad eum, qui deprecarentur, mitteret: ſed ipſe ad eos, quae eſt eius humanitas, & clementia, ultro iuiſſet, atque, ut pace facta reconciliarentur, deprecatus eſſet. TEMPORIBVS,} occaſionibus. QVAE *plurimum ualent,*} nam neque res eaedem ſemper ſunt, neque hominum uoluntas. INTERPOSITVS *annus,*} inter pugnam Pharſalicam, & id tempus, quo Caeſar, conſumptis, ut ait Appianus, in Alexandrino bello nouem menſibus, Pharnacem deuicit. ALIOS *induxit, ut uictoriam ſperarent, alios, ut ipſum, uin ci, contemnerent.*} Pompeianorum, bellum in Africa renouantium, duo genera ponit: quorum alij, anno poſt Pharſaliae cladem interpoſito, in ſpem uictoriae uenerant: alij, licet uictoria non ſperarent, pugnare tamen ſtatuerant, ita animati, ut, etiam ſi contigiſſet, ut uincerentur, non laborarent. CVLPAM *fortuna ſuſtinet.*} culpam uocat, quia bellum in Africa renouetur, ſed fortunae culpam, non hominum. TANTAM *moram,*} nouem menſium. Appianus. NESCIO *quem iſtum Pharnacem,*} quem nemo tanti roboris putauit, ut Aſiae terrorem inferret. Mithridates filius fuit: quo Caeſar mox unica pugna ſuperato, ſcripſit ad amico : Veni, uidi, uici: ut Pompeium carperet, qui tamen mulierculis in Aſia pugnaſſet. Hic locus, nondum uictum eſſe Pharnacem, oſtendit, ex quo licet epiſtolae annum inuenire. Fuiſſe autem cum Pharnaces Aſiam terreret, Ciceronem Brundiſij, duae ad Atticum epiſtolae, 21. 22. lib. XI. clariſsime demonſtrant. IN *conſilio pari,*} diſcedendi ab armis, & ſpe pacis, & odio ciuilis ſanguinis. CASV *diſſimili,*} hoc expl natur ſequentibus uerbis: quorum ſententia, collecta breuiter, haec eſt: Tu te ad Caeſarem ipſum contuliſti, ut cum eo eſſes: ego me Brundiſium, ut eum exſpectarem. CONSILIIS *intereſſes,*} Caeſaris. Caſsius enim cum claſſe in Helleſponto Caeſari occurrens, non ſolum ei ſe tradidit, uerum etiam apud eum manſit. Dio lib. XLII. FVTVRA *animo proſpicere poſſes:*} quod ijs non licet, qui conſilijs non interſunt. Propterea dixit infra: Velim ſcribas ad me, quid uideas, quid ſentias, quid exſpectandum, quid agendum nobis exiitimes. FESTINAVI,} cuius eum conſilij grauiter paenituit. ad Att. ep. 6. & 9. lib. XI. SIC *enim arbitrabamur,*} nam neque de Alexandrino bello, neque de Pharnace ſuſpicari poteramus. LONGISSIME} Cicero enim Brundiſij, Caeſar in Ponto, confecto iam, ut arbitror, Alexandrino bello. IN *gemitu Italiae, & in urbis miſerrimis querellis:*} abſente Caeſare, M. Antonius multa contra leges, moremq. maiorum tyrannico more commiſit. itaque Cicero oratione ſecunda in illum, Italiae, inquit, percurſatio, comite mima: in opida militum crudelis & miſera deductio: in urbe auri, argenti, maximeq uini faeda direptio. Et Paullo poſt: Quid ego iſtius decreta, quid rapinas, quid hereditatum poſſeſsiones datas, quid ereptas proferam? cogebat egeſtas: quo ſe uerteret, non habebat: erat ei uiuendum latronum ritu; ut tantum haberet, quantum rapere potuiſſet. SI *auctor affuiſſet.*} Caeſar: quo auctore publicis uulneribus mederemur. QVID *uideas, quid ſentias,*} potes enim, cum interſis conſilijs, futura animo proſpicere. ſupra. PRIMIS *illis,*} quibus ſuadebas, ut omnino ab armis abſtinerem.

---

# Argumentum ep. 16.

*IOcatur in opiniones Epicureorum, ideſt in ipſum Caßium, Epicureae philoſophiae deditum, Caeſare quartum conſule bellum in Hiſpania contra Pompei liberos gerente. uidetur autem ſcripta poſt ſequentes duas: ut hic ſit ordo: prima, quae incipit, longior epiſtola: ſecunda, Praepoſteros: quam ipſe alteram eſſe dicit: tertia, Puto te: quam tertiam appellat.*

## *Cicero S. D. Caßio.* 16.

PVTO *te iam ſuppudere, cum haec te tertia iam epiſtola ante oppreſſit, quam tu ſchedulam, aut literam. ſed non urgeo: longiores enim exſpectabo, uel potius exigam. ego ſi ſemper haberem, cui darem, uel ternas in hora darem. fit enim neſcio quid, ut quaſi coram adeſſe uideare, cum ſcribo aliquid ad te: neque id* κατ᾽ εἰδώλων φαντασίας*, ut dicunt tui amici noui, qui putant etiam* διανοητικὰς φαντασίας *ſpectris Catianis excitari. nam ne te fugiat, Catius Inſuber Epicureus, qui nuper eſt mortuus, quae ille Gargettius, & iam ante Democritus,* εἴδωλα*, hic ſpectra nominat. his autem ſpectris etiam ſi oculi poſſent feriri, quod uelis ipſa currunt; animus qui poſſit, ego non uideo doceas tu me oportebit, cum ſaluus ueneris, in mea ne poteſtate ſit ſpectrum tuum, ut, ſimul ac mihi collibitum ſit de te cogitare, illud occurrat. neque ſolum de te, qui mihi haeres in medullis: ſed, ſi inſulam Britanniam coepero cogitare, eius* εἴδωλον *mihi aduolabit ad pectus? ſed haec poſterius. tento enim te, quo animo accipias. ſi enim ſtomachabere, & moleſte feres; plura dicemus; poſtulabimusque, ex qua haereſi ui hominibus armatis deiectus ſis, in eam reſtituare. in hoc interdicto non ſolet addi, in hoc anno. quare ſi iam biennium, aut triennium eſt, cum uirtuti nuncium remiſiſti, delenitus illecebris uoluptatis; in integro res nobis erit. Quamquam quicum loquor? cum uno fortiſſimo uiro: qui, poſtea quam forum*

*attigiſti,*

*attigiſti, nihil feciſti, niſi pleniſſimum ampliſſime dignitatis. in iſta ipſa αἱρέσει metuo ne plus neruorum ſit, quam ego putarim, ſi modo eam tu probas. Quid tibi in mentem uenit, inquies? Quia nihil habebam aliud, quod ſcriberem. de rep. enim nihil ſcribere poſſum. neque enim, quod ſentio, libet ſcribere. Vale.*

## EXPLANATIO

CVM *haec te tertia iam epiſtola ante oppreſſit,*} ſic olim emendauimus ex antiquo libro Vincentij Riccij a ſpe: idq. teſtati ſumus ante aliquot annos in ſcholijs noſtris. nam quod eſt in alijs ueteribus libris: Cum haec tertia iam epiſtola ante operis ſit: id mihi prorſus non placet. ſenſus enim uidetur eſſe durior, nec tamen, niſi fallor, uerus. quid enim? adeo ne longa eſt haec epiſtola, ut opus uideri poſsit? cum praeſertim eam, quae ſequitur, Cicero breuem appellet: quae tamen breuior, quam haec, non eſt. EXIGAM.} quaſi debitas: cum ego tres epiſtolas iam ad te miſerim. Nonius in, Exigere, addit: Quando hercle ego temere exigam. NEQVE. ID *κατ' εἰδώλων φαντασίας,*} quod graece *φαντασία*, Latine uiſum dici poſſe, ait Cicero Acad. I. hic igitur interpretamur, per ſpectrorum, uiſa. Putabant igitur Epicurei, ſi quis aliquam rem cogitaret, eius rei ſpectrum, & imaginem ad cogitantis animum aduolare. de qua opinione dubitat Cicero, & in eo iocatur. TVI *amici noui,*} Epicurei, quorum dogmata Caſsius ante biennium probare coeperat. *Διανοητικὰς φαντασίας*} mentis, uel intelligentiae uiſa. SPECTRIS *Catianis*} cogitationibus illis, quae Spectra Catius uocabat, Epicurus, & Democritus *εἴδωλα*. HIC *Spectra nominat.*} tacite, nec ſine ioco, Catium accuſat, qui, quod graece *εἴδωλον*, Spectrum Latine conuerterat. Et Caſsius in epiſtola ſua, quaſi iocum ioco reddens, Nec tamen, inquit, hoc uſu uenit propter ſpectra Catiana. Et quia ſenſerat, Catium a Cicerone reprehenſum, quaſi graeci uerbi malum interpretem, aegre ferens Epicureos ſuos ut barbare loquentes morderi, tamquam ad ulciſcendam iniuriam ſubiunxit: Pro quo tibi proxima epiſtola tot ruſticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum eſſe dicas. HIS *autem ſpectris*} & hic iocum quaerit, iterato ſpectrorum uocabulo. EXCITARI.} commoueri. dicebant enim Epicurei, ſi quis aliquid cogitaret, eius animum cogitatae rei ſpectro feriri. id Cicero infra explanat, cum ait: Doceas tu me oportebit, cum ſaluus ueneris, in tua ne poteſtate ſit ſpectrum tuum, ut, ſimul ac mihi libitum ſit de te cogitare, illud occurrat. Et proxime: Si inſulam Britanniam coepero cogitare, eius *εἴδωλον* mihi aduolabit ad pectus? Hic igitur aperte Cicero oſtendit, Epicureorum hanc opinionem fuiſſe, ut ſpectra non modo in oculos, ſed in animum quoque, ſi quam rem cogitare coepiſſemus, incurrerent. Libro autem de Fin. I. ex Epicuri ſententia non cogitatione ſpectra in animo gigni, ſed ſpectrorum incurſione adduci nos ad cogitandum, non obſcure docet. Imagines, inquit, quae *εἴδωλα* nominant, quorum incurſione non ſolum uideamus, ſed etiam cogitemus. Eodemq. ſpectat illud ep. 3. lib. 2. Si *κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις* uideremus, ualde laborarent *εἴδωλα* in anguſtijs. CATIVS} de quo Quinctilianus lib. X. cap. I. In Epicureis leuis quidem, ſed non iniucundus tamen auctor eſt Catius. INSVBER} ſic olim placuit: quamquam uideremus in antiquis omnibus libris eſſe, Inſuper. GARGETTIVS} Epicureus, ex ignobili pago Gargetto: unde Cicero lib. 2. de Nat. de. Quam uolet, inquit, Epicurus iocetur, homo non aptiſſimus ad iocandum, minimeq. reſpiciens *patriam*. Laertius, Suidas. DEMOCRITVS} Abderites, Pythagorae imitator, quamquam eum non audiuerit. Laertius. ETIAM *ſi oculis poſſent feriri,*} quae fuit Epicuri ſententia. QVOD *uelis ipſa currunt;*} Vincentij Riccij a ſpe liber habet: Quod in his incurrat. Quod uelis ipſa currunt. unus hoc totum non habet, ſed amplam lacunam, quantam ſcilicet implerent haec ipſa uerba: ut fortaſſe graecum aliquid deſit. nam eodem modo, qui librum illum deſcripſit, ubi graecum aliquid occurrit, inane ſpatium reliquit. Haec mihi uarietas mendi ſuſpicionem affert, & libenter legerem, Quod, cum uelis, ipſa incurrunt, ideſt in animum. INSVLAM, *Britanniam*} ſi, quam numquam uidi, coepero cogitare. SI. ENIM *Stomachabere,*} quod irridere uidear Epicuri dogmata. EX. QVA *haereſi*} e Stoica, ut ex ep. 19. intelligitur. VI HOMINIBVS *armatis*} per iocum uerba mutuatur ex iuriſconſultorum formulis. nam hoc ſignificat: poſtulabimus, ut, omiſſa uoluptate, referas te ad uirtutem, a qua diſceſsiſti. Vide ep. 13. lib. VII. IN. HOC *anno.*} quod addi ſolebat in omnibus interdictis. CVM *uirtuti nuncium remiſiſti,*} cum uirtutem amare deſiiſti. tranſlatio ab ijs, qui diuortium faciunt. IN. INTEGRO *res nobis erit.*} in integro non eſſet, ſi, ut in ceteris interdictis, item in hoc adderetur, In hoc anno. Sed tibi annuum ſpatium definitum non eſt: conceditur, ut uel poſt biennium, aut etiam triennium cum uirtute in gratiam redeas. QVAMQVAM *quicum loquor?*} quamquam, cum te nouerim, ſperare poſſe uideor, te ad uirtutem eſſe rediturum. nihil enim umquam feciſti, niſi pleniſsimum ampliſsimum dignitatis. IN *iſta ipſa αἱρέσει*} in Epicurea ſecta, quam probare coepiſti. NERVORVM,} cum ego eam mollem, & imbecillam putarim. QVID *tibi in mentem uenit, inquies?*} cur haec ſcribis? inquies. NEQVE *enim, quod ſentio, libet ſcribere.*} ep. 4. lib. 2. In hoc genere haec mea cauſſa eſt, ut neque ea, quae ſentio, uelim ſcribere.

## Argumentum ep. 17.

*QVeritur de tabellariorum importunitate: P. Sullae mortem, rumores de bello Hiſpanienſi, Panſae profectionem in prouinciam ſignificat: Caßij conſilium de manſione Brundiſina probat: officium litterarum & poſtulat, & pollicetur. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Caßio.* 17.

PRAEPOSTEROS *habes tabellarios: etſi me quidem non offendunt; ſed tamen, cum a me diſcedunt, flagitant litteras: cum ad me ueniunt, nullas afferunt. atque id ipſum facerent commodius, ſi mihi aliquid ſpatij ad ſcribendum darent: ſed petaſati ueniunt: comites ad portas exſpectare dicunt. ergo ignoſces; alteras habebis has breues: ſed exſpecta* πάντα περὶ πάντων. *etſi quid ego me tibi purgo, cum tui ad me inanes ueniant, ad te cum epiſtolis reuertantur? Nos hic, (tamen ad te ſcribam aliquid) P. Sullam patrem mortuum, habebamus. alij, a latronibus, alij, cruditate, dicebant. populus non curabat. combuſtum enim eſſe conſtabat. hoc tu pro ſapientia tua feres aequo animo. quamquam* πρόσωπον πόλεως *amiſimus. Caeſarem putabant moleſte laturum, uerentem ne haſta refrixiſſet. Mindius Marcellus, & Attius pigmentarius ualde gaudebant ſe aduerſarium perdidiſſe. De Hiſpania nihil, ſed exſpectatio ualde magna: rumores triſtiores, ſed* ἀδέσποτοι. *Panſa noſter paludatus ad* III. *Kal. Ian. profectus eſt: ut quiuis intelligere poſſet, id quod tu nuper dubitare coepiſti,* τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν *eſſe. nam, quod multos miſerijs leuauit, & quod ſe in his malis hominem praebuit; mirabilis eum uirorum bonorum beneuolentia proſecuta eſt. Tu quod adhuc Brundiſij moratus es, ualde probo, & gaudeo. & mehercule puto te ſapienter facturum, ſi* ἀκενόσπουδος *fueris. nobis quidem, qui te amamus, erit gratum. Et, amabo te, cum dabis poſthac aliquid domum litterarum, mei memineris. ego numquam quemquam ad te, cum ſciam, ſine meis litteris ire patiar. Vale.*

## EXPLANATIO

EXSPECTA *πάντα περὶ πάντων.*} omnia de omnibus: longiſsimas litteras de omnibus rebus. P. SVLLAM *patrem*} Corneliae gentis, cum, ut opinor, pro quo extat Ciceronis oratio. uide ep. 19. & lib. IX. ep. 10. & lib. 2. de off. MORTVVM,} extra urbem. nam ſubiungit: Alij a latronibus, alij, cruditate dicebant. HABEBAMVS.} audiebamus. NON *curabat*:} genere mortis. mortuum autem eſſe laetabatur. Eodem modo iocatus eſt Cicero de Sullae morte ep. 10. lib. IX. COMBVSTVM *enim eſſe conſtabat.*} itaque de morte dubitari iam non poterat. In hac familia combuſtum eſſe neminem, ante Sullam dictatorem, lib. VII. cap. 14. Plinius prodidit. PRO *tua ſapientia feres aequo animo.*} ironia. ſatis enim ſciebat non dolere Caſsium eius hominis morte, qui bona Pompeianorum emere in auctione ſolitus eſſet. infra. HASTA} ſignum auctionis. ep. 10 lib. IX. Ego ceteraqui animo aequo fero: unum uereor, ne haſta Caeſaris refrixerit. ADVERSARIVM} in emendis Pompeianorum bonis. DE HISPANIA} in qua Caeſar cum Pompeij liberis pugnabat. TRISTIORES, aduerſi Caeſaris rebus. Ἀδέσποτοι.} ſine auctore. PANSA} C. Vibius Panſa, qui poſtea cum Hirtio conſul fuit. PALVDATVS} ep. 8. lib. IIX. PROFECTVS EST} in Galliam exteriorem, M. Bruto ſucceſſurus, ep. 26. lib. XII. ad Att. VT. QVIVIS *intelligere poſſet,*} ex hominum beneuolentia, quae diſcedentem proſecuta eſt. NVPER} ante biennium uel triennium, Epicurus factus ep. 16. DVBITARE *coepiſti,*} honeſtum enim non propter ſe ipſum, ſed ita, ſi cum uoluptate iungeretur, Epicurei expetebant. Τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετόν:} honeſtum propter expetendum. MISERIIS *leuauit,*} ualebat enim apud Caeſarem & auctoritate. HOMINEM *praebuit;*} humaniſsime ſe geſsit: afflictis opem tulit. ſic Terentius in Heaut. Homo ſum: humani nihil a me alienum puto. Sic locutus ep. 18. lib. V. Te colligas, uirumq. praebeas. Ἀκενόσπουδος} minime curioſus, inanium rerum ſtudio uacans, rumuſculos cuiuſque rei non captans. ERIT *gratum.*} Brundiſij enim Caſsius, remotus ab omni negotio.

## Argumentum. ep. 18.

*EPiſtolae breuitatem excuſat feſtinatione tabellarij: triſtitiam temporum ſignificat: de bello Hiſpanienſi nihil ait eſſe certi, nihil noui. abſenti Caſſio gratulatur, ſua cauſſa dolet. Eodem anno.*

### *Cicero S. D. Caſsio* 18.

LONGIOR *epiſtola fuiſſet, niſi eo ipſo tempore petita eſſet a me, cum iam iretur ad te: longior etiam, ſi* φλύαρον *aliquem habuiſſet. nam* σπουδάζειν *ſine periculo uix poſſumus. ridere igitur, inquies, poſſumus.*

*ſumus. non mehercule facillime: uerumtamen aliam aberrationem a moleſtijs nullam habemus. ubi igitur, inquies, philoſophia? tua quidem in culina, mea moleſta eſt. pudet enim ſeruire. itaque facio, me alias res agere; ne conuicium Platonis audiam. De Hiſpania nihil adhuc certi: nihil omnino noui. Te abeſſe, mea cauſſa moleſte fero, tua gaudeo. Sed flagitat tabellarius. ualebis igitur, meque, ut a puero feciſti, amabis.*

## EXPLANATIO

Φλύαρον} garrulum, nugacem. ego autem nugis, & garrulitate non delector. Σπȣδάζειν} ſerio agere, graues res tractare. NON *mehercule facillime:*} ne Caeſarianos offendamus: quaſi de bello Hiſpanienſi bene ſperemus, & ideo rideamus. ABERRATIONEM *a moleſtijs*} ep.37.lib.XII. ad Att. Aberrationem a dolore. VBI *igitur, inquies, philoſophia?*} non ea tibi moleſtias adimit? TVA *quidem in culina, mea moleſta eſt.*} mordet Caſsium, ut Epicureum, cuius philoſophia uoluptatem rebus omnibus prae poneret. In culina: in epulis. Varie legitur hic locus in antiquis libris: Tua quidem in culina tua moleſtat: uel: Tua quidẽ in culina mea moleſtaſſet: uel: Et quidem in culina mea moleſta eſt: uel: Tua eſt? quidam in culina mea moleſtaſſet, in uno pro, Moleſta, Moleſtia, legitur. PVDET *enim ſeruire.*} reprehendit me, quia ſeruiam. FACIO *me alias res agere;*} fingo me non ſeruire, ſed alijs rebus operam dare. NE CONVICIVM *Platonis audiam.*} ſeruientes obiurgantis. DE. HISPANIA.} in qua Caeſar contra Pompeij filios bellum gerebat. MEA *cauſſa*} quia careo conſuetudine tua. TVA,} quia ſolutus omni cura frueris otio iucundiſsimo. ἀκενόσπȣδος, ep. 17.

---

### Argumentum ep. 19.

*Respondet ad duas Ciceronis epiſtolas, quae ante proximam ſuperiorem leguntur. maxime autem Epicurum, & Epicureos, quorum ipſe in numero erat, a ſtudio uirtutis & iuſtitiae laudat. Cupere uidetur, ut Caeſar in Hiſpania uincat, tam cognita iam eius clementia. Eodem anno.*

### *Caßius S. D. Ciceroni.* 19.

*NON mehercule in hac mea peregrinatione quidquam libentius facio, quam ſcribo ad te. uideor enim cum praeſente loqui, & iocari. nec tamen hoc uſu uenit propter ſpectra Catiana: pro quo tibi proxima epiſtola tot ruſticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum eſſe dicas. Panſam noſtrum ſecunda uoluntate hominum paludatum ex urbe exiſſe, cum ipſius cauſſa gaudeo, tum mehercule etiam omnium noſtrum. ſpero enim homines intellecturos, quanto ſit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia; atque ea, quae maxime mali petant, & cõcupiſcant, ad bonos peruenire. difficile eſt enim hominibus perſuadere, τὸ καλὸν δι᾽ αὑτὸ αἱρετὸν eſſe: ἡδονὴν uero, & ἀταραξίαν, uirtute, iuſtitia, τῷ καλῷ parari, & uerum, & probabile eſt. ipſe enim Epicurus, a quo omnes Catij, & Amafinij, mali uerborum interpretes, proficiſcuntur, dicit, οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν. itaque & Panſa, qui ἡδονὴν ſequitur, uirtutem retinet: & ij, qui a nobis φιλήδονοι uocantur, ſunt φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, omnesq. uirtutes & colunt, & retinent. itaque Sulla, cuius iudicium probare debemus, cum diſſentire philoſophos uideret, non quaeſiuit, quid bonum eſſet, & omnia bona coemit. cuius ego mortem forti mehercule animo tuli. nec tamen Caeſar diutius nos eum deſiderare patietur. nam habet damnatos, quos pro illo nobis reſtituat: nec ipſe ſectorem deſiderabit, cum filium uiderit. Nunc, ut ad remp. redeam, quid in Hiſpanijs geratur, reſcribe. peream, niſi ſolicitus ſum, ac malo ueterem, & clementem dominum habere, quam nouum, & crudelem experiri. ſcis, Cnaeus quam ſit fatuus: ſcis, quo modo crudelitatem uirtutem putet: ſcis, quam ſe ſemper a nobis deriſum putet. uereor, ne nos ruſtice gladio uelit ἀντιμυκτηρίσαι. quid fiat, ſi me diligis, reſcribe. Hui quam uelim ſcire, utrum iſta ſollicito animo, an ſoluto legas. ſciam enim eodem tempore, quid me facere oporteat. Ne longior ſim, uale: me, ut facis, ama. Si Caeſar uicit, celeriter me exſpecta.*

## EXPLANATIO

SPECTRA *Catiana:*} uide ep.16. RVSTICOS} indocte, & barbare loquentes. STOICOS} quorum ſectam probas, ut Epicurea meliorem. REGERAM,} contra obijciam. tu Catium notaſti ut ruſticum, & indoctum: ego contra, tot ruſticos tibi Stoicos nominabo, ut Catius, cum jis collatus, urbaniſsimus eſſe uideatur. Regerere, eſt ei, qui aliquid reprehendat, aliquid contra obijcere. Plinius lib. XIII.c.15. Confines ei Mauri: quibus plurima arbor cedri, & menſarum inſania: quas feminae uiris contra margaritas regerunt. ATHENIS} in urbe totius Graeciae humaniſsima, & eruditiſsima. ep. 1. lib. VI. In ea urbe es, ubi nata, & alta eſt ratio, ac moderatio uitae. PANSAM} ep.17. AD. BONOS *peruenire.*} ut ad Panſam, probum, & clementem uirum, peruenit honor Galliae adminiſtrandae. DIF-

FICILE *eſt enim hominibus perſuadere,*} quod nunc perſuadebitur, exemplo Panſae. propterea dixit: Spe
ro homines intellecturos, quanto ſit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia. Tò
καλὸν δι᾽ αὐτὸ αἱρετὸν eſſe:} honeſtum per ſe expetendum. hoc ſignificat. multi, cum honeſtum ſequun-
tur honorem, & utilitatem ſpectant: Panſa uero honeſtum amat propter ipſum. ideo iure perueniunt ad
eum, quae mali concupiſcunt. Ἡδονὴν uero, & ἀταραξίαν} uoluptatem, & ſtatum mentis perturbatione
carentem. in his enim duobus felicitatem locabat Epicurus: quod Plutarchi, Laertij, & aliorum teſtimonijs
probatur. VIRTVTE, *iuſtitia,* τῷ καλῷ *parari,*} hoc ſenſiſſe Epicurum, affirmat Caſsius: quamquam
Catius, & Amafinius, Epicuri uerba perperam interpretati, ſecus opinarentur. quod ſi uirtute, iuſtitia, ho-
neſto uoluptas tranquilitaſq. mentis paratur: quis Epicuri, hoc ſentientis, dogma non probet? OMNES
*Catij, & Amafinij*} omnes ij, qui ſimiles Catij ſunt, & Amafinij. de Catio ep. 16. de Amafinio Tuſc. 4. MA-
LI *uerborum interpretes,*} uel quia εἴδωλα, Catius uerteret ſpectra: uel quod Epicureorum duo genera,
unum eorum, qui Epicuri mentem ſenſu falſo interpretabantur, opinati uoluptatem eam, quam rebus om-
nibus praeponebat Epicurus, non uirtute, iuſtitia, honeſto, ſed obſcenis turpibuſq. rebus parari: quod Ca
tius, Amafinius, & horum ſimiles alij ſenſerunt, σοφισταί, a Laertio uocati. Alterum genus eorum erat, qui
uoluptatem ab honeſto, & uirtute diſiungendam non putabant: quod apertis uerbis Epicurus oſtendit: cũ
ſcriptum reliquiſſet: οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ δικαίως, καὶ καλῶς ζῆν: non licet ſuauiter uiuere, niſi iuſte, &
honeſte uiuatur. ex hoc genere Caſsius & ſe ipſum eſſe, & Panſam, & alios praeterea ſignificat. DICIT,}
in ſuis ſententijs, quae graece κύριαι δόξαι, a Cicerone ratae ſententiae uocantur. lib. 1. de Nat. de. lib. 2. de
Fin. οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς, καὶ δικαίως ζῆν:} non poteſt iucunde uiui, niſi honeſte, & iuſte uiuatur.
quam ſententiam lib. 2. de Fin. Sic attigit Cicero: Cum diceres clamare Epicurum, non poſſe iucunde uiui
niſi honeſte, & ſapienter, & iuſte uiueretur. Et Tuſc. 3. Negat Epicurus iucunde poſſe uiui, niſi cum uirtute
uiuatur. Et Tuſc. 5. Epicurus negat quemquam iucunde poſſe uiuere, niſi idem honeſte, ſapienter, iuſteq.
uiuat. Extant apud Laertium Epicuri aliquot epiſtolae: quarum in tertia ſunt haec: Διὸ καὶ φιλοσοφίας
τιμιώτερον ὑπάρχει φρόνησις, ἐξ ἧς αἱ λοιπαὶ πᾶσαι πεφύκασιν ἀρεταί, διδάσκουσαι, ὡς οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν,
ἄνευ τοῦ φρονίμως, καὶ καλῶς καὶ δικαίως: οὐδὲ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως, ἄνευ τοῦ ἡδέως. Et infra,
ubi recitat eius ſententias: οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν, ἄνευ τοῦ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως: οὐδὲ φρονίμως,
καὶ καλῶς, καὶ δικαίως, ἄνευ τοῦ ἡδέως: ὅτῳ δὲ τοῦτο μὴ ὑπάρχει, οὐ ζῇ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως:
καὶ ᾧ τοῦτο οὐκ ὑπάρχει, οὐκ ἔστι τοῦτον ἡδέως ζῆν. Quod Cicero lib. 1. de Fin. Latine ſic expreſsit: Clamat
Epicurus, non poſſe iucunde uiui, niſi ſapienter, honeſte, iuſteq. uiuatur; nec ſapienter, honeſte, iuſte, niſi
iucunde. A VOBIS} Epicureos irridentibus, tamquam uoluptatis, nulla uirtutis cura, ſtudioſos. ita-
que uocatis eos φιληδόνους tantum, non, ut oporteret, etiam φιλοκάλους, καὶ φιλοδικαίους. φιλήδονοι} amato-
res uoluptatis. φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι} amatores honeſti, & iuſti. SVLLA,} cuius mortem Cice-
ro ſignificauerat, ep. 17. CVIVS *iudicium probare debemus,*} quaſi praeſtantis uiri. Ironia. DIS-
SENTIRE} de ſummo bono: quod alij ponerent in ſola uoluptate, alij in uirtute, quidam in diuitijs, aut
in alia re. QVID *bonum eſſet,*} quod eſſe uarium uidebatur, ex uaria philoſophorum ſententia. OM-
NIA *bona coemit.*} ne erraret in delectu, omnia bona ſumpſit. Ludit in ambigua bonorum ſignificatio-
ne. nam philoſophi de ſummo bono diſputabant: Sulla uero Pompeianorum bona omnia, cum in auctio-
ne uenderentur, coemit. FORTI *mehercule animo*} & hic iocatur. nullam enim Caſsius moleſtiam ce
pit ex obitu Sullae. DESIDERARE} nemo Sullam deſiderabat: ſed, quaſi deſideraretur, ita fore
Caſsius dicit, ut alios ei ſimiles reſtituat Caeſar. HABET *damnatos, quos pro illo nobis reſtituat:*} argu
ta in primis & feſtiua ſententia. lege Pompeia damnatos reſtituerat Caeſar: ut legimus apud eum lib. III. de
bel. ci. hoc latenter Caſsius notat: cum tamen de jis loquatur, quos Caeſar ad ſectiones faciendas, ne haſta
refrigeſceret, Sullae mortuo ſuffecturus eſſet. Iocus eſt in uerbo, Reſtituat, ambigua ſignificatione, ad
maiorem Caeſaris contumeliam. IPSE} Caeſar, cuius erat pecunia, quae de uenditis Pompeianorum
bonis colligebatur. SECTOREM} ſector is eſt, ut Pedianus ait, qui condemnati bona emit in auctio-
ne: & ſecari autẽ, & ac caedi bona dicuntur. unde illud Craſsi oratoris in proemio lib. III. de Orat. Non tibi
illa ſunt caedenda, ſi Craſſum uis coercere. FILIVM} P. Sullae, qui patrem imitabitur: itaque ſectore
non carebimus. ep. 3. lib. III. ad Q. fr. NISI *ſollicitus ſum,*} de belli euentu. CLEMENTEM} Cae-
ſarem. CRVDELEM} Cn. Pompeium, Magni filium. Ἀντιμυκτηρίσαι.} uicissim deridere, ſed ru
ſtice, gladio. nam urbani homines facetijs, & ſalſis dictis, non gladio, derident. SOLVTO} curis ua-
cuo, non impedito. QVID *me facere oporteat.*} utrum ſollicito, an ſoluto me animo eſſe oporteat.

## Argumentum ep. 20.

*INterfecto Caeſare, Trebonius ad Aſiam regendam profectus eſt. euntem Cicero amantiſsimis litteris proſequitur, miſſo iam ad eum libro ſuo de perfecto oratore: quem librum cum Sabino neſcio cui commendauerit, laudat in Sabina gente fidem, & probitatem: petit autem a Trebonio crebras litteras, & rationem itineris. Antonio, &, Dolabella cos.*

## *Cicero S. D. C. Trebonio.* 20.

ORATOREM *meum (ſic enim inſcripſi) Sabino tuo commendaui. natio me hominis impulit, ut ei recte putarem. niſi forte candidatorum licentia hic quoque uſus, hoc ſubito cognomen arripuit. etſi modeſtus eius uultus, ſermoq. conſtans habere quiddam a Curibus uidebatur. Sed de Sabino ſatis. Tu, mi Treboni, quando ad amorem meum aliquantulum diſcedens addidiſti; quo tolerabilius feramus igniculum deſiderij tui, crebris nos litteris appellato, atque ita, ſi idem fiet a nobis. quamquam duae cauſſae ſunt, cur tu frequentior in iſto officio eſſe debeas, quam nos: primum, quod olim ſolebant, qui Romae erant, ad prouinciales amicos de rep. ſcribere: nunc tu nobis ſcribas oportet: res enim publica iſtic eſt: deinde, quod nos alijs officijs tibi abſenti ſatiſfacere poſſumus; tu nobis, niſi litteris, non uideo, qua re alia ſatisfacere poſſis. ſed cetera ſcribes ad nos poſtea: nunc haec primo cupio cognoſcere; iter tuum cuiuſmodi ſit; ubi Brutum noſtrum uideris; quam diu ſimul fueris: deinde, cum proceſſeris longius, de bellicis rebus, de toto negotio: ut exiſtimare poſſimus, quo ſtatu ſimus. ego tãtũ me ſcire putabo, quantũ ex tuis litteris habebo cognitum. Cura ut ualeas, meq. ames amore illo tuo ſingulari.*

## EXPLANATIO

ORATOREM *meum*} ſic appellat librum ſuum de perfecto oratore. ep. 18. lib. VI. Oratorem meum tantopere a te probari, uehementer gaudeo. SABINO} nomen proprium, a regione tamen deductum. pro Sext. 25. Maledicto Sabino, homini Reatino. NATIO *hominis*.} nota enim Sabinorum probitas, & fides. Liuius de Numa: Suopte ingenio temperatum animum uirtutibus fuiſſe opinor magis, inſtructumq. non tam peregrinis artibus, quam diſciplina tetrica, ac triſti Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit. CANDIDATORVM} qui magiſtratum petentes, populo ſe, quaeſita interdum fictis cognominibus gratia, commendant. ETSI *modeſtus eius uultus*,} altera cauſſa, cur ei librum recte committi putaret. Impulit me, inquit, non ſolum hominis natio, quia Sabinus, uerum etiam modeſtus eius uultus, ſermoq. conſtans, Sabinam integritatem quadam ex parte referens. A CVRIBVS} Numae regis patria Sabinorum olim urbe nobili. AD *amorem meum aliquantulum diſcedens addidiſti*;} pro, Aliquantulum, ueteres libri omnes, Aliquantum olim, uno excepto, in quo eſt, Aliquantulum olim. ex quo placuit, Aliquantulum. nam, Olim, locum non habet: cum Trebonius paullo ante diſceſsiſſet: quod illud infra demoſtrat: Iter tuum cuiuſmodi ſit: ubi Brutum noſtrum uideris. IGNICVLVM *deſiderij tui*,} eam, qua incendimur, tui uidendi cupiditatem. ISTIC *eſt*:} in uobis reip. liberatoribus, te, Caſsio, Marco, & Decimo Brutis: quibus prouincias ſenatus decreuerat. nam in urbe, dominantibus Antonio, & Dolabella conſulibus, reſp. non eſſe uidebatur. BRVTVM *noſtrum*,} M. Brutum; qui, metu plebis ab Antonio concitatae, militumq. ueteranorum, urbe exceſſerat. DE *bellicis rebus*,} pro liberanda rep. ab Antonio conſule oppreſſa. QVO *ſtatu ſimus*.} eſt enim in uobis reſp.

---

## Argumentum ep. 21.

*ROgat, ut ſui abſentis deſiderium crebris, & longis epiſtolis leniat: enumerat Trebonij erga ſe officia: de Caluo oratore, iam mortuo, quid ſentiat, exſponit. Caeſare dictatore II, anno DCCVI.*

## *Cicero S. D. Trebonio.* 21.

ET EPISTOLAM *tuam legi libenter, & librum libentiſſime. ſed tamen in ea uoluptate hunc accepi dolorem, quod, cum incendiſſes cupiditatem meam conſuetudinis augendae noſtrae, (nam ad amorem quidem nihil poterat accedere) tum diſcedis a nobis, meq. tanto deſiderio afficis, ut unam mihi conſolationem relinquas, fore, ut utriuſque noſtrum abſentis deſiderĩu crebris, & longis epiſtolis leniatur. quod ego non modo de me tibi ſpondere poſſum, ſed de te etiam mihi. nullam enim apud me reliquiſti dubitationem, quantum me amares. nam, ut illa omittam, quae, ciuitate teſte, feciſti, cum mecum inimicitias communicaſti; cum me concionibus tuis defendiſti; cum quaeſtor in mea, atque in publica cauſſa conſulum partes ſuſcepiſti; cum tribunõ pl. quaeſtor non paruiſti; cui tuus praeſertim collega pareret: ut haec recentia, quae meminero ſemper, obliuiſcar; quae tua ſollicitudo de me in armis, quae laetitia in reditu, quae cura, qui dolor, cum ad te curae, & dolores mei perferrentur; Brundiſium denique te ad me uenturum fuiſſe, niſi ſubito in Hiſpaniã miſſus eſſes: ut haec igitur omittam, quae mihi tanti aeſtimanda ſunt, quanti uitam aeſtimo, & ſalutem meam: liber iſte, quem mihi miſiſti, quantam habet declarationẽ amoris tui? primũ, quod tibi facetum uidetur, quidquid ego dixi; quod alijs fortaſſe non item: deinde, quod illa, ſiue faceta ſunt, ſiue ſic, fiunt, narrãte te, uenuſtiſſima: quin etiam, ante quã ad me ueniatur, riſus omnis paene conſumitur. quod ſi in his ſcribendis nihil aliud, niſi, quod neceſſe fuit, de uno me tam diu cogitauiſſes: ferreus eſſem, ſi te non amarem. cum uero ea, quae ſcriptura perſecutus es, ſine ſummo amore cogitatare non potueris: non poſſum exiſtimare, plus quẽquam a ſe ipſo, quãme a te, amari. cui quidẽ ego amori, utinã ceteris rebus poſſem, amore certe reſpondebo: quo tamen ipſo tibi confido futurũ ſatis. Nunc ad*

*epiſtolam*

*epiſtolã uenio. cui copioſe, & ſuauiter ſcriptae, nihil eſt, quod multa reſpondeã. Primũ enim ego illas Caluo litteras miſi, nõ plus, quã has, quas nunc legis, exiſtimans exituras. aliter enim ſcribimus, quod eos ſolos, quibus mittimus; aliter, quod multos lecturos putamus, deinde, ingenium eius melioribus extuli laudibus, quam tu id uere potuiſſe fieri putas. primum, quod ita iudicabam. acute mouebatur: genus quoddam ſequebatur, in quo, iudicio lapſus, quo ualebat tamen, aſſequebatur, quod probaret. multae erant, & reconditae litterae: uis nõ erat: ad eam igitur adhortabar. in excitando autem, & in acuendo, plurimum ualet, ſi laudes eum, quem cohortere. Habes de Caluo iudicium, & conſilium meum; conſilium, quod, cohortandi cauſſa, laudaui; iudiciũ, quod de ingenio eius ualde exiſtimaui bene. Reliquum eſt, tuã profectionem amore proſequar, reditum ſpe exſpectem, abſentem memoria colam, omne deſiderium litteris mittendis, accipiendisq. leniam. Tu, uelim, tua in me ſtudia, & officia multum tecum recordere: quae cum tibi liceat, mihi nefas ſit obliuiſci; non modo uirum bonum me exiſtimabis, uerum etiam te a me amari plurimum iudicabis. Vale.*

# EXPLANATIO

EPISTOLAM *tuam*,} quae non exſtat. nam illa, quae eſt decimaſexta lib. XII. de Ciceronis filio, & de Antonio ſignificat. de quibus in hac nulla mentio. & haec de Caluo reſpondet: illa mentionem Calui nullam habet. praeterea, illa poſt interitum Caeſaris, haec ante ſcripta eſt. LIBRVM} de quo infra. IN *ea uoluptate hunc accepi dolorem*,} Similis figura ep. 9. lib. I. In moleſtia gaudeo. Quo loco uide, quae diximus. DISCEDIS *a nobis*,} in prouinciam Aſiam proficiſcens. ep. 16. lib. XII. VT *illa omittam, quae ciuitate teſte feciſti, cum mecum inimicitias communicaſti; cum me concionibus defendiſti;*} lepida figura, breuem commemorationem diſsimulationis arte inducens earum rerum, quarum producta narratio ſatietatem potius, quam delectationem afferret. ἀντίφρασις graece uocatur; cum quaedam nos dicere negamus, & tamen dicimus: ut ep. 3. lib. IIX. ad Att. Omitto illa uetera; quod iſtum in remp. ille aluit, auxit, armauit. Et Terentius in Eun. Vt omittam, quod ei amorem difficillimum, & cariſsimum ab meretrice auara, uirginem, quam amabat, eam confeci ſine moleſtia. Et Virg. lib. 2. Geor. An memorem portus, Lucrinoq. addita clauſtra? FECISTI} temporibus Clodianis. CONCIONIBVS} quas, ut opinor, priuatus habuit, concedente magiſtratu. nam ſi eas tribunus pl. habuiſſet; non ante quaeſturam, cuius mentio proxime ſequitur, ſed poſt nominatus eſſet. nam tribunatus pl. poſt quaeſturam dabatur. geſsit autem tribunatum Trebonius Pompeio II, Craſſo II conſulibus, ideſt biennio poſt quaeſturam, quam geſsit Piſone, & Gabinio cos. IN *mea, atque in publica cauſſa*,} quo tempore Ciceronem conſules Gabinius, & Piſo, eodem remp. prodiderunt. communis igitur & Ciceronis, & reip. cauſſa fuit. ſiquidem ille in coniuratos, indicta quidem cauſſa, ſed iubente ſenatu, animaduerterat. quo facto lege Clodia in exſulium abijt. TRIBVNO. PL.} P. Clodio, fortaſſe iubenti, ut omnes magiſtratus in legem ſuam iurarent. TVVS *collega*,} alter quaeſtor urbanus. nam duo aerarium curabant. IN. ARMIS,} ciuili bello. IN. REDITV,} cum poſt Pharſalicam pugnam in Italiam redij. CVRAE, *& dolores mei*,} uehementer enim Ciceronem paenituit, in Italiam ueniſſe, non accerſitum a Caeſare. uide ep. 6. lib. XI. ad Att. BRVNDISIVM} ubi Cicero tam diu moratus eſt, donec Caeſar, confecto Alexandrino bello, in Italiam redijt. IN *Hiſpaniam*,} ut Hiſpaniae praeeſſet, poſt praeturam, quam geſsit anno ſuperiore proximo, Caeſare iterum, & Seruilio cos. LIBER ISTE,} quem ſcripſerat Trebonius de dictis Ciceronis. SIVE. SIC,} Sic, minuendi uim habet, ut ep. 13. lib. XV. ad Att. Cautum Marcellum, me ſic, ſed non tamen cautiſsimum. Et apud Terentium, in Heaut. Sic ſatis. DE *uno me*} alij, De uno, de uno me. quae geminatio mihi non admodum probatur: non quod ea ſaepe Cicero non utatur, idq. grauiter, & ornate: ſed eam ſententia, niſi opinione fallor, hoc in loco requirere non uidetur. FVTVRVM *ſatis*.} malim, facturum ſatis: ut ſubaudiatur, alioqui, Quo tamen ipſo, unde regatur, non erit. nam, Futurum nullo modo cum auferendi caſu coniungi poteſt. SI *te non amarem*,} quia de me uno tamdiu cogitaſſes. ILLAS *Caluo litteras miſi*,} uidetur ad Ciceronem ſcripſiſſe Trebonius, ſibi non probari, quod Caluum tantopere laudaſſet. id Cicero excuſat, quod ad ipſum Caluum cum ſcriberet, aliter ſcripſerit, quam ſi multos lecturos putaſſet. laudauerat enim illum aliquanto plus, quam ueritas concederet. Hic eſt Licinius Caluus, C. Licinij Macri filius: qui de repetundis apud Ciceronem praetorem accuſatus, uoluntaria morte poenam praecurrit. auctor Valerius Max. & Plutarchus. ACVTE *mouebatur*,} quod eſt ingenij. Sic Acad. lib. I. Zeno, cum ualde ſubtiliter diſſereret, & peracute moueretur, corrigere conatus eſt diſciplinam. GENVS *quoddam*,} dicendi. QVO *ualebat tamen*,} qua tamen parte ualebat, ideſt ingenio, conſequebatur id quod optimum putabat. quam puto fuiſſe exſulitatem orationis. nam Caluus Atticum ſe oratorem uideri uolebat: & nimia quadam religione orationem attenuans, dum uerebatur, ne quaſi uitioſum ſanguinem colligeret, uerum etiam dependebat. hoc enim de illo Cicero ſcripſit in Bruto. laudatur tamen & a Cicerone, & a Quinctiliano, Tacito, & alijs. VIS *non erat*,} exſuliter enim, ſicce, ieiune dicere, id eſſe Caluus putabat, Attici dicere. quod & in libro, quem Oratorem inſcripſit, & alibi Cicero reprehendit. PLVRIMVM *ualet, ſi laudes eum, quem cohortere*.} id obſeruat ep. I. lib. 2. ep. 8. lib. 2. & alibi. EXISTIMAVI *bene*.} bene iudicaui. id enim ualet, exiſtimare, hoc in loco, ut ep. 7. lib. I. Ex euentu homines de tuo conſilio exiſtimaturos. PROFECTIONEM} in Hiſpaniam. IVDICABIS.} ſi tua in me officia multum tecum recordabere.

IN . EPISTOLARVM

# M · TVLLII · CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . SEXTVMDECIMVM

AD . TIRONEM

# PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

## Argumentum ep. I. lib. XVI.

ORDINEM epiſtolarum fere omnium ad Tironem oſtendit ratio temporis, ex adſcripta cuique die, & in ipſo argumento ſatis nota. Prima ſine dubio eſt quae incipit, Paullo facilius; ſecunda, Non queo; tertia, Nos apud; quarta, Varie; quincta, Vide; ſexta, Facilius: ſeptima, Septimum; octaua, Nos a te; nona, Etſi opportunitatem; decima, Quo in diſcrimine; undecima, Magnae; duodecima, Omnia; tertiadecima, Menandrus; quartadecima, Aegypta; quintadecima, Spero; ſextadecima, Video; decimaſeptima, Sollicitat; decimaoctaua, Exſpecto; decimanona, Ego uero; uigeſima, Quid igitur? uigeſimaprima, De Tirone; uigeſimaſecunda, Etſi mane; uigeſimatertia, Tu uero; uigeſimaquarta. Cum uehementer; uigeſimaquinta, Etſi iuſta; uigeſimaſexta, Verberaui; uigeſima ſeptima; Mirificam.

*CVM e Cilicia proconſul Cicero ad urbem rediret, ſeruum ſibi cariſsimum Tironem, cuius praecipue opera in litteris utebatur, aegrum Patris reliquit: ad eum ſaepe ex itinere teſtes amoris ac deſiderij ſui litteras miſit: quarum in ordine quintum locum, ut iam diximus, hominum eruditorum ſententia hae litterae obtinent. L. Paullo, C. Marcello cos.*

Ffff   *Tullius,*

### *Tullius, & Cicero F. & Q. S. D. Tironi humaniſsimo, & optimo.* 1.

VIDE, *quanta in te ſit ſuauitas: duas horas Thyrei fuimus: Xenomenes hoſpes tam te diligit, quam ſi uixerit tecum. is omnia pollicitus eſt, quae tibi eſſent opus, facturum puto. mihi placebat, ſi firmior eſſes, ut te Leucadem deportares, ut ibi te plane confirmares. uidebis, quid Curio, quid Lyſoni, quid medico placeat. uolebam ad te Marionem remittere; quem, cum meliuſcule tibi eſſet, ad me mitteres: ſed cogitaui unas litteras Marionem afferre poſſe, me autem crebras exſpectare. poteris igitur, & facies, ſi me diligis, ut quotidie ſit Acaſtus in portu. multi erunt quibus recte litteras dare poſſis, qui ad me libenter perferant. equidem Patras euntem neminem praetermittam. Ego omnem ſpem tui diligenter curandi in Curio habeo. nihil poteſt illo fieri humanius, nihil noſtri amantius. ei te totum trade. malo te paullo poſt ualentem, quam ſtatim imbecillum uidere. cura igitur nihil aliud, niſi ut tu ualeas: cetera ego curabo. Etiam atque etiam uale. Leucade proficiſcens,* VII. *id. Nou.*

## EXPLANATIO

THYREI} locus inter Alyziam, & Leucadem. nam Patris Alyziam, inde Thyreum, Thyreo Leucadem Cicero uenit: unde proficiſcens hanc epiſtolam ſcripſit. Thyreo nullas litteras dedit: quia duas tantum horas ibi manſit. FACTVRVM *puto,*} aliqua re propoſita, cum Cicero ſubiungit ſententiam ſuam, utitur hac figura, quam & grauitas, & breuitas commendat, ut hic: Is omnia pollicitus eſt, quae tibi eſſent opus. facturum puto. Et ep. 16. lib. XIII. Incenſus ſtudio rerum tuarum, eas litteris Graecis mandare cupiebat. poſſe arbitror. ualet ingenio. Ad Att. ep. 4. lib. X. Iurabat ad ſummam, quod nullo negotio faceret, amiciſsimum mihi Caeſarem eſſe debet. MARIONEM *remittere;*} quem antea miſerat. ep. 3. CVM *meliuſcule tibi eſſet,*} ep. 6. ſi recte erit. ep. 22. ſpero tibi melius eſſe. Tuſc. 1. Pompeio melius factum eſt. ACASTVS} ſeruus Ciceronis eſt. ep. 12. 14. & ad Att. ep. 9. lib. VI. PATRAS} ubi aegrum Tironem reliquerat. ep. 2. lib. VII. ad Att.

---

## Argumentum ep. 2.

*ADuerſis uentis Corcyrae ſe teneri ſignificat. Tironem hortatur, ut ſe curet, nec niſi confirmatus nauiget.*

### *Tullius, & Cicero S. D. Tironi ſuo.* 2.

SEPTIMVM *iam diem Corcyrae tenebamur, Quinctus autem pater, & filius Buthroti. ſolliciti eramus de tua ualetudine mirum in modum: nec mirabamur nihil a te litterarum. iis enim uentis iſtinc nauigatur, qui ſi eſſent: nos Corcyrae non ſederemus. cura igitur te, & confirma; &, cum commode, & per ualetudinem, & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantiſſimos tui ueni. nemo nos amat, qui te non diligat. carus omnibus, exſpectatusq. uenies. Cura ut ualeas etiam atque etiam Tiro noſter. Vale.* XV. *Kal. Nou. Corcyrae.*

## EXPLANATIO

NON *ſederemus,*} ſedere, interdum eſt nihil agere, ut hic, & apud Terentium: ſedere domi uirginem tam grandem. PER *anni tempus,*} abeunte hieme. ep. 33. lib. X. Anni tempus libertatem maiorem mihi dat. Plautus in Merc. Itidem ut tempus anni, aetatem aliam, aliud factum conuenit. ſic alibi, tempus diei, tempus aetatis. XV. KAL. NOV.} ſi attendimus, quod ep. 9. ſcriptum eſt: cogemur credere, Dec. non Nou. legere.

---

## Argumentum ep. 3.

*Suum Tironis deſiderium ſignificat.*

*Tullius,*

### *Tullius, & Cicero meus, & frater, & fratris F. S. D. Tironi ſuo.* 3.

PAVLLO *facilius putaui poſſe me ferre deſiderium tui, ſed plane non fero. & quamquam magni ad honorem noſtrum intereſt, quamprimum ad urbem me uenire: tamen peccaſſe mihi uideor, qui a te diſceſſerim. ſed quia tua uoluntas ea uidebatur eſſe, ut prorſus, niſi confirmato corpore, nolles nauigare, approbaui tuum conſilium; neque nunc muto, ſi tu in eadem es ſententia. ſin, poſtea quam cibum cepiſti, uideris tibi me poſſe conſequi: tuum conſilium eſt. Marionem ad te eo miſi, ut aut tecum ad me quamprimum ueniret; aut, ſi tu morarere, ſtatim ad me rediret. tu autem hoc tibi perſuade, ſi commodo ualetudinis tuae fieri poſſit, nihil me malle, quam te eſſe mecum; ſin intelliges opus eſſe, te Patris, conualeſcendi cauſſa, paullum commorari, nihil me malle, quam te ualere. ſi ſtatim nauigas, nos Leucade conſequere. ſin te confirmare uis; & comites, & tempeſtates, & nauem idoneam ut habeas, diligenter uidebis. unum illud, mi Tiro, uideto, ſi me amas, ne te Marionis aduentus, & hae litterae moueant. quod ualetudini tuae maxime conducet, ſi feceris; maxime obtemperaris uoluntati meae. haec pro tuo ingenio conſidera. nos ita te deſideramus, ut amemus. amor, ut ualentē uideamus, hortatur; deſiderium, ut quamprimum. illud igitur potius. cura ergo potiſſimum, ut ualeas. de tuis innumerabilibus in me officijs erit hoc gratiſſimum. III. non. Nou. Vale.*

## EXPLANA IO

AD *honorem noſtrum,*} ad triumphum, quem ſperabat: ſed, eum ne diſcordia ciuiles impedirent, uerebatur; id quod euenit. propterea dicit: Quamprimum ad urbem uenire. PECCASSE *mihi uideor, qui a te diſceſſerim.*} ſimile illud ep. 13. lib. IV. Vt hoc ipſum, quod maneam in uita, peccare me exiſtimem. CIBVM *cepiſti,*} ſtomacho non, ut antea, reſpuente. ideo ſcripſit ep. 6. Ius tibi dandum non fuit, cum *κακοςόμαχος* eſſes. TVVM *conſilium eſt.*} tui conſilij ſit, uelis nauigare necne. hoc tuae permitto uoluntati. ep. 8. lib. IIX. MARIONEM} ſeruum. HAEC *pro tuo ingenio conſidera.*} ut tibi faciundum uidebitur, ita facies. ILLVD *igitur potius.*} ut ualentem uideamus. DE *tuis innumerabilibus in me officijs.*} ep. 6. Innumerabilia tua ſunt in me officia, domeſtica, forenſia; urbana prouincialia; in re priuata, in publica; in ſtudijs, in litteris noſtris. omnia uiceris, ſi, ut ſpero, te ualidum uidero. & ep. 5. III NON.} IV. non. diſceſſerat a Tirone, ut in ep. ſequenti, & 9.

---

## Argumentum ep. 4.

*SCribit de ſua ſollicitudine, ſuoq. ad Alyziam acceſſu: rogat, ut ualetudinem diligenter curet.*

### *Tullius S. D. Tironi ſuo.* 4.

NON *queo ad te, nec lubet ſcribere, quo animo ſim affectus: tantum ſcribo, & tibi, & mihi maximae uoluptati fore, ſi te firmum quamprimum uidero. tertio die abs te ad Alyziā acceſſeramus. is locus eſt citra Leucadem ſtadia* CXX. *Leucade aut te ipſum, aut tuas litteras a Marione putabam me accepturum. Quantum me diligis, tantum fac ut ualeas, uel quantum te a me ſcis diligi. Nonis Nou. Alyzia.*

## EXPLANATIO

QVO *animo ſim affectus:*} quia te careo. TERTIO *die abs te,*} diſceſſerat igitur a Tirone III. non. nam haec epiſtola ſcripta eſt nonis, ſuperior III. non. ALYZIAM} qui eſt Acarnaniae locus, a mare diſtans quindecim ſtadijs, ut ait Strabo lib. X. LEVCADEM} quondam Neritum dictum. Plinius lib. IV. cap. I. STADIA CXX} ſtadia Columella & Plinius metiuntur paſsibus CXXV. ideſt pedibus DCXXV. Gellius pedibus DC. Suidas e ſtadijs ſeptem & dimidio milliarium conſtituit. qua ratione milliarium e mille paſsibus, unde nomen ſumpſit, non conſtabit. Videtur autem Plutarchus idem fere ſenſiſſe. nam in Gracchi uita milliarium ait e ſtadijs eſſe paullo minus quam octo. cum ex octo integris conſtare debeat: ſi modo in ſtadio paſſus fuere CXXV, in milliario mille.

---

## Argumentum ep. 5.

*Rogat, ut omni cura ualetudini ſeruiat.*

### *Tullius, & Cicero, & Q. pater, & filius S. D. Tironi ſuo.* 5.

*NOS apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, unum diem commorati ſumus, quod Quinctus nos conſecutus non erat. is dies fuit non. Nou. inde ante lucem proficiſcentes ante diem* IIX. *id. Nou. has litteras dedimus. Tu, ſi nos omnes amas, & praecipue me, magiſtrum tuum, confirma te. ego ualde ſuſpenſo animo exſpecto, primum te ſcilicet, deinde Marionem cum tuis litteris. omnes cupimus, ego in primis, quamprimum te uidere, ſed, mi Tiro, ualentem. quare nihil properaris. ſatis quotidie uidero, ſi ualebis. utilitatibus tuis poſſum carere: te ualere, tua cauſſa primum uolo, tum mea, mi Tiro. Vale.*

## EXPLANATIO

ANTE *diem* IIX. *id. Sept.*} hic locus aperte demonſtrat, ante diem IIX. id. idem eſſe, quod IIX. id. quod alijs probauimus exemplis ep. 7. lib. IIX. MAGISTRVM *tuum*,} quem propterea magis, quam alios, amare debes. ep. 12. Docui te, inquit. MARIONEM} ep. 3. VTILITATIBVS *tuis poſſum carere*:} utilitates hic non pro rebus utilibus accipiuntur, ſed pro operis, quas Tiro, cum ualeret, Ciceroni praebere ſolitus erat: ut ab eo, quo utimur, non ab eo, quod utile eſt, deducatur. Sic ad Att. ep. 5. lib. VII Tironem, etſi mirabiles utilitates mihi praebet, cum ualet, in omni genere uel negotiorum, uel ſtudiorum meorum, tamen propter humanitatem, & modeſtiam malo ſaluum, quam propter uſum meum. Et Lucretius lib. VI. Vtilitatem, pro, uſum dixit: Nihil adeo poſſet cuiquam leue, tenueq. membris Vertere in utilitatem. Manſit haec ſignificatio uſque ad Venerabilis Bedae tempora: nam in quadam homilia: An tu, inquit, calumniaris ea, quae oculis uides, manu tenes, utilitate ſentis?

---

# Argumentum ep. 6.

*TOta cohortatio eſt ad curandam ualetudinem.*

### *Tullius Tironi ſuo S. D. & Cicero, & Q. pater, & Q. F.* 6.

*VARIE ſum affectus tuis litteris, ualde priore pagina perturbatus, paullum altera recreatus. quare nunc quidem non dubito, quin, quoad plane ualeas, te neque nauigationi, neque uiae committas. ſatis te mature uidero, ſi plane confirmatum uidero. De medico & tu bene exiſtimari ſcribis, & ego ſic audio: ſed plane curationes eius non probo: ius enim dandum tibi non fuit, cum κακοστόμαχος eſſes. ſed tamen & ad illum ſcripſi accurate, & ad Lyſonem. ad Curium uero, ſuauiſſimum hominem, & ſummi officij, ſummaeq. humanitatis, multa ſcripſi, in his, etiam ut, ſi tibi uideretur, te ad ſe transferret. Lyſo enim noſter, uereor, ne negligentior ſit, primum, quia omnes Graeci: deinde, quod, cum a me litteras accepiſſet, mihi nullas remiſit. ſed eum tu laudas. tu igitur, quid faciendum ſit, iudicabis. Illud, mi Tiro, te rogo, ſumptu ne parcas ulla in re, quod ad ualetudinē opus ſit. ſcripſi ad Curium, quod dixiſſes, daret. medico ipſi puto aliquid dandum eſſe, quo ſit ſtudioſior. Innumerabilia tua ſunt in me officia; domeſtica, forenſia; urbana, prouincialia; in re priuata, in publica; in ſtudijs, in litteris noſtris. omnia uiceris, ſi, ut ſpero, te ualidum uidero. ego puto te belliſſime, ſi recte erit, cum quaeſtore Meſcinio decurſurum. non inhumanus eſt, teque, ut mihi uiſus eſt, diligit. & cum ualetudini tuae diligentiſſime conſulueris; tum, mi Tiro, conſulito nauigationi. nulla in re iam feſtinare uolo. nihil laboro, niſi ut ſaluus ſis. ſic habeto, mi Tiro, neminem eſſe, qui me amet, quin idē te amet. & cum tua, & mea maxime intereſt te ualere: tum multis eſt curae. adhuc, dum mihi nullo loco deeſſe uis, numquam te confirmare potuiſti. nunc te nihil impedit: omnia depone: corpori ſeruī. quantam diligentiam in ualetudinem tuam contuleris, tanti me fieri a te iudicabo. Vale, mi Tiro, uale, uale, & ſalue. Lepta tibi ſalutem dicit, & omnes. Vale.* VII. *id. Nou. Leucade.*

## EXPLANATIO

DE. MEDICO} Aſclapone ep. 8. CVM *κακοστόμαχος eſſes.*} ſtomacho cibum appetente: quae dicitur *ἀνορεξία*. non enim, quicumque *κακοστόμαχος* eſt, iure laeditur. Ius autem pulli gallinacei, quo aequari humores ualemus, & alij prodidere, non dubito quin ſignificet. LYSONEM,} Patrenſem, de quo ep. 1. & 9. & lib. XIII. ep. 19. CVRIVM} ad quem ſcribit lib. VII. epiſtolas tres. nominatur & in hoc libro ep. 1. & 9. & ad Att. ep. 2. 3. lib. VII. SVAVISSIMVM *hominem*,} ſuauitatem eius ep. 28. lib. VII. urbanitatem ep. 31. nominat, & ep. 2. lib. VII. ad Att. QVOD *ad ualetudinem opus ſit.*} quaecumque res ad ualetudinem opus ſit, in ea ſumptu ne parcas. DARET.} tibi. ep. 5. lib. VII. ad Att. Tironem Curio commendes; ut ei, ut petijt, ſiquid opus erit, in ſumptum eroget. Et ep. 6. Tironem uideo in ſumptum ab alijs mutuatum. ego autem Curium noſtrum, ſiquid opus eſſet, rogarem. malo Tironis uerecundiam in culpa eſſe, quam illiberalitatem Curij. Et ad Tironem, ep. 9. Curio miſi, ut medico honos haberetur,

beretur, & tibi daret, quod opus eſſet. INNVMERABILIA} ep. 3.7. SI *recte erit*, } ſi ualebis. ep. 1. Cum meliuſcule tibi eſſet. Ep. 22. Spero tibi melius eſſe. QVAESTORE *Meſcinio*} qui poſt Ciceronem in Italiam uenit. ep. 20. de quaeſtoribus Ciceronis diximus ep. 3. lib. III. DECVRSVRVM.} maritimo curſu ad me uenturum. CONSVLITO *nauigationi.*} ep. 7. Cum ualetudinis rationem habueris, habeto etiam nauigationis. Et ep. 3. Comites, & tempeſtates, & nauem idoneam ut habeas, diligenter uidebis. NVLLO *loco*} dum mihi nullam ſeruiendi occaſionem praetermittis, ualetudini tuae ſeruire non potuiſti. ep. 18. LEPTA} praefectus fabrum apud Curionem proconſulem. ep. 7. lib. III.

## Argumentum ep. 7.

*ROgat, ne quid omittat, quod ad recuperandam ualetudinem ſpectet.*

### *Tullius, & Cicero, & Q. Q. S. D. Tironi.* 7.

TERTIAM *ad te hanc epiſtolam ſcripſi eadem die, magis inſtituti mei tenendi cauſſa, quia nactus eram, cui darem, quam quod haberem quid ſcriberem. Igitur illa: quantum me diligis, tantum adhibe in te diligentiae. ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratiſſimum omnium. cum ualetudinis rationem, ut ſpero, habueris, habeto etiã nauigationis. in Italiam euntibus omnibus ad me litteras dabis, ut ego euntem Patras neminem praetermitto. cura, cura te, mi Tiro. quando non contigit, ut ſimul nauigares; nihil eſt, quod feſtines: nec quidquam cures, niſi ut ualeas. Etiam atque etiam uale.* VII. *id. Nou. Actio, ueſperi.*

### EXPLANATIO

TERTIAM} primam, hoc initio, Varie: ſecundam, Vide. EADEM *die*} pro, Eodem die, contra Aſconium, qui Diem feminini generis a Die maſculini diſtinguit: ut illa ſit tempus, hic XXIV. horarum ſpatium. In ep. ad Q. fr. lib. III. Antiquior dies adſcripta erat in tuis litteris, quam in Caeſaris. Et Virg. lib. 2. Iamq. dies infanda aderat. Cariſius eandem diſtinctionem Varroni tribuit: a quo ipſe diſſentiens adiungit: Quod nemo ſeruauit. IGITVR *illa,*} ſcribamus eadem, quae antea: quae mihi in primis curae ſunt. INNVMERABILIA} idem ep. 3.6. CVM *ualetudinis rationem, ut ſpero, habueris, habeto etiam nauigationis.*} ep. 4. Cum ualetudini tuae diligentiſsime conſulueris; tum, mi Tiro, conſulito etiam nauigationi. ACTIO,} ad hoc Acarnaniae promontorium Antonius ab Auguſto maritima pugna uictus.

## Argumentum ep. 8.

*Q. Cicero, quantae ſibi Tironis ualetudo curae ſit, amantiſsimis uerbis oſtendit.*

### *Q. Cicero S. D. Tironi.* 8.

MAGNAE *nobis eſt ſollicitudini ualetudo tua. nam tametſi qui ueniunt,* ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ *nunciant: tamen in magna conſolatione ingens ineſt ſollicitudo, ſi diutius a nobis abſuturus es, is, cuius uſum, & ſuauitatem deſiderando ſentimus. attamen, quamquam ui dere te tota cogitatione cupio; tamen te penitus rogo, ne te tam longae nauigationi, et uiae per hiemem, niſi bene firmum, committas, neue nauiges, niſi explorate. uix in ipſis tectis, & opidis frigus infirma ualetudine uitatur; ne dum in mari, & uia ſit facile abeſſe ab iniuria temporis.*

ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον,

*inquit Euripides. cui tu quantum credas, neſcio: ego certe ſingulos eius uerſus ſingula teſtimonia puto. Effice, ſi me diligis, ut ualeas, & ut ad nos firmus, ac ualens quamprimum uenias. Ama nos, & uale. Q. F. tibi ſalutem plurimam dicit.*

### EXPLANATIO

Ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ} tuta quidem, ſed diuturniora: ideſt, te quidem non aegrotare periculoſe, ſed morbum fore diuturniorem. IN MAGNA *conſolatione ingens ineſt ſollicitudo,*} eſt quaedam non inuenuſta figura, cum contrarium contrario iungitur, ut alterum altero leuetur. exemplum

plum

plum extat ep.9. lib. I. In moleſtia gaudebam. Quo loco plura huius generis oſtendimus. SI. DIVTIVS *a nobis abſuturus es, is, cuius uſum &c.*} eadem figura lib. 2. de orat. Quorum princeps Socrates, is, qui &c. Et alibi. Vſum pro conſuetudine poni, ut alijs quoque locis, quiuis, opinor, intelligit. EXPLORATE.} caute, dixit Cicero ep. 8. ψῦχος δὲ Frigus autem tenui cuti inimicisſimum. Senarius Euripidis; ſed amiſſae tragaediae.

## Argumentum ep. 9.

*NAuigationis deſcriptio, & ad curandam ualetudinem beneuolentiae plena cohortatio.*

### *Tullius, & Cicero S. D. Tironi ſuo.* 9.

*NOs a te, ut ſcis, diſceſſimus ad IV. non. Nou. Leucadem uenimus ad IIX. id. Nou. ad VII. Actium. ibi propter tempeſtatem ad VI. id. morati ſumus. inde ad V. id. Corcyram belliſſime nauigauimus. Corcyrae fuimus uſque ad XVI. Kal. Dec. tempeſtatibus retenti. ad XV. Kal. a portu Corcyraeorum ad Caſſiopen ſtadia CXX proceſſimus. ibi retenti uentis ſumus uſque ad IX. Kal. interea, qui cupide profecti ſunt, multi naufragia fecerunt. nos eo die cenati ſoluimus. inde, auſtro leniſſimo, caelo ſereno, nocte illa, & die poſtero in Italiam ad Hydruntem ludibundi peruenimus: eodemq. uento poſtridie (id erat ad VII. Kal. Dec.) hora quarta Brundiſium uenimus: eodemq. tempore ſimul nobiſcum opidum introijt Terentia, quae te facit plurimi. Ad V. Kal. Dec. ſeruus Cn. Plancij Brundiſij tandem aliquando mihi a te exſpectatiſſimas litteras reddidit, datas idibus Nou. quae me moleſtia ualde leuarunt; utinam omnino liberaſſent. ſed tamen Aſclapo medicus plane confirmat, propediem te ualentem fore. nunc quidem ego te hortor, ut omnem diligentiam adhibeas ad conualeſcendum: tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me noui. ſcio te omnia facturum, ut nobiſcum quamprimum ſis: ſed tamen ita uelim, ut ne quid properes. ſymphoniam Lyſonis uelim uitaſſes, ne in quartam hebdomadem incideres. ſed quando pudori tuo maluiſti obſequi, quam ualetudini; reliqua cura. Curio miſi, ut medico honos haberetur, & tibi daret, quod opus eſſet: me, cui iuſſiſſet, curaturum. equum, & mulum Brundiſij tibi reliqui. Romae, uereor, ne ex Kal. Ian. magni tumultus ſint. nos agemus omnia modice. Reliquum eſt, ut te hoc regem, & a te petam, ne temere nauiges. ſolent nautae feſtinare quaeſtus ſui cauſſa. cautus ſis, mi Tiro. mare magnum, & difficile tibi reſtat. ſi poteris, cum Meſcinio: (caute is ſolet nauigare) ſi minus, cum honeſto aliquo homine, cuius auctoritate nauicularius moueatur. in hoc omnem diligentiam ſi adhibueris, teq. nobis incolumem ſtiteris; omnia ante habebo. Etiam atque etiam noſter Tiro uale. Medico, Curio, Lyſoni de te ſcripſi diligentiſſime. Vale.*

## EXPLANATIO

AD CASSIOPEN} de quo loco Plinius & Strabo. LVDIBVNDI} ludentibus ſimiles, nauigatione iucundiſsima. CN. PLANCII} pro quo extat oratio. OMNINO *liberaſſent.*} quod eſſet factum, ſi te plane ualere ſignificaſſent. ASCLAPO} quem Sulpicio commendat ep. 20. lib. XIII. SYMPHONIAM *Lyſonis uellem uitaſſes,*} συμφονεῖν, eſt concinere: per tranſlationem, obſequi, ut hic. nam cum Tiro, in aliqua re ualetudini contraria, Lyſoni eum inuitanti, obſecutus eſſet; uerebatur Cicero, ne in quartam hebdomadem eius morbus perduceretur. nam eorum morborum, qui cito terminantur, magna pars, uel ſecunda, uel tertia hebdomade finem inuenit. quod ſi qui ad quartam peruenerint, metuenda diuturnitas. HEBDOMADEM} ſi hebdomadem, graeco more legas: Gellium corrige, ubi legitur quibuſdam locis, Hebdomada, &, Hebdomadam. PVDORI *tuo*} qui te adduxit ad Symphoniam Lyſonis, ideſt ad obſequium. CVRIO} quem nominauit I. 4. 6. 10. MISI} pro, mandaui ep. 4. Scripſi ad Curium, quod dixiſſes, daret. ad Att. ep. 7. lib. XIII. Miſi equidem ei nunciari, te exſpectaſſe eius aduentum. VT *medico honos haberetur,*} de pecunia intellige, non de honore: unde Honorarium, praemium honoris cauſſa datum. EX. *Kal. Ian.*} nouis tumultibus magiſtratum incuntibus. MAGNI *tumultus*} conſulibus in eam curam una cum Pompeio contendentibus, ut Caeſari Galliae ante decennij tempus, lege iam conceſſum, adimerentur, tribunis uero plebis pro Caeſare pugnantibus: quae belli ciuilis origo fuit. AGEMVS *omnia modice.*} ſic, ut neque Pompeij, neque Caeſaris animum offendamus. CAVTE} explorate, dixit Q. Cicero, ep. II. HONESTO *aliquo homine,*} honeſto, non ad mores, ſed ad dignitatem refertur. INCOLVMEM *ſtiteris.*} recte alij uerbum, Stiteris, mutatione minima, cum ſit in antiquis libris, ſteteris, repoſuerunt. Sic ad Att. ep. 14. lib. x. Te uegetum nobis in Graecia ſiſte.

## Argumentum ep. 10.

*ROgat, ut praeter ualetudinem nihil curet : addit de ſuo ad urbem aduentu, de ſtatu reip. ciuilibus diſcordijs perturbato, de triumpho, de praefectura Campana. Lentulo, Marcello cos.*

### *Tullius, & Cicero, Terentia, Tullia, Q. Q. S. D. Tironi.* 10.

*ETSI opportunitatem operae tuae omnibus locis deſidero : tamen non tam mea, quam tua cauſſa doleo te non ualere. ſed quando in quartanam conuerſa uis eſt morbi: ſic enim ſcribit Curius: ſpero te, diligentia adhibita, etiam firmiorem fore. modo fac id, quod humanitatis tuae eſt, ne quid aliud cures hoc tempore, niſi ut quamcommodiſſime conualeſcas. non ignoro, quantum ex deſiderio labores: ſed erunt omnia facilia, ſi ualebis. feſtinare te nolo; ne nauſeae moleſtiam ſuſcipias aeger, & periculoſe hieme nauiges. Ego ad urbem acceſſi pridie non. Ian. obuiam mihi ſic eſt proditum, ut nihil fieri potuerit honoratius. ſed incidi in ipſam flammam ciuilis diſcordiae, uel potius belli: cui cum cuperem mederi, & ut arbitror, poſſem; cupiditates certorum hominum (nam ex utraque parte ſunt, qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt. omnino & ipſe Caeſar, amicus noſter, minaces ad ſenatum, & acerbas litteras miſerat: & erat adhuc impudens, qui exercitum, & prouinciam inuito ſenatu teneret: & Curio meus illum incitabat. Antonius quidem noſter, & Caſſius, nulla ui expulſi, ad Caeſarem cum Curione profecti erant; poſtea quam ſenatus conſulibus, praetoribus, tribunis pl. & nobis, qui proconſules ſumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid reſp. detrimenti caperet. numquam maiore in periculo ciuitas fuit: numquam improbi ciues habuerunt paratiorem ducem. omnino ex hac quoque parte diligentiſſime comparatur. id fit auctoritate, & ſtudio Pompeij noſtri, qui Caeſarem ſero coepit timere. nobis inter has turbas ſenatus tamen frequens flagitauit triumphum: ſed Lentulus cos. quo maius ſuum beneficium faceret, ſimul atque expediſſet quae eſſent neceſſaria de rep. dixit ſe relaturum. nos agimus nihil cupide; eoq. eſt noſtra pluris auctoritas. Italiae regiones deſcriptae ſunt, qua quiſque partem tueretur. nos Capuam ſumpſimus. Haec te ſcire uolui. Tu etiam atque etiam cura ut ualeas; litteraſq. ad me mittas, quotieſcumque habebis cui des. Etiam atque etiam uale. Datum prid. id. Ian.*

## EXPLANATIO

ETIAM *firmiorem fore.*} quam fuiſti ante morbum, hoc ideo dicit, qui petuitam, & melanchonicum humorem quartana febris exſiccat. Galenus in primo de arte ad Glauconem. EX *deſiderio*} mei LABORES:} ep. 14. Audio te animo angi, & modicum dicere, ex eo te laborare. NAVSEAE} quae nauigando, praeſertim inſolentibus, & ſtomacho infirmis, excitatur. AD *urbem acceſſi*} non enim urbem, niſi triumphans, ingredi uolebat. CVPIDITATES *certorum hominum*} ep. II. Mirus inuaſerat furor non ſolum improbis, ſed etiam ijs, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante, nihil eſſe bello ciuili miſerius. Et lib. IV. ep. I. Incideram in hominum cupidorum inſanias. Et lib. ep. 6. Cauſſa belli orta eſt: Quid ego praetermiſi aut monitorum, aut querellarum? cum uel iniquiſsimam pacem iuſtiſſimo bello anteferrem, uicta eſt auctoritas mea, non tamen a Pompeio, (nam is monebatur) Quam ab ijs, qui duce Pompeio freti, peropportunam & rebus domeſticis, & cupiditatibus ſuis illius belli uictoriam fore putabant. EXERCITVM, *& proninciam*} quae ſenatus populuſq. conceſſerant. INVITO *ſenatu*} qui, coitione conſulum, & Pompeij, decreuerat, ut Caeſar, exercitu dimiſſo, prouinciam ſucceſſori ante tẽpus traderet. Caeſar lib. I. bel. ci. Suetonius, Plutarchus, Appianus, Dio, & alij. CVRIO *meus illum incitabat.*} Velleius lib. 2. diſcuſſas ait, ac ruptas a Curione pacis condiciones, quas & Caeſar iuſtiſſimo animo poſtulabat, & Pompeius aequo recipiebat. ANTONIVS *quidem noſter, & Caſſius,*} M. Antonius, Q. Caſsius, tribuni pl. NVLLA *ui expulſi,*} immo expulſi, iniuſto S.C. ut queritur Caeſar lib. I. bel. ci. & Suetonius pulſos plane ait. CVM *Curione*} C. Curione, ſuperioris anni tribuni pl. NE *quid reſp. detrimenti caperet.*} quo uno uerſiculo ſumma in ciues poteſtas committebatur. uide orationem pro Deiotaro, Caeſarem lib. I. bel. ci. Salluſtium in Catil. PARATIOREM *ducem.*} Caeſarem laudat inuitus, ut ep. 9. lib. IIX. ad Att. Hoc τέρας horribili uigilantia, celeritate, diligentia eſt. COMPARATVR.} quidquid ad bellum pertinet. SERO *coepit timere:*} cum eum ipſe aluiſſet. quod ſaepe queritur Cicero. FLAGITARET} a conſulibus, ut referrent. LENTVLVS} cognomento Crus, uel Cruſcellus. ep. 4. lib. IIX. HIHIL *cupide;*} de rep. ut arbitror, potius, quam de triumpho. quod ex uerbo ſequenti, Auctoritas, intelligitur, & ex eo, quod in epiſtola ſuperiore dictum eſt: Romae, uereor, ne ex Kal. Ian. magni tumultus ſint. nos agemus omnia modice. Aut igitur haec temperantiae ſignificatio ad remp. non ad triumphum, aut ad utrumque ſimul ſpectat. NOS *Capuam ſumpſimus.*} ep. II. Ego adhuc orae maritimae praeſum a Formijs. nullum maius negotium ſuſcipere uolui. Et ad Att. ep. II. lib. VII. Ego negotio praeſum non turbulento. uult enim me Pompeius eſſe, quem tota haec Campana, & maritima ora habeat. ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & ſumma negotij referebatur.

# Argumentum ep. II.

*DEplorat ſtatum reip. & initia bellorum ciuilium exponit, tum ſuam in Tironem beneuolentiam ſignificat.*

## *Tullius S. D. Tironi ſuo.* II.

*QVo in diſcrimine uerſetur ſalus mea, & bonorum omnium, atque uniuerſae reip. ex eo ſcire potes, quod domos noſtras, & patriam ipſam uel diripiendam, uel inflammandam reliquimus. in eum locum res deducta eſt, ut, niſi quis deus uel caſus aliquis ſubuenerit, ſalui eſſe nequeamus. equidem, ut ueni ad urbem, non deſtiti omnia & ſentire, & dicere, & facere, quae ad concordiam pertinerent. Sed mirus inuaſerat furor non ſolum improbis, ſed etiam iјs, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante nihil eſſe bello ciuili miſerius. itaque cum Caeſar amentia quadam raperetur, & oblitus nominis, atque honorum ſuorum, Ariminum, Piſaurum, Anconam, Arretium occupaſſet; urbem reliquimus; quam ſapienter, aut quam fortiter, nihil attinet diſputare. quo quidem in caſu ſimus, uides. feruntur omnino condiciones ab illo, ut Pompeius eat in Hiſpaniam: delectus qui ſunt habiti, & praeſidia noſtra dimittantur: ſe ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Conſidio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum: ad conſulatus petitionem ſe uenturum: neque iam uelle abſentis rationem haberi ſui: ſe praeſentem trinundinum petiturum. accepimus condiciones, ſed ita, ut remoueat praeſidia ex iјs locis, quae occupauit; ut ſine metu de his ipſius condicionib. Romae ſenatus haberi poſſit. id ille ſi fecerit, ſpes eſt pacis, non honeſtae, (leges enim imponuntur) ſed quiduis eſt melius, quam ſic eſſe, ut ſumus. ſin autem ille ſuis condicionibus ſtare noluerit; bellum paratum eſt, eiuſmodi tamen, quod ille ſuſtinere non poſſit, praeſertim cum a ſuis condicionibus ipſe fugerit: tantum modo ut eum intercludamus, ne ad urbem poſſit accedere: quod ſperabamus fieri poſſe. delectus enim magnos habebamus: putabamusq. illum metuere, ſi ad urbem ire coepiſſet, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimiciſſimas praeter tranſpadanos. ex Hiſpaniaq. ſex legiones, & magna auxilia, Afranio, & Petreio ducibus, habet a tergo. uidetur, ſi inſaniet, poſſe opprimi, modo ut urbe ſalua. maximam autem plagam accepit, quod is, qui ſummam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, ſocius ſceleris eſſe noluit, reliquit illum, & nobiſcum eſt: multiq. idem facturi eſſe dicuntur. Ego adhuc orae maritimae praeſum a Formiјs. nullum maius negotium ſuſcipere uolui, quo plus apud illum meae litterae, cohortationesq. ad pacem ualerent. ſin autem erit bellum; uideo me caſtris, & certis legionibus praefuturum. Habeo etiam illam moleſtiam, quod Dolabella noſter apud Caeſarem eſt. Haec tibi nota eſſe uolui: quae, caue, te perturbent, & impediant ualetudinem tuam. Ego A. Varroni, quem cum amantiſſimum mei cognoui, tum etiam ualde tui ſtudioſum, diligentiſſime te commendaui; ut & ualetudinis tuae rationem haberet, & nauigationis; & totum te ſuſciperet, ac tueretur. quem omnia facturum confido: recepit enim, & mecum locutus eſt ſuauiſſime. Tu quando eo tempore mecum eſſe non potuiſti, quo ego maxime operam, & fidelitatem deſideraui tuam; caue feſtines, aut committas, ut aut aeger, aut hieme nauiges. numquam ego ſero te ueniſſe putabo, ſi ſaluus ueneris. adhuc neminem uideram, qui te poſtea uidiſſet, quam M. Voluſius, a quo tuas litteras accepi. quod non mirabar. neque enim meas puto ad te litteras tanta hieme perferri. ſed da operam, ut ualeas: &, ſi ualebis, cum recte nauigari poterit, tum nauiges. Cicero meus in Formiano erat, Terentia, & Tullia Romae. Cura ut ualeas. IV. Kal. Febr. Capua.*

## EXPLANATIO

DOMOS *noſtras, & patriam ipſam uel diripiendam, uel inflammandam reliquimus.*} ep. I. lib. IV. Vrbem relictam direptioni, & incendiјs. Hoc Pompeiј conſilium, de urbe relinquenda ſaepe reprehendit Cicero, ut ep. 16. lib. 2. & ad Att. ep. 10. lib. VII. & alibi. non enim aggregare placet exemplorum copiã. MIRVS *furor*} ep. 10. Cupiditates certorum hominum &c. IMPROBIS,} Inuado, cum dandi caſu, ut hic; apud Salluſtium, Varronem, Attium; cũ accuſandi caſu, addita praepoſitione, In, ſaepe apud Ciceronem; ſine praepoſitione, apud eundem, ſed raro; nullo caſu, apud Terentium: An morbus inuaſit? AMENTIA} qui a rep. deſciſcunt, amentes, inſani, furioſi dicuntur. Infra: Videtur, ſi inſaniet, poſſe opprimi. HOMINIS} quod antea magnis rebus pro rep. geſtis adeptus eſt. HONORVM} ep. 9. Cum Caeſar, ſingularibus ornatus, & nouis honoribus, ad eam cauſſam accederet. Quo loco ſupplicationes, nouo numero auſtae, ſignificantur. hic autem non tam ſupplicationes, quam magiſtratus, & imperia. QVAM *ſapienter, aut quam fortiter,*} ideſt, nec ſapienter, nec fortiter. HISPANIAM.} Pompeiј prouinciam. quod Cicero, uitandi belli ciuilis cauſſa, cenſuit. ep. 6. lib. VI. Eundum in Hiſpaniam cenſui: quod ſi feciſſet, ciuile bellum nullum omnino fuiſſet. Hac de re in epiſtolis ad Att. & in omnibus fere hiſtoriјs. DOMITIO} L. Domitio Ahenobarbo, Caeſaris inimico, quem Suetonius ait ſucceſſorem & per tumultum eſſe nominatum. Conſul fuerat cum Ap. Claudio. CONSIDIO} Q. Conſidium ſenem nominat ep. 24. lib. 2. ad Att. NONIANO} ex Nonia gente in Conſidiam adoptato. Hic nondum

dum conſul fuerat: itaque Gallia citerior praetoria facta prouincia. A D *conſulatus*} ſecundi, quem geſſit cum P. Seruilio, Iſaurici filio. A B S E N T I S *rationem haberi ſui*:} quod ei lege permiſſum erat, ipſo Pompeio conſule pugnante. uide ep. 6. lib. VI. ut omittam hiſtorias omnes. Hic a uulgatis libris antiqui diſſentiunt, nam pro, ſui, omnes habent ſuam: pro Abſentis, nonnulli, Abſente ſe. T R I N V N D I N V M} Lex, ad populum ferenda, promulgabatur prius, ut per trium nundinarum ſpatium populo pateret; quo poſſet, lege ſatis conſiderata, quid ſentiret; ſuffragijs oſtendere. Eadem, opinor, in magiſtratibus creandis ratio fuit, promulgatis per tres nundinas eorum nominibus, qui petebant: ut populus, de quibus ſuffragiũ laturus eſſet, tanto ante noſſet. Atque hic, Trinundinum, pro, Trinundini ſpatio, dictum puto, ut Phil. 5. Promulgatio trinundinum. Et pro domo: ſit accuſatio trinum nundinum. Ibidem: ſi, quod in ceteris legibus trinum nundinum eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt trium eſſe horarum: nihil reprehendo. Pro C. Cornelio, apud Priſcianum: Ex promulgatione trinundinum dies, poteſtaſq. ueniſſet. Et Varro *γεροντοδιδασκάλο*: Ruſticus Romanus internundinum barbam alebat. pro, internundini ſpatio. ſeruari a ſe uelle conſuetudinem ueterem in petendo, modo Pompeius iret in Hiſpaniam, Caeſar oſtendebat. V T *remoueat praeſidia ex ijs locis, quae occupauit*:} occupauerat Ariminum, Piſaurum, Anconam, Aretium. ſupra, & Caeſar lib. I. bel. ci. S I C *eſſe, ut ſumus*.} uagi, relicta patria, in ſummo diſcrimine. ſupra: Domos noſtras, & patriam ipſam uel deripiendam, uel inflammandam reliquimus. P R A E T E R *Tranſpadanos*.} quibus Caeſar & aedilis, & conſul ciuitatem dare cogitauerat: quod poſtea dictator effecit. Dio. Tranſpadanos autem Caeſari ſtuduiſſe, auctor eſt Cicero ep. 7. lib. VII. ad Att. & ep. 2. lib. V. ad eundem. A F R A N I O *& Petreio*} legatis Pompeij, quos poſtea Caeſar deuicit. M O D O *ut urbe ſalua*.} timebat propinquum malum: ne Caeſar, priuſquam opprimeret, urbem uel diriperet, uel inflammaret. ideo proxime dixit: Tantummodo ut eum intercludamus, ne ad urbem poſsit accedere. T. L A B I E N V S,} Aſiae gentis, plebeiae: qui cum legatus Caeſaris in Gallia res praeclaras geſsiſſet, poſtea, Pompeium ſecutus, nihil parta gloria dignum adminiſtrauit. ep. 14. lib. XIV. Labienus rem meliorem fecit. Et ad Att. ep. 13. lib. VII. Labienum ἥρωα iudico. facinus iamdiu nullum ciuile praeclarius: qui ut aliud nihil, hoc tamen profecit: dedit illi dolorem: ſed etiam ad ſummam profectum aliquod puto. Idem alij. O R A E *maritimae*,} uide ep. 10. & ad Att. ep. 11. lib. VII. A F O R M I I S.} praefecturae meae primum opidum Formiae ſunt. N V L L V M *maius negotium ſuſcipere uolui*.} ep. 7. lib. IV. Neque tu multum interfuiſti rebus gerendis; & ego id ſemper egi, ne intereſſem. Ep. 6. lib. VI. ſuſceptum bellum eſt, quieſcente me. V I D E O *me caſtris, & certis legionibus praefuturum*.} non praefuit, ac ne interfuit quidem Pharſalico prooelio. ep. 18. lib. IX. In acie non fui. De Diuin. lib. I. Plutarchus. D O L A B E L L A *noſter*} ſic ep. ult. lib. VII. Caſsius tuus, & Dolabella noſter. Noſter autem, quia gener. ep. 16. lib. 2. ep. 12. lib. IIX.

---

## Argumentum ep. 12.

*NArrat, quam Tironi periculoſum ſit, poſt morbum in uiam ſe dare: & eius operam in ſtudijs exigit.*

### *Tullius S. D. Tironi.* 12.

EG O *uero cupio te ad me uenire: ſed uiam timeo. grauiſſime aegrotaſti: inedia, & purgationibus, & ui ipſius morbi conſumptus es. graues ſolent offenſiones eſſe ex grauibus morbis, ſi quae culpa commiſſa eſt. iam, ad id biduum, quod fueris in uia, dum in Cumanum uenis, accedent continuo ad reditum dies quinque. ego in Formiano ad* III. *Kal. eſſe uolo. ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. litterulae meae, ſiue noſtrae, tui deſiderio oblanguerunt; hac tamen epiſtola, quam Acaſtus attulit, oculos paullum ſuſtulerunt. Pompeius erat apud me, cum haec ſcribebam. hilare, & libenter ei cupienti audire noſtra, dixi, ſine te omnia mea muta eſſe. tu, muſis noſtris, para ut operas reddas. noſtra ad diem dictam fient. docui enim te, fides* ἔτυμον *quod haberet. Fac plane ut ualeas: nos ad ſummum. Vale.* XIV. *Kal.*

## E X P L A N A T I O

EG O . V E R O} Vero, in principio epiſtolae, reſponſionem ſignificat. ep. 23. & lib. IV. ep. 6. lib. VII. ep. 30. lib. IX. ep. 5. H A C *tamen epiſtola*,} in qua, te ſatis belle habere, ſignificas. A C A S T V S} ſeruus. ep. I. 14. O C V L O S *paullum ſuſtulerunt*.} contrarium contrario reddidit, quia dixerat, oblanguerunt. nam languore oculi demittuntur. P O M P E I V S} obierat iam Pompeius Magnus, quem Cicero, cum non addit praenomen, ſignificare ſolitus eſt. itaque, Pomponius pro Pompeius, reponendum eſſe, iampridem ſuſpicatus ſum. non enim, Pompeio Magno mortuo, quemquam praeterea Pompeium ita Ciceroni familiarem inuenimus, ut, praenomine omiſſo, tamen indicaretur. C V P I E N T I *audire noſtra*,} an aliquid ſcriberem. M V T A *eſſe*,} tacere enim litterae uidentur, cum nihil ſcribimus. In Bruto: Quod huic debes, ego a te peto. Quid nam id, inquam? Vt ſcribas, inquit, aliquid. iam-

pridem enim conticuerunt tuae litterae. Et lib. 2. Off. Cum reſp. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat, nulla eſſet omnino, illae ſcilicet litterae conticuerunt, forenſes & ſenatoriae. MVSIS *noſtris*,} communem a nobis operam exigentibus. OPERAS} quas praebere conſueſti. REDDAS.} intermiſſas tuo morbo. NOSTRA} quae ad me pertinent, quae me eſſe facturum tibi promiſi. Manumiſsio ſignificatur. ep. 14. DOCVI *enim te, fides ἔτυμον quod haberet.*} docui te, Fidem inde dictam, quia fiat id, quod promittitur. lib. 1. de Off. Docui tamquam magiſter. ep. 3. ſi nos amas, & praecipue me, magiſtrum tuum. ἔτυμον, notationem, quod rem, de qua praedicatur, ut ait Boetius, notam faciat.

---

# Argumentum ep. 13.

## *Suam de Tironis ualetudine ſollicitudinem ſignificat.*

### *Tullius S. D. Tironi.* 13.

AEGYPTA *ad me uenit pridie id. Apr. is etſi mihi nunciauit te plane febri carere, & belle habere: tamen, quod negauit te potuiſſe ad me ſcribere, curam mihi attulit, & eo magis, quod Hermia, quem eodem die uenire oportuerat, non uenerat. incredibili ſum ſollicitudine de tua ualetudine: qua ſi me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura ſcriberem, ſi iam putarem libenter te legere poſſe. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi, tibiq. conſeruandum. cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scripta iam epiſtola, Hermia uenit. accepi tuam epiſtolam uacillantibus litterulis: nec mirum, tam graui morbo. Ego ad te Aegyptam miſi, quod nec inhumanus eſt, & te uiſus eſt mihi diligere; ut is tecum eſſet; & cum eo coquum quo uterere. Iterum uale.*

## EXPLANATIO

AEGYPTA} nomen ſerui. ad Att. ep. 15. lib. IX. Miſit ad Tironem Cicero quinque ſeruos ſuos, ut & beneuolentiam in eum oſtēderet, & de eius ualetudine certior fieri poſſet. Marionem primum, ep. 3. deinde Menandrum, ep. 15. poſtremo Hermiam & coquum, ep. 13. Acaſtum autem non miſit, ſed cum eo reliquit, ep. 1. BELLE *habere:*} ep. 9. lib. IX. Terentia minus belle habuit. OMNI *cura liberabo.*} manumittam te. ep. 12. 14.

---

# Argumentum ep. 14.

## *Tirone aegrotante, litterarum ſuauitate, & fructu ſe carere dicit, eumq. rogat, ut omnem curam ad conualeſcendum adhibeat.*

### *Tullius S. D. Tironi.* 14.

MENANDRVS *poſtridie ad me uenit, quam exſpectaram: itaque habui noctem plenam timoris, ac miſeriae. Tuis litteris nihilo ſum factus certior, quo modo te haberes: ſed tamen ſum recreatus. Ego omni delectatione, litteriſq. omnibus careo: quas ante, quam te uidero, attingere non poſſum. Medico mercedis quantum poſcet, promitti iubeto. id ſcripſi ad Munium. Audio te animo angi, & medicum dicere, ex eo te laborare. ſi me diligis, excita ex ſummo tuas litteras, humanitatemque, propter quam mihi es cariſſimus. nunc opus eſt te animo ualere, ut corpore poſſis. id cum tua, tum mea cauſſa facias, a te peto. Acaſtum retine, quo commodius tibi miniſtretur. conſerua te mihi. dies promiſſorum adeſt: quem etiam repraeſentabo, ſi adueneris. Etiam atque etiam uale.* III. *id. hora* III.

## EXPLANATIO

ANDRICVS} non dubito, quin hic ſit idem, qui Menander in epiſtola 15. nominatur. itaque cum putarem, uel in ea epiſtola, Andrici, non Menandri, uel in hac, Menandrus, pro, Andricus, reponendum eſſe: conſului ueteres libros: quorum in uno corrupte quidem, unde tamen ueritas elici poſſit, Atandrius; in altero, Mandricus, in tertio, clariſsimis litteris, Menandrus, legitur. utroque enim modo Menandrus, & Menander, uſitate dicitur. Propertius lib. III. & XXI.

Librorumq.

„ Librorumq. tuos docte Menandre ſales. Et Ouidius:
„ Dum fallax ſeruus, durus pater, improba lena,
Vixerit, & meretrix blanda, Menandrus erit.

Ex hoc loco non unum, aut alterum, quod ſaepe iam dixi, ſed multos ad tollenda menda inſpiciendos eſſe ueteres libros, plane conſtat. nam in quibuſdam, etiam antiquitate celebritatis, legitur, Andricus. HABVI *noctem plenam timoris, ac miſeriae.*} ſic lego, ex ueteribus aliquot libris. placere alijs uideo: Habui noctem plenam timoris. ac miſeriae: tuis litteris nihilo ſum factus certior, quo modo te haberes: ſed tamen ſum recreatus. Quod minime placet. Quo modo enim miſeria maior eſt, quae naſcitur ex litteris Tironis; cum, ijs acceptis, recreatum ſe dicat, ideſt priore miſeria liberatum, aut certe ualde leuatum? MEDICO,} Aſclaponi. ep. 9. & lib. XIII. ep. 20. MERCEDIS:} hoc eſt, quod dixit ep. 4. Medico ipſi puto aliquid dandum eſſe, quo ſit ſtudioſior. Et ep. 8. Curio miſi, ut medico honor haberetur. ID *ſcripſi ad Mumium.*} ueteres libri uarie, Mumium, Munium, Numium, Nummum, Vatinium, Vmmium, omnes, ut ego ſuſpicor, mendoſe. Quis enim iſte eſt uel Vmmius, uel Mumius, uel Munius, uel Numius, uel Nummus, uel Vatinius, a quo pecuniam medico promitti Cicero uult? is enim nuſquam neque in his ad Tironem, neque in ijs, quae ad Atticum ſcriptae ſunt epiſtolis nominatur. ad Curium quidem ſe ſcripſiſſe, ut Tironi, quidquid opus eſſet, in ſumptum erogaret, utique ſignificat, ut ep. 6. Scripſi ad Curium, quod dixiſſe, daret. medico ipſi puto aliquid dandum eſſe, quo ſit ſtudioſior. Et ep. 9. Curio miſi, ut medico honos haberetur, & tibi daret quod opus eſſet. Et ad Att. ep. 5. lib. IIX. Faſciculum, qui eſt M' Curio inſcriptus, uelim cures ad eum perferendum; Tironemq. Curio commendes; ut ei, ut petijt, ſi quid opus erit, in ſumptum eroget. Et ibidem ep. 6. Tironem uideo in ſumptum ab alijs mutuatum. ego autem Curium noſtrum, ſi quid opus eſſet, rogaram. Quare uidetur in hac etiam ad Tironem epiſtola Curius omnino ſignificari. &, ut dicam quod ſentio, legendum opinor ſic: Id ſcripſi ad Manium: mutatione fere nulla: cum in uetere libro ſcriptum ſit, Munium. fuiſſe autem Manius, Curiorem praenomen, nemo fere paullo eruditior ignorat. Nec mirum uideatur, ſolo praenomine quemquam iudicari. nam, cum ad Tironem ſaepe Cicero de Curio, & hac ipſa de re, ſcripſiſſet: praenomen poni, cum de homine notiſsimo loqueretur, ſatis eſſe duxit: ut interdum Seruium, Appium, Sextum nominat, neque addit, Sulpicium, Claudium, Peducaeum. Praenomen autem Manius, quia non admodum erat uſitatum, iccirco librariorum incuria ſaepe tranſijt in Marcus, eo facilius, quod M', quo Manius oſtenditur, minimum diſtat a M. Hinc M. Acilius Glabrio, M. Aquillius, M. Curius, mendoſe ubique pro M'. quod mendum ſuſtulimus ex ep. 17. lib. XIII. & ad Att. ep. 2. 3. lib. VII. & ep. 5. lib. IIX. ad eundem. EX *eo te laborare.*} ep. 10. Non ignoro, quantum ex deſiderio labores. HVMANITATEMQ.} non dubito, quin humanitatem hic Cicero, non pro facilitate quadam, & beneuolentia erga homines, ſed pro eruditione poſuerit: ut lib. 1. de Orat. In omni recto ſtudio, atque humanitate uerſarentur. lib. 2. Homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium litterarum, & politioris humanitatis experti. In Verrem: Tu ſine ulla bona arte, ſine humanitate, ſine ingenio, ſine litteris intelligis & iudicas? Gellius autem lib. XIII. cap. 16. Qui uerba, inquit, Latina fecerunt, quique ijs probe uſi ſunt, Humanitatem non id eſſe uoluerunt, quod uulgus exiſtimat, quodq. a Graecis φιλανθρωπία dicitur, & ſignificat dexteritatem quandam, beneuolentiamq. erga omnes homines promiſcuam; ſed humanitatem appellauerunt id propemodum, quod Graeci παιδείαν uocant, nos eruditionem, inſtitutionemq. in bonas artes dicimus; quas qui ſinceriter cupiunt, appetuntq. ij ſunt uel maxime humaniſsimi. huius enim ſcientiae cura, & diſciplina ex uniuerſis animantibus uni homini data eſt. iccircoq. humanitas appellata. ſic igitur eo uerbo ueteres eſſe uſos, & cum primis Varronem, & Tullium, omnes ferme libri declarant. quamobrem ſatis habui unum interim exemplum afferre. itaque uerba poſui Varronis e libro rerum humanarum primo: cuius principium hoc eſt: Praxiteles, qui propter artificium egregium, nemini eſt, paullum modo humaniori: ignitus. ANIMO *ualere,*} quo non ualet, qui angitur. ep. 10. Non ignoro, quantum ex deſiderio labores. DIES *promiſſorum adeſt:*} manumiſsionem ſignificari puto, ut etiam ep. 12. Noſtra ad diem dictam fient. docui enim te, Fides ἔτιμον quod haberet. Et ep. 13. Ego te omni cura liberabo. REPRAESENTABO,} non exſpectabo diem dictam: manumittam te etiam ante, ſi adueneris.

---

# Argumentum ep. 15.

*Cohortatio ad ualetudinem curandam.*

## *Tullius S. D. Tironi.* 15.

OMNIA *a te data mihi putabo, ſi te ualentem uidero. Summa cura exſpectabam aduentum Menandri, quem ad te miſeram. Cura, ſi me diligis, ut ualeas: &, cum te bene confirmaris, ad nos uenias. Vale. IV. id. Apr.*

## EXPLANATIO

MENANDRI, } ſerui, quem ad Tironem miſerat, ut antea quoque Marionem.

# Argumentum ep. 16.

*Q. Cicero Marco fratri, de Tirone manumiſſo, & gratias agit, & gratulatur. Haec epiſtola aut eodem tempore, quo ea, quae incipit, Quid igitur? aut paullo poſt, uel ante uidetur eſſe ſcripta: cum utraque Tironem paullo ante manumiſſum ſignificet.*

## *Quinctus S. D. Marco fratri.* 16.

*DE Tirone, mi Marce, ita te, meumq. Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumq. filium uideam, ut mihi gratiſſimum feciſti, cum eum, indignum illa fortuna nobis amicum, quam ſeruum, eſſe maluiſti. mihi crede, tuis, & illius litteris perlectis, exſilui gaudio: et tibi & ago gratias, & gratulor. ſi enim mihi Statij fidelitas eſt tantae uoluptati: quanti eſſe in iſto haec eadem bona debent, additis litteris, ſermonibus, humanitate, quae ſunt his ipſis commodis potiora? amo te omnibus equidem maximis de cauſſis, uerum etiam propter hanc, uel quod mihi ſic, ut debuiſti, nunciaſti. te totum in litteris uidi. Sabini pueris & promiſi omnia, & faciam. Vale.*

## EXPLANATIO

INDIGNVM *illa fortuna*, } indignum, qui ſeruiret. AMICVM, } manumiſſus enim, incipit eſſe in amicorum numero. EXSILVI *gaudio*, } Alibi, Exſultat gaudio, uel exſultat, ſimpliciter. ad Att. lib. VII. ep. 2. Quo modo exſultat Catonis in me ingratiſsimi iniuria? ep. 9. lib. 2. Inceſsi omnibus laetitijs. ET *ago gratias, & gratulor.* } haec interdum coniunguntur, ut ep. 9. lib. 2. Cum gratulor, tum uero, quibus uerbis tibi gratias agam, non reperio. STATII } a Q. Ciccrone manumiſsi. ep. 18. 19. lib. 2. ad Att. & ep. 2. lib. I. ad Q. F. FIDELITAS } differre arbitror fidelitatem a fide: ut fides in mente ſit, fidelitas re declaretur. propterea Plautus Trin. Probo, & fideli, & fido, & cum magna fide. HIS *ipſis commodis*, } fidelitate: de qua dixit iam, Haec eadem bona: quaſi in una fidelitate multa commoda, multaq. bona ſint. PROPTER *hanc*, } quod Tironem liberaueris. VEL *quod* } hoc etiam nomine. Tale illud ep. 13. lib. 2. Vel quas proxime acceperam, quam multi, & officij & conſilij. Et ep. 24. lib. VII. Vel quas proxime de Tigellio. SIC, } uerbis laetitiam ſignificantibus: ut plane te totum in litteris uiderim. SABINI } cognomen Romanae familiae. ep. 20. lib. XV. PVERIS } ſeruis.

# Argumentum ep. 17.

*REprehendit, modeſte tamen, Tironem, quia ſcripſerat, Valetudini fideliter inſeruiendo: eumq. rogat, ut omnino ualetudini ſeruiat.*

## *Tullius S. D. Tironi.* 17.

VIDEO *quid agas. tuas quoque epiſtolas uis referri in uolumina. ſed heus tu, qui κανὼν eſſe meorum ſcriptorum ſoles, unde illud tam ἄκυρον, Valetudini fideliter inſeruiendo? unde in iſtum locum, Fideliter, uenit? cui uerbo domicilium eſt proprium in officio, migrationes in alienum multae. nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici poteſt: ut ſit, quo modo Theophraſto placet, uerecũda tranſlatio. Sed haec coram. Demetrius uenit ad me. quo quidem comitatu ἀφωμίλησα, ſatis ſcis: tu eum uidelicet non potuiſti uidere: cras aderit: uidebis igitur: nam ego hinc perendie mane cogito. Valetudo tua me ualde ſollicitat: ſed inſerui, & fac omnia. tum te mecum eſſe, tum mihi cumulatiſſime ſatisfacere putato. Cuſpio quod operam dediſti, mihi gratum eſt: ualde enim eius cauſſa uolo. Vale.*

## EXPLANATIO

VIDEO, *quid agas.* } opinor hoc ſignificari: Tironis epiſtolas ita diligenter ſcriptas eſſe, ut cupere uideretur, eas quoque in uolumina referri. De uoluminibus ep. 7. lib. III. TVAS *quoque*, }

ita ut

ita ut meae referuntur. Fuit enim haec ipſius Tironis opera: quod & Nepos in Attici uita oſtendit: & Cicero ipſe ep. 4. lib. XVI. ad Att. negat quidem eas a ſe in uolumina referri, a Tirone tamen ait aliquot ſeruari. Mearum, inquit, epiſtolarum nulla eſt σωαγωγὴ: ſed habet Tiro inſtar ſeptuaginta. & quidem ſunt a te quaedam ſumendae. eas, ego, oportet, perſpiciam, & corrigam: tum denique edentur. κανὼν} regula. utrum hoc ad iudicium Tironis, qui ſcripta Ciceronis examinare, atque interdum etiam corrigere ſolitus eſſet, an ad diligentiam pertinet, qui ſummam in ijs cuſtodiendis ordinandiſq. curam poneret? ad iudicium potius, ut opinor: quod indicant ea, quae ſequuntur. miratur enim Cicero, parum apte translato uerbo Tironem uſum eſſe, quo iudice ſuis in uſum eſſe, quem ipſe iudicem ſuis in ſcriptis habere conſueuiſſet. Ἄκυρον} improprium, alieno loco poſitum. VERECVNDA *tranſlatio*,} ut in ſuum locum uerba immigraſſe, non in alienum irruiſſe uideantur: quod ait Cicero lib. III. de Orat. & in Bruto. uide Ariſt. de Arte poetica, & lib. III. Rhetoricorum. DEMETRIVS} is de quo ep. 17. 19. QVO *quidem comitatu ἀφωμίλησα, ſatis ſcis.*} qui uident acutius, ijs examinandum hunc locum relinquo. nam mihi quidem tenebrae ſunt. putaui interdum, ἐφομιλήσας, legendum: pro, uſus: uerbo compoſito ab ἐπὶ, & ὁμιλέω.

---

## Argumentum ep. 18.

*CVm epiſtolam ſuam Cicero, poſt manumiſſum Tironem, inſcripſiſſet hoc modo: M. Tullius Cicero M. Tullio Tironi; ueritus inuidiam Tiro, non ſic inſcribendum, ſed ut ante manumiſſionem, reſpondit. Cicero non eſſe mutandam inſcriptionem contendit, quin etiam addendum, ſuo: quod maioris etiam eſſet beneuolentiae ſignum. Tironi melius eſſe factum, gratulatur: eumq. rogat, ut ualetudini prorſus indulgeat, & alia quoque breuiter attingit.*

## *Tullius S. D. Tironi.* 18.

*QVID igitur? non ſic oportet? equidem cenſeo ſic, addendum etiam, Suo. ſed, ſi placet, inuidia uitetur; quam quidē ego ſaepe contempſi. Tibi* διαφόρησιν *gaudeo profuiſſe. ſi uero etiam Tuſculanum; dij boni, quanto mihi illud erit amabilius. ſed, ſi me amas; quod quidem aut facis, aut perbelle ſimulas; quod tamen in modum procedit; ſed, ut eſt, indulge ualetudini tuae: cui quidem tu adhuc, dum mihi deſeruis, ſeruiſti non ſatis. ea quid poſtulet, non ignoras:* πέψιν, ἀκοπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας. *fac bellus reuertare. non modo te, ſed etiam Tuſculanū noſtrum plus amem. Parhedrum excita, ut hortum ipſe conducat: ſic olitorem ipſum commouebis. helico nequiſſimus* H-S CC *dabat; nullo aprico horto, nullo emiſſario, nulla maceria, nulla caſa. iſte nos tanta impenſa derideat? calface hominem, ut ego M. Othonem: itaque abutor coronis. De Crabra quid agatur, etſi nūc quidem etiam nimium eſt aquae, tamen uelim ſcire. Horologium mittam, & libros, ſi erit ſudum. ſed tu nullos ne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat. A. Ligurius, Caeſaris familiaris, mortuus eſt, bonus homo, & nobis amicus. Te quando exſpectemus, fac ut ſciam. Cura te diligenter. Vale.*

## EXPLANATIO

NON *ſic oportet?*} inſcribi epiſtolas meas. Διαφόρησιν} animi relaxationem. Alibi eſt, ut medici loquuntur, euaporatio. ſic διάχυσις, proprie cum ſit humorum diffuſio, accipi tamen interdum non modo a Graecis, uerum etiam a Latinis, ut a Coelio Aureliano, pro exhilaratione, ſolet. TVSCVLANVM} quo ſe Tiro contulerat, animi, & ualetudinis cauſſa. ſi tibi, inquit, Tuſculanum quoque profuerit, item ut profuit διαφόρησις, cum ex urbe exijſti: longe mihi erit amabilius, quam antea. IN *modum procedit*;} ſatis procedit. nam ego uere exiſtimo me a te amari. Modus moderatum quid oſtendit: unde Modice. propterea interdum dicitur, Mirum in modum, Maiorem in modum, & ſimilia. VT. EST,} malim, Vtut eſt: pro, quoquo modo res ſe habet: ſiue me uere amas, ſiue ſimulas. nam, Vt eſt, Quo modo eſt, Quo modo ſe res habet, affirmare uidentur, & praeſentem rei ſtatum indicare. Cicero autem hic iocans dubitare ſe fingit. INDVLGE} indulgere, eſt nimium obſequi, plus concedere, quam deceat: ut ep. 4. lib. x. ad Att. Q. filius indulgentia noſtra deprauatus, eo progreſſus eſt, quo non audeo dicere. Et ep. 6. ibidem, Pater, nimis indulgens, quidquid ego adſtrinxi, relaxat. Eſt etiam filij in patrem laudabilis indulgentia, in lib. III. Off. Qui perindulgens in patrem, idem acerbe ſeuerus in filium. CVI *quidem adhuc, dum mihi deſeruis, ſeruiſti non ſatis.*} ep. 6. Adhuc, dum mihi nullo loco deeſſe uis, numquam te confirmare potuiſti. πέψιν, ἀκοπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν,

ψιν, εὐλυσίαν κοιλίας.} concoctionem, uitationem laſsitudinis, ambulationem moderatam oblectationem facilitatem alui. BELLVS} recuperata ualetudine. ep. 14. Belle habere. NON *modo te*,} qui, pro amore in me tuo, diligentiam omnem ad conualeſcendum adhibueris. TVSCVLANVM} in quo morbum depuleris. PLVS *amem*} pro, plus amabo. Paullo ante: Quanto mihi illud erit amabilius. PARHEDRVM} proprie, πάρεδρος, Acceſſor eſt: transfertur ad alia, & conſiliarium, aut cuſtodem ſignificat. fortaſſe loquitur Cicero de olitoris uicino. HORTVM} in agro Tuſculano, ubi Tiro erat. IPSE *conducat*:} conducere hortum in Tuſculano, poſſeſſum a quodam olitore, Cicero cupiebat, ille nimium petebat: ut fere fit, empturis, aut conducturis aliquid ijs, qui opibus abundant. fallere igitur olitorem Cicero non uellet; parhedrum, hominem non diuitem, uicinum olitoris, uel ſuum, qui hortum ipſum minoris conduceret, deinde Ciceroni traderet, ſummittendum cogitabat. OLITOREM} de quo ep. 17. COMMOVEBIS.} calfacies. hoc enim uerbo infra utitur in eadem ſententia. Commouebis olitorem. Opinor, dictum, pro moleſtia illum afficies: nam calfacere, id ualet hoc in loco: ut ep. 9. lib, IIX. Si Parthi uos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigeſcimus. Et ep. 2. lib. III. Gabinium ad populum luculente calefecerat Memmius. HELICO} ſic ueteres libri omnes, &, opinor, mendoſe, obſcure quidem certe. obſcura autem omnia ſi mutare conemur, ultro implicabimur difficili cura, nec ſemper neceſſaria. NEQVISSIMVS} qui rem familiarem temere diſsipat. H-S ∞ } ſeſtertium mille, noſtratis monetae ſcutatis triginta. DABAT} reprehendit Cicero nequitiam illius heliconis, qui pro eodem horto, quem ipſe conducere uolebat, dederat olim ſcutatos annuos triginta. ex quo olitor in ſpem uenerat, non minus Ciceronem daturum. Fortaſſe etiam alio de horto, quem Helico ille magna mercede conduxerat, loquitur Cicero: cuius exemplo uelle dicit inſanire, neque paſſurum, ut ab olitore tanta impenſa, id eſt tanta mercede horto illo conducto, derideatur. atque in hanc opinionem eo uenio libentius, quia ueriſimile non uidetur, eum hortum Ciceronem conducere uoluiſſe, qui nec apricus eſſet, & careret emiſſario, maceria, caſa. CALFACE} commoue. loquitur enim de olitore: de quo dixit iam: Olitorem ipſum commouebis. VT. EGO} calfeci. M. OTHONEM:} Mothonem, antiqui libri omnes. placet uel M. Othonem, cuius crebra mentio lib. XII. ad Att. uel, Mathonem, eum fortaſſe, qui nominatur ep. 25. lib. IX. uel Motonem, de quo ep. 50. ad Att. lib. XII. uel Mutonem in oratione pro Fundanio. ABVTOR *coronis*.} mihi ab olitore donatis. Abutor autem, quia calefieri eum a te uolo. in quo uideor ei malam gratiam referre. DE. CREBRA,} agri Tuſculani aqua. In Rullum or. 3. Ego Tuſculanis pro aqua Crabra uectigal pendam, quia a municipio fundum accepi: Si a Sulla mihi datus eſſet, Rulli lege non penderem. Et Frontinus de aquae duct. SVDVM} ſerenum tempus, quaſi ſine udo. PANGIS} ſcribis. de uerſibus dictum, non de ſoluta oratione, putat Feſtus, & Probus. Cicero tamen ep. 6. lib. 2. ad Att. ad orationem ſolutam, niſi fallor, tranſtulit. Ἀνέκδοτα, inquit, a nobis, quae tibi uni legamus. Theopompino genere, aut etiam aſperiore multo, pangetur. Proprie, Pangere, eſt figere. unde pangere clauum, plantam, ſtylum in cera. inde factum, ut, Pangere, ſit ſcribere: quia uerſus in cera pangebantur. SOPHOCLEVM?} ſimile Sophoclis uerſibus, qui excellunt inter alios. unde Virgilius: Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno. FAC *opus appareat*.} fac ut uideam. Opus eſt id, quod poſt operam remanet, ut ex aliqua re quaſi fructus enaſcitur. itaque interdum libri, opera dicuntur, ut hic: quia fructus otij ſignificatur. & ad Att. ep. 6. lib. 2. Tibi ſuperioribus litteris promiſeram, fore, ut opus exſtaret huius peregrinationis. & lib. III. de Off. Nulla eius ingenij monumenta, mandata litteris, nullum opus otij, nullum ſolitudinis munus exſtat. Accipitur igitur pro quacumque re, quae poſt operam exſtat, non ſimpliciter pro eo, quod ſcribitur. itaque male latine loquūtur, qui, Platonis opera, dicunt. A. LIGVRIVS,} is eſt, de quo ep. 9. lib. XI. ad Att. EXSPECTEMVS} Romae.

## Argumentum ep. 19.

### *De litteris, de Demetrio, de Aufidiano nomine.*

### *Tullius S. D. Tironi.* 19.

EXSPECTO *tuas litteras de multis rebus, te ipſum multo magis. Demetrium redde noſtrum, & aliud, ſi quid potes boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor: ſcio tibi curae eſſe: ſed confice: et ſi ob eam rem moraris, accipio cauſſam: ſi te id non tenet, aduola. Litteras tuas ualde exſpecto. Vale.*

## EXPLANATIO

DEMETRIVM} de quo ep. 17. 22. REDDE *noſtrum*,} ſic locutus ep. 32. lib. VII. Dolabellam redde plane meum. DE *Aufidiano nomine*,} ut exigas ab Aufidio, quod debet.

## Argumentum ep.20.

*DE ualetudine curanda, de libris componendis, de olitore, de reditu Tironis.*

### *Tullius S. D. Tironi.* 20.

SOLLICITAT, *ita uiuam, me tua, mi Tiro, ualetudo: ſed confido, ſi diligentiam, quam inſtituiſti, adhibueris, cito te firmum fore. libros compone, indicem, cum Metrodoro lubebit: quando eius arbitratu uiuendum eſt. Cum olitore, ut uidetur. Tu potes Kalendis exſpectare gladiatores, poſtridie redire: & : ita cenſeo. uerum, ut uidebitur. Cura te, ſi me amas, diligenter. Vale.*

## EXPLANATIO

COMPONE,} ordina, & diſpone, ſuo quemque loco ſtatue. INDICEM,} quem componere, maioris laboris eſt. CVM *Metrodoro*} medico. CVM *olitore*,} ep.18. SPECTARE} in urbe. REDIRE} in agros.

---

## Argumentum ep.21.

*PRopenſionem animi ad uirtutem, ſtudiumq. ſuum Cicero filius ſignificat: de praedio empto gratulatur. ſcripta uidetur, uel Antonio & Dolabella cos. uel etiam ſuperiore anno, Fabio, & Trebonio. nam aliquanto ante conſules Antonium & Dolabellam profectum eſſe Athenas, Ciceronis filium, ex ep.51 lib.*XII.*ad Att.ep.24.lib.*XIII. *ad eundem, intelligitur.*

### *Cicero F. S. D. Tironi ſuo dulciſs.* 21.

CVM *uehementer tabellarios exſpectarem quotidie, aliquando uenerunt poſt diem quadrageſimum & ſextum, quam a nobis diſceſſerant: quorum mihi fuit aduentus adoptatiſſimus: nam cum maximam cepiſſem laetitiam ex humaniſſimi, & cariſſimi patris epiſtola: tum uero iucundiſſimae tuae litterae cumulum mihi gaudij attulerunt. itaque me iam non paenitebat, intercapedinem ſcribendi feciſſe, ſed potius laetabar, fructum enim magnum humanitatis tuae capiebam ex ſilentio mearum litterarum. uehementer igitur gaudeo te meam ſine dubitatione accepiſſe excuſationem. Gratos tibi optatosq. eſſe, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulciſſime Tiro: praeſtaboque, & enitar, ut in dies magis magisq. haec naſcens de me duplicetur opinio. quare, quod polliceris te buccinatorem fore exiſtimationis meae; firmo id, conſtantiq. animo facias licet. tantum enim mihi dolorem, cruciatumq. attulerunt errata aetatis meae, ut non ſolum animus a factis, ſed aures quoque a commemoratione abhorreant. cuius te ſollicitudinis, & doloris participem fuiſſe, notum exploratumq. eſt mihi. nec id mirum. nam cum omnia mea cauſſa uelles mihi ſucceſſa, tum etiam tua, ſocium enim te meorum commodorum ſemper eſſe uolui. quando igitur tum ex me doluiſti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudium, praeſtabo. Cratippo me ſcito non ut diſcipulum, ſed ut filium eſſe coniunctiſſimum. nam cum audio illum libenter; tum etiam eius propriam ſuauitatem uehementer amplector. ſum totos dies cum eo, noctisq. ſaepenumero partem. exoro enim, ut mecum quam ſaepiſſime cenet. hac introducta conſuetudine, ſaepe inſcientibus nobis, & cenantibus, obrepit; ſublataq. ſeueritate philoſophiae, humaniſſime nobiſcum iocatur. quare da operam, ut, hunc talem, tam iucundum, tam excellentem uirum uideas quamprimum. Nam quid ego de Bruttio dicam? quem nullo tempore a me patior diſcedere: cuius cum frugi, ſeueraq. eſt uita, tum etiam iucundiſſima conuictio. non eſt enim ſeiunctus iocus a philologia, & quotidiana συζηθήσει. huic ego locum in proximo conduxi, &, ut poſſum, ex meis anguſtijs illius ſuſtento tenuitatem. Praeterea declamitare Graece apud Caſſium inſtitui: Latine autem apud Bruttium exerceri uolo. utor familiaribus, & quotidianis conuictoribus, quos ſecum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illis probatiſſimis. multum etiam mecum eſt Epicatres, princeps Athenienſium, & Leonides, & horum ceteri ſimiles. τὰ ἀεὶν οὖν καθ' ἡμᾶς τάδε. De Gorgia autem quod mihi ſcribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis, ſed omnia poſtpoſui, dummodo praeceptis patris parerem. διαῤῥήδην enim ſcripſerat, ut eum dimitterem ſtatim. tergiuerſari nolui; ne mea nimia*

σπουδὴ

*σπουδὴ ſuſpicionem ei aliquam importaret. deinde illud etiam mihi ſuccurrebat, graue eſſe me de iudicio patris iudicare. tuum tamen ſtudium, & conſilium gratum, acceptumq. eſt mihi. Excuſationem anguſtiarum tui temporis accipio: ſcio enim, quam ſoleas eſſe occupatus. Emiſſe te praedium, uehementer gaudeo: feliciterq. tibi rem iſtam euenire cupio. Hoc loco me tibi gratulari, noli mirari. eodem enim fere loco tu quoque, emiſſe te, feciſti me certiorem. habes, ubi deponendae tibi ſint urbanitates. rusticus Romanus factus es. quo modo ego mihi nunc ante oculos tuum iucundiſſimum conſpectum propono, uideor enim uidere ementem te ruſticas res, cum uillico loquentem, in lacinia ſeruantem ex menſa ſecunda ſemina. ſed, quod ad rem pertinet, me tum tibi defuiſſe, aeque, ac tu, doleo. ſed noli dubitare, mi Tiro, quin te ſubleuaturus ſim, ſi modo fortuna me; praeſertim cum ſciam, communem nobis emptum eſſe iſtum fundum. De mandatis quod tibi curae fuit, eſt mihi gratum: ſed peto a te, ut quamcelerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Graecus. multum enim mihi eripitur operae in exſcribendis hypomnematis. Tu, uelim, in primis cures, ut ualeas, ut una συμφιλολογεῖν poſſimus. Antherum tibi commendo. Vale.*

# EXPLANATIO

ADOPTATISSIMVS.} pro exoptatiſsimus. ſic Vatinius ep. 9. lib. v. Quem potius adoptem,
aut inuocē, quā eum, quo defendente uincere didici? Alibi, Adoptare, eſt eum, quē optamus, aſſume
re: ut, Adoptare filium. BVCCINATOREM} qui, quaſi buccina carens, diuulgas laudes meas, in ora-
tione pro Archia, praeconem, dixit Cicero pater: O fortunate adoleſcens, qui tuae uirtutis praeconem in-
ueneris. MIHI *ſucceſſa,*} pro, ſucceſsiſſe. quod Latini ſermonis conſuetudo ferre uix uidetur. Omni-
no mirari ſatis non poſſum, non modo ab elegantia, & copia, ſed interdum etiam a proprietate paterni ſer-
monis longe diſtare orationem filij: quod uoluntatis potius, quam naturae, uitium eſſe arbitror. CRA-
TIPPO} philoſophorum principi in peripatetica doctrina: de quo diximus ep. 16. lib. XII. BRVTTIO}
Latino ſermone: plerique tamen ueteres libri, Bruto: mendoſe ſcilicet: opinor enim, qui ſubſequi mentio-
nem Caſsij uiderunt, eos hunc eſſe M. Brutum, illum C. Caſsium putaſſe, quaſi uero poſt Caeſaris necem
ita uacuo animo eſſent, itaque otio abundarent Brutus, & Caſsius, ut apud alterum Graece declamitare,
apud alterum Latine exerceri Cicero filius arbitratu ſuo poſſet. Praeterea, quis credat hoc ad M. Brutum
pertinere? Quem nullo tempore a me patior diſcedere. Et illud? Huic ego locum in proximo conduxi; &, ut
poſſum, ex meis anguſtijs illius ſuſtento tenuitatem. Non enim, ut arbitror, ita loqueretur adoleſcentulus
Cicero de claro uiro, & eius anni praetore, M. Bruto. nec ita Brutus ab amicis imparatus erat, ut a Cicero
nis filio, cui pater in annuum ſumptum non ſatis large ſuppeditaret, ſuſtentandus in Athenarum urbe no-
biliſsima fuerint. numquam id (ut matrem Seruiliam, propinquos, familiares reliquos omittam) Atticus
tuliſſet; qui etiam, ut in eius uita Nepos ait, Bruto Italia cedenti H-S C. muneri miſerit, eidem in Epiro ab-
ſenti CCC. iuſſerit dari. CVIVS *cum frugi, ſeueraq. eſt uita, tum etiam iucundiſſima conuictio.*} quae ſum-
ma laus eſt; ſeueritatem humanitate temperare. ep. 17. lib. XII. Eſt autem ita temperatis, moderatiſq. mori-
bus, ut ſumma ſeueritas cum humanitate iungatur. Quo loco plura diximus. PHILOLOGIA} diſpu
tatione de litteris. *Συζητήσει.*} mutua quaeſtione. MITYLENIS} Cratippi patria. ADDVXIT}
non multo ante. nam Pompeius eum, ex pugna Pharſalica fugiens, Mitylenis uidit. LEONIDES,} qui
cum ad Ciceronem de filio ſcriberet, certi nihil auſus eſt polliceri. ep. 16. lib. XIV. ad Att. Cupio excurrere in
Graeciam. magni intereſt Ciceronis, uel mea potius, uel mehercule utriuſque, me interuenire diſcenti. nam
in epiſtola Leonidae quid habet, quaeſo, in quo magnopere laetemur? numquam ille mihi ſatis laudari ui-
debitur, cum ita laudabitur: Quo modo nunc eſt. non eſt fidentis hoc teſtimonium, ſed potius timentis. Et
ep. 16. lib. XV. Leonidas retinet ſuum illud, Adhuc. ſummis uero laudibus Herodes. *τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς,
τάδε.*} quae igitur ad nos pertinent, haec ſunt. DE. GORGIA} graeco rhetore. *Διαῤῥήδην*} aper-
te. VT, EVM *dimitterem ſtatim.*} cauſſam, cur eum a filio dimitti Cicero uoluerit, Plutarchus hanc
narrat, quod ad potum & uoluptates adoleſcentem alliceret. Hoc fortaſſe magiſtro didicit ſtrenue bibere
Cicero filius. nam, binos congios ſimul haurire ſolitū ſcribit Plinius lib. XIV. cap. ult. *Σπουδὴ*} propenſa uo-
luntas ad Gorgiā retinendum, ſtudium de non dimittendo Gorgia. ad Att. lib. XIII. ep. 27. Nec in hac qui-
dem re quidquam magis ut uellem accidere potuit, quam quod *σπουδὴ* noſtra non eſt probata. GRAVE
*eſſe, me de iudicio patris iudicare.*} non recte facere me, ſi de patris iudicio ita iudicare uellem, quaſi falli
poſſet in eo, quod exiſtimaret de Gorgia. STVDIVM *& conſilium*} ſtudium, quia cupis: conſilium,
quia ſuades, ne Gorgia utar. HOC *loco*} hac parte epiſtolae. NOLI *mirari.*} cum gratulatio pri-
mum in epiſtola locum poſtulet, exempla ſunt in ep. 7. 9. lib. 2. ep. 12. lib. III. ep. 12. lib. VI. ep. 12. lib. IIX.
HABES *ubi deponendae tibi ſint urbanitates.*} nihil muto: nec enim neceſſe eſt. Habes inquit, ubi mores
urbanos deponas, animumq. liberiore uitae genere, nulla graui occupatione, remittas, ac relaxes. Vel, De-
ponendae urbanitates, omittendae res urbanae: ut ep. 17. lib. VII. Mihi interdum leuis in urbis, urbanita-
tisq. deſiderio uidebare. RVSTICVS *Romanus factus es.*} ioco dictum: quaſi Tironi, qui paullo an-
te ſeruierat, gratuletur, quod ruſticus Romanus, empto praedio, ſit factus. nam ueteres illi ruſtici Romani
admodum laudabantur, utpote conſulares multi, ac triumphales. Varro *γεροντοδιδασκάλῳ*: Quoties pri-
ſcus homo, ac ruſticus Romanus internundinū barbā radebat. VIDERE *enim uideor ementem te ruſticas
res,*} modus transferendi coniecturam ad oculos; quo plus fidei noſtra conſequatur opinio. ep. 15. lib. IX.
Te cum uideo, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, uere ut dicam, Craſſos quoque, & Laelios uidere ui-
deor.

deor. In Laelio: Videre iam uideor populum Romanum a ſenatu diſiunctum. Pro Q.Gallio: Videbar mihi uidere alios intrantes, alios autem exeuntes. Simile illud ep.12.lib.v. Cerno iam animo, quanto omnia uberiora, quantoq. ornatiora futura ſint. IN LACINIA *ſeruantem ex menſa ſecunda ſemina*} Laciniam Feſtus dixit eſſe partem ueſtimenti.id Plauti teſtimonio cõfirmatur: ait enim in Aſinaria: Lacrumantem lacinia tenet lacrumas. Macrobius quoque lib. 2. Sat. Poſt uictoriam, inquit, Caeſaris, interrogatus Cicero cur in electione partis erraſſet, reſpondit: Praecinctura me fefellit. iocatus in Caeſarem, qui, ita toga praecingebatur, ut, trahendo Laciniam, uelut mollis incederet. Suetonius in Nerone: Circuitis templis, cum in aede Veſtae reſediſſet, conſurgenti ei primum Lacinia obhaeſit: deinde &c. Item Seruius honoratus, cum illud Virgilij explanaret, Cinctuq. Gabino, haec poſuit: Cinctus Gabinus eſt toga, ſic in tergum reiecta, ut una eius Lacinia, a tergo reuocata, hominem cingat. Haec de Lacinia, ueſtimenti parte. Pro Linteolo, aut ſudario quadrato, aut oblongo, Plautus accepit, in Mercatore. Sume, inquit, Laciniam, atque abſterge ſudorem tibi: Nec alia, niſi fallor, in hac Ciceronis filij epiſtola ſignificatio eſt. quid enim? an e ſecunda menſa Tiro ſemina exciperet in ueſte, cum eadem & honeſtius multo, & commodius in Linteolo ſeruare poſſet? Tertio modo Laciniam uſurpauit Columella pro definita loci parte: dixit enim lib. VII. cap. 5. male affectũ gregem in Lacinias diſtribuendum: quia particulatim facilius, quam uniuerſus, conualeſcat. Adhanc ſimilitudinem ſpectauit Plinius lib. IIX. cap. 50. de capris cum dixit: Laciniae e ceruice binae dependentes. Et lib. V. cap. 10. Lacinioſam Alexandriam: ideſt, in urbanas inſulas, tamquam in Lacinias quaſdam, diuiſam, ac diſtinctam. Et lib. XXV. cap. 10. Lacinioſa folia: pro, partibus conciſa, Lacinias, imitantibus. Laciniatim, pro particulatim, dixit Apuleius: Non laciniatim diſperſo, ſed cuneatim ſtipato grege. Eodem modo ſaepe uſurpauit Frontinus, in lib. de Colonijs. Hic, in Lacinia, dixit, Cicero filius, pro, in ueſtimenti parte. fingit enim, Tironem, empto praedio, ruſticos prorſus imitari: eamq. ſpeciem familiari ioco deſcribit. SERVANTEM} quod ruſtici ſolent. SEMINA} pomorum, quae comeduntur in ſecunda Menſa. Hypomnematis. cõmentarijs, ex tempore, & ſine cura ſcriptis. ep. 23. lib. XV. ad Att. Silium expectabam: cui ὑπόμνημα compoſitum. Vide illud ep. 3. lib. IIX. Aliquod ad me σύνταγμα conſcribas. Haec hypomnemata fortaſſe Cratippi commentarij fuere: qui nominantur lib. III. off. in extremo. Hypomnematis, ex conſuetudine dictum eſt: nam ratio poſtulabat Hypomnematibus: cum ſit in nominatiuo Hypomnema, non Hypomnematum. Sic, Poematis dicebant ueteres, pro, Poematibus. & Poematorum, pro, Poematum. ideo librum ſuum Varro inſcripſit de Poematis: & Annaeus florus ad diuum Hadrianum: Poematis delector. Et Cicero pro Gallio: Poematorum, dixit: in Oratore, Poematis. Sed & Q. Laelius, ex principibus grammaticis, librũ ſuum ita inſcripſit: De uitijs, uirtutibuſq. poematorum. Attius quoque Didaſcaliorum IX. Quam uaria ſunt genera poematorum, Baebi, quamq. longe diſtincta ab alijs, noſſe. Et Varro ad Ciceronem undecimo: Horum Poematorum, & his Poematis, oportere dici, affirmat. Haec Cariſius. Eandem conſuetudinem a Nonio obſeruatam uideo. ait enim, Ciceronem lib. III. de Off. dixiſſe: Quod idem in poematis & in picturis uſu uenit. Vt Plautus quoque dixit in Aſinaria: Neque fictum umquam eſt, neque pictum, neque ſcriptum in Poematis. Poematorum autem, pro Poematum, dixit Afranius in Priuigno. συμφιλολογεῖν} de litteris inter nos diſputare. ANTHERVM} ſeruum. ἀνθηρὸς, floridus.

---

# Argumentum ep. 22.

*PRima pars epiſtolae Tironem hortatur ad curandam ualetudinem, reliquae uarijs de rebus agunt. Scripta eſt Tirone iterum aegrotante: cum in agris Cicero, in urbe Tiro eſſet: quantum ex ipſa licet epiſtola conijcere.*

## *Tullius S. D. Tironi ſuo.* 22.

SPERO *ex tuis litteris tibi melius eſſe, cupio quidem certe. cui quidem rei omni ratione cura ut inſeruias: & caue ſuſpiceris, contra uoluntatem meam te facere, quod non ſis mecum. mecum es, ſi te curas. quare malo, te ualetudini tuae ſeruire, quam meis oculis, & auribus. etſi enim & audio te, & uideo libenter: tamen hoc multo erit, ſi ualebis, iucundius. Ego hic ceſſo, quia ipſe nihil ſcribo: lego autem libentiſſime. tu iſtic, ſi quid librarij mea manu non intelligent, monſtrabis. una omnino interpoſitio difficilor eſt, quam ne ipſe quidem facile ſoleo, de quadrimo Catone. De triclinio cura, ut facis. Tertia aderit; modo ne Publius rogatus ſit. Demetrius iſte numquam omnino Phalereus fuit, ſed nunc plane Billienus eſt. itaque te do uicarium. tu eum obſeruabis. Etſi, Verumtamen, De illis. noſti cetera. ſed tamen, ſi quem cum eo ſermonem habueris, ſcribes ad me, ut mihi naſcatur epiſtolae argumentum, & ut tuas longiſſimas litteras legam. Cura, mi Tiro, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.*

## EXPLANATIO

TIBI *melius eſſe*,} ep. I. Cum meliuſcule tibi eſſet. ep. 6. ſi recte erit. ep. 33. lib. XII. ad Att. Ego hic uel ſine ſica (Tironi enim melius eſt) facillime poſſem eſſe, ut in malis. CVPIO *quidem certe*} praepoſita re non ſatis certa, cum ſequitur affirmatio, haec duo uerba, Quidem certe. ut omnino tollatur dubitatio, ſubiungimus: ut ep. 9. lib. I. cum uereretur Cicero, ne conſilium ſuum, quia ſe cum Caeſare & Pompeio coniunxerat, non ſatis probaſſe uideretur, haec ſubiecit: Illud quidem certe noſtrum conſilium iure laudandum eſt, quod meos ciues, ut a me conſeruatos, & me ſeruare cupientes, ſeruis armatis obijci noluerim. Et ep. 14. lib. IV. De mea in te uoluntate ſic uelim iudices, me, quibuſcumque rebus opus eſſe intelligam, quamquam uideam, quis ſim hoc tempore, & quid poſsim, opera tamen, & conſilio, ſtudio quidem certe, rei, famae, ſaluti tuae praeſto futurum. Ad Att. ep. I. lib. I. Spero me tibi cauſſam probaſſe, cupio quidem certe. Pro Quinctio: Vt ſumma haberem cetera, temporis quidem certe uix ſatis habui. EGO *hic ceſſo*,} cum dicit, Hic, ſe non eſſe in urbe ſignificat, ut ep. 33. lib. XII. ad Att. Ego hic uel ſine ſica facillime poſſem eſſe, ut in malis. LIBRARII.} qui libros deſcribebant. FACILE *legere ſoleo*,} ſic antiqui libri omnes. Interdum abundare uerbum, Legere, ſuſpicatus ſum: ut ſubaudiatur, Intelligere: cum paullo ante dictum ſit, Non intelligent. DE *Quadrimo Catone*.} de puero Catone, quattuor annos nato. Haec eſt illa interpoſitio, quam ne ipſe quidem legere facile ſolebat. nec dubito, quod alijs quoque uiſum eſt, librum ſignificari, quem ſcripſit de laudibus Catonis Vticenſis: cuius libri teſtimonio utuntur ueteres grammatici. Non tamen deſunt ſcripti libri, in quibus eſt, De qua prima: ex quo creditum eſt, legi poſſe: De qua primo caueto. TERTIA} mulier poſt duas ſorores nata, unde nomen ſoror M. Bruti, uxor C. Caſsij, Tertia uocata, & Tertulla. ADERIT.} in cena, quae dabitur in illo triclinio. ROGATVS *ſit*.} ut ad cenam ueniat. *Demetrius*} de quo ad me ſcribis. fortaſſe is, de quo ep. 17. 19. NVMQVAM *omnino Phalereus fuit*,} Iocatur in Demetrij nomine. numquam, ait, elegans, urbanus, Phalereo Demetrio ſimilis fuit. PLANE *Billienus eſt*.} non Phalereo, ſed improbo homini Billieno ſimilis, qui nominatur ep. 15. lib. IIX. quamquam ibi non Billienus, ſed Bellienus uocatur. hic ueteres libri diſſentiunt. habent enim, Billenus, Bullenus, Bilienus, Billienus. TE. DO *uicarium*} ut uicariam mihi operam praeſtes: ut ea diligentia in eo obſeruando, & cauendo utaris, qua ego uterer, ſi adeſſem. Vicarius eſt, qui facit id, quod alius facere debebat. ETSI *Verumtamen, De illis*:} breuitas locum obſcurat: opinor tamen Demetrij illius, quem obſeruari a Tirone iubet, conciſum, perplexumq. ſermonem repraeſentari. NOSTI *cetera*.} quae ille ſolet dicere.

---

# Argumentum ep. 23.

*HOrtatur, ut profeſsionem conficiat: ſcribitq. ſibi eſſe in animo, amicitiam Antonij conſeruare.*

## *Tullius S. D. Tironi.* 23.

*TV uero confice profeſſionem, ſi potes. etſi haec pecunia ex eo genere eſt, ut profeſſione non egeat. uerumtamen. Balbus ad me ſcripſit, tanta ſe epiphora oppreſſum, ut loqui non poſſit, Antonius de lege quid egerit. liceat modo ruſticari. Ad Bithynicum ſcripſi. De Seruilio tu uideris, qui ſenectutem non contemnis. etſi Atticus noſter, quia quondam me commoueri πανικοῖς intellexit, idem ſemper putat, nec uidet quibus praeſidijs philoſophiae ſaeptus ſim. & hercle, quod timidus ipſe eſt, θορυβοποιεῖ. ego tamen Antonij inueteratam ſine ulla offenſione amicitiam retinere ſane uolo: ſcribamq. ad eum, ſed non ante, quam te uidero. nec tamen te auoco a ſyngrapha. γόνυ κνήμης. Cras exſpecto Leptā: etenim ad cuius rutam pulegio mihi tui ſermonis utendum eſt. Vale.*

## EXPLANATIO

TV. VERO} ep. 12. Ego uero. quo loco, uide, quae diximus. PROFESSIONEM} profiteri, eſt hic, publice denunciare, quidquid pecuniae, agri, aliarum ue rerum Cicero poſsideat. & uidetur, ut haec per Tironem, ſic altera ſuperioris anni profeſsio per Philotimum eſſe facta. nam ep. 33. lib. XIII. ad Att. Negligentiam, ait miram. ſemel ne putas mihi dixiſſe Balbum, & Faberium. profeſsionem relatam? quin etiam eorum iuſſu miſeram, qui profiteretur. profeſſus eſt Philotimus. HAEC *pecunia*} quae nobis debetur. VT *profeſſione non egeat*.} quia, cum nondum ſit apud nos, profiteri

eam

eam non debemus. VERVMTAMEN.} ſubaudi, confice: & hanc ipſam pecuniam profitere. BALBVS} idem, qui ep. 21. EPIPHORA} oculorum morbo. VT *loqui non poſſit*,} Iocus: nam epiphora officium oculorum impedit, non linguae, Non poſsit autem, dixit, ideſt, nolit. quia ſtudioſus Antonij, & homo tectus. ep. 21. lib. XIV. ad Att. ANTONIVS *de lege quid egerit*.} hoc malo cum ſuperioribus coniungere, quam, ut nonnullis placet, ſeparatim conſtituere. lex Antonij fortaſſe illa ſignificatur, de qua ſic ep. 12. lib. XIV. ad Att. Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei, uiuo illo, mentio nulla. LICEAT *modo ruſticari*.} quod urbanis rebus, quas Antonius conſul e ſua libidine adminiſtrat, antepono. BITHYNICVM} ep. 17. lib. VI. DE *Seruilio tu uideris*,} Iſauricum ſignificari arbitror. is enim hoc anno petijt, ut oſtendit Dio lib. XLV. Reſpondet Tironi, qui Seruilij mortem ſignificauerat. Tu cogita, inquit, & cura, ne ex hac uita, niſi ultima ſenectute, diſcedas: quod Seruilio contigit. SENECTVTEM *non contemnis*.} iocus non abeſt. ſignificat enim Cicero, Tironem non modo non contemnere ſenectutem, ſed magni etiam facere: qui fortaſſe ſcripſerat, id ſibi curae eſſe, ut aetate Seruilium aequaret. Poteſt autem hoc tacite dicere ſenectutem ego non tanti facio, quanti tu: uel quia neque mortem, neque caſum ullum extimeſco: (ad quam ſententiam ſpectant ea, quae ſequuntur) uel quia ſatis iam uideor uixiſſe. annum enim, cum haec ſcripſit, agebat Cicero LXII. & occiſus eſt anno ſequenti. ETSI *Atticus noſter*,} etſi Atticus, quia me quondam, antequam praeſidio philoſophiae ſaeptus eſſem, repentinis terroribus perturbari ſenſit, nunc item timidum eſſe putat: cum philoſophia prorſus me liberet ab omni metu, quae docet, timendum nihil eſſe, praeter culpam. unde illa uox ep. 9. lib. XIV. ad Att. O Socrates, o Socratici uiri, numquam ego uobis gratiam referam. Dij immortales, quam mihi iſta pro nihilo. Πανικοῖς} repentinis terroribus: quorum cauſſam Pani deo tribuit antiquitas. unde πανικά. Hoc ſatis eſt ad intelligentiam loci. Plura ſi quis poſtulat, Politianum legat Miſcell. cap. 28. Θορυβοποιεῖ.} tumultum facit: terrorem in alijs gignit. uult. enim timere me ab Antonio. EGO *tamen Antonij &c.*} etſi nihil timeo, Antonij tamen inueteratam ſine ulla offenſione amicitiam retinere uolo. INVETERATAM} iam ante multos annos occidere Antonius P. Clodium Ciceronis cauſſa conatus eſt. Phil. 2. & Cicero ſic ad eum ſcribit lib. IV. ep. ad Att. ſemper te amaui. primum tuo ſtudio, poſt etiam beneficio prouocatus. NEC *tamen te auoco a ſyngrapha*.} etſi uidere te cupio: nolo tamen te ab urbe diſcedere priusquam conficias eam rem, cuius rei cauſſa te miſi. Miſerat eum Cicero, ut pecuniam, ſibi per Syngrapham debitam, exigeret. Γόνυ κνήμης.} genu tibia propius eſt. nam ſubauditur ἔγγυον. Integrum prouerbium recitat Ariſtoteles Moralium lib. IX. Theocritus autem in Idyllio, quod charites inſcripſit, eodem ſenſu dixit, ἀποτέρω, ἢ γόνυ κνήμα:} ideſt, longius, quam genu, tibia. Terentius autem in Andria: Heus proximus ſum egomet mihi. Tunica pallio propior. Plautus in Trin. dixit. Hoc prouerbio ſignificatur, curanda magis eſſe, quae magis ad nos pertinent. ETENIM} abeſt ab uno uetere libro. placeret, Eum: ſed, Etenim, ferri tamen poteſt. quaſi hoc dicat Cicero: Quippe ad cuius rutam. AD *cuius rutam pulegio mihi tui ſermonis utendum eſt*.} amarus, ut ruta, Leptae ſermo; ſuauis, ut pulegium, Tironis. Lepida ſimilitudo. amaritudo, inquit, ſermonis Leptae, ſermonis tui ſuauitate, quaſi ruta pulegio, condietur. Notiſsima eſt utraque herba.

---

## Argumentum ep. 24.

*Domeſticas res primum, deinde publicas cōplectitur haec epiſtola, quam poſt Caeſaris obitum ſcriptam eſſe, conſtat, conſulatum gerentibus M. Antonio, P. Dolabella.*

### *Tullius S. D. Tironi.* 24.

ETSI *mane Harpalum miſeram: tamen, cum haberem, cui recte darem litteras, etſi noui nihil erat, iiſdem de rebus uolui ad te ſaepius ſcribere: non quin confiderem diligentiae tuae: ſed rei me magnitudo mouebat. Mihi prora, & puppis, ut Graecorum prouerbium eſt, fuit a me tui dimittendi, ut rationes noſtras explicares. Offilio, & Aurelio utique ſatisfiat. A Flamma, ſi non potes omnem, partem aliquam uelim extorqueas, in primisq. ut expedita ſit penſio Kal. Ian. De attributione conficies. de repraeſentatione uidebis. De domeſticis rebus hactenus. de publicis omnia mihi certa, quid Octauius, quid Antonius; quae hominum opinio; quid futurum putes. ego uix teneor, quin accuram. ſed ſt. litteras tuas exſpecto. & ſcito Balbum tuum fuiſſe Aquini, cum tibi eſt dictum, & poſtridie Hirtium. puto utrumque ad aquas. Sed quod egerint. Dolabellae procuratores fac ut admoneantur. appellabis etiam Papiam. Vale.*

## EXPLANATIO

HARPALVM} ſeruum. MISERAM:} Romam, ubi Tiro erat. REI *magnitudo*,} rationes meae, quas explicari a te cupio. PRORA, *& puppis*,} ſumma conſilij mei. nam prora, & puppis totam nauem continent. unde natum prouerbium apud Graecos, πρώρα, καὶ πρύμνη. OFELLIO, *& Aurelio*,} creditoribus. A. FLAMMA,} debitore. hic eſt Flaminius Flamma, nominatus ep. 16. lib. XIV. ad Att. & ep. 1. 2. lib. XV. ad eundem. Hoc & Calpurniae gentis cognomen fuit. VT *expedita ſit penſio Kal. Ian.*} ut Kal. Ian. ſoluat id, quod debet. DE *attributione*,} de aſsignatione pecuniae, quam Ciceroni Dolabella, diuortio facto cum Tulliola, eius filia, debebat. uide ep. 13. lib. XV. ad Att. & ep. 3. lib. XVI. ad eundem. Varro lib. 1. lin. Lat. DE *repraeſentatione*,} de pecunia ante diem ſoluenda. id enim eſt, Repraeſentare. unde, Repraeſentare diem promiſſarum, μεταφορικῶς ep. 14. OMNIA *mihi certa*,} perſcribe. uerbum omittit, ut infra, ſed quod egerint: & ſaepe in epiſtolis ad Att. figura eſt, quae graece ἀποσιώπησις dicitur, in epiſtolis quae ad familiares mittantur, uſurpata. QVID *Octauius*,} agat. Poſt Caeſaris necem, ſororis eius nepos Octauius, ab eo adoptatus, hereſq. relictus ex dodrante, Apollonia, ubi ſtudijs operam nauauerat, ad urbem profectus, cum Antonio conſule in contentionem uenit, primum pecuniae Caeſaris cauſſa, in quam Antonius impetum facere cogitabat, (ep. 23. lib. XII.) deinde propter ipſam remp. quam Antonius opprimere conabatur. ep. 25. lib. XII. ep. 7. lib. XVI. ad Att. SED. SI.} Sic ueteres libri omnes. Ego legendum arbitror, Sed ſt; ideſt, ſed hoc ſilebis. eſt enim, St, nota ſilentij. Idem olim ex lib. 2. de Orat. mendum ſuſtulimus. In Plauto etiam ubi legendum St, modo Si, modo Aſt, modo At, mendoſe legitur. Terentius quoque in Phormione hac nota uſus eſt. Et Naeuius in Corollaria apud Cariſium: St: tale uerbum caue faxis. BALBVM *tuum*,} L. Cornelium Balbum, Gaditanum, pro quo exſtat oratio. HIRTIVM} conſulem cum Panſa deſignatum in annum ſequentem. AD *aquas*.} Baianas. ep. 12. lib. XIV. ad Att. SED *quod egerint*.} fac ut ſciam: uel, Sciemus: ſubaudiendum. amat enim hic Cicero breuitatem, ut paullo ante: De publicis, omnia mihi certa: ſubaudi, ſignifica. Mei tamen ueteres libri, Seu, non Sed, omnes habent. itaque cogor de mendo ſuſpicari. DOLABELLAE *procuratores fac, ut admoneantur*.} qui conſul erat hoc anno. gener antea Ciceronis fuerat; & dimiſſa iam ante Hiſpanienſem Caeſaris uictoriam Tulliola, dotem reddere debebat. Ideo utitur Cicero hoc uerbo, Admoneantur: quod ad pecuniam pertinet, quam ei Dolabella debebat. ep. 18. lib. VI. Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus: ſed, cum ea, quemadmodum ſpero, ſatis firma ſit, teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam penſionem. APPELLABIS} & hoc uerbum eorum eſt, qui pecunias a debitoribus petunt. Appellare autem, plus eſt, quam Admonere. utriuſque uerbi uis & notio patet ex oratione pro Quinctio. Cum tibi quotidie poteſtas hominis fuiſſet admonendi, uerbum nullum facis: biennio iam confecto fere, appellas. PAPIAM} mulierem Papiae gentis, plebeiae, quae Ciceroni pecuniam debebat. Hic apparet, ualde Ciceronem de rebus domeſticis laborare. nam, cum dixiſſet iam: De domeſticis rebus hactenus: & publicas attigiſſet; rurſus in extrema epiſtola redit ad domeſticas.

# Argumentum ep. 25.

*Litteras a Tirone quam creberrimas M. Cicero filius requirit. In hac epiſtola nihil eſſe uideo, quod interpretationem deſideret. itaque parcam operae: ne uidear, quod aiunt, nodum in Scyrpo.*

## *Cicero F. S. D. Tironi ſuo.* 25.

*ETSI iuſta, & idonea uſus es excuſatione intermiſſionis litterarum tuarum: tamen, id ne ſaepius facias, rogo. nam, etſi de rep. rumoribus, & nuncijs certior fio, & de ſua in me uoluntate ſemper ad me perſcribit pater: tamen de quauis minima re ſcripta a te ad me epiſtola ſemper fuit gratiſſima. quare, cum in primis tuas deſiderem litteras; noli committere, ut excuſatione potius expleas officium ſcribendi, quam aſſiduitate litterarum. Vale.*

Argu-

## Argumentum ep. 26.

*TIronem Q. Cicero & accuſat, quia litteras non miſerat, & rogat, ut omnino, etiam ſine argumento, ſcribat.*

### *Q. Cicero S. D. Tironi ſuo.* 26.

VERBERAVI *te cogitatione tacito dumtaxat conuicio, quod faſciculus alter ad me iam ſine tuis litteris perlatus eſt. non potes effugere huius culpae poenam te patrono. Marcus eſt adhibendus: isq. diu, & multis lucubrationibus commentata oratione, uide, ut probare poßit, te non peccaſſe; plane te rogo, ſicut olim matrem noſtram facere memini, quae lagenas etiam inanes obſignabat, ne dicerentur inanes aliquae fuiſſe, quae furtim eſſent exſiccatae: ſic tu, etiam ſi, quod ſcribas, non habebis, ſcribito tamen, ne furtum ceſſationis quaeſiuiſſe uidearis. ualde enim mihi ſemper & uera, & dulcia tuis epiſtolis nunciantur. Ama nos, & uale.*

## EXPLANATIO

VERBERAVI *te*} accuſaui: ut in ep. ſequenti: Mirificam mihi uerberationem ceſſationis epiſtola dediſti. modo a uerberibus, deducatur uerbero: quod Nonius animaduertit. TE *patrono.*} ſi tu cauſſam tuam uelis agere. quod ſi Marcum fratrem adhibeas patronum: fortaſſe ne is quidem, accurata licet oratione, probabit, uacare te culpa. LAGENAS *etiam inanes obſignabat,*} nam ſi quas non obſignatas, ut inanes, reliquiſſet; dici potuiſſet, eas quoque, quae furtim eſſent exſiccatae, inanes fuiſſe. ea uero ideo etiam inanes obſignabat, ut obſignatio, lagenarum omnium communis, plenas pariter eſſe omnes oſtenderet; & ita nullus excuſandi locus ijs, qui eas furtim exſiccaſſent, relinqueretur. Lagena, uas uinarium fuit, quo uinum a cupa ad menſam ferebatur. opinor eſſe, quem communi linguam fiaſcum uocamus. id uidetur oſtendere Plinius ep. 6. Cum uenabere, inquit, licebit auctore me, ut panarium, & lagunculam, ſic etiam pugillares ferat. Et ep. 30. Vinum paruulis lagunculis in tria genera deſcripſerat. Eodem ſpectant diui Auguſtini uerba, quae legimus confeſsionum lib. IX. cap. 8. Cum de more, ait de matre ſua, tamquam puella ſobria iuberetur a parentibus de cupa uinum depromere, ſubmiſſo poculo, qua deſuper patet, priuſquam in lagunculam funderet merum, primoribus labris ſorbebat exiguum: quia non poterat amplius, ſenſu recuſante. Horatius in Satyra de Naſidieni cena:

Conuiuae reliqui minimum nocuere lagenis.

Idem ep. 2. lib. 2. Poſſet qui ignoſcere ſeruis,

Et, ſigno laeſo, non inſanire lagenae.

Martialis uidetur idem facere lagenam, matellam, oenophorum; & lagenam ab uno Panareto epotam ait. Lagenas e radicum filis tum fici, tum etiam ſilueſtrium, fieri ſolitas, auctor Plinius lib. XVI. cap. 31.

---

## Argumentum ep ult.

*INuehitur Q. Cicero in Conſules deſignatos A. Hirtium, C. Panſam beneuolentiam ſuam in Tironem ſignificat.*

### *Q. Cicero S. D. Tironi ſuo.* 27.

MIRIFICAM *mihi uerberationem ceſſationis epiſtola dediſti. nam quae parcius frater perſcripſerat, uerecundia uidelicet, & properatione, ea tu ſine aſſentatione, ut erant, ad me ſcripſiſti, et maxime de conſulibus des. quos ego penitus noui libidinum, & languoris effeminatiſſimi animi plenos: qui niſi a gubernaculis receſſerint, maximum ab uniuerſo naufragio periculum eſt. incredibile eſt, quae ego illos ſcio, oppoſitis Gallorum caſtris, in aeſtiuis feciſſe: quos ille latro, niſi aliquid firmius fuerit, ſocietate uitiorum deleniet. res eſt aut tribunicijs, aut priuatis conſilijs munienda. nam iſti duo uix ſunt digni, quibus alteri Ceſenam, alteri Coſſutianarum tabernarum fundamenta credas. Te, ut dixi, fero oculis. Ego uos ad* III. *Kal. uidebo; tuosq. oculos, etiam ſi te ueniens in medio foro uidero, diſſauiabor. Me ama. Vale.*

EXPLA-

C9676



## EXPLANATIO

MIRIFICAM *uerberationem ceſſationis epiſtola dediſti.*} quid poteſt eſſe durius, aut magis diuerſum a Marci fratris puriſsimo ſermone? Dicit hoc ualde me, quia ceſſauerim in litteris ad uos mittendis, uerberaſti in epiſtola tua: pro, tacite reprehendiſti. VERECVNDIA} qua factum eſt, ut parcius quaedam ſcriberet, quae ne fratris animum offenderent, uerebatur. PENITVS *noui,*} cum legatus eſſet Caeſaris in Gallia. A. GVBERNACVLIS} a reip. adminiſtratione. tranſlatio a naui; quae gubernatoris imperiti culpa naufragium facit. OPPOSITIS *Gallorum caſtris,*} quo tempore in Gallia cum Caeſare militabant. ILLE *latro,*} M. Antonius, cum quo Hirtius, & Panſa, ſequentis anni conſules, bellum geſturi uidebantur. Latronem & Plancus uocat ep. 15. lib. x. Et Phil. 6. ſemper cum duo diſsimilia genera tenuerunt, lenonum & latronum. DELENIET} ſibi conciliabit, ad ſuas partes traducet. TRIBVNICIIS,} ut Tribuni pl. totam remp. praeſidio conſulari deſtitutam, ſuſcipiant. PRIVATIS} ut priuatus aliquis ciuis ducem ſe bonarum partium contra M. Antonium profiteatur. quod fecit Octauius. uide ep. 7. lib. XI. QVIBVS *alteri Ceſenam,*} hunc locum carere mendo numquam non ſum arbitratus. neque enim adeo tum ignobilis, aut obſcura Ceſena fuit, quae nunc in primis lauta, & honeſta ciuitas eſt, ut, tamquam abiecta res, nominari debuerit. nam quod Sidonius Apollinaris furnum ait eſſe potius, quam opidum: iocari uidetur, ut amico, qui Lugdunum patriam ſuam, accuſauerat, familiariter cauillans par par referret. Auxit hanc ſuſpicionem uetus liber uiri optimi nec litterarum expertis, condiſcipuli olim mei, Vincentij Riccij a Spe: quo in libro erat: Quibus geſa, uel quibus ſutianarum. Alter liber, e Cypro aduectus, quo olim ſum uſus, habebat, Quibus alteri Cenſenam. Atque hoc teſtati ſumus ante multos annos in Scholijs noſtris. Nunc uideo ſcriptum eſſe in antiquo exemplari Fuluij Vrſini: Quibus alteri Cunſanarum, alteri Coſſutinarum. ut ſint nomina tabernarum, quae tunc aedificarentur. quod non diſplicet: licet ignotae mihi tabernae ſint. In alijs, Conſuntinarum, Conſutianarum, Coſſutianarum. VT *dixi*} non in hac epiſtola, ſed in ſermone, cum ſimul eſſent. FERO *oculis.*} mirifice diligo. Reliqua exempla in oculis habent, ut ep. 17. ad Q. fr. lib. III. Balbum in oculis fero. Phil. 6. Trebellium fert in oculis. & alibi. IN *medio foro,*} in urbe igitur Tiro, in agris erat Quinctus. DISSAVIABOR.} & hic amor oſtenditur. nam Suauiari, ideſt oſculari, plus eſt, quam Complecti: Oculos, plus quam Malas: in foro, plus quam Domi, uel In uia: In medio foro, pulſquam In alia fori parte: Diſſuauiari autem, plus quam Suauiari. iteratio enim ſuauiorum indicatur. Veteres libri omnes, Diſſauiabor, detracta littera V: ut Sauium quoque & ſuauium, ueteres dicebant, a ſuauitate tamen deducto uocabulo.

---

FINIS.

## E X I

MIRIFICAM *uerberationem ceſſat*
ſum a Marci fratris puriſsimo ſerm
tendis, uerberaſti in epiſtola tua: pro, tac
parcius quaedam ſcriberet, quae ne fratris
legatus eſſet Caeſaris in Gallia. A. GV
quae gubernatoris imperiti culpa naufrag
in Gallia cum Caeſare militabant. ILL
tis anni conſules, bellum geſturi uidebant
cum duo diſsimilia genera tenuerunt, lenoi
partes traducet. TRIBVNICIIS,}
ſcipiant. PRIVATIS} ut priuatus a
profiteatur. quod fecit Octauius. uide ep
mendo numquam non ſum arbitratus. ne
in primis lauta, & honeſta ciuitas eſt, ut
Apollinaris furnum ait eſſe potius, qua
ſuam, accuſauerat, familiariter cauillans
nec litterarum expertis, condiſcipuli olin
quibus ſutianarum. Alter liber, e Cypro
Atque hoc teſtati ſumus ante multos ann
plari Fuluij Vrſini: Quibus alteri Cunſana
aedificarentur. quod non diſplicet: licet i
narum, Coſſutianarum. VT *dixi*}
*oculis*.} mirifice diligo. Reliqua exem
lis fero. Phil. 6. Trebellium fert in oculi
Quinctus. DISSAVIABOR.} &
Complecti: Oculos, plus quam Malas:
In alia fori parte: Diſſuauiari autem, pl
bri omnes, Diſſauiabor, detracta litter
tamen deducto uocabulo.

Aldine
583
C568m
2-SIZE
v. 6